
DE·OSUNA





IN

ROMANAS ET GRÆCAS GRÆVII ET GRONOVII ANTIQUITATES

NOVA

SUPPLEMENTA.

TOMUS I.



UTRIUSQUE
THESAURI
ANTIQUITATUM
ROMANARUM
GRÆCARUMQUE
NOVA
SUPPLEMENTA

CONGESTA

AB

JOANNE POLENO.

VOLUMEN PRIMUM.



Io. Bapta. Tiepolo In. *Petrus Monaco Sculp.*

VENETIIS,

Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JOANNES POLENUS.



Uemadmodum periti Geometræ facere consueverunt, ut, Problema aliquod soluturi, ejus conditiones diligenter perpendant, quibus analytica (ut ajunt) ratione designatis, tanquam instrumentis, ipsa in solutione Problematis utantur; ita ego, hanc scripturus Præfationem, ante omnia res, quas ipsius constitutio requireret, expendendas esse existimavi; ratus futurum, ut deinde res eædem recte solerterque pertractatæ, ipsi Præfationi conscribendæ inservirent. At res illas perquirenti mihi facile apparuit, exempla observando potius, quam meditando, propositum finem me consequi posse. Sane etenim comperi, perquirendas res illas esse in Præfationibus iis, quas in Collectiones, nostrarum similes, jam conscripsere Viri Summi, Joannes Georgius Grævius, Jacobus Gronovius, Albertus Henricus Sallengre; easdemque tam persequendas esse cognovi, quam notum mihi erat atque exploratum, eos, *qui ubi potuissent bonos imitari, neglexissent, non posse plane probatos haberi*.

II. Orsus itaque ab primo Grævii Volumine animadverti, ejus Præfationis initio, contineri admirabiles Romanæ Reipublicæ laudes, nec non expositionem fructuum uberrimorum, qui ex Reipublicæ ejusdem cognitione percipi possunt. Inde vero eruditissimus Auctor doctrinam Romanarum Antiquitatum perutilem, perque jucundam habendam esse demonstrat. Tum, *Itali*, ait, *principes fuerunt, qui a renatis litteris aditum quasi aperuerunt ut ad ceterarum optimarum artium, sic & ad hujus doctrinæ intelligentiam. Inter eos tres eminuerunt præcipue, fere æquales, Paullus Manutius, Carolus Sigonius, Onuphrius Panvinius*; de quibus doctissimis Viris, deque scriptis eorundem, plura Grævius idem edisserit. Postea vero subjicit nonnulla de Scriptoribus reliquis, quorum Opera in primum illud suum Romanarum Antiquitatum Volumen congesserat.

III. Deinceps autem exuit, quam induerat quodammodo, historici personam; ac aliam critici assumpturus, ita pergit præfari: *In his præclaris præstantissimorum virorum monumentis occurrunt quidem hinc inde, quæ miniatulis ceris notari merentur, quæve a posterioribus scriptoribus sunt rectius & dilucidius, ut dies diem docet, explicata: sed hoc nos ingenio sumus, ut ab opere censorio abhorreamus. Ut tamen aliorum magis serviamus voluntati & studio, quam nostro morem geramus animo, en tibi specimen*. Et quidem recte annotationes illas suas, *specimen* appellavit: neque enim multæ sunt, neque ad unum Authorem, sed ad varios, referuntur; cum tamen alias pluribus in locis expendendis versari potuisset vir doctissimus; nisi propositum ei fuisset, specimen dumtaxat aliquod exhibere. Itaque altera illius Præfationis pars locorum quorundam complectitur emendationes. Ad calcem vero adpositæ sunt *Ob-*

ſervationes quædam *Latini Latinii in Libros de Comitiis Romanorum Nicolai Gruchii*.

IV. Hæc de principe Grævii Præfatione. In altera autem idem Joannes Georgius pauca quædam de Scriptis ſecundo in Volumine Romanarum Antiquitatum contentis exponit: tum modo citati Latini Latinii nonnullas refert animadverſiones in Sigonii Librum de Antiquo *Italiæ Jure*: deinde adnotat, Joſephi Caſtalionis *adverſus feminarum Prænominum aſſertores diſputationem* ab Petro Servio, Medico Romano, refelli *in Miſcellaneis* cap. V. VI. VII. & VIII. hæcque eadem capita ſubnectit integra: poſt ea vero, *In hoc tomo* (pergit Grævius) *non pauca loca ſunt, quibus miniatulæ ceræ merito apponerentur, ſed non tam Ariſtarchum hic agimus, quam inſtauratorem operum egregiorum, quæ deſiderabantur. Ne tamen plane* ἀσύμβολοι *dicamur diſceſſiſſe, his paucis erimus contenti*; & oppido paucis annotationibus, iiſdemque dumtaxat in Sigonii opera, ſuam claudit Præfationem.

V. Volumini autem tertio quæ præmittit Grævius, Prolegomenorum titulo inſcribit. Atque in primis recenſet opera, quæ congeſſerat ad hoc volumen adornandum. Deinde vero tertium ſcribit, ſe invitum notas quaſdam ſubjicere; atque animadverti plane vult, a plurimis, quæ exarari potuiſſent, annotationibus ſe prudentem abſtinuiſſe. En ejus verba: *Nunc paucula in hoc tomo a nobis in tranſcurſu obſervata ſubjiciemus, ut magis aliorum voluntati morem geramus, quam animo noſtro, etſi uberrima notarum meſſis ſuppetat, præſertim in Robortelli libris, quos ſola raritas commendat*. Iiſdemque *pauculis obſervatis* Præfationi huic coronis imponitur.

VI. Quarti Voluminis & Quinti initia referunt quodammodo recenſum Operum, quibus hæc ornantur Volumina; adduntur aliquæ obſervationes; poſtremo autem Grævius concludit: *Plura facile poſſent notari, ſed hæc in tyronum gratiam ſufficiant, ne celebrium virorum auctoritate decipiantur*.

VII. Neque idem Jo. Georgius diſſimiliter egit in contexendis Præfationibus Voluminum ſexti, atque ſeptimi. In hoc tamen Volumine brevior aliquanto fuit; ſic orſus: *De hoc ſeptimo Theſauri Antiquitatum Romanarum Volumine pauca, ut nunc eſt, monenda habeo*; *quamvis de multis diſputandi materia non deeſſet, ſi & temporis & occupationum ferret ratio*.

VIII. Voluminis Octavi Præfatio nihil habet nunc in medium adducendum: cum conſtet ex enumeratione Auctorum, & ex annotationibus nonnullis (ex occaſione) inſertis. At referemus, Præfationem Voluminis Noni, poſt aliquot criticarum obſervationum enarrationem, concludi verbis hiſce: *In alia multa potuiſſet animadverti, præſertim in Bulengerum*; *ſed his erimus hoc tempore contenti*. Quæ autem habentur decimo præpoſita Volumini, pertinent ad Bergeri, Patricii, & quorundam aliorum Auctorum laudes; nec non ad veteres nonnullas Inſcriptiones, quæ ibi primum editæ lucem adſpexere.

IX. Quod vero attinet ad primam partem Præfationis Undecimi Voluminis, in ea poſuit Grævius nonnullas obſervationes, quibus Operi eximio *Sertorii Urſati de Romanorum Notis* nova aliqua effunditur lux; tum paucis indicantur Auctores in id Volumen congeſti.

Sed partis alterius portionem haud brevem hic, pro re nostra descripsisse, plane juvabit: in hac etenim Grævius de Scriptoribus variis illustribus, quorum Opera in Thesaurum suum conferre voluisset, verba facit: *Plures*, ait, *in hoc argumento de nummis & ponderibus Veterum elaborarunt viri docti, ut Gulielmus Budæus, Georgius Agricola, Joachimus Camerarius, Leonardus Portius, Henricus Glareanus, Josephus Scaliger, Petrus Ciacconius, Joannes Fridericus Gronovius, Willebrordus Snellius, Matthæus Hostus, Erycius Puteanus, Daniel Anglocrator, Eduardus Bernhardus, ac nonnulli alii, sed minorum gentium. Horum præcipui nuperius denuo typis descripti omnium sunt in manibus, ut hic cum detrimento & indignatione bibliopolarum, qui eos ediderant, & emptorum, qui sibi pararant, recuderentur. Hoc & tibi dictum sit de multis Scriptoribus de re militari, ut Valtrini, Justi Lipsii, Savilii & aliorum, ut & qui alias Antiquitatum Romanarum partes illustrarunt, quos in hoc opere non vides. Aut propter hanc, quam dixi, causam hic ommissi sunt, aut quia hisce finibus, quibus se ipsi circumscripserunt nostri Librarii, excludebantur, ne aut ignorantia prætermissos, aut fastidioso quodam supercilio contemtos existimes. Sequetur, credo, appendix, cum fuerint venditi isti Libri, qui nunc passim in Tabernis librariis comparent, Tomasini, Curtii, Balduini, Schefferi, Frigellii, & alii hujus notæ sane optimæ. Nam in his terris ante non multos annos denuo fuerunt publicati, ut plurima supersint exempla, nec per jura & leges magistratuum sibi eos nostris aut licebat vindicare, aut religioni ducebant aliorum quæstum intercipere. Vale.*

X. Nonnulla demum ultimi Tomi Præfatio habet pertinentia ad *Vincentii Butii Libellum de calido, frigido, & temperato potu*; *ad Jul. Cæsarem Bulengerum de Conviviis*; *ad Andream Baccium de Thermis*; & ad aliquem alium; perficiturque hisce verbis, quæ subjeci: *Hæc proœmio ad istum Tomum sufficiant. Scriptores reliquos, quos continet, cognosces ex indiculo, qui fronti libri apponitur. Vale.*

XI. Sed jam satis, ut arbitror, de Præfationibus in Volumina Romanarum Antiquitatum dictum est: nunc nonnulla delibemus oportet ex iis, quibus Antiquitatum Græcarum Thesauri exornantur. In horum tribus Præfationibus primis respexit Jacobus Gronovius ad Imagines Antiquitatis Numinum, Heroum, Philosophorum, Virorumque illustrium; de quibus idem Jacobus multa scripsit, singulis Imaginibus, in tria illa Volumina relatis, eximia eruditione refertas explicationes adjiciens; quamobrem trium primorum Voluminum materia quanta quanta est, Gronovii tota est. Primi autem Tomi proœmium exorditur verbis hisce: *In Præfatione instruenda his primorum Græciæ sæculorum, & in fabulas incidentium reliquiis, unde potius, quam ex ipsis auspicabor initium?* Tum ait, *æmulatio me accenderat, ut dum percenseo paullatim alienorum studiorum ingenia, vultibus hominum veterum producendis impensa, id non sine annotatione quadam facerem.* Ac deinde de suis exhibendarum Imaginum explicationibus differit. Et, cum primi Voluminis similia essent reliqua duo, hisce breviores adposuit Præfationes. Ad secundum, *se eodem* (ac prius) *tenore congerere*, scribit, *ac, per tempora, loca, homines, divisa antiquitatis quædam sæcula cognoscenda, vel magis conspicienda præbere; in quibus*, ait, *non profero nisi quæ mea sunt*: paullo tamen infra subjicit hæc; *sed ubi ab illis* (Fulvio, Caninio,

Causseo, Sponio) *opem petivi, pariter grate profiteri non omisi*. In tertii autem Voluminis Præfatione, reliquam *tertiam* suæ *divisionis partem & ipsam* (ut ille ait) *profligatam esse declarat*.

XII. Alterius vero generis sunt in reliquos novem Antiquitatum Græcarum Tomos procemia. Neque enim hæc, si Gronovii finem ordinemque spectes, a Grævii procemiis valde differunt. In horum primo, quod ad Græcarum Antiquitatum Volumen pertinet quartum, Gronovius, *plane*, scribit, *non teneor desiderio ullo augendæ voluminum copiæ; multo minus eos libros, quos supponere oportet in omnibus bibliothecis satis abunde conspici, quibus propterea nec studia publica egent, nec mentes doctæ illustrari amplius possunt*.

XIII. Tum hæc addit: *ipse ex omni voluminum huc pertinentium copia, quam aut adipisci tunc aut sperare licebat, non potui justiorem universæ hujus materiæ ordinem destinare illo, quem vides, nisi fallor, ab ipsa rerum caussa imperatum postulatumque, ut ipse progressus demonstrabit, sæpe tamen repentino aliorum interventu infractum, iisque internodiis articulos illius conciliantibus, ut pependisse omnia arbitrio variorum intelligas*.

XIV. Nonnulla præterea proponuntur spectantia ad ordinem, quem sibi Jacobus constituerat servandum in collatione sua: atque subjiciuntur pauca quædam observata in Meursii Opera; nec non quædam alia ab Jo. Georgio Grævio ex chirographo Meursii descripta.

XV. Quinti in Voluminis Præfatione, institutum suum se persequi lubenter, Gronovius profitetur: *& quum accessionum novissime ab Auctore* (Jo. Meursio) *adscriptarum compos factus fuisset*; *nequivi*, ait, *illas commode interponere*, *quas idcirco hic subjunctas accipe*, Lector: quæ *accessiones* paginas sane plures occupant; iisdemque variæ aliæ Auctoris ejusdem, præsertim ad ipsius *Fortunam Atticam* pertinentes, subjiciuntur. Demum de Auctoribus, ex quibus Volumen hoc contexuit, agit Gronovius; ac nonnullas alias Meursii annotationes, suis intermixtas, subjungit. Parique ratione agit de Scriptoribus, quos pro Volumine Sexto, proque Septimo, designaverat; quorum in Voluminum Præfationibus observationes etiam quasdam suas habet in Scriptores illos: præterea vero de suæ collectionis progressu haud semel verba facit. Et similia quidem profert Octavi Voluminis procemium, in quo tamen perpaucæ reperiuntur observationes.

XVI. Caussas in Nono Procemio exponit Gronovius, cur tardius dederit illius Voluminis Auctores; *in quibus tamen*, ait, *quum* (Auctores illi) *insinuaverint nonnulla*, *quæ invitis & non attentis exciderunt iisdem Auctoribus*, *bona venia mihi spero*, *dabitur*, *ut attentionem tuam*, *Cupide Lector*, *aliquandiu comiter*, *ac fortasse adjuvem*, *ne per fallaciam cogatur offendere*: tum suas aliquot subjicit observationes. Itidemque nonnullas alias in Tomi Decimi Præfatione, quibus interposita sunt fragmenta quædam ex Zenodoto descripta, Græce & Latine exhibita, maximamque Præfationis partem occupantia. Agitur autem in Undecimi Voluminis Procemio de Scriptoribus in idem relatis, atque de rationibus etiam, cur selecti illi fuerint; ac interseruntur nonnullæ in eosdem adnotationes.

XVII. Postremi in Voluminis Præfatione (in qua nullæ criticæ anno-

annotationes) recenset Gronovius opera, quibus texuit designavitque idem Volumen. Præsertim vero ea in Præfatione observanda sunt hæc: *omnes autem* (verba Gronovii sunt) *qui huic operi adduntur tractatus, non ita edidimus ut temere hanc illamque editionem, prout quæque nobis occurrebat, secuti simus; sed consilio & opera Virorum doctorum ubicumque agentium, impensis summis adhibitis, varias quasque editiones requisivimus, alteramque cum altera contulimus, priusque emendavimus, quam prælum subirent. In his inveniuntur plerique ex relictis & numquam impressis Auctorum Chirographis emendati: nec pauci etiam dantur tractatus Doctissimi Joh. Meursii aliorumque numquam antehac editi.*

XVIII. Hæc Gronovius: nec plura addemus de Procemiis exornantibus Thesauros primos. At *Novum Thesaurum Antiquitatum Romanarum congessit Albertus Henricus de Sallengre;* qui propositi sui in Præfatione prima rationem redditurus, *quid autem* (scribit) *in congerendo hoc novo Thesauro a nobis præstitum sit, paucis expediam. Auctores doctos & raro obvios, qui Romanorum ritus illustrarunt conquisivi, selegi, & attento animo evolvi. Innumera inde Typographorum menda sustuli, Operis dispositionem & contextum multo meliorem feci. Quidquam vero immutare, vel inde detrahere religioni duxi. Hac ratione Approbationes, Dedicationes, & alia parvi licet momenti in integrum reliqui. Annotatiunculas etiam multis in locis subjeci, quibus tum Auctores ipsos illustravi, cum ipsa loca, ad quæ respiciebant retuli, & aliquando etiam ipsos paucis confutavi.*

XIX. Post hæc Auctoris *Novæ Librorum Rariorum Conlectionis* mutuatur verba, quibus ille & conqueritur de Libro quodam *minus accurate a Belgis excuso*, & editionis ejusdem vitia recenset: recensita vero ab Auctore illo vitia in medium adduxit Alb. Henricus ea arte, ut ex illis sui Operis commendatio derivari contraria quadam ratione facile posset: statim enim ipse pergit, hæc *autem de Thesauro nostro, ut puto, nemo dixerit. Editionem enim hanc nostram accuratissimam esse affirmare prorsus ausim, & cuique illam perlegenti abunde patebit. Eam vero summa cura & diligentia emendavit Vir eruditissimus & hac in re peritissimus Johannes de la Faye, cui plurimum Thesaurus hic debet.*

XX. Sed ad rem quidem nostram omnino erit perspicue hic cognoscere, quid ille variis in Operibus congerendis sibi proposuerit, quidve senserit de iisdem ordine momentoque suo disponendis. *Ordinem* (verba Alb. Henrici sunt) *in Dissertationibus inserendis me fere nullum servasse non diffiteor; & cum id a quibusdam reprehendi posset, facti rationem reddam. Cum Cl. Grævius de edendo Thesauro cogitaret, omnes ejusdem argumenti Tractatus conjunxit & edidit, non tamen rerum ordine servato disposuit. Oportuisset enim Auctores, ex. gr. qui de Roma Veteri egerunt, inserere primo loco, cum in quarto tantum Operis Tomo reperiantur. Præterea variis in locis peculiares Dissertationes, Inscriptionem quandam vel alia Antiquitatis monumenta illustrantes, edidit. Et vere ita se res habet, dummodo Auctores sint probæ notæ ac luce digni, non multum interest quo in loco referantur; hæ enim Collectiones cum uno spiritu legi non possint, solum inserviunt iis, qui, ubi opus est, eas consulunt. In quo autem Tomo quæque Dissertationes extent, Index in principio cujusque Voluminis docebit. Et cum hujus novi Thesauri omnes Tomi typis erunt excusi, generalem Indicem*

Auctorum edi curabo, cujus ope, quid in toto Opere contineatur, uno intuitu cognoſci poterit.

XXI. Atque huic Præfationi finem ille facit, pauca quædam proferens de Auctoribus, eorumque Operibus ſuum in Volumen inſertis.

XXII. De Auctoribus itidem ac de Libris, ex quibus ſecundum & tertium *Novi Theſauri Romanarum Antiquitatum Volumen compoſitum eſt*, verba fiunt. Sunt ea procemia veluti coronæ variis ex floribus, quibus vix aliud, quam texturam, attulit Alb. Henricus.

XXIII. Hæc fere excerpere habui de Præfationibus iis, quas in Collectiones, noſtrarum ſimiles, Viri illi præſtantes conſcripſere. Porro exiſtimo haud inutile futurum hujuſcemodi ſpecimina delibaſſe, ut ex iiſdem poſſit perſpicue apparere quid olim Viri illi ſibi propoſuerint. Neque ſane veritus ſum ex illorum ſcriptis deſcribere plura loca; quippe quae viſa ſunt, rebus infra exponendis lumen eſſe allatura. Inde etiam datum erit apte derivare notiones illiuſmodi rerum, quæ (ut principio conſtitueram) in mea hac Præfatione conſcribenda non ſine certa aliqua utilitate adhibeantur. Non modo igitur ut res illæ cognoſcantur diligenter, verum etiam ut inter cognitas ſeligantur eæ, quæ uſui noſtro futuræ maxime ſint, præſtabit quidem hactenus excerpta ad ſumma veluti quædam capita revocare: id itaque mox ex ordine faciam.

XXIV. Ac primum animadvertam, multa ab Grævio & Gronovio de laudibus doctrinæ Antiquitatum Romanarum Græcarumque docte atque erudite fuiſſe, ut indicatum eſt in hujus Præfationis Art. II. & XI. prolata: nec non ab iiſdem optimo in lumine collocatam fuiſſe eam eximiam utilitatem, quæ ex hujuſcemodi Collectionibus mire illuſtrantibus Antiquitates illas, facile poteſt promanare. Sed de his ſatis jam dixere Viri illi eruditiſſimi; neque hercle mea intereſt modo eandem (ut ajunt) crambem recoquere.

XXV. Tranſeo itaque ad alterum caput; nimirum ad criticas annotationes, quibus illi ſuas Præfationes auxere. Quas ego quidem non laudare, plane neſcirem; ſed ut eas ceu exemplar, ex quo ſimile exemplum facerem, mihi proponam, in animum inducere minime poſſum. Video enim ſuis annotationibus (*a*) præmiſiſſe Grævium, ſe *eo ingenio eſse ut ab opere cenſorio abhorreret*, ego verò tam abhorreo, quam qui maxime: addit etiam ille, *ſe magis aliorum ſervire voluntati & ſtudio, quam ſuo morem gerere*; at mihi ſtudio meo morem gerere permiſſum eſt: (*b*) alibi ait, *ſe non tam Ariſtarchum agere, quam inſtauratorem Operum egregiorum*; utinam ego poſſim, illas Ariſtarchi nullo modo attingens, haſce ultimas partes inſtauratoris pacto aliquo ſubire, quibus certe ero omnino contentus: (*c*) alibi vero *paucula*, appellat, *ſua obſervata*: (*d*) alibi ſe dumtaxat in *tyronum gratiam* ea dare profitetur: (*e*) alibi ſimilia. Aliquod autem Procemium Grævii, ut & aliquod Gronovii, ejuſmodi eſt, ut in eis Annotationes (*f*) criticas nullas extare, ſtatui queat: ac in aliquibus aliis perpaucæ ſunt. Et Alb. Henr. de Sallengre obſervata ſua appel-

---

(a) *Hujus Præfationis Art.* III. (b) *Art.* IV. (c) *Art.* V. (d) *Art.* VI. (e) *Art.* VII. *&* VIII. (f) *præſertim Art.* VII. *&* XVII.

lat (*a*) *Annotatiunculas*, quas & perpaucas & perexigui esse momenti, memini me apud quosdam Auctores illustres legisse.

XXVI. Quæ cum ita sint, & cum ipsa Librorum collectio satis per se in periculum atque discrimen (ut infra ostendam) eum adducere possit, qui illos collegerit; sane non committam, ut negotium etiam mihi facessere possit affectata conquisitio notarum. Equidem animadverto quid olim præstiterint simili in re laudati illi Viri Grævius & Gronovius: at etiam animadverto, illos paucis (quamvis plurima dari ab iisdem potuissent) plerumque fuisse contentos; Græviumque toties (*b*) inculcasse, se prudentem a multis abstinere. Prætereaque satis (ut opinor) jam scio, ejusmodi esse hujusce ætatis genium, ut adnotationes tyronibus inservientes, tamquam nullius usus juvandis melioribus litteris habeantur. Adnotationes vero doctis diligenter scriptæ, si hujusmodi Collectionum Libris essent apponendæ, eum profecto suscipere laborem oporteret, cujus nullus unquam finis esse posse videretur. Quamvis itaque plurimi faciam quæ olim doctissimi illi Viri præstiterunt, ego tamen & horum temporum, & occupationum (& aliarum quarundam rerum, quas non interest commemorare) ratione habita, plane cognovi, nihil de Annotationibus a me esse promittendum: me tamen, pro hisce nequaquam fidem meam obstringentem, non peccare in propositam Collectionem prorsus existimo. Quod si fructuosa aliqua occasio ferat, aut prompta aliqua utilitas urgeat, liberum erit eisdem, occasioni, utilitatique inservire.

XXVII. Atque hæc eadem intelligi velim de aliorum Operibus in Præfationes pro re nata inserendis. (*c*) Quædam enim ex Latino Latinio, ex Petro Servio, ex Joanne Meursio, ex Zenodoto, aliisque, sæpe laudatos illos Viros in Procemia sua transtulisse, compertum est.

XXVIII. Sequitur tertium caput pertinens ad Libros, qui, post illos jam a Grævio, Gronovio, & Sallengrio collectos, supersunt colligendi. Jamque ipse Sallengrius nos docuit abunde Libris pluribus augendos esse ditandosque Thesauros illos; quandoquidem promisit (*d*) *Generalem Indicem* tunc se daturum, cum *novi Thesauri omnes Tomi forent excusi*; qui tamen Index lucem non aspexit; collectionem enim ille non peregit, neque peragere potuit; ejus enim *animo præconcepta alia intercepit mors immatura*. Adde, ipsum Græcas non attigisse Antiquitates. Sed ante ipsum jam Grævius (ut (*e*) vidimus) professus fuerat, Thesauro suo plura deesse opera illustrium Virorum Budæi, Agricolæ, Camerarii, Portii, Glareani, Jos. Scaligeri, Ciacconii, Joh. Frid. Gronovii, Snellii, Hostii, Puteani, Anglocratoris, Valtrini, Lipsii, Savilii, Tomasini, Curtii, Balduini, Schefferi, Frigellii, atque *opera alia hujus notæ sane optimæ*. Quibus operibus Thesaurum ille suum locupletiorem profecto reddere voluisset; neque tamen potuit præpeditus validis rationibus; sed rationibus, quas Librarii, non meliores Musæ suggesserunt. Spem tamen fecerat Appendicis aliquando proferendæ.

XXIX. Vidi etiam in Ephemeridibus litterariis, quæ olim Muti-

(a) *Art.* XVIII. (b) *Art.* III. IV. VI. VII. VIII. (c) *Art.* III. IV. XIV. XV. XVI.
(d) *Art.* XX. (e) *Art.* IX.

næ prodibant (pertinentibus ad annum 1696. pag. 14.) Catalogum, ut appellant, cui titulus est, *Index Auctorum, qui in Thesauro Antiquitatum Romanarum Joannis Georgii Grævii reperientur*. Indice hoc conlato cum Operibus, quæ a Grævio edita in suo Thesauro fuere, facile comperi, desiderari in hoc quinquaginta circiter Libros, qui illo in *Indice* promittebantur. Clauditur autem *Index* ille verbis hisce: *Rogantur omnes Studiosi Romanarum Antiquitatum, si quos habeant nobis Invisos, & Ignotos Scriptores hujus Argumenti, nobiscum velint eos communicare; gratos & memores hujus beneficii nos cognoscent. Hi omnes Auctores edentur in his Tomis. Accedent forte nonnulli alii rariores, qui nobis sunt promissi*. Modo, si ratio habeatur etiam Librorum Græcas Antiquitates illustrantium (verba enim (*a*) fecit Gronovius de *Voluminum copia, quam aut adipisci tunc, aut sperare licebat*) ac si optimarum Bibliothecarum Indices excutiantur, dilucide apparebit, adhuc plura extare egregia opera, quæ ab tribus illis solertibus Viris vel inveniri, vel congeri in Thesauros suos nequiverunt, vel diligentiam eorum *fugerunt*, *vel post eorum obitum litteris confecta, ac doctrina hominum doctissimorum in publicam lucem venerunt*.

XXX. Superesse itaque de Romanis Græcisque Antiquitatibus Libros bene multos certum est: at æque certum, non esse contexendam *ex omni flore coronam*, neque farraginem congerendam sine delectu. Hujus vero modum jam indicaverunt qui olim simili in collectione sunt versati, quasique facem præferentes, nobis materiam aperte ostenderunt ad quartum hoc caput, sive ad quæstionem de Auctoribus idonea ratione seligendis edendisque. Narrat enim (*b*) Sallengrius, se *Auctores doctos & raro obvios selegisse*, Grævius insuper ostendit, raritatis Librorum tam sedulam curam esse habendam, ut a Libris, quos *raritas sola commendat*, se non abstinuisse, alicubi re ipsa (*c*) declaret: docetque (*d*) Gronovius, se non temere hanc illamque Editionem fuisse secutum; *sed consilio & opera Virorum doctorum, ubicumque agentium, impensis summis adhibitis, varias quasque editiones requisivisse*. Satis vero multa, variis in Præfationibus, de eorum etiam studio in emendationibus posito, legere est. At animum præsertim advertamus oportet ad illorum Volumina, ut intelligamus, eorum exempla, quodammodo tamquam præcepta de cauto Librorum delectu posse haberi; hæcque ratione & judicio, distinguenda, ac persequenda esse laudabili imitatione.

XXXI. Porro Veneti Socii, nempe *optimi illi Viri, ad quos, meliore aura flatuque prospero bonarum artium, cura edendi Thesauros Græcarum Romanarumque Antiquitatum translata est, præsidiis omnibus instructi sunt*; neque sumptibus parcunt, aut diligentiæ, ut a Viris doctis, ubicumque agentibus, variæ quæque Editiones conquirantur; &, pro virili parte, in susceptæ provinciæ administratione, consilio honestissimo laudandoque, persistunt. Atque hercle pergent curare diligenter (quemadmodum olim polliciti sunt) ut hæc Editio omnibus præstans sit nominibus, *chartæ nimirum ac marginum puritate, & magnitudine; typorum tabularumque ænearum nitore ac nobilitate; sedula denique, & accurata quadam scribendi edendique ratione, ac diligentia, mendorum omnium*

(a) *Art.* XIII. (b) *Art.* XVIII. (c) *Art.* V. (d) *Art.* XVII.

nium expultrice. Huic enim emendandæ Editioni Ab. Jo. Antonius Mozzatus Venetus præest, Vir sane doctus & usu peritus: non autem hic reticebo, hujusce Editionis Libros typis æneis Venetiis describi, me vero degere Patavii; lubens tamen fatebor, me plurimum accuratæ ejus Jo. Antonii diligentiæ sedulitatique confidere.

XXXII. At hæc omnia vera quamvis sint, mihique explorata; nihilo tamen minus nonnullæ animadversiones in priores illos Thesauros, quæ extant mandatæ litteris (sed eas commemorare hic in animo non est) me plane admonuerunt futurum, ut nova hæc quoque Supplementa aliquibus parum arrideant. Hinc pericula incidendi varias in reprehensiones ad novum hoc caput adducenda videntur. Expedienda tamen paucis; cui enim bono multa proferre? si rei litterariæ natura ita est comparatum, ut litterariis in rebus nihil a reprehensione undique tutum esse queat. Erunt enim fortasse, qui collectionem hanc probari sibi non posse vociferentur, causenturque, augeri nimis Voluminum copiam; erunt fortasse qui doleant, frustra multiplicari Libros satis abunde obvios omnibus in Bibliothecis, pluribusque in librariis tabernis; erunt fortasse qui (prout variæ sunt hominum opiniones) Supplementorum Libris antecellere quosdam alios prætermissos, opinentur; erunt fortasse, qui omnino judicent propriis ex bibliothecis, conspiciantque æquo animo, quæ sibi desint opera, at reliqua jam aliunde comparata, valde fastidiant; erunt fortasse alii, aliis de caussis, se tales ostendentes, ut ipsis, labores hi, hi sumptus minime grati, ingrati etiam (si Diis placet) esse videantur. Quibus omnibus aptæ quidem responsiones reddi posent; at id præstare, esset prorsus idem atque cum larvis colluctari; imaginatione enim pericula prævidemus; at nemo nunc est, qui nos in certamen adducat. Multo tamen minus periculum rem nostram subituram ese plane confido, ubi exposuero, futurum, ut colligendis ad opus hoc adornandum Libris favorem præstent suum, studium, industriam, ac diligentiam Viri Celeberrimi Apostolus Zenus Poeta & Historicus S. M. C. C. Sigebertus Havercampus, Prof. Historiarum, Eloquentiæ, & Linguæ Græcæ in Lugd. Batav. Academia; Jo. Daniel Schoepflinus in Academia Argentoratensi Historiarum & Eloquentiæ Prof. Regiæ Inscriptionum in Gallia Acad. ac Soc. Angl. Sodalis; & Fr. Jo. Bernardus Maria de Rubeis Ordinis Prædicatorum, quorum modestia etsi impedior, quominus in eorum laudes eam; ejusmodi tamen eæ sunt, ut facile videam, eorum judicio mire quidem opus nostrum pose defendi: nullus enim inseretur Liber, nisi vel singuli eorum, vel plures, Librum ipsum suis probaverint suffragiis.

XXXIII. Utinam vero iis præsidiis (hæc autem novi qualia quantaque requirerentur) utinam, inquam, iis ego præsidiis esem instructus, quorum usu certe posem in proposita re, pro rei ipsius dignitate versari. At inquiet aliquis, cur ergo in provinciam hanc es ingresus? dicam paucis: mihi contigit idem prorsus ac illis, qui, ubi semel attigerunt limen, pedem referre non posunt. Neque sane oblitus eram Horatiani illius:

——— *Et versate diu quid ferre recusent,*

Quid valeant humeri.

At quemadmodum bene multis Auctoribus solemne est, Lectores sedulo admonere, Amicorum non modo suasu, verum etiam violento quodam impulsu factum esse, ut Libros suos publicam in lucem emittant; ita quidem mihi necessarium omnino est, pro rei veritate, profiteri, ab Ornatissimis Sociis illis (de quibus dictum supra est) mihi amicissimis coactum me fuisse operam meam, qualemcumque, in hoc opus conferre; mihique contigisse, immutabili quodam germanæ amicitiæ fato, ut mallem, cum studio eorum essem obsecutus, desiderari prudentiam meam, quam, si id non fecissem, benevolentiam. Itaque a te, Lector Benevole, etiam atque etiam peto, ne severi judicis partes secteris; sed ut meam optimam voluntatem, quæ me ad rem hanc suscipiendam induxit, consulas, pro humanitate tua, æqui bonique.

XXXIV. Nunc ad reliqua progressurus, ad sextum caput referam ea, quæ in primis recensitæ Præfationes de ordine modoque animadvertenda esse, suggesserunt. In quibus alicubi quidem recensentur Libri argumenti unius ejusdemque, unum in Volumen collecti; alicubi vero non ita. De quibus recte Gronovius (*a*) admonuit, se *ordinem destinavisse ab ipsa rerum caussa imperatum, sæpe tamen repentino aliorum interventu infractum*, & veluti *internodiis* distinctum. At Alb. Henricus, se (*b*) *Ordinem in Dissertationibus fere nullum servasse* professus diserte est: multaque de perturbato in Cl. Grævii Thesauris ordine, virgula censoria notavit. Quæ ego quoque hoc loco commemorari oportere, plane existimavi, ne scilicet viderer ignoravisse, fingendum profecto esse unum quodammodo corpus, sed ex dissimilibus membris: atque dandam operam esse, ut apta eorum adhibeatur compositio; sed tamen quoad ejus fieri possit. Multa enim enascuntur impedimenta, quominus semper optatus ille ordo servari queat: qui, si in varia Librorum colligendorum textura aliquando, aut sæpe etiam, desideretur, jam quæ præstitere ante nos eruditissimi illi Triumviri, quæque litteris iidem mandavere, nobis etiam, ut spero, veniam facile impetrabunt.

XXXV. Eoque magis, quod modo non licet, ut licebat olim, undecumque messem colligere, postquam Viri doctissimi Voluminibus viginti septem, bene spissis, innumeros Auctores collegere. Nunc enim (ut ita dicam) quærenda sunt etiam spicilegia, melioris notæ, utilia quidem, immo Thesauris perficiendis necessaria; sed componenda inter se ea ratione, qua spicilegia componi queunt. Jam enim studiosorum commodis satis prospiciunt nominum rerumque Indices, in quibus facile quæcumque ad unum idemque nomen, ad unam eandemque rem spectantia, reperiuntur conjuncta, atque colligata; idque commodum, vel ante nos, optimo in lumine collocavit Sallengrius, cum ait: (*c*) *Generalem Indicem Auctorum edi curabo, cujus ope, quid in toto opere contineatur, uno intuitu cognosci poterit.*

XXXVI. Hactenus vero dicta ostendere satis quidem possunt, ad Auctorum dignitatem & præstantiam quod attinet, non rationem sed occasionem fecisse, ut alios aliis præmitteremus. In

(a) *Art.* XIII. (b) *Art.* XX. (c) *Art.* XX.

hujusmodi Collectionibus, in quibus non omnia consilio fieri queunt, sed multa committenda sunt tempori & quodammodo etiam fortunæ, partium singularum pretium non putavimus ex loco æstimari debere.

XXXVII. Post hæc autem, ex illis trium Collectorum illustrium Procemiis ea dumtaxat supersunt excerpta, quæ ad postremum hoc caput de Auctoribus, eorundemque Operibus, sunt referenda. Faciliora sane, quia certiora. Singulis enim in Præfationibus, quæ de Libris, in singulos Tomos insertis, exponenda, & quæ de eorundem Auctoribus significanda esse duxerunt, tum exposuere, tum significavere diligenter; atque in hac parte mirifice consenserunt, indicio manifestissimo utilitatis necessitatisque partis hujusce. Perutilis igitur perque necessaria hæc una pars habenda videtur: quamobrem etiam concipere animo facile possumus, hanc unam materiem esse, ex qua necessario Præfationes in proposita Supplementa exprimantur, atque efficiantur.

XXXVIII. Id vero ubi innuo, simul existimo intelligi satis perspicue, quæ scribendarum Præfationum brevis ratio futura sit: nisi (ut (*a*) supra jam indicatum est) fructuosa aliqua occasio, aut prompta aliqua utilitas, quidpiam aliud apte inserendum esse, penitus persuadeant. Hac autem ratione inventa, jam sentio, me exempla contemplantem potius, quam nova molientem, assecutum esse res, quas propositarum Præfationum constitutio requirit: meque, quasi aliud agentem, Problema meum (ut ita dicam) solvisse; maximamque, sive universalem, primi hujusce Procemii peregisse partem. Tandem itaque constituta ratione illa aggrediar ad ea, quæ veluti peculiariter de primo hoc Volumine nostra refert exponere.

XXXIX. In Tomo hoc primo Libri habentur, magnam partem, facientes ad illustrandam civilem Romanorum Reipublicæ administrationem; unde meliore in lumine jugiter collocentur præstantia instituta illa, quæ quamdiu servata sunt, non minores, quam arma, Romanis commendationes peperere. Ita ab doctissimo Grævio impressa vestigia si omnino persecutus non fuero, non tamen adversa posuisse dicar, cum vel ille in primum suum Volumen Illustrium Virorum Commentaria de Legibus, de Comitiis, de Senatu, & alia similia, congesserit. Hinc autem factum est, ut nullæ Figuræ æreis Tabulis impressæ accesserint Volumini huic. Ceterum in reliquis Supplementorum Voluminibus haudquaquam desiderabuntur *variæ & accuratæ Figuræ*, nimirum illæ omnes, quæ ad præstantium Auctorum opera, quæ colligentur, pertinebunt. Neque sane deerunt laudati illi optimi Socii sumptibus ullis, ulli diligentiæ, ut quæ dabuntur Figurarum exemplaria non modo suis exemplis perfecte respondeant, verum etiam opificum eleganti industria perpolitæ eniteant.

XL. Scriptorum, qui materiam huic Volumini suppeditarunt, agmen ducit Paullus Merula. Hujus vita ab Jo. Meursio in *Athenis Batavis* mandata est litteris. At hoc loco sufficiet indicavisse, eum, *cum discessisset Lipsius, accersitum fuisse* Lugdunum Batavorum,

(a) *Art.* XXVI.

& vacantem Historiarum professionem publica auctoritate suscepisse; vitam cum morte commutasse an. CIↃIↃCVII. cum vixisset annos XLIX. ab eruditissimis autem viris eum multis laudibus fuisse ornatum. Ejus Liber de Legibus prodiit posthumus, anno demum 1686. cura & studio C. A. Maresche J. C. qui in sua *ad Lectorem Præfatione* recte quidem animadvertit, nequaquam esse putandum, *post Homerum Iliada P. Merulam conscripsisse*; *non* enim, ait, *nego*, *Antonium Augustinum Archiepiscopum Tarraconensem de Legibus*, & *Senatus consultis librum quidem elegantissimum conscripsisse*, *uti etiam P. Manutium Aldi Filium*, *sed sine capitum aut paragraphorum summariis* (*quæ omnia nos addidimus cum indice*) *uti & J. Lipsium de Legibus Regiis & Decemviralibus*: *nullum tamen ajo ipsa verba Legum tam accurate recitasse quæ in antiquis monumentis* .... *reperire fuit*. *Quæ sane maximo cum labore ex Valerio Flacco*, *Festo Pompejo*, *Nonio Marcello*, *Isidoro*, *Varrone*, *Catone*, *aliisque eruta sunt* : *deinde* Merula *usum earum moribus nostris applicuit*, *quantum possibile fuit*. Adde, iis, qui Justiniani Imperatoris Institutionibus operam daturi sint, non inutile futurum hoc Merulæ opus evolvisse. Ejusdem vero aliud Opus, item posthumum, *de Romanorum Comitiis* primus edidit Joannes Boschius. Hic vero in Epistola ad Lectorem, postquam *Romanarum Antiquitatum doctrinam omnium artium utilissimam* commendavit, *nonnulla*, subdit, *dictam scientiam spectantia*, *inedita reliquit* P. Merula; *quorum pars maxima*, *nostra intra penetralia asservatur*: *ex quibus tibi hanc Romanorum Comitiorum Historiam tanquam in præludium exhibemus*; *toties ab ipso auctore promissam*, *toties a Doctissimis Viris per septem & sexaginta*, & *quod excurrit*, *annos desideratam*. *Tractatus*, *ut nobis videtur*, *Litterarum studiosis cum utilis*, *tum necessarius*. Et de Opusculo eodem, paullo ante commemoratus C. A. Maresche, *In Comitiorum*, scribit, *Historia enarranda verum est Nicolaum Grucchium palmam ceteris præripuisse*, *quem sequitur P. Otto Aicher*; *sed quæ illi diffuse quamvis docte tractant*, *hic noster* P. Merula *in epitomen redegit*. Non autem dissimulo, eundem Maresche *doluisse*, Auctoris *præcoce fato* hæc opuscula posthuma *ultimam manum non sensisse*. Quæ tamen paullo supra attulimus & ejus, & Boschii testimonia, & res ipsa, satis quidem commonstrant, divitias hasce esse ejusmodi, ut in Thesaurum hunc inferri debuerint. Et cum P. Merulæ Opera Posthuma prodierint Lugduni Batavorum anno 1686. primum autem Grævii Volumen ibidem anno 1694. haud leviter conjicio, Opera illa destinata fuisse ei *Appendici*, cujus spem fecerat Grævius, cum ait (ut supra (*a*) etiam retulimus) *sequetur*, *credo*, *Appendix*, *cum fuerint venditi isti Libri*, *qui nunc passim in Tabernis librariis comparent*.

XLI. De præstantia vero Operis P. Ottonis Aicheri *de Comitiis Romanorum* jam honorificam commemorationem modo vidimus. In publicum emissum illud fuit Salisburgi anno 1678. Iterum etiam editum, teste Cel. Jo. Alb. Fabricio (*in Antiquaria Bibliotheca* pag. 59.) qui *Octavum*, scribit, *Romanarum Antiquitatum Compendium nuper prodiit Franequeræ A.* 1701. 12. *cum Ottonis Aicheri Libris tribus de Comitiis Romanorum*.

XLII.

(a) *Art.* VIII.

XLII. At, si post varios, illustres Auctores, jam in Grævii Thesauro exhibitos, qui de Comitiis scripsere, lubenter & Merulam & Aicherum dedimus: lubentius profecto subjecimus *Francisci Poleti de Foro Romano Libros quinque*, non modo semper magnifactos probatosque a viris doctis, sed etiam suo in genere prope singulares. Neque vero de Francisco Poleto, neque de Philippo Brodæo, qui Poleti Soceri sui id opus egregium, quamvis posthumum, edidit Duaci an. 1576. (editum iterum fuit Francofurti an. 1676.) plura adjiciam; cum quæ dici possent, habeantur in ipsius Brodæi Monito ad Lectorem ipsos Libros præcedente; ex quo hauserunt quidquid de Poleto deque ejusdem Libris Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis*, Valerius Andreas in *Belgica Bibliotheca*, & Martinus Hankius *de Romanarum Rerum Scriptoribus*, ac nonnulli alii tradidere.

XLIII. Quamvis ego nemini profecto eorum concedam, qui doctissimum Grævium plurimi faciunt; non tamen potui ejus de Majoragii Libello stare judicio. *M. Antonii Majoragii* (verba Grævii sunt in primi sui Voluminis Præfatione) *Libellus de Senatu Romano in manibus hominum etiam est. Sed is, quamvis in aliis scriptis, quæ edidit plurima, viri illius eruditionem & eloquentiam faciam permagni, strigosior est, nihilque docet, quod non uberius & ornatius prosecuti sint Manutius, & Zamoscius.* At illum fortasse non viderat Grævius, ac aliena relatione est usus; neque enim in eo opusculo Majoragii ingenium & elegantia desiderari videntur. Neque inepte de merito illius Opusculi egit in Præfatione sua, eidem Libello præfixa, Franciscus Moschenius, qui Mediolani an. 1561. illum edidit, posthumum; vita enim functus est Majoragius an. 1561. Quod si Grævius sui Thesauri divitias augere non detrectavit Libris Robortelli, quos *sola* (ut ipse tertio in Procemio ait) *raritas commendabat*; quidni, si vel solius raritatis ratio habenda sit, proferatur in lucem iterum hic Libellus, quandoquidem rarissimus est? ut uno quidem argumento plus satis ostendam, si demonstravero, doctissimum virum, de scriptis Majoragii erudite diligenterque agentem, prorsus dubitavisse, num hic *de Senatu Libellus* unquam fuerit typis æneis exscriptus.. En itaque: Kohlius in Libro suo, cui titulus est; *Deliciæ Epistolicæ* &c. *edidit, & de Vita Scriptisque Majoragii præfatus est Jo. Petrus Kohlius*: (pag. 95.) habet hæc: *Impressis* (Majoragii Libris) *alii adhuc sequentia adjiciunt. Commentarium in lib.* 3. *de officiis:* 2. *Commentarium in Æliani varias histor.* 3. *Librum carminum:* 4. *De nominibus propriis Veterum Romanorum:* 5. *Librum de Senatu. Verum ambigua res est, an unquam prodierint. Postremos certe Grævius, si prodiissent, Thesauro suo Rerum Romanarum, in quo non comparent, sine dubio inseruisset.* Qua in sententia perstare visus est, quamvis in annotatione, modo relatis verbis subjecta, *Hanchio*, scripserit, *tamen si credimus, de Senatu Liber est impressus.* Sed jam relata ejus, quam commemoravimus, raritatis Libelli illius indicium satis evidens esse queunt. Ceterum de vita Scriptisque Majoragii plura scitu digna in laudati Kohlii Libro legere est.

XLIV. Sequitur *Senatusconsultum de Bacchanalibus*, quod edidit (Neapoli an. 1729.) explicavitque Matthæus Ægyptius, vir solida eruditione ornatissimus, Musis atque Themidi carus. Porro ut illud no-

tum est, atque compertum, quod ea fragmenta Legis Thoriæ ex æneis Tabulis exscripta & a Sigonio suppleta (quæ extant etiam in secundo Volumine Romanarum Antiquitatum) & similes alias reliquias veteres, avide exceperint viri docti; ita pro certo habeo futurum , ut hoc quoque eximium antiquitatis monumentum , iterum editum, lubentissime videant.

XLV. Non modo autem ad illustrandam Romanarum Antiquitatum partem , momenti oppido maximi , verum etiam ad quoddam veluti lumen , exemplorum copia , afferendum curationi rerum præsentium publicarum, utilem esse posse doctrinam Vectigalium Populi Romani, nemo, opinor, qui rerum hujusmodi rationes maturius perpenderit , ibit inficias . Tale Opus , magna cum laude orsus olim est Julius Cæsar Bulengerus (floruit hic decimi septimi seculi initio) ejusque Liber *de Tributis ac Vectigalibus Populi Romani* ornat Grævii Volumen octavum. Itaque Viri Celeberrimi atque eruditissimi Petri Burmanni (qui viam non eandem ac Bulengerus ingressus est) egregio Opere, cui titulus, *Vectigalia Populi Romani curis secundis illustrata*, Volumen hoc nostrum exornandum esse, prorsus existimavimus ; neque committendum , ut desideraretur nova præclara eruditio spectans ad res illas, *in quibus* (ut bene quidem & ratione ipse Burmannus animadvertit) *vastum* Romanum *imperium*, *tanquam fulcris innitebatur*. Id vero hic est monendum, in illius Procemio consulto noluisse nos prætermittere quæ ille habet de Dissertatione sua altera de Jove ΚΑΤΑΙΒΑΤΗ.

XLVI. Inter Auctores , qui de Legibus Actisque publicis egerunt, locum obtinere jure meritoque possunt illi etiam, qui de Archivis, hoc est, *de publicis tabularum & monumentorum repositoriis* notitias haud levi labore conquisitas , neque minori eruditione illustratas proposuere. Omnium autem primus spartam hanc exornare aggressus est Balthassar Bonifacius Rhodiginus, Bonifacii Jurisconsulti & *Adsessoris* celeberrimi Filius, *Vir* (ut J. Phil. Tomasini verbis utar) *litterarum studiis clarissimus*. Archidiaconus primum Rhodiginus, deinde Juris Civilis Veneto in Gymnasio publicus Interpres , tum postea Tarvisinus Archidiaconus, ac demum 24. Novemb. An. 1653. Episcopus Justinopolitanus renunciatus, sedit ad an. 1659. quo Justinopoli vivere desiit, annos natus 75. Plura extant edita ejus opera, inter quæ *de Archivis Liber singularis*. Hic in publicam lucem editus fuit (una cum ejusdem *Prælectionibus*, *& Civilium Institutionum Epitome*) Venetiis an. 1632. Iterum vero æneis typis descriptus est *in Collectione de Bibliothecis Joachimi Jo. Maderi* , *& Jo. Andreæ Schmidii Helmstadii*, 1702. in primo Volumine. Ac tertium *in Jacobi Wenckeri Collectis Archivi & Cancellariæ Juribus* , *Argentorati*, 1715. Vide Nic. Papadopoli Histor. Gymn. Patavini Tom. II. pag. 139. Jac. Phil. Tomasini Elog. ac Gymn. Patavinum pag. 211. Ferd. Ughelli Italiæ Sacræ Editionem secundam , Tom. V. pag. 393.

XLVII. Quamvis autem in proposita Archivorum materia illustranda copiosius quidem, & diligentius Barisonius sit versatus, lubenter tamen in Volumen hoc Bonifacii Librum inserui. Memini a doctissimo viro scriptum ; novisse meliores Litteratos , *in omnibus*

posteriora concludere, & sequentia antecedentibus prævalere (quòd ait Tertullianus) nec tamen ideo prius dicta contemtim habere, aut insectari. Quoniam vero de Viro eximio Albertino Barisonio pauciores scripsere, lubet huc transferre quæ de eodem mandata sunt litteris in Ferd. Ughelli Italiæ Sacræ continuatione: mihi enim, hic Patavii, hoc est, in ejus Patria, de rebus iisdem percontanti, ea cum veritate prorsus consentire, compertum est. *Albertinus Barisonius, nobilis Patavinus, utriusque Juris consultissimus, in Patria Cathedrali primum Canonicus, & sede vacante Vicarius Capitularis, mox Archipresbyter, & in patrio Lyceo Feudorum primo deinde Pandectarum & denique Philosophiæ Moralis publicus professor, tandem Infula Cenetensi exornatus commissum sibi gregem pavit ad an. 1667. quo die 15. Augusti pene octuagenarius ad cœlestia migravit, cum ex asse Cathedralis suæ Capitulum instituisset hæredem. In grati animi proinde testimonium Canonici beneficentissimo Antistiti hoc perenne monumentum erexere in Cathedrali an. 1694. hac addita Epigraphe.*

ALBERTINO BARISONIO PATAVINO
EX ANTIQUIS VIGONTIÆ DOMINIS
EPISCOPO CENETENSI
PIETATE DOCTRINA BENEFICENTIA INSIGNI
COLLEGIUM CANONICORUM B. M. P.

Cum Abrahamo, Bzovio, Paganino Gaudentio, Hieronymo Aleandro, Alexandro Tassonio, & pluribus aliis, genere, virtute, litteris ea ætate claris, amicitiam coluit Albertinus: cujus eximii viri honorificám mentionem videre est in jam citata Ferd. Ughelli Italiæ Sacræ Editione secunda, Tom. V. pag. 223. in Jac. Phil. Tomasini Elogiis, ac in Gymn. Patavino, in Jac. Salamonii Patavinæ Urbis Inscriptionibus; nec non ejus nomen in quorundam aliorum scriptis non sine laude commemoratur. Sed ut redeam ad ipsius Commentarium de Archivis; hujus αὐτόγραφος Codex datus mihi est ab nobilissimo, & meliorum litterarum amantissimo, viro Marchione Ugolino Barisonio; qui nonnulla etiam alia, pariter inedita, ejusdem Patrui sui magni scripta asservat. Codex vero ille, temporis injuria affectus, ut restitueretur, pluribus in locis opera data est.

XLVIII. Postremo loco posita sunt Opuscula duo, alterum Scipionis Gentilis, alterum ejus Fratris. Primum *Liber est Disputationum Illustrium, sive de Jure Publico Populi Romani* (usi sumus editione, quæ prodiit Altdorffi, an. 1662.) in quo licet *Theses sint non Tractatus*, ut doctissimus Auctor ait; plurima tamen eæ Theses continent scitu dignissima. Et quemadmodum divinus Hippocrates Aphorismis suis plurima conclusit Medicinam apprime juvantia, ita doctissimum Scipionem Thesibus istis plura tradidisse, compendio veluti quodam illustrantia jus publicum Romani Populi censendum omnino est. Ejusdem vero *Disputationes* ad Constitutionem Imper. Friderici Ahenobarbi *de Regalibus, & de Jure singulari Studiosorum*, minus attinere posse ad rem jure meritoque videntur: nihilo tamen minus prætermittendæ non erant; minime enim juvabat, illis avulsis, eximii Viri Librum quasi discerpere. Post primas igitur quinque Disputationes,

hæ duæ reliquæ tamquam parergon habeantur. Opuſculo autem ſecundo continentur duo Libri (editi Hanoviæ an. 1599.) quibus de Romanis Armis titulus eſt. Qui ſane titulus, quamvis doctrinam pertinentem ad res militares promittere quodammodo videatur; ſpectant tamen Libri illi ad Romanorum juſtitiam. Continet enim Liber primus *de Juſtitia Bellica Romanorum Actionem*; ſecundus *de eadem Bellica Romanorum Juſtitia Defenſionem:* uterque vero eleganti doctrina & eruditione refertus eſt. *In Actis Eruditorum*, *anno* 1728. *Lipſiæ publicatis*, a Celeberrimis Collectoribus illis (pag. 390.) ſcriptum eſt: *Convertet deinde* (Cel. Everardus Otto) *ſollicitudinem ſuam ad edenda Balduini*, *nec non Gentilium Fratrum Opuſcula*, quorum tamen nonnulla poſtea in quarto ſui Theſauri Volumine edidit Everardus: quamobrem neſcio an omnia illa ſimul etiam prodierint adhuc. Utcumque tamen ſit, interim pereruditis hiſce duobus Opuſculis fruere Lector Benevole, & Vale.



SE-

SERIES SCRIPTORUM

Qui primo volumine Novorum Supplementorum utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque continentur.

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Utriuſque Theſauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque nova Supplementa Tom. I.* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni Coſtumi, concedemo Licenza a Gio: Battiſta Paſquali Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Data 25. Febraro 1736.

(Michiel Moroſini Kav. Reff.

(

(Pietro Grimani Kav. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

1737. 26. Marzo.

Regiſtr. nel Magiſtrato Eccellentiſſimo della Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Segr.

PAULUS MERULA, DE LEGIBUS ROMANORUM.

PAULUS G. F. P. N. MERULA
DE LEGIBUS
ROMANORUM.

CAPUT I.



N legum Romanarum enarratione notabo quædam *universim*, quædam vero *speciatim*; *universim* aperiam legum *Etymon*, *Originem*, *Diffinitionem*, *Qualitatem*, *Distributionem*, *Partes*, & *Ferendarum Ritus*.

2 Quod ad *Etymon*: origo nominis proculdubio a *Legendo*, hoc est *diligendo* ducitur. Notat Varro lib. v. de LL. *Legere dictum est, quod legantur ab oculis litteræ. Ideo etiam Legati, quod ut publice mittantur, leguntur. Item a legendo Leguli, qui oleam aut uvas legunt: hinc Legumina in frugibus variis. Leges etiam quæ lectæ, & ad populum latæ, quas observet*, &c. Græcis νόμος dicitur, παρὰ τὸ νέμειν, a *tribuendo*, quod unicuique jus suum tribuat. De utraque voce & Latina & Græca eleganter Cicero lib. I. de Legibus: *Eamque* νόμον *illi Græco putant nomine, a suum cuique tribuendo appellatam: ego nostro a legendo. Nam ut illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus, & proprium tamen utrumque legis est.*

3 Hæc de *Etymo*: quod ad *Originem* Legum: *Caussam* quæ ad Leges faciendas sanciendasque homines excitavit, convenienter admodum indicat idem Cicero lib. II. Officior. ubi scribit, *fruendæ justitiæ caussa, & bene moratos reges & Leges constitutas esse: Reges quidem, dum a bonis justis-*

A *que viris jus suum consequi adversus potentiores populus desiderabat: Leges autem dum si minus boni justique reges vel judices contigissent, Legibus, quæ semper una eademque voce loquerentur, ad æqualitatem perveniret.* Sed verius illud, originem Legis manare *a Deo*, unico rerum optimarum auctore & fonte inexhausto. Hinc Demosthenes in Aristog. lib. I. *Divinum inventum, donumque Legem* appellat, verba ejus extant in l. II. D. de legibus Senatusc. & long. consf. *Nam & Demosthenes orator sic diffinit*: τοῦτο ἐςι νόμος, ᾧ πάντας ἀνθρώπους προσήκει πείθεσθαι, διὰ πολλά· καὶ μάλιςα ὅτι πᾶς ἐςι νόμος, εὕρημα μὲν καὶ δῶρον
B θεῶν &c. Chrysippus etiam summæ Stoicæ sapientiæ Philosophus in eadem lege, *rerum omnium reginam* vocat legem: ὁ νόμος πάντων ἐςὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. Eadem appellatione decoratur lex apud Plutarchum in libell. de Principis doct. Plato etiam in Minoe & lib. I. de LL. bonas Principum leges *ab Deo* inventas esse notat. Cicero etiam Legem nuncupat *tractam ab numine Deorum rationem*. Sic enim ait Philippic. XI. *Lex nihil aliud est nisi recta & a numine Deorum tracta ratio, imperans honesta prohibensque contraria.* Idem lib. I. de natura Deor. docet Ze-
C nonem *legem naturalem* appellasse *divinam, recta imperantem, prohibentem autem contraria.* Et sane *ad Deum* referendam esse Legum originem satis arguunt, quæ divinæ naturæ maxime convenientia legum beneficio docemur. Cicero lib. I. de Oratore: *Docemur auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri; ab alienis mentes, oculos, manus abstinere.* Idem lib. I. de LL. *vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemque virtutum: ab ea enim vivendi doctrina ducitur.* Constat etiam Legislatores omnes *patrios Deos* suarum legum auctores dixisse. In numerum
D non vocabo Mosæum Israelitarum legislatorem, qui ut patet ex sacris litteris, & legere est apud Josephum lib. III. Antiquitat. & contra Appionem lib. II. qui, inquam, solus *ab Deo Opt. Max.* in Monte Sinai leges duabus tabulis scriptas accepit. *Zaleuci & Charondæ leges* in prooemio quid jubent aliud, quam *Dei*, a quo bona cuncta procedere noverant, *religionem ab omnibus coli & conservari intemeratam: Deum enim bonis probisque viris amicum esse & benevolentem: malos autem criminibusque vel obnoxios vel pravo naturæ instinctu deditos odisse.* Verba exstant apud Stobæum cap. 42. *Ad Deum* igitur *tanquam ad originem suam*
E respiciunt Leges, propositam præcipue habentes *salutem & incolumitatem civium*, utque omnia bene & tranquille sese habeant in rerum publicarum administratione. Nam *civium Salus suprema* solet *lex* appellari, & revera esse. Cicero in Vatinium. *A majoribus nostris nulla alia de caussa leges sunt inventæ, nisi ut suos cives conservarent.* Idem lib. II. de Legibus: *Ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum & quietam ac beatam conditæ sunt Leges.* Et paullo post: *Ea virtute & sapientia majores nostri fue-*

runt ut in Legibus scribendis nihil sibi nisi salutem & utilitatem reipublicæ proponerent. Lib. I. de Invent. Rhetor. rationem quasi aperit: *Neque enim ipsi quod obesset, scribere volebant: &, si scripsissent, quum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant*. Sic lib. III. Officior. *Hoc spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent*. Eodem spectant ejusdem Ciceronis illa, lib. III. de LL. *Nihil est tam aptum ad jus conditionemque naturæ, quam Lex: sine qua nec domus ulla, nec gens, nec civitas, nec universum genus hominum stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest*. Pro Cluentio denique: *Fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens & animus & Consilium sententia Civitatis posita est in Legibus*.

Hæc de *Origine Legum & Caussa* προκαταρκτικῇ: sequitur Diffinitio.

4 *Diffinitio* Legis duplex: vel *generalis*, quæque conveniat omnium populorum legibus; vel *specialis* quæ tantum propria Legum Romanarum. *Lex generaliter* ita diffiniri potest ex Cicerone lib. II. de nat. Deorum: *Esse recti præceptionem, pravique depulsionem*. Isidorus lib. V. cap. III. Legem esse ait *constitutionem scriptam*. *Descriptiones* potius sunt Legum quam *Diffinitiones*, quæ exstant in Pandectis tit. de LL. Sic enim ibi Papinianus l. I. Diffinit. *Lex est commune præceptum, virorum prudentium consultum; delictorum quæ sponte vel ignorantia contrahuntur coercitio, communis reipublicæ sponsio*. Quatuor enim Legis *propria* adjuncta Papiniani verbis describuntur & exprimuntur: *quod Lex debeat* coli ab omnibus; deinde *quod prudentum* virorum consilio debeat promulgari; tertio *quod supplicia* vitiis, quarto *quod præmia* virtutibus debeat deferre: quibus rebus evenire solet, ut lex *totius reip. vinculum* esse videatur. Demosthenis item & Chrysippi diffinitiones ab Marciano relatæ eodem Pandectarum titulo non sunt censendæ *Diffinitiones*; sed *Descriptiones*. Sic enim ibi Demosthenis verba Latine sonant: *Lex est cui omnes obtemperare convenit; cum ob alia multa, tum vel maxime eo quod omnis lex inventum ac munus Dei est: decretum vero prudentum hominum; coercitio eorum, quæ vel sponte vel involuntarie delinquuntur: communis sponsio civitatis, ad cujus præscriptum omnes, qui in ea rep. sunt, vitam instituere debent*. Chrysippi vero verba sic tinniunt: *Lex est omnium divinarum atque humanarum rerum regina. Oportet autem eam esse præsidem & bonis & malis; & principem & ducem esse; & secundum hoc regulam esse justorum & injustorum, & eorum quæ natura civilia sunt, animantium; præceptricem quidem faciendorum, probibitricem autem non faciendorum*. Cicero etiam multis locis lib. I. & II. de LL. & II. de Nat. Deorum Legis Diffinitionem tentavit: appellat enim nunc *summam rationem insitam in natura*; nunc *rectam & ab numine Deorum tractam rationem, honesta imperantem, prohibentem contraria*: aliquando *æternum quid, quod universum mundum regeret; imperandi prohibendique sapientiam: justorum injustorumque distinctionem*, & aliis modis. Hæc de *generali Legis Diffinitione*.

5 Diffinitio *Specialis*, & quæ populo tantum Romano conveniat, varie apud varios reperitur. Justinianus Imp. §. IV. Inst. de jur. nat. gent. & civili sic diffinit: *Lex est quod populus Rom. Senatorio magistratu rogante, veluti Consule, constituebat*. Boetio lib. III. in Top. Ciceronis hæc diffinitio placet: *Lex est, quam populus Centuriatis Comitiis sciverit*. Attejus Capito apud Agell. lib. X.

A cap. XX. hoc modo diffiniendam existimavit: *Lex est generale jussum populi aut plebis, rogante magistratu*. Notandum in postrema hac diffinitione, quum inquit Capito, *jussum populi aut plebis, Plebiscita* etiam comprehendi. *Plebiscitum* Justinianus eodem Institutionum titulo sic separatim diffinit: *Plebiscitum est quod plebs plebejo magistratu rogante, veluti Tribuno constituebat*. Festus autem his verbis: *Scita plebis appellantur ea, quæ plebs suo suffragio sine patribus jussit, plebejo magistratu rogante*. Non autem obiter legenda est utrobique vox illa *rogante*. Nam *Rogatio* ea proprie, quum populus aut plebs rogatur, velint jubeantne illud aut illud fieri, sive id ad *singulos*, sive *universos* pertineat. Festus *Rogationem* videtur eamdem facere cum *Privilegio*, quum inquit: *Rogatio est, quum populus consulitur de uno pluribusve hominibus, quod non ad omnes pertineat: & de una pluribusve rebus, de quibus, non de omnibus sanciatur. Nam quod in omnes homines resve populus scivit Lex appellatur. Itaque Ælius Gallus ait inter Legem & Rogationem hoc interesse, quod inter genus & speciem*. Sed de *Privilegiis* ad leges XII. Tab. Hæc de *Diffinitione*, sequitur, ut videamus *qualem oporteat esse Legem*.

B

6 Qualem oporteat esse Legem, ostendit docte & nervose Isidorus Episcopus Hispalensis, cujus verba citantur in Decreto Gratiani dist. 4. cap. II. Sic enim ait: *Erit lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam & secundum consuetudinem patriæ; loco temporique conveniens; necessaria & utilis, manifesta quoque ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat: nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta*. Et addit deinde quam ob caussam legem talem esse oporteat: *Ideo autem in ipsa constitutione, ista consideranda sunt, quia quum leges institutæ fuerint, non erit liberum judicare de ipsis sed oportebit judicare secundum ipsas*. Vult imprimis Isidorus *Legem* etiam *honestam*, quia in jure non tam desideratur *justitia*, quam *honestas*. Vult esse *justam*; Aliter enim non posset mereri nomen *juris*, nisi esset justa. Vult esse *possibilem*; quia ad impossibile nemo obligatur. Vult esse *secundum naturam*; nam si naturali rationi repugnet, non est lex appellanda. Vult esse *secundum consuetudinem patriæ*. Nam si contra consuetudinem fuerit inhabitantium, per contrariam consuetudinem solet abrogari. Vult *loco convenire*. Nam aliquibus in locis sæpe quædam statuuntur; quæ aliis in locis non recipiuntur. Vult *tempori convenire*. Nam quidquid homines agunt tempori suo debet congruere. Talem igitur tales ob caussas vult esse Legem Isidorus apud Gratianum in Decreto Aureo, ut vocant Dist. IV. cap. III. *vitia virtutesque* Legis, id est *qualem esse*, vel *qualem non esse* deceat legem, docet etiam Quintilianus lib. II. cap. IV. *vitium legis*, inquit, *aut in verbis aut in rebus est. In verbis quæritur an satis significent, an sit in his aliquid ambiguum. In rebus, an lex sibi ipsa consentiat, an in præteritum referri debeat, an in singulos homines. Maxime vero commune est quærere, an sit honesta an utilis. Justum, pium, religiosum cæteraque his similia honesto complectimur. Justi tamen species non simpliciter excuti solet. Aut enim de re ipsa quæritur, ut digna ne pœna vel præmio sit: aut de modo præmii pœnæve, qui tam major quam minor culpari solet. Utilitas quoque interim natura discernitur, interim tempore, quædam an obtineri possint, ambigi solet. Ne illud quidem ignorare oportet, Leges aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi solere*. Huc pertinent illa Modestini J. C. in l. VII. D. de LL. & S. C. *Legis vir-*

C D E F

tus est imperare, vetare permittere, punire. Illud universim hic tenendum, eas optimas & laude dignissimas esse leges, quæ *ad bene beateque vivendum* sunt, quam maxime fieri potest accommodatæ: cui rei necessarium nonnunquam est *pœnis ac multis uti*, ne impunita crimina delinquendi cupiditatem improbis augeant. Sunt enim quidam *muti magistratus* & veluti *inanima instrumenta reip.* quæ tamen vocem & vitam habent, si cives ad obedientiam severitate judicis impellantur. Nihil prodest medicina, si non adplicetur: nihil prosunt leges, si non exerceantur. Institutio legum non est *ut sint*, sed *ut præsint*: at præesse non possunt si iisdem obsequi non urgeantur cives. Interim moderatione utendum, ut ex legibus *noxæ pœna par* sit & *in suo vitio quisque plectatur*. *Vis capite*, *Avaritia multa*, *honoris cupiditas ignominia* sanciantur: Et si in lege severitatis quid deprehendatur, necesse est Judex benigna utatur interpretatione. Eleganter Marcianus J. C. lib. II. de publi. judic. in l. XI. D. de pœnis: *Perspiciendum est judicanti, ne quid aut durius aut remissius constituatur, quam caussa deposcit, nec enim aut severitatis aut clementiæ gloria adfectanda est, sed perpenso judicio prout quæque res expostulat statuendum. Plane in levioribus caussis proniores ad levitatem Judices esse debent: in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi*. Ut concludam Cicero lib. I. de LL. Legem vult esse *vitiorum emendatricem, commendatricem vero virtutum:* eo enim fieri ut ab lege *vivendi doctrina ducatur*. Hæc *de qualitate Legis*; sequitur *Distributio*.

7 Lex triplex: *Divina*, *naturalis* & *humana*; in quæ membra tribui solet & *Jus* ab J. Ctis & aliis. Quæ sit *Lex Divina*, & quo modo dividatur in *moralem*, *ceremonialem* & *forensem*, docent ex Sac. Scriptura Theologi variis locis. De *Lege naturali*, vel *jure Naturæ* etiam in præsentia non est agendum; pauca tamen dicam, *Legem* vel *jus Naturæ* esse quasi fundamentum Legis humanæ, quam ut docet Justinianus Imp. Inst. lib. I. tit. II. *natura omnia animalia docuit*. Aristoteles lib. v. Ethic. ad Nicomach. sic, ut verba ejus Latine sonant, diffinit: *Naturæ Lex est quæ ubique locorum & gentium vim suam retinet, neque opinione rata est aut irrita*. Sic Cic. lib. I. de LL. *Jus vel Lex Naturæ est ratio summa insita in Natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria*. Alii Jus naturale vocant, *quod notitiæ, quas Deus humanæ naturæ impressit*, ut legitur epistola Pauli ad Romanos cap. II. v. XIV. *nullo docente nobis suggerunt, ut honeste, pie & sancte vivamus*. Jus illud, quia discrimen honestorum & turpium docet, *æternum* est, *perpetuo sibi constans & immutabile* §. II. Instit. de jure nat. gent. & civili. Estque jus naturæ duplex *superius* vel *inferius*. Superius quod propter præstantiam sui, dignitatem & nobilitatem inferius regit ac moderatur. Hujus juris sunt *erga Deum Religio*: l. II. D. de just. & jure. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Neminem lædere; Honeste vivere; suum cuique tribuere*. §. III. Inst. de just. & jur. *Defensio contra vim & injuriam*. l. III. D. de just. & jur. l. II. III. IV. C. ad Legem Corneliam de Sicariis. *Inferius* e contra est quod cedit & famulatur Superiori; ut est *obedientia Patri & Patriæ debita*. d. l. II. *ordinata maris & feminæ conjunctio* §. I. Institut. de jure nat. gent. & civili. *Liberorum generatio & educatio*. l. I. §. penult. D. de just. & jure. *Lex* sive *jus humanum* illud dicitur, quod ab hominibus est constitutum: estque vel *Commune*, vel *Proprium*. *Commune*, quod recta ratio omnes docet §. I. Institut. de jure nat. gent. & civili. Proprium est Jus civile, quod quælibet Civitas sive resp. addendo vel diminuendo juri communi sibi sancit. l. II. & IX. D. de just. & jure. Hoc jus, ut sensim ad institutum veniamus, habuerunt Romani dupliciter, vel *Scriptum* vel *Non scriptum* ut legimus §. III. Inst. de jur. nat. gent. & civili. *Scriptum* est quod in scriptis de rebus futuris propositum est & promulgatum: l. VIII. C. de LL. l. XXXII. D. eodem. *juris scripti* rursum Species erant VI. *Lex*, *Plebiscitum*, *Senatusconsultum*, *Placitum Principis*, *Responsa Prudentum* & *Edicta Prætorum*. l. VII. D. de just. & jure. *Lex*, de qua proprie nobis erit agendum, erat, quam populus Romanus Senatorio magistratu, suffragiis Centuriatim collectis rogante, constituebat. §. IV. Inst. de jure nat. *Plebiscitum* erat, quod Plebs Comitiis Tributis & Plebejo magistratu rogante constituebat. l. CCXXXVIII. D. de verb. sig. §. IV. Inst. d. t. *Senatusconsultum* erat, quod Senatus suffragiis per discessionem vel majoris partis sententiam jubet atque constituit. §. V. Inst. eodem tit. l. II. §. IX. D. de orig. jur. *Placitum Principis* erat quod Imperator per epistolam constituebat, vel cognoscens decernebat, vel edicto præcipiebat. §. VI. Inst. eodem l. XXIV. §. ult. D. locati. *Responsa prudentum* erant sententiæ & opiniones eorum, quibus ex auctoritate principis permissum erat de jure respondere, illudque interpretari §. VIII. Inst. eod. l. II. de orig. juris. §. ult. l. I. C. de veteri jure enucleando. *Prætorum* denique *edicta* erant jus scriptum, quod Prætores introducebant, adjuvandi, supplendi, corrigendi juris civilis gratia: quod & *honorarium* dicebatur, ad honorem Prætorum sic nominatum. l. VII. l. VIII. D. de just. & jure. §. VIII. Inst. eodem. Hæc edicta primo *annua* erant, postea vero *perpetua* ab Salvio Juliano sunt facta d. l. II. D. de orig. juris. f. eod. Hæc de jure scripto, ejusque Speciebus. *Non Scriptum* dicebatur Romanis, quod usus frequens, inveteratus, & æquus tacita communi assensione comprobarat l. I. & II. C. quæ sit long. cons. Vocabatur & jus illud consuetudo ad quam constituendam varia requirebantur hodieque requiruntur I. per X. annos observatio DD. ad l. XXXII. & XXXIII. l. XXXV. D. de LL. & l. III. C. quæ sit long. cons. II. *Continuata Actuum similium frequentia*, ad minimum duorum. l. XXXVIII. D. de LL. III. *Tacitus populi totius vel majoris partis consensus*. l. XIX. D. ad Municip. d. l. XXXII. l. XXXV. D. de LL. Hæc de *legis vel juris Distributione*: sequitur ut nonnihil dicam de *legis Partibus*.

8 Legis *partes* plurimum tres reperio fuisse, *Procemium*, *Ipsa legis Capita*, *Sanctionem*. *Procemium* illud erat, in quo scribi erat solitum *quis legem rogasset*, *quo loco*, *quo tempore*, *quæ caussa* fuisset πελκαταρκτικὴ; *quæ Tribus*, qui vir in Tribu *primus* suffragium tulerat. Initio igitur cujusque legis legitima & solennia verba præponebantur hæc: *Consul populum jure rogavit, populusque jure scivit*. Docet hoc Cicero I. in Antonium Oratione: *Cedo*, inquit, *illa legitima* CONSULES POPULUM JURE ROGAVERUNT (*hoc enim a majoribus accepimus jus rogandi*) *populusque jure scivit*. Patent etiam quæ dixi ex ea lege, quæ a Frontino lib. II. de Aquæduct. prioribus verbis valde corruptis & depravatis refertur. Ea sunt: *T. Quinctius Crispinus Cos. populum jure rogavit, populusque jure scivit in foro, pro rostris ædis D. Julii populi Romani & Juliæ: Tribus Servia principium fuit, pro Tribu Sex. Terentius L. F. Vaecio*. Monstra sunt verborum illa apud Fron-

tinum Ædis D. Julii populi Romani Julii: scriptum enim fuerat a Frontino, *Ante diem pridie*. Mendum facile natum fuit ex notarum compendio. Singularibus enim litteris hæc Initio Legum notari erant solita, quemadmodum videre est apud Valer. Probum libello de Notis. Nec vero initio duntaxat Legum a populo ad Consulis rogationem latarum, sed & Plebiscitorum quoque quæ a Plebe, Tribuno plebis rogante, sciscebantur, idem adscribi moris erat, quemadmodum Livius lib. III. docet his verbis: *M. Duilius Trib. pleb. Plebem rogavit, Plebsque ita scivit*. Item lib. XXV. *Tribuni plebis rogaverunt, plebsque ita scivit; si M. Posthumius*. lib. XXVII. *Tribuni plebis rogarunt, plebsque scivit; ut Q. Fulvius qui tunc ad Capuam erat, Dictator diceretur*. Exstat etiam Plebiscitum vetus, quo Thermeses præsidio populi liberi immunesque facti sunt: cujus prima verba sic se habent: *C. Antonius M. F. C. Cornelius C. Fundamius C. F. Tribuni pleb. designati plebem jure rogarunt, plebsque jure scivit*. Legum autem initiis *Tribum* etiam, quæ prima ad suffragium ferendum vocata erat, adscribi solitam paullo ante dixi. Notandum hic Tribui isti *Principii* cognomen fuisse inditum; docet apud Frontinum, cum lex illa quam paullo ante recitavi, tum hæc Agraria: *Tribus Sergia principium fuit: pro Tribu Sex*. L. F. *Varro primus scivit*. Sic initio Legis Thoriæ: *Tribus principium fuit: pro tribu Q. Fabius Q. F. primus scivit*. Sic Livius lib. IX. *Ei legem Curiatam de Imperio ferenti, triste omen diem diffidit, quod Fauciæ Curiæ fuit principium duabus insignis cladibus, captæ urbis & Caudinæ pacis: quod utroque anno ejusdem Curiæ fuerat Principium*. Procemium sequebantur ipsa *legis Capita*: quibus res ipsa, qua de quæstio erat, præscribebatur. Exempla passim videbimus in sequentibus. Si *capita essent plura, interspatiis* distingui erant solita, ut alias ex ipsis legibus docebimus. Illud etiam hic notandum, Capita hæc pluranonnunquam *numeris* distingui solita, ut videre est in Legibus *Manilia*, *Roscia*, *Peducæa*, apud Hyginum Gromacium de constitutionibus Limitum: in iis enim singulis capitibus adduntur *numeri* K. L. III. *Quæ Colonia hac lege deducta* & paulo post: K. L. IV. *Qui Limites Decimam* &c. Deinde K. L. V. *Qui hac lege Coloniam deduxerit* &c. Quod monendum dixi, ne quem offendant Singulares illæ litteræ K. L. quæ nihil aliud volunt, quam *Caput* Legis; veteres enim *Caput* vocem non per C. sed per *Græcum* K scribebant, ut & *Kalumniam* & similia; quorum exempla in Inscriptionibus passim.

Tot vero Capitibus singulæ leges constabant, quot visum erat his, qui legem conscribebant, *totam legem conscribi* posse. Sic in epistola quadam M. Cælii ad M. Ciceronem refertur *unum & centesimum caput Legis Juliæ de Repetundis*. Postrema legis pars erat *Sanctio*. *Sanctiones Legum* quid fuerint, docet Justinianus imp. §. v. inst. de rer. divis. *Ideo autem muros sanctos dicimus, quia pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & Legum eas partes, quibus pœnas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, Sanctiones vocamus*. Sic Papiniamus libro II. Diffinitionum in l. XLI. D. de pœnis: *Sanctio legum, quæ novissime certam pœnam irrogat his, qui præceptis legis non obtemperaverint, ad eas species pertinere non videtur, quibus ipsa lege pœna specialiter addita est*. Ulpianus denique in l. IX §. III. D. de rer. divis. *Proprie dicimus sancta, quæ neque sacra neque profana sunt, sanctione enim quadam confirmata: ut Leges sanctæ sunt, Sanctione enim quadam sunt subnixæ: & interdum, inquit, in Sanctionibus additur, ut qui ibi aliquid commisit, capite puniatur*. Legum Sanctionibus quatuor adscribi *solennia Capita* moris erat: unum de *Impunitate*; alterum de *Limitatione*; tertium de *difficultate Abrogationis*; quartum de *Pœna*. De *Impunitate* dixi, nimirum *si quid contra alias Leges, ejus legis quæ promulgabatur, ergo, factum esset*. Eo pertinet Caput illud Sanctionis quod hodieque legitur in ærea tabula Legis Regiæ de imperio Vespasiani; hoc modo Sanctio: *Si quis hujusce legis ergo adversus Leges, Rogationes, Plebisve scita, Senatusque Consulta fecit feceritve, sive quod eum ex Lege, Rogatione, Plebisve scito, S. ve C. facere oportebit, non fecerit hujusce legis ergo, id ei ne fraudi esto, neve quid ob eam rem populo dare debeto: neve cui ea de re actio neve judicatio esto: neve quis ea de re apud se agi sinito*. Caput autem illud in ea rogatione adjectum, quæ ab octo Tribunis plebis *de ritu suo* promulgata est. Cicero *translatitium ideo* vocat lib. III. epist. ad Attic. Quod ad alterum caput *Sanctionis* de *Limitatione*, illud tale erat: *Si quid Sacri Sanctique est, quod jus non sit rogari, ejus hac lege nihil rogatur*. Quæ verba, ut solennia, apud Valerium Probum singularum litterarum compendio scribuntur S. Q. S. S. Q. E. Q. I. N. S. R. E. H. L. N. R. Sic Cicero Orat. pro Cæcina: *At enim Sulla Legem tulit: ut nihil de illo tempore, nihil de calamitatibus querar; hoc tibi respondeo adscripsisse eundem Sullam in eandem legem* SI QUID JUS NON ESSET ROGARI, EJUS EA LEGE NIHILUM ROGATUM. *Quid est quod jus non sit? quod populus jubere aut vetare non posset? Ut ne longius abeam declarat ista adscriptio esse aliquid: nam nisi esset, hoc in omnibus legibus non adscriberetur*. Idem pro domo sua: *Quæ tua fuit consecratio? Tuleram, inquit, ut mihi liceret. Quid? non exceperas, ut si quid jus non esset rogari, ne esset rogatum?* Est in hac vulgari Legum clausula arguta & subtilis concertatio apud Cicer. in Orat. pro L. Cornelio Balbo his verbis: *Ubi est igitur exceptum fœdere Gaditano, ne quem populus Rom. Gaditanum in civitatem reciperet? Nusquam. At sicubi esset, lex videlicet Gellia & Cornelia, quæ diffinite potestatem Pompejo civitatem donandi dederat, sustulisset. Exceptum est inquit fœdus, si quidem sacrosanctum est: Ignosco tibi, si neque Pœnorum jura calles: reliqueras & civitatem tuam, neque nostras potuisti leges inspicere: Ipsæ enim se a cognitione sua judicio publico repulerunt. Quid fuit in Rogatione ea, quæ de Pompejo a Gellio & a Lentulo Coss. lata est, in qua aliquid Sacrosanctum videretur? Primum enim Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebsve sanxisset: deinde Sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso aut obtestatione legis, aut pœna, quum caput ejus, qui contra facit, consecratur. Quid habes igitur dicere de Gaditano fœdere ejusmodi? utrum capitis consecratione, an obtestatione legis sacrosanctum esse confirmas? Nihil omnino umquam de isto fœdere ad populum, nihil ad plebem neque lege neque pœna latum esse dico* &c. Quo ex loco apparet in hac legum exceptione *Sacrosanctum* id demum habitum, quod per populum plebemve sancitum erat. Quod ad tertium de *Difficultate abrogationis*, de ea in Sanctionibus legum caveri solitum intelligitur ex variis scriptoribus; quorum verba in medium adferre & recitare longum esset & tædiosum. Hujusmodi autem *Sanctionum* particulam videre est apud Festum: *Neve per Saturam abrogato aut derogato*. Illud habebat hanc vim, ut ne cum rogatione multis conjunctis rebus lex abrogaretur. Festi verba sunt hæc: *Satura*

est cibi genus ex variis rebus conditum : & lex multis aliis conficta legibus. Itaque in sanctione Legum adscribitur : Neve per Saturam abrogato aut derogato. Quod ad quartum & postremum de *Pœna*, notandum in plerisque legibus ita sanciri solitum. *Qui aliter vel secus faxit, sacer esto.* Festus : *Sacratæ Leges*, inquit, *sunt, quibus sanctum erat, qui quid adversus eas fecerit, sacer alicui Deorum sit, cum familia pecuniaque*. Hanc Sanctionem in Legibus Regiis & in XII. tabulis frequentem fuisse invenio. Festus in verbo *Plorare*, hæc citat ex Romuli & Tatii legibus : *Nurus sacra Divis parentum esto*. Ejusdem Romuli lege cavebatur: *Patronus si Clienti fraudem fecerit, sacer esto*, quemadmodum scribit Servius in lib. VI. Æneid. v. DCIX. ad ea verba : *Aut fraus innexa clienti*. Ex Numæ vero Pompilii legibus Festus in verbo *Aliuta* hoc caput adfert ; *Si quis aliuta faxit, ipsos Jovi sacer esto*. Ex Servii vero Tullii legibus caput hoc : *Si parentem puer verberit, ast oloe plorasit, puer Diveis parentum sacer esto*. Illam autem Sanctionem hanc vim habuisse, *ut impune is homo occidi posset, & qui occidisset cædis crimine minime teneretur*. Dionysius Halicarnass. declarat lib. v. qui legendus, ubi legem Valeriam de provocatione describit. Eo respiciunt de eadem lege Livii illa lib. II. *Latæ deinde Leges non solum, quæ regni suspicione Consulem absolverent, sed quæ adeo in contrarium vetarent, ut popularem etiam facerent.* Inde Cognomen factum Poplicolæ est. *Ante omnes de provocatione adversus magistratus ad populum, sacrandoque cum bonis capite ejus, qui regni occupandi consilia inisset.* Legendus etiam Plutarch. in Publicola. Sic Macrob. lib. III. Sat. VII. *Hoc loco non alienum videtur de conditione eorum hominum referre, quos leges Sacros esse certis Diis jubent. Quia non ignoro quibusdam mirum videri, quod quum cætera sacra violari nefas sit, hominem Sacrum jus fuerit occidi.* Hæc de *Partibus* : sequuntur *ferendarum legum ritus*.

9. In ritibus ferendarum legum consideranda quædam, quæ *Legum lationes præcedebant*, quædam quæ *comitabantur* & quasi inhærebant, quædam denique, quæ *proxime subsequebantur*. In iis quæ *præcedebant* quæri solet priore loco de *personis* vel *eorum, quibus jus erat & potestas leges ferendi*, vel *eorum per quos vel quorum auctoritate leges ferebantur* : posteriore loco *de ipsa legis Rogatione*, cujus partes postea erunt examinandæ.

Quod ad *Personas, quæ jus habebant & potestatem legum ferendarum* ; hoc omnino ut indubitatum est tenendum, Leges apud Romanos *a magistratibus* tantum, non tamen *omnibus*, rogari, & post rogationem, nisi intercederetur a Tribunis, vel obnunciaretur ab Auguribus, ferri solere. Quum autem duo essent *magistratuum genera*, alii *Majores*, alii *Minores* : leges a *Majoribus magistratibus* sex tantum rogabantur & ferebantur, duobus quidem *Ordinariis Consule & Prætore* ; *Extraordinariis* vero *Dictatore, Inter rege, Decemviris & Tribunis Militum*, ut nihil dicam de *Regibus & Triumviris R. P. constituendæ* : a *Minore* autem eoque *Ordinario*, uno *Tribuno plebis*. Præter hos nulli alii legis rogandæ ferendæque potestas fuit. Hi enim, quos dixi, & nulli alii magistratus cum populo agundi potestatem habebant. *Agere cum populo* nihil aliud erat, quam *rogare quid populum, quod suffragiis suis aut juberet aut vetaret*. *Consules jus habuisse leges ferendi* manifesta res est. Omnes enim leges Consulares, quæ passim reperiuntur apud varios auctores, satis ostendunt, *legibus ferendis Consules Comitia Centuriata* habuisse. *Prætores* quoque Comitia Centuriata legum ferendarum caussa habuis-

A se testatur Livius lib. XLV. quum scribit : *Prætorem M. Juventium legem tulisse de bello Rhodiis inferendo*. Confirmat id ipsum & hoc, quod si in urbe Coss. non essent, *Prætorum*, ac præsertim *urbani* summum erat Imperium. Ex quo sequitur, *si legum Comitia essent habenda, Prætorum* id munus fuisse. De *Dictatoribus* etiam nulla est dubitatio. Confirmant id leges *Hortensia, Æmilia, Cornelia* ; quæ omnes a Dictatoribus latæ Centuriatis etiam Comitiis, ut paullo ante dixi de Consulibus, & dictum etiam volo de *Prætoribus*. *Interregem* etiam leges ferre potuisse credendum est : atque *interregis Lex Valeria de L. Cornelii Syllæ* B *imperio fuit* ; idem etiam a Cicerone lib. III. de LL. confirmari potest ; *eique, quem produnt Patres Consulum rogandorum ergo*. Nam *prodi* proprie dicebatur *Interrex*. De *Decem viris* testimonium dicunt *Duodecim Tabularum leges* ab iis Centuriatis Comitiis latæ, quemadmodum legere est apud Livium & Dionysium. *Tribunis etiam militum* idem jus eamdemque legum ferendarum potestatem fuisse patebit ex ipsa Legum Romanarum enumeratione. De *Legibus Regum* nulla est dubitatio. *Tribuni etiam Celerum*, qui regum temporibus erat alter a Rege, *lex illa* fuit, *qua* C *Reges exacti sunt* ; unde & Pomponius JC. in l. II. §. III. D. de orig. jur. eam legem *Tribuniciam* appellat, quamquam eam ob caussam a nonnullis arguatur & insimuletur ἀνιστοριογραφίας. *Tribuniciam* enim vocat, non quod lata a *Tribunis plebis*, qui tunc temporis in rep. erant nulli ; sed quod lata & rogata a *Tribuno Celerum*. Quod *tres viri reip. Constituendæ* etiam leges tulerint, constat plene ex illorum temporum historiis. De *Legibus etiam Imperatorum* nequaquam est ambigendum. Viam omnibus reliquis aperuit ad hanc rem *Octavianus Augustus*, cujus multas suo loco leges audiemus. Ex his omnibus patet, neque *Magistrum Equitum*, D neque *Censorem*, neque *Proconsules*, neque *Proprætores*, neque *Ædiles Curules*, neque *Quæstores urbanos*, neque denique *Præfectos urbi*, etsi senatorii essent magistratus, rogare populum, legum ferendarum caussa potuisse : ut verba illa apud Justinian. Imp. in legis diffinitione, *Senatorio magistratu rogante*, restringenda omnino sint ad *magistratus*, non quidem omnes, sed a me expressos, *Consulem, Prætorem, Dictatorem, Interregem, Decemviros, Tribunos militum, III. viros reip. const. caussa* & connumerandos iis *Reges, Tribunum Celerum, Imperatores Augustos*. Quod ad *minores magistratus*, eorum dixi uni tantum *Tribuno ple-* E *bis* jus fuisse legum rogandarum : quod nemini, nisi in lectione historiarum plane non versato, ignotum esse potest. Testatur hoc ipsum nomen *Plebiscitorum*, quæ videlicet *plebs plebejo magistratu rogante* (quæ verba apud Justinianum Imp. in institut. *ad unum Tribunum pleb.* sint restringenda) constituebat. Potestatem autem hanc *Tribunis*, ut legem ferre possent, abstulit *Sulla*, *ut in lege Cornelia de Tribunis* videbimus : sed Cn. Pompejo Magno Cos. *idem jus Tribunis fuit restitutum*. Ex his igitur constat, *qui magistratus* & *majores* & *minores* populum, plebemve jure rogare legum ferendarum caussa potuerint. Sequitur, F ut videamus *per quos & quorum authoritate leges ferri solitæ*.

10 *Solum Populum Legum ferendarum*, vel ut magis proprie dicam, *jubendarum* jus habuisse, ut *Creationis magistratuum*, & *aliquorum* ; item *belli, pacis, fœderis ac sociorum*. Polybius est auctor : *Senatus* enim, quod idem cum aliis scribit, *ærarii, vectigalium, Legationum, Consiliorum, & auxiliorum curam habebat. Consulibus in bello fere omnia, in pace omnium rerum cu-*

ra atque leviorum administratio & Imperium, ac *populi & Senatus jussorum exsecutio* competebat: eamque ob caussam *ex tribus mistis generibus reip.* constare civitatem Romanam idem Polybius dixit, apud Livium tamen legimus *in legibus magistratibusque rogandis* usurpatum fuisse, ut priusquam *populus suffragium* iniret, *patres Auctores* fierent, ut Cicero lib. II. de LL. & infinitis aliis locis testatur. Sic Livius lib. VIII. *Bellum ex auctoritate Patrum populus adversus Vestinos jussit*. lib. I. *Regem populus jussit, Patres auctores facti*; volebant autem hoc lex *Publilia*; Qua Q. Publilius Philo Dictator anno ab v. c. CCCCXIV. cavit, *ut legum, quae Comitiis Centuriatis ferrentur, ante initium suffragium Patres Auctores fierent*. Leges igitur ferebantur *a magistratibus & majoribus & minoribus*, quos indicavi; *Populi plebisve auctoritate, vel per Populum & Plebem*. Appellatione *Populi* universi cives intelligebantur: *Plebis* vero, cives omnes significabantur, exceptis Senatoribus & Patriciis; ideoque & *Equites plebis appellatione* continebantur. Hæc de *Personis*, & eorum *a quibus Leges ferebantur*, & eorum *per quos jubebantur*: sequitur jam in Præcedentibus ipsam Legum lationem *Rogatio*.

11 *Rogationis* variæ erant partes, de quibus vel in *genere*, vel *in specie*: in *genere* quidem duo explicabo Legis ferendæ *Conceptionem*, & conceptæ *Relationem ad Senatum*. Quod ad *Conceptionem*, is qui legem laturus erat, scribebat eam domi, & cum peritis consultabat, *ne quid contra populi* rem aut voluntatem sanciret; ne *forte pugnantia* capita simul ferret; *neve quid quod* vetus aliqua lex, si ferretur, inane infirmumque juberet esse: *ne curationem, potestatem*, aliquodve commodum ipse sibi sua lege, aut collegis, cognatis, adfinibus mandaret: quod leges duæ Licinia & Æbutia fieri nolebant: de quibus sic Cicero oratione II. in Rullum: *Leges veteres sunt*, inquit, *neque eæ Consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed Tribuniciæ, vobis majoribusque vestris vehementer gratæ atque jucundæ. Licinia lex est atque altera Æbutia, quæ non modo eum qui tulerit de aliqua curatione ac potestate; sed etiam Collegas ejus, Cognatos atque affines excipit, ne iis potestas curatiove mandetur*. Contra hoc videtur peccasse Clodius, qui tulit, quemadmodum notat Cicero in oratione pro domo, *ut sibi Ciceronis ædes liceret possidere*. Hoc non obscure discimus ex variorum historicorum aliorumque auctorum scriptis, Legislatores in suis legibus ferendis non raro duci solere *aut populi studiis* aut *necessitatibus*. Apud *Hispanos* pleræque leges *favent bello*. *Lacedæmoniæ leges* omnes erant *bellicæ*, quo nomine a Philosophis merito reprehenduntur. Quæ regiones sine mercatura tutari se vix possunt, ut Belgica, in iis leges impense favent *negotiationi*; valuit in quibusdam *Odium hominum* vel *Ordinum*: ut quæ Romæ *contra plebem a Patriciis* decreta, vel quæ *a plebe contra Patricios* scita, quæ *a L. Cornelio Sulla contra Tribunos plebis*. Alios etiam rexit *metus*; ut qui leges per adulationem tulerunt atque acceperunt de *immodica principum potentia*: quosdam *spes*, ut qui cupiditate pecuniæ *fixit leges pretio atque refixit*. JCti etiam per tyrannidem occupata rep. cum metu perculsi, tum spe adducti, quæ leges essent *in favorem principis* constitutæ, eas amplissime dilatare; quæ *non essent ad favorem principis*, detorquere; quæ *pro libertate populi* eas extenuare atque opprimere cœperunt. Illud etiam in scribenda lege cavebatur, *ne pluribus de rebus, quæ non ejusdem generis viderentur, una rogatione ferretur*; quod fieri prohibuerunt leges *Cæcilia & Didia*. Illud autem a Clodio factum accusat Cicero pro domo; & non esse faciendum docet idem lib. III. de LL. quum inquit: *Qui agent, non plus quam de singulis rebus consulunto*; ubi *Consulunto*, nihil aliud quam *populum roganto*. *Consulitur* enim populus quum *rogatur*. Hæc de *legis Conceptione*: sequitur explicanda *relatio conceptæ legis ad Senatum*.

12 Quum jam Lex, ab Legislatore ferenda, scriptis esset mandata & cum peritis viris communicata, Legislator, in oculis & animo habens commodum, utilitatem, salutem & incolumitatem reip. beneque de illa sancteque sentiens, legem conscriptam a se moxque promulgandam *ad Senatum referebat*, *ejusque judicio, sententiæ, auctoritatique totam subjiciebat*, quo plus ponderis, majoremque vim, accedente amplissimi ordinis suffragio, lex ferenda haberet, eaque de ejus sententia ferri quasi posset. Peccatum hac parte sæpe legimus ab seditiosis & popularibus nimium magistratibus, ut *Tribunis Plebis*; qui non modo prætermissa Senatus auctoritate, sed etiam nonnunquam contra ejus ordinis auctoritatem leges leguntur tulisse. Exempla passim in veterum Scriptorum monimentis. Hæc de *Rogationis* partibus in *genere*: in *Specie* Partium aliæ legem ferendam *promovebant*, aliæ *impediebant*. Promovebant *Promulgatio & Suasio*.

13 *Promulgare legem* nihil aliud erat quam *legem ferendam in publico ponere*: Est enim, inquit Festus, *promulgari, quasi provulgari*. *Promulgatio* in eum finem fiebat, *ut inspiceret* qui vellet, *inspectam* consideraret, non solum ut intercedi posset ante, quam ferretur; verum etiam ut aliquanto ante statuere cuivis liceret, utrum cum ferretur antiquanda suffragiis an ferenda lex esset vel accipienda; item ut quivis monere Legislatorem posset vel de *corrigenda*, vel *omnino de non ferenda* lege. Spatium autem promulgationis, quacumque de re ferretur lex, erat *Trinundinum*, id est per trinas nundinas vel dies XXVII. Quum enim nundinarum caussa ex agris in urbem cives convenirent, *per trinundinum* leges, ut a Rustica plebe *ter legi cognoscique possent*, patuere voluerunt. *Trinundino* igitur, ut distinctius de singulis, quæ paucis dixi, agam, *promulgare*, erat *legem quæ proposita erat tribus nundinarum diebus ita recitare advocata concione, ut de singulis capitibus populus, adhibitis etiam suasoribus, commode doceri posset; data interim facultate*, ut qui vellet legem improbare dissuadereque posset. Erant autem *Nundinæ*, ut obiter hoc dicam, *feriæ paganorum*, quemadmodum docet Macrobius lib. I. Sat. cap. XVI. *feriæ paganorum*, id est *rusticorum*, quibus conveniunt negotiis propriis vel mercibus provisuri. Fiebant autem *nono quoque die*, unde etiam nomen habuerunt, ut scribunt Plutarch. in Coriolano & Dionys. lib. II. Illis igitur *Nundinarum diebus*, quia frequenter solebat esse populi multitudo propter rusticorum in urbem conventum, eam ob caussam institutum erat, ut illis potissimum diebus Leges promulgarentur. Docet illud ex Rutilio Macrobius loco quem paullo ante indicavi: *Rutilius*, inquit, *scribit, Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici operas facerent, nono autem die intermisso rure ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent, ut & scita atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita a singulis atque universis facile noscebantur, unde etiam mos tractus ut leges trinundino die promulgarentur*. Notandum autem, Promulgationem hanc *trinundino*, vel ut Leges trinundino

dino promulgarentur, primis temporibus non fuisse apud Romanos usurpatam. Colligitur hoc ex eo, quod scribit Livius lib. XIV. *Mamercum Æmilium Dictatorem advocata concione dixisset, se legem laturum, ne plusquam annua & semestris esset censura: quam legem absque solemni illa tribus nundinis promulgatione, consensu ingenti postero die, non XXVII. die pertulit.* Et quoniam multo tempore hæc lex *Æmilia* lata est post leges XII. tabul. inde planum est, legibus XII. tab. id minime cautum fuisse: alioqui *lex Æmilia* jure lata non fuisset, quum trinundinalis promulgatio non præcessisset. Nec sane reperitur lex ulla de solenni hac promulgatione ante legem *Cæciliam-Didiam*, quam anno ab V. C. DCLV. tulerunt Coss. Q. Cæcilius Metellus & T. Didius; cujus uno capite cautum fuisset de Legibus trinundino promulgandis; ostendit Cicero in orat. pro Domo: *Si quod in ceteris legibus trinundinum esse oportet, id in Adoptione satis est trium esse horarum, nil reprehendo. Sin eadem observanda sunt, decrevit Senatus M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam-Didiam latæ essent, populum non teneri.* Idem hoc diligentius, pœna etiam adjecta, postea cautum fuit lege *Licinia-Junia*, lata ab L. Licinio Murena & D. Junio Syllano Coss. eo anno, qui sequutus est Ciceronis Consulatum. Docet Cicero lib. V. Philipp. *ubi lex Cæcilia-Didia? ubi promulgatio Trinundinum? ubi pœna recenti lege* Junia-Licinia?

Si igitur ante leges vel *Cæciliam-Didiam* vel *Juniam-Liciniam* observata fuerit ab nonnullis Legislatoribus *Trinundini promulgatio*, quemadmodum passim legimus in historiis Dionysii Halicar. existimandum *consuetudine* potius illud, quam *legis necessitate* fuisse observatum. Quod vero iis tribus nundinarum diebus *recitari legem* oporteret ac *populum doceri*, ex eo apparet, quod scribit Dionys. lib. X. *Tribunos plebis lege proposita Trinundini spatium dedisse, ut interim suadendi ac dissuadendi potestas esset.* Unde etiam apud Ciceronem lib. III. de LL. ponitur lex hujusmodi: *Rem populum docento, doceri a magistratibus privatisque patiuntor.* Quam legem Cicero paullo post dicit Romæ observari solitam. Ex illo Ciceronis loco discimus, lege proposita *non modo a magistratibus doceri populum oportuisse*; verum etiam a *privatis*, data eis a magistratu concionis advocandæ facultate. Neque enim *privato* licebat ex rostris verba ad populum facere, *nisi a magistratu quis produceretur*, quemadmodum ostendit Cicero oratione in Vatinium. Et disertis verbis Livius lib. LV. *Quum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset.* Exempla hujus rei frequentia sunt in historiis. *Legem Maniliam suasit* Cicero, *dissuaserunt* Catulus & Hortensius: *Legem Agrariam Rulli dissuasit* Cicero: *Leges Cæsaris* in primo Consulatu *suaserunt* Pompejus & Crassus. Solebant enim qui legem ferre volebant sibi virum aliquem magna auctoritate præditum conciliare & adjungere, qui populo suaderet ut legem acciperet, qui *legis auctor* appellari solet. Cicero lib. III. de LL. *Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus, nec auctor unquam bonus.* Et paullo post: *Nam Crassæ legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur.* Qui igitur primas partes suadendæ legis habebat, is *auctor* dicebatur: qualis fuit *Pompejus in lege P. Lentuli* Consulis, qua revocatus est ab exilio Cicero, ut apparet ex orat. post reditum ad Quirites: in qua etiam oratione continetur summa ejus, quam habuit in suadenda lege Cornelia Pompejus ad populum. Et hinc intelli-

A gimus in lege promulganda *non recitari modo legem*, sed etiam docendi populi caussa *orationem addi solitam*. Scribit etiam Cicero pro Flacco, *more Institutoque majorum populi suffragiis legem non committi, nisi auditis ante auctoribus, reque per multos dies promulgata & cognita.* Quæ docent, *Promulgationem Legum* non fuisse nudam aliquam recitationem, sed etiam oportuisse populum doceri; idque toties, quoties promulgabatur. Hinc facile discimus, quur Cicero in oratione, quam habuit ad Quirites dicat, *ter convenisse Italiam cunctam nomine suo, & se in patriam ter decretis Italiæ cunctæ revocatum.* Ex quibus
B etiam illud constat, quum lex ita trinundino promulgaretur, solitum fuisse populum *significationem dare adclamationibus, legem sibi acceptam esse, aut non esse*, antequam dies suffragii veniret. Hoc enim est quod ait Cicero, *decretis Italiæ ter se revocatum.* Neque enim de suffragiis intelligi potest, præsertim quum tot Comitiis eamdem legem juberi absurdum sit & nundinis Comitia habere fas non esset. Recitabatur ergo lex in concione *tribus nundinarum diebus*, simulque docebatur singulatim populus, & rogabatur ut legem accipere vellet; proditaque die qua Comitia haberentur legis ferendæ caussa, ut ad illam diem frequens
C adesset, rogabatur. Hæc de *Legis Promulgatione*, simulque de *Promulgatæ Suasione & Dissuasione*: sequitur ut videamus, quæ Legis Rogationem impediebant; erant illa *Intercessio*, *Obnunciatio*, aliaque id genus impedimenta.

14 Caussæ, quæ quominus promulgata lex perferri posset, impediebant, fuerunt variæ. Intercedebant enim vel *Tribuni plebis*; vel *Collega* contra Collegam paris Imperii; vel *major magistratus*, contra minorem; vel *consilium mutabat* Legislator; vel *Comitia* dirimebantur, vel *denique* auspicia interveniebant. Ut distinctius di-
D cam, *Impedimenta* contra Legum lationes oriebantur vel ab ipso *Legislatore*, vel *aliunde*. Ab ipso *Legislatore*, quum scilicet is qui promulgarat, vel amicorum precibus adductus, vel Senatus auctoritate commotus sua sponte consilium mutaret: Fecisse hoc *C. Manilium & L. Cæcilium utrumque Tribunum plebis* diversis temporibus variorum scriptorum loquuntur monimenta; *Manilium* quidem, in *lege de libertinorum* suffragiis; de qua scribit Pædianus in Cornelianam. Eo respicit Cicero pro Muræna; scribens *Sulpicium confusionem suffragiorum flagitasse & prorogationem legis Maniliæ, atque æquationem gratiæ,*
E *dignitatis & suffragiorum*: *Cæcilium* vero in ea, quam *de minuenda Ambitus pœna* promulgarat, quemadmodum apud eundem Ciceronem legimus. Sic impedimentum oriebatur *ab ipso Legislatore*: *aliunde* vero vel per *intercessionem*, vel per *Auspiciorum Interventionem*. *Intercessio* vel erat *Tribunorum* vel *aliorum Magistratuum*. *Tribunos* prænomino. Illorum enim proprium erat *Intercedere*. Faciebant autem hoc solenni illa voce *veto*, de qua Livius lib. V. *Bene habet*, *inquit Sextius*. *Quandoquidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimus plebejos. Agitedum Comitia indicite Patres Tribunis militum*
F *creandis; faxo juvet vox ista veto.* Idem lib. III. *Appellati Tribuni medio decreto jus auxilii sui expediunt, in vincula conjici vetant, sisti reum, pecuniamque, nisi sistatur, populo promitti, placere pronunciant.* Suet. in Tib. cap. 11. *Ni vetare aut intercedere fas cuiquam Tribunorum esset.* Ad eamdem vocem videntur pertinere verba Plinii in Panegyrico, quem Trajano dixit: *Intercessurus publicis, si permitteret sibi vetare quod Senatus juberet.* Hac igitur solenni voce intercedebant Tri-

buni; cujus tanta vis erat, ut privatis magistratibusque omnibus esset parendum. Nam qui non parebant, per viatorem Tribunitium in carcerem abripiebantur, vel die dicta apud populum accusabantur, ut Violatores sacrosanctæ potestatis. Tales enim erant, sacrosancti, inquam, Tribuni, qua de re in magistratuum historia dixi ex legibus veteribus, quæ apud Dionys. lib. VI. & Livium, quas leges postea repetemus, ubi de iis, quæ ad magistratus minores pertinent, nobis erit agundum. Talis igitur erat *Intercessio Tribunorum*: *aliorum vero magistratuum* intercessio duplex erat, vel *Majoris contra Minorem*, vel *Paris contra Parem*. vel enim *Major Magistratus Minori* avocabat Comitiatum, quo lex esset ferenda; vel *Collega Collegæ paris Imperii* turbabat aut retinebat auspicia. De utrisque antiquus Scriptor M. Valerius Messala libro de auspiciis apud Agellium lib. XIII. cap. XV. *Ex libro*, inquit Agell. *Messalæ de auspiciis constat, Consulem ab omnibus magistratibus & Comitiatum & Concionem avocare posse; Prætorem cæteris, minores magistratus nemini comitiatum aut concionem avocare posse: sed qui eorum primus vocat ad Comitia, is recte agit. Multi magistratus simul concionem habere possunt, simul cum populo agere non possunt*. Adscribit deinde Messalæ verba: *Patriciorum maxima auspicia sunt Consulis, Prætoris, Censoris. Neque tamen eorum omnium inter se eadem aut ejusdem potestatis: quod Collegæ non sunt Censores consulum, aut prætorum Prætores sunt. Ideo neque Consules aut Prætores Censoribus, neque Censores Consulibus aut Prætoribus turbant aut retinent auspicia. At Censores inter se; rursus Prætores Consulesque inter se & vitiant & obtinent. Prætor etsi Collega Consulis est, neque Prætorem neque Consulem jure rogare potest, quia imperium minus Prætor, majus habet Consul; & a minore imperio majus & major Collega rogari non potest, neque in Comitiis in auspicio esse debent*.

Ad hanc *Magistratuum intercessionem* pertinet lex illa Tulliana, quæ exstat lib. III. de LL. *vis, in populo abesto, par majorque potestas plus valeto; ast cui turbassitur in agendo trans actoris esto; intercessæ rei malæ salutaris civis esto; qui agent auspicia servanto; auguri publico parento*. Qua lege *vis in Intercedendo* tollitur: alioquin intercessio nihil adjumento esse poterat reipublicæ. Idem Cicero Philipp. lib. I. *Quærunt quid sit, quur bonis Tribunis plebis leges malas metuam? Paratos habemus qui intercedant, paratos qui remp. religione defendant. Negligimus ista & nimis antiqua & stulta dicimus. Forum sepietur, omnes claudentur aditus, armati in præsidiis multis in locis collocabuntur. Quod erit ita gestum, id lex erit*. Idem Philipp. lib. V. *Omnes fori aditus ita septi, ut etiamsi nemo obstaret armatus, tamen nisi septis revulsis introiri in forum nullo modo posset: sic vero erant disposita præsidia, ut quo modo aditus hostium prohibetur castellis & aggeribus; ita ab ingressione fori populum Tribunosque plebis propulsari videres*. Tali igitur remedio Intercessiones excludebantur. Erant autem *legitimæ Intercessiones*, si *par aut major potestas* prohibuisset. Nam obtemperandum omnino erat Intercessori; quod impediri bonam rem, si forte lex futura esset bona & commoda reip. melius esset, quam concedi malam, & ad vim, nisi obtemperatum esset, veniri. Si igitur intercederetur, aut turbaretur & seditio esse cœpisset, licebat agenti cum populo, ad vim omnem avertendam, *concilium dimittere*: quod qui non faciebat, quique contra intercedentem permanebat, *vim* ille merito videbatur *quærere*: id quod Tulliana lege, cujus verba paullo ante recitavi, præclare vetatur. Et notandum o-

A biter, Tullianam illam legem potestatem dare *cuicumque civi*, ut rei malæ, minusque salutari intercedat, quod etsi speciem habeat Justitiæ, tamen caussa esse potest multorum malorum. Sic enim, si cuicumque hæc permittatur licentia, facile fieret, ut optimus quibusque rebus intercederetur. Semper enim in republica, qui turbas quærunt, & res etiam optimas & maxime salutares suis seditionibus impedire & inquietare student. Intercedere igitur proprium erat *non privatorum hominum, non quorumcumque civium*, sed *magistratuum tantum*. Leguntur autem Consules sæpe Comitiales dies, quibus Comitia legibus ferendis
B erant indicta, exemisse, vel *supplicationibus decernendis*, vel *feriis indicendis*, non solum iis, quæ *Latinæ* dicebantur, quas indicere sibi Coss. poterant; sed etiam iis quæ *Imperatiove*; quas non modo Consulibus, verum etiam Prætoribus ipsorum arbitratu licebat Imperare. De his in Comitiorum historia abunde dixi. Hæc de *Impedimentis*, quæ contra Legumlationes fiebant *per Intercessiones vel Tribunorum, vel aliorum Magistratuum, Majoris* contra Minorem, *Paris* contra Parem: sequitur ut videamus qualia impedimenta fuerint per *Auspiciorum Interventionem*.

C 15 *Auspiciorum* hic duo erant genera, quemadmodum alias dixi, & hic necessario est repetendum, ut res melius intelligatur. *Unum Auspiciorum genus* erat, quo *Magistratus* tantum utebatur, quæ *Spectio* dicebatur, vel *de Cælo observatio*; alterum genus ad *Augures* pertinebat, quum ex *Avium signis*, id est *volatu*, & *cantu* auspicium faciebant. Nam si quid vel adversi vidissent vel audivissent, id nunciantes Comitia impediebant, quemadmodum docet Cicero lib. II. de LL. Priore illo genere, vel si adversi nihil esset, *ipsa tamen per se spectio* rem impediebat, ut tradit Dio lib. XXXVI. *Obnunciatio* autem (sic enim genus il-
D lud impediendi dicebatur, quod *Augurum* erat) duarum maxime rerum observatione fiebat; vel *quum de Cælo fulsisset aut tonasset*: vel quum *Aves adversa portenderent*. Hæc de iis, quæ Legumlationem *præcedebant*: ordo flagitat, ut quæ *comitabantur* explicemus.

16 Eorum quæ comitabantur Legumlationes, quædam erant *propria*, quædam *aliena ab ipsa & quasi adjuncta*. *Propria* appello ritus, qui in legibus ferendis observari erant soliti. Ritus hi consistebant in *Sortitione* Tribuum & Centuriarum; *Monitione* solenni Quiritium ad discessionem, *Legis recitatione*, *Tabellarum distributione*, *Suffra-
E giorum* denique cum *Latione*, tum *diribitione*. Quod ad *Sortitionem* vel *Centuriarum*, si lex aliqua ab *majoribus Magistratibus*, ut *Consule*, *Prætore*, *Dictatore* ferenda esset; vel *Tribuum*, si a *Minore* ut Tribuno plebis; quo modo ea fieri solita, in Comitiorum historia satis dixi.

17 Quod ad *Monitionem illam solennem* Quiritium ad *discessionem* faciendam, fiebat illa solennibus verbis. Nam Sortitione Tribuum vel Centuriarum facta, dicebat is, qui legem esset laturus: *Si vobis videtur, discedite Quirites*. *Discedere* autem hac in re nihil aliud, quam ut notat Asconius Pædianus, *ut in suam quisque Tribum discederet,*
F *in qua suffragium esset laturus*. Sic enim inquit: *Quum id solum superest, ut populus sententiam ferat, jubet unumquemque is, qui fert legem discedere, quod verbum hic non significat, quod in communi consuetudine est de eo loco, ubi lex fertur, sed in suam quisque tribum discedat, in qua est suffragium laturus: populus enim confusus ut semper alias, sic in concione*. Legitur hæc formula apud Livium lib. II. ubi de Lege Lectoria. *Consul inquit Appius, negare jus esse Tribuno in quemquam nisi*

in plebem: non enim populi, sed plebis esse magistratum; nec ullum ipsum summovere pro Imperio posse more majorum, quia ita dicatur; Si vobis videtur, discedite Quirites, ubi *Discedite* dictum patet *ad suffragia ferenda*. Idem Livius libro III. ubi de Terentia lege agit, sic ait: *Quemadmodum se Tribuni gessissent in prohibendo delectu, sic patres in lege, quæ per omnes comitiales dies ferebatur, impedienda gerebant: initium erat rixæ, quum discedere populum jussissent Tribuni, quod patres se submoveri haud sinebant*. Eodem spectat Cicero lib. III. de LL. *Lex recitata est, discedite, & tabellam jubebo dari*. Alioquin ejusdem formulæ ea vis erat alias, *ut Quirites e concione discederent*, & domum abirent, quod non obscure innuit Cicero II. in Catilinam oratione, quam habuit ad Quirites: *Vos*, ait, *Quirites, quoniam jam nox, veneramini jam Jovem illum custodem hujus urbis ac vestrum, atque in vestra tecta discedite*. Hæc de *Monitione illa solenni* ad Discessionem.

18 Quod ad *Legis recitationem*, meminit ejus Cicero verbis paullo ante a me laudatis ex lib. III. de LL. *Lex recitata est, discedite & tabellam jubebo dari*. Recitabatur autem Lex a Præcone, cui verba ab scriba subjiciebantur.

19 Quod ad *Tabellarum distributionem*, quum de concione Quirites jussi essent discedere & in suam quisque *Centuriam vel Tribum* abiisset, privati quidam homines, qui de lege laborarent, ne quid fallaciæ committeretur, ipsi aut tabulas distribuebant, aut distribuentibus præerant, idque *Diribere* proprio vocabulo dicebatur. Cicero in Pison. *An exspectas, dum de te* LXXV. *tabulæ diribeantur, ut de te judicium fiat*. Eadem vox apud Plinium l. XXXVII. c. XV. *Hic est ille domitor orbis populus, qui gentes & regna diribet, id est* distribuet.

Quum autem *munus illud diribendi* obiri curatione solitum esset ab iis fere, qui *neque ætate graves*, neque *honores in reip. administratione gessissent*, illud sibi præstitum fuisse a præstantibus dignitate, quique provectioris essent ætatis, gloriose commemorat Cicero oratione II. in Pisonem: *Hoc*, inquit, *certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabellarum, & quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis vel ætatis excusatione vel honoris, in salute mea, nullo rogante, vos vestra sponte fecistis*. Eo respicit idem Cicero oratione post reditum in Senatum: *Quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiæ totius, ordinumque omnium, quando illa dignitate tot rogatores, diribitores, custodesque vidistis? Diribebantur* autem, id est distribuebantur in legum latione *duplicis generis tabulæ*, quarum una duabus litteris *V. & R.* id est *uti rogas*; altera littera unica *A*, id est *antiquo* notata erat: priore tabella lex *accipiebatur*, uti magistratus rogarat: posteriore vero significabatur, *legem non esse accipiendam*. *Antiquo* enim nihil aliud quam *nihil novari volo, antiqua probo*, & uti explanat Festus, *in morem pristinum reduco*. De priore formula sic loquitur Cicero lib. II. de LL. *Suade igitur, si placet, istam legem, ut ego, uti rogas, possim dicere*. Livius lib. VI. *Et uti rogarent primæ Tribus dicerent*. Idem lib. XXXIII. *Ea rogatione ad plebem in Capitolio lata, omnes quinque & triginta tribus, uti rogas, jusserunt*. Idem lib. XXXI. *Ab hac ratione in suffragium missi, uti rogarat, bellum jusserunt*. Et libro XXX. *De pace, uti rogatæ omnes tribus erant, jusserunt P. Scipionem pacem dare, eumdem exercitus deportare*. Idem denique lib. XXXVIII. *Tribunos auctoritate deterruit, ne adversarentur Rogationi, Remittentibus ergo his Intercessionem, omnes Tri-*

A *bus, uti rogas, jusserunt*. De altera formula *Antiquo*, Cicero lib. I. ad Attic. epist. XIII. ubi de Rogatione agit, quam ex S. C. de polluta a Clodio religione Consules promulgarant. *In hac caussa*, inquit, *Piso amicitia P. Clodii ductus operam dat, ut ea Rogatio, quam fert, ex S. C. & de Religione antiquetur*. Et ejusdem lib. epist. XIV. *Nam quum dies venisset Rogationis ex S. C. ferendæ concursabant barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinæ, duce filiola Curionis, & populum, ut antiquaret, rogabant*. Idem lib. III. de LL. *Vos quidem, ut video, legem antiquastis sine tabella*. Et lib. II. de Officiis: *Quum legem Agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est, in eo se vehementer moderatum præbuit*. Sic Livius lib. V. *Legem una plures tribus antiquarunt, quam jusserunt*. Idem lib. VIII. *Tribus omnes præter Polliam antiquarunt legem*. Et lib. XXXI. *Rogatio de bello Macedonico primis Comitiis ab omnibus fere Centuriis antiquata est*. Proprie enim *Antiquabatur lex*, quæ promulgata *non accipiebatur*, *abrogabatur* autem ea, quæ, postquam perlata erat, retractabatur. Utrumque tamen, a propria verborum significatione recedens, conjungit apud Livium lib. XXII. Minutius: *Itaque*, inquit, *Plebiscitum, quo oneratus magis, quam honoratus sum, primus antiquo abrogoque*. Hæc de *Tabellarum distributione*.

20 Quod ad *suffragiorum lationem*: notandum imprimis, adpositos fuisse in quaque Tribu aut Centuria *Pontes*; si Tributa Comitia essent, pro numero Tribuum XXXV. sin Centuriata CXCIII. tot enim erant Centuriæ, ut per suum singulæ pontem suffragium ferrent: *Pontes* autem dicti erant, quod *exstructi ad tempus meatus vel transitus satis angusti Pontium similitudinem haberent*. His Pontibus impositæ erant *duæ cistæ oblongæ*, *una in capite pontis, altera in fine*; *de priore* tabulæ populo dividebantur, in *posteriorem*, quæ in fine pontis erat, tabellarum alterutram populus conjiciebat. Cicero lib. I. ad Attic. *Operæ Claudianæ Pontes occuparunt, tabellæ ministrabantur ita, ut nulla daretur, uti rogas*. Et lib. III. de LL. *Pontes lex Maria fecit angustos*. Sic author Rhetoricorum ad Herennium: *Cœpio ut Saturninum contra S. C. legem de Semissibus & Tomitibus adversus remp. vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo segnius feratur lex*. Sic Festus libris de verb. signif. *Quo tempore primum per pontem cœperunt Comitiis suffragium ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illi deligerent Imperatorem; vanam autem opinionem de ponte Tiberis confirmavit Asconius*. Hinc *senes sexagenarii*, qui jure suffragii erant privati, *Depontani* vocabantur. Idem Festus: *Depontani senes appellabantur, qui sexagenarii de ponte dejiciebantur*. Quo respiciens Macrobius l. I. Sat. c. V. *His ne tam doctis viris*, inquit, *quorum M. Cicero & M. Varro imitatores se gloriantur, adimere vis in verborum Comitiis jus suffragandi & tamquam sexagenarios de ponte dejicies?* Per *Pontes* igitur hosce cives suffragium de lege promulgata laturi transibant, *tabellis*, de quibus paullo ante dixi, *in prima pontis parte vel ingressu* acceptis, quas *in extremo ponte* redderent. Suffragium autem habebat primo loco *ea Tribus* eave *Centuria*, quæ omnium Tribuum aut Centuriarum nominibus in sortem conjectis, *prima* de sitella sortitione facta exierat. Ea autem vel Tribus vel Centuria *Prærogativa* dicebatur, quod prima rogaretur a Magistratu, qui comitia habebat: reliquæ autem, quæ Primam sequebantur,

Jure-vocatæ dicebantur. Eleganter Asconius Pædianus in Divinat. Ciceronis; *Prærogativæ sunt Tribus, quæ primæ suffragium ferunt ante Jure-vocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in Comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem Candidatis Comitia fieri, quorum Tribus primæ Prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent Coss. fieri. Secundæ Juræ-vocatæ, quod in his sequente populo, ut sæpe contingit, Prærogativarum voluntatem, jure omnia complerentur.* Prima igitur Tribus vel Centuria, quæ inquam prima ad legem vel accipiendam vel respiciendam suffragium ferebat, *Prærogativa* dicebatur; reliquæ vero vel Tribus vel Centuriæ, quæ primam & Prærogativam sequebantur *Jure-vocatæ* nominabantur. *Is* autem quem Magistratus legem ferens in prima Tribu vel Centuria, *primum sententiam vel Suffragium* rogabat, dicebatur *Primus*. Moris autem erat ut qui legem ferebat deligeret ad suffragium primo loco ferendum, & quem dignitate præstare, & rogationi suæ præter cæteris favere judicabat; & erat quodammodo *legis ornamentum*, quum is eam sciscebat primus, cujus apud cives non levis esset auctoritas. Testatur vel saltem innuit Cicero in oratione pro Plancio: *Nam quod primus scivit legem de publicanis tum vir amplissimus Consul id illi ordini per populum dedit, quod per Senatum, si licuisset adidisset, si in eo crimen est, quia suffragium tulit, quis non tulit publicanus? si quia primus scivit: utrum id sortis esse vis, an ejus, qui illam legem ferebat? si sortis nullum crimen est in casu: si Consulis splendor etiam Plancii, tunc a summo viro principis ordinis judicari.* Ex quibus verbis manifestim, eam ob caussam *Plancium* primo loco, ad suffragium ferendum, quod primus ordinis equestris judicaretur. Aperre illud & Cicero in Oratione pro Domo: *Consulari homini P. Clodius eversa rep. civitatem adimere, consilio advocato, conductis operis non solum legentium, sed etiam servorum Sedulio principe. Sedulium* enim *principem* ibi vocat, quod *primus omnium suffragium tulisset*; quod paullo post clarius exponit iis verbis: *sin autem is primus scivit.* In quibus postrema vox innuit *Sciscendi* verbum etiam locum habuisse in suffragiis ferendis. Festus explicans, quæ esset Centuria, *Ni qui scivit* hæc addit: *Nam Sciscito significat sententiam dicito, ac suffragium ferto. Unde & Scita* plebis. Hæc de *Suffragii latione*: sequitur ut *Suffragiorum diremptionem vel dinumerationem* exponamus.

21 Postquam jam ab eo, quem magistratus legem ferens delegerat, deinceps item ab aliis ejusdem Tribus aut Centuriæ perlata essent suffragia, tum suffragiis in utramque sententiam dinumeratis, eorum numero punctis notato, ejus Tribus aut Centuriæ voluntas cognoscebatur; *eaque a Præcone renunciabatur* magna voce. In Renunciationis hujus formula solennia hæc verba fuisse *Olla Centuria*, id est *illa Centuria*, testatur Varro lib. v. de LL. *Olli valet dictum illi, ab Olla & Ollus, quod alterum Comitiis quum recitatur, dicitur Olla Centuria, non illa.* Eadem omnino ratione in reliquis Tribubus & Centuriis servata, *ex majore Tribuum*, si a *Tribuno plebis* lex esset rogata, vel *Centuriarum*, si a *Consule, Prætore vel Dictatore, numero* vel *antiquabatur* vel *sciscebatur* lex, hoc autem *Dirimere suffragia* dicebatur. Varro de re rust. lib. III. *Dum dirimuntur suffragia, vis potius villæ publicæ utamur umbra, quam privati Candidati tabella?* Lucan. lib. v. *Et non admissæ dirimit suffragia plebis.*

Sic Cicero lib. III. Epist. ad Q. Fratrem epist. IV. *Quid plura? de judiciis duo Prætorii sederunt: Domitius Calvinus, is aperte absolvit, ut omnes viderent: & Cato; is diremtis tabellis de arculo se subduxit & Pompejo primus nunciavit:* ubi tamen in vulgatis legitur *diruptis*, pro quo alii *diribitis*, Et huic *Diremtio suffragiorum* apud eundem Ciceronem in Oratione pro Plancio. Hæc de *Dinumeratione & Diremtione suffragiorum*; & simul de iis, quæ *propriæ* quasi comitabantur Legum lationes; sequuntur quæ *quodammodo erant aliena Locus* & *Tempus*, quibus Comitia Legum ferendarum caussa habebantur.

22 Quod ad *locum*, si leges ferendæ essent *ab majoribus magistratibus*, ut Consule, Prætore, Dictatore, aliisque, quoniam fieri illud non posset nisi *Comitiis Centuriatis*, Comitia autem hæc celebrari non possent nisi in *Campo Martio*; necessario sequitur, Leges ferri solitas a majoribus magistratibus *in Campo Martio extra urbis Pomerium*. Centuriata autem Comitia, quibus leges a majoribus magistratibus ferebantur, haberi solita *loco in augurato, non tamen intra Pomerium, sed extra*, docet Agellius lib. XV. cap. XXVII. quum inquit: *Centuriata Comitia, nisi imperato exercitu haberi non poterant, idque præsidii caussa, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus. Exercitum autem extra urbem imperari oportebat; intra urbem imperari jus non erat*: quod etiam confirmat apud Livium Sp. Posthumius Consul his verbis. *Majores vestri ne vos quidem, nisi aut cum vexillo in arce posito comitiorum caussa exercitus edictus esset, aut plebi concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, forte temere coire voluerunt.* Manifestum igitur hinc est, *non intra sed extra urbem*, & quidem edicto exercitu Comitia Centuriata haberi potuisse, & locum Centuriatis Comitiis destinatum fuisse *Campum Martium*, quem Cicero esse dicit *Consularibus auspiciis consecratum*, quia imperii Consularis auspiciis omnia fere peragebantur quæ publice in eo campo fieri solebant. Majores igitur Magistratus legum ferendarum caussa Comitia habebant *in loco inaugurato, extra Pomerium*, id est in *Campo Martio*. Si lex ferenda esset *a Minore magistratu*, id est Tribuno plebis, fiebat illud *nunc hoc, nunc illo loco*. Ferebat enim Tribunus plebis leges suas *Comitiis Tributis*. His autem Comitiis non unus erat locus destinatus. Religio non erat, *extrane an intra pomerium* haberentur. Habebantur interdum in *Campo Martio*, interdum in *Capitolio*, nonnunquam *in Comitio*, aliquando *in Pratis Flaminiis*, seu *Circo Flaminio*. Leges *in Campo Martio* a Tribunis plebis latas fuisse non lego: Quod autem Legum Comitia *in Comitio* nonnunquam fuerint habita, testatur Cicero oratione pro Rabirio Posthumo, ubi Equites Romanos ita adloquitur: *Si jam vobis nunciaretur in Senatu sententias dici, ut his legibus teneremini, concurrendum ad Curiam putaretis: si lex ferretur, convolaretis ad Rostra* &c. Fuisse autem Rostra *in Comitio*, aliquando docui in urbis Romæ Topographia. In *Capitolio* leges interdum ferri solitas scribunt Plutarchus in Gracchis & Livius lib. XLV. de Lege Agraria & Rogatione de Triumpho L. Paulli, ubi eas in *Capitolio* perlatas adferunt. Refert etiam de Opimio Plutarchus, *quod de abrogandis C. Gracchi legibus Comitia in Capitolio edixerit*. Quod denique circus Flam. legibus ferendis etiam destinatus fuerit constat ex Livio lib. XXVIII. ubi docet *Rogationem illam, quam tulerat Bibulus Tribunus plebis de abrogando Marcello Imperio, in circo Flaminio antiquatam fuisse*: quod etiam confirmat Plutarchus in Marcelli vita. Hæc de *Loco ferendarum* a magistratibus vel Majoribus vel Minoribus legum: sequitur *Tempus*.

23 De *Tempore* illud solum habeo dicere, nullas leges ferri potuisse *nisi Comitialibus diebus*. Ratio, quod *nulla Comitia* nisi *his diebus* haberi possent. Perpetuum illud fuit & ordinarium in legibus, quos *majores magistratus* ferebant: perpetuum item & ordinarium in iis quas ferebant *magistratus minores*; hac tamen exceptione, *nisi quis nominatim, ut aliis etiam diebus cum populo agere sibi liceret, legem tulisset*, id quod P. Clodium in Tribunatu fecisse, docet Cicero oratione pro Sestio; ubi scribit, *Clodium inter alias leges etiam hanc tulisse, ut omnibus fastis diebus sibi legem ferre liceret*. Alioquin ordinarium erat Comitia Tributa, ut & Centuriata, *Comitialibus tantum diebus* haberi. Hæc de *Tempore*; & simul *de iis, quæ legum lationes comitabantur*, usque quasi inhærebant: succedit jam explicatio eorum, *quæ Legum lationem subsequebantur*; ut *Juramentum* in legem, ejusque conservatio.

24 Inter ea quæ legum lationes *subsequebantur*, priore loco occurrit *Juramentum solenne in legem jam latam*. Moris enim erat apud vett. Rom. ut in leges latas juraretur: cujus ritus quamquam pauca apud antiquos scriptores reperiantur exempla, rem tamen ita se habuisse argumento potest esse *lex Agraria*, quam tulit L. Apulejus Saturninus Trib. pleb. anno ab V. C. DIII. C. Mario V. L. Valerio Flacco Coss. qua lege inter alia cautum erat, quemadmodum Appianus scribit lib. I. bell. Civil. *ut in eam juraretur; qui non jurasset, ei mulcta pœna esset*. Testantur etiam quod dixi *Sacratæ leges*; quibus post seditionem illam plebis & secessionem in montem Sacrum, omnium Scriptorum monimentis celebratam, *Tribuni plebis sunt creati*, ut Dionys. Hal. scribit lib. VI. Antiquit. Rom. Cavebatur enim iis legibus inter alia, *ne populo Romano liceret eam legem abrogare; utque omnes cives jurarent, se suosque liberos eis legibus perpetuo usuros: id si fecerint, propitios habeant, si fefellerint, aversos Deos*. Eo respiciunt Festi verba lib. XVII. *Sacratæ*, inquit, *leges dicebantur, quibus sancitum erat, ut si quis adversus eas fecisset, sacer alicui Deorum esset. Sunt qui esse dicant sacratas, quas plebs jurata in monte sacro sciverit*. Sic etiam Livius lib. III. *Tribunos vetere jurejurando plebis, quum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse*. Illud etiam ex rescriptis veterum est manifestum *Q. Metellum Numidicum in exilium ivisse, quod jurare nollet in legem Apulejam Agrariam*, de qua paullo ante dixi, quemadmodum notant Appianus lib. I. bell. Civil. Florus Epit. Livii lib. LXIX. Clausulam enim *Juramenti præstandi* adjecerat Legislator L. Apulejus Saturninus: unde patet *juramentum illud non fuisse ordinarium, neque in omnibus legibus locum habuisse, sed tunc demum, quum in eadem lege de juramento præstando inter alia cautum esset*. Apud Athenienses juramentum illud *generale* fuit; id est *jurabatur in omnes leges latas*, ut scribit Stobæus cap. XI. Dio tamen lib. XXXVIII. universale quid etiam apud Romanos hac in re observatum fuisse non obscure innuit: ait enim absque ulla exceptione solitos fuisse Romanos *suas leges sacramento confirmare*; & quod in legem Agrariam Juliam Q. Metellus Celer, Cato minor, & M. Favonius Catonis imitator *jurare noluissent, tandem pœnas veritos postero die, ne ultima paterentur, jusjurandum præstitisse*. Legendi Livius lib. XLV. & Polybius lib. VI. Hæc de *Juramento*.

24 Quod ad Legis jam latæ *conservationem*; moris apud Romanos fuisse lego, ut perlata jam lex *in æs incideretur*, atque in *loco publico conservaretur*. Docet Cicero lib. I. Philipp. *Quod erit ita gestum id lex erit, & in æs incidi jubebitur*. Æris cum hac in re mentionem facit Ovidius lib. I. Metamor. p. V.XCI.

Nec verba minantia fixo Ære legebantur.

Intelligit sæculum illud aureum, quod sub Saturno Aboriginum rege fuit, nullas fuisse leges, non opus fuisse sculpi ære minantia legum verba, quum sancte omnes & incorrupte viverent; quum nemo alteri fraudem faceret vel injuriam. Lux ab hoc ritu Venulejo Saturnino J. C. in l. VIII. D. ad legem Juliam peculatus: *Qui tabulam*, inquit, *æream legis, formamve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Julia peculatus tenetur*: ubi nonnullæ editiones legunt *æneam*. Sic Cicero multis verbis Philipp. III. conqueritur. *Antonium falsas leges C. Cæsaris nomine & falsa decreta in æs incidenda & in Capitolio figenda curasse*. *Æreis* igitur *tabulis* leges insculpebantur. Hinc patet mendum esse in Pomponii J.C. verbis, quæ exstant l. II. §. IV. D. de orig. jur. ubi sic scriptum: *Postea ne diutius id fieret, placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges ab Græcis civitatibus, & Civitas fundaretur legibus, quas in tabulas Eboreas perscriptas pro Rostris composuerint, &c.* vel enim memoria lapsus Pomponius quum scriberet, leges XII. tab. *tabulis eboreis* fuisse propositas; vel lapsu temporis mendum in ea verba irrepsit. Legendum enim omnino pro *eboreas æreas*. Nam leges XII. *tabulis æreis* fuisse propositas disertis verbis notant Dionys. Hal. l. X. & Livius l. III. Secabatur autem lex, prout prolixa erat & multorum capitum, *in tot tabulas*, quot erat vel necesse vel commodum. Hinc manavit extra omnem controversiam *lex XII. tabularum*: non ut nonnulli volunt, *quod XII. tantum essent leges*, vel ut alii paullo melius sentientes, *quod harum legum duodecim essent capita*; sed quod *duodecim essent æreæ tabulæ*; quibus leges Decemvirales erant perscriptæ. Sic Sex. Pompejus Festus l. XV. de verb. signif. nominat *secundam legem ex secunda tabula legum Numæ Pompilii*. Sic enim inquit: *Reus nunc dicitur, qui caussam dicit, & item qui quid promisit, spopondit, ac debet*. Et paullo post: *Reus stipulandi est idem qui adstipulator dicitur; quippe suo nomine ab altero, qui stipulatus est, non is qui alteri adstipulatus est. Reus promittendi est, qui suo nomine alteri quid promisit, qui ve pro altero quid promisit. At Capito Attejus in eadem quidem opinione est, sed exemplo adjuvat interpretationem. Numa in secunda tabula secunda lege, in qua scriptum est. Quid horum fuit unum judici arbitrove reove, eo die dissensus esto &c.* Ex quibus verbis illud facile est colligere, Leges non solum *in aliquot tabulas æreas* fuisse distinctas; verum etiam in singulis tabulis fuisse *numeris distinctas*: unde hic apud Numam, prima, secunda & sequentes leges *secundæ tabulæ*. Suetonius etiam non obscure commendat & laude extollit factun Vespasiani, quod restitutionem Capitolii post conflagrationem adgressus *ærearum tabellarum tria millia*, quæ simul una cum pulcherrimo ædificio combusta erant vel saltem incendio vastata, *restituenda susceperit*, undique investigatis exemplaribus. *Ipse restitutionem*, inquit Suetonius in ejus vita cap. VIII. *Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam exstulit; ærearumque tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus. Instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum confecit: quo continebantur pene ab exordio ur-*

bis Senatusconsulta, Plebiscita de societate & fœdere &c.

Tabulas autem has æreas *publico loco* poni solitas antea obiter dixi: ponebantur autem *nunc hoc, nunc illo loco;* plerumque vero *in Capitolio*, quemadmodum testantur cum alii, tum Cicero Philip. III. & Suetonius in Vespasiano cap. VIII. verbis iis, quæ jam recitavi, quibus docet *in Capitolio fuisse infinitas tabulas æreas, quæ continebant & sancte quasi conservabant* (nam quod in *ære sculptum* mutari malevolentia quorundam non potest) omnes leges, omnia Plebiscita, S. Cta. decreta publica, Fœdera & id genus alia. Figebantur autem hæ Tabulæ *ad parietes clavis ferreis*, ne facile refigerentur. Plautus in Trinumo Act. IV. Sc. III. v. XXX. ubi Stasimus servus non serviliter senem Dominum sic adloquitur: *Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam, magis queis sunt obnoxii, quam parentes liberis. Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis, ubi malos mores adfigi nimio fuerat æquius.* Et illud proprie dicebatur, Leges *Figere*, quemadmodum, *Refigere*, quoties abrogatæ parietibus, ruptis clavis, detrahebantur, ut apud Virg. VI. Æn. v. DCXXII.

—— *Qui leges fixit pretio atque refixit.*

Ponebantur autem publico loco in eum finem, *ut ab omnibus civibus cognoscerentur*, ne quis prætenderet, ut hodie loquuntur Practici, illarum ignorantiam. Nam quod publico conspicitur loco, id a nemine ignorari debet. Indicat autem finem hunc Pomponius in l. II. §. IV. D. de origine jur. *Quas leges in tabulas eboreas* (legendum monui *æreas*) *perscriptas pro Rostris composuerunt, ut possint leges apertius percipi* &c. Sic igitur publico loco, æreis tabulis leges adservabantur. Cicero tamen l. III. de LL. conqueritur *nullam legum custodiam haberi; easque leges esse, quas apparitores voluerint a Librariis peti; publicis litteris consignatam memoriam publicam non esse.* Quæ intelligenda censeo de legibus iis, quas *publice sciri* non magnopere referebat. Tales enim *ab Ædilibus* adservari solitas docet Pomponius JC. in l. II. §. XXI. D. de orig. jur. *Itemque*, inquit, *ut essent qui ædibus præessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt, qui etiam Ædiles appellati sunt.* Livius tamen l. III. Ædiles creatos scribit, *non ut plebiscita, sed Senatusconsulta conservarent; ut scilicet ea ad ædem Cereris deferrentur, quæ antea Consulum arbitrio supprimebantur.* Dionysius lib. VI. neutrum de Ædilibus notat; neque Plebiscita, neque S Cta. ab iis adservari solita, sed in eum finem creatos, *ut Tribunis subministrarent, Judicesque essent quarundam controversiarum*, tum etiam sacra & publica loca, item annonam curarent. Quod verius puto; & leges, S Cta. Plebiscita aliaque id genus loco publico *vel in Capitolio*, vel *in foro vel alibi* fuisse conservata, parietibus, ut dixi, *clavis ferreis adfixa*. Postremo loco in iis, quæ universim de legibus præmonenda, notandas censeo formulas quasdam loquendi, quæ in legum historia usurpatæ fuerunt. Eæ paucis verbis hoc modo ab Ulp. tit. I. Inst. §. III. his verbis explicantur: *Lex*, inquit, *aut rogatur, id est fertur; abrogatur, id est prior lex tollitur; aut derogatur, id est pars primæ tollitur; aut subrogatur, id est adjicitur aliquid primæ legi; aut obrogatur, id est mutatur aliquid ex prima lege.* Sic Lactantius lib. VI. cap. VIII. *Legi divinæ nec subrogari* (sic enim legendum, non *propagari*) *fas est, neque derogari ex hac aliquid licet; neque tota abrogari potest.* Modestinus in l. CII. de verb. sig. *Derogatur legi aut abrogatur; derogatur quum pars detrahitur; abrogatur legi, quum prorsus tollitur.* Est etiam *Obrogandi* verbum, quod magis ad *Abrogationem*, quam ad *Derogationem* pertinet. *Obrogare*, inquit Festus, *legis prioris infirmandæ caussa legem aliam ferre. Opponitur enim Rogationi Rogatio; derogatione vero de ea rogatione quid tollitur: abrogatione antiquatur atque amovetur, quod rogatum erat.* Cicero lib. III. ad Attic. in sanctione quadam abrogationis legis Clodiæ: *Si quid in hac Rogatione scriptum est, quod per leges plebisve scita promulgare, abrogare, derogare, obrogare sine fraude sua non liceat, non licuerit quoque ei qui promulgavit, abrogavit, derogavit, obrogavit, ob eam rem pœnæ multæve sit &c. ea hac lege non rogantur.* Et hæc de *legibus universim*: flagitat jam ordo, ut *specialem Legum Romanarum historiam* ordiamur.

CAP. II.

1 *Specialis legum enumeratio partim regiæ, partim liberæ reip.*
2 *Explicatio legis*: sei patronos clienti fraudem faxit.
3 *Verbi* patronos *sensus*.
4 *Explicatio legis*; sei noros parentem verberit, ast ole plorasit, sacra Diis parentum estod.
5 *Sententia ejusdem*.
6 *Aliæ pertinent ad jus sacrum, aliæ ad profanum: illius sex sunt numero.*
7 *Quarum prima de Deorum cultu.*
8 *Secunda de murorum urbis sanctitate.*
9 *Tertia de asyli jure.*
10 *Quarta de auguriis ante opera publica captandis.*
11 *Quinta de munerum inter reges, patricios, & plebejos partitione.*
12 *Sexta de populi jure.*

1 SPeciatim Leges examinabo partim *Regias*, ut *Romuli*, *Numæ Pompilii*, & *aliorum*, quæ in unum corpus conlectæ *Juris Papiniani* appellatione cœperunt esse nobiles: partim autem *liberæ reip.* De Legibus *Regiis* priore loco agendum. *Reges* Romanis fuerunt *septem*, quorum primus *Romulus Silvius*, Martis, patris putativi, & Reæ Silviæ Vestalis virginis Filius. Hic primus fuit Romanorum Legislator aliquanto tempore postquam regnum est adeptus. Nam ut Pomponius J. C. in l. II. D. de orig. Jur. §. I. *Initio Civitatis Romanæ populus sine lege certa, sine jure certo primum agere instituit, omniaque manu a Regibus gubernabantur.* Quæ tamen quam imperite ab J. Cto. vel Pomponio, vel alio, quicumque tandem legis sit auctor, scribantur, nemo non, modo in historia Romana quodammodo sit versatus, videt. Nam quid illud, *Populum Romanum initio civitatis suæ sine certa lege, sine certo jure agere instituisse; omnia manu id est potestate a regibus administrata fuisse: Postea autem Romulum* (sequuntur enim illa ibi) *aucta ad aliquem modum civitate leges Curiatas tulisse* &c. Qui enim *reges isti ante Romulum*, quorum manu Romanæ Civitatis omnia gubernata, quum ex omnium scriptorum monimentis constet, *Romulum Regem fuisse primum*; atque adeo hunc Romæ fundamenta posuisse, urbis Romæ esse parentem & conditorem, urbique a se nomen imposuisse? Unde apparet, meram in principio istius legis, ut & multis aliis locis, esse ἀνιστοριογραφίαν. Hoc satis constat, *Romulum primum fuisse*, qui civibus Ro-

manis noviter a se ex multis gentibus collectis *leges & jura* præscripserit. Testantur Dionysius l. II. Livius l. I. Plutarch. in Problemat. Cicero l. II. de Nat. Deor. Zonaras tom. II. & alii. Quales autem fuerint hæ Romuli leges, quæque nonnullarum ex earum numero fuerit sententia, scire aliquo modo licet ex laudatis a me scriptoribus; quibus autem fuerunt conceptæ verbis, sciri nullo modo potest: nisi quis censeat hoc colligi posse ex duobus legis Romuli fragmentis, quæ apud Festum & Servium jam indicabo: hoc certum, *vetustissima lingua latina* leges Regias fuisse conscriptas. Nam quæ nobis nunc in usu Latina lingua, non est vero *primigenia*, sed *ab ea prognata*; varias enim passa est mutationes. *Prima*, quam *Priscam* vocare licet, quæque haud absimilis *Doricæ* perhibetur fuisse, vetustissimis Italiæ populis fuit usurpata sub primis, quicumque illi fuerint, regibus. Ejus reliquiæ quædam servantur hodieque apud Grammaticos Varronem, Festum & alios cum in quibusdam, inconditis sane parumque intellectis, Saliorum antiquorumque vatum Carminibus, tum singularibus aliquot Dictionibus; quemadmodum nonnulli notant Critici, & si quid mihi inter illos loci Ego ad lib. I. Annal. Ennii. Expurgatior facta *Latinæ* nomen acquisivit ab *Latino* rege, quod nonnulli volunt; vel ut alii *ab Latio*, ubi ejus præcipue erat usus: qualis illa fuerit, cognosci potest ex *ruderibus legum Regiarum*, & *fragmentis* XII. *tabularum*, nec non ex *Inscriptione Duilii*, quæ hodieque visitur Romæ mutila. Et hæc cultior reddita ab Romanis, merito *Romanæ* nomen est nacta: quam varie tamen, aliis alii, prioribus posteriores semper felicius, maxime coluerunt. Irrepsit postremo loco *mista*; quam aucto imperio & libertate amissa, constituerunt cum ipsi *cives Romani*, tum *varii populi* in jus Civitatis & usum Latini sermonis admissi. His de quadruplici lingua Latina præmissis, quarum secunda patebit magis in legum cum *Regiarum*, tum *Decemviralium*, vel XII. tabularum explicatione, tempus est ut *ipsarum legum*, quæ *ab Regibus* latæ, historiam aggrediar. Romulum varias tulisse leges jam dixi ex Dionysio, Livio, Plutarcho, Cicerone & aliis. Earum omnium, excepto unius aut alterius tantum fragmento, verba nobis perierunt; sententia vero qualis fuerit maximæ partis, ex variis notabimus auctoribus. Inter eas leges Romuli, quarum fragmenta nondum perierunt, priore loco occurrit lex illa, quam rex scripsit de *Patronis & Clientibus*, his, ut mea quidem est sententia, verbis: SEI PATRONOS CLIENTI FRAUDEM FAXIT, SACER ESTOD. Citat hoc fragmentum Servius ad l. VI. Æneid. ad Virgilii illud v. DCXIX. *aut fraus innixa Clienti*. Ex lege inquit XII. tabularum venit, in quibus scriptum est: *Si Patronus Clienti fraudem fecerit*, &c. Mirabitur aliquis, quur fragmentum hoc *Romulo* adscripserim, quum Servius laudet *ex legibus* XII. *tabularum*. Caussas habui varias. Primam quidem quod aliquando viderim Manuscriptum Servium, in quo disertis verbis locus a me citatus ita concipiebatur auctior: *Ex lege Romuli & XII. Tabularum hoc venit, in quibus sic scriptum est. Si Patronus Clienti fraudem faxit, sacer esto.* Deinde usus sum aliquando in Galliis doctissimo Scriptore Calpurnio Pisone, qui sub Trajano principe scripsit *de continentia veterum poetarum* duos libros, quos aliquoties, petitis aliquot fragmentis, non uno loco cito in Commentario ad meum Ennium. In eorum librorum Calpurnii priore notatum legi, *Injuriam & fraudem a Patrono Clienti factam legibus Romuli vindicari*; verbis tamen legis non adscriptis. Ter-

A tio, quod didicerim ex Dionysio & Livio, Romulum *jura inter Patronos & Clientes constituisse*, quemadmodum postea in legis explicatione audiemus. Ne autem quis miretur, legem hanc Romuli repetitam fuisse *in* XII. *tabulis*, notandum semel, plerasque *Regum Romanorum leges*, præsertim illas, quarum æquitas manifesta fuit, postea *a Decemviris in* XII. *tabulas* fuisse relatas, id quod præter alios testatur Dionysius Halicarnass. cui subscribunt viri doctissimi hoc tempore Jacobus Cujacius & Josephus Scaliger; digni, quorum hac de re verba audiamus. Sic igitur Cujacius lib. III. Observat. cap. XL. *Constat*, inquit, *ex Halicarnassæi lib.* II. *&* X. *ex legibus Regiis & ex moribus*

B *populi Romani multas Decemviros leges in* XII. *tabulas transtulisse, hoc censente populo. Quamobrem existimo & illas Numæ leges de eo, sciens qui hominem liberum mortei dicit, & de pœna Pellicis, & de homine, qui fulmine occisus, & de termino exarato a Sex. Pompejo Festo relatas* XII. *tabulis adscribendas esse*. Scaliger autem in Castigationibus ad Festum in voce *Nuptias* post alia, quæ confirmandæ huic sententiæ in medium attulerat, ita concludit: *Ex his non dubium est, leges Regias in* XII. *Tabulas ab Decemviris conjectas fuisse; & prima, secunda, tertia Tabula leges Regias*

C *contineri. Quia etiam leges Regias de Patria potestate in quartam Tabulam relatas auctor est Dionysius.*

2 Ait igitur Romulus: SEI PATRONOS CLIENTI FRAUDEM FAXIT, SACER ESTOD. Primum obiter *verba* explicabo, deinde *sententiam* legis aperiam; quod in reliquis etiam sum observaturus. SEI scribendum curavi; veteres & Latini I *vocalem* natura longam in scribendo vel producebant in longitudinem velut duplam, vel per diphthongum EI exprimebant. Notat Priscianus, qui addit *veteres semper* EI *scripsisse, sequentem ætatem* I

D *productum.* Quod tamen non usquequaque verum. Loquuntur enim veteres Inscriptiones, *promiscuam antiquis fuisse scribendi hanc rationem*. Hinc in Columna Duilii vetustissima: *Castreis & Socreis* legimus; neque minus *Primos* & *Carthaginien* SEIS. Plura tamen sunt scriptorum & lapidum testimonia, I illud longum per EI fuisse scriptum & per EI pronunciatum. *Scriptum* inquam, quod, ut unum aut alterum marmor indicem, vetustissimi lapides testantur vel tabulæ, quæ hodieque in urbe Roma; in quarum una: EIQUE OPEREI DIEM DEICITO: alia: QUANTA EEI PRÆCONEI VIATOREI DARE OPORTEBIT: tertia: QUOD EJUS

D AGREI LOCEI PUBLICUM POPULEI ROMANEI ERIT. Alias inscriptiones prætereo. Addidi pronunciatum I longum, ut EI. Sonus enim ejus diffusus & latus; quem uti quis formet, *os laxius est aperiendum & cum conatu, inferiore mandibula nonnihil in latus flexa*. Pronunciant etiam nunc recte, soli pene omnium Europæorum, *Britanni*; quorum est REGEINA, AMEICUS, VEITA. Recte dico. Nam revera non aliud insonuit hæc longa, quam EI diphtongum. Sequentibus temporibus Grammatici præcepta de hac littera tradere sunt conati; *ut scilicet plurali numero Puerei, Amicei, & talia scriberentur: singulari*

F *autem hujus pueri, amici, item* ILLI, *dativo casu sine* E; *sed* ILLEI *nominativo plurali per eamdem*. Quod præcipiunt non alia re, quam *ad discrimen*. Legendi Varro apud Terentium Scaurum in Orthographia & Lucilii versus apud Quintilianum & Victorium: versus Lucilii sunt tales, ex sat. l. IX.

Jam puerei venere, E *postremum facito atque* I,
Ut plures puerei fiant: I *si faci, solum*.

Pupill I *Puer* I, *Lucill* I, *hoc unius fiet.*
Hoc ill I *factum est un* I, *tenue hoc facies* I.
Hæc Illei fecere, addes E *ut pinguiu' fiat.*
Meille hominum, duo Meillia, item hinc utroque opu'; meiles
Meilitiam tenues I. *Pilam qua ludimu',*
Quo pinso tenues I. *Plura hæc si feceri, Pilum Peila*
Quæ jacimus, addes E *Peila ut pleniu' fiat,*

Hæc ad illustrationem primæ vocis SEI in Romuli lege erant dicenda; quæ in sequentibus non repetam. Sæpe enim cum in Regiis legibus, tum XII. tabulis similia occurrent: Itaque semel monuisse sufficiat. Ait Romulus: SEI PATRONOS. Antiquissimis Latinis hoc erat familiarissimum, ut *o* litteram usurparent *pro u non solum brevi sed longa*; & quin passim litteras *o & u* inter se commutabant, ob soni vicinitatem, ut alibi plenius dicam opportuniore loco. *Si Patronos Clientei fraudem faxsit:* Quum litteræ *X durus esset sonus & mistus* ex *C & S*; veteres sæpe alteram illi litteram jungebant: hinc in antiquis lapidibus illa sæpe est legere, *vicxit juncxit*; item *Cappadoxs, Conjunxs* & similia. Sequitur in lege: SACER ESTOD. veteres *D* litteram adscripsisse semper vocibus, quæ in *o* vocalem terminabant, si vel periodum finirent, vel vocem aliam ab vocali incipientem præciderent, testantur antiqui lapides, præsertim columna Duilia. Testantur idem veteres Plauti editiones. Quin in Columna Duilia animadverti, omnibus fere vocibus, quæ in vocalem quamque terminabant, litteram hanc fuisse adpositam, etiam ubi aliæ voces sequebantur, quibus initium erat a Consonantibus. Hinc ibi *pugnandod cepet*: item *in altod marid pugnarit*: & *navaled prædad poplo* & similia. Hæc de vocibus vel verbis legis. Quod ad *Sententiam*

3 Scribit Dionysius lib. II. *quum Romulus universum populum Romanum in Patricios & Plebejos divisisset, eundem Patriciis Plebejos commendasse, optione cuique e vulgo data, ut quem vellet patronum sibi legeret.* Inter alia doctus scriptor, conferens morem illum ab Romulo institutum cum Thessalorum & Atheniensium priscorum instituto, sic scribit: *Romulus hoc negocium appellatione decora cohonestavit, tutelam pauperum Patronatum nominando: addidit etiam utrisque commoda officia, excogitata civili & perhumana copula.* Enumerat deinde officia, quæ Clientibus Patroni debebant, sic inquiens: *Patronos oportebat Clientibus respondere de jure, cujus illi rudes essent, & absentium æque ac præsentium curam gerere; facientes quidquid pro filiis parentes soliti facere, sustinere item Accusatorum impetus; & quietem iis, qua maxime opus habebant, parare a privatis publicisque negociis.* Addit deinde, quæ *Clientum* fuerint erga Patronos munera: *vicissim Clientum erat Patronos juvare elocantes filias, si his parum esset pecuniæ, & ab hoste captivos redimere vel ipsos, vel eorum filios, privatarum quoque litium perditarum æstimationes, & multas publicas pecuniarias pro iis solvere, idque sumtu proprio, non quasi fœnoris loco, sed ob referendam gratiam: publicorum quoque impendiorum, quæ magistratuum honorumve caussa fiunt, esse participes, non secus quam conjunctos genere.* Talia ex veteri instituto exspectabant *Clientes* a *Patronis*, talia vicissim a *Clientibus Patroni*. Exponit denique, quid utrisque fuerit commune. *Commune*, inquit, *utrisque erat, ne fas esset alteris accusare alteros, aut adversum dicere testimonium, ferreve suffragium, aut censeri inter inimicos: quod si quis deprehensus esset aliquid horum facere, tenebatur*, inquit Dionysius, *Lege de Proditoribus,*

A *quam sanxit Romulus, convictumque ejus criminis, cuivis licebat, ut Diti sacrum, interficere: & quæ plura sequuntur.* Quæ postrema Dionysii verba mirum est, quantam lucem adferant Romuleæ legi, de qua sermo jam mihi. Ait enim: *Sei patronos Clientei fraudem faxsit sacer estod.* Pars proculdubio legis istius, quam prudentissimus rex sanxit de *Patronis & Clientibus*. In qua, ut mihi quidem est verisimile, *primo loco* descripta fuerunt *Patronorum officia* quæ Clientibus debebantur; *deinde Clientum*, quæ Patronis; *tertio loco*, quæ & *Patronis & Clientibus fuerunt communia*; *quarto*, quæ *pœna futura* esset, si Patronus in Clientibus

B juvandis fraudem fecisset; *quinto* denique, quæ pœna Clientes maneret, si fraudis vel doli in Patronis juvandis essent convicti: ut *quinque* videantur fuisse legis partes, quarum quarta tantum *de Pœna Patroni Clientem fallentis* superest conceptis verbis apud eos Scriptores, qui a me laudati.

Ait igitur: *Si Patronus Clienti fraudem faxit:* Si rogatus de jure Clienti sancte & bona conscientia non responderit; si vel absentis vel præsentis curam non gesserit; si pro illo, quidquid parens facere solitus pro filio, non fecerit; si contra adversarium non defenderit; si quietem illi a privatis publicisque negociis non pararit; si Clientem ac-

C cusarit; si testimonium adversum eum dixerit vel suffragium tulerit. Hæc enim omnia in hac quæstione *fraudis* appellatione comprehendebantur. Nonnihil etiam hac de re legere est apud Agellium lib. V. c. XIII. ubi scribit, *antiquis populi Romani moribus comparatum fuisse, ut clientem in fidem receptum chariorem haberent quam propinquos, eumque etiam adversus hos tuerentur: quin & licuisse patronis testimonium pro Cliente adversus cognatos dicere, adversus Clientem non licuisse.* Propter sanctissimam inter Patronum & Clientem necessitudinem maximam laudem fuisse notat Ha-

D lic. nobilium Romanorum, *habere Clientes quam plurimos, tam hæreditarios quam propria virtute partos. Ingensque certamen erat*, inquit idem Dionysius, *utrisque, ne vincerentur mutua gratia & benivolentia, dum Clientes malum negarent Patronis ministerium, vicissim Patroni nullo corrumpi possent pretio, ut Clientes molestari sinerent. Tanta illis erat in omni vita temperantia, & felicitatem virtute, non fortuna metiebantur.* Obiter hic addo ex eodem Dionysio, non tantum *in ipsa urbe* plebem fuisse tutam Patriciorum patrocinio; sed & *in Coloniis & Municipiis*: quin, quod magis, *quasque Colonias, amicas item & socias, atque*

E *adeo bello subactas civitates* suos habuisse Romæ *patronos*: quodque sæpenumero Senatus Controversias civitatum & gentium ad earum Patronos remiserit, eorumque judicia rata habuerit. Hujusmodi *Patronorum Coloniarum* frequentissima mentio in Inscriptionibus. Sequitur in lege Romuli, SACER ESTOD. verba hæc quid sibi velint, fusius sic explicat Dionys. *Quod si quis deprehensus esset aliquid horum facere, tenebatur lege de Proditoribus, quam sanxit Romulus; convictumque ejus criminis, cuivis licebat, ut Diti sacrum, interficere. Mos enim erat Romanis, quos vellent impune occidi, eorum corpora devovere Deo cuipiam,*

F *præcipue Diis inferis, quod fecit Romulus.* Quæ perspicue docent, quas vires habuerint hæc verba, *sacer esto*, quem scilicet Diis inferis jam consecratum & mancipatum impune quovis loco, quovis tempore, cuivis, quocumque modo licebat occidere; quam hujus vocis vim hoc modo etiam docet Festus; *Sacer homo est*, inquit, *quem populus judicavit ob maleficium, quemque non fas est immolari, sed qui eum occidit, parricidii non damnatur.* Idem paullo post; *Quivis homo malus atque impro-*

improbus Sacer appellari solet. Hæc de *priore* legum Romuli fragmento: sequitur alterum.

4 Ait Romulus: *Sei Noros parentem verberit, ast ole plorasit, Sacra Diveis parentum estod.* Citat Fragmentum hoc Festus in voce *Plorare*, turbatiore tamen ordine: verba prius recitabo, deinde quo modo, quoque ordine sint constituenda & legenda indicabo. *Plorare*, inquit, *flere, inclamare, nunc significat; & cum præpositione implorare, id est invocare: at apud antiquos, plane inclamare. In Regis Romuli & Tatii legibus, Si nurus sacra Divis parentum esto: & in Servii Tullii hæc est: si parentem puer verberit ast ole plorasset parentes puer Divis parentum sacer esto, id est clamavit, dixit:* verba intricatissima & ordine turbatissimo collocata. Fulvius Ursinus arbitratur quæ *de Nuru* adjecta sunt, falso adscripta esse, ideoque inducenda. Josephus Scaliger sic restituit: *In Regis Romuli, Tatii & Servii Tullii legibus hæc est: Sei parentem puer verberit, ast, oloe plorassit, puer Deiveis parentum sacer esto: Sei Nuros, sacra Divis parentum esto*. Ego ita apud Festum emendandum & distinguendum; verbaq; tali ordine locanda censeo: *In Regis Romuli & Tatii legibus hæc est: Sei Nuros parentem verberit, ast ole plorasit, sacra Diveis parentum estod. In Servii Tullii hæc est. Sei puer parentem verberit, ast ole plorasit, puer Diveis parentom sacer estod*. Verba prius explicabo legis, deinde sententiam, ex qua manifesta erat legis & verborum Festi emendatio. *Sei Noros*, inquit: Quum *V littera vocalis* in multis vocibus adsonaret *litteram vocalem* O, ut in *Frundes, Fundus, Diderunt, Servum, Maritum, Æternum* & similibus; caussa fuit, quod priscis sæpe O in iis scriptum fuerit vel sculptum: hinc in Inscriptionibus *Lavationem in perpetuom dedit*: Alia, *Ære moltati*: alia item, *souum mareitom* & similia: hinc item factum, quod passim litteras hasce inter se veteres commutarint, quum diceretur ab illis *Epistola* vel *Epistula*, *Numenclator* vel *Nomenclator*, *adolescens* vel *adulescens*. Illa magis nova in antiquis Inscriptionibus observare licet, *Floviom* pro *Fluvium*, *Detolerit* pro *Detulerit*, *Noros* pro *Nurus*, *Aorelius* pro *Aurelius*. Exempla tam crebra occurrunt, ut *V ante R* videantur omnino pronunciasse & scripsisse *ut O. Sei Nuros*, inquit Romulus, *parentem verberit: verberit*, positum pro *verberaverit*, per duplicem synæresin & contractionem. Dicebant enim *verberaverim, verberarim, verberim, verberis, verberit*. Eodem plane modo *vindicit* pro *vindicaverit*. Ajebant enim *vindicaverim, vindicarim, vindicim, vindicis, vindicit*. In his igitur & similibus *duplex est Contractio*. Sunt alia, in quibus simplex *συναίρεσις*, ut *fecit* pro *fecerit*, *exarasit*, pro *exaraverit*, S enim ponitur pro *R. Ast ole plorasit*. *Ole* pro *Ille* in qua voce primo O pro *I* ponitur; deinde secundum cascorum Latinorum ritum & consuetudinem consonans non geminatur, ut postea dicetur. Sic ab *ole*, pluralis antiquus apud Festum *Oloe*, & inde ablativus *oloes*, illis. Sic enim Festus lib. I. vel potius ex Festo Paullus Diaconus *Ab oloes dicebant pro ab illis. Antiqui enim litteram non geminabant*. *Oloe* autem nominativus pluralis, quemadmodum apud eumdem Festum: *Pilumoe poploe in carminae Saliari, Romani, velut pilis uti adsueti, vel quia præcipue pellant hostes*. *Plorasit*, vox ejusdem, cujus paullo ante indicavi, naturæ *exarasit*. *Ploraverim, plorarim, ploraris, plorarit*, & mutata r in s *plorasit*. S usurpatum fuisse ab antiquis pro *R* docent infinita. Eorum enim *Asæ* sunt pro *Aræ*; sic *Fusii*, Furii; *Valesii* Valerii; *Papisii* Papirii; hinc hodieque *Odos, Vapos, Arbos, Robos*, & ab iis secundum analogiam *Odosem, Vaposem, Arbosem, Robosem* apud Festum. Ejusdem generis apud Quintilianum *Clamos* & *Passes* pro *Clamor* & *Passer*. Hæc litterarum *R* & *S* commutatio hodieque Parisiensibus matronis & virginibus non inusitata: illarum enim sunt *mon pese, ma mese, mon frese, a Pasi* & similia. Reliqua secundi hujus fragmenti patent ex priore.

5. Dixi de *verbis legis*: sequitur *Sententia*. Sic igitur ait in hac sua lege Romulus: *Sei Noros parentem verberit, ast ole plorasit, sacra Diveis parentum estod.* Vult hac lege Romulus meo quidem judicio, ut Nurus, quæ socero suo fecerit injuriam verbis vel factis, conviciando, pulsando, verberando, puniretur; neve hoc illi esset impune. Quur hoc magis de *Nuru* constituerit, quam *de filia filiove parentem verberante*, variæ possunt esse caussæ: inter eas cum prima, quod scelus illud in veram & naturalem prolem minime casurum fuerit opinatus; vel saltem quod nullum ejus rei exemplum esset. Nam in civitate leges latæ ante scelera *non raro scelera ipsa nondum nata vel nota, vel si fuerint nota, sed mortua & consepulta, solent exsuscitare*. Hanc fuisse caussam perhibent veteres Scriptores, quur Solon etiam de *parricidiis* nullam tulerit legem, ne admonere videretur de eo, quod antea factum non esset. Sic nec Lycurgus quidquam *de adulteriis* cavit, quod id facinus incognitum adhuc esset sua ætate, saltem in populo, cui leges ille scribebat, id est Lacedæmone. Mature satis post scelera rogantur leges; verum enim illud, *Omnes bonas leges ex malis moribus solere nasci*. Quod autem hæc Romulus sanxerit in *Nurum*, exemplum factum exstabat ejus rei in urbis Romæ incunabulis. Nurus forte ferociorem sese gesserat in Mariti sui, a quo rapta erat, patrem: alioquin non video, quam ob caussam Romulo venisset in mentem sanciendi legem hanc *in Nurum*; nisi forte etiam de naturalibus liberis tale quid præcesserit, quod ob caussam jam indicatam non credo: *Si* igitur *Noros parentem verberit*. *Nurus* Adfinitatis vox. Affinitas nihil aliud quam *necessitudo inter conjugem & alterius conjugis cognatos. l.* IV. §. III. D. de affinib. Estque duplex, *Propinqua* vel *Remota*, quamvis re ipsa nulli sint gradus affinitatis. *Propinqua affinitas* habet *duo genera*: primum quod per unam personam contrahitur: *secundum* quod duabus personis intercedentibus. *Remota* illa, quæ tribus vel pluribus intercedentibus contrahitur. Exempla apud J Ctos. & passim in genere humano. Adfines item sunt vel *supra*, vel *infra*, vel *ex latere*: supra sunt Vitricus, Noverca, Socer, Socrus, Prosocer, Prosocrus, Absocer, Absocrus, & reliqui adscendentes, qui omnes *parentum* loco. *Infra* sunt Gener, Nurus; Progener, Pronurus; Privignus, Privigna; & alii qui *liberorum loco*. *Ex latere* sunt Lenio, Glos, Sororius, Fratria. Ex his facile intelligitur, quur Nurus dicatur Parentem verberare. *Parens* enim hic Socer, qui, quod marito præest, *patris etiam* illi censetur loco; illaque Socero, *filiæ* instar. *Si igitur Noros parentem verberit*, id est si illa, quæ nupsit alicujus filio, ejusque parentem suum socerum verberarit, vi & facto injuriam fecerit: *Ast ole plorasit*. *Plorare* exponit Festus in hoc legis fragmento *clamare dicere*: *si plorarit*, si clamarit, si dixerit, id est si tam atrocia fuerint verbera ab nuru illata, ut parens vel socer coactus fuerit *clamore testari se verberatum*, gravique & reali injuria adfectum, vel ut etiam coactus fuerit socer *dicere*, id est, ut exponendam vocem hanc censeo, de hac suæ nurus atrocitate conqueri apud Judicem. Quid fiet? quæ judicum futura sententia? Ex lege Romuli: *Sacra Divis parentum estod*; id est, ut jam exposui vocem *sacra*, permissum sit unicuique talem

hanc Nurum, consecratam jam Diis sui Soceri suæque Socrus, sicque morti adjudicatam, impune quocunque loco, quocunque tempore occidere. Dura lex; sed qua eique similibus opus erat in novo & ferociore populo.

6 Eo igitur modo sese habent leges Romuli, quæ, quibus conceptæ fuerunt ab ipso rege verbis, ad nos variorum scriptorum beneficio pervenerunt: Quia vero manifestum est & satis constat ex veterum auctorum monimentis, Romulum præter illas duas *de Patronis & Clientibus*, & de *Nuru Socerum verberante*, multas alias tulisse, quarum tamen verba perierunt injuria temporum, sententia vero salva adhuc & integra est in antiquorum scriptis; operæ precium fore putavi eas etiam hinc inde in unum quasi locum conquirere, meisque verbis conscriptas vobis explicare: quod observaturus etiam in aliorum regum legibus, post explicatas, quarum adhuc verba exstant. Duabus igitur istis, quas priscis & solemnibus verbis conceptas de *Nuru Socerum verberante*; item de *Patronis, & Clientibus* paullo ante audivimus, addendæ sunt aliæ *sedecim* numero, meis verbis ex Dionysio, Livio, Plutarcho, aliisque petitæ. Earum quædam pertinent ad *Jus Sacrum*, quædam ad *Profanum*. Quæ ad *Jus Sacrum*, sex sunt numero: quarum prima *De Deorum cultu*; quod ad sententiam, sic sonat:

7 *Ne quid Deorum fabulis, in quibus probra eorum & crimina commemorantur, adhiberetur fidei: sed omnes sancte, religiose, casteque de Diis immortalibus, sentirent & loquerentur; nihil quod beatis naturis indecorum adfingentes.* De hac Romuli lege suis verbis ita loquitur Dionys. Halic. lib. II. *Fabulas a majoribus de Diis traditas, probra eorum continentes ac crimina, turpes censuit & futiles; ac ne probis quidem viris dignas, nedum Diis superis: repudiatisque his omnibus ad bene & præclare de immortalibus sentiendum loquendumque cives suos induxit, nihil his adfingi passus beatæ illi naturæ parum consentaneum.* Ait igitur Romulus: *Ne quid adhiberetur fidei Deorum fabulis*. *Fabulas comminisci & scribere* proprium quondam fuit Græcorum. Hi enim quidquid uspiam vel rerum vel actionum esset humanarum, admiranda sui ingenii felicitate *fabularum involucris* obvelabant, ne, quod sapientibus tantum volebant esse servatum, temeritate quadam, si aperte proponeretur, vulgo innotesceret. Ex harum interim fabularum cognitione quantum censerent emanare commodi & utilitatis, vel illud maximum est argumentum, quod divinus ille Plato *primam puerorum eruditionem ab honestis fabulis* incipere jusserit lib. II. reip. *Selectas autem fabulas*, ἐγκριθέντας inquit μύθους, *matres ac nutrices pueris narrare hortabimur, animosque illorum fabulis diligentius, quam corpora ipsa manibus informare*. Hoc satis superque constat, omnia prope Deorum apud Gentes mysteria fuisse ab antiquis sub fabulis occultata. Quum enim *turbæ fœminarum & imperitæ multitudini* religio, Deorum metus, fides, probitas, temperantia esset in animis inserenda, qui neque *Dei naturam* intelligerent, neque *integritatem* rapinæ ac libidini sine aliquo Deorum metu anteponerent, non solum *fabulosæ de Diis narrationes* a sapientibus fuerunt excogitatæ, sed etiam *fabulosæ imagines & picturæ monstris quoque similes* introductæ. Sic *fulmina* Jovi tributa sunt, *tridens* Neptuno, *sagittæ* Cupidini, *fax* Vulcano, ac varia terrorum instrumenta Diis ceteris. Maximam etiam illam fabularum utilitatem notat Dionys. Halic. lib. I. Antiq. Rom. *Neque mihi obscurum esse quis existimet, quod e Græcis fabulis nonnullæ sunt hominibus perutiles: aliæ siquidem sunt, quæ Naturæ opera sub allegoriis contineant; aliæ humanarum*

A *calamitatum habent consolationem; aliæ terrores animorumque perturbationes a nobis opinionesque parum honestas depellunt; aliæ alterius cujuspiam utilitatis caussa fuerunt inventæ.*

Fabulæ vero Græcorum *ad varios fines* fuerunt excogitatæ: nam aliæ *Naturæ secreta continent*, ut illa quod *Venus* e spuma sit genita; quod *Phœbus* Cyclopas occiderit, quodque illi fulmina Jovi fabricarint. Aliæ *Fortunæ inconstantiam declarant*; nosque ad eam forti animo ferendam instruunt, ut ea, quæ de Phœbo dicuntur, quod armenta paverit Admeti. Aliæ *ab impuris opinionibus nos retrahunt*, ut *Lycaonis* fabula. Aliæ *ad deterrendos*
B *homines ab rebus turpibus* sunt inventæ, ut *Ixionis* supplicium apud Inferos. Aliæ *cohortantur ad strenuitatem*, ut ea quæ tradita sunt de *Hercule*. Aliæ *ex avaritiæ sordibus nos retrahunt*, ut sitis *Tantali*. Aliæ *ad deprimendam temeritatem* sunt confictæ, ut calamitas *Bellerophontis*, cæcitas *Marsyæ*. Aliæ *ad virtutes nos exstimulant*, ad *integritatem vitæ*, ad *fidem*, ad *æquitatem*, ad *religionem*, ut *mirifica Elysiorum camporum amœnitas*. Aliæ denique *ab omnibus flagitiis & sceleribus* nos dexteritate quadam avertunt, ut *severissimi Triumviri* apud Inferos singulorum defunctorum animas judicantes, & gravissima sceleratis decernentes supplicia.
C Hanc tantam e fabulis utilitatem capere minime possunt ii, qui altiora fabularum sensa non inspexerint; quique primi corticis admiratione irretiti nihil divinius sub ipso inesse crediderunt. *Tales igitur fines* propositos sibi habuerunt primi isti fabularum scriptores. Quum autem sequentibus temporibus multa alia licenter fuerint adficta, tandem eo ventum est, ut non solum *fœdissima & flagitiosissima de Diis comminiscerentur*; verum etiam non amplius quæ scribebantur, ut fabulas & commenta agnoscerent: sed Deos suos revera tales opinarentur, ut fingebantur. Quid enim absurdius, quam di-
D cere & adseverare Deos fuisse *latrones, sicarios, fures, sacrilegos, prædones, stupratores, raptores, adulteros, incendiarios*; qualia indignum fere esset fingere (nisi probationes luce meridiana clariores accederent) de hominibus, etiam iis, quos mala mens, malus animus ad omne facinus solet exstimulare. Ulterius etiam progressi tantam fuisse jam inde ab initio inter Deos contentionem audent Græci scribere, quantam neque cœlum neque terra capere potuit. Quod si *sceleratum est illum armis persequi*, a quo magnum aliquod beneficium acceperis, profecto *sceleratissimus fuit Saturnus*, qui illum insequutus est, a quo lucis hujus usuram acceperat; ve-
E rum non solum insequutus est, sed etiam captivo partem, qua vir erat, amputavit, ut testatur Ovid. in *Ibim*: v. CCLXXIII. -- *Saturnus ut illas*

Subsecuit partes, unde creatus erat.

Hoc paternum exemplum quum sibi ante oculos ad imitandum *Jupiter* proposuisset, *Saturnum patrem* & ipse armis est insequutus & in Italiam fugere compulit. Virg. lib. VIII. v. CCCXIX.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademtis.

Jam vero quanta fuit Saturni feritas, qui suos filios vorabat? An potest *aurea ætas*, hoc est, *justitiæ, humanitatis, pudicitiæ, æquitatis plena admini-*
F *stratio* sub hoc rege fuisse, qui tam impius in parentes, tam impius in filios suos extitit? Sed neque *Jupiter* quietum regnum possidere potuit, patre pulso; quum Gigantes tamquam paternæ injuriæ ultores in illum conspirarent & pene de regno dejicerent. Quum autem hæc quoque certamina absolvisset, victoriamque fuisset consequutus, non tamen regnum quietum habuit; sed omnes prope Dii finguntur in illum consurrexisse, ut ab adfinibus fuerit pene in vincula conjectus,

quemadmodum legere est apud Homer. lib. I. Iliad. *Cælicolæ voluere Jovem ut vincire Tonantem, Neptunus Junoque & Pallas. Præclarum sane regnum* ac vere dignum, cujus *rex beatus* appelletur, in quo neque conjux eaque soror, neque filia, neque frater fuit amicus. Neque tamen inter se solum inimicitias hi Dii exercuerunt perpetuas, verum etiam tantum auctoritatis ac virium hominibus alii, in alium tradiderunt, ut sæpius ab hominibus fuerint vulnerati, quemadmodum *Juno ab Hercule*, sagitta. Homer. l. IV. Iliad. *Perpessa est Juno quum, filius Amphitruonis percussit dextram mammam, petiitque sagitta.* Sic vulneratus ab eodem fuit Pluto; Homerus ibidem: *Passus & est Pluto horrendus, quum dira sagitta Intulit huic vulnus nati Jovis hujus, & ille Inter defunctos duros tulit inde dolores.* Quia etiam Mars ille belligerantium Deus mortalium arma non potuit effugere, ut est apud eundem Homerum: *Hinc pulchramque cutem lacerat ferroque cecidit. Extrahit hinc hastam, Mars alta voce boavit.* Quam autem fœda & flagitiosa de Diis fabulari fuerint ausi Græci, exemplo sit unus *Jupiter*, qui tum Deorum rex, hominumque pater fuit habitus. Factus enim fingitur *Imber aureus*, ut Danea potiretur; *Taurus*, ut Europa; *Amphitruo*, ut Alcumena; *Cygnus*, ut Leda; *Satyrus* ut Antiopa; *Formicula parvula*, ut Eurii Medusa Clitoris filia; *Draco*, ut Proserpina; *Aquila*, ut Ganymede; *Cuculus*, ut Eunone; *Ignis*, ut Ægina Asopi filia; *Pastor*, ut Mnemosyne; *Serpens* denique, ut Deride: quæ omnia multis verbis apud varios leguntur scriptores, Homerum, Apollodorum, Ovidium, Clementem Alexandr. Augustin. Arnob. Theodoretum & alios. Ad quid hæc omnia? ut doceam, nulla non de suis Diis etiam sceleratissima quæque finxisse Græcos: *Romanos* autem jam inde ab incunabulis urbis suæ ab hujusmodi fabulis & commentis semper animum & aures avertisse, præeunte illis ad saniorem mentem & meliorem de Diis opinionem Rege Romulo. De Romanis hæc verbis disertis scribit Dionys. Halic. *Neque enim Cælus*, inquit, *exsectus a suis liberis traditur apud Romanos, neque Saturnus proprios natos devorans, metuensque ne appetatur ipsorum insidiis; non Jupiter Saturnum patrem regno dejectum includens carcere Tartari, ac ne bella quidem ac vulnera aut vincula Deorum servitutesque apud Romanos. Nullum eorum festum atratum aut lugubre agitur, non planctus habet ob raptos Deos, ac lamenta mulierum, qualia sacra Græci faciunt raptam Proserpinam casusque Bacchi referentia, & id genus alia.* Et ne quis lectorum putet, verba fieri *de priscis illis Romanis*, quorum animis recens inhærebat lex illa Romuli, *ne quid fidei adhiberetur Deorum fabulis*; addit etiam doctissimus & diligentissimus scriptor, ne suo quidem tempore fidem apud Romanos fuisse Deorum fabulis. Sic enim inquit: *Ac ne quidem corruptis hisce temporibus videas apud Romanos arreptos numine, aut furorem Corybanticum, non Bacchanalia, coetusve clancularios, aut occulta mysteria; non virorum promiscue cum fœminis pervigilia, non his similia prodigia; sed omnia religiose fiunt ac dicuntur, quæ ad Deos attinent, præter morem Græcarum atque Barbararum gentium.* Hæc & alia plura lib. II. Dionys. Halic. Quæ sanctiores de Diis immortalibus, ut habebantur, opiniones Romanorum animis infusæ erant jam inde ab initio urbis conditæ, per hanc quasi Romuli legem.

Ne quid Deorum fabulis, inquit Romulus, *in quibus probra eorum crimina commemorantur*; qualia jam audivimus ex Homero aliisque scriptoribus, cum de *aliis Diis*, tum præcipue de *Jove*, *adhiberetur*, inquit, *fidei*; ne quis eo vel audaciæ vel temeritatis prorumperet, ut vera crederet omnia illa, quæ de Diis fabulosa Græcorum licentia finxit & commenta est. Mutuanda sunt ab gentibus & populis vel remotis vel vicinis, quæ *bona*, quæ *utilia*, quæ *laude digna*; rejicienda vero quæ *mala*, quæ *obfutura*, quæ *dedecus & ignominiam secum trahunt*. Fecerunt hoc Romani, qui ab Græcis, Atheniensibus, Lacedæmoniis, aliisque *leges* sunt mutuati & *præclara instituta*; *fabulas* autem & *commenta* cum aliis de rebus, tum imprimis de Diis exhorruerunt. Ad leges autem Romuli de Deorum cultu videntur etiam pertinere leges, quas recenset Cicero l. II. de LL. petitas forte ex Romuli legibus, ut non obscure indicare videtur Dionys. Sic enim Cicero: *Separatim nemo habessit Deos; neve novos, sed nec advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto. Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, præter olla, quæ pro populo rite fient. Neve quem initianto, nisi ut adsolet, Cereri Græco sacro.* Sed de prima hac Romuli lege, quæ de Deorum cultu, hæc sufficiant: sequitur secunda de *Murorum urbis sanctitate*, cujus hæc fuit sententia.

3 *Ut muri Sacrosancti essent; neve quis nisi per portas urbem ingrederetur, neve egrederetur.* De hac lege Plutarch. in Quæst. Romanis, quæst. XXVII. *Quur omnem*, inquit, *murum sacrum intaminatumque habent, portas non item? An vera est Varronis sententia, muros propterea sacros existimandos, ut pro iis propugnare cives alacrius, mortemque etiam oppetere sustineant? Et videtur Romulus quoque fratrem propterea interfecisse, quod sacrum locum & inaccessum transilire aggressus transcendendo profanum reddidisset. Portæ autem sacræ esse non poterant, quum per eas & alia necessaria & cadavera efferuntur. Itaque urbem qui de novo condebant, aratro, cui bovem marem & fœminam subjunxissent, locum, quantum erat murus occupaturus, designabant; portarumque dimensi spacia, vomere exemto, aratrum locis earum intactis transferebant, quod omnem terram aratam sacram & inviolabilem censerent futuram.* Hæc Plutarch. Similia scribuntur a Pomponio J.C. in l. ult. D. de rer. divis. *Si quis violaverit muros, capite punitur, sicuti si quis transcenderit scalis admotis, vel alia qualibet ratione. Nam cives Romanos alia quam per portas egredi non licet, quum illud hostile & abominandum sit. Nam & Romuli frater Remus occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit.* Ex quibus satis constat, Romulum hujus legis fuisse auctorem, quum urbem vix condidisset: legisque violatæ primus dedit pœnas Regis frater. Legis etiam hujus meminit Cicero lib. II. de Natur. Deorum. & Zonar. tomo II. Annal. Addunt autem plerique scriptores, legem hanc ab Romulo fuisse consignatam *interfecti fratris Remi sanguine*; qua de re videndi etiam Augustinus lib. III. cap. VI. & XII. de civitate Dei. Ovid. l. III. Fast. & IV. Lucanus l. I. Horatius Epodon ode VII. Oros. lib. II. cap. IV. Servius tamen ad lib. VI. Æneid. fabulam putat, *Remum a fratre occisum propter muros superatos*. Ad Murorum etiam *sanctitatem* respicit Cajus J. C. lib. II. Instit. cujus verba exstant in l. I. pr. D. de rer. divis. *Summa rerum*, inquit, *divisio in duos articulos diducitur. Nam aliæ sunt divini juris, aliæ humani. Divini juris sunt veluti res sacræ & religiosæ. Sanctæ quoque res, veluti muri & portæ, quodammodo divini juris sunt. Neque solum Romæ, verum etiam in Municipiis passim Muri sancti habebantur*: quod testatur Marcianus lib. IV. Regularum, verba ejus exstant in l. VIII. §. finali D. de rer. divis. *In Municipiis quoque muros esse sanctos, Sabinum recte respondisse Cassius refert, prohiberique oportere, ne quid in his immitteretur.* Hinc

est quod injussu Præsidis non liceret *eos reficere*, aut *eis aliquid super imponere*. *Muros*, inquit Ulpianus in l. IX. §. IV. D. de rer. divis. *municipales nec reficere licet sine principis vel Præsidis auctoritate, nec aliquid eis conjungere vel super ponere.* Nefas item erat aliquid *in Muris facere* vel *in portis*. Hermogenianus in l. II. D. Ne quid in loco sacro fiat: *In muris itemque portis & aliis sanctis locis aliquid facere, ex quo damnum aut incommodum irrogetur non permittere.* Nefas quoque muros a privatis habitari, Paullus lib. V. Sent. in l. fin. D. nequid in loco sacro fiat: *Neque muri neque portæ habitari sine permissu principis propter fortuita incendia possunt.* Habitatio tantum concedebatur circa muros & portas *familiæ publicæ*, quæ instituta erat ab Augusto cum ad alias res necessarias, tum *ad incendia arcenda*, ut notat Paull. J. C. in l. I. D. de offic. præf. Vig. Hæc omnia Principum Placita & Responsa Prudentum originem trahunt *ex hac Romuli lege* de *Murorum sanctitate*, de qua hæc dicta sufficiant: sequitur jam tertia Romuli lex de *Asyli jure*, cujus talis sententia:

9 *Ne quis ex Asylo ut Sacro tutoque loco vi abstraheretur.* De hac Romuli lege multa scribunt Livius lib. I. Dionys. lib. II. & alii. Livii verba sunt hæc, ne omnium cogar in medium adferre: *Crescebat interim urbs munitionibus, quam alia atque alia appetendo loca in spem magis futuræ multitudinis, quam ad id quod tum hominum erat, munirent. Deinde, ne aut urbis magnitudo esset adjiciendæ multitudinis caussa, vetere consilio condentium urbes, qui obscuram atque humilem ad se conciendo multitudinem, natam e terra sibi prolem mentiebantur, locum qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos est, Asylum aperit: eo ex finitimis populis turba omnis sine discrimine liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit; idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit.* Scribit autem Dionysius cautum ab Romulo fuisse, *ne quis ex Asylo, tamquam sacrosancto tutoque loco vi abstraheretur.* De *Luco proprio Asyli* legendi sunt Virgilius lib. VIII. Æneid. Auctor de V. V. Ill. l. II. & multi alii scriptores. Asyli autem institutio apud veteres Romanos tantæ fuit dignitatis, ut etiam ei festum fuerit institutum, quod incidebat in Kal. Febr. ut docet Ovid. l. II. Fast. v. LXVII.

Tunc quoque vicini lucus celebratur Asyli
Qua petit æquoreas advena Tibris aquas.

Festus lib. X. de verb. signif. Festum hoc vocat *Lucaria*. Primus *Cadmus*, quum Thebas conderet, *asylum* aperuisse scribitur, ad quod fugientes sine discrimine servi & liberi ab omni pœna tuti erant & immunes. Nonnulli ab cognatis Herculis Asylum Athenis primo institutum ferunt. Post hoc in *Rhethæo littore* fuit *Ajacis* asylum, & in Sigæo *Achillis*: quorum exemplo, ut non obscure innuit Livius, quum inquit, *vetere consilio condentium urbes*; Asylum Romæ aperuit Romulus.

Quum autem Romæ magnus hujus *ad Asylum confugiendi* concessæ libertatis, magnusque impunitatis abusus esset, neque solum Romæ, verum etiam passim in provinciis, Tiberius Imp. *modum Asylis* præscripsit, quemadmodum de eo scribit Tacitus lib. III. Annal. Suetonius tamen in ejus vita cap. XXXVII. scribit Tiberium Asyla abolevisse: *Abolevit*, inquit, *& jus moremque Asylorum, quæ usquam erant.* Antequam ad reliquas Romuli leges explicandas pergam, monendum obiter duxi, *apud Molossos, Samothraces, Crotoniatas & Messenios*, aliosque, morem invaluisse *ad Deorum aras* confugiendi: *Ithacensibus Jovis σωτῆρος aram* pro Asylo

A fuisse habitam: *apud Athenienses Thesei sepulchrum* id juris habuisse, ut servi ad illud confugientes nexu solverentur. In *Calauria* maris Ægæi insula *Neptuni* fuit *templum*, ad quod cum Demosthenes aufugisset, ab omni violenta incursione Archiæ mansit illæsus. *In Thracia, Dianæ templum*; *In Aspendo Pamphiliæ* Tiberii statuæ pro Asylo fuerunt: *Dianæ etiam Leucophrienæ* oppressis perfugium fuit inviolabile. *Palladis Templum* velut Asylum *Lacedemonii* venerabantur, in quo nocentes, etiam capitis damnati, incolumes erant. *In Aphrodisio & Papho Veneris*, apud *Stratonicenses Jovis & Dianæ templa*; in *Sicilia* Palisci ara; in *Pelopon-*

B *neso Bermoni fanum* sacrum Cereri & Proserpinæ; in *Ephesо Arthenusium*; *Pergami ædes Æsculapii*; *in Græcia Calydoniæ Palladis* templum tantæ fuerunt æstimationis, ut capitalem fraudem ausi, aut pecunia multati, qui ad illa confugissent, noxa, pecuniaque solverentur. Apud *Scythas*, qui *ad Riphæos* montes confugerant, tanquam sacrosanctos, sui juris fiebant & arbitrii: quemadmodum etiam *in Ægypto*, qui in *Osiridis & Herculis* templa servi confugerant, si initiati forent, opprimi aut vi cogi non poterant. In Imperio Romano crebrum fuit ad *Imperatoris vel Principis statuam* confugere. Hinc titulus in codice lib. I. XXV. *De his qui ad sta-*

C *tuas confugiunt*; ubi tale legitur Impp. Valentiniani, Theodosii & Arcadii Rescriptum, l. I. *Qui ad statuas vel vitandi metus, vel creandæ invidiæ caussa confugerunt, si certas habuerunt caussas, quibus confugere ad Imperatoria simulacra debuerint, jure ac legibus vindicentur. Sin vero probati fuerint artibus suis invidiam inimicis creare voluisse, ultrix in eos sententia proferatur.* Sic Ulpianus in l. XVII. §. XII. D. de ædilic. edicto: *Apud Labeonem & Cælium quæritur, si quis in Asylum confugerit, aut eo se conferat, quo solent venire, qui se venales postulant, an fugitivus sit; ego puto*

D *non esse fugitivum, qui id facit, quod publice facere licere arbitratur; ne eum quidem qui ad statuam Cæsaris confugit, fugitivum arbitror, non enim fugiendi animo hoc facit. Idem puto & in eum, qui in Asylum, vel quo alio confugit, quia non fugiendi animo hoc facit: si tamen ante fugit & post eo se contulit, non ideo magis fugitivus esse desinit.* Modestinus denique in l. XXVIII. §. VII. D. de pœnis: *Ad statuas confugere vel imagines principum in injuriam alterius prohibitum est. Quum enim leges omnibus hominibus æqualiter securitatem tribuant, merito visum est in injuriam alterius potius, quam sui defensionis gratia ad statuas vel*

E *imagines principum confugere, nisi quis ex vinculis vel custodia detentus a potentioribus ad hujusmodi præsidium confugerit, his enim venia tribuenda est. Ne autem ad statuas vel imagines quis confugiat, Senatus censuit. Eumque qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius prætulisset, in vincula publica coerceri Divus Pius rescripsit.* Elegantissime etiam Tacitus lib. III. Annal. c. XXXVI. *Insidebat deterrimo cuique licentia impune probra & invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Cæsaris: libertique etiam ac servi, patrono vel domino quum manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur C. Cestius Senator disseruit, Principes qui-*

F *dem instar Deorum esse, sed neque a Diis nisi justas supplicum preces audiri; nec quemquam in Capitolium, aliave urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur*, & quæ sequuntur. Quemadmodum autem olim, sic hodie etiam confugitur *ad templa & cœmeteria* ad immunitatem consequendam: unde tamen abstrahere licet magnorum criminum reos, eosque qui eo confugiunt in injuriam alterius. Sequitur quarta Romuli lex *de Auguriis ante opera publica capiundis*.

10 *Ne quid in reip. administratione nisi augurato fieret.* Testatur hoc cautum ab Romulo fuisse Cicero lib. I. de Divinat. & Dionys. lib. II. Antiq. Rom. qui scribunt, *Romulum confirmatum in regno divinitus, advocata concione & indicatis auspiciis, Regem fuisse declaratum omnium consensu, & morem, lege lata, instituisse imposterum, ne quis nisi auspicato regnum adsumeret, magistratus iniret, neve quid in rep. administranda nisi captatis auspiciis gereretur.* Pium, ut tempora illa ferebant, & quod rege dignum erat, institutum. Sic enim *ab Deo incipiendum esse* monebat, quidquid agendum; a Deo initium rerum bene gerendarum capiendum: cujus rei exempla tam sunt crebra in historiis Romanis, ut ociosi omnino esset ingenii, illa conquirere. Huc pertinebant omnia illa, quæ *ad Auguria*, quorum quinque erant genera. Auguria enim dabant vel *Cœlum*, vel *Aves*, vel *Pulli*, vel *Quadrupedes*, vel *Diræ*. Ex Cœlo auguria dabant *Tonitrua* & *Fulmina*. Fulminum infinitæ erant species, *Consiliaria*, *Postulatoria*, *Monitoria*, *Peremtalia* & aliis nominibus insignita, quemadmodum legere est apud Festum passim, Servium lib. I. Æneid. Plinium lib. II. cap. LII. Senecam lib. II. nat. quæst. cap. I. & alios. *Avium* etiam species infinitæ erant in Augurali disciplina; ut *Oscines*, *Præpetes*, *Inferæ*, *Sinistræ*, *Arculæ*, *Cliniæ*, & aliis appellationibus notæ, de quibus Varro lib. V. de LL. Festus, Servius, Agellius lib. VI. cap. VI. De his omnibus plene dixi in Augurum apud veteres Romanos historia. Quæ nihil aliud innuebant, quam omnium rerum principium esse instituendum *ab Diis immortalibus*: eos passim publice privatimque in consilium esse adhibendos; eorum ante omnia etiam exquirendam esse voluntatem. Hoc passim apud Græcos inculcatum fuisse lego a maximis Philosophis & Legislatoribus. Charundas Cathanæus in principio legum suarum statuit, ut consultantes agentesque aliquid ab Diis auspicarentur. Sic enim ait *τὰς βουλομένους καὶ πράττοντάς τι ἀπὸ θεῶν ἄρχεσθαι χρεὶ*. Et addit rationem *τὸ γὰρ ἄριστον, ὥσπερ ἁ παροιμία φατὶ, τὸν θεὸν ἦμεν αἴτιον πάντων τούτων*, *Optimum enim esse, ut Paræmia fert, Deum caussam & auctorem esse rerum omnium.* Sic Xenophon lib. v. de Pædia Cyri: *Illud minime ignoratis, me non solum in magnis rebus sed in parvis semper a Diis immortalibus initium facere.* Et iterum in Oeconomico: *Recte tu quidem mones, omnem a Diis actionem potissimum auspicari oportere, tamquam pacis ac belli auctoribus.*

Veteres etiam omnibus rebus agendis Deos præfari solitos, testatur disertis verbis Plato in libris de Rep. *Deum*, inquit, *ad Civitatis constitutionem invocemus, ille vero nos audiat, operatusque propitius ac benivolus adsit, una nobiscum civitatem ac leges instituturus.* Hinc tot *Deorum invocationes* apud Poetas cum Græcos tum Latinos. Aratus in Phænomenis: *Ἐκ διὸς ἀρχώμεσθα τὸν οὐδέποτ᾽ ἄνδρες ἰῶμεν ἀρρήτον*: quem Cicero lib. II. de LL. imitatus, *Ab Jove Musarum primordia sumenda* tradit. Ennius lib. I. Annal.

Te nunc sancta precor Venus & genetrix patris nostri
Ut me de cœlo veisas cognata parumper,
Teque Quirine pater veneror Horamque Quirini,
Teque pater Tiberine tuo cum flumine sancto.

Aliorum ad hanc rem probandam verba prudens prætereo. Sequitur lex quinta Romuli *de Mune-* A *rum inter Reges, Patricios, & Plebejos partitione.*

11 *Ut penes Regem Sacrorum omnium & graviorum judiciorum esset arbitrium & potestas: Patricii eadem Sacra custodirent & curarent, Magistratus soli regerent, jusque de levioribus caussis redderent: Plebeii denique colerent agros, pecora alerent, quæstuosa exercerent opificia & artes, non tamen sellularias & sordidas, servis, libertinis, advenis relinquendas.* Hæc omnia legibus ab Romulo cauta fuisse, testantur cum alii veteres scriptores, tum præcipue Dionys. Halic. lib. II. Antiq. Rom. Sunt autem legis a me recitatæ B varia membra. De primis igitur sic loquitur Halic. *Honores & potestates ita distribuit. Regi quidem eximia munera fuerunt hæc: primum ut sacra curaret atque sacrificia, per eumque gereretur quidquid ad placandos Deos attinet. Deinde ut legum ac morum patriorum haberet custodiam & juris sive naturalis, sive civilis, quod scripta & pacta continet, atque de gravissimis caussis ipse decerneret, leviores permitteret Senatoribus, providendo interim, ne quid peccetur in judiciis: utque Senatum cogeret, populum in concionem convocaret, primus sententiam diceret, quod pluri-* C *bus placuisset, ratum haberet. Hæc regi attribuit munia, & præterea summum in bello imperium. Senatui vero dignitatem & potestatem eam addidit, ut is, de quibus a Rege ad ipsum referatur, de his discernat & ferat judicium, ita ut semper obtineat plurium sententia.* voluit igitur Romulus, ut penes Regem Sacrorum esset arbitrium & potestas. Reges Romanos etiam Sacra curasse, veterum Regum exemplo, satis docet quod iis exactis institutus fuerit *Rex Sacrificulus*. Sic enim scribit Livius lib. II. *Regibus exactis & parta libertate rerum deinde divinarum habita cura, & quia quædam publica sacra per ipsos fa-* D *ctitata erant, necubi Regum desiderium esset, Regem Sacrificulum creant: id Sacerdotium Pontifici subjecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima cura erat, officeret.* Hujus etiam Regis Sacrorum uxorem vocatam fuisse *Reginam*, eamque aliquot sacra quoque curasse, docet Macrob. lib. IV. cap. XV. Et sacra curasse omnes Reges loquuntur historiæ. De Numa hoc adeo certum, ut etiam ipse *plerorum Sacrorum* fuerit primus auctor; voluit deinde Romulus, ut *graviorum judiciorum potestas etiam esset penes regem, Patricii autem leviores caussas judicarent*, iisque suis sententiis finem imponerent. *Gravio-* E *rum judiciorum* appellatione censenda esse docent veteres Scriptores illa, quæ posterioribus sæculis *publica & capitalia*. *Maleficia* enim sunt vel *privata* vel *publica*. *Privata* in quibus maleficium privato illatum cognitione judicis inferioris vindicari solet. l. fin. D. de privat delict. Sunt autem duplicis generis *Ordinaria* vel *Extraordinaria*. *Ordinaria* quibus certa pœna præscribitur, & in quibus certa civilis petendi & judicandi forma servatur d. l. fin. *Extraordinaria*, quibus certa pœna præfinita non, est sed petitur pro arbitrio judicis, proque qualitate commissi delicti examinatio fieri & pœna imponi solet tot. tit. D. de extraord. F crimin. Hujusmodi maleficiorum, ut & *caussarum civilium* genera (nisi quæ gravioris essent momenti) pertinuisse ad Patricios innuit, ex lege & constitutione Romuli, Dionysius: reliqua autem pertinuisse ad *Regem*, nimirum *maleficia* vel delicta *publica*. Ea enim erant quæ grave scelus in Remp. denotabant; quod publicæ utilitatis gratia in exemplum a superiore, merum imperium habente, gravius coerceri solet & vindicari. Ut distinctius dicam, *Maleficia quæ immediate læde-*

bant Remp. pertinebant ad Regis cognitionem: qualia tunc erant *Læsæ majestatis*, *Ambitus*, *Receptorum facinorosorum*, *Collegiorum illicitorum* & similia. Reliqua omnia cognitionem flagitabant inferiorum judicum; qualia erant *Cædes*, *Incendium excitatum dolo vel culpa*, *Coitus illicitus*, *Furtum*: quæ item alia Privatos immediate lædebant, ut *Effractio*, *Terminorum evulsio*, *Concussio*, *Plagium*, & similia. Sequitur in lege Romuli, ut Patricii *Magistratus soli gererent*, *Plebeii autem colerent agros*, *pecora alerent*, *quæstuosa exercerent opificia* &c. De his scribit Dionys. lib. separatiore ab superioribus loco: *Romulus porro postquam discernit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit, quid utrisque faciendum, ut Patricii sacra curarent, magistratus gererent, jus redderent, secum Remp. administrarent, res urbanas obirent. Plebeii vero ab his negotiis immunes, quippe qui talium imperiti essent, nec vacaret eis propter inopiam, agros colerent, pecora alerent, quæstuosa exercerent opificia*. Multa dicit Dionys. verbis paucis & nervosis. Ait Dion. Romulum voluisse, ut *Patricii sacra curarent*. Cavit hac lege Romulus, ne qui ad Sacerdotia promoverentur, nisi qui *patricii essent ordinis*. Mos ille diligenter fuit observatus *sub Regibus*, quum plebeiis nullæ adhuc essent vires, populusque adhuc inermis suas vires parum nosset. Exactis Regibus cœperunt etiam plebeii homines, ut ad alios in reip. administratione *honores*, sic etiam ad *sacerdotia* adspirare: si non ad omnia, saltem ad potiora & quæ maximæ erant dignationis. Non ad omnia dixi. Nam Plebeii numquam leguntur fuisse *Luperci*, ut ab antiquissimo sacerdotio ordiar, numquam *Potitii* & *Pinarii*, numquam *Fratres Arvales*, numquam *Curiones*, numquam *Sodales alii*, numquam *Flamines*, *Virgines Vestales*, *Salii Palatini*, *Feciales*, *Salii Collini*, *Reges sacrificuli*, *Galli*, *Epulones*. Reliquorum januas vi paullatim effregerunt. Quum enim soli Patritii multos annos *Augures* fuissent, tandem anno CCCCLV. Q. Apulejo Pansa & M. Valerio Corvo Coss. quum quatuor essent Augures ex ordine Patriciorum, & placeret numerum illorum augeri, quinque lege Ogulnia additi fuerunt *ex plebe omnes*, sicque novem cœperunt esse Augures, quemadmodum docet Livius lib. x. Et ab eo tempore mistim creati Augures non solum ex *Patriciis*, ut semper fuerat observatum, verum etiam ex *Plebeiis*. Sic quum semper Pontifices creari erant soliti *ex Patriciis*, tandem etiam anno CCCXXXIV. *ex Plebejo ordine* legi cœperunt, ut scribit Livius lib. x. Quin etiam *Pontificatus maximus* ad *plebejos* homines fuit delatus; ex quibus primus factus, T. Coruncanius anno ab v. c. D. *Quindecimviri* cœperunt autem creari, tandem ex *Plebeiis* lege Licinia Sextia, anno CCCLXXXV. scribente Livio lib. VI. in Descriptione Dictaturæ P. Manlii.

Vetuit porro Romulus, ut *soli etiam Patricii Magistratus gererent*. Huic legi in libertate non diu fuit locus. Nam statim anno post reges exactos XVI. violari cœpta, quum novus magistratus a plebe fuerit creatus, *Tribuni*. Et paullatim imminuerunt eandem legem *Tribunus & plebs*, donec corruit tota series & ordo iste *magistratuum ex Patriciis*. Nam primum *Quæstores e plebe* creati anno ab v. c. CCCXLI. Inde *Tribuni militum Cons. potestate* anno CCCLIII. nec diu post *Coss.* *ipsi* ab v. c. CCCLXXXVIII. tandem *Aediles Curules*, anno uno post CCCLXXXIX, *de quibus convenerat* (ait Livius lib. VII.) *ut alternis annis ex plebe crearentur, postea promiscuum fuit*. Inde ad caput ipsum magistratuum transgressi, *Dictatorem* etiam *e plebe* crearunt ab v. c. CCCIIC, etsi *magister E*-*quitum* jam ante plebejus factus anno CCCLXXXV. Denique etiam *Censuram communem* fecerunt anno CCCCIV. eodem illo primo Censore, qui & Dictator. Postremo ne quid intactum aut inaccessum plebi esset, *Prætura* etiam iis communicata anno CCCCXVII. Ita sola ex Magistratibus majoribus *Interregia potestas* apud Patres mansit, umbra potius, quam verus magistratus. Sequitur porro apud Dionysium in lege Romuli, *ut Plebeii agros colerent, pecora alerent, quæstuosa exercerent opificia & artes*. Priora duo ita mandata fuerant Plebeiis, ut interea non fuerint adempta Patriciis. Quid enim manifestius, quam *Patricios etiam viros agri culturam exercuisse, remque pecuariam etiam curasse?* *Agricultura* tanto apud Priscos in honore fuit, ut ne Romanos Imperatores & Duces puduerit agros colere, semina tractare, arbores inserere. Petitos legimus *ab Aratro* Dictatores, eosdemque rebus præclare gestis, deposito honore, *ad aratrum* rediisse. Ab hoc studio nobilissimarum familiarum cognomina *Fabiorum*, *Lentulorum*, *Ciceronum*, *Pisonum*, a multitudine scilicet & copia horum leguminum. Sic etiam legimus, ad Agriculturam se contulisse deposito imperio *Diocletianum*; sic dimissa regni administratione *Attalum*. *Cyrus* etiam magnus ille Persarum rex gloriari plurimum solebat, quum venientibus ad se amicis hortum ostenderet *suis manibus* consertum, & arbores *sua manu* in ordinem collocatas. Jam veteres illos Patricios *rem etiam Pecuariam & Pasturam* cordi curæque habuisse, satis ostendunt nomina illorum & cognomina. Ab hoc enim studio dicti *Junii Bubulci*, *Tauri*, *Vituli*, *Porcii*, *Catones*, *Annii*, *Capræ*, & alii. Pastores etiam fuerunt ipsi populi Romani patres & urbis conditores *Romulus & Remus*, e Pastoribus ad regnum adsumti. Pastores etiam fuerunt, ut hos addam, *Paris* regius filius, *Anchises* Æneæ pater, *Endymion* amasius Veneris. Ex ipsis etiam Diis *Apollo* Admeti Thessaliæ regis armenta pavit; *Mercurius* fistulæ inventor pastorum princeps fuit, atque ejus filius *Daphnis*: *Pan* quoque Pastorum Deus. Ut etiam Hebræorum Patriarchas, Judices & reges aliquos recenseam, maximi inter eos viri & Deo gratissimi fuerunt pastores, *Abel* Justus, *Abraham* pater multarum gentium, *Jacob* pater populi electi, *Moses* legislator & propheta Deo familiaris, *David* denique rex secundum cor Domini electus. Romulus igitur lege lata ita *Agriculturam & Pasturam plebejorum* humeris imposuit, ut interim studium illud Patriciis non surriperet: sed tale inter Patricios Plebejosque hac in re fuit discrimen, ut *Plebeii* necesse haberent, vellent nollent, agros colere & pecora alere; *Patricii* autem illud etiam possent, non coacti, sed si voluptas eo traheret. Tertium munus Plebejorum fuit *Quæstuosa exercere opificia & artes*. Hoc proprium & perpetuum erat plebejorum, quemadmodum loquuntur omnes historiæ. Indignum erat talia tractari *a Patriciis*, quemadmodum etiam hodie ea fere sola nota Nobiles separantur ab hominibus Plebeiis. Addidit autem, *non tamen sellularias & sordidas, servis, libertinis, & advenis relinquendas*. Scribit enim Dionysius, per legem Romuli *non licuisse civibus ingenuis exercere sellularias artes & sordidas, sed eas solis servis & libertinis atque advenis permittendas esse*: & teste eodem Dionysio, *duravit diutissime hæc lex, ut probro haberetur apud Romanos exerceri illas artes a quoquam cive, tametsi postea forensis factio humilium civium illas quoque invaserit*. Artes igitur Romanis civibus iisque ingenuis dignæ erant, præter *Agriculturam* & *Pasturam*, etiam *studia litterarum*, *ars mili*-

taris, Pictura, Statuaria, Plastica, Mercatura, & si quæ aliæ honestioris classis; non *Coquinaria, Sutoria, Textoria* & similes. Sed hæc ad v. Romuli legem sufficiant: sequitur vi. *de Populi jure.*

12 *Ut populus, accedente Senatus auctoritate, Magistratus crearet, Leges juberet, Bella decerneret.* De hac lege sic loquitur Dionys. lib. ii. *Populo autem tria hæc commisit, Magistratus creare, leges sancire, de bello, referente Rege, decernere: ita tamen, ut Senatus quoque in his accedat auctoritas.* Quæ hic audivimus ab Regibus populo concessa; ea *populus* & potior illius pars, plebs, mordicus sibi retinuit, regibus ejectis, & parta jam libertate: ut Monarchia, quæ in regibus semper fuerat per annos CCLIV. abrogata, facile patuerit, qualis deinceps usque ad principatum Augusti Romanorum fuerit status. Varie & admodum de eo inter varios scriptores cum antiqui tum ævi nostri disceptatur: an *Aristocraticus* fuerit, an vero *Democraticus*. Dicendum enim & pro Thesi indubitata & certa statuendum, Romanorum Remp. post reges ejectos omnino fuisse *Democraticam*: quod explicatius docebo, quum speciatim quædam ad hanc legem Romuli indicaro. Ait igitur Dionys. Regem Romulum voluisse, ut penes populum esset *Magistratus creare* &c. Sciendum igitur imprimis, tria apud veteres Romanos fuisse *Comitiorum* genera, *Curiata, Centuriata, Tributa*. *Curiata* quidem appellari solita, in quibus populus curiatim suffragium dicebat, hoc est in quibus populi per Curias divisi sententia rogabatur, ut quod potiores Curiæ statuissent, id justum populo diceretur: *Centuriata* comitia dicebantur, quibus populus per classium centurias divisus suffragium ferebat, ita ut suffragia colligerentur centuriatim, & quod plures Centuriæ jussissent, id ratum haberetur: &c. *Tributa* denique Comitia fuerunt, ut docet apud Agellium Messalla lib. xv. cap. xxvii. quum ex regionibus & locis hoc est per Tribus suffragium ferebatur. Ex quibus variorum Comitiorum Diffinitionibus intelligimus, Caussam Comitiorum, qualia fuerint, *efficientem* fuisse *populum*. Populus enim in Comitiis Curiatis suffragium ferebat per *Curias*; in Centuriatis per *Centurias*; in Tributis denique per *Tribus*. Unde sequitur quidquid in his Comitiis juberetur aut statueretur, illud *populi jussu* fuisse statutum & decretum. Jam vero notum est, Curiatis Comitiis, quum nondum essent vel *Centuriata* vel *Tributa*, omnia quæ ad Reipublicæ administrationem pertinebant, peracta fuisse. Creari enim soliti iis *Reges & alii magistratus*, *Leges omnes iis latæ; judicia omnia iisdem peracta*; ita ut omnia, quæ populi suffragiis fierent, non nisi Comitiis Curiatis tractarentur. Quum autem duo alia Comitiorum genera in Rempublicam invecta, *Centuriata* nimirum & *Tributa*; *Centuriatis* quidem præcipua quæque peragi cœpta; iis enim *Magistratus creari* majores & Ordinarii & Extraordinarii; iisdem *leges latæ*, iisdem denique *judicia sunt peracta*.

Caussæ vero habendorum Comitiorum, quæ *Tributa* vocabantur, fuerunt quatuor: *prima ad creandos* minores magistratus; *altera ad sacerdotes* Collegiorum cooptandos; *tertia ad leges ferendas*; *quarta ad judicia* exercenda. Ex quibus omnibus patet, verissimum illud esse, Romulum commisisse tria, ut *Magistratus crearet*, ut *leges sciceret*, ut *bella decerneret*. Horum enim nihil fiebat, nisi Comitiis nunc *Curiatis*, nunc *Centuriatis*, nunc *Tributis*. Ait igitur ex Romuli lege Dionysius, *ut populus Magistratus crearet*. Magistratus apud Veteres Romanos alii A erant *Majores*, alii *Minores*. *Majores* plurimum *Centuriatis a populo* creabantur; *Minores* vero Comitiis *Tributis*. Majores alii erant *Ordinarii*, alii *Extraordinarii*. *Ordinarii* erant *Consules, Prætores, Censores*. Quod *Consules* Comitiis *Centuriatis* creari soliti *a populo*, testantur infiniti scriptores, in primis Livius lib. i. Dionys. lib. v. Quod *Prætores*, docet apud Agellium lib. xiii. cap. xiv. Messalla, item Livius lib. vii. initio, & Cicero oratione pro lege Manilia. De *Censoribus*, quod Centuriatis Comitiis *ab eodem populo* fuerint creati, constat ex eodem Agellio, loco a me indicato. Dixi & Majores *Extraordi-* B *narios* magistratus his Comitiis *a populo* creari solitos. Tales erant *Tribuni militares* Cos. Pot. & *Decemviri* legibus scribendis. Nam cum & hi majores essent Magistratus, & non secus ac Consules, Prætores, Censoresque majora haberent auspicia, non dubium quin & *majoribus*, id est Centuriatis Comitiis fuerint creati: quod manifestum ex Livio, Dionysio & aliis, qui variis locis, verbis disertis scribunt, eos *a populo* per *Centurias* diviso fuisse lectos. Monui paullo ante *Minores* Magistratus creari *a populo* solitos Comitiis Tributis. Erant autem Magistratus illi partim C *Provinciales*, partim *Ordinarii*, partim *Extraordinarii*. *Ordinarii* minores magistratus, qui Comitiis Tributis *a populo* creabantur, erant omnes illi, qui singulis annis ad suum munus ordinarium in urbe obeundum *a populo* creabantur, ut *Tribuni plebis*, *Aediles plebis*, *Aediles Curules*, *Quæstores*, *Tres viri Capitales*, *Tres viri Nocturni*, *Tres* viri A. A. Æ. F. F. *Tribuni militum*. De *Tribunis & Aedilibus plebis* manifestum est ex Livio lib. ii. & Dionysio lib. ix. *Aediles Curules* iisdem Comitiis creatos *a populo* constat ex tertio Annalium L. Pisonis, cujus verba apud Agellium lib. vi. cap. ix. De *Quæsitoribus* testantur D Livius lib. iv. M. Tullius lib. vii. ad Famil. epist. xxx. ad M. Curium. De *Tribus viris Capitalibus* idem Cicero testis est in oratione pro Cluentio. De *Tribus viris Nocturnis* Livius lib. ix. De *Tribunis* denique *militum*, qui cognominabantur *Comitiati* (alii enim qui *Rufuli* dicebantur, in exercitu fiebant ab Imperatoribus vel Ducibus belli) scribit creatos Comitiis Tributis, unde etiam *Comitiati* dicebantur, Livius lib. iv. Magistratus Minores *Extraordinarii*, qui Tributis Comitiis *a populo* creabantur, fuerunt *Præfecti Annonæ*, teste Livio lib. iv. *Duumviri navales*, de E quibus idem lib. ix. *Quæstores sive Quæsitores parricidii*, ut testantur leges, *Manilia* quidem apud Sallustium pag. c. xl. *Varia* vero apud Asconium. Pertinebant huc & *Duumviri ædium* sacrarum locandarum, ædificandarum, consecrandarum vel restituendarum, quos *populus* ex lege Papiria designare solebat: de quibus Cicero pro sua domo, sæpissime etiam Livius. Ejusdem classis *Triumviri reficiendis sacris*, de quibus Livius. Item *Quinqueviri Turribus murisque reficiendis*, quos *populum* Comitiis Tributis creasse notat Livius lib. xxv. Item *Triumviri & Quinqueviri Mensarii*; de quibus Livius lib. vi. & xxiii. *Triumvi-* F *ri sacris conquirendis & Triumviri donis persequendis*, quorum creationis mentio apud Livium lib. xxv. De quibus omnibus & aliis Magistratibus minoribus Extraordinariis, Comitiis *Tributis a populo* creari solitis Messalla Augur apud Agellium lib. xiii. cap. xiv. Jam *Provinciales Magistratus* Comitiis Tributis creari solitos, alias probavi plenius, cum in historia Comitiorum, tum in Magistratuum Provincialium explicanda. Recte igitur ex lege Romuli ait Dionysius, *Populo* commissum fuisse *creare Magistratus*; *Majores & Mino-*

res, utrosque & *Ordinarios* & *Extraordinarios*, non solum *Urbanos*, sed & *Provinciales*. Sequitur porro apud Dionysium ex lege Romuli, *ut populus leges sciſceret*. In *legibus ferendis* duplices sunt personæ conſiderandæ. Nam & *qui rogabant*, & *qui jubebant* ferre leges videbantur. Quod ad priores perſonas, illud cum primis ſtatuendum, illum *ferre ad populum* ac *rogare legem* potuiſſe, *qui cum populo agere* poterat. At cum populo agere, id eſt Comitia habere, nemini licebat, niſi ex majoribus quidem magiſtratibus, *Conſuli*, *Prætori*, *Dictatori*, *Magiſtro Equitum*, *Interregi*, *Præfecto urbi*, *Præfecto feriarum Latinarum cauſſa creato*, *Tribunis militum Conſulari poteſtate*, *Decemviris legum ſcribendarum cauſſa creatis*, *Triumviris quoque Reipublicæ conſtitutoribus*: ex extraordinariis vero *Tribuno plebis*. Ergo & his omnibus jus fuit *Leges ferre*. Ea tamen fuit inter eos differentia, quod Magiſtratus *Majores* & Ordinarii & Extraordinarii leges ſuas tulerint *ad populum Comitiis Centuriatis*; *Tribunus* autem plebis, *Tributis*; priorum κατ᾽ ἐξοχὴν *Leges* dicebantur; poſteriorum, id eſt Tribunorum plebis, propria & peculiari voce vocabantur *Plebiſcita*, Leges jubebantur *a populo*; Plebiſcita vero *a plebe*, infima quidem, ſed maxima populi parte. Quæ Leges Centuriatis Comitiis ferebantur, eæ etiam *Centuriatæ*; quemadmodum quæ Curiatis, Curiatæ appellabantur. *Leges* autem proprie dici quæ Centuriatis *a populo*; ut *Plebiſcita*, quæ *Tributis a plebe* ferebantur, teſtis eſt Juſtinianus in Inſtitutionibus, tit. de juſt. & jure, ubi jus Civile in ſex ſpecies dividens Legem diffinit eſſe §. II. id, *quod populus Romanus Senatorio Magiſtratu, veluti Conſule, interrogante, conſtitueret: Plebiſcitum quod plebs Comitiis Tributis, & plebejo magiſtratu, veluti Tribuno plebis interrogante, conſtitueret*. Leges igitur Centuriatis Comitiis *ad populum* ferri & *a populo* ſi placerent, juberi ſolitas infinita teſtantur veterum ſcriptorum loca. Sic Leges *Valerii Publicolæ* latæ de Provocatione *Centuriatæ* fuerunt, ut eſt apud Valerium lib. IV. cap. I. §. I. Item lex *alia Valerii & Horatii Coſſ.* cujus meminit Livius lib. III. Alias prætereo.

Omnia autem *Plebiſcita*, omnes *Rogationes*, quibus *de pace* ad populum ferebatur (*bellum* enim lege Centuriata indici ſolebat, ut mox dicam) & quibus ſuperioribus temporibus aliquis *legibus ſolvebatur*, quacunque id ratione fieret; item quibus per populum *triumphus decernebatur*, *publicæ quæſtiones* conſtituebantur, *aut civitas aliquibus* dabatur, Comitiis Tributis a Tribunis plebis *ad populum* ferebantur; & *a populo*, ſi placerent, jubebantur: quemadmodum legere eſt apud nonnullos ſcriptores. Non eſt opus ſingula prolixe probare: de duabus tantum aliquid dicam, nimirum de Rogationibus *de Pace* & *ſolvendo legibus*. Quod *de Pace ad populum* Tributis Comitiis latum ſit, docet Livius lib. XXX. ubi ſcribit: *M. Attilius & Q. Minutius Tribuni plebis ad populum tulerunt, vellent juberentve Senatum decernere, ut cum Carthaginienſibus pax fieret; & quem eam pacem dare, quemque ex Africa exercitum deportare juberent?* Alibi Livius lib. XXIV. *Q. Marcius Rex & Catinius Labeo Tribuni plebis ad plebem tulerunt: vellent juberentne cum Rege Philippo pacem eſſe. Quæ rogatio ad plebem perlata eſt. Omneſque quinque & triginta tribus uti rogatæ juſſerunt*. Quod ad illas Rogationes attinet, quibus *aliquis legibus* ſolveretur, id ſuperioribus temporibus obſervatum fuit. Ætate enim Ciceronis Senatus eam ſibi auctoritatem arripuit, eaque lege Cornelia rurſus privatus fuit, quemadmodum

A docet Aſconius in argumento Orationis pro C. Cornelio: *C. Cornelius*, inquit, *legem promulgavit, qua auctoritatem Senatus minuebat, ne quis niſi per populum ſolveretur legibus; quod antiquo quoque jure erat cautum. Itaque in omnibus S Ctis. quibus aliquem legibus ſolvi placebat, adjici erat ſolitum, ut ea de re ad populum ferretur. Sed paullatim ferri erat deſitum: reſque in eam conſuetudinem venerat, ut poſtremo ne adjiceretur quidem in S Ctis. de Rogatione ad populum ferenda*. Recte igitur in lege Romuli apud Dionyſium, *ut Populus leges ſciſceret*; ſive eæ ferrentur a *majore* magiſtratu Comitiis *Centuriatis*; ſive a *Minore*, *Tributis*.

B Sequitur denique tertium in lege Romuli, *ut Populus bellum decerneret*. Leges *de bellis* hoſtibus indicendis *ad populum* latas a majoribus magiſtratibus, Comitiis Centuriatis, teſtis non obſcurus eſt Livius de bello Macedonico lib. XXXI. ubi ſcribit P. Sulpicium Coſ. Rogationem in hæc verba promulgaſſe: *vellent juberent Philippo regi, Macedonibuſque, qui ſub ejus regno eſſent, ob injurias armaque inlata ſociis populi Romani, bellum indici*. Sic idem lib. XXI. de bello Punico ad populum refert: *Vellent juberent populo Carthaginienſi bellum indici*. Idem lib.

C XXXVI. Patres ad populum ferri juſſiſſe notat, *vellent juberent cum Antiocho rege, quique ſectam ejus ſequuti eſſent, bellum iniri*. lib. XLIV. *Prætor, cujus inter Cives & Peregrinos juriſdictio erat, Rogationem ferret, vellent juberent Rhodiis bellum indici*. Sic lib. XXXVIII. *Non ad populum ferri, velint jubeantne cum Gallis bellum iniri*. Populi igitur erat *bellum jubere* Comitiis Centuriatis; quod illi jus conceſſum erat jam inde ab ipſa urbis conditione, ex lege Romuli. Adjicitur autem poſtremo loco, *accedente Senatus authoritate*. Ne enim populus, natura præceps & improvidus, temerarius eſſet in magiſtratibus creandis, præci-

D pue vero in legibus ferendis & bellis decernendis, voluit Romulus, ut ſemper *Senatus authoritas* accederet Populi conſultationibus & decretis. Patres enim omnia diligentiſſime & ſapientiſſime penſitabant, conſilia matura rebus gerendis adhibebant; videbantque ne quid decreta populi, qui facile huc illuc ſolet rapi, Reipublicæ detrimentum adferrent. Nam quemadmodum *Poteſtas* in *populo*, ſic *Auctoritas* erat in *Senatu*, ut Cicero loquitur in lib. II. de LL. Sic Livius lib. VIII. *Bellum ex auctoritate Patrum populus adverſus Veſtinos juſſit*. Et lib. I. *Regem populus juſſit, Patres auctores facti*. Eodem libro: *Decreverunt,*

E *ut cum Populus Regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi Patres auctores fierent*. Idem libro XXVI. de Marcio, qui dux ab exercitu lectus abſque populi ſuffragio Proprætoris titulo litteras ad Senatum ſcripſerat: *Titulus honoris, quod imperio non populi juſſu, non ex auctoritate Patrum dato, Proprætor Senatui ſcripſerat, magnam partem hominum offendebat*. Livius etiam lib. VIII. ſcribit, *a Dictatore Publilio Philone legem latam, ut earum legum quæ Comitiis Centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium, Patres Auctores fierent*.

F

CAP. III.

1 *Status Romanorum poſt ejectos reges fuit Democraticus & Popularis*.
2 *Septima Romuli lex de magiſtrat. inſignibus*.
3 *Octava de ſenatus publico & communi civitatis conſilio, in quo patriciis tantum patebat aditus*.
4 *Nona de coloniis*.
5 *Decima de faſtis & anni Romani conſtitutione*.

Quum

QUum igitur ex iis, quæ dixi, sit manifestum & extra omnem controversiam, populo Romano jam inde ab urbis suæ primordiis & incunabulis ab Romulo concessum fuisse ut *Magistratus crearet*, ut *leges sisceret*, ut denique *bella decerneret*, omnino sequitur, statum Romanorum post ejectos reges ex parta jam libertate, maxime vero Polybii, & multo magis Ciceronis ætate, omnino fuisse *Democraticum & Popularem*. Nam (ut pressius insistam eisdem, quæ antea indicavi, argumentis) exactis urbe Roma regibus & pulso cum uxore regiaque familia Tarquinio Superbo, qui septimus regnavit apud Romanos, Junius Brutus primus Consul, cujus imprimis opera parta fuerat libertas, quique primus novum gessit magistratum, *primam etiam legem* in libera urbe tulit *de Imperio* ad populum; *ut scilicet annui Consules a populo crearentur*, quemadmodum pluribus illa commemorant & docent Dionysius in libr. Antiquitatum Romanarum & Livius lib. II. Ex eo enim constat, *omne Imperium Consulare* a populo peti & impetrari debuisse.

Frustra enim sunt ii, qui suis scriptis adserere audent, *Monarchiæ & regni speciem* in *Consulibus* fuisse. Nam tam falsum illud, quam si quis dicat, *Præfectum Prætorio* sub Imperatoribus Romanorum, vel *Bassam maximum* apud Turcas, vel denique *Palatii magistros*, quos *Majores domus* appellabant, sub regibus Gallorum, *regiam* habuisse *potestatem*; eam solum ob caussam quod ipsi per se maxima quæque in Republica gererent & administrarent, quum tamen & hi potestatem non modo majorem quam *Consules*, sed etiam *perpetuam* habuerint, quum contra Consularis esset tantum *annua*. Alii Statum *Aristocraticum* sunt imaginati post ejectos reges in republica Romana; idque ob summam Senatus Romani potestatem & maximam in rebus gerendis & administrandis auctoritatem. Sed falsum esse & hoc facile videbunt illi, qui ex variorum scriptorum monimentis didicerunt, *Senatui jus omne, omneque imperium ab uno & solo fuisse populo*: quum Senatorum delectio a populi arbitrio jussuque temporibus antiquissimis penderet. Eleganter & vere Cicero: *Majores nostri ita magistratus annuos crearunt, ut Consilium Reipublicæ præponerent sempiternum, deligerentur autem in id consilium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem omnium civium industriæ pateret. Antiquissimis* addidi *temporibus*. Nam quum populo grave esset & incommodum semper legendi Senatoris alicujus in locum demortui convenire & comitia instituere, ut eo labore se levaret, postea lapsu temporis, *lege Ovinia Tribunitia*, de qua scribit Festus, jussit *ut Censores optimum quemque ex omni ordine curiatim in Senatum legerent*. Sequitur igitur, *Omnia Senatus & magistratuum imperia in arbitrio fuisse & potestate populi*: quod satis argumenti ad judicandum, statum Romanorum omnino fuisse *Popularem & Democraticum*. Accedit ad idem confirmandum & alia lex, quam tulit primo anno libertatis *P. Valerius Publicola* deinde dictus, Junii Bruti collega, quamque Livius appellat *præsidium unicum Romanæ libertatis*. Ejus legis primo capite cautum notant veteres scriptores, *ut adversus omnes magistratus ad populum libere provocaretur*; altero, *ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem verberaret, aut noceret, aut pecunia multaret*: deinde, *ne quis imperium haberet, nisi cui a populo datum esset, adjecta capitali pœna*: quemadmodum consentientibus scriptis memoriæ produnt Livius, Dionysius, Plutarchus, Valerius & Pomponius J. C. Nullum igitur regnum vel regni species fuit *in Consulibus*; A nulla *in Senatoribus* Aristocratia. Jam *jus etiam belli* penes populum fuisse, quamquam notius illud, quam quod adductis exemplis probetur, probavi tamen in superioribus. Nam, ut hoc prædictis addam, *id Servia lege sub regibus cautum erat*, quemadmodum scribit Livius lib. III. ideoque existimandum locum hoc habuisse multo magis post regi fugium & partam jam libertatem. Livius lib. IV. *Controversia*, inquit, *fuit, utrum populi jussu bellum indiceretur, an satis esset S Cto. pervicere Tribuni, denunciando se delectum impedituros, ni Quinctius ad populum ferret; omnes Centuriæ jussere*. B Jus autem *verborum*, *libertatis*, *exilii* in populo etiam fuisse planum est ex variis legibus, præsertim autem ex *Porcia Tribunicia*, quam tulit Porcius Cato Tribunus plebis, L. Valerio & Apulejo Coss. anno ab V. C. IↃ. LIV. *qua lege verbera sunt a corporibus civium amota*, quæ lex anno centesimo post *Sempronia rogatione* sanctius est confirmata, adjecta pœna perduellionis. Operæ precium hic audire verba Polybii: *Si quis*, ait, *ad populi potestatem se se convertat, putabit rempublicam esse popularem: Si vero ad Senatum, judicabit esse Aristocraticam & imperium Optimatum: quia consilio publico præest, ærarii potesta-* C *tem habet, legationem admittit & dimittit; de conjuratione, perduellione, veneficiis cognoscit*. Magnus & diligens alioquin scriptor non parum in eo peccat; quod populum cum plebe confundens, quæ in Senatu maxima fuerint, omittat; quæque sine populo fieri non poterant, ea Senatui propria faciat. Nihil enim majus habuit Senatus, quam S C. illud: *videant Coss. alter ambove, ne quid respublica detrimenti capiat*: quod velut *gladium* quemdam extremis reipublicæ periculis exeruit in *Sp. Melium*, in *Gracchos*, in *Saturninum*, in *Cæsarem*: habuit etiam idem Senatus *Dictato-* D *res creandi potestatem*, quemadmodum legimus apud Dionysium: *qua ratione*, inquit, *Senatus plebem fefellit. Sed illud imperii arcanum Tribuni plebis facile detexerunt; nec Dictatorem optima lege creari diu permiserunt; optima lege*, id est *sine provocatione*. Festus enim l. XIII. ita *optimam Dictatoris legem* appellat & interpretatur. Quum vero Magistratus omnes creato Dictatore abdicarent, *Tribuni plebis imperium retinebant*, ut scribit cum aliis Plutarchus, *civesque adversus Dictatorum intercessionem juvabant*. Exemplum illustre in *Q. Fabio Maximo Dictatore*. Hic enim cum de Minutio magistro militum pœnas deposce- E ret & exigeret, Tribuni plebis perfecerunt, *ut pœnæ metu liberatus, Dictatori potestate par esset*. *Capitalia autem judicia penes populum* fuisse ostendunt, quas paullo ante nominavi leges, *Porcia, Sempronia, Valeria*. Sic etiam Livius Senatorem quemdam introducit loquentem: *Per senatum agi de Campanis, qui Cives Romani sunt, injussu populi non video posse*. Quod autem legamus apud varios Scriptores, sæpe multos cives Romanos *a magistratibus & Senatu* supplicio adfectos fuisse, *contra populi mandatum*, frustra etiam nonnumquam *reclamantibus Tribunis plebis*: non inde sequitur Statum reipublicæ Romanæ non quidem *Democraticum*, sed *Aristocraticum* F fuisse. Spectandum enim hoc, non *quid fiat*, sed *quid legitime fieri debeat*: non ex abusu, sed ipsis reipublicæ institutis judicandum est de alicujus civitatis statu. Docent nos historiæ, *Triumviros Capitales*, qui dumtaxat in servos, & extremæ sortis peregrinos animadversionem habebant, non tantum cives, verum etiam magistratus ipsos & quidem curules in carcerem conjectos *capitali supplicio adfecisse*; ut videre est apud Valerium Maximum; qui interim, quum talia auderent in ci-

ves, absque populi jussu sæpe majestatis læsæ rei accusabantur. Sic *Ciceronem Clodius* perduellionis apud populum curavit damnari, *quod de Conjuratis injussu ejus supplicium sumpsisset*.

Fuerunt igitur, ut manifestum ex iis quæ dixi, *in veterum Romanorum magistratibus magna imperia*, sed tamen *moderata*: *in Senatu major quam in magistratibus auctoritas*: *in plebe maxima potestas*: in *populo* denique universo *ipsius reipublicæ majestas & summum imperium*; adeo ut populus, veluti judex & arbiter, controversias, quæ inter patricios & plebejos subinde oriebantur, suis suffragiis dirimeret & sedaret. Quum enim *Senatus* plebem opprimere, aut *plebs* in Senatum insurgere conaretur, nulla componendæ seditionis erat ratio, quam quod Consules ipsi, vel creatus in eum finem Dictator, populum rogarent, *quid fieri vellet*. Exempla sunt *in tribus Secessionibus plebis*: item in acerba illa & diuturna *contentione*, qua *Patricii* Plebiscita, *Plebs* vero SC. respuebat. Graphice hæc apud Dionisium: *L. Valerius & M. Horatius Coss. convocato populo legem tulerunt Comitiis Centuriatis, ut Plebiscita Senatum tenerent, repente seditio conquievit: Sed paullatim Senatus plebiscita repudiare, Tribuni furere, Senatui intercedere*; & quæ apud doctissimum scriptorem alia. Quum igitur *populus magistratus crearet*, quum *leges juberet*, quum *bella decerneret*, quum *judiciorum publicorum*, præterquam *capitalium haberet potestatem*; manifestum est & perspicuum statum Romanæ reipublicæ ab regibus ejectis usque ad principatum Augusti plurimum fuisse *democraticum & popularem*: *Senatum* autem auctoritatem omnem a populo habuisse, nec *sine populi jussu aut adsensione* quidquam potuisse; & quæcumque juberet, populi nomine jussisse. Quid autem interest, si cui de reipublicæ alicujus statu sit judicandum, utrum *populus ipse jubeat*, aut vero *alius populi nomine?* Jam vero quid absurdius, quam regiam potestatem, quæ *unius* propria, *duobus* tribuere Consulibus? quum etiam multo major potestas *in Tribunis plebis* fuerit, quam in Consulibus. Quid in historia Romana frequentius, quam *Tribunorum adversus Consules intercessio?* Livius lib. XLIV. memoriæ prodit, bona Ti. Gracchi, ejus qui Consul & deinde Censor etiam fuerat, ab Tribuno plebis consecrata, quod in multa pignoribusque capiendis Intercessioni Tribunorum non paruisset. L. quoque Flavius Tribunus plebis Metellum Cos. alius Ap. Censorem in vincula duci jussit, ut notat Livius lib. LI. *Tribunus Viatorem mittit ad Consulem, Consul Lictorem ad Tribunum, privatum esse clamitans, sine imperio, sine magistratu*. *Drusus tum Tribunus plebis Philippum Consulem, quod se in concione interpellaret, obtorta gula per Viatorem in carcerem adegit*, ut scribit Idem Lib. LV. Tribuni etiam plebis *sacrosanctum corpus attingere* violandi caussa capitale fuit. *Rectius* etiam impune cæsus legitur, *quod Tribuno non adsurrexisset*. Denique tanta fuit *Tribuni plebis potestas*, ut non modo Senatus sed etiam Magistratuum & Collegarum ipsiusque plebis acta unus sua intercessione impediret; nec ulterius progredi poterant, nisi prius solenni jure suffragiorum *imperium* illi a plebe, quæ demandarat, *rursus adimeretur abrogando. Sic M. Octavius Tribunus plebis*, ut legere est apud Plutarchum in Gracchis, omnibus Collegis suis, præcipue vero Ti. Graccho legem Agrariam ferenti *solus intercessit*. Quid factum? Lex antea perferri non potuit, quam suffragia plebis imperium illi & potestatem illam Tribuniciam adimerent. Quum igitur, ut concludam, *civium omnium bona, fortunæ, libertas, vita, mors, totius reipublicæ status, imperia, jura, leges, bella, fœdera, magistratuum denique ipsiusque Senatus auctoritas* a populi voluntate, arbitrio, & jussu penderet, nemo credo dubitabit Rempublicam fuisse *popularem*. Hæc sufficiant ad legem illam Romuli, quam tulit de *Populi jure*, ut scilicet populus *crearet magistratus*, *leges scisceret* vel *juberet*, *bella* denique *decerneret*: sequitur septima Romuli lex de *Magistratuum insignibus*.

2 *Ut Regi Magistratuique augustior semper in publico esset habitus, suaque insignia*. Hujus legis sententia est apud Livium lib. I. *Rebus divinis rite perpetratis, vocataque ad Concilium multitudine, quæ coalescere in populi unius corpus nulla re præterquam legibus poterat, jura dedit: quæ ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si se ipse venerabilem insignibus imperii fecisset, quum cætero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim sumtis fecit* &c. Per *Habitum*, quo se augustiorem inter cives fecit Romulus, intelligenda proprie *Trabea*. Suetonius lib. de vestimentis, auctore Servio in lib. VII. Æneid. ad v. IↃCXII. *tria Trabearum genera* esse ostendit; *unum e sola purpura, Diis consecratum*; *alterum e purpura non sine albo, quo Reges usi fuerunt*: *tertium Augurale e purpura & cocco*. De *primo genere* non est opus ut verba faciam, ut nec de *tertio*; quum ad alium locum pertineant. Quod ad *secundum Trabeæ genus*, illud in maximo semper apud Romanos fuit usu. Non enim *reges* tantum, verum etiam, pulsis regibus, *Consules*; item *Equites*, quum *Trabeati* Idibus Quinctilibus transveherentur, eas usurparunt. Et sane Consulum Trabea post reges ejectos, *militaris* fuisse videtur *habitus*, quo illi in bello fuerunt usi. Livius lib. XXII. *Consul quum Corcyræ hibernasset, vere primo in continente trabeatus ad hostem ducere cœpit*. Et hanc etiam ob caussam Equestres Turmæ bellicam speciem repræsentantes Idibus Quinctilibus *trabea vestiti* transvehebantur. Meminit *Trabeæ Consularis* Ausonius in gratiarum actione pro Consulatu his verbis: *In procinctu & tum maxime dimicaturus, Palmatæ vestis meæ ornamenta disponis feliciter bono omine: namque iste habitus ut in pace Consulis est, sic in victoria Triumphantis. Parum est, si qualis ad me trabea mittatur interrogas, te coram promi jubes*. Sic Symmachus lib. IX. epist. CII. *Litteræ quæ se Annalem Trabeam meruisse loquerentur*. Claudianus *præf.* II. v. X. *Annus qui trabeas, hic dedit exilium*. De Trabea autem illud videtur notandum, *vestem* eam fuisse, qua Reges quidem & sub Imperatoribus Coss. usi fuerunt *tempore pacis*: Consules autem libera jam republica, *tempore belli*, & *in expeditionibus*. Nam vetere republica post exactos reges usque ad Imperatores Augustos, *Consules* usos fuisse *Toga Prætexta* domi & in urbe omnes loquuntur historiæ: *Consules* autem sub Imperatoribus non contenti *simplici prætexta*, non solum *Trabeam* cœperunt usurpare, quemadmodum jam dixi; verum etiam *togam pictam* cœperunt induere, quæ triumphantium antea fuerat. Latius hæc explicavi in historia Consulum, ubi *de illorum Insignibus*; quorum explicatio hoc etiam loco non est repetenda. Succedit exponenda lex Romuli octava.

3 *Ut Senatus publicum esset & commune Civitatis concilium & in eum Patriciis tantum pateret aditus*. Præterquam quod hæc apud Livium non uno loco, meminit etiam Cic. scriptor gravissimus. *Majores nostri ita magistratus annuos crearunt*,

ut Concilium Reipublicæ præponerent sempiternum, deligerentur autem in id concilium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem omnium civium industriæ pateret. Senatores *a Romulo* primum institutos esse memoriæ mandant Livius lib. I. Dionysius lib. II. Plutarchus in ejus vita & alii scriptores. Numerus sub Romulo fuit *Centum*; qui auctus *ad ducentos*, quum anno ab V. C. VIII. facta inter Sabinos & Romanos pace T. Tatius in urbem & regni societatem fuit receptus. *Sub Tarquinio Prisco, trecenti* fuerunt senatores; quibus Gracchorum temporibus *trecenti* adscripti numerum expleverunt IↃC. *Senatorum*. Sub *Triumviris* Reipublicæ Constituendæ post occisum in Senatu Julium Cæsarem, *nongenti* fuisse Senatores leguntur, & paullo post *supra mille*. Augustus Principatum Reipublicæ Romanæ adeptus *adfluentem Senatorum numerum*, ut de eo scribit Suetonius cap. XXXV. *deformi & incondita turba ad modum & pristinum splendorem redegit*. Quæ omnia pluribus docui, quum, in magistratuum historia enarranda, de Senatoribus agerem. Ait autem *commune civitatis concilium*. Ab Senatus enim consiliis pendebat totius civitatis gubernatio. Postea quum latius dominarentur Romani & pomeria sui Imperii longissime protulissent, cœpit Senatus esse non *Civitatis* tantum sed *totius orbis terrarum consilium*. Eo pertinent verba Ciceronis lib. III. epist. VIII. ubi iic inquit: *Neque eram tam desipiens, ut privatæ rei caussa legari putarem, qui & tibi non privata sua sed publica, non in privato sed in publico orbis terræ consilio, id est in Senatu ut gratias agerent mittebantur*, &c. Additur deinde in lege: *Et in eum Patriciis tantum pateret aditus*. Obtinuit illud, quandiu respublica Romana *penes Reges* fuit. Nam parta libertate Senatus *plebeiis* etiam fuit communicatus. Sed quando, non satis constat. Festus in libris de verborum significatione institutum hoc notat *a primis Consulibus*, primo anno libertatis ab V. C. CCXLIV. a Consulibus, inquam, L. Junio Bruto & P. Valerio Poplicola. Dionysius lib. V. notat, quamquam obscure, institutum hoc fuisse post annum CCLX. & ante annum CCCXX. uti etiam patet ex Livio. Sigonius conjectura ductus putat, *Decemvirorum Consularium tempore*, illud institutum fuisse, ex quibus aliquot *ex plebe* fuerunt, quos in Senatum propter magistratus ipsius amplitudinem adscitos esse, atque eorum exemplo post alios etiam adscriptos; præsertim vero, postquam *plebeii* de Tribunatu militari, quæ par erat Consulatui potestas, capiendo pervicerint. Illud autem hic notandum, *Plebejos* antea, quam in Senatum allegerentur, *Patricios* fuisse factos, quemadmodum disertis verbis tradit Dionysius libro quinto. Sequitur Nona lex Romuli *de Coloniis*.

4 *Ut Coloni Romani mitterentur in oppida bello capta, vel saltem hostes victi, frangendis illorum viribus, agri multarentur parte*. Dionysius Halicarnassæus gravis imprimis certissimusque rerum Romanarum scriptor inter reliqua præclara Romuli instituta, quibus, Republica Romana fundata, ei ad certissimum exterarum omnium gentium ac populorum bello paceque principatum pervenire difficile non fuit, *omnium præstantissimum atque optimum* esse judicavit, *Quod nec bello captas urbes funditus exciderit, vel eis in servitutem redactis earum agros pecori pascua reliquerit; sed deductis colonis eas Colonias Romanas fecerit, atque quasdam etiam civitate donatas Reipublicæ participes admiserit*. Quibus institutis brevi tempore magnam urbem ex parva reddidit. Nam qui, quum urbem condidit, vix *tria peditum millia trecentosque equites* habuit, idem moriens *peditum sex & quadraginta millia, & mille equites*, reliquisse traditur. Cujus exemplum ceteri reges primum, deinde Consules sequuti, Romanum Imperium omnium maximum & potentissimum effecerunt; verba Dionysii digna sunt, quæ vobis a me recitentur: *His accessit*, inquit, *tertium Romuli institutum, quod maxime a Græci generis hominibus exerceri decuit; ut omnium longe præstantissimum, &, ut mea fert opinio, libertatis Romanæ fundamentum firmissimum, atque ad futurum imperium momentum non minimum: quo videlicet puberes omnes in bello, captis urbibus, necari vetuit, aut sub hasta venundari; sicut nec agros eorum relinqui voluit compascuos, sed in partem agri sorte dividendi colonos Romanos mitti, nonnullos vero admitti etiam in jus civitatis. His ille atque ejusmodi aliis institutis urbem ex parva magnam reddidit, id quod res ipsa indicat*. Et paulo post: *Atque hæc ipsius instituta quum regni successores servaverunt, tum post illos magistratus annui, addentes & alia quædam, ita ut Romana civitas nulli genti, vel populosissimæ, numero hominum cederet*. Committit deinde scriptor magni judicii *Athenienses, Spartanos, Thebanosque cum Romanis*, hac in re, in *Coloniis*, inquam, *mittendis in loca devicta*. Consimilia leguntur apud Tacitum lib. XI. Annalium cap. XXIV. ubi Tiberius Claudius Cæsar orationem habet in Senatu *de admittendis ad honores urbanos Gallis Transalpinis*. Inter alia sic loquitur: *Majores mei (quorum antiquissimus Clausus origine Sabina simul in civitatem Romanam & in familias Patriciorum adscitus est) hortantur, ut paribus consiliis Rempublicam capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro, Julios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, &, ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque & omni Italia in Senatum ascitos, postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent*. Et paulo post: *Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros ex Gallia Narbonensi transiisse? Manent posteri eorum, nec amore in hac patria nobis cedent. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, deinde cives habuerit*, & quæ alia sequuntur. Ex his Dionysii & Taciti verbis, qualis Reipublicæ Romanæ consuetudo, qualiaque fuerint instituta *in Colonis deducendiis*, intelligere non obscure possumus: quibus institutis nixa totius orbis terrarum imperio potita est. De Coloniis eleganter Agellius lib. XVI. cap. XIII. *Municipes*, inquit, *sunt cives Romani ex municipiis suo jure & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes; a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, quum numquam publicus eorum fundus factus esset. Sed Coloniarum alia necessitudo est. Non enim veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur, nec mancipia, sed ex civitate quasi propagatæ sunt, & jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent*.

Coloniarum igitur conditio magis quidem, quam Municipiorum, erat obnoxia & minus libera; potior tamen & præstabilior existimabatur propter amplitudinem majestatemque populi Romani, cujus Coloniæ quasi parvæ quædam erant effigies: simulque quia obscura obliterataq; erant Municipio-

rum jura, quibus uti per ignorantiam nequibant. Deducendarum igitur Coloniarum mos ab Romulo institutus est, & ab eo tempore frequentissimus fuit apud Romanos. Nam hostibus, qui lacessere potentem populum fuerunt ausi, devictis, agrique & regionis parte multatis, in agris de eis captis, quo imperium Romanum stabilirent, vel *novas urbes condebant*, vel *in antiquitus conditas*, veteribus incolis ex iis jure belli pulsis, *novos ex urbe ipsa cives per Triumviros in eum finem creatos eo deducebant*, quotquot agro capto colendo sufficere possent, quem novis colonis dividebant. Hi statim in Coloniam deducti *novam administrandæ reipublicæ rationem Romano more constituebant*. Nam ut *Romæ* erat *populus & Senatus*, sic hi novos colonos in *Decuriones & plebem* dividebant: *Decuriones* Senatus, *plebs* populi Romani imaginem referebant: ex *Decurionibus* annis singulis *duo vel quatuor viri* creabantur juxta Coloniæ magnitudinem vel parvitatem, qui *Duumviri* vel *Quatuorviri juri dicundo* vocabantur. Hi Consulum Romanorum speciem repræsentabant. Creabatur insuper *Ædilis*, qui *Viarum, Ædificiorum publicorum, Annonæ, & locandorum redituum publicorum curam haberet*: item *Quæstor*, qui *Ærarium publicum curabat*. Hi erant præcipui Coloniarum magistratus: in ceteris omnibus more, legibus, & institutis Romanis vivebant. *Coloniarum* autem fuisse duo genera notat Asconius; quædam *civium Romanorum*, quædam *Latinæ*; *Coloniæ civium Romanorum* præter Sacra, omnia jura habebant, quæ cives Romani obtinebant, quemadmodum & Municipes cum suffragii jure. *Coloniæ vero Latinæ* erant, quæ jus Latii habebant. Jus illud quale fuerit, alias exponam, ut etiam, quæ ab Romulo rege usque ad Imperatores Cæsarem, Vespasianum ex SC. vel populi jussu fuerint deductæ & quot. Nam ad aliam Antiquitatum Romanarum sedem vel partem illa pertinent. Sequitur lex decima Romuli de *Fastis, & Anni Romani constitutione*.

5 *Annus Romanus decem esset mensium*. De hac Romuli constitutione sic scribit Macrobius lib. I. Sat. cap. XII. *Romani, auctore Romulo, annum suum decem mensibus ordinatum habuerunt, qui a Martio incipiebat, & conficiebatur diebus* CCCIX. *ut sex quidem menses, id est Aprilis, Junius, Sextilis, September, November, December tricenum essent dierum; quatuor vero Martius, Majus, Quinctilis, October, tricenis & singulis expedirentur, qui hodieque Septimanas habent nonas, ceteri quintanas. Septimanas autem habentibus ab Idibus revertebantur Kalendæ ad diem septimum decimum; verum habentibus quintanas, ad decimum octavum remeabat initium Kalendarum. Hæc Romuli fuit ordinatio*: quæ tamen exigui fuit temporis. Nam quum numerus decem mensium *neque Solis cursui*, quemadmodum idem Macrobius notat, *neque Lunæ rationibus conveniret, nonnumquam usu veniebat, ut frigus anni Æstivis mensibus & contra calor hiemalibus proveniret. Quod ubi contigisset, tantum dierum sine ullo mensis nomine patiebantur assumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus instanti mensi aptus inveniretur*. Sequutus igitur Romulum Numa *quinquaginta dies* addit, ut *in trecentos quinquaginta quatuor dies*, quibus duodecim Lunæ cursus confici credidit, annus extenderetur; atque his *quinquaginta diebus* a se additis, alios sex retractos illis sex mensibus, qui triginta habebant dies, id est de singulis singulos, factosque sexaginta & sex dies in *duos novos menses* pari ratione divisit: ac de duobus priorem *Januarium* nuncupavit, *primumque anni* esse voluit: secundum dicavit *Fe-*

A *bruo Deo*, qui Lustrationum potens creditur. *Januarius* igitur, *Aprilis*, *Junius*, *Sextilis*, *September*, *November*, *December undetricenis* censebantur diebus, & *quintanas Nonas* habebant: ac post Idus in omnibus *septemdecim* ad Kalendas computabantur. *Martius* vero, *Majus*, *Quinctilis*, & *October*, dies *tricenos singulos* possidebant: *Nonæ* in his *septimanæ* erant: similiterque post Idus *decem & septem dies* in singulis usque ad sequentes Kalendas computabantur. Solus *Februarius viginti & octo* retinuit dies, quasi inferis & *diminutio*, & *par numerus* conveniret. Talis anni ordinatio ab Numæ regis regno *ad Julii*
B *Cæsaris* imperium duravit. Is enim *tertius* fuit, qui annum ordinavit, quem nos hodieque sequimur. Accommodavit autem annum ille *ad cursum Solis*, *diesque* decem anno Numæ addidit: quos in sua ordinatione sic distribuit. In *Januarium Sextilem & Decembrem binos dies* inseruit; in *Aprilem, Junium, Septembrem, Novembrem singulos*, quemadmodum plene docet idem Macrobius lib. I. cap. XII. ut & de omnibus Livius lib. I. Florus lib. I. cap. II. Auctor de V. V. Ill. cap. III. Male enim Eutropius lib. I. Cassiodorus in Chronicis & Solinus cap. III. scribunt, *Numam* annum di-
C stribuisse *in menses decem*. Hæc de decima Romuli lege: succedit undecima *de jure Nuptiarum*, quæ primum tenet locum inter eas, quæ ad jus privatum pertinebant.

CAPUT IV.

1 *Undecima de jure nuptiarum*.
2 *Duodecima de matronarum jure & privilegiis*.
3 *Tertia decima de monstroso partu*.
4 *Decima quarta de patria potestate*.
5 *Decimaquinta de mulierum delictis, quæ omnes spectant ad jus privatum*.
D
6 *Ultima de Homicidiis*.

1 *UT mulier, quæ viro juxta sacratas leges nupsit, illi sacrorum fortunarumque omnium esset socia, neve eum desereret; & quemadmodum ille familiæ Dominus, ita hæc foret Domina: neque defuncto viro, non secus ac filia patri hæres esset, in portionem quidem æquam, si liberi exstarent, ex asse vero, si minus*. Legis hujus duæ sunt partes; quarum prior pertinet ad *Jus Nuptiarum*; altera, *ad Successionem, quæ Conjugi competit in bona defuncti mariti, de-*
E *scendens ex Nuptiarum vi & jure*. De utraque sic scribit Dionysius Halicarnasseus l. III. *Romulus unica constitutione redegit uxores ad decentem modestiam. Ea fuit talis. Mulierem nuptam, quæ juxta sacratas leges convenisset cum viro, ei participem esse possessionum & sacrorum omnium. Nominabant autem Romani prisci sacras nuptias vocabulo suo farracia: quia conjuges vescerentur eodem farre*. Et paulo post: *Ita hæc lex mulieres nuptas, non habentes quo se vertant alio, cogebat magis mariti se attemperare moribus: viros item sic habere mulieres, ut rem necessariam, nulloque divellendam tempore. Uxor enim pudica & mari-*
F *to semper obsequens, æque ac ille, domus erat domina, in ejus defuncti bona succedebat hæres, sicut parentis filia; ex asse quidem, si is liberis carens ac intestatus decederet; quod si prolem haberet, ex æquo cum liberis*. Exponit iis verbis Dionysius sacras Nuptias *Farracia* esse dicta, quod scilicet eodem farre Conjuges vescerentur, quo etiam victimas in sacrificiis respergebant. Modus ille Nuptiarum ut plenius clariusque intelligatur, operæ precium est audire verba cum *Boetii*, tum *Ulpia-*

ni, & aliorum: *illius* quidem ad Topica Ciceronis, hujus vero in Institutionibus. Sic enim Cicero in Topicis de duobus uxorum generibus loquitur: *Si ita Fabiæ pecunia legata est a viro, si ea in manum viri non convenerat, nihil debetur. Genus est enim uxor: ejus duæ formæ, una matrum familias, hæ sunt, quæ in manum convenerunt: altera earum, quæ tantumodo uxores habebantur*, &c. Ad ea Ciceronis verba Boetius quæ sequuntur annotat: *Tribus modis uxor habebatur, usu, farre, coemtione: sed confarreatio solis Pontificibus conveniebat. Quæ autem in manum per coemtionem venerant, hæ matresfamilias vocabantur; quæ usu vel farre, minime*. Quæ tamen Boetii vera non esse, arguunt Ciceronis illa in oratione pro Flacco, ubi sic scribit: *In manum convenerat. Nunc audio. Sed quæro utrum usu an coemtione? usu non potuit: nihil enim potest de tutela legitima, sine omnium tutorum auctoritate diminui. Coemtione? Omnibus ergo auctoribus*. &c. Nam *usu* etiam nedum *coemtione* uxores in manum convenisse significat. Jacobus Rævardus lib. IV. variorum cap. XVI. ita Ciceronis locum in Topicis interpretatur, ut dicat, Ciceroronem *per duas uxorum formas* intelligere uxorem *justam & injustam*, uti JC. loquuntur. *Justam* esse ait, *quæ in manum viri convenerit usu, farre, aut coemtione*, quam Cicero *matremfamilias* appellat: *injustam, quam sola consuetudo uxorem fecerit, & cum qua jus esse connubii leges non patiantur*. Jam Ulpiani tit. IX. Institut. verba sunt hæc: *Farre convenitur in manum certis verbis & testibus decem præsentibus & solenni sacrificio facto, in quo panis etiam farreus adhibetur*. Ad hoc autem sacratum Nuptiarum genus referenda etiam verba Plinii lib. XVIII. cap. II. *In Sacris nihil religiosius erat Confarreationis vinculo; novæque nuptæ farreum præferebant*. Illa item Taciti lib. IV. Annalium c. XVI. quibus scribit *Confarreandi consuetudinem aut omissam, aut inter paucos retentam* fuisse. Sic Arnobius lib. IV. *Uxores enim Dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis. Usu, farre, coemtione genialis lectuli sacramenta conducunt*. Omnium autem optime Servius Danielis in excerptis a Pythæo: *Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant: usu, si, verbi gratia, mulier anno uno cum viro licet sine legibus fuisset. Farre, quum per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem per fruges & molam salsam conjungebantur, unde Confarreatio appellatur, ex quibus patrimi & matrimi nascebantur. Coemtione vero atque in manum conventione, quum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat; ut si quis prior fuisset defunctus, locum hæreditatis justum alteri faceret*. Iterum alibi: *Quid enim est aliud dextræ, quam in manum convenire, quæ conventio eo ritu perficitur, ut aqua & igni adhibitis duobus maximis elementis natura conjuncta habeatur, quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem & Flaminicam jure Pontificio in matrimonium necesse est convenire*. Et paullo post: *Mos fuit Flamini ac Flaminicæ, ut per Confarreationem in Nuptias convenirent, sellas duas jugatas ovili pelle superinjecta poni, ejus ovis quæ hostia fuisset, & ibi nubentes velatis capitibus in Confarreatione Flamen ac Flaminica residerent. Confarreationes autem Tonitru dirimit*. Pulcræ sane sunt doctissimi Grammatici reliquiæ. Liberi qui hujusmodi *sacris nuptiis* nascebantur, *confarreatis geniti* dicebantur *parentibus*. Eleganter Tacitus lib. IV. Annalium cap. eod. Sic enim ibi Cæsar, quum in Senatu de Diali Flamine in locum Ser. Maluginensis defuncti legendo ageretur: *Nam Patricios,*

A inquit, *Confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quis unus legeretur, vetusto more: neque adesse ut olim eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine, ac inter paucos retenta* &c. Quemadmodum autem *Confarreatio* dicebatur Conjunctio viri & Mulieris farre adhibito; sic *Diffarreatio* vocabatur hujusmodi matrimonii Dissolutio; quæ vox apud Festum in libris de verborum significatione. *Confarreatus* etiam dicitur & explicatur in doctissimo Glossario συμβιώσεως χάριν τευχθείς, *convivendi gratia junctus*. Dicitur porro in lege Romuli apud Halic. *ut uxor sacrorum omnium esset socia*. Exaudienda sunt hic B *Sacra privata. Sacra* enim apud veteres Romanos, aut *publica* erant aut *privata*. *Publica* censet Festus, *quæ publico sumtu pro populo fierent, quæque pro montibus, pagis, curiis & sacellis; privata, quæ pro singulis hominibus & familiis, vel etiam gentibus*. De *Privatis* ita loquitur Macrobius l. I. cap. XVI. *Sunt præterea feriæ quoque familiarum, ut Claudiæ familiæ, vel Æmiliæ, seu Juliæ, sive Corneliæ, & si quas ferias proprias quæque familia ex usu domesticæ celebritatis observat: sunt singulorum, ut Natalium fulgurumque susceptiones, item Funerum & Expiationum*. Et C hæc quidem *gentilicia sacra* vocant Cicero & Livius. Cicero quum de Aruspicum responsis diceret his verbis: *Multi sunt etiam in hoc ordine, qui sacrificia gentilicia in illo ipso sacello, statuto loco, anniversaria factitarint*. Livius lib. V. apud quem ita loquitur instaurator ille urbis Camillus: *Quam par vestrum factum est, quod in obsidione nuper in egregio adolescente C. Fabio conspectum est, quum inter Gallica tela digressus ex arce solenne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit! an Gentilicia jura ne in bello quidem intermitti; publica sacra in pace deseri placet?*

Scripserat enim ibi paullo ante Livius: D *Sacrificium erat statutum in Quirinali Colle genti Fabiæ*. Quo eodem spectans, credo, Tiberius Gracchus Tribunus plebis apud Plutarchum in concione dixit, *Imperatores Romanos frustra in castris cives ad dimicationem pro sepulcris & sacris suscipiendam hortari; quippe quibus nec aræ patriæ, nec avita sepulcra præ inopia rerum essent relicta*. Hæc autem sacra Patres familias *pro arbitratu suo privata religione* sibi constituebant; hinc *quæ nubebant* alicui, in ejus sacra simul transibant. Sic *qui adoptabantur*, etiam Sacris iis, quæ pater adoptivus colebat, obstringebantur, E quemadmodum priscorum Jurisconsultorum commenta riis scriptum est, unde Valerius dixit: *M. Annei filius in Suffenatis familiam & sacra transierat*. Sic denique *qui emancipabantur a patre*; iidem a sacris etiam patris dimittebantur. Quæ notiora, quam ut pluribus confirmentur. Cicero lib. II. de LL. *Privata Sacra ita pontificio jure constituta* ait, *ut ad quem pecunia, ad eundem etiam sacrorum obligatio perveniret. Omnino enim diligentissime esse animadversum, ne Privata sacra interirent, sed familiis deinceps proderentur*: quod ipse etiam lege sanxit, inquiens, *Sacra privata perpetua manento*: quam legem F eum ex duodecim tabulis sumsisse, postea docebo. Itaque Jurisconsultos multa eorum genera excogitasse addit, *qui sacris obligarentur ut hæredes, ut qui tantumdem cœpissent atque hæredes, ut qui usu plurimum cœpissent de bonis ejus, qui esset mortuus, & ejusmodi alios*, quos hoc loco non videtur necesse commemorare. Quin etiam idem Cicero pro domo, *Pontificum curam fuisse* ait, *ne quid per adoptiones de Sacrorum religione minueretur, sed ut adoptionem sequerentur hereditates nominis, pecuniæ, sacrorum*.

Erant enim sacra hæc privata *grave hæreditatis onus*, unde jure apud Plautum Ergasilus A. IV. S. I. v. VIII. lætatur, *se hæreditatem adeptum esse sine sacris effertissimam*: in quo loco dextre explicando multi frustra se torquent. Ad Sacra etiam privata pertinebant *Sepulcra*, quæ non aliter quam Sacra quædam sancte ab familiis custodiri sunt solita. Cicero lib. I. Officiorum: *Magnum est eadem habere monumenta majorum, iisdem uti sacris, sepulcra habere communia*. Fuisse autem alia *familiaria*, alia *hæreditaria*, & *illa* quidem *quæ sibi & familiæ*, *hæc* quæ *sibi & hæredibus* constituerentur, & Cajus JC. tradit in l. v. D. de rel. & sum. fun. & ex veteribus Sepulcrorum titulis cognoscitur. De his Cicero lib. II. de LL. *Tanta relligio est Sepulcrorum ut extra sacra & gentem inferri fas negent esse, idque apud majores nostros Torquatus in gente Popillia judicavit*. Additur in lege, ut *Fortunarum omnium esset socia*. Hinc *Societas Conjugalis* diffinitur esse *Contractus nominatus bonæ fidei ex nudo consensu in societatem bonorum omnium & malorum, commodorum & incommodorum, consortiumque individuum omnis vitæ inter marem & feminam ad concubitum; qui est societatis hujus consummatio*. Legendi Jurisconsulti in l. II. D. de sponsalibus, l. I. D. de ritibus nuptiarum. l. XXX. D. de reg. jur. Sequitur in legis priore parte: *& quemadmodum ille familiæ Dominus, ita hæc foret Domina*. Ad illustrationem horum verborum, notandum inter ritus nuptiales apud veteres Romanos, & eum in frequenti fuisse usu; *quod pro foribus interrogatæ nubentes, quænam essent, Cajas se esse responderent*. Testis est præter alios auctor Epitomes lib. X. Valerii Maximi in fine, qui sic scribit: *Ceterum Caja usu super omnes celebrata est. Fertur enim Cajam Cæciliam Tarquinii Prisci regis uxorem optimam lanificam fuisse, & ideo institutum esse, ut novæ nuptæ ante januam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Cajas se esse dicerent*. Quem ritum latius exponens Plutarchus in quæstione Romana XXX. scribit, *Sponsam introducentes jubere solitos eam dicere, ubi tu Cajus, ego Caja: quorum verborum plerique hunc sensum esse existimarunt; ubi tu Dominus & paterfamilias, & ego Domina & materfamilias*. Hæc ad priorem legis partem sufficiant: quod ad posteriorem *de jure succedendi in mariti defuncti bona; in portionem quidem æquam si liberi exstarent; ex asse vero si nulli essent liberi*; ejus explicationem differam, in commodiorem locum ad leges duodecim tabularum. Legis autem ratio erat, quod uxor farre & sacratis legibus viro juncta, marito suo *filiæ* esset loco: ideoque, non secus *ac filia* patri, suo viro defuncto succederet. Sequitur lex duodecima *de Matronarum jure & Privilegiis*.

2 *Ut matronis de via decederetur, nihil obscœni præsentibus iis vel diceretur, vel fieret; neve quis nudum se ab iis conspici pateretur, alioquin criminis capitalis reus haberetur*. Sententia hujus legis apud Plutarchum in Romulo: *Mulieribus*, inquit, *Sabinis raptis, aliisque multi sunt honores tributi: cujus generis & hi fuerunt, ut via eis decederetur; ne eis præsentibus obscœnum quidquam diceretur, ut qui nudum videri se ab iis passus fuisset, criminis capitalis reus haberetur*. voluit itaque Romulus, *ut Matronis de via decederetur*. Illustrant hæc aliquo modo quæ scribuntur a Festo lib. XII. de verborum significatione, *Matronæ*, inquit, *a magistratibus non submovebantur, ne pulsari contrectarive viderentur, neve gravidæ concuterentur. Sed nec viri earum sedentes cum uxoribus in vehiculo descendere cogebantur*. Quæ Festi indicavi, quum historiam enarrarem *ministrorum*

A *Magistratuum*, ubi de *triplici Lictorum munere* dixi, de *Submotione*, de *Animadversione*, de *Præitione*. Nam prodeunte in publicum magistratu, cives occurrentes a Lictoribus *submovebantur*; exceptis *matronis*, quæ, inquit Festus, *non submovebantur*. Matronis, inquam. Non enim *sexui* privilegium hoc erat datum, sed *sexus virtuti*. *Meretrices & Infames mulieres* submovebantur. Seneca pater Controversia II. lib. IV. *Majestatem læsam dixissent, si tibi exeunti lictor e conspectu tuo non submovisset meretricem*. Matronis igitur non tantum nihil adferebatur molestiæ submovendo; sed etiam *tanquam advenienti*
B *magistratui de via decedebatur*, ut ex lege Romuli notat Plutarchus. Sequitur, *nihil obscœni præsentibus iis vel diceretur vel fieret*. Exilium quasi indicit Romulus hac sua lege *spurcis omnibus obscœnisque & sermonibus & factis*; *verecundiam* rebus in omnibus inculcans, & rudiorum, ut tunc erant, animis sensum instillans. *Verecundia* enim seu *Pudor* virtus est *quæ veretur veram infamiam comitantem delicta, coercens omnes cupiditates, sermones, gestus, totiusque corporis habitum ita regens ac moderans, ut plane conveniat ordini naturæ, personarum & locorum*.

C Ex hac descriptione apparet, *Pudorem congruere* cum virtute, quæ ab Græcis σωφροσύνη, a Latinis *Modestia* vocatur, quæ fere eadem est cum *Justitia Universali*; ideoque Plato in Protagora *Justitiæ Pudorem* conjungit: Αιδώςτε καὶ δίκη, inquit, εἰσὶν πόλεων κοσμόιτε καὶ δέσμοι, φιλίας συναγωγοὶ: *Pudor & Justitia sunt civitatum ornamenta & vincula & amicitiæ conciliatores*. *Verecundia a verendo* dicta. Est enim *actus verendi, pudendi & erubescendi*, in vultu peccatum pingens, & liberam ferens commissi criminis multam: vadem boni ingenii tamen, probatæ indolis, & exspectatæ virtutis; ut sane
D adposite videatur dictum: *Erubuit, salva res est*. Nam pudor ipse *habitus est cavendi & providendi*, ne quid tale contingat, quod sit erubescendum; omni quidem ætati congruens, sed ornamentum præcipue *Adolescentiæ*. Gnomæ apud varios scriptores de hac virtute sunt variæ. Cicero in Partit. *Custos virtutum omnium, dedecus fugiens & laudem maximam consequens, verecundia est*. lib. I. Officiorum: *Sine verecundia nihil honestum esse potest, nihil rectum*. Euripides in Iphigenia: *O veneranda verecundia, utinam omnibus conversans impudentiam exemisses*. Democritus: *Malum neque dixeris neque*
E *feceris: Disce autem te ipsum multo magis quam alios revereri*. Jamblichus: *Hujusmodi fuerint mores, qui bonitatem probant & verecundiam sequuntur: propter quam turpibus omnibus abstinemus, & qui Impudentiam ab animis exterminant, ut pote caussam, quod multi turpia committant*. Theognis: *Nullum thesaurum recondes intus meliorem Reverentia, quam bonis viris tribuas*. Alia quæ hic innumera adferri possunt, prudens prætereo. Quemadmodum autem verecundiam & Pudorem hac sua lege Romulus suis inculcat; ita e diverso & disertis verbis ex suorum animis amovere conatur *omnem impuden-*
F *tiam*; de qua eleganter Xenephon lib. I. Pædiæ Cyri ἡ ἀναισχυντία μεγίςη εἶναι δοκεῖ ἐπί πάντα τὰ αἶσχρὰ ἡγεμὼν, *Impudentia præcipua dux est ad omnia scelera*. Sic Euripides in Medea: ἡ μεγίςη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων πάσων Αναίδεια. *Nullus est morbus magis culpandus in mortalium consortio hac Impudentia*. Diphilus: *Homine impudente nullum est animal confidentius, Malus enim est pudor ubi vincit Impudentia*. Theognis: *Nunc verecundia quidem inter homines*

periit, At impudentia Terram peragrat ubique. Sequitur denique in Romuli lege: *Ne quis nudum se conspici ab iis pateretur*. Sic enim janua solet aperiri ad omnia vitia. Facile mala & flagitia cessabunt, si illorum caussæ fuerint sublatæ. *Castitas* igitur hac legis parte commendatur ab optimo rege; quæ autem Castitati Pudicitiæque adversantur, eadem hac lege vetantur.

Castitas seu *Pudicitia* in genere virtus est, *retinens mundiciem animi & corporis, vitansque omnes libidines prohibitas*. Locum habet maxime in Conjugio. Exempla *Castitatis* apud Ethnicos leguntur illustria. *Peleus* abstinet *a Cortheide Acasti regis Magnetum uxore*, a qua ad stuprum solicitabatur. Historiam recitat Pindarus Oda quinta Nemæorum. *Bellerophontes* cohibet se *ab Antæa Prœti uxore* apud Homerum Iliad. II. *Cyrus* non vult adspicere *Panthæam Susianam Abradati conjugem* apud Xenophontem libro V. παιδείας κύρου. *Pausanias* abstinet *a captiva Coa* apud Herodotum lib. IX. *Alexander Magnus Darii regis uxorem, Sorores captas* non vult adspicere, nec de earum forma quidquam audire, ne flammis illegitimi amoris accenderetur; ut de eo scribit Plutarchus in ejus vita. *Scipio* continet se a *captiva Allucii sponsa*, virgine formosissima: quam historiam describit Livius in lib. XXVI. *Juliani quoque Imperatoris* castitas ab Ammiano Marcellino celebratur. Vetantur autem ut dixi quæ Castitati contraria. Talia sunt *vagæ libidines & scortationes, Adulteria, Stupra, Incesti concubitus, Spurci obscœnique sermones*; omnia denique illa, quibus aliorum vel oculi vel aures solent offendi. Vetat autem Romulus præcipue *Nuditatem*: *Nuditas* in utroque sexu valde probrosa; bonæ indoli quam fieri potest maxime vitanda. Exemplum illud *Polyxenæ Trojanæ* apud Euripidem memoria est & admiratione dignissimum. Illa enim gladio cædenda, cadens, studium & curam adhibuisse legitur *ne quam partem corporis nudam ostenderet*: qua de re versus apud Euripidem sunt tales: ἡ δὲ καὶ θνήσκουσ᾽ ὅμως πολλεὶν προνόιαν εἶχεν εὐχημῶς πεσεῖν; κρύπτειν ἄκρυπτειν ὄμματ᾽ ἀρσενῶν χρέων; i. *Illa jam moriens tamen prospexit ut caderet decenter, obtegens oculis virorum quæ latere convenit*. Similia narrat etiam de *cadente Julio Cæsare* Suetonius in ejus vita c. LXXXII. Bene apud Herodotum ait Gyges ἅμα δὲ χιτῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνὴ, *Cum veste exuit Pudorem mulier*. Hæc ad Romuli legem duodecimam de *Matronarum jure & privilegiis*: Succedit explicanda lex decima tertia *de Monstroso Partu*.

3 *Ut monstrosos partus necare parentibus liceret*. De ea sic scribit Dionysius: *Romulus primum necessitatem colonis imposuit educandi quidquid esset masculum, & e filiabus primogenitas, nullam autem prolem necari permisit minorem triennio, nisi quid mutilum aut aliquid prodigiosum in ipso partu esset editum. Tales enim fœtus exponi a parentibus non vetuit, sed indicatis prius quinque viris vicinis proximis, si illis quoque exponendos esse visum fuerit. Contra hanc legem committentium præter alias multas etiam dimidium bonorum addixit ærario*. *Monstra* aliquando nasci certum est, sed quæ nascendi caussa, nondum adeo certum, ut inter se non digladientur hac de re magni scriptores. Plerique medici *ex nimia concipientis hac vel illa de re cogitatione & valida imaginatione* statuunt hoc fieri. Avicennas lib. XVIII. de *Animalibus*, ait *Mulieres aliquando ex cœlesti impressione monstra gignere*. Astrologi quoque *monstrorum or-*

A *tum astris tribuunt*, præsertim iis, quæ *Arietem* constituunt. Domitius Ulpianus, ut videre est ad l. CXXXV. D. de verb. signif. *Monstra fato fieri opinatus est*. Aristoteles lib. II. Physic. *monstra casu fieri* contendit, explosa eorum sententia, qui *a fortuna* ea provenire putabant. Ad quem locum quærunt Aristotelis interpretes *utrum monstra a Natura vel a casu profluant*. Et nonnulli *bifidam monstrorum distinctionem* adferunt. Alia enim esse dicunt *aggregata ex individuo alicujus speciei & monstruositate*: alia vero *individua, quibus illa evenit monstruositas*. *Posteriora ab natura* proficisci; *priora* non item.
B Nonnulli Monstra quidem *a natura particulari nuncupata* edi, alii contra *ab universali* scriptis mandant. Peripatetici in eam turmatim secedunt sententiam, ut adfirment *Monstra ab natura effici, enutriri, augmentumque accipere*; verum non *secundum naturam*: latius namque patet verborum sententia, quum dicimus aliquid esse *a natura*, quam *quum secundum naturam*. Siquidem non solum habitus, dispositiones & formæ *a natura* dimanant, verum etiam *privationes, monstra & corruptiones*; ut bene ac lepide a Themistio & Simplicio in fine libri secundi est adnotatum.
C Averroes monstrorum caussam *alium naturæ modum appellat*.

Monstrosos autem partus *rarius in homine, quam in animantibus*, quæ uno nixu plures edunt catulos, conspici ait Aristoteles lib. de generatione Animalium, c. IV. quia singularem perfectumque fœtum edat, eamque ob caussam in regionibus, quibus mulieres perfæcundæ sunt, ut in Ægypto, plura edi monstrosa. Illud hic silentio non fuit involvendum, ex monstris ipsis *nonnulla vivere, nonnulla statim in lucem edita emori*, quandoquidem, ut Aristoteles scriptum reliquit, *si monstra parum a sua natura secesserint*
D *vivere solent*; alioquin interire; videlicet quum quid præter naturam partibus vivendi principibus accidat. Illud autem *Hippocentauris* evenire Plinius & Servius memoriæ produnt. Plinius enim libro VII. naturalium historiarum capite III. notat *Hippocentaurum olim in Tessalia esse natum, eodemque die interiisse*: tradit & idem Plinius *Hippocentaurum Claudio Imperatori ex Ægypto in melle fuisse allatum, eumque se vidisse, testatur*. Sic Servius ad lib. VI. Æneidos Virg. v. CCLXXXVI. *Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes*; Ad illa enim verba doctus Grammaticus: *Bene in foribus, quia & quæ*
E *contra naturam possunt creari, statim pereunt*. Hæc caussa, quod multi negent *Hippocentauros nasci*. Paria enim esse videntur Non Nasci, & eodem tempore interire. Lucretius lib. IV. v. IↃ CCLIV.

Sed neque Centauri fuerint, neque tempore in ullo
Esse queunt duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas.
Hinc illinc par vis, ut non par esse potis sit

F Et paullo post v. IↃ CCCLXVI.

Ne forte ex homine & veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, nec esse,
Aut rapidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas & cetera de genere horum.

Cicero lib. I. Tusc. *Is plane* inquit *perspiciet inter Hippocentaurum, qui nunquam fuerit & regem Agamemnonem nihil interesse*. Idem lib. I. de nat. Deorum; *Quis enim Hippocentaurum fuis-*

se aut Chimæram putat? Ovid. lib. IV. Tristium Eleg. VI. v. XI.

Quod precor esse liquet, credam prius ora Medusæ
Gorgonis anguineis cincta fuisse comis.
Esse canes utero sub virginis, esse Chimæram
A truce quæ flammis separat angue Leam,
Quadrupedesque homines cum pectore pectora junctos:
Tergeminumque virum, tergeminumque canem:

Sic Hammonius lib. περὶ ἑρμήνειας. *Quod possibile est & contingit aliquando esse, ridiculum fuerit si quis dicat esse impossibile; repugnantia enim loquetur. Quod autem non possibile est, neque esse contingit, ut non possibile est, neque contingit, Centauros esse, ergo impossibile est esse.* Joannes quoque Chrysostomus Homilia VII. ad cap. III. Epistolæ Pauli ad Colossenses, *Hippocentauros monstra esse ficta* testatur. Aristoteles lib. II. physic. ait, *quod quemadmodum non invenitur planta ex vite & olea composita, quæ vinum ac oleum producat, ita non inveni animal ex homine & tauro conflatum.* Palephatus in libro de non credendis Poetarum fabulis & Lucanus in Pharsl. l. III. v. CXCVIII. pariter *negant Centauros esse.* Nasci tamen aliquando testatur ante Servium Plinius, *qui se vidisse* ait. Credamus igitur & nos, quamvis timidius eamque ob caussam non plane *inutilem esse stipulationem* illam, quæ notatur ab Imp. Insti. l. 3. Inst. XX. §. I. ubi hæc verba: *At si quis rem, quæ in rerum natura non est aut esse non potest, stipulatus fuerit, veluti Stichum qui mortuus sit, quem vivere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit, inutilis erit stipulatio.* Nam esse aliquando potest; ideoque utilis futura talis stipulatio. Sed ad monstrosos hominum partus redeo: quorum duo exempla indicabo. Scribit Volaterranus in Commentariis urbanis, *sub Pio hujus nominis tertio Pontifice Maximo in Etruria puellam quandam, quod cum cane adamato stupri consuetudinem habuisset, gravidam esse factam ac semicanem fœtum edidisse, hoc est pedibus, manibus ac auribus caninis, cetera vero hominem; remque expiationis gratia ad Pontificem fuisse delatam.* Memoriæ etiam proditum est, Avenione anno salutis humanæ CIↃ IↃ XLIII. *ex simili concubitum editum esse monstrum humano quidem capite præditum, sed auriculis, collo, brachiis, manibus, partibusque aliis quibusdam caninis: puerperam vero fassam esse, se a cane initam, ideoque mox pridie Kal. Aug. jussu Francisci Gallorum regis una cum cane amasio vindicibus flammis facinus expiasse.* Licuit igitur Romanis veteribus ex lege *monstrosos partus*, ex legitimo tum & naturali concubitu deviante vel aberrante, ut fieri nonnumquam solet, natura; ex viro inquam & femina tollere. Nam si alio modo, ex viro nimirum feminave & alius generis animante monstra fuerint nata, non solum ea necanda, sed & pœnis acerrimis adficiendi qui quæve animantibus aliis comixisti. Permisit Romulus *monstrosos partus necare*; sed, ut notat Dionysius, *adhibitis testibus vicinis, quibus plene constaret partum editum esse monstrosum.* Nam facile potuisset hic fraus fieri ab insanis quibusdam & male feriatis parentibus, odio liberorum. Hæc ad Romuli legem decimam tertiam *de Monstroso partu*: sequitur lex decima quarta *de Patria Potestate.*

4 *Ut parentibus liberos religandi, vendendi, occidendi jus; aliisque modis de iis statuendi plena potestas esset.* Pauca hæc verba, quæ fuse explicat Dionysius Hal. lib. II. *Romanorum Legislator*

A *omnem ut ita dicam potestatem patri dedit in filium, idque toto vitæ tempore, sive in carcerem eum mittere, sive flagris cædere, sive vinctum ablegare ad opera rustica, sive necare libeat, etiamsi filius tractet rempublicam, etiamsi magistratus gerat maximos, etiamsi libertatis laudem publice sit promeritus. Certe juxta hanc legem viri illustres pro rostris, favente plebe, concionantes in Senatus invidiam furentesque auris popularibus, detracti e suggestu per parentes abducti sunt, pœnas daturi ex ipsorum sententia: quos, dum per forum ducerentur, nemo adstantium eripere poterat, non Consul, non Tribunus, non ipsa turba, cui*
B *tum adulabantur, licet omnem potestatem sua minorem existimans. Taceo nunc, quot viri fortes necati sunt a parentibus, nimio virtutis ardore provecti ad parandum aliquid præter ipsorum mandatum, sicut de Manlio Torquato aliisque multis traditur, de quibus suo dicemus tempore. Nec contentus hanc potestatem parentibus dedisse, Legislator Romanus permisit etiam vendere filium, nec deterritus crudelitatis specie, quod res gravior videri posset, quam pro adfectu domestico, quodque maxime quis in hac dissoluta disciplina Græcorum educatus, quasi durum & tyranni-*
C *cum. Hoc quoque patri concessit licere illi terna filii venditione pecuniam quærere, majorem largitus patri potestatem in filium, quam hero in mancipium.* Et paullo post: *Hanc legem primi illi reges observabant, incertum scriptamne an sine scripro proditam, utentes pro omnium sanctissima.* Hæc de ista Romuli lege Dionysius Halicarnasseus diligentissimus Romanarum scriptor: quibus quædam addere est animus. Jus quod cives Romani habuerunt *in liberos*, prope infinitum fuit & *proprium civium Romanorum* vel *Quiritium*. Neque enim bona solum eorum, quemadmodum tradit idem Dionysius lib. VIII. sed *vita etiam & libertas in*
D *potestate fuit parentum.* Scriptum autem hoc invenio cum in aliis veteribus libris Jurisconsultorum, tum maxime lib. I. Instit. tit. IX. §. I. Justiniani, ubi sic loquitur Imperator, vel potius qui ejus nomine Institutiones composuerunt: *Jus potestatis, quod habemus in liberos, proprium est civium Romanorum; nulli enim sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.* Potestatem igitur hanc *non recentem* sed jam inde *ab Romulo permissam*, audivimus ex verbis Dionysii jam recitatis: quibus addit, *Numam Pompilium hanc ad legem Romuli exceptionem adjecisse, ne præter filium, qui suo consensu*
E *uxorem duxisset, vendendi jus haberet: hasque leges post a Decemviris probatas & in quartam tabulam relatas.* Id quod apud Ulpianum etiam scriptum invenio in titul. XI. §. I. *Liberi parentum potestate liberantur emancipatione, id est si posteaquam emancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus ter manumissus sui juris sit. Id enim lex duodecim tabularum jubet his verbis: Si pater filium ter venundarit, filius a patre liber esto: ceteri autem liberi, præter filium, tam masculi quam feminæ una emancipatione manumissioneque sui juris sunt.*
F Quin etiam Justinianus Inst. I. tit. XII. §. 6. quam emancipationem *per antiquam legis observationem* processisse ait, *quæ per imaginarias venditiones & intercedentes manumissiones celebraretur, observationem legis duodecim Tabularum* intelligit. Priorem patriæ potestatis partem, qua *jus in filium* pater habet *vitæ necisque*, Cicero expressit, quum in Clodium pro domo sua ita loquitur: *Credo te esse interrogatum, auctor ne esses, ut in te P. Fontejus vitæ necisque potestatem haberet.* Posteriorem de tribus auctionibus & de fiduciaria eman-

A emancipatione declarat Cajus lib. I. Instit. t. VIII. his verbis. *Emancipatio hoc est in manus traditio quædam similitudo venditionis est: quia & in emancipationibus præter certum patrem alius pater adhibetur, qui fiduciarius vocatur. Ergo iste naturalis pater fiduciario patri filium suum mancipat, hoc est manu tradit; a quo fiduciario patre naturalis pater unum aut duos nummos quasi in similitudinem pretii accipit, & iterum eum acceptis nummis fiduciario patri tradit, hoc secundo & tertio fit, quum fiduciario patri nuncupat ac tradit, & sic de patris potestate exit. tamen quum tertio mancipatus fuerit filius a patre naturali fiduciario patri,* B *hoc agere debet naturalis pater ut a fiduciario patre mancipetur, & a naturali patre manumittatur, ut si filius ille mortuus fuerit, ei in hereditate naturalis pater, non fiduciarius succedat.* Sed quia hæc omnia de patria potestate in explicatione Legum duodecim Tabularum erunt repetenda (nam Decemviri legem hanc Romuli, exceptione tum ab Numa Pompilio infirmatam, in leges duodecim tabularum conjecerunt) ideoque hic in legis hujus illustratione subsistam, reliqua dicturus in enarratione duodecim tabularum. Sequitur igitur lex Romuli decima quinta *de Mulierum Delictis*.

C 5 *Ut si qua in re peccasset mulier, pœnam lueret ex mariti, qui læsus, arbitrio: si veneficii circa prolem vel adulterii esset accusata, cognitionem ejus rei vir & Cognati mulieris haberent; si convicta esset, ex illorum sententia multaretur: si vinum bibisset, domi ut adultera puniretur. Si vir extra veneficium Natorum vel adulterium mulierem repudiasset, rerum ejus pars uxori daretur, pars autem Cereri cederet.* Hujus legis sententia salva est & integra apud Dionysium lib. II. ubi de Romuli institutis inter alia his verbis disserit: *Si autem aliquid peccasset mulier pœnam luebat ex mariti læsi arbitrio. De hujusmodi cri-* D *minibus Cognati cum ipso cognoscebant in quibus erat violata pudicitia, &, quod apud Græcos videretur levissimum, si deprehensa esset vinum bibisse mulier. Nam utrumque damnavit Romulus, ut erratorum muliebrium maximum, ratus e stupro nasci insolentiam, stuprum ex vinolentia: longoque tempore crimen utrumque apud Romanos iram merebatur implacabilem, comprobantibus legis æquitatem tot sæculis.* Duo igitur fuerunt uxorum apud veteres Romanos *Delicta*, quæ gravissima esse Romulus statuit, *si pudicitiam violassent* & *si vinum bibissent*. Eamdem rem in hæc verba perse- E quutus est Agellius lib. x. cap. XXIII. *Qui*, inquit, *de victu atque cultu populi Romani scripserant, mulieres Romæ atque in Latio abstemias egisse, hoc est vino semper, quod temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt: institutumque ut cognatis osculum ferrent, reprehendendi caussa, ut odor indicium faceret, si bibissent. Bibere autem solitas loream, passum, murinam & quæ id genus epotant, potu dulcia. Atque hæc quidem in iis quos dixi libris pervolgata sunt. Sed M. Cato non solum existimatas sed multatas quoque a judice mulieres refert, non minus si vinum bibissent, quam si* F *probrum & adulterium commisissent. Verba M. Catonis adscripsi ex oratione, quæ inscribitur de Dote, in qua id quoque inscriptum est. In adulterio mulieres deprehensas jus fuisse maritis necare. Vir, inquit, quum divortium fecit, mulieri judex pro Censore est. Imperium, quod videtur, habet. Si quid perverse tetreque factum est a muliere, multatur; si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur. De jure autem occidendi ita scriptum est: In adulterio uxorem tuam si*

deprehendisses, sine judicio impune necares: illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque jus est. Eadem omnino recitat Athenæus in Dipnosophistis ex Polybio. Scriptum autem in lege *si veneficii circa prolem esset accusata*. Pars hæc legis Romuleæ exstat apud Plutarchum in ejus vita: *Leges etiam quasdam tulit Romulus, inter quas vehemens est illa, qua mulieri maritum relinquendi potestas adimitur; viro autem ejicere uxorem conceditur, si veneficio circa prolem usa fuisset aut alienam pro sua subjecisset, aut adulterium commisisset: si quis alia de caussa repudiasset conjugem, ejus mariti bona partim uxori cederent, partim Cereri sacra forent, & qui uxorem dimisisset, is Diis manibus rem sacram faceret.* Exempla autem hujus rei apud veteres scriptores, *veneficia*, inquam, *circa prolem*, non occurrunt.

Vel adulterii, inquit Lex. *Adulterium*, coitus est illicitus cum alterius conjuge sive marito sive uxore, seu *Tori alieni violatio*. Dicitur autem *Adulterium*, quasi ad *alterum*, quam qui jure habetur, *accessus*. Adulterium autem committitur non solum *a marito*, sed etiam *ab uxore*: de posteriore genere loquitur hæc lex. *Ab uxore* indistincte committitur, si rem habeat sive *cum soluto* sive *conjugato*; quia semen adulterinum illa concipit & confundit cum maritali l. XIII. D. ad Leg. Jul. de adulter. l. CI. D. de verborum significatione. Committitur etiam *a sponsa* l. VII. C. eodem tit. Cujac. Obs. l. CXVI. & l. XX. c. XVI. Habetur enim *sponsa pro uxore*. l. LXXIV. D. de jure dot. Sed an etiam in *meretricem nuptam* incidat adulterium, adfirmat Vandus JC. lib. II. quæst. XXI. contra communem Doctorum opinionem. *A marito* committitur Adulterium, si rem habeat *cum ligata* sive *nupta* l. XXIX. C. D. x. si *cum soluta*, dicitur simplex commisisse *stuprum*. Novell. CXVII. cap. VIII. De Pœna mox dicam. Sequitur in lege, *cognitionem ejus rei vir & Cognati mulieris haberent*. Ita igitur ex lege Romuli in manu viri fuit uxor, *ut de crimine ejus cum propinquis cognosceret, statueretque*. Livius lib. XXXVII. *Mulieres damnatas cognatis aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in privato animadverterent; si nemo erat idoneus supplicii exactor, in publico animadvertebatur*. Tacitus lib. II. cap. I. Annalium: *Interrogatus a Consule quid de his censeret, quæ de matre ejus locuta secus argueretur, reticuit: dein proximo Senatus die illius quoque nomine oravit, ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent, liberavitque Apuleiam lege Majestatis; adulterii graviorem pœnam deprecatus, ut exemplo majorum propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur, suasit. Adultero Manlio Italia atque Africa interdictum est.* Sic Suetonius in Tiberio cap. XXXV. *Matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui majorum more de communi sententia coercerent, auctor fuit.* Idem Tacit. lib. XIII. c. XXXII. *Plautius prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit & insontem judicavit.* Videndus etiam Valerius Maximus l. VII. cap. III. c. 8. Ait lex *si convicta esset, ex illorum sententia multaretur*. Jacobus Cujacius lib. Observ. VI. cap. XXV. docet per hanc legem concessum fuisse maritis ab Romulo, non quidem *ut necarent suas conjuges adulterii convictas*, sed *ut multarent*; ideoque apud Dionysium Halicarnassæum legi vocem τημενοῦν, quod nihil aliud quam *multam intelligere*, non *mortem*: eamque ob caussam Agellium quoque, cujus verba paullo ante recitavi, habere *multare*, &

condemnare, non autem *necare*. Sed contra Cujacium sentit Joannes Bodinus in Methodo historica cap. IV. & in rep. lib. I. cap. III. & IV. ubi etiam scribit, *quibus præter Romanos populos usitatum fuerit uxores suas adulteras occidere*. Pœna Adulterii licet sæpius iterati olim fuit *relegatio vel deportatio cum publicatione tertiæ partis bonorum, & dimidiæ dotis*. Cujac. ex variis legibus lib. Obs. XXI. cap. XVII. & lib. VI. cap. II. & XXV. Temporibus Diocletiani & Constantini *pœna sanguinis irrogari cœpit*, l. XVIII. C. de transact. l. XXX. C. de adulteris, quam pœnam solet etiam sequi *privatio dotis* Novell. XXII. XV. §. I. Macrinus Imperator adulterii reos semper *vivos simul junctis corporibus cremare* solet. Hodie Constantini durat *quo ad maritum* in plerisque Germaniæ honestis politiis per Ordinat. Imperii CXX. quæ pœna in maritum exstat quoque Exod. cap. XX. v. XIV. Levit. CXXII. v. V. Deut. c. XXII. v. XXI. Ezech. c. XVIII. v. VI. durat inquam *pœna cum Donationis propter nuptias uxori adsignandæ amissione*, l. XLVII. D. solut. matr. *Fæminis capitalis pœna remissa* est per Novell. Const. CXXXIV. cap. 10. & Auth. sed hodie. C. de adult. & *adultera detruditur in monasterium* cap. II. extra. de adult. *si maritus eam nolit recipere*. quod merito improbat Wesembec. in paratit. quum eamdem plane pœnam *femina adultera ex auctoritate sacræ scripturæ sustinere debeat*. Legendus Bodinus de Republica lib. I. cap. III. Quod autem ad *jus illud competens marito & cognatis cognoscendi de Adulterio Conjugis*; legibus, quibus hodie utimur, *marito quidem & patri* certo tempore accusandi adulteram potestas præ ceteris tribuitur; quin & *marito*, qui uxorem sciens delinquere patitur, quive deprehensam in adulterio retinet, neque matrimonii contaminatione movetur, *gravis etiam pœna* infligitur: verum ut eam ipse coerceat, quemadmodum permissum fuit ex lege Romuli, hodie non conceditur; quum ne deprehensam quidem cum adultero aliter quam *certis cautionibus* occidere liceat. Sequitur porro in lege Romuli: *Si vinum bibisset etiam domi, ut adultera puniretur*. *Usum vini* mulieribus apud veteres Romanos interdictum fuisse, scribit etiam Valerius Maximus lib. II. cap. I. *vini usus*, inquit, *olim Romanis feminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit*. Quasdam autem ob vini usum *necatas*, quasdam etiam multatas eleganter notat Plinius lib. XIV. cap. XIII. *Non licebat vinum Romanis feminis bibere. Invenimus inter exempla Egnatii Mecennii uxorem, quod vinum bibisset e dolio, interfectam fuisse a marito, eumque cædis a Romulo absolutum. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit, Matronam quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ resignavisset, a suis inedia mori coactam. Cato ideo propinquos feminis osculum dare instituit, ut scirent an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat, unde & temulentia appellata. Cn. Domitius judex pronunciavit mulierem videri plus vini bibisse, quam valetudinis caussa, viro insciente, ac dote multavit*. Ex quibus omnibus fere est *ut probetur Romulum lege cavisse, ut uxores quæ vinum bibissent, morte multarentur*. Quæ sequuntur in lege Romuli, agunt de jure *De mortuorum*, petita ex Plutarchi vitis. Mirum enim de eo nihil scribere Dionysium, qui Romuli res & instituta diligentissime litteris est persequutus. Narrat itaque Plutarchus, *inter alias leges Romuli illam fuisse acerbissimam, quæ uxori potestatem a viro discedendi ademit, viro uxorem exigendi dedit, si eam aut stu-*

A *prum fecisse, aut venenum parasse, aut filios aut claves subjecisse comperisset*. Itaque postea quoque *in duodecim tabulis divortium esse* permissum ex eo licet suspicari, quod inquit Cicero in Philippicis de Antonio: *Frugi factus est, mimam illam suam suas sibi res habere dixit ex duodecim tabulis, claves ademit, exegit*. Quæ quum ita se habeant, differam reliqua de repudiis dicenda in enarrationem legum duodecim tabularum. Succedit lex ultima Romuli *De Homicidiis*.

6 *Ut omnes Parricidæ capite plecterentur*. De hac lege sic Plutarchus in vitis: *Id etiam singularis fuit consilii, quod quum nullum contra eos,*
B *qui patrem suum occidissent, jus privatim posuisset, omne homicidium parricidii vocabulo notavit: quod hoc scelestum, illud ne existere quidem posse judicaret*. Hæc lex eadem cum Numæ illa, quam conceptis verbis indicavi. *Sei quis hominem liberum sciens dolo malo mortei duit, paricida estod: Sei in improvidens se dolo malo occisit pro capite occeisei & nateis ejus endo concione arietem subjicito*: Unde patet, Numam Pompilium legem hanc Romuli repetitam & in suarum numerum relatam confirmasse: quemadmodum in Numæ legum explicatione fusius docebo. Hæc de legibus Romuli: sequuntur Numæ Pompilii,
C quæ, ut Romuli, duplicis etiam generis; aliæ quidem quæ *priscis verbis* apud varios scriptores adhuc servantur; aliæ vero, quarum tantum *sententia* salva & integra. De Prioribus prius agendum. Inter eas autem primo loco occurrit lex *De Sacrificiis*, quæ sic habet.

CAP. V.

1 *Prima legum Numæ Pompilii, quarum sententia ad nos pervenerit, de sacrificiis*.
D
2 *De iisdem*.
3 *De opimis spoliis*.
4 *Quarta de homicidio*.
5 *Quinta de Termino*.
6 *Sexta de judiciorum Dilationibus*.
7 *Septima de mortuo non inferendo*.
8 *Octava de homine fulgurito*.
9 *Nona de funeribus*.
10 *Decima de pellice*.
11 *Sanctionis fragmentum ex aliqua lege*.

E 1 PIsces quei squamusei non sunt, nei polluceto: squamosos omnes præter scatam polluceto. Et legem hanc Numæ restituunt viri magni. Exstant verba apud Plinium libro XXXII. cap. II. qui hæc laudat ex antiquo scriptore Cassio Hemina: *Numa*, inquit, *constituit ut pisces, qui squamosi non essent nei pollucerent, parsimonia contentus, uti convivia publica & privata, cœnæque ad pulvinaria facilius compararentur: ni, qui ad pollu ctum emerent precio minus parcerent, eaque præmercarentur*. Ex quibus verbis constat etiam de Legis sententia: Numam scilicet hac sua lege inter alia hoc
F voluisse, ut quantum fieri posset, *frugalitati & parsimoniæ studerent* in sacrificiis peragundis: innuens Deos Immortales non *immanibus sumtibus* delectari, non flagitare *maximas illas sacrificiorum impensas*, sed poscere potius in rebus sacris *puritatem*. Unde illud in primis videbant veteres illi Romani, ut omnia essent *pura*. Hinc solenni præfatione, quibus *puræ manus* non erant, sacris arcebantur. Docet Livius

lib. XLI. *Quum omnis præfatio Sacrorum eos, quibus non sunt puræ manus, sacris arceat.* Neque aliud vult quam hoc crebra apud omnes Auctores mentio *Purarum manuum*, quemadmodum pluribus docui, quum historiam enarrarem veterum Sacrificiorum. *Pura* igitur Diis placebant non *sumtuosa*: quod in populo Dei non uno loco optant etiam cum David in Psalmis, tum alii Prophetæ passim in suis libris. Ait lex: *nei poluceto*. *Pollucere* nihil aliud, *quam de Piscibus libamenta Diis offerre*. Festus lib. XIII. *Pollucere merces Diis, quas liceat, sunt far, polenta, vinum, panis fermentatus, ficus passa, suilla, bubula, agnina, casei, ovilla, alica, sesama & oleum.* Addit deinde quædam ex hac Numæ lege verba: *Pisces, quibus est squama, præter scarum. Herculi autem omnia esculenta & poculenta.* Hæc ad primam hanc Numæ legem. Nam non diu jejunis est memorandum. Sequentur alia multo majoris momenti. Succedit lex Numæ secunda, quæ etiam de *Sacrificiis*. *Sarpta vinea nei siet, ex ea vinum Diis libarier nefas estod.* Exstat hæc lex apud Plinium lib. XIV. cap. XII. *Eadem lege ex imputata vite libari vina Diis nefas statuit, ratione cogitata ut putare cogerentur Aratores & pigri circa pericula arbusti.* *Putandi* verbo utitur hic Plinius, ubi scribit *non putata vite*; interpretatus vocem insolentiorem *Sarpta*. Sic enim Festus respiciens ad hanc legem *Sarpta vinea, putata, id est pura facta. Sarpere enim antiqui pro purgare ponebant.* Eodem etiam verbo Decemviros in duodecim tabulis usos fuisse postea videbimus. Rationem autem hujus legis aperit Plinius, ut scilicet Numa eo modo Romanos exstimularet ad *Agriculturam, & quæ Agriculturæ propria*, ut inter alia, *vineas putare*, id est *puras facere*, & ut antiqui loquebantur, *sarpere*. Quum enim veteres illi cujuscumque essent conditionis, necesse haberent *suis sacrificiis deos placare*, & inter alia *vino*, scirent autem Deos placari non posse nisi vino puro; cogebantur vineas suas *sarpere*, & *puras reddere*, ut purum inde vinum possent colligere, collectumque Diis suis offerre. Vinum enim *impurum & spurcum vinum* colligebatur a vinea *impura*; sic *purum a putata & sarpta*. Vinum autem nullum dabant nisi *purum*, rejiciebantque *spurcum*. Observatum fuisse, ut in sacrificiis vinum esset *purum*, testatur Plinius verbis quæ indicavi. Hinc Ovidius lib. III. de Ponto Eleg. L. v. CLXI.

Sed prius imposito sacris altaribus igne
Tura fer ad magnos, vinaque pura Deos.

Idem lib. VII. Metam. v. LOXCIV.

Dum vota Sacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum.

Spurcum autem vinum id est *non purum* varias ob caussas appellari solitum scribit apud Festum Labeo Antistius lib. X. Commentar. Juris Pontif. ubi doctus scriptor notat, id vinum ab antiquis *Spurcum* appellari solitum *quod sacris adhiberi non licebat, quale credebatur cui aqua adjuncta erat, defrutumine, aut igne tactum, mustumve antiquum defervesceret.* Addendum ex hac lege, quod ex *non sarpta & imputata* erat collectum vinea. Nam ex ea vinum nefas erat Diis *libarier*. *Libare* leviter degustare, & quasi *primis labris attingere* vox Græca ἀπὸ τοῦ λείβειν. Virg. lib. IV. Georgicorum v. CIV.

Purpureisque metunt flores & flumina libant.

Cicero de Legibus: *Certasque fruges, certasque baccas Sacerdotes publici libanto.* Libationis formulam aliquatenus expressit Cornelius Tacitus lib.

A XV. Ann. c. LXIV. ubi de Severa: *Postremo stagnum calidæ aquæ introiit, respergens proximos servorum addita voce, Libare se liquorem illum Jovi Liberatori.* Dabant vinum Diis suis veteres illis solennibus verbis. Ea, quemadmodum scribit Arnobius l. VII. adversus gentes, erant: *Mactus hoc vino inferio esto*: Servius in lib. IX. Æneid. v. IOCXLI. *Quoties auctus aut vinum super victimam fundebatur, dicebant, Mactus est Taurus vino vel Ture, hoc est cumulata est hostia, id est magis aucta.* Et paullo post: *ut in Pontificalibus sacrificantes dicebant Deo, Macte hoc vino inferio esto.* B *Vinum Inferium* appellabant illud ipsum, quod dabatur, inferebatur, aut, ut ex Festo Paullus scribit, *quod infra pateræ labrum libabatur.* *Inferii Vini* mentio apud Catonem lib. de re rust. cap. CXXXIV. *Postea Jana vinum dato, sic: Jane pater, uti te strue commovenda bonas preces bene precatus sum ejusdem rei ergo, macte vino Inferio esto. Postea Jovi sic: Juppiter macte fercto esto, macte vino inferio esto.* Idem cap. CXXXII. *Jovi Dapali vinum ita pollucere, monet: Jupiter Dapalis, quod tibi fieri oportet in Domo, familia mea, culignam vini dapi, ejus rei ergo macte hac illace dape pollucenda esto. Manus interlinito; postea vinum sumito: Jupiter Dapalis macte* C *istace dape pollucenda esto: macte vino inferio esto.* Addebatur autem verbum hoc Inferio, quemadmodum ex Trebatio docet Arnobius ea caussa, *ne vinum in cellis aut apothecis conditum, ex quo illud quod effundebatur promtum erat, sacrum fieret & ex usibus eriperetur humanis: Etenim hac exceptione & quasi taxatione non addita, omne omnino vinum doliare vel diffusum, ex quo hoc quod dabatur, delibatum erat, religione obligatum fuisset. Unde hac præscriptione summatos Deos iisque quasi legem dictam ac veluti pactionibus & formulis adoratos eos eleganter Ar-* D *nobius refert, quippe quum Mactus hoc vino Inferio esto, nihil aliud esset, quam mactus esto quantum volo, tantum amplificatus quantum jubeo.* Nec vero in *vino dando* duntaxat, sed & *in iis quæ immolabantur* hanc eamdem verborum formulam usurpasse eos demonstrat Cato in lib. de re rust. cap. CXXXIX. precationem ita concludit: *Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto.* Rursus cap. CXLI. *Ejusdem rei ergo macte hisce Suovetaurilibus lactentibus ergo.* Sequitur lex Numæ tertia de *Opeimis spoliis*.

3 *Quo jus auspicio clase procincta opeima spo-* E *lia capiuntur, Jovei Fedetrio Bovem cædito, quei cepit aeris trecentum darier oporteto. Secunda spolia endo Martis asam endo campo Suovetaurilidad, utra volet, cædito: quei cepit aeris ducentom darier oporteto. Tertia spolia Jano Quiereinod acuom marem cædito: quei cepet aeris centum darier oporteto: quoios auspicio capta Dis piacolom dato.* De hac lege quamvis inutile, sic loquitur Festus in Opima: *Ad ædem*, inquit, *Jovis Feretrii poni testimonio sunt libri Pontificum, in quibus sit: Pro primis spoliis bove, secundis Suovetaurilibus, pro tertiis agno publico fieri debere; esse etiam Pompilii regis legem opimorum spoliorum talem: Cujus* F *auspicio classe procincta opima spolia capiuntur ovi (legendum Jovi) Fedetrio darier oportebat & bovem cædito: qui cœpit aeris CC. secunda spolia in Campo solitaurilia (legendum suovetaurilia) utra volet cædito: tertia spolia Jano Quirino agnum marem cœdito L. qui cepit ex aere dato.* Corrupta sunt hæc verba & mutilata, quæ facile restitui & suppleri possunt ex Plutarchi Marcello. CC. enim in CCC. in primo legis membro sunt mutanda. Dicit enim Plutarchus scriptum se invenisse in Commentariis Pontificum, fieri a

Numa Pompilio mentionem *primorum opimorum spoliorum*, *secundorum* & *tertiorum*, ac præscribere, prima capta ut *Jovi Feretrio* consecrentur, *Marti* altera, tertia *Quirino*: præmiumque esset primis *asses trecenti*, secundis *ducenti*, tertiis *centum*. Consulendus omnino Plutarchus. Ait igitur Numa *Quoius*, antiquorum hæc est Orthographia: Dicebant enim *quis*, *quojus*, *quoi*, quemadmodum liquet cum ex aliis, tum præcipue ex Plauto. Recentiores mutarunt *Q* in *C quis*, *cujus*, *cui*. Sic enim veteres dicebant *oqulus* teste Prisciano, & *arquus*, pro quo hodie *oculus* & *arcus*. Scribit Cato in Originibus, *Sabinos & Etruscos caruisse Q littera, ideoque dixisse Curii & Curinii*, pro quo Latini *Quirii* & *Quirinii*. Ait Numa, *Quoius auspicio. Auspicium*, sæpe vox militaris apud probatos scriptores, quemadmodum satis indicat formula illa loquendi *Ductu auspicioque*. *Ductu auspicioque* alicujus in bellis dicebatur fieri, quum ipse Imperator exercitui adesset, *auspicio* vero tantum, quum abesset, & exercitus ab alio non ab ipso Imperatore duceretur. Plinius lib. III. cap. XX. Inscriptionem e Trophæo Alpium hanc ponit: *Imp. Cæs. D. Julii F. Aug. Pont. Max. Imp.* XIV. *Trib. pot.* XVII. *S. P. Q. R. Quod ejus ductu auspiciisque gentes Alpinæ omnes, quæ a mari supero ad Inferum pertinebant, sub Imperium populi Romani redactæ sunt*. Sic Livius l. XLI. *Tabulam refert in æde Matris Matutæ positam cum hoc Indice T. Sempronii Gracchi Consulis Imperio auspicioque legio exercitusque populi Romani Sardiniam subegit*. Vellejus lib. II. *Sed fulgentissimum C. Cæsaris opus in iis conspicitur, quippe ejus ductu auspiciisque infractæ* &c. Alia prætereo. Ait lex: *Clase procincta*. *Classis* inter alias notiones nihil aliud quam *exercitus*: unde *Classis procincta*, scribente Festo, *exercitus instructus*. *Apud antiquos*, inquit idem, *Classes clupeatæ dicebantur, quos nunc exercitus vocamus*. Ait Numa, *opeima spolia capiuntor*. *Opeima spolia* vocabant veteres, *quæ Dux Duci detraxerat*: quamquam Varro *opeima spolia* ea etiam esse velit, *quæ manipularis miles detraxit, dummodo Duci hostium*. Ex quibus Varronis verbis lux huic Numæ legi, quum scribitur: *Quoius auspicio opeima spolia capiuntor*. Innuit enim *opeima spolia capi* posse non solum *alicujus Imperatoris ductu*, verum etiam *auspicio*; si nimirum *eo absente, miles hostium Duci detraxerit*. Sed usus obtinuit, ut Opima spolia proprie dicerentur, *quæ Dux Duci detraxerit*. Festus: *Spolia quoque quæ Dux populi Romani Duci hostium detraxit, Opima dicuntur: quorum tanta raritas est, ut trina contigerint nomini Romano: una quæ Romulus de Acrone: altera quæ Cossus Cornelius de Tolumnio; tertia quæ M. Marcellus Jovi Fedetrio de Viridomaro fixerunt*. De *tribus illis spoliis* scribunt etiam Livius lib. I. & IV. Valerius Maximus lib. III. cap. II. n. III. & seqq. & alii. Ait lex *Jovi Fedetrio bovem cædito*. Juppiter *Feretrii* cognomen adeptus est apud Romanos anno ab V. C. IV. devicto *Acrone Ceninensium duce*, quemadmodum videre est apud Livium lib. I. Dionysium lib. II. Florum lib. I. cap. I. n. II. Auctorem de VV. Ill. lib. II. & alios. Dictus autem *Feretrius* vel ab *armis ferendis*, quemadmodum vult Propertius lib. IV. Eleg. II. vers. XLVII. vel a *pace ferenda*, ut notat Festus in Feretrius; vel ab *hoste feriendo feriendo* ut idem Propertius notat & post eum Plutarchus in Romulo; vel denique a *feriendo fœdere*, quod innuit etiam Festus in voce dicta. Meminerunt Feretrii Jovis præter superiores scriptores etiam Livius lib. IV. Plutarchus in Marcello, Plinius lib. II. cap. LIII. Dio XLIV. & LV. Solinus in Polyhistoria, Ait Numa: *bovem cædito*: An quod factum ab Romulo, qui prima opima spolia cepit, hac sua lege scribat Numa; an vero in posterum hoc statuat, incertum. Parum refert. Magis est ut obiter etiam *Spoliorum Romuli* mentionem faciat. Videtur augur fuisse Numa. Nam quum *ternorum tantum spoliorum* faciat mentionem, *terna* tantum, *non plura* nomini Romano contigerunt, ut monet etiam Festus, & satis constat ex priscorum scriptis & monimentis.

Ait lex Numæ: *bovem cædito*. Hic *bos* proculdubio dicebatur *Opimus*, quod nimirum pro *opimis spoliis* immolaretur. Hinc postea *Boves*, qui alias etiam ob caussas immolari soliti, dicti fuerunt *opimi*, quorum frequens mentio apud veteres scriptores, in primis apud Ovidium lib. IV. Fast. & lib. IV. de Ponto Elegia IX. v. I. Tertull. in Apologet. Mentio etiam apud veteres *Bovis Ambigui*, Fest. I. *Bovis Ambiguæ* Varro lib. VI. *Boum egregiorum* apud Donatum in Hecyr. Terent. Act. I. Sc. I. v. X. *Boum Fœdarum* apud Varronem lib. V. & Festum in Fordicidiis. Ait lex: *Bovem cædito. Cædere* sacrificandi verbum, quo etiam utuntur Virgilius in Ceiri vers. CCCLXVI. & Ovidius lib. II. Fast. vers. IↃCLVII. Frequentius tamen Hostiæ dicebantur *Feriri*, quam vocem solennem in sacrificis fuisse testantur Paullus ex Festo in Ferire, Seneca Herc. Oetæo Act. II. sc. I. Ovid. lib. IV. de Ponto Eleg. IX. v. I. Idem lib. I. Fast. vers. LXXXII. & CCCXX. Tacit. lib. XV. ubi de Vitellio. Virg. lib. VI. Æneid. vers. CCLI. Dicebantur enim *Percuti* Ovid. lib. I. & V. Fast. Metam. XV. Spart. in Geta, Lactant. ad IV. Theb. & alii.

Icendi etiam verbum hac in re usurpabatur, ut legere est apud Ovidium lib. XV. Metam. II. de Ponto Eleg. XI. v. XXVI. IV. Eleg. II. v. IX. Propertium lib. IV. Eleg. VI. Livium XXI. Ait lex: *Qui cepit aeris* CCC. *darier oporteto*. Præmia enim virtutibus consecrare, nihil antiquius habebant veteres Romani. Plena sunt hac de re & Latinorum & Græcorum scriptorum monimenta. Virtus autem militaris Veteribus fuit commendatissima. Hæc, si quæ alia, maximis semper non solum *honoribus*, verum etiam *præmiis* decorata. Imperatores enim parta contra hostes victoria solebant suggestum vel tribunal conscendere & convocato exercitu pro concione *milites laudare & gratias agere*, in eum finem præcipue, ut eos in posterum haberent promtiores, sibique & reipublicæ devotiores. Solent enim ingenui generosique animi laudibus magis & magis acui & ad virtutem exstimulari. Hujusmodi autem laudes & gratiarum actiones occurrunt passim apud bonos scriptores. Videndi inter alios Livius lib. VII. Tacitus lib. II. Annalium, Salustius in Jugurth. Laudabatur etiam ab Imperatore *nominatim*, si cujus singularis in prælio virtus esset conspecta: quemadmodum videre est apud Plutarchum in Coriolano & apud Livium lib. X. extremo. Recte Livius lib. II. *Laudibus enim non minus quam præmiis animi militum gaudent*. Sæpe tamen non satis fuit *laudasse*, *prædicationi* etiam adjungebant *varia dona*. Distribuebant imprimis *coronas*: quas varias fuisse scimus ex Ciceronis Verrinis, Tertulliano de Corona militis, Livii lib. VII. Polybii lib. VI. Zonaræ II. Suetonii Caligula cap. XLV. Plutarchi Mario, Plinii lib. VII. cap. XXVIII. & lib. XXII. cap. III. cum aliquot sequentibus. Videndus autem inter primos Agellius lib. V. cap. VI. Distribuebant item *Torques*, ut videre est apud Veget. lib. II. cap. VII. & Tacitum lib. II. Annalium. *Armillas* item, de quibus Livius lib. X.

extremo, Juvenalis Satyra ultima, Festus in Armillas. Item *Phaleras* dabant bene meritis: Consulend. Suet. in Aug. Juvenal. eadem Satyra, v. ult. Solinus cap. VI. *Hastæ*, ut constat ex Festo in voce Hasta & in Optionatus. Item *vexilla*, teste Suetonio, qui narrat Octavianum M. Agrippam in Cilicia post navalem victoriam cæruleo vexillo donasse. De *Corniculis* etiam distributis testatur Livius lib. X. ubi & de *vestibus*; item *vini* hac in re mentionem faciunt Livius, Plutarchus, Valerius Maximus, Auctor de V. V. Illustr. Plinius lib. XVIII. cap. III. & VIII. Sed & *Agri* militibus, exactis militiæ annis, distribuebantur, quorum mentio apud JCtum. in l. XV. §. II. D. de rei vindicat. & in l. XVI. D. de adquir. rerum dominio. Lucanus lib. I. v. CCCXLIII.

Conferet exsanguis quo se post bella senectus?
Quæ sedes erit Emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret?

Talia erant Militum præmia: majora Imperatorum erant. His *Triumphi*, his *Ovationes*, his *Statuæ* decernebantur & id genus alia majoris momenti. Singulare fere reperio, quod opimis spoliis *pecunia* fuerit decreta: *primis* CCC. *aeris*; secundis CC. tertiis *Centum*. *Aeris* autem in hac lege mentio. *Aereo* namque nummo diu usus est populus Romanus, eoque primum *gravi*, *expenso rudi & informi*: deinde autem *signato pecudum nota*, unde *Pecunia*, auctore Plinio lib. XXXIII. cap. III. sub Servio Tullio, *Argentum*, ut idem Plinius ibidem ait, signatum est anno ab V. C. CCCCLXXXIV. quinque ante primum belbul Punicum annis. *Aurea* deinde successit bello Punico secundo. *Centum* autem *aeris*, nihil aliud quam XL. *sestertii* seu *nummi*, vel X. *denarii* seu *drachmæ*, id est *Coronatus solaris*, vel ut nostra se habet moneta, *tres floreni Trecentum*, igitur *aeris* hoc loco id est *tres coronati solares*, vel *novem floreni*: quæ summa si, non dicam Imperatori, obtruncato hostium duce, sed gregario militi offerretur, hodie ridiculum sane esset. Pergit in sua lege Numa: *Secunda spolia*. etiam *spolia secunda opima* tulit Cossus Cornelius occiso *Tolumnio* Vejentium rege. Festus: *Trina contigerant opima spolia nomini Romano; una quæ Romulus de Acrone, altera quæ Cossus Cornelius de Tolumnio; tertia quæ M. Marcellus Jovi Feretrio de Viridomaro fixerunt*. Videndi Livius lib. I. & IV. Valerius lib. II. cap. II. n. III. & seqq. & alii. Ait lex: *endo Martis asam*. Vult Numa, ut secunda spolia opima inferrentur in *Martis templum*; Tertiam autem in *Quirini*: *Juppiter* enim *Mars* & *Quirinus* apud antiquos Romanos, si qui alii Dii Deæque, colebantur. *Jupiter*, ut Deorum hominumque rex; *Mars*, ut Romuli pater; *Romulus* autem, qui post Consecrationem *Quirinus*, ut urbis conditor: adeo ut tres hi singulos haberent Flamines, *Dialem*, *Martialem*, *Quirinalem*; qui aliorum ratione *Majores* appellabantur. Quia igitur *Prima* Spolia Opima in *Jovis Feretrii templum* jam erant *ab ipso Romulo* inlata; voluit Numa, ut secunda inferrentur *in templum Martis*, tertia in *Quirini*: sed lex Numæ hac in re non fuit observata. *Secunda* enim & *Tertia* Spolia etiam in *Jovis Feretrii* templum fuerunt inlata: ut verum omnino fuerit, quod prima inferens & Feretrio suspendens Spolia Romulus est vaticinatus, quemadmodum scribit de eo Livius lib. I. apud quem hæc inter alia Romuli verba leguntur: *Jupiter Feretri, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, templumque iis regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico: sedem opimis spoliis, quæ regibus ducibusque hostium cæsis me auctorem sequentes posteri ferent*. Quæ verba non tam Romuli, quam Livii, cujus jam tempore *secunda* etiam & *tertia* spolia opima in *Jovis* templum erant illata. *Endo* autem pro *In* veteres usurpasse testatur Festus; & vero tam verum illud est, ut putidum sit de eo verba facere. Exempla passim apud Ennium, Lucretium, alios. Hinc voces compositæ, *Endostrius* pro Industrius. Sic *Endogredi*, *Endopedire*, *Endopedita*, *Endoperator* & similia apud eumdem Lucretium.

Ait lex: *Endo Martis Asam*. *Asam* nominabant veteres; quam Recentiores *Aram*. S. enim pro R. usurpabant, quemadmodum *Papisius Papirius*; *Auselius*, *Aurelius*; ut antea monui. Intelligitur autem hic Ara, quæ erat in antiquissimo Martis templo, quod in Campo Martio: unde etiam *Campus* ille nomen habet. Recte igitur conjunguntur hic *endo Martis Asam*, *endo Campo*; ut intelligatur templum, quod eidem Marti tunc temporis consecratum erat *extra Portam Capenam in via Appia*. Addit Numa, quo sacrificii & hostiarum genere Marti pro opimis spoliis gratiæ sunt agendæ, *Suovetaurilia* dicebatur illud sacrificii genus, quod *sue*, *ove & tauro* simul constabat. De eo dixi in Sacrificiorum veterum historia. Sequitur porro ubi de tertiis spoliis, *agnum marem cædito*. Quur *Agnus Mas?* ut distingueretur ab *Agno Femina*. Non *Agnam*, non *Lupam* dicebant veteres; sed *Agnum & Lupum*, & fortean alia, Græcos sequuti, utroque genere enunciabant, testibus Festo non semel, Capro & Probo: & sexui discernendo adjiciebant voces *Mas & Femina*. *Agnus Mas* in hac lege Numæ nominatur. *Agnus femina* in ejusdem Numæ lege de *Pellice*: *Pelex asam Junonis ne tagito, si tagit, Junoni crenebis demiseis acuom feminam cedito*. Sic *Lupus Femina* apud Ennium lib. I. Annalium *Endo tuetur ibus lupus femina* apud Nonium Marcellum. Sic Festus in Recto fronte: *ut quum ait Ennius quoque Astirpe supremo, & Iliadia nipis, & Lupus femina & Nulla metus*. Sic Quintilianus lib. I. cap. X. *Lupum, masculinum quamquam Varro in eo libro, quo initia Romanæ urbis enarrat, Lupum feminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium sequutus*. Hæc ad Numæ legem de *Opimis Spoliis*; succedit explicanda lex Numæ quarta de *Homicidio*.

Sei quis hemonem leiberom sciens dolo malo mortei duit parricidad estod. Sei im imprudens, se dolo malo occisit pro Kapito occisei & nateis ejus endo Concione arietem sobjicito. Concinnata lex hæc ex duobus fragmentis, quæ apud duos Grammaticos leguntur Festum & Servium. Priorem legis partem citat Festus in vocibus Parici Quæstores; verba non recitabo, quod auctor ille omnibus, saltem plerisque, studiosis in manu. Alteram partem laudant Schedæ Servianæ, quæ nondum viderunt lucem; in iis hujus legis mentionem his verbis legi fieri: *ut si quis imprudens hominem occidisset, pro capite occisi & natis ejus in concione arietem subjiceret*. Legem autem hanc primo a Romulo fuisse factam, ex præcedentibus didicimus, ut Numa Pompilius dicatur latam potius renovasse, quam novam tulisse. Lata autem ab Romulo, & renovata ab Numa Pompilio, ita semper populo Romano placuit, ut postea etiam a Decemviris relata fuerit in duodecim tabulas, quemadmodum patet ex §. V. in verb. ex interpretatione legum duodecim tabularum Instit. de public. judic. Ait igitur lex: *Si quis hominem liberum dolo malo morti duit*,

paricida esto. Ait lex de *Homicidio*, non ut quidam male & imprudenter volunt de *Paricidio*, ex verbis *Paricida esto*. *Paricida* enim hic, non qui patrem matremve occidit, cujus notionis postea cœpit esse hæc vox, sed qui quemcumque hominem. Docet hoc disertis verbis Festus, qui ex hac lege probat, antiquitus *Paricidam* dictum fuisse, *non qui parentem occidisset*, *sed qui qualemcumque hominem*. Homicidium igitur nihil aliud quam quælibet personæ exanimatio violenter facta, qua anima a corpore separatur, quocumque illud fiat modo, sive gladio, sive veneno, sive aliis pharmacis; sive etiam fuste, sive alia occasione caussa mortis præbeatur. Additur autem *dolo malo*, & postea *Imprudens te*; id est sine *dolo malo*. Homicidium enim vel *verum* est, vel *quasi*. *Verum* autem, de quo hac lege, vel est *Voluntarium*, vel *Casuale*. *Voluntarium*, de quo prior legis pars, est deliberatum, quod consilio & dolo malo perpetratur. *Dolus* colligitur ex teli genere, qualitate vel quantitate ictus vel vulneris, aliisque circumstantiis. *Casuale* homicidium, de quo posterior pars legis, fit, præter interficientis scopum, culpa autem citra ejus culpam. Exempla sunt apud JCtos. præsertim Julium Claram §. homicidium lib. v. Qui igitur dolo malo quem morti duit, id est qui voluntarium, ex proposito, & animo deliberato committit homicidium, *paricida est*, inquit lex: innuens quasi, qua pœna talis sit adficiendus; ut scilicet item morte & capitis supplicio multetur. Hujus enim pœna *mors* est, sive *gladius*. Mitius puniebatur homicidium *Casuale*; cogebatur enim is qui occiderat, *pro capite occisei in concione* vel Comitiis *Arietem subjicere*. *Subjici aries* dicebatur, *quem quis agebat*, inquit Festus, *ut pro se cæderetur*; *quod fiebat*, ut ait Cincius lib. de Offic. JCti. *exemplo Atheniensium*, *apud quos*, *expiandi gratia*, *Arietem dabat*, *qui scelus admiserat*, *pœnæ pendendæ loco*. Hodie etiam *Casualis homicidii* pœna est relegatio in quibusdam rebuspublicis; apud nos est pecuniaria. Dicitur item in lege: *Si quis liberum hominem*. Nam Servi apud Romanos *non habebant caput*, neque *occidi* dicebantur, de qua re multa veteres JCti. Hodie non interest, *servum quis*, *an liberum hominem* occidat. l. I. §. II. D. ad Leg. Corn. de Sicar. Neque distinguit lex Dei, quæ indeffinite loquitur *Non occides*, scilicet, *quemquam*, Exod. XXI. v. XII. Hæc sufficiant ad Illustrationem hujus legis de *Homicidio*. Sequitur lex Numæ quinta de *Termino*. *Sei quis Ternum exarasit*, *ipso Boveisque sacrei sunto*. Verba hujus legis leguntur apud Festum lib. pen. de verb. signif. in voce *Termino*. *Termino*, inquit, *sacrificabant*, *quod in ejus tutela fines agrorum esse putabant*. *Denique Numa Pompilius statuit eum*, *qui terminum exarasset*, *& ipsum & boves sacros esse*. Hanc legem, ut Dionysius etiam scribit lib. II. tulit prudentissimus rex, *ut Romani contenti propriis aliena non concupiscerent*. Quum enim unicuique civium, saltem ditiorum, sui essent agri, sanxit, *ut agros suos circumscriberent & in finibus statuerent lapides*, *qui sacrosancti essent*. Neque solum, ut idem Dionysius docet, *de privatorum agris* hoc jus statuit, verum etiam *de publicis*. Nam & hos certis complexus finibus, ut Romanum agrum a vicinarum urbium agris terminales Dii discernerent, & privatum a publico. Qui igitur *Terminos hujusmodi*, id est *lapides terminales*, quibus termini discernebantur, exarasset, sacer talis erat, id est ut Dionysius exponit, *lege terminali caput ejus Diis*, *qui terminis præsidebant*, *devo-*

A *tum erat*, *interfectori ipsius tamquam sacrilegi impunitate promissa*. Succedit lex sexta de *Judiciorum Dilationibus*.

6 *Sei quoi horum fuat vitiom*, *Joudicei*, *Arbitrove*, *dies diffensos estod*. Hanc legem alii Numæ Pompilio tribuunt, alii latam primo censent a Decemviris, & ab iis in duodecim tabulas relatam. Certe Numæ Pompilii esse, disertis verbis docet Festus in voce Reus; cujus hæc verba: *Reus nunc dicitur*, *qui caussam dicit*, *& item qui quid promsit spoponditve ac debet*. *At Ælius Gallus lib.* II. *Significationum verbor. quæ ad jus pertinent*, *ait*: *Reus est qui cum altero li-*
B *tem contestatam habet*, *sive is egit*, *sive cum eo actum est*. Et paullo post: *At Capito Atteius in eadem quidem opinione est*, *sed exemplo adjuvat interpretationem*. *Numa in secunda tabula secunda lege*, *in qua scriptum est*: *Si quid horum fuit* &c. Qui Numæ adimunt hanc legem, eamque ad Decemviros primos auctores referunt pro *Numa* apud Festum legunt *Nam*. *Nam in secunda tabula*, *secunda lege*. Ut hæc lex videatur fuisse secunda secundæ ex duodecim tabulis. Quæ sententia non plane absurda.

Fieri tamen potuit, ut Numa primus fuerit legis hujus auctor: & postea, ut in aliis quoque
C factum monui, a Decemviris ad duodecim tabulas fuerit relata. Ego ut sincere dicam, quod sentiam, potius referendam censeo *ad duodecim tabulas*, quam *ad leges Numæ*. Exiguam enim judiciorum curam habuisse reges Romanos, & pauca nonnulla de iis statuisse, nullaque de iis præcepta proposuisse facile probari potest ex Romanis scriptoribus, qui nullam hujusmodi curæ faciunt mentionem. Nihil igitur amplius, quamvis manifesta sit legis sententia, addam; explicationem ejus dilaturus ad classem istarum legum, quæ ex duodecim tabulis superstites & sal-
D væ pertinere videntur ad *judiciorum veterum Romanorum historiam*. Offert igitur se lex septima Numæ *de mortuo non inferendo*.

7 *Mulier quæ prægnas mortua ne humator*, *antequam partus ei excidatur*; *quei secus faxit spei animantis cum gravida occisæ reus estod*. Legem hanc Numæ ab interitu servavit antiquus ille Marcellus lib. XXVIII. suorum Digestorum. Verba ejus exstant in l. II. D. de mortuo inferendo & sepulcro ædificando: *Negat lex Regia*, inquit, *mulierem*, *quæ prægnans mortua sit*, *humari*, *antequam partus ei excidatur*: *qui contra fecerit*, *spem animantis cum gravida peremisse*
E *videtur*. Vocat *Legem Regiam*; cujus appellatione Numæ legem intelligendam esse plerique censent Interpretes. Constat autem ex hac Numæ lege, quanta cura adhibita fuerit quondam nascituro, ut ejus mater non prius humari posset, quam partus ei exscinderetur. Nam nihil interest, *naturæ ductu quis*, *an hominis facto nasceretur*. l. I. §. IV. D. unde cognati. Manet hodieque eadem cura, præsertim si sciatur, partum eo maturitatis venisse, ut si fuerit excisus, vivere possit. Referte Valerius Maximus lib. I. cap. ult. E. n. 5. Gorgiam quendam Epirotam in funere Matris suæ utero elapsum, & inopinato
F vagitu suo lectum ferentes consistere coegisse; & ita Matrem *fato functam peperisse*, Gorgiam autem *ante elatum*, *quam natum fuisse*. Sequitur lex Numæ Pompilii octava *de homine fulgurito*.

8 *Sei Hemonem folminis occisit*, *im sopera genua nei tolito*; *sei folmine occeisus*, *eci justa nulla fieri oporteto*. Citat hæc legis Pompilianæ verba Festus in voce Occisum. Obscurior est lex; cujus illustratio omnino pendet ex ritibus Romanorum, qui in funeribus observari

fuerunt soliti. Rex enim Numa sancire videtur hac lege non eosdem ritus, non easdem cerimonias servari oportere in hominibus *fulguritis*, id est fulmine, & immisso quasi cælitus igne, occisis, qui servantur in reliquis naturali morte defunctis. Quæ autem ratio fuerit legis, divinare non possum; nisi quod fulguriti *ira quasi divina* videantur e medio sublati; ideoque ritibus & cerimoniis etiam humanis spoliandi. Privat autem hæc lex fulguritos duobus ritibus, *ne scilicet humeris sublati efferrentur*, deinde ne *justa eis fierent*. Cavet lex, *ne Homo fulmine occisus supra genua tolleretur*, id est ut infra manus, quemadmodum hodie loquimur, & infra genua efferatur. Apud Romanos enim humeris sublati efferebantur, lectis impositi, quos nunc hi, nunc illi subibant. Hodie apud nos, ne extra provinciam hanc procul eamus, uterque ritus variis tamen in locis observatur. Dordraci omnes mortui *infra genua*, manibus quasi adpendentes & humi serpentes efferuntur; in hac urbe omnes *supra genua* humeris efferuntur. Justa autem nihil aliud, quam exsequiæ sive parentalia, quæ mortuis impendi solita, ita dicta, *quod jure fierent his, qui de nobis viventes bene meriti fuerant*: hæc etiam lex negat iis, quos fulminis occidisset: sublati enim videbantur, ut dixi, *ira divina*. *Folminis* autem in hac lege pro *Fulmen*. Nam nomina in *En* ut *fulmen*, *Lumen*, & similia, non videntur antiquissimis Latinis nota fuisse, sed pro iis habuisse nominativos similes Genitivis, ut *Fulminis*, *Luminis*. *Escit*, pro erit in hac lege; *supera* pro supra. Sequitur lex Numæ nona de *Funeribus*.

9 *Veino rogum ne resparcito*. Exstant hujus legis verba apud Plinium lib. IV. cap. XII. ubi sic scribit: *Romulum lacte non vino libasse, indicio sunt sacra ab eo instituta, quæ hodieque custodiunt morem. Numæ regis postumia lex est: vino rogum ne respergito. Quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubitet*. Prohibuit igitur Numa, *ne rogus vino aspergeretur*. Moris enim fuerat sub Romulo id fieri, Rogos, inquam, *vino respergere*. Vino autem prohibito, alia successerunt lapsu temporis. Pyram enim sive rogum & Cadaver, *liquoribus quibusdam* perfundebant propter gravem ustrinæ odorem, ne eo offenderetur populi circumstantis corona: *aurum* item, multaque alia preciosa, *vestes*, *arma* atque alia, quæ defuncto in vita cara fuerant, injiciebant: quod ne fieret amplius, duodecim tabulæ sanxerunt, quemadmodum suis locis dicemus. Succedit lex decima de *Pellice*.

10 *Pelex asam Junonis ne tagito, sei tagit, Junonei crenebis dimiseis acuom feminam cædito*. *Pellex*, inquit Festus *proprie dicta ea, quæ uxorem habenti nupserit: cui generi mulierum pœna constituta hæc ex lege Numa: Pellex* &c. Hujus unius legis reliquiæ ex toto jure Papiriano exstant in libris Jurisconsultorum apud Paullum in leg. CXLIV. D. de verborum significatione, ubi sic scriptum: *Gravius Flaccus in jure Papiriano sic scribit, Pellicem nunc vulgo vocari, quæ cum eo, cui uxor sit, corpus misceat*. Sensus autem legis hic est, *Ne quæ Pellex viro uxorem habenti nuberet; si nupserit crinibus demissis, quod indicium erat mœroris & tristitiæ signum, Junoni agnam cæderet, sive macta* &c. Ait igitur *Pelex asam Junonis ne tagito*. Pleræque Nuptiarum cerimoniæ ad Junonem referebantur. Hinc varia illi erant cognomina; *Juno Domiduca, Interduca, Unxia* & similia. Nubentes etiam *Junonis aram tangebant*, ut hoc loco *Junonis aram tangere* nihil aliud sit, quam legitimis cerimoniis adhibitis alicui nubere, quod Pellici non licebat. Is enim cui nubebat, aliam habebat conjugem: atque duas habere uxores eodem tempore non licebat. *Sei tagit*, id est si adhibitis solennibus ritibus nupserit ei, cui uxor jam erat, *crinibus demissis*, in mœstitiæ & admissi peccati testimonium, *acuom feminam cædito*; de hac loquendi formula dixi ad superiora. Dicebant veteres non *Lupam* sed *lupum feminam*; non *agnam*, sed *agnum feminam*; & similia. Offert se postremo loco inter leges Numæ, quarum verba etiam num supersunt, *Sanctionis fragmentum* ex aliqua Numæ lege.

10 *Si quis aliuta faxsit, ipsos Jovei sacer estod. Aliuta*, inquit Festus, *antiqui dicebant pro aliter ex Græco ἄλλη vel ἄλλως transferentes. Hinc est illud in Numæ Pompilii legibus: Si quis Aliuta faxsit ipsos Jovi sacer estod.* Quo pertinuerit, ignoratur. Nam pleræque Numæ leges perierunt. Posteriores dixerunt: *Qui secus faxsit &c.* Hæc ad Numæ leges, quarum verba etiamnum supersunt dicta sufficiant. Sequitur jam explicatio legum, quarum tantum sententia ad nos pervenit.

Cap. VI.

1 *Explicatio legum, quarum tantum sententia ad nos pervenit, quarum prima de Dei natura.*
2 *Secunda de Deorum cultu.*
3 *Tertia de Sacerdotibus.*
4 *Quarta de Anno.*
5 *Quinta de dierum discrimine.*
6 *De Patria Potestate.*
7 *Septima de Contractibus.*

1 Inter eas prima occurrit de Dei natura; quam his verbis concepi: *Ne quis Deum vel hominis speciem vel animalis alicujus formam habere existimaret*. Sententia hujus legis exstat apud Plutarchum in Numæ vita. Ratio autem legis erat, *quod res, quarum imagines haberi possunt, sint illæ omnes, quæ sub sensum caderent*. Unde fiebat, ut res novæ spirituales imagines non habeant, veluti *Deus, Angeli, Anima humana*. Videtur autem Numa legem hanc statuens scripturam sacram legisse & lectam in mente habuisse. Præceptum enim Dei legitur ibi in Exodo cap. XX. v. IV. *Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem eorum, quæ vel in cœlo vel in terra, vel ubivis locorum sunt*. Esaias etiam cap. XL. X. XVIII. *Cui*, inquit, *similem fecistis Deum, aut quam imaginem paretis ei*. Et Moyses Deuteron. cap. IV. v. & XV. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua loquutus est vobis Dominus in Oreb, de medio ignis; ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem masculi vel fæminæ*. Item Paullus Atheniensibus loquens: *Genus cum simus Dei, non debemus æstimare auro & argento, aut lapidi & sculpturæ artis & cogitationis hominis divinum esse simile*. Sed hæc Theologis discutienda relinquamus. Sequitur lex secunda *de Deorum cultu*.

2 *Ad Divos caste adiretur, pietas adhiberetur, opes amoverentur; separatim nemo Deos haberet, neve novos, neve advenas, nisi publice adscitos privatim coleret; Sacra Diis Instituta sancte servarentur; fruge molaque salsa litaretur. Templa Diis constructa profanis usibus ne pollueruntur; Templum Jani belli Pacisque indicium esset*. Plene hæc omnia apud Ciceronem lib. II. de LL. Livium lib. I. Florum lib. I. c. II. n. II. Augustin. de civitate Dei lib. IV. c. XXIII. Eutropium lib. I. & alios.

Horum autem institutorum illa erat ratio, ut populum Romanum, quem defuncto Romulo gubernandum susceperat Numa, religione, sacrorum ritibus, variisque cerimoniis obligatum paullatim ab adgenita illa animi ferocia, nimioque pugnandi aliosque invadendi ardore abduceret ad meliorem vitæ cultum, ad sanctiores mores, ad laudabiliores consuetudines. Quod etiam Numa est consequutus; adeo etiam ut vicinos populos, qui infestati & impetiti Romanos rursum infestabant & impetebant, in eam verecundiam adduxerit Numa, ut Civitatem totam in cultum versam Deorum, violare nefas existimarent. Monet igitur Numa, ad *Deos caste adeundum*. Castos & Casto dicebant. Deus *animus* habebatur. *Animus* autem simplex, purus, castus, incorruptus; ideoque Deus pura mente colendus. Hinc toties in veterum Romanorum sacrificiis nominantur *Puræ manus*, *Puræ vestes*. Certe sacrificaturi *abluebant Caput*, *Corpus*, *Manus*, *etiam Pedes*: quam lotionem externam rident Arnobius lib. VII. & Lactantius lib. V. cap. XX. Ait Numæ lex (*Pietas adhiberetur*) Nam nisi hoc fiat, frustra ad Deum funduntur preces. (*Opes amovento*) Absurdum offerre opes & Thesauros Deo, cujus sunt, quæcunque in universo omnia. Sequitur in lege (*separatim nemo Deos haberet* &c.) His verbis tollebatur confusio Religionum & cerimoniarum (*neve novos, sed ne advenas*) Diu hoc Romæ non fuit servatum. Testis est *Dea Pessinuntia*, quæ & *mater Deum*, Phrygia advecta non sine magnis miraculis. Herodianus lib. I. Plinius lib. XVIII. cap. III. (*nisi publice adscitos privatim coleret*) Eleganter Tertullianus in Apologetico, *vetus*, inquit, *erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi a Senatu probaretur*. Et paulo post: *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur: Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit*. Et post: *Tiberius nonne Christum detulerat ad Senatum cum prærogativa suffragii sui? Senatus quia ipse non probaverat, respuit*. Eusebius lib. II. histor. cap. II. id ea caussa factum fuisse refert, *quod salutaris prædicatio nulla opus habeat humana adprobatione*. Sequitur (*Sacra Diis instituta sancte servarentur*) Et hæc lege Dei viderat Numa Pompilius expressa. Intelligit autem Numa non solum ritus sacrificiorum, verum etiam dies, quibus Sacra peragebantur; Omnia illa profanis usibus non esse temeranda, sed sancte diligenterque custodienda. (*fruge molaque salsa litaretur*) Moris enim erat hostias vel victimas mola salsa inspergere, scribentibus Servio lib. X. Æneid. Cicerone lib. II. de Divinat. Seneca in Oedipo Act. II. Sc. II. v. CCCXXX. Hinc *Immolare* id est *mola hostiam perspersam sacrare*. Paullus ex Festo. *Fruges* autem imponi solitas fronti testatur Ovid. lib. XV. Metamorph. (*Templum Jani belli Pacisque indicium esset*) ut scilicet *belli tempore* esset apertum; *pacis* autem clausum. Legendi Livius lib. I. Auctor de VV. Illustr. lib. III. Virgilius lib. VII. Æneid. v. IↃCVII. Claudianus lib. II. de Laud. Sequitur lex tertia de *Sacerdotibus*.

3 *Ut Divis aliis alii Sacerdotes essent; Curiones triginta sacra Curiarum, quibus præfecti, curarent; proque Curialibus publice rem divinam facerent. Tres Flamines, Dialis Jovi, Martialis Marti, Quirino Quirinalis adsidui Sacerdotes essent. Tribunus Celerum sacris sibi adsignatis operam daret. Augures signa de cœlo servarent, publicaque a privatis discernerent, quæque vitiosa diraque dixerint irrita scævaque haberentur. Vestales Virgines Ignem foci publici in urbe sempiternum custodirent; quæ stupri convictæ ad portam Collinam vivæ defoderentur; qui vitiasset, virgis in foro ad mortem cæderetur. Salii duodecim Deorum belli præsidum universim laudatores, Marti Gradivo Sacra in Palatio celebrarent. Feciales fœderum, pacis, induciarum oratores judicesque essent; viderent sedulo, ne ulli fœderatæ civitati injustum bellum inferretur; de Legatorum judicarent injuriis; si quid Imperatores contra Jusjurandum peccassent, cognoscerent & expiarent. Pontifices denique de omnibus caussis, quæ ad sacra, tam inter Sacerdotes quam Profanos, judicarent; novas leges de Sacris ex sua sententia & arbitratu conderent, Sacerdotes omnes examinarent, Sacrorum ministros in officio continerent; de Deorum Geniorumque cultu totoque religionum ac cerimoniarum negotio consulentes docerent, præscripta a se contemnentes pro delicti qualitate & magnitudine multarent; nullius potestati essent obnoxii; unus Collegio, qui Maximus nomine, præsideret, isque maximarum rerum, que ad Sacra religionemque, judex esset, vindexque contumaciæ magistratuum & privatorum*. Exstant hæc omnia plenissime cum apud Livium lib. I. Plutarchum in vitis, Florum lib. I. cap. II. num. III. Lactantium lib. I. de falsis religionibus cap. XXII. & alios, tum præcipue apud Dionysium lib. II. tam clare, ut multa a me luce non habeant opus. Dionysius sane disertis verbis scribit, Numam Pompilium *octo Sacerdotum genera instituisse*, primo *Curiones triginta*, secundo *Flamines*, tertio *Tribuno Celerum* sua etiam sacra adsignasse, quarto *Augures* a Romulo institutos confirmasse, quinto *Vestales virgines* ordinasse, sexto *Salios duodecim*, septimo *Feciales*, octavo denique *Pontifices*, quorum omnium officia, Dignitates & Privilegia accurate & diligenter describit. Ratio autem hujus legis est manifesta. Quum enim Numa *Deos multos fecisset*, ut docet Augustinus de civitate Dei lib. IV. cap. XXIII. quum *Sacra infinita & Templa constituisset*, ut notant Eutropius lib. I. Auctor de VV. Illustr. cap. III. & Augustinus de Civitate Dei lib. II. cap. XVI. quum denique *cultum Deorum exauxisset*, quemadmodum memoriæ produnt Dionysius lib. II. Livius lib. I. Florus lib. I. cap. II. num. II. Eutropius lib. I. necesse fuit varia etiam instituere genera Sacerdotum, qui Diis cum veteribus tum novis sacra facerent; qui Sacrorum, qui Templorum haberent curam; qui denique, ut pie religioseque omnia fierent, omnem adhiberent diligentiam. Hæc ad Legem tertiam sufficiant: succedit lex quarta *de Anno*.

4 *Annus duodecim esset mensium*. Numam Pompilium annum Romanum, quem Romulus decem tantum mensium fecerat, in duodecim menses distribuisse, additis *Januario & Februario*, testantur Livius lib. I. Florus lib. I. cap. II. num. III. Auctor de VV. Illustr. cap. III. & alii, imprimis vero Macrobius lib. I. cap. XII. tam copiose, tamque diserte, ut religio mihi sit aliquid iis addere: illud tantum monendum dixi, errare graviter *Eutropium* lib. I. *Cassiodorum* in Chronicis & *Solinum* cap. III. quum scribant, annum Numæ menses tantum habuisse decem: quod contra meliorum scriptorum mentem & sententiam, præsertim Macrobii, qui de varietate anni Romani triplici, id est quis quotque mensium fuerit *Romuli*, quot *Numæ*, quot denique *Cæsaris*, docte disserit. Sequitur lex quinta *de Dierum discrimine*.

5 *Dies omnes in Fastos Nefastosque distribuerentur*. Hæc de Numa scribunt Livius lib. I. Florus

rus lib. I. cap. II. num. II. & Messala Corvinus. Dies apud Veteres Romanos alii erant *Sacri*, alii *Negociosi*: *Negociosi*, quibus negocia sua gerere & administrare poterant homines; ex Numæ Instituto ceperunt etiam *Fasti* vel *Nefasti*. *Fasti* dicebantur, quibus fas erat cum populo agere. Tales erant *Comitiales*, sic dicti quod tunc populus esset constitutus ad suffragium ferendum, quibus etiam lege agi licebat. Tales item *Comperendini*, quibus licebat Vadimonium dicere. Tales denique *Stati*, qui judicii caussa cum peregrino instituebantur. *Nefasti* dies vocabantur, quibus nefas erat agere cum populo. Tales erant *Dies pridie Kal. Januarii* & si qui erant similes. Tales *Rerum Prolationes*, *messium*, *vindemiarum* & *Dilationum caussa*. Tales denique *Justi Civiles*, qui Confessis & Condemnatis concedebantur. De quibus omnibus plene Macrob. l. I. cap. XVI. Succedit lex Sexta *De Patria Potestate*.

6 *Ut si pater filio concesserit uxorem ducere, quæ futura illi juxta leges sacrorum bonorumque omnium particeps, eidem patri postea nullum jus vendendi filium esset*. Fecerat Romulus legem, quemadmodum ex enumeratione earum, quas Romulus tulit, audivimus, *ut Patribus, liberos relegandi, ter vendendi, occidendi jus, aliisque modis de iis statuendi plena potestas esset*; etiamsi liberos haberet & Conjugem: quod quum durum admodum & indignum esse animadverteret Numa rex sapientissimus, ne patris atrocitate Conjugia dissolverentur, neve Conjuges Maritis, Liberi vero Parentibus temere privarentur, sanxit, ne durum illud jus patri esset in filium, qui accedente patris consensu & auctoritate uxorem duxerat, quæ illi futura esset particeps sacrorum bonorumque omnium; quæ individua futura esset socia vitæ fortunarumque omnium: quemadmodum plene dixi, quum Romuli legem *de patria Potestate* explicarem. Sequitur lex septima *de Contractibus*; quam hac sententia expressi.

7 *Ut Contractus dubii & sine testibus fide ac jurejurando terminarentur, utique magistratus ac judices in dubiis caussis ex alterius fide & sacramento suam interponerent sententiam*. Legem hanc de *Contractibus dubiis*, iisque fide ac jurejurando alterius partis terminandis, Numam tulisse patet ex Livio & Plutarcho, tum præcipue ex Dionysio Halicarnassæo lib. II. Quia vero Decemviri in duodecim tabulas retulerint hujus legis (ut & sequentis de Collegiis, *ut Collegia certa in urbe essent*, de qua Plutarchus in Vitis) sententiam: de iis plura hoc tempore non dicam, illustraturus easdem, in enarratione duodecim tabularum. Hæc igitur de Numæ legibus, tam *quarum certa adhuc verba salva & integra*, quam *quarum tantum sententia superest*, dicta sufficiant. Superest, ut paucis reliquorum regum leges excutiamus: quæ paucæ admodum, quum sequuti Numam reges gloriam magis studuerint captare ex *domandis hostibus*, imperioque Romano augendo, quam *ex legibus novisque institutis* ordinandis. Sufficere scilicet videbantur, quæ jam & ab Romulo & ab Numa erant lata & decreta. Inter reliquorum igitur regum leges primo loco occurrit lex Tullii Hostilii de Trigeminis.

CAP. VII.

1 *Inter reliquorum regum leges, lex Tullii Hostilii de Trigeminis.*
2 *Anci Martii de jure Fecialium.*
3 *Tarquinii Prisci de regiis ornamentis.*
4 *Servii Tullii de censu profitendo.*
5 *Ejusdem de civium numero annuatim in tabulas referendo.*
6 *De libertinorum civitate.*
7 *De civium libertate.*
8 *De liberis parentes verberantibus.*
9 *Tarquinii Superbi de feriis Latinis.*

1 UT *Trigeminis, quoties nascerentur, alimenta ex publico, iisque ad pubertatem darentur*. Quamvis plures leges Tullum Hostilium tulisse verisimile sit in diuturno triginta duorum annorum regno; vix tamen quidquam de iis memoriæ proditum reperitur. Unam hanc refert Dionysius, quam ad sua tempora in perpetuam Horatiorum gloriam durasse scribit. *Quoties*, inquit, *nascerentur*; nam nasci posse, tam est certum, quam quod certissimum. *Trigeminos nasci naturale esse*, constat ex l. VII. D. de rebus dubiis. *Quatuor* etiam nasci, docet nobilissimum illud exemplum, quod nuper vidit Dordracena civitas. *Quinque* quandoque nasci docet Julianus JC. in l. XXXVI. D. de solut. ex Aristotele, *Nam*, inquit, *Aristoteles scripsit, quinque nasci posse, quia*, addit & rationem, *Vulvæ mulierum totidem receptacula habere possunt: & esse mulierem Romæ Alexandrinam ab Ægypto, quæ quinque simul peperit, & tum habebat incolumes, & hic in Ægypto adfirmatum est mihi*. Scribit autem hoc Aristoteles lib. VII. Animalium historiæ cap. IV. quamquam *de quinque receptaculis vulvarum* nullam ibi faciat mentionem. In Ægypto ob fœcundum Nili potum, *uno utero septem generantur aliquando*, ut scribit Trogus. Plinius lib. VII. cap. II. scribit exstare in monimentis medicorum, *uno abortu duodecim puerperia ejecta fuisse*. Albertus Magnus refert *mulierem quandam in Germania consignatis conservatisque jam in utero duorum & viginti infantium corpusculis abortum fecisse*: alia etiam *septuaginta*, imo ut magis miremur, aliam etiam ejecisse in pelvim embrynuculorum auricularis digiti magnitudine corpuscula *centum & quinquaginta*. Sed hæc levia sunt, si vera, quæ nostra historia commemorat *de prodigioso partu* Margaritæ Hollandorum Comitis filiæ, quæ sub Henrico Imperatore uno partu *trecentos & sexaginta quinque liberos vivos edidit*, aqua etiam lustrali postea expiatos ab Episcopo Ultrajectino. Sed res supra fidem est: quidquid velint duæ pelices, quæ in miraculi memoriam hodie Loesduni servantur. Hæc de lege, quam tulisse scribit Dionysius Tullum Hostilium, *de Trigeminis*; sequitur lex Anci Marcii *de jure Fecialium*.

2 *Feciales fœderum, belli, Pacis, Induciarumque Oratores Judicesque essent & bella disceptarent*. Exscripsit hanc legem & in suarum catalogum retulit Cicero lib. II. de LL. dignus qui legatur. Ancus autem Marcius legem hanc *de Fecialibus* non tam novam tulit, quam latam jam a Numa Pompilio renovatione quadam confirmavit. Quia igitur *de Fecialium jure, officio & dignitate* copiose dixi ad leges Numæ, plura hic in

medium adferre supersedebo. Sequitur lex Tarquinii Prisci *de regiis ornamentis*.

3 *Ut regia Romanorum majestas corona aurea, sceptro, sella eburnea, toga picta, lictoribus duodecim aliisque ornamentis insignis esset*. Hæc apud Dionysium lib. III. Florum libro primo, capite quinto, numero sexto, & Strabonem libro quinto leguntur. Etruscos populos Tarquinius rex frequentibus præliis subegit: qui tandem victoriæ palmam tradentes, pacem petere coacti sunt. In amicitiam recepti, Tarquinium principem Etruscæ gentis declararunt, regioque ornatu donaverunt, *corona aurea, sceptro & sella eburnea, toga picta, tunicata, palmata, paludamento, trabea curuli, annulis, phaleris, & duodecim pro civitatum numero fascibus*; quorum usus partim deinde in summis magistratibus semper fuit, partim in Triumphis.

Addit Dionysius, non statim hos honores oblatos Tarquinium admisisse, *sed legem prius de iis recipiendis ad populum tulisse*. Quam quum populus jussisset, tum demum *corona aurea, sceptro, sellaque eburnea, & toga picta, purpurea, lictoribusque duodecim*, toto deinceps vitæ tempore ipsum, aliosque successores reges fuisse usos. De singulis autem ornamentis & insignibus alias dicendi erit tempus & locus. Succedit explicanda lex Servii Tullii de *Censu profitendo*.

4 *Ut quisque civis veram bonorum suorum, quæ qualiaque essent, æstimationem jure jurando probaret, probatamque ad regem deferret. Genus item, Ætatem, Nomina Uxorum, Liberorum, familiæque omnis: quæ cujus generis prædia; quis servorum pecudumque numerus, quæ qualiaque fundorum instrumenta singulatim sine dolo malo profiteretur: quaque urbis in parte, quove extra urbem loco habitaret suasque res possideret, sancte indicaret. Qui secus fecisset, bonis publicatis civitatem amitteret, cæsusque virgis sub hasta veniret*. Quemadmodum Numa Pompilius auctor fuit omnis divini juris, sic Servius Tullius conditor omnis in civitate discriminis, ordinumque, quibus inter se gradus dignitatis & fortunæ distant & invicem interlucent, scribentibus omnibus rerum iis temporibus gestarum auctoribus. Civitatem enim Romam omnesque reipublicæ rationes, tamquam probus & diligens pater familias privatæ domus familiam & opus, aptissime dispensavit & in tabulas retulit, ut nihil confusum, nihil obscurum, nihil incognitum magistratibus in tam ampla republica esse posset. Quapropter a Lare domus ac familiæ tutelari Deo in regia Tarquinii ex foco genitus creditur: quemadmodum Dionysius & Plinius memorant. Inter civilia ejus instituta maximum & præcipuum fuit *Census, res*, ut inquit Livius, *saluberrima tanto futuro imperio*, ex quo belli pacisque munia oneraque *non viritim*, sicut ante, *sed pro habitu modoque fortunarum fierent*. Atque ea de re legem ad populum cum minis vinculorum ac mortis, eodem Livio scribente, tulit: cujus sententiam jam recitavi. Eam diu ab Romanis observatam scribunt idem Livius & Dionysius. Ulpianus etiam pulcre explicat libro Pandectarum posteriorum XII. tit. de Censibus, *qua ratione bona in censum referri debeant*. Itaque quum pœna incensi fuerit maxima, *maximam* capitis diminutionem appellat idem Ulpianus, per quam civitas & libertas amittitur; *ut quum incensus aliquis veniret*. Reliqua ad hanc legem pertinentia, quia commodius explicantur in historicis enarrationibus, quod sæpe feci & deinceps facturus sum, hic prolixior non ero. Sequitur lex ejusdem Tullii *de Civium numero annuatim in tabulas referendo*.

5 *Ut quisque paterfamilias pro nascentibus quidem ad ædem Junonis Lucinæ, pro sumentibus vero Togam virilem ad Juventutis; pro Defunctis denique ad Libitinæ certas stipes penderent: easque quotannis æditui in tabulas referrent, ex quibus puerorum, puberum ac mortuorum certus numerus singulis annis cognosceretur; utique in suis pagis pagani stipes certas in singula capita Paganalibus ad sacrum conferrent, ex quibus hominum numerus per sexus, conditiones, atque ætates quotannis colligeretur*. Commemorat hæc Dionysius ex L. Calpurnio Pisone. Eodem spectabat hæc lex, quo præcedens, ut inde constaret, certum & perspicuum esse robur civium Romanorum, quis illorum numerus, qui quotque bello essent idonei; quod ex illatis nummis facile colligi poterat. Aliud enim unum genus *viros*, aliud *mulieres*, aliud *puberes & impuberes* ferre jusserat: ut eo facilius & commodius hominum genera per urbes oppida & pagos speciatim noscerentur: quemadmodum pluribus docet Dionys. lib. IV. Succedit ejusdem Tullii lex de *Libertinorum civitate*.

6 *Uti in tribus urbanas atque jus civitatis Servi ab Civibus Romanis manumissi, qui vellent, adsciscerentur; & libertini ad omnia plebejorum admitterentur munia*. Mentionem facit hujus legis Dionysius, qui eamdem multis argumentis probat, summe necessariam atque utilem fuisse civitati ad felicitatem atque imperium adspiranti. Offert se lex Servii Tullii de *Civium libertate*.

7 *Ne quis ob debitum fœnus in vincula traheretur; neve fœneratoribus jus in libera corpora, sed debitorum contenti facultatibus essent*. Pollicetur hanc legem apud Dionysium in prima concione ad populum Tullius, adeptus vicariam regni administrationem. Atque postea in altera concione latam fuisse indicat, conquestus appeti se patriciorum insidiis, nobilibusque odiosum, propter æquas leges esse; aliis, quia coacti sunt agro publico cedere; aliis, quia pauperum libertatem contra fœneratores servarunt incolumem. Hinc acute magis quam vere *Servius Tullius* ex nonnullorum sententia vocatus videri potest, a *Servitute tollenda*, quum humili conditione natus ipse pauperum sorti tam præclaris legibus prospexerit. Restat denique lex una Servii Tullii, cujus solennia adhuc supersunt verba, de *Liberis parentes verberantibus*.

8 *Sei puer parentem verberit, ast ole plorasit, puer Deiveis parentum sacer estod*. Citat Festus ex legibus Servii Tullii in voce Plorare, & similem in legibus Romuli ac Tatii fuisse dicit, quod verum, quemadmodum in Romuli legum enarratione didicimus, ut hæc Tullii lex non tam nova fuerit, quam latam jam renovans & in usum revocans. Leges alias quinquaginta de *Contractibus & privatis injuriis* tulit Tullius, quas recensere in historia sua Dionysius non necesse judicavit, fortasse quia tum exstabant inter duodecim leges. Superest ultimo loco explicanda lex Tarquinii Superbi de *Feriis Latinis*.

9 *Uti sacrorum caussa quotannis semel in montem Albanum Romani Latinique nominis populi a supremo magistratu Romano cogerentur; Jovi Latiali consensu communi sacra facturi, ferias & mercatus celebraturi, & una epulaturi*. Quum Latini nominis populos sibi conciliasset, tumque fœdus cum iisdem renovavit, habito conventu ad lucum Ferentinæ. Ubi cum princeps Latinorum

appellatus esset, ut sempiternum maneret fœdus, instituit & legem tulit in sententiam quam dixi. Conveniebant autem Latini nominis confœderati quadraginta septem populi & conferebat quisque ad sacra ex pacto suam partem; quidam *agnos*, alii *lac*, alii *caseum*, alii alia. Victima erat *Taurus* communis omnium, quo a Romano magistratu pro omnibus Jovi immolato, suam quisque populus ex ejus parte carnem accipiebat. Ipsum solenne *Latiar* appellabatur, de quo quidem copiosius cum apud alios, tum apud Dionysium & Livium. Hæc de Legibus Regum Romanorum. Sequitur, ut pauca dicam de *Jure Papiriano*.

CAP. VIII.

1 *De jure Papiriano.*
2 *Legum liberæ reipublicæ caussa efficiens.*
3 *Decemvirales leges.*
4 *Prima de indicendo funere.*
5 *Secunda de funere referendo.*
6 *Tertia de temperando luctu.*

1 HActenus, quanta potui diligentia & qua debui fide, verba feci de *Legibus Regiis*, ut *Romuli* & reliquorum, tam quarum adhuc verba solennia supersunt apud varios scriptores; quam quarum tantum sententia salva ad nos pervenit & integra. Quum autem dispersæ circumferrentur leges regiæ, & periculum esset, ne temporis lapsu perirent, *Sextus Papirius* omnes in unum corpus collegit: a quo tempore *Juris Papiriani* appellatione cœperunt esse nobiles. Ea de re sic scribit Pomponius JC. in l. II. §. II. D. de origine Juris. *Quæ omnes* (loquitur de regiis legibus) *conscriptæ exstant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Tarquinius Superbus Damarati Corinthii F. ex principalibus viris. Is liber appellatus Jus civile Papirianum, non quia Papirius de suo quidquam ibi adjecit, sed quod leges sine ordine latas in unum composuit.* De Jure Papiriano librum scripsit Granius Flaccus, quemadmodum testatur Paullus JC. in l. CXLIV. D. de verborum significatione. *Granius Flaccus in libro de Jure Papiriano scribit, Pellicem nunc vulgo vocari, quæ cum eo, cui uxor sit, corpus misceat.* Hæc de *Legibus Regiis* dicta sufficiant, simul etiam de *Jure Papiriano*, quod nihil aliud quam regum Romanorum leges in unum corpus collectæ: sequitur jam & instituta flagitat methodus, ut explicationem aggrediamus legum, quæ ad *liberam* pertinebant *rempublicam* ejectis jam regibus.

2 Legum *liberæ reipublicæ* caussa efficiens, partim sunt *Decemviri*, partim *alii*, qui post Decemvirorum tempora rempublicam administrarunt, *magistratus*, ut *Consules*, *Prætores*, *Dictatores*, *Tribuni plebis*.

Quod ad *Leges Decemvirales*, ipsa appellatio satis indicat, a quibus eæ fuerint latæ. Occasionem indicat Dionysius: *Nondum*, inquit, *erat apud Romanos jus æquum omnibus civibus, nec omnes ex æquo ordine admittebantur ad tractandam rempublicam, nec jus scriptum exstabat: sed quandiu regnatum est in urbe, Regum arbitrio lites dirimebantur, quod tum erat pro legibus. Translato deinde a Regibus ad annuos magistratus imperio, inter cetera officia regia, juris quoque reddendi munus ad eos devenit. Hujus autem juris scientia quum penes solos esset Patricios, vulgus autem negociatorum & agricolarum prorsus rerum talium esset imperitum, evenit tandem, ut Decemviri fuerint creati a populo, ætate, prudentia, dignitate præstantissimi, qui leges ferrent de negociis tam privatis, quam publicis.* Hi leges conscriptas tum *ex Græcorum jure*, tum e *patriis consuetudinibus* proposuerunt in *decem tabulis*, cognoscendas cuilibet, ferentes admoneri se a privatis hominibus; hocque agentes, ut leges placerent omnibus, diuque consultaverunt cum proceribus, revocantes ad exactissimum examen singulas. Ubi vero visæ sunt propositæ leges bene se habere, primum Senatu coacto, nemine contradicente, *Senatusconsultum* de eis fecerunt, deinde Centuriatis Comitiis tulerunt, plebiscito quoque confirmarunt, & in *æreas columnas* incisas una serie proposuerunt in loco fori maxime conspicuo: quod factum anno ab U. C. CCCIII. Sequenti anno, quum adhuc leges quædam deesse viderentur ad Juris perfectionem, additæ sunt a Decemviris adhuc *duæ tabulæ*, quæ prioribus decem additæ, *duodecim numerum* effecerunt: quæ omnia prolixius explicantur a Dionysio, Livio, Plutarcho, aliisque scriptoribus. De excellentia & præstantia harum tabularum multa magnaque encomia apud Livium, & Dionysium & alios leguntur. Cicero certe lib. I. de Oratore, sub persona Crassi mirum in modum eas prædicat, & supra omnes fere omnium Philosophorum Bibliothecas extollit. Verba ejus sunt hæc: *Plurima*, inquit ibi Crassus, *est in duodecim tabulis antiquitatis effigies, quod & verborum prisca vetustas cognoscitur & actionum genera quædam majorum consuetudinem, vitamque declarant: sive quis civilem scientiam contempletur, totam hanc, descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, duodecim tabulis contineri videbitis; sive quem ista præpotens & gloriosa Philosophia delectat, dicam audacius, hosce habet fontes omnium disputationum suarum, qui jure civili & legibus continentur. Remanent omnes licet, dicam quod sentio; Bibliothecas mehercle omnium Philosophorum, unus mihi videtur duodecim tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate superare.* Insigne profecto præconium pulcherrimarum legum: de quibus etiam idem libro II. de LL. scribit, *quod se puero moris fuerit, ut juniores illas didicerint tamquam carmen necessarium.* Dolendum igitur, tantum thesaurum nobis periisse, & nihil nisi fragmenta quædam tabulasque parum cohærentes ex immani illo naufragio superesse, hic ibi apud varios scriptores dispersas: quibus colligendis, emendandis, illustrandis multi doctissimi viri suam operam, alii aliis felicius, posuerunt. Quum enim tanta earum sit dignitas, & duodecim tabulæ *fons fuerint totius Juris Civilis*, nequaquam arbitrati sunt summi illi viri se operam, quæ in istis declarandis poni solet, ludere: præsertim quum multi etiam veteres Juris Consulti, *Sex. Ælius*, *Ser. Sulpitius*, *Labeo* & *Cajus* eas suis Commentariis illustrare non dubitarint, quorum omnium tamen vix nomina sunt reliqua; scripta autem cum maxima omnium studiosorum jactura interciderunt. Sed facessant prolixiores querelæ: rem ipsam aggrediar.

3 *Decemviralium* vel *duodecim tabularum* legum aliæ pertinebant ad Jus *Sacrum*, aliæ ad *Profanum*. *Juris Sacri* leges appello, quæ ad *religionem* spectabant, eamque vel *publicam* vel *privatam*. Ad publicam religionem refero etiam leges, qui bus explicabantur cum Sacrorum ritus, Feriæ Ludi, tum Sacerdotum munia: ad *Privatam* vero religionem, in quibus describebantur *Funerum ritus*: sed quia ex priore genere temporis injuria

nihil nobis reliquum fecerit, illas indicabo, quæ de *Funeribus & Sepulcris* loquuntur. Prima earum hæc esto, de *indicendo funere*.

4 *Præco fonus endeicito*. Hanc inter leges duodecim tabularum fuisse non obscure indicat Cicero lib. II. de LL. cujus verba, quæ huc & ad sequentes aliquot leges pertinent, ut semel hoc dicam, sic legenda & distinguenda censeo: *Hæc habemus in Duodecim, sane secundum naturam, quæ norma legis est (reliqua sunt in more) Fonus ut indicatur: si quid ludorum, Dominus Foneris utatur Accenso atque Lictoribus &c.* Mandat autem lex, ut *Funus indicatur per Præconem*. Funera apud veteres Romanos erant, vel *Indictiva*, vel *Simpludearia*: *Priora* erant magnorum in republica & illustrium virorum; *posteriora* vero vulgi & plebis.

Indictio, quia per præconem solenniter indicebantur; his autem adhibebantur non *ludi modo*, sed & *Desultores*, inquit Festus; *quæ funera sunt amplissima: Simpludearia* dicebantur quasi *Simpludiaria, quod simpli ludi adhiberentur*, eodem Festo scribente, *hoc est saltatores vel cernuatores*, quos *Corbitores* vocat Verrius, vel ex eo Festus, more scribendi antiquitus imperitis librariis usitato, qui b cum v & contra commutabant. *Corvitores* sine dubio dicendum erat: qui enim gestus *Cernuantium*, ut modo sursum modo deorsum spectent, is & *Corvorum* est & *Cornicum, monedularum*, aliarumque avium. De *Indictivo* igitur, quo viri magni, illustres & qui in reipublicæ administratione aliquo munere fuerant functi, efferebantur, hæc duodecim tabularum lex agit.

Ex hac autem lege ducta est & originem trahit formula illa indicendi Funeris. Legitur ea apud Festum & Varronem. Festus quidem ita scribit: *Nunc & Sabini & Romani populi singulare usurpatur nomen: ut indicio est Præco, qui in Funeribus indictivis ita pronunciare solet: Ollus Quiris leto datus est*. Varro autem lib. VI. de LL. hoc modo. *In funeribus indictivis, quando dicitur, Ollus leto datus est*. Mutila Varronis verba esse, iisque deesse vocem *Quiris*, satis indicant quæ ex Festo recitavi. Scripsit enim proculdubio Varro: *Ollus Quiris leto datus est*. Sequitur lex secunda de *Funere ecferendo*, cujus hæc sunt verba.

5 *Quom Fonus ecfector, nei encomitiato*. Leguntur hæc apud Victorinum de Orthographia: *Fonus*, inquit, *pro funus dicebant, ut in duodecim tabulis, Quom fonus ecfector, nei encomitiato*. Prohibet lex *Comitia celebrari*, quoties fonus esset ecferendum; nam *encomitiato*, nihil aliud in lege, quam *in comitium ito*. Non dubium mihi, quin hæc lex etiam de *Indictivis funeribus* sit exaudienda: ut velit, Comitia non celebrari, quoties magni, illustresque viri, qui honores in reipublicæ administratione gesserant, ecferebantur. Tunc enim facile Comitia impediebantur, exsequias euntibus plerisque magistratuum, atque adeo universo populo. Nam si lex *de quocunque funere etiam plebejo* esset intelligenda, facile quotidie Comitiis injecta fuissent Impedimenta. *Ecfertur* autem ait lex, respiciens ad solennem formulam, quæ talis erat: *L. Titius vixit, L. Titio exsequias ire quoi commodum est, jam tempus est, ollus ecfertur*. Videndus Varro lib. IV. de LL. & ad eum Josephus Scaliger. Respiciunt ad hanc formulam, multi scriptores: Terentius Phormione Act. V. Sc. ult. v. XXXVII. *Exsequias Chremeti quibus est commodum ire, jam tempus est*. Sic apud Silium Italicum l. XV. v. CCCLXXXIV. belli Punici Hannibal, cæso Marcello.

Vos ite superbæ.
Exsequias animæ & cinerem donate supremi.
Muneris officio.

Ovid. lib. II. Amorum Eleg. VI. v. I.

Psittacus Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit; exsequias ite frequenter aves.

Sic enim ibi legendum, non *ferte exsequias*, quod parum Latinum, ut & apud eundem Ovidium lib. IV. Fastorum, vers. IↃCCCXLIX. *Dat tamen exsequias*: emendandum enim.

It tamen exsequias, jam nunc suspendere fletum.
Sustinet.

Ecfertur igitur vox propria in funeribus, quemadmodum etiam docet Martialis lib. II. Epigr. LXV. & IV. XXIV. & V. XXXVIII. & VIII. XLIII. & alii. Succedit explicanda lex tertia de *Temperando luctu*: quam his verbis fuisse conceptam censeo:

6 *Molieres faciem nei carpunto, neive cenas radunto; lesum foneris nec habento*. Ita puto conjungenda tria legis fragmenta, quæ divulsa variis locis apud varios scriptores leguntur. Primum membrum legitur apud Servium Interpretem Virgilii in enarratione versus, qui libro XII. Æneid. *Roseas laniata genas*. Sic enim ad ea verba scribit: *Tamen, sciendum cautum lege duodecim tabularum, ne mulieres carperent faciem his verbis: mulier faciem ne carpeito*. Altera legis pars exstat apud Festum in fragmentis: *Radere genas*, inquit, *vetitum est in lege duodecim tabularum, id est unguibus scindere*. Postremum legis membrum exstat apud Ciceronem lib. II. de LL. *veteres*, inquit, *duodecim tabularum interpretes Sex. Ælius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt. Sed Acilius suspicari vestimenti aliquod genus funebris: Ælius Lessum quasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat: quod eo magis judico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat*. Sic lib. II. Tusculanarum. *Ejulatus in funere prohibitus per leges duodecim Tabularum*. Et paullo post: *Posteaquam, ut scribit Phalereus, sumtuosa fieri funera & lamentabilia cœpissent, Solonis lege sublata sunt: quam legem iisdem prope verbis nostri Decemviri in decimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus riciniis & pleraque alia Solonis sunt. De lamentis vero expressa verba sunt: Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris habento*. Ex Solonis igitur legibus, monente non semel Cicerone, transcripta hæc a Decemviris. Plutarchus certe scribit, Solonem prohibuisse *in funeribus corpus laniare, lamentationemque meditatam edere*. Cavet igitur lex, *ne mulieres faciem carperent, neve genas raderent*. Nam cui bono? Lacrymis & variis ingentis doloris indiciis nemo in vitam revocatur. Irrecuperabilia lugere supervacuæ dementiæ verius est, quam pietatis: *neve cenas*, inquit lex, *radunto*. De hoc legis fragmento intelligendus etiam Plinius lib. II. cap. XXXVII. *Malæ homini tantum, quas Prisci cenas vocabant, duodecim tabularum interdicto radi a feminis eas vetantes*. Sic enim quæ corruptiora apud Plin. sunt corrigenda. Pergit lex *Lesum foneris nec habento*. Eleganter Plato l. XII. de Legib. *Fleri*, inquit, *mortuum jubere aut vetare absurdum; plangere vero & voces & lamenta extra ædes mittere, vetandum*. *Lessus* autem vel *Lesus*, item *losus* vel *lausus*, unius enim ejusdemque notionis hæc omnia, nihil aliud, ut ex Cicerone jam

audivimus, quam *lugubris ejulatio*. Quamquam autem *faciem carpere, genasque radere* vetitum esset lege duodecim tabularum; tamen, infracta quasi legis auctoritate, fieri illud solitum Varronis temporibus, docent Servianæ scedæ. Sic enim scribit: *Varro dicit, Mulieres in Exsequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant*. Sequuntur jam explicandæ leges aliquot duodecim tabularum *de Funerum sumptu*; quarum prima, ordine nostro quarta, sic se habet.

CAP. IX.

1 *Lex quarta de funerum sumtu.*
2 *Quinta.*
3 *Sexta.*
4 *Septima.*
5 *Octava.*
6 *Nona.*
7 *Undecima de orationibus funebribus.*
8 *Duodecima de ludis funebribus.*
9 *Decima quarta & ultima de sepulcris.*

1 E*Ndo fonere tribos ricinieis*, RICA PORPOREA, DECEMQUE TIBICINEBOS VETIER LICETO; HOC PLOUS NEI FACITO. Et hæc apud Ciceronem & Festum dispersa atque disjuncta sic conjungenda censeo: apud Ciceronem legitur l. II. de LL. Festum l. XVI. Legis sententia est: *Ne plus quam tres vestes cum mortuo aut conderentur aut urerentur*; id quod etiam apud Athenienses, teste Plutarcho, Solonis lege cautum erat, *nec plures decem Tibicinibus ad funerum pompam adhiberentur*. Ex quibus patet hanc etiam legem pertinuisse non ad *Sympludearia* & vulgaria illa vel plebeja funera, sed ad *Indictiva* illa, quibus magistratus, patricii, aliique magni & illustres viri efferebantur. Hæc enim pompæ erant plena, maximumque habebant adparatum: quo *Sympludearia* carebant. Ait lex *Endo fonere*. *Endo* pro In, ut sæpe monui. *Fonus*, *Funus* antiqua scribendi consuetudine; veteres enim plerumque O pro V usurpabant; docent Grammatici, & infinitæ veterum voces. (Ait lex *vetier liceto*) *vetier* pro *utier* id est *uti*. ut sæpe dixi. (*tribus ricinieis*) *Ricinium*, inquit Festus, *omne vestimentum quadratum, ii qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam, qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo*.

De *Riciniis* loquitur etiam Varro lib. I. de vita Populi Romani apud Nonium: *Mulieres in adversis rebus ac luctibus, quum omnem delicatiorem ac luxuriosum vestitum postea institutum ponunt, ricinia sumunt*. Consulendus etiam Isidorus libr. XIX. cap. XXV. Legem autem hanc petitam esse *ex legibus Solonis* judicat Cicero lib. II. de LL. in *Riciniorum trium* mentione. *Nunc de tribus riciniis*, inquit, *& pleraque illa Solonis sunt*. Solonis esse notat Plutarchus in Solone: οὐ γ' συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν. Ait lex *rica porporea*. Sic legendum monent docti viri apud Ciceronem pro vulgata scriptura *vinculis purpuræ*, proque ea, quæ est in Manuscriptis Codicibus *vincla purpurea*: utrobique nullo sensu. *De Rica* sic inquit Festus: *Rica est vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum*. Ad *ricam hanc* referendus omnino locus est L. Flori libri XLVIII. epitoma: *M. Æmilius Lepidus, anteaquam expiraret præcepit filiis lecto se strato, sine linteis, sine purpura efferrent*; ubi *purpura* nihil aliud ex mente doctorum virorum, quam *purpurea hæc rica*. Huc etiam spectare videtur Virgilius lib. VI. Æneid. v. CCXX.

Purpureasque super vestes velamina nota
Conjiciunt.

Purpureæ vestes, nihil aliud ex consuetudine Romana, quæ in Latinorum auctorum explicatione maxime spectanda, quam *Rica* & *Ricinia*, quæ etiam clavos habebant purpureos, quemadmodum Interpretes duodecim tabularum notant apud Festum. Pergit lex (*decemque Tibicinibus*) Mortuos offerri solitos apud veteres Romanos *ad decem Tibicines*, docet etiam Ovidius lib. VI. Fastorum.

Adde quod Ædilis, pompa qui funeris irent,
Artifices solos jusserat esse decem.

Alii apud Ciceronem pro *Tibicinibus* legendum opinantur *Siticinibus*. *Siticines* certe, docente Nonio, dicebantur, *quod apud Sitos canere soliti essent, hoc est vita functos*. Lectionem hanc confirmare etiam videtur Agellius lib. XX. cap. II. ubi inter alia dicit *Siticines proprium genus tubæ, qua canerent habuisse, ab ceterorum tubicinum proprietate differentes*. De *Tuba* etiam in funeribus Persius Sat. III. v. CIII.

Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compositus lecto.

Servius in lib. V. Æneid. v. CXXXVIII. *Sciendum majoris ætatis funera ad tubam solere ecferri, minoris vero ad tibias*. Ait denique lex (*Hoc plus nei facito*) Leguntur hæc apud Ciceronem lib. II. de Legibus. *Jam cetera*, inquit, *in duodecim minuendi sumtus lamentationesque funeris, translata de Solonis vero legibus: Hoc plus ne facito*. Alii hoc legis duodecim tabularum fragmentum alio referunt. Quidquid sit, certum est, appendicem fuisse alicujus legis, *quæ funerum & sumtuum modum præfiniebant*: quasi in eam sententiam scripta lex esset, ut quum finem illis rebus præscripsisset, tum hoc quasi sanctionis loco adscriberet. Pertinuisse autem appendicem hanc ad illam legem, qua Cicero lib. II. de LL. scribit *extenuatum fuisse sumtum trium riciniorum, clavorum purpureorum* (vel potius *ricæ purpureæ*) *& decem tibicinum*, censent plerique qui duodecim tabularum fragmenta interpretantur. Iis lubens subscribo; quum etiam me non parum moneant Plutarchi verba de Solonis lege. Ea hæc sunt: οὐ γ' συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν: videntur enim verba illa in duodecim, *hoc plus ne facito*, latere quasi in voce πλέον. Sed incertiora hæc. Sequitur lex quinta *de Funerum etiam sumtu*.

2 SERVILIS UNCTURA, CIRCUMPOTATIOQUE QUOM FONUS EXSEQUIANTOR, VEI NEIVE RESPERSIO NEI FUAT; ACERAS SEPOLCRIS AUT LONGAS KORONAS NEI ENDOPONITO. Apud veteres Romanos, *Sympludiariis* funeribus efferebantur etiam *homines servi*, moris autem erat Defunctorum corpora *ungere*, non solum *patriciorum* eorumque qui honoribus & magistratibus fuerant functi, verum etiam *plebejorum*, non autem *servorum*: Illud enim lex duodecim tabularum non permittebat. Legis istius sententia est apud Ciceronem lib. II. de LL. *Uti servilis unctura tollatur, omnisque circumpotatio, quæ & recte tol-*

luntur, neque tollerentur nisi fuissent. Ne sumtuosa respersio, ne longæ Koronæ, nec acerræ &c. Quod autem soliti fuerint veteres *mortuorum corpora ungere odoribus & unguentis*, notat Ennius lib. III. Annalium:

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

Sic Virgilius lib. VI. Æneid. v. CCXVIII.

Pars calidos latices & ahena nudantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis & ungunt.

Hinc etiam l. XXXVII. D. de religione & sumptibus funerum: *eorum sumtuum rationem probat, qui unguento pro mortui corpore comparato sunt facti.* Alii per *Servilem uncturam* intelligunt *Pollinctorum familiam*. De *Pollinctore* Plautus Prologo Pœnuli v. LXIII. *Quia Pollinctor dixit qui eum pollinxerat.* Sic Statius lib. v. Syl.

Sed nec servilis ademto
Ignis odoriferos exhausit flamma Sabæos.

Martialis lib. X. epigr. XCVII.

Dum lenis arsura struitur Libitina papyro,
Dum Myrrham & Casiam flebilis uxor emit.
Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato,

Sed si *servilis unctura* in hac lege sit idem, quod *Pollinctorum familia*, non recte capio, quod prohibeatur *in servili unctura*, an, *ne Servi mortuorum corpora ungant*: quod non est verisimile. Nam *Servos* adhiberi huic negocio solitos, multa auctorum veterum loca docent. Servi proprie erant *Pollinctores*; Servorum erat *Pollincere*, id est lavare & ungere defunctorum corpora. Jurisconsulti lib. XIV. Digest. tit. de Institoria act. lib. v. §. v. *Si libitinarius, quos Græci* νεκροθάπτας id est mortuorum sepultores, *vocant, servum Pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliaverit, dandam in eum quasi institoriam actionem.* Alia prætereo. An igitur, ut nonnulli innuunt, decemviri *Pollincturam* adimant servis, & jam velint esse *hominum liberorum*? Nequaquam. Decemvirorum mens est, *ne Servorum corpora ungantur*; *Servilis* inquam *unctura* hac lege tollitur, non *Pollinctura*: Nolunt Decemviri, Servos post mortem *ungi*; volunt *Pollincere*, id est Liberorum hominum corpora lavare & ungere. Ait porro lex (*Circumpotatioque*) *Circumpotatio* hæc nihil aliud quam quod scriptores alii nominant *Silicernium*. Nonius: *Silicernium est proprie convivium funebre &c.* Varro Meleagro: *Funus exsequiati lento ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est* περιδέπνιον, *quo pransi discedentes dicimus, alius alii, vale.* Sic Placidus in Glossis *Silicernium, Exsequium.* Alii alio modo *Silicernium* interpretantur; videndi Festus, Fulgentius Planciades, Donatus in Terent. Adelph. Act. IV. Sc. II. v. XLVIII. De *Funebribus* autem *Conviviis* loquitur Virg. lib. III. Æneid. v. CCCI.

Solennes tum forte dapes & tristia dona,
Jamque dies ejulata novem.

Ubi Servius: *Epulæ in Parentalibus superpositæ Silicernium dicuntur: quasi Silicernium super*

A *silicem positum.* Sic Horatii Interpres in Epodon Oda VII. *Novendiale dicitur Sacrificium, quod mortuo fit nona die, quam sepultus est.* Obiter hoc monendum, *Circumpotationem* etiam hodie nondum in dessuetudinem abiisse, usurpari solitam inter eos, qui defuncto *Cognati* & *Adfines*.

Ait lex (*Quum fonus exsequiantor*) Hæc apud Varronem in Meleagro, ut eum citat Nonius in *Silicernium*, videntur etiam fuisse in legibus duodecim tabularum. *Exsequiari funus*, nihil aliud, quam exsequias ire & funus ad legem deducere. Sic alibi Varro, *Semiatrati exsequiantur*, id est exsequias eunt. Pergit lex (*Vei neive respersio nei*
B *fuat*). Hinc constat in legibus duodecim tabularum nonnullas leges regias fuisse repetitas. Lex enim Numæ vetabat, *vino rogum spargi*. Ipsum autem hoc vinum *respersum* dicebatur. Docet Festus: *Respersum vinum significat apud Antiquos, quia in Sacris Novemdialibus vino mortui sepulcrum spargebatur.* Vetabat Numa *vini respersionem omnem*, idque propter vini proculdubio inopiam tunc temporis. Decemviri rursus admiserunt, sed eam parcam, non sumtuosam. Ait lex (*aceras sepolcreis nei endoponito*) Festus scribit *Acerram aram esse, quæ ante mortuum poni soleat, in qua odores incedebantur.* Addit autem
C alios dicere, *arculam esse, turariam* scilicet, *ubi tus reponatur.* Hottomannus de *Aris* potius accipiendum putat, ut vetet lex *aras, quæ proxime sepulcra fierent, cum ture incensisque odoribus obiri.* Lex denique (*aut longas Koronas*) inquit, *Longæ coronæ* dicuntur ad differentiam *rotundarum*, qualibus Busta, Sepulcra, sellas curules & currus triumphales coronari consuevisse constat ex Huberti Goltzii Fastis, C. Cæsare, & Octaviano Augusto, item ex Gulielmi Brassicani Antiquitatibus & Æneæ Vici Parmensis Numis. Plutarchus in Timoleonte scribit, *Apii Coronas se-*
D *pulcris imponi solitas.* Eleganter etiam Plinius lib. XXI. cap. III. *Etiam tunc coronæ Deorum honos erant & Larium publicorum privatorumque ac sepulcrorum ac Manium.* Sic Minutius Felix in Octavio: *Reservatis unguenta funeribus, coronas etiam sepulcris denegatis*: quæ posteriora Minucii verba referenda sunt omnino ad hanc duodecim tabularum legem. Quod & decemviri dicunt, *Coronas sepulcris nei endoponito*: Hoc Minutius dixit *veteres illos Romanos* alloquens, *Coronas sepulcris denegatis.* *Koronas* autem has *ex floribus aliisque lectis herbis* compositas fuisse satis constat ex Plutarcho & Plinio, quos ante lauda-
E vi. Hodie etiam & rotundæ & longæ coronæ solent imponi capulis vel urnis eorum, qui cujuscumque sexus intacti & virgines obierunt. Sequitur lex sexta *de sumtu funerum.*

3 MURINAM MORTUO NEI ENDITO. Legis hujus verba descripsi ex Festo & Cicerone. Cicero quidem libr. II. de LL. sic scribit, *Ut ne respersio fieret, neve murrata potio Mortuo inderetur.* Festus autem hoc modo: *Murrata potione usos antiquos indicio est, quod etiam nunc Ædiles per supplicationes Diis addunt ad pulvinaria, & quod duodecim tabulis cavetur, ne mortuo indatur, ut ait Varro in Antiquitatum libro primo.*
F Qualis autem hæc *Murina potio* fuerit, non satis constat. Hieronymus Mercurialis libr. V. Variarum lectionum cap. I. de *Murrhina*, quæ & *murrata* potio, disputans, Cujacii, Julii Cæsaris Scaligeri, & Hadriani Junii multum inter se discrepantes opiniones primum recitat & refutat; deinde quid ipse sentiat, adferens, dicit se existimare, *Murrianam fuisse artificialem quandam potionem, quæ antiquorum temporibus fuit vulgatissima; a posteris autem ita intermissa, ut ne nomen quidem*

ejus remanserit ; quod vel a similitudine, vel a mistione, vel ab aliqua re sumtum. Festus sane *Murrinam* potionis genus vocat, quod Græci *Nectar* appellant, *quod quidam*, inquit, *dici putant ab uvæ Murrhinæ nomine*. Sic Plinius libr. XIV. cap. XIII. *Laudatissima*, inquit, *apud Priscos vina erant, myrrhæ odore condita; ut apparet in Plauti fabula, quæ Persa inscribitur*. Agellius libr. X. cap. XXIII. quoque *Murinam inter dulces potiones* numerat & nominat. Decemviri igitur temperantiæ civiumque Romanorum continentiæ, quantum in se erat, studentes, prohibent ne ejusmodi potiones mortuis conficiantur, magnique sumtus funerum caussa fiant. Sequitur lex septima loquens etiam de *funerum sumtu*.

4 PLUSA FONERA UNEI NEI FACITO, NEIVE PLUSES LECTOS ENDOFERTO. Cicero lib. II. de LL. *Credo quod erat factitatum, ut unei plura fierent, lectique plures inferrentur*. Pertinet igitur etiam hæc lex *ad minuendos sumptus* & vivis & mortuis inutiles. Nam ut Servius notat, *gloriosum erat apud Majores, quam plurimis lectis efferri*. Ejus hæc sunt verba ad libr. VI. Æneid. v. IↃCCLXVI. *Ad funeris Marcelli honorem Augustus sexcentos lectos intrare civitatem jussit. Hoc enim apud Majores gloriosum fuerat, etiam dabatur pro qualitate fortunæ. Nam sex millia habuit Sulla*. Prohibet igitur immanes hujusmodi sumtus lex duodecim tabularum. Ad quid enim? quum, quemadmodum mortuo hodie unus capulus sufficit, sic olim unus etiam efferendo mortuo sufficere potuit lectus. Tenuis fortunæ homines *capulis*, quemadmodum hodieque sine *pheretris* efferebantur: potentiores autem *lectis*. Hinc Persius Sat. III. v. CIX.

—— *tandemque beatulus alto*
Compositus lecto.

Divites enim & potentiores *Beati* apud veteres. Sequitur lex octava eadem de re agens.

5 AUSOM IN FONERE NEI ADDITO: AST QUOI AUSO DENTEIS VINCTEI SIENT; IM CUM OLE SEPELIRE UREREVE SE FRAUDE LICETO. Servatur fragmentum hoc duodecim tabularum apud Ciceronem lib. II. de LL. *Qua in Lege*, inquit, *quum esset neive aurum addito, etiam quum humane excipit altera lex, Ast quoi auro dentes vincti erunt &c. Ausum* nihil aliud quam *aurum*, Veteres enim *S* pro *R* usurpabant. Vetat prior legis pars, *ne in funere aurum addatur*. Apud antiquos enim consuetudo flagitabat, ut cum mortuo preciosissima quæque in ignem vel rogum conjicerentur; id quod ex multis Virgilii locis & Servii etiam in eum commentariis intelligitur. Quæ igitur ex auro, vetat lex in rogum vel ignem una cum mortuo conjici. Sed addit exceptionem his verbis: *Ast quoi* &c. quasi dicerent Decemviri: *Si tamen quis dentes, qui sibi excidissent, aut evulsi essent, auro vinxisset, licere eos cum mortuo cremari vel sepeliri sine fraude*, hoc est non peccari ea re contra leges. (Ast quoi) vox Ast in vulgatis Ciceronis libris est luxata, & suo loco mota: (quoi auso dentes vincti sunt) id est cujus dentes, qui illi aliquando vel exciderunt, vel evulsi sunt, auro erunt juncti. Quoi autem nihil aliud quam *cui* antique, imo analogice. Dicebant enim & flectebant veteres *Quis, quoius, quoi, quem, qui, quis, quibus* &c. Auso id est *auro*. *S* pro *R*. (dentes vincti sient) illud hodieque solet fieri, ut den-

A tibus amissis vel evulsis alii substituantur ex auro aliave materia, (im cum olo sepelire urereve se fraude esto) quasi dicerent Decemviri, licere per legem eum dentem, vel dentes ex auro factos cum mortuo uri vel condi. Im id est *eum* antique quidem, sed secundum analogiam. *Is* enim non alium potest habere accusativum, quam *Im*. contra regulam enim habet *eum* (olo) id est ollo, non enim geminabant consonantes: ollo autem pro *illo*; quod notum ex Grammaticis.

(Se fraude liceto) *Se* apud veteres nihil aliud quam *Sine*, quemadmodum legitur in emendatioribus Festi exemplaribus. Scriptum enim in aliis,
B *Sed*; quæ tamen in eadem etiam notione usurpari solet. Nam veteres etiam sed pro Sine dicebant. Cujus rei fidem facit vetustissima lex, quam exstare dicit in Bibliotheca regia Josephus Scaliger: Ei primo quoque die Quæstorem solvere jubeto, Quæstorque eam pecuniam *eis sed fraude* sua solvit. Se igitur pro Sine, pro se autem antiqui etiam pronunciabant *Sed* adjecta nimirum D. littera, quemadmodum & in columna Duilia *Altod, marid, Dictatored*. Sequitur nona eadem de re.

6 ROGUM ASCIA NEI POLEITO) Cicero lib. II. de LL. memoriæ prodit *hanc etiam legem in duodecim tabulis scriptam fuisse, quæ ve-*
C *tabat e politis ascia lignis pyram confici, ne sumtus supervacui fierent*. Solebant veteres Romani nimio quodam fastu nimioque sumtu exornare sepulcra.

Illud prohibet lex a me ex Cicerone petita & recitata, jubens e *rudibus & impolitis lignis pyram confici*. (Rogum) Rogus significat struem lignorum, quæ facta cremandis corporibus defunctorum, sic dictus, ut volunt Grammatici, *a rogando*, quod in eo manes rogari solerent. (Ascia) *Ascia* fabrorum materiariorum dolabra est, qua ad aspera ligna polienda utuntur, ab *adscindendo* dicta.
D Sumtuosior erat rogus ex lignis ascia politis, quam ex rudibus exstructus. Hinc etiam illa in veteribus monimentis inscriptio *Sub ascia dedicavit*, ut qui posuerat, testaretur quasi injecta *Asciæ* mentione, Dedicationem sumtuosiorem. Sequitur lex Decima *De Defunctorum ornamentis*.

QUEI KORONAM PARET IPSIUS PEQUNIÆVE EJUS VIRTUTISVE DIDITOR; IPSEIQUE MORTUI PARENTALIBUS EJUS, QUOM ENTOS POSITOS EST, QUOMQUE FORAS ECFECTOR
E IMPOSITA SE FRAUDED ESTOD. Leguntur hujus legis fragmenta apud Plinium libr. XII. cap. III. & M. Tullium lib. II. de LL. Plinii verba primum recitabo, quemadmodum in vulgatis exemplaribus leguntur; inde doctorum virorum judicia sequutus emendabo. Sunt igitur hæc: *Semper auctoritas* (sermo illi est de Koronis) *vel ludicro quæsitarum fuit, namque ad certamina vi circum per ludos & ipsi descendebant & servos suos equosque mittebant. Inde illa duodecim tabularum lex*. QUI KORONAM PARIT IPSE PEQUNIÆVE EJUS VIRTUTIS ERGO ARGUITUR, *quam servi equique movissent pe-*
F *cuniam partam lege dici nemo dubitavit. Quis ergo honos?* UT IPSI MORTUO PARENTIBUSQUE EJUS DUM INTUS POSITUS ESSET FORISVE FERRETUR SINE FRAUDE ESSET IMPOSITA. Mendis scatent hæc verba: In primis pro *arguitur*, emendat Justus Lipsius *arduitor*. lib. IV. Epist. quæst. epist. XXVII. Notat autem *arduitor*, positum antique pro *adduitor*, ab voce *arduo*, vel *adduo*, pro quo nos hodie *addo* dicimus. Jacobus Rævardus, retenta fere vulgata lectione, emendat *arguitor*, ut sit sensus, *Korona illa sit argumento & judicio virtutis*

Defuncti. Fulvius Ursinus scribit in MSS. Plinii exemplaribus scriptum se reperisse *deditur*, in alio etiam *dividitur*; quod ab Imperito aliquo suppositum notat, cui esset ignota verbi *Diditur* significatio. *Didere* verbum elegantissimum pro tribuere ac disserere; infinitis locis apud Lucretium lib. II. v. CIↃCXIV.

Plura sibi adsumunt, quam de se corpora mittunt,
Dum facile in venas cibus omnis diditur; & dum.

Et lib. III. v. CCXLV.

Sensiferos motus quæ didit prima per artus.

lib. IV. v. IↃCXXIV.

Inde quod exprimimus per caulas omne palati
Diditur, & raræ perplexa foramina linguæ.

Alia prætereo quæ apud eundem Lucretium infinita. Sic Horat. lib. II. Ser. Sat. II. v. LXVII.

Albuci senis exemplo, dum munia didit.

Virg. lib. VII. Æneid. v. CXLIV.

Diditur hic subito Trojana per agmina rumor.

Quum igitur raro, imo numquam locus esse debeat Conjecturis, in emendatione veterum scriptorum; quamdiu Manuscripti Codices vulgatorum librorum vulneribus & morbis mederi possunt, legendum censeo apud Plinium pro *arguitur*, *diditur*, quæ lectio in manuscriptis; pro *diditur* autem scripserant Decemviri *diditor*, quemadmodum leges solent concipi. *Diditor*, id est tribuitor, dator. Vox *ergo* quæ in vulgatis exemplaribus Plinii exstat, in MSS. nusquam legitur: ideoque non censendum Decemviros ea usos fuisse in hac lege scribenda. Pro *Parentibus* legendum omnino apud Plinium *Parentalibus*, de qua voce postea. Hæc sufficiant ad Plinii verba. Ciceronis autem hæc sunt. *Illa jam significatio est, Laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam & ei qui peperisset & ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet.* Hæc etiam verba male adficta esse, nemo non intelligit. Legendum plane: *Quod coronam virtute partam ei qui peperisset, ejus parentalibus sine fraude &c.* Error inde manavit. Scriptum fuerat *Parentalibus*: quæ vox facili lapsu degeneravit in *Parentibus*: hanc autem vocem quum alius quidam ineptam esse videret, in *Parenti* convertendum esse censuit, sensu non cuivis incommodo. His præmissis ad ipsam legem venio. (QUEI CORONAM) Hanc legem arbitror exceptionem quamdam esse legis superioris, qua prohibebatur *adhiberi ad funera longas koronas, ne imponerentur cadaveribus*; hæc lex excipit *koronas illas*, quas quis *vel ipse, vel per servos equosque suos in publicis ludis vel certaminibus sibi peperisset atque adeptus esset*. Has enim addi, & in funeribus Dominis demortuis imponi lex permittit: ut jam clara sit legis sententia, quam etiam Hotomannus ait hanc esse, *ut qui in ludis certaminibusque publicis coronam adeptus sit (quæ quidem præmium victoribus honoris causa proposita erat) ei monimentum istud, quasi insigne virtutis suæ relinqueretur*. (PEQUNIÆVE EJUS VIRTUTISVE) *Pequniæ* nomine lex non *equos* tantum, sed & servos comprehendit. *Pecuniæ nomine* inquit Hermogenianus in l. CCXXII. de verb. signif. *non modo nummi, hoc est numerata pecunia, sed omnes res tam solidæ quam mobiles, tam corpora, quam jura continentur*. Cavet igitur lex, quidquid defunctus Coronarum vel ipse, vel suorum opera, suisque sumptibus pepercit, ne hoc ei ad rogum efferendo adimatur. (IPSI MORTUO PARENTALIBUS EJUS) Sic emendanda lex duodecim tabularum, quum antea corrupte legeretur *Parentibus* nullo sensu.

Non enim censendum, Decemviros ominatos fuisse, *Parentes liberis suis superstites esse*. *Parentalia* autem, quid apud antiquos significationis habuerint, docet eleganter Donatus in Terentii Eunuchum. *In nuptiis septimus dies instaurationem voti habet; ut in funere nonus dies, quo Parentalia concluduntur*; id est Convivia, quæ in parentum aut propinquorum funeribus fieri consueverant. Sic Servius in libr. V. Æneid. *Sane sciendum quod apud majores, ubi quis esset extinctus ad domum suam referebatur. Unde est: Sedibus hunc refer ante suis, & illic septem erat diebus, octavo incendebatur, nono sepeliebatur, & Parentalia concludebantur* &c. Dicta autem *Parentalia*, quemadmodum testatur Hieronymus in Hieremiam, *quod hoc officii genus liberi parentibus præstarent*.

(QUUM ENTOS POSITOS EST) quod fiebat *per septem dies*, quemadmodum jam audivimus ex Servio. *octavo enim die* ecferebantur & incendebantur; *nono die* Cineres sepeliebantur in urnis conditi. *Positus* idem quod *situs*; quæ in re funeraria vox solennis est: alia tum alia est usitatior. vocem *positi* usurpat etiam hac in re Ennius lib. III.

Postamque turamei, Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

Virg. apud Donatum XI. Æneid. v. XXX.

Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acœtes
Lavit.

Lucanus lib. IX. v. X.

Non illuc auro positi, nec ture sepulti
Perveniunt.

Inscriptio:

Hæ positæ gnatæ tristes posuere parentes.

(*quomque foras ecfertur*) Fiebat enim hoc *die nono*, ut jam intelleximus ex Servio. *Efferre* autem vox funeraria quemadmodum satis indicat formula illa funeris indictivi: *Exsequias L. Titio quibus est commodum ire, jam tempus est, ollos ecfertur*. Videndus etiam Latinissimus ille Poeta Martialis libr. II. epigram. LXV. Idem IV. XXIV. v. XXXVIII. & lib. VIII. XLIII. Sic Livius *Depugnabunt pro te ipsi ac morientur, ac se ultro efferent*. Hæc sufficiant ad legem hanc decimam de *Defunctorum ornamentis*. Sequitur undecima de *Orationibus Funebribus*.

7 HONORATORUM VIRORUM LAUDES ENDO CONCIONE MEMORANTOR, EASQUE NÆNIÆ AD TIBICINEM PROSEQUANTOR. Cicero lib. III. de LL. *Hæc habemus in duodecim, sane secundum naturam, quæ est norma legis. Reliqua sunt in more, Funus ut indicatur esse Honoratorum virorum laudes, in concione memorantur easque etiam cautus ad tibicinem*

cinem prosequantor, *cui nomen Næniæ*: *quo vocabulo etiam a Gracchо cantus lugubres nominantur*. Solebant apud veteres Romanos viri illustres quique magistratu aliquo fuerant functi, quum rebus humanis essent exemti, orationibus funebribus decorari, quemadmodum multis verbis notat Polybius lib. VI. primus apud Romanos funebri oratione collegam suum *Junium Brutum* laudavit *P. Valerius Poblicola* Consul anno primo post reges exactos; *quam orationem tam acceptam tamque caram populo fuisse* scribit Plutarchus, ut inde tractum sit, *ut omnes boni ac magni viri, quum fato concessissent, ab optimis laudarentur*. Qui honor posterioribus temporibus etiam *illustribus juvenibus* & *claris mulieribus* fuit concessus, quemadmodum patet cum ex aliis tum ex Plutarcho & Dione; nec non Suetonio in Cæsare cap. VI. & in Caligula cap. X. & XV. (ENDO CONCIONE) Fiebant enim & habebantur hujusmodi Orationes Funebres in *Foro*, ex *Rostris ipsis*, quemadmodum indicat Polybius. *Concio* Latinis scriptoribus tria significat; *Suggestum*, unde verba fiunt, deinde *multitudinem* populi convocatam, tertio, *orationem ipsam*, quæ ad populum habebatur. (*easque*) laudes honoratorum, id est qui honores in reipublicæ administratione gesserunt (*prosequantor Næniæ*) De Nænia Festus: *Nænia est carmen quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam*: *quod vocabulum Afranius in Materteris posuit*. *Næniam autem inter Exsequias cantabant*. De hujusmodi autem laudationibus & lamentis loquitur etiam Cicero pro Milone: *Ut sine imaginibus*, *sine cantu*, *sine ludis*, *sine exsequiis*, *sine lamentis*, *sine laudationibus*, *sine funere* &c. *Nænia* autem a Græca voce, ut volunt Etymologistæ νέατον, quod ultimum. Erat enim hoc carmen *ultimum*, quod in funere laudandi gratia cantabatur ad tibiam ante cadaver sepultum. Diomedes: *Apud Romanos id carmen*, *quod in lamentatione extremum atque ultimum mortuo accinitur*, *Nænia dicitur*. Acron dicit esse *factitium nomen a similitudine vocis eorum*, *qui queruntur & dolent*. *Nænia*, inquit Nonius, *ineptum & inconditum carmen*, *quod a conducta muliere*, *quæ Præfica diceretur*, *iis*, *quibus propinqui non essent*, *mortuis exhiberetur*. *Varro lib.* IV. *de vita populi Romani*: *a muliere ad næniam cantari solitam ad tibias & fides*. Pro TIBICINEM autem in hac lege apud Ciceronem legendum forsitan *Siticinem*. Sequitur lex duodecima de *Ludis Funebribus*.

8 DOMINOS FONERIS ENDO LUDEIS ACCENSO LICTOREBOSQUE OCTITOR. Exstat hæc duodecima tabularum lex, ut multæ aliæ apud Ciceron. lib. II. de LL. non quidem verbis, quibus eam recitavi, concepta, sed quibus tunc temporis Romæ utebantur, expressa. Sic enim apud Ciceronem legitur. *Hæc habemus in duodecim* (*sane secundum naturam*, *quæ norma est legis*, *reliqua sunt in more*) *Funus unde indicatur*; *Si quid ludorum*, *dominus funeris utatur accenso atque lictoribus*. Romæ in funeribus indictivis sæpe Ludi edebantur, qui inde dicebantur, *Funebres*. His qui præerat *Dominus* dicebatur: huic concedit lex, ut *Accenso utatur & Lictoribus*. Ait lex (*Dominus Funeris*) Domini vox apud veteres Romanos latissime patebat. Dominus enim *Funeris*, *Ludorum*, *Convivii* & similium appellabatur, qui iis præerat. Quum addit lex (*endo ludis*) significat *Dominum* hic designari qui *Ludis funebribus præerat*. Sic enim antiquissimis temporibus dicebatur, ut patet ex Cicerone. Postea *Munerarius* fuit nominatus; ab *edendo* nimirum *munere*.

A Spectacula enim *Munera* proprie dicta, *vel quia populo gratis dabantur*, vel, ut Tertullianus ait, *ab Officio*, *quia officium se mortuis facere arbitrabantur*. *Munerarii* autem vocis Quintilianus primum patrem facit Augustum lib. VIII. c. III. *Quædam in usu*, inquit, *per quam recentia*; *ut Messala primus Reatum*, *Munerarium Augustus primus dixerunt*. Primum sic dixisse notat Augustum Quintilianus, nam ante *Domini Ludorum* dicebantur, ut Cicero notat de LL. vel *Editores*. Capitolinus in Antonino: *Absens populi Romani voluptates per ditissimos Editores curari vehementer præcepit*. Sic & res ipsa *Editiones*
B Lapis haud procul Neapoli: *Hic obliterato muneris spectaculo impetrata editione ab indulgentia maximi Principis diem Gladiatorium & omnem adparatum pecunia sua edidit*. Alius Lapis in urbe Prænestina: *ob insignem ejus editionem muneris bidui*. Attribuit autem lex Funeribus *Ludos*. Ludorum apud veteres Romanos duplex legitur fuisse divisio: alia enim sumitur a *Forma*, alia a *Fine*. Quæ ab *forma* sumitur Divisio, Ludos facit alios *Circenses*, alios *Scenicos*, de quibus hac lege non agitur. Quæ vero ab *Fine* mutuata Distributio Ludos duplicis facit generis. Exerce-
C bantur enim alii caussa *pietatis erga Deos vel homines Defunctos*; alii vero caussa *Exercitationis*, ut erant *Trojani*. Agit hæc lex de *Ludis*, qui exercebantur *caussa pietatis erga homines Defunctos*. Dicebantur illi Ludi *Funebres* vel *Gladiatorii*. Funebrium autem Ludorum apud veteres Romanos origo est vetustissima, etiam ante Romam conditam: si Homero Virgilioque adhibenda fides, & aliis.

Æneas enim *ad Pallantis*, ante *Æneam Achilles* ad *Patrocli* rogum mactavit Inferias cum Ludis, unde *Gladiatorum mos* sine dubio est ortus. Nam quum primum captos ex hostibus jugu-
D larent, vitantes fœdi spectaculi crudelitatem, captivos inter se commiserunt, ut penes eosdem esset & facinus & supplicium: quibusque sors & virtus dedisset, superessent; alii placarent manes puris manibus parentantium. De Origine eleganter Tertullianus libro de Spectaculis, capite de Munere: *Olim*, *quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat*, *captivos vel malo ingenio servos mercati in exsequiis immolabant*. *Postea placuit impietatem voluptate adumbrare*. *Itaque quos paraverant armis*, *quibus tunc & qualiter poterant eruditos tantum ut occidi discerent*, *mox edicto die inferia-*
E *rum apud tumulos erogabant*. *Ita mortem homicidiis consolabantur*. *Hæc muneris origo*. *Ludi* igitur *Funebres* primum in Græcia celebrati, ut patet cum ex aliis, tum ex Homero. Ab Græcis exemplum sumserunt *Etrusci*; ab *Etruscis* autem *Romani*. Nicolaus Damascenus: οἱ Ρωμάιοι παρὰ θυρρηνῶν παραλβοῦσι τὸ ἔθος. Undecumque exemplum, Caussa tamen & origo *Funus*, ut jam audivimus ex Tertulliano. Docet & Servius ad illud Virgil. X. Æn. v. IↃX. *Viventes rapit Inferias*, *quos immolet umbris*. *Moris erat*, inquit, *in sepulchris virorum fortium captivos necari*:
F *quod postquam crudele visum est*, *placuit Gladiatores ante sepulcra dimicare*, *qui a Bustis ineribus Bustuarii dicti*. Dominus igitur funeris utitur (*endo ludis*) Hi Ludi non solum *Funebres*, verum etiam *Gladiatorii* dicebantur: *Gladiatores* enim publice dabantur, qui ad rogum vel bustum se conficiebant mutuis vulneribus. Primo autem publice in Foro boario: *Gladiatores* dederunt anno CCCXC. *M. & D. Bruti* caussa mortis patris. Valerius Maximus l. II. c. IV. cap. VII. *Gladiatorum munus*

primum Romæ datum est in foro Boario Ap. Claudio & M. Fulvio Coss. Dederunt M. & D. Bruti, funebri memoria patris cineres bonorando. Sic Epitoma Liviana lib. XVI. *D. Junius Brutus munus Gladiatorum in defuncti patris memoriam edidit primus.* Domino igitur horum Ludorum permissum erat uti (*Accenso*). Duo erant genera *Editorum*, id est eorum qui Ludos Gladiatorios edebant, vel erant *Magistratus*, vel *Privati*. Qui munus mortis caussa (nam postea etiam *alias ob caussas* dabantur Ludi Gladiatorii) plerique erant *privati*, tamen dabant non *quasi privati*. Per dies enim omnes muneris *Prætextæ* illis jus, *Lictorum & Accensi*, & omnino Imaginem quandam gerebant magistratus. De *Prætexta* Festus: *Prætexta pulla nulli alii licebat uti, quam ei qui funus faciebat.* Cicero in Pisonem: *Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuerat, ludos facere & prætextatum volitare passus es.* Hinc lux danda Suetonio, cujus in Claudio cap. II. hæc sunt verba: *Ob valitudinem gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus novo more præsedit.* Bene, novo more, debuisset enim præsidere *prætextatus*. Quod autem Editores *Lictoribus & Accenso* fuerint usi, notat ex lege duodecim tabularum Cicero. Docet etiam Horatius lib. I. Epist. VII. v. IV. Designatores in funebribus ludis usos fuisse *Lictoribus*. *Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti Mæcenas veniam: dum ficus prima calorque Designatorem decorat Lictoribus atris*, Hæc sufficiant ad legem de *Ludis Funebribus*. Sequitur lex Decima tertia de *non iterandis funeribus*.

9 HOMINI MORTUO OSA NEI LEGITO, QUO POST FONUS FACIAT EXSTRA QUAM SEI QUIS FORIS MEILITIÆQUE MORTUOS SIET. Exstat hæc lex apud Ciceronem lib. II. de LL. *Homini*, inquit, *mortuo ossa ne legito, quo post funus faciat: excipit bellicam peregrinamque mortem.* Et addit legis hanc esse sententiam, *ut posteaquam crematum corpus esset, ossa e cineribus legantur statimque loco proximo in terram condantur, ne, si alium in locum sepeliendi caussa deportarentur, luctus duplicaretur & sumtus.* Excipitur autem hac lege, *si quis aut in militia aut peregre sit mortuus*, ubi scilicet funus ei fieri non licuerit, vel hæredes fieri amicique noluerint: tum enim cessat legis ratio, quod neque sumtus neque luctus augeatur. Ait igitur lex (HOMINI MORTUO OSSA NE LEGITO) Multum interest inter *ossa homini mortuo legere* & inter *ossa hominis mortui legere*. Nam *ossa hominis*, quæ dispersa sunt & non cohærent, quum simul colliguntur, tunc *hominis ossa legi* dicuntur. Seneca libro II. de ira: *Dignus fuit cui permitteret a convivio ad ossa filii legenda discedere.* Sed *homini mortuo leguntur ossa*, quum ejus cadaveri aliqua ossa adimuntur. Eoque sensu etiam *viris ossa legere* dixit idem Seneca libro de Consolatione, *Legere* siquidem pro *adimere* & *auferre* veteres dixerunt; si consideremus eum dicendum esse *sacrilegum*, qui sacras res legit id est aufert vel adimit res Deo consecratas. Pertinent huc Festi verba lib. XI. *Membrum abscindi mortuo dicebatur, quum digitus ejus decidebatur; ad quod servatum justa fierent, reliquo corpore combusto.* Id quod hac lege Decemviri prohibuerunt, nisi quis aut peregre aut in bello mortuus esset. Tum enim permiserunt *ei ossa legi, quo post funus fiat*, hoc est membrum aliquod adimi ad quod servatum justa Romæ fierent, reliquo corpore apud peregrinos combusto. Nam si quis vel in bello vel peregre alias ob caussas absens vita defunctus esset, procul ab urbe Roma; non facile cadaver Romam transportari poterat; fœtore, qui inde oriri solet, prohibente. Voluerunt igitur Decemviri, ut morbos aliaque incommoda, quæ ex fœtore Cadaverum humanorum nasci solent, averterent; voluerunt inquam, *ut qui peregre vel in bello mortuus esset, eo quidem loco, ubi mortem obierat, corpus cremaretur vel sepeliretur; ut tum Romæ etiam & in patria honorem illum supremum defunctus consequeretur, permiserunt os tali defuncto legi, id est membrum abscindi, ad quod servatum Romæ justa fierent.* Membrum autem illud de *digito* exaudiendum esse, satis indicant Festi verba, quæ jam recitavi. Ratio illa est, quod nullum corporis humani membrum commodius & minore negocio possit servari ab fœtore & putredine, quam *digitus*. Nam digiti humani plurimum constant ex ossibus, cute, nervis, firmioribus musculis & similibus, quæ non ita putredini sunt obnoxia, neque etiam, qui ex putredine solet provenire, fœtori. *Digitus* igitur lectus, id est cadaveri, & exteris provinciis cremando ademtus Romam deferebatur, reliquum cadaver comburebatur, ne sua putredine & fœtore negocium deferentibus facesseret. Ad *digitum* deinde, tamquam ad integrum cadaver, Romæ ab Cognatis justa fiebant.

(Ajunt Decemviri: *Quo post funus faciat*) Non enim licebat iterare luctum, non duplicare sumtum, si quidem in urbe mortuus esset: quod in more positum fuisse, apud veteres Romanos, satis indicat ipsa legis prohibitio. Non enim prohiberi solet, quod non antea factum. Romæ enim non solum cadavera mortuorum comburebantur, verum etiam ossa legebantur, id est digiti cadaveribus mortuorum adimebantur, ad quos deinde, justo dierum intervallo, alia justa fierent & iterarentur luctus. Prohibere igitur voluerunt illud hac sua lege Decemviri. Addunt porro (*exstra quam*) verba sunt hæc, quæ exceptionem indicant, quemadmodum & alias audiemus. (SI QUIS MORTUUS SIT FORIS MILITIÆQUE) Tunc enim licebat Cadaveri in exteris regionibus comburendo vel sepeliendo membrum vel os legere, id est digitum abscindere, demere vel auferre, ad quem, tamquam ad totum defuncti Cadaver, justa Romæ vel in Patria solverentur. Illud igitur unicum videntur hac lege spectasse Decemviri, ne scilicet inutiles in funeribus sumtus fierent, neve luctus duplicarentur. (*Foris* igitur *militiæve*) id est si procul ab urbe Roma vel patria quis sit defunctus vel in bello, vel absens negociationis gratia, aliasve ob caussas. Addo autem *si procul ab urbe Roma*. Nam si in proximis vel propinquis Romæ patriæve locis quis esset mortuus, licitum erat Cadaver, si absque fœtore posset, in patriam transferre; unde & probari mos erat in funerum expensis, sumtus tales, qui fiebant, *ut peregre mortuus in suum transferretur*, Egregie JC. Ulpianus in l. XIV. §. IV. D. de religiosis & sumtibus funerum. *Impensa peregre mortui*, inquit, *quæ facta est ut corpus perferretur, funeris est, licet nondum homo funeretur: idemque & si quid ad corpus custodiendum vel etiam commendandum factum sit* &c. Ubi legendum *commendandum*, qua voce utitur Columella lib. XII. cap. XVIII. *Mundari* enim solet Cadaver & *Lavari*, *inde Ungi*, unde *Pollinctorum Munus*: potest tamen apte dici, *Commendare alicui*, nihil aliud est, quam deponere, quod justæ sepulturæ tradatur: vel *Commendare alicui*, tradere alicui cadaver ad deferendum. De hujusmodi autem Cadaveris translatione Virgilius VI. Æn. v. CLII.

Sedibus hunc refer ante suis & conde sepulcro.

Hæc de lege, quæ prohibebat *funerum iterationes, duplicationesque luctuum*; Sequitur Decima quarta & ultima de *Sepulcris*.

10 HOMINEM MORTVUM ENDO URBE NEI SEPELITO, NEVE URITO. Hæc lex exstat totidem verbis apud Cic. l. II. de LL. *Hominem mortuum, inquit lex in duodecim, in urbe ne sepelito, neve urito*. Deinde eam sic explicat: *In urbe sepeliri lex vetat, sic decretum est a Pontificum Collegio, non esse jus in publico loco fieri sepulcrum. Statuit enim Collegium, locum publicum non potuisse privata obligari religione*. Apud majores moris fuit, quemadmodum notat Servius, *ut qui mortuus esset, domum suam referretur, & in illa sepeliretur. Unde apud Virgilium*. VI. Æn. v. CLII.

Sedibus hunc refer ante suis & conde sepulcro.

Postea lege duodecim tabularum cautum, *ne hominem mortuum in urbe sepelirent, neve urerent*, ut jam ex Cicerone audivimus. Verum tamen etiam post latas duodecim tabulas fuerunt etiam quidam in urbe sepulti, quos legibus solutos, virtutis caussa, id consequutos fuisse, Cicero existimat, ut *Valerio Poplicolæ*, & P *Postumio Tuberto* contigit, de quibus Cicero lib. II. de LL. *C. quoque Fabricius* juxta Veliam in foro, sepulchrum habuit, de quo Plut. *C. Poblicius* sub Capitolio, de quo, eodem loco, lapis Tiburtinus. *Claudia familia* sub eodem Capitolio, de quo Suetonius. *Servius Sulpicius* in Campo Esquilino, de quo in Philippicis Cicero. Quin etiam *Imperatores* & *virgines Vestales*, quia legibus non tenebantur, in urbe sepulcra habebant. *Reliqui* aut privatim in agris suis condebantur, aut in viis extra portas tumulos habebant. Hodie passim *per Germaniam inferiorem* sepulcra sunt *in urbibus*, imo *in urbium ipsarum meditulliis*: per *Germaniam Superiorem* plurimum *extra urbes*, locis ad id designatis, exemplo optimo & saluberrimo. Hæc de Legibus, quæ ex duodecim tabulis apud varios scriptores supersunt, de *Jure Sacro* & *Funeribus*: sequuntur jam, postulante instituta a me methodo, quæ pertinent ad *Jus Profanum*. Earum, quæ ad *Profanum jus*, quædam spectant *ad res privatas* quædam *ad publicas*. *Privatorum* legum nonnullæ sunt *Dominii*, nonnullæ *Obligationis*. In iis quæ *Dominii*, expendam priore loco *varias Dominii appellationes*: posteriore *Adquisitionem*. In *variis Dominii appellationibus* indicabo leges vel *Potestatis*, vel *Servitutum*. *Potestas* autem Duplex *Patria* & *Tutelaris*. Postulat igitur ordo, ut primo loco agatur de *Legibus*, quibus veterum Romanorum in liberos suos delineatur *Potestas*. Earum unica tantum nobis superest, quam his verbis suspicor conceptam.

CAP. X.

1 *Lex de patria potestate*.
2 *Hæc magna semper fuit*.
3 *Prima Lex de tutelis*.
4 *Secunda*.
5 *Tertia*.
6 *Una de curatione*.

1 PATRI ENDO FIDIOM QUI EX SE MATREQUE FAMILIAS NATUS EST VITAI NECISQUE POTESTAS ESTOD, TERQUE IM VENUNDARIER IOUS ESTOD: SEI PATER FILIOM TER VENOM DUIT, FIDIOS A PATRE LEBER ESTOD. Sæpe jam dixi, Leges Regias quamvis ipsi reges post ejectum Tarquinium Superbum displicerent, leges tamen, inquam, etiam in libera republica placuisse; & ab Decemviris, quum leges populo Romano scriberent, in duodecim tabulas relatas fuisse. Putant magni viri *Leges Regias & Solonis*, quæ scilicet Athenis erant petitæ, *decem primas* tabulas occupasse, *duas postremas* de *Sacris Romanorum* tractasse, quas leges a Faliscis petitas Servius est auctor.
B Quorum sententiam confirmare videtur, quod Festus *leges regias* ex I. II. III. tabulis (duodecim tabularum scilicet) citet: Legem autem hanc, quam Romuli fuisse notat non obscure Dionysius, ipse idem auctor laudat *ex quarta tabula*. Ait igitur lex (PATRI ENDO FILIUM) Concinnata hæc lex est ex Dionysio libro II. & Ulpiano cap. Institut. X. Jus quod Romani veteres in liberos habebant proprium fuit Quiritium id est ipsorum civium Romanorum, immensum plane & infinitum. Neque enim bona solum eorum, quemadmodum tradit Dionysius lib. VIII.
C sed vita etiam & libertas in potestate parentum fuit. Scriptum autem hoc invenio cum in aliis libris veteribus JCtorum tum maxime lib. I. Institutionum Justiniani tit. IX. §. II. hoc modo: *Jus potestatis quod habemus in liberos proprium est civium Romanorum. Nulli enim sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus. Hanc autem potestatem non recentem fuisse, sed jam inde ab Romulo permissam* tradit Dionysius, *Romulus omnem parentibus in liberos potestatem in perpetuum dedit coercendi, verberandi, rusticis in operibus habendi, ac demum etiam occidendi, quamvis ipsi vel rem-*
D *publicam administrarent, vel summos honores gessissent, atque ex iis maximam laudem consequuti essent: quo factum est ut illustres sæpe viri ex rostris quum conciones haberent senatui quidem adversas, plebi vero secundas, a patribus per vim abducti, atque ab iisdem eo, quo libuit, supplicio affecti sunt: quibus ne ullus quidem magistratus auxilio fuit: mitto, quam multi filios, quum imperata sua neglexerant, necaverint; quod de Torquato aliisque multis accepimus. Neque vero hac licentia contentus Romulus potestatem etiam filiorum vendendorum patribus usque ad tertiam auctionem concessit, quæ potestas multo*
E *major est quam domini in servum. Nam servus a Domino venundatus recepta libertate liber est, filius iterum atque iterum in potestatem revertitur, post tertiam vero venditionem, si se in libertatem vindicarit, e patris potestate egreditur*.

Potestas igitur patria apud veteres Romanos, antiquissimis temporibus sub regibus & aliquanto etiam post reges exactos *magna certe* fuit, & *dominicæ omnino par*, imo in quibusdam *etiam major*, quam dominica ex Romuli instituto. Addit deinde Dionysius *Numam Pompilium hanc ad legem Romuli exceptionem adjecisse, ne pater filium,*
F *qui suo consensu uxorem duxisset, vendendi jus haberet*: & scribit præterea, ut ad institutum nostrum veniamus, *has leges postea ab Decemviris probatas & in quartam tabulam ex duodecim relatas*. Id quod apud Ulpianum etiam scriptum invenio in titulo X. §. I. *Liberi parentum potestate liberantur, id est si postea quam emancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus ter manumissus sui juris fit. Id enim, lex duo-*

decim tabularum jubet his verbis: Si pater filium ter venunduit, filius a patre liber esto: cæteri autem liberi, præter filium, tam masculi quam feminæ, una emancipatione manumissioneque sui juris fiunt. Quum autem inquit Ulpianus *ceteros liberos, præter filium, tam masculos quam feminas una mancipatione manumissos neque factos fuisse sui juris*, intelligit *filias, nepotes, neptes pronepotes, proneptes* & sic deinceps, *unica emancipatione factos fuisse sui juris; filium autem trina.* Hinc Ulpianus in l. VIII. in fine D. de injusto rupto irrito facto testamento, *Filia:* inquit, *quum emancipatur vel nepos, quia una emancipatione exeunt de potestate, testamentum non rumpunt.* Sic Cajus IC. lib. I. Instit. tit. VI. §. IV. vers. Feminæ. *Feminæ,* inquit, *vel nepotes masculi ex filio una emancipatione de patris vel avi exeunt potestate & sui juris efficiuntur.* Ait lex (*qui ex se matreque familias natus esit.*) Hæc verba etiam in hac de patris potestate lege scripta ab Decemviris fuisse videtur innuere formula illa Rogationis, quæ exstat apud Agellium lib. V. cap. XIX. his composita verbis: *Velitis jubeatis Quirites, utei L. Valerius L. Titio tam joure legeque filius siet, quam si ex eo patre matreque familias natus esset, uteique ei vitæ necisque endo eum potestas siet, utei patri endo filio: hæc utei dixi, ita vos Quirites rogo.* Videtur enim formula ex hac lege transcripta. Ait igitur (QUI EX SE, ID EST PATRE MATREQUE FAMILIAS) quasi dicat: Qui ex justa uxore. Nam ut ait Justinianus l. I. Inst. tit. IX. pr. *in potestate nostra sunt ii demum liberi, quos ex justis nuptiis procreavimus.* (VITÆ NECISQUE POTESTAS ESTOD) Exemplum indicat Dionysius lib. II. & leguntur passim apud alios scriptores. Respicit, vel expressit potius, priorem hanc patriæ potestatis partem Cicero, quum in Clodium pro domo sua ita ageret: *Credo te esse interrogatum, auctor ne esses, ut in te P. Fontejus vitæ necisque potestatem haberet.* Rogabantur enim illud, qui ab aliis adrogabantur: quemadmodum videre est apud Agellium lib. V. cap. XIX. Magna igitur, quod repeto, hæc fuit potestas, quod *necandi filii indicta caussa potestatem haberet*; quod *distrahendi*. Ex hac tanta potestate sequebatur etiam, *quod patres consequerentur omnia, quæ filii acquisierant,* ut legere est Instit. l. II. tit. IX. idque *contra jus & votum naturæ*, quo parentes thesaurisant liberis, non e diverso; ut bene Paullus Apostolus epistola II. ad Corinth. cap. XII. vers. XIV. Postea tamen, crescente una cum Imperio populi humanitate, docenteque paullatim natura & communi parentum voto *liberos ingenuos ingenue & liberaliter esse habendos*, ac meritis potius & officio, quam minis ad obedientiam provocandos; multa emendata sunt & ad humanitatis rationem revocata; ita ut *nec patri quærerentur omnia indistincte*, quæ filius suo labore & industria paraverat, nec *crudeliter sævire* possent parentes in liberos lib. III. C. de patria potestate & tot. tit. de obsequiis a liberis & libertis præstandis; neque eos *occidere, distrahere, oppignerare, exhæredare*, imo *alimenta iis victumque quærere* cogantur & *suppeditare*. Quod non liceat *occidere* constat ex tit. C. de his qui par. vel liberos occiderunt, & lib. V. Cod. de parricidiis: quod non liceat *distrahere* loquitur lib. I. Cod. de patribus, qui filios suos distraxerunt: quod non *oppignerare*, clamat lib. VI. Cod. quæ res pignori: quod non liceat *exhæredare*, nisi gravissimas ob caussas, nimis est notum: quod non *abdicare*, manifestum est ex l. VI. C. de patria potestate: quod denique novo & emendato jure pater cogatur *filiis alimenta victumque quærere & suppeditare*; pater ex l. pen. D. de his qui sunt sui vel alieni juris & tot. tit. D. de liber. agnosc. & C. de alend. liber. aliisque Juris librorum locis, ut multo melior hodie, quam olim fuerit, filiorum sit conditio; summo illo rigore in summam æquitatem mutato. Pergunt Decemviri TERQUE IM VENUNDARIER IOUS ESTOD) Hujus partis legis a me recitatæ testem habemus Dionysium Hal. lib. II. qui etiam illud adscribit: *Majorem hac lege patribus in filios, quam heris in servos, potestatem permissam esse. Servum enim venditum, si a novo Domino manumitteretur sui juris effici: & filium non prius suæ potestatis fieri, quam ter a patre suo venditus, terque a Dominis suis manumissus fuisset.* Partem hanc legis de *tribus auctionibus & de fiduciaria emancipatione* declarat Cajus IC. lib. I. Instit. tit. VIII. §. III. his verbis; *Emancipatio hoc est manu traditio quædam similitudo venditionis est, quia & in emancipationibus præter certum patrem alius adhibetur, qui fiduciarius vocatur: ergo ipse naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est manu tradit, a quo fiduciario patre naturalis pater unum aut duos nummos quasi in similitudinem precii accipit & iterum eum acceptis nummis fiduciario patri tradit. hoc secundo & tertio, quum fiduciario patri mancipat & tradit, & sic de patris potestate exit: tamen quum tertio mancipatus fuerit filius a patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, ut a fiduciario patre mancipetur, & a naturali patre manumittatur, ut si filius ille mortuus fuerit, ei in hereditate naturalis pater non fiduciarius succedat.* Quæ prius & antiquissimis temporibus *vere*, postea *ficte* & *simulate* omnia fuerunt gesta. Nam quum semel placuisset, filium familias non posse liberari a patria potestate, nisi *post tres mancipationes, totidemque emancipationes veras*, postea mitigato jam summo illo patriæ potestatis rigore, *ficte & simulate omnia fuerunt gesta. Fictæ* & *simulatæ* erant *mancipationes, emancipationes, fictum* & *simulatum* erat, quod adhibebatur *precium*; *fictus & simulatus* præter naturalem adhibebatur *pater*. Omnia erant imaginaria. Certe venditiones illæ liberarum personarum *figuratæ* dicuntur in l. VI. C. de emancip. liber. alibi *imaginariæ* §. VI. Instit. quib. mod. jus patr. potest. sol. item *vanæ*, id est nullarum virium, nullius effectus *observationes* d. l. VI. item *antiquæ observationes*, & quæ præsentia tunc tempora non flagitabant. d. §. VI. quæque denique *non sine injuriis & alapis fierent*, ut in manumissionibus servorum veris Novell. LXXXI. in præfation. Sed de his plenius suo loco, *in tractatione Judiciorum*, ubi de *Legis Actionibus* erit dicendum.

Quod autem occidere licuerit olim parentibus suos filios, constat etiam ex Paullo JC. cujus verba exstant in l. fine D. de liberis & postumis: *Itaque post mortem patris non hæreditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequentur; hac ex caussa, licet non sint hæredes instituti, domini sunt, nec obstat, quod licet eos exheredare, quod & occidere licebat.* Sic Imperator Constantinus in l. ult. C. de patr. pot. *Libertati a majoribus tantum impensum est, ut patribus, quibus jus vitæ in liberos necisque potestas olim permissa, libertatem eripere non liceret.* Marcianus denique in l. V. D. ad legem Pomp. de Parricidiis: *Divus Hadrianus fertur, quum in venatione filium suum quidam necaverat, qui novercam adulterabat, in insulam eum deportasse:*

quod latronis magis quam patris jure eum interfecit. Nam patria potestas in pietate debet non atrocitate consistere.

Ajunt Decemviri (*Si pater filium ter venum duit.*) Auctorem habet hæc hujus legis pars Ulpianum tit. x. Institut. in pr. cujus hæc sunt verba: *Liberi parentum potestate liberantur emancipatione, id est posteaquam mancipati fuerint, manumissi sunt. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumissus sui juris fit: Id enim lex duodecim tabularum jubet his verbis: Si pater filium ter venundarit, filius a patre liber esto.* Quæ verba quid sibi velint, satis superque patet ex iis, quæ jam a me dicta de *tribus mancipationibus, totidemque emancipationibus*. Apud Moscovitas & Tartaros, quos veteres Scythas Asiaticos vocant, quater filium vendere etiamnum parenti licet. Videndus Bodinus lib. I. de rep. cap. IV. ubi multa de patria potestate. Ajunt Decemviri (*venum duit*). Male imo barbare & inepte legitur in vulgatis Ulpiani exemplaribus *venundavit*; pro quo Turnebus, *venum dabit*. *Duit* autem ab antiqua voce *Duo, duis*, pro qua nunc dicimus *Do*: sic Plautus: *Libellum pro eo argento ne duis*. Terentius in Andr. Act. IV. Sc. I. v. XLII. *at Tibi Dii dignum factis exitium duint*. Ajunt denique Decemviri: (*Fidios a patre leber estod*) quasi dicerent, filii familias libertatem consequuntur a parentibus suis post tres illas venditiones, totidemque manumissiones; post trinam mancipationem, trinamque emancipationem. Hæc ad legem sufficiant duodecim tabularum *de patria potestate*. Sequuntur jam leges de *Tutelis*.

3 PATREI LIBEREIS SUEIS, QUOSQUE HABET IN POTESTATE, CUJUSCUMQUE SEXUS, TUTORES TESTAMENTO DANDI JOUS ESTOD. De hac duodecim tabularum lege, sic loquitur Cajus JC. lib. XII. ad Edictum Provinciale, cujus verba exstant in l. I. D. de test. tut. *Lege duodecim tabularum permissum est parentibus, liberis suis, sive feminini sive masculini sexus, si modo in potestate sint, tutores testamento dare.* Ratio legis est, quod secundum naturam sit verisimile, neminem diligentius de bonis tutoribus cogitaturum, quam parentes ipsos. Ideoque lex permittebat ac suadebat, ut parentes in testamentis suis darent liberis Impuberibus tutores, ne post mortem illorum incerta esset ejus rei sollicitudo. Ajunt Decemviri (*Patrei liberis suis*) Extenduntur hæc verba etiam ad *postumos*. Addit enim Cajus: *Item scire debemus etiam postumis filiis vel nepotibus, vel ceteris liberis licere parentibus testamento tutores dare.* Sic Suetonius scribit, Julium Cæsarem quum testamentum faceret, *plures ex iis, qui eum postea occiderunt, nominasse tutores filio, si quis sibi nasceretur.* Rationem autem, quur Postumis dari tutor possit, hanc recitat Justinianus, quod ii in compluribus aliis caussis *pro jam natis* habebantur. (*Quosque habet in potestate*) Ait enim Cajus: *si modo in potestate sint*: & paullo post: *qui modo in ea caussa sint, ut si vivo eo nati fuerint, in potestate ejus futuri sint, neque testamentum rupturi* (*Cujuscumque sexus*) *sive feminini sive masculini sint sexus*: & tum discrimine servato: quod *masculis* quidem tutores dentur, *sed impuberibus*: *feminis* vero *tam puberibus, quam impuberibus*; idque *propter sexus infirmitatem & rerum forensium ignorantiam*, ut eleganter notat Ulpianus Institut. titul. XI. §. I. Ajunt denique Decemviri (*Tutores testamento dandi Jous estod.*) *Tutores quoslibet*. Bene Paullus JC. in l. XXIX. §. fin. D. de test. tut. *Testamento quemlibet possumus tutorem dare sive is prætor sive consul sit: quia lex duodecim Tabularum id confirmat.* Succedit explicanda lex secunda *de Tutelis*.

4 TUTOR DOLI MALI SUSPECTUS PER QUEMVIS ACCUSATOR; DOLIQUE MALI DAMNATUS INFAMIS ESTOD. Hanc legem ex Cicerone, Ulpiano & Justiniano exscripsi. Ciceronis quidem verba ex lib. III. Offic. sunt hæc: *Dolus in tutela vindicatus fuit lege duodecim tabularum.* Ulpianus autem lib. XXXV. ad Edictum, cujus verba extant in Pandectis leg. I. §. II. de susp. tutor. & Curator. *Sciendum*, inquit, *est suspecti crimen ex lege duodecim tabularum descendere.* Hæc Ulpiani verba in suas Institutiones transcripsit Imperat. ad titul. XXVI. Institut. lib. I. de suspect. Tutor. & Curator. Ajunt autem Decemviri (*Tutor*) *Tutela* nihil aliud, quam potestas ad tuendum populum, qui propter ætatem se defendere nequit jure civili data & permissa, quemadmodum videre est §. I. Institut. de tut. & leg. I. D. eod. l. V. D. de regul. jur. Tutelam qui administrat *Tutor* dicitur. (*Doli mali suspectus*) *Dolum malum* Gallus Aquilius apud Ciceronem diffinit, quum aliud agitur, aliud simulatur. Quam diffinitionem probat etiam Ser. Sulpitius. De *Dolo malo* operæ pretium est audire verba Servii & Labeonis, quæ leguntur apud Ulpianum in leg. I. §. II. D. de dolo malo: *Dolum malum ita Servius quidem diffinit machinationem quandam alterius decipiendi caussa, quum aliud simulatur, aliud agatur. Labeo autem posse & sine simulatione id agi ut quis circumveniatur posse & sine dolo malo aliud agi, aliud simulari: sicuti faciunt, qui per ejusmodi dissimulationem deserviunt & tuentur vel sua vel aliena. Itaque ipse sic diffinit Dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis diffinitio vera est.* Addit autem Ulpianus: *Non fuit contentus Prætor Dolum dicere, sed adjecit malum: quoniam veteres Dolum etiam dicebant bonum; & pro sollertia hoc nomen accipiebant; maxime si adversus hostem latronemve machinetur.* Sic idem Ulpianus in l. VII. §. IX. *Dolus malus*, inquit, *fit calliditate & fallacia, ut ait Pedius; dolo malo pactum fit, quoties circumscribendi alterius caussa aliud agitur & aliud agi simulatur.* Ajunt igitur Decemviri (*Doli mali*) quare addatur *malus*, audivimus jam ex Ulpiano. Nam aliquando Dolus dicitur *bonus*, cui scilicet nulla adest fraus. Ideoque recte dicit Papinianus in l. LXXVII. §. XXXI. in fine, *non videtur dolo fuisse, quum fraudem excluserit.* Nam si quis dolo facit, & fraudem excludat, non videtur dolo facere. Dolus enim sine fraude, dolus non malus est, sed bonus. Fraus adhibita dolum facit malum. *Fraudem*, inquam, *excludere, bonus dolus est.* l. VI. §. VIII. D. si quis omissa caussa testimonium, ab intestato vel alio modo possideat hæred. *Qui fraudem excludit non videtur fraudulentus, neque uti dolo malo:* de qua præsumptione videndus Alciatus lib. III. Præsumt. XVIII. Ajunt Decemviri (*suspectus*) Alii hic addunt (*Culpæve supectus*) Sed quia apud Ciceronem, Ulp. vel Justin. hæc vox, tamquam ex duodecim tabulis petita non legitur, nolui in verbis legis exprimere. Alioquin *Culpa* est læsio per Imprudentiam alteri inlata, quæ alioqui humanitus evitari potuisset. Donatus in Terentium scribit, *Culpa ejus esse, qui nesciens aliquem læserit.* Culpæ variæ sunt species apud JCtos. *lata, latior, magna, latissima*: sed quia parum ad legis nostræ illustrationem, silentio præteribo. Ajunt Decemviri (*suspectus.*) Hinc igitur tota illa materia & Disputatio de *Suspectis Tutoribus*,

quæ per Jus nostrum tam ampla tamque late diffunditur, originem quasi trahit. De *Suspectis Tutoribus & Curatoribus* agitur in Pandectis lib. XXVI. tit. X. in Codice lib. V. titul. XLII. in Instit. I. Ultimo. *Suspectus autem Tutor* qui censeri debeat, exponit Justinianus ex Juliani responso titul. Institut. de susp. tut. *Suspectus est*, ait, *qui non ex fide tutelam gerit, licet solvendo sit.* Et infra: *Suspectum etiam eum putamus, qui moribus talis est, ut suspectus sit. Enimvero Tutor vel Curator, quamvis pauper est, fidelis tamen & diligens, removendus non est quasi suspectus.* Eadem sunt apud Ulpianum in leg. VIII. D. de suspect. tutoribus.

Materiam autem & Disputationem & Disceptationem omnem de *suspectis Tutoribus*, quæ libris juris nostri multis pertractatur, *descendere ex legibus duodecim tabularum*, manifestis verbis docet Ulpianus & ex eo Justinianus: quum ajunt, *suspecti crimen ex lege duodecim Tabularum descendere*; quumque Cicero dicat lib. III. Officiorum: *Dolum in tutela fuisse vindicatum lege duodecim Tabularum.* Ajunt Decemviri (*per quemvis accusator.*) Hinc est, quod Justinianus ait, *suspecti tutoris judicium, quasi publicum esse*, quum ejus accusatio omnibus pateat. Verba ejus sunt hæc lib. I. Institut. titul. de susp. Tutor. §. III. *Consequens est, ut videamus, qui possint suspectos postulare: & sciendum est, quasi publicam esse hanc accusationem, hoc est omnibus patere*, & quæ sequuntur. Quæ verba transcripta sunt ex Ulpiano leg. I. §. VI. D. de susp. tutor. Huc pertinent verba Gordiani Imperator. in leg. VI. Cod. de susp. tutor. *Removendi autem licentia non solum parentibus utriusque sexus, sed etiam cognatis & extraneis & affinibus & ipsi cujus res administrantur, si non Impubes sit, arbitrio cognatorum bonæ opinionis constitutorum conceditur.* Publica autem actio vel accusatio dicitur, quæ omnibus, cujuscumque etiam sexus, patet. Nam ut eleganter ad d. leg. I. D. de susp. tutor. Bartolus: *Publicum est, quod omnibus patet.* Addunt Decemviri (*dolique mali damnatus, infamis estod.*) horum sententia est apud Justinianum §. VI. Institution. de suspect. tutor. *Suspectus autem remotus, si quidem ob dolum, famosus est; sin ob culpam, non æque.* Hinc Imperator. Diocletian. & Maxim. in leg. ult. Cod. de susp. tutor. *Suspectos Tutores ex dolo non etiam eos, qui ob negligentiam remoti sunt, infames fieri, manifestum est.* Ajunt autem Impp. *eos qui ob negligentiam remoti sunt, infames fieri.* Aliud dicendum de *Lata negligentia*, quæ prope fraudem accedit. Ulpianus in leg. VII. §. I. D. de susp. tutor. *Si fraus non sit admissa, sed lata negligentia; quia ista prope fraudem accedit, removeri hunc quasi suspectum oportet.* Sequitur de Tutelis lex tertia, quæ *de Tutoribus furtum rerum pupillarium committentibus.*

5 SI QUIS TUTOR PUPILLUM FRAUDARIT, REMQUE EJUS INTERVORTERIT, INFAMIA NOTATOR POENAQUE MOLTATOR DUPLIONIS. Quemadmodum præcedens lex vel legis fragmentum de *suspectis Tutoribus*: sic hæc *de iis* agit, *qui manifesti furti sunt convicti.* Concinnata hæc lex est ex variis & JCtorum & Ciceronis locis. Imprimis Triphoninus lib. I. Disputationum sic ait in leg. LV. §. I. D. de administr. & per. tutor. *Sed si ipsi tutores rem pupilli furati sunt: videamus an ea actione, quæ proponitur ex lege duodecim tabularum adversus tutorem in du-*A*plum singuli in solidum teneantur: & quamvis unus duplum præstiterit, nihilominus etiam alii teneantur:* & quæ sequuntur (*remque ejus intervorterit*) non solum invito domino contrectantes; sed perfide agentes. Idem Triphoninus dict. leg. LV. §. I. D. de administr. & peric. tutor. *Sed tutores, inquit, propter admissam administrationem non tam invito domino contrectare eam videntur, quam perfide agere &c.* Quæ verba innuunt *velamen administrationis furtum ipsum temperare.* (*infamia notator*) Hoc judicio damnatum *infamem fuisse* testatur Cicero, ubi *judicium tutelæ* appellat *turpe* lib.
B I. de Orat. si turpe, ergo infamiam habet admistam. Sic idem pro Cæcinna ait, *turpe judicium dari adversus eum, qui per tutelam fraudasset aliquem.* Idem etiam in Orat. pro Comœdo *judicium tutelæ enumerat inter summæ existimationis judicia.* (*pœnaque dupli moltatur*) Ulpian. leg. I. §. XX. D. de tutel. & rationib. distrah. & utili curationis caussa actione: *Considerandum est in hac actione, utrum precium rei tantum duplicetur, an etiam quod pupilli intersit, & magis esse arbitror in hac actione quod intersit non venire, sed rei tantum existimationem.* Paullus in leg. II. §. fin. D. d. t.
C *Hæc actio licet in duplum sit, in simplo rei prosequutionem continet, non tota dupli pœna est.* Putat Balduinus in comment. ad leg. XII. Tab. cap. XL. *Crimen suspecti & actionem de rationib. distrah.* esse unum idemque judicium: contra mihi videtur. Nam in Pandect. duo distincti sunt tituli, unus *de crimine suspecti*; alter *de rationib. distrah.* Et est utriusque judicii etiam *diversus effectus.* Nam *actione suspecti* id agitur, ut si quid a rebus pupilli tutor averterit, id restituatur in duplum, etiam finita tutela; quum prior instituatur constante adhuc
D tutela. leg. I. Cod. de susp. tutor. Quod autem Tutor qui pupillum fraudavit, remque ejus interverterit, *infamia sit notandus*; ejus damnationis vestigium extat in leg. I. D. de his qui not. infam. ubi inter alios notantur infamia, *qui pro socio, tutelæ, mandati depositi, suo nomine non contrario judicio damnatus erit.* Hinc lux verbis Ulpiani in l. XLII. D. de verb. sig. *Probrum & improbrum id est probra quædam natura turpia sunt, quædam civiliter & quasi more civitatis; utpote furtum, adulterium natura turpe est. Enimvero tutelæ damnari hoc non natura probrum est, sed more civitatis. Nec enim na-*
E *tura probrum est, quod potest etiam in hominem idoneum incidere.* *Duplionis* autem pro *Dupli* vocabulo usi sunt veteres Romani, in eoque significarunt *duplicem vel pecuniæ vel capitis multam.* Hæc ad leges de Tutelis: sequitur una de *Curatione.*

6 SEI FOUSIOSOS ESIT, ADNATORUM GENTEILIUMQUE ENDO EO PEQUNIAQUE EJUS POTESTAS ESTOD. *Curationem Agnatorum Gentiliumque* in Furioso ejusque bonis ex lege duodecim tabularum introductam fuisse scribit Justinianus Imp. Instit. de Curatoribus §. III. *Furiosi quoque & prodi-*
F *gi, licet majores XXV. annis sint, tamen in Curatione sunt Agnatorum ex lege duodecim Tabularum.* Ulpianus quoque lib. I. ad Sabinum scribit l. I. D. de cur. tutor. *lege duodecim tabularum prodigo interdici bonorum suorum administrationem.* Interdicitur quidem, non disertis verbis, sed per Jurisperitorum interpretationem. Nam quoad bonorum administrationem parum differre solet *Prodigus* a *Furioso.* Etiam Cajus lib. III. ad Edict. Provinc. l. XIII.

D. d. t. *Sæpe ad alium*, inquit, *ex lege duodecim tabularum Curatio furiosi aut Prodigi pertinet; alii Prætor administrationem dat: scilicet quum ille legitimus* id est ex lege duodecim tabularum introductus, *inhabilis ad Curationem videatur*. Solemnia autem verba, quæ de Curatione indicavi refert Cicero lib. II. de Invent. *Si furiosus est, agnatorum gentiliumque in eo pequniaque ejus potestas esto*. Quæ etiam verba lib. I. ad Herennium reperiuntur, nisi quod illic, *Si furiosus existet*, sit scriptum. Hæc de Legibus duodecim tabularum, quæ inveniuntur pertinuisse *ad Tutores & Curatores*: a quibus anteaquam digrediar ad leges, quæ *de Servitutibus* agebant, illud etiam monendum duxi; quemadmodum *Testamentaria Tutela* introducta est *ex legibus duodecim Tabularum*; idem etiam dicendum videri de *Tutela Legitima*: cujus tamen verba solennia nusquam leguntur. Docet, quæ dixi, Ulpianus lib. XIV. ad Sabinum in l. I. D. de Legit. tut. *Legitimæ tutelæ*, inquit, *lege duodecim tabularum agnatis delatæ sunt, & consanguineis, item patronis id est his qui ad legitimam hæreditatem admitti possunt*. De hac tamen quæ *Patronis* defertur lib. XXXVIII. in l. III. D. d. t. scribit eam nominatim delatam fuisse, sed *per consequentias hæreditatium, quæ ex ipsa lege Patronis datæ sunt*. Idem etiam scribit Justinianus lib. I. Institut. de legitima agnator. tutela in pr. Ad hanc autem legem pertinere arbitror quod Paullus lib. LIX. ad Edictum scribit in leg. LIII. in pr. D. de verb. sign. *Quum dicitur apud veteres Agnatorum Gentiliumque pro separatione accipitur, ut quum dicitur super pequniæ tutelæve suæ; tutor separatim sine pecunia dari non potest*. Illud sine dubio hujus est, quod Justinianus refert, *ab intestato vocatos esse ad tutelam agnatos*. quod ita interpretatur, non ut omnino is testamentum non fecerit, sed si, quantum ad tutelas pertinet, intestatus decesserit. Verba Justiniani exstant titul. Institution. de legitim. agnatorum tutela. §. II.

Sunt autem *Agnati*, qui per virilis sexus personas cognatione sunt juncti, veluti *frater ex eodem patre natus, fratris filius nepos ve ex eo*; item *patruus & patrui filius*, qui *frater patruelis* dicitur & *nepotes ex eo*. Quemadmodum scribit Cajus lib. I. Institut. in l. VII. D. de legit. tutor. Quamobrem recte Diocletianus & Maximianus rescripserunt, *ad avunculos tutelas ex lege duodecim tabularum non deferri*, sed *ad patruos*, nisi se excusaverint. Verba Imperatorum leguntur in l. I. c. de legitim. tutor. *Ad avunculos*, inquiunt, *non masculorum tutelæ ex lege duodecim tabularum deferuntur; quum solummodo patruis, si non se excusaverint, id jus tributum sit*. Hodie *Cognati*, si modo proximiores sunt, tutelam obtinent. Auth. sicut hæreditas, C. de legit. tutor. Novell. CXVIII. cap. V. Hæc de *Tutelis & Curationibus* sufficiant ex legibus duodecim tabularum. Succedunt jam explicandæ leges aliquot de *Servitutibus*, & *Finibus regundis*. Earum prima hæc esto de Ambitu.

CAP. XI.

1 *Servitutis Finiumque regundorum Prima lex de ambitu.*
2 *De spacio quinque pedum inter confines agros relicto non usu capiendo.*
3 *De servitutibus rusticis.*
4 *De Glande legenda.*
5 *Fragmentum de aqua pluvia mutilum.*
6 *Ultima de aquæ ductu.*

AMBITOS PARIETIS SESTERTIOS PES ESTOD. Legem hanc inter duodecim tabularum leges fuisse varii indicant auctores, quorum verba in medium adducam. Agit autem de vicinarum ædium intervallo. Est autem a Festo Pompejo lib. I. ab Isidoro lib. XV. Etym. c. ult. traditum *inter vicinorum ædificia spacium in latitudinem duos pedes & semissem patens ad circumeundi facultatem intermitti consuevisse*; quod in Antonini & Veri rescripto significari Jacobus Cujacius notat lib. XXI. Observ. c. IV. Spacium autem illud duorum & semis pedum, *Ambitum* antiquis appellatum fuisse scribunt iidem auctores. Festus enim lib. I. sic ait: *Ambitus proprie dicitur inter vicinorum ædificia locus duorum pedum, & semipedis ad circumeundi facultatem relictus*. Eadem sunt apud Isidorum lib. XV. cap. ult. Insulæ igitur, quæ in urbe Roma erant innumeræ, ut notant Sex. Rufus & P. Victor, id est ædificia undique libera, *connexæ non* fuerunt, sed *adjacentes* l. XV. §. XIV. D. de damno & tamen nihil vetabat Insulæ *parietem esse communem* l. XIII. D. de servitut. urb. præd. Videndus & Cujacius lib. XXI. 2. Observat. cap. IV. Vocem autem illam *Ambitus* ex duodecim tabulis manare, inde manifeste constat, quod Varro lib. IV. de L.L. memoriæ prodit *duodecim tabularum Interpretes Ambitum parietum appellare Circuitum*, antiquo plane loquendi more. *Am* enim antiquissimis Latinis *Circum*, quemadmodum multa docent testimonia & exempla in medium adducta ab eodem Varrone, item Festo, Macrobio aliisque scriptoribus. Sic & ea notione vox *Ambitus* exaudienda apud Ciceronem in Top. *Ut si ita respondeas*, inquit, *quoniam P. Scævola id solum esse ambitus ædium dixerit, quantum parietis communis tegendi caussa tectum projiceretur*. Sic apud Vitruvium lib. I. cap. I. *Jura quoque nota habeat oportet ea, quæ necessaria sunt ædificiis communibus parietum ad ambitum*. Item vetus marmor Romæ in Jacobi Sadoleti hortis ecfossum: *Inter duos parietes ambitus privat Flavi Sabini*. Notandum autem obiter Ambitum hunc, id est spacium duorum pedum & semis, *spacium legitimum dici* a Papirio Justo JC. lib. I. de Constitut. cujus verba exstant in l. XLV. D. de servit. urb. præd. *Imperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt in area, quæ nulli servitutem debet, posse dominum vel alium voluntate ejus ædificare intermisso legitimo spacio a vicina insula*. *Legitimum spacium* eleganter dicitur, quia diffinitum erat legibus duodecim tabularum. Ajunt Decemviri (*sestertios pes estod*) Duos pedes cum semi *sestertium* pedem in duodecim tabulis appellari docet disertis verbis Volusius Mecianus libello de Asse, cujus verba vulgati Codices inemendatiora præferunt, sic proculdubio corrigenda: *Sestertius duos asses & semissem, quasi semis tertius. Lex etiam Duodecim Tabularum argumento est, in qua duo pedes & semis sester-*

tius pes vocatur. Eadem voce *Dupondium* & *Semissem* veteres intellexisse Plinius quoque lib. XXXIII. cap. III. cum Festo lib. XVII. tradunt: eadem omnino forma, qua & *Trientertium* & *Besalterum* dixisse veteres idem Festus est auctor. Huic legi adfinis & non absimilis videtur fuisse illa, quam recitat ex Solonis legibus & a Decemviris in duodecim tabulas relatam notat Cajus ad leg. ult. D. finium regund. Sic enim ibi Cajus lib. IV. ad legem Duodecim Tabularum: *Sciendum est in actione finium regundorum illud observandum esse, quod ad exemplum ejus legis scriptum est, quam Athenis Solon dicitur tulisse. Nam illic ita est, Si quis sepem ad alienum prædium fixerit, infoderitque, terminum ne excedito. Si maceriam, pedem relinquito. Si vero domum, pedes duos.* (hosce duos pedes Decemviri mutarunt in pedem *sestertium*, id est in duos pedes & semissem vel semis) *si sepulcrum aut scrobem foderit, quantum profunditatis habuerint, tantum spacii relinquito. Si puteum passus latitudinem. At vero oleam aut ficum ab alieno ad novem pedes plantato: ceteras arbores ad pedes quinque.* Solennia verba perierunt. Agit autem lex & vetat, *ne quis ædificare vel plantare* quid volens terminum excedat ab lege præscriptum. Nam servandi termini maximam semper veteres habuerunt rationem. Sic Constantino Imperatori primum placuit, *ab horreis publicis privatorum ædes centum pedibus, a ceteris vero publicis ædificiis quindecim pedum spacio removeri* l. IV. & l. XLVI. de oper. public. C. Theod. Ratio illa, ne scilicet publica hæc ædificia periclitarentur ab privatarum ædium incendiis. Alia item, ne ex privatis ædificiis exaudirentur secreta & facta illa, quæ in publicis ædificiis pro reipublicæ administratione solent tractari & administrari. Theodosio deinde satis visum est, *privatorum ædificia quindecim pedum intervallo ab horreis publicis disjungi.* l. X. l. XI. Cod. de ædific. privat. qui Theodosius & hoc in d. l. constituit, ut *Privatorum inter se mœniana decem pedes, a publicis vero operibus quindecim distent.* Quam Theodosii legem intelligit maximus ille Burgundionum rex Gundebaldus in suis Burgundionum præscriptis legibus. Ita enim cavet: *De servitute luminis vel aeris similiter constitutum, ut inter Privatorum fabricas decem pedes, inter publicas quindecim dimittantur secundum legem Theodosii.* De *Mænianis* plura possent huc adferri ad explicandam leg. XI. de ædific. privat. sed quia hæc ad leges duodecim tabularum illustrandas non pertinent, nolui in iis esse verbosior. Hæc ad Legem duodecim tabularum de *Ambitu*. Sequitur lex de *Spacio quinque pedum inter confines agros relicto non usu capiendo*.

2 SEI VICEINEI INTER SE IORGASINT ENTERA QUINQUE PEDES USOUCAPIO NEI ESTOD: PRÆTOR ARBITROS TRIS DATO; EOROM ARBITRIO FINIOM CONTROVERSIAS COMPONITO. Legis hujus fragmenta variis apud Ciceronem locis dispersa leguntur; ita ut concinnavi meo judicio componenda. Cicero lib. I. de LL. *Ex hac autem non rerum sed verborum discordia, controversia nata est de finibus; in qua quoniam usucapionem Duodecim Tabulæ intra quinque pedes esse noluerint; &c.* Et eodem lib. *Nec Mamilia lege singuli, sed nos tres arbitri fines regemus.* Volunt autem Decemviri inter confines vicinorum agros quinque pedum spacium non usucapi, hoc est possideri, sed medium relinqui: quod liberum semper esset & commune,

A ut eo ire, agere, & aratrum etiam circumvertere sine alterius incommodo uterque Dominus posset: voluerunt autem iidem Decemviri, ut quoties de his quinque pedibus controversia esset, *eligerentur arbitri sive agri* mensores, qui eos regerent, arteque sua constituerent, & ex quorum sententia magistratus controversiam componeret. Ajunt igitur Decemviri (*Si viceinei*) id est qui confines vel conterminos habent agros (*inter se jorgasint*) Huc pertinent verba Ciceronis lib. IV. de rep. apud Nonium in *Jurgium*: *Jurgare igitur*, inquit, *lex putat inter se vicinos, non litigare*. Recte. Nam benivolorum con-

B certatio, non *lis* inimicorum, *Jurgium* dicitur. (*entera*) sic loquebantur veteres, ut & *Ensera*, pro *Intra*, *Infra* (*entera quinque pedes usucapio nei estod*) Horum *quinque pedum* crebra apud Juris conditores mentio. Exstat hodie Constantini Imp. Constitutio post Theodosianum Codicem collocata, cujus verba sunt hæc: *Si finalis controversia fuerit* (*finalis controversia*, eleganter ea dicitur, quæ inter vicinos orta de finibus, id est spacio illo quinque pedum) *tunc demum arbiter non negetur, quum intra quinque pedes locum, de quo agitur, apud Præsidem esse constiterit: quum de majore spatio, caussa*

C *quædam non finalis, sed proprietatis est, apud ipsum Præsidem debeat terminari*. Sic Theodosius, Arcadius, & Honorius ad Rufum Præf. Prætorio nobili illa constitutione, cujus portio ab Justiniano lib. III. Constitutionum refertur, l. ult. C. fin. regundor. Tota autem lex ita scripta fuit: *Cunctis motionibus & machinis amputatis finalibus jurgiis* (notanda hæc vox. Dicebantur inter se *jurgari* illi, quos inter controversia de finibus erat orta.) *omnem modum, quem præscribimus, ac de eo tantum spatio hoc est pedum quinque, qui veteri jure* (sic appellat Jus

D legum duodecim) *præscripti sunt, sine observatione temporis arbitros jussimus judicare. Quod si loca in controversiam veniant* (id est majora quinque *pedibus*, *quæ in proprietatis* controversiæ judicium potius incidunt) *solenniter judicare cognoscas*. Julius Frontinus, quem alii Nypsum appellant: *Secundum legem Mamiliam de finibus controversia est quum de ea latitudine agitur, de loco autem quum excedit pedes quinque*. Sic Valentinianus, Theodosius, & Arcadius in l. V. C. fin. reg. *Quinque pedum præscriptione submota finalis jurgii vel locorum libera peragatur intentio: ut si de finibus controversia*

E *sit, nemo possit de eo solo, quod intra quinque pedes sit, præscriptionem opponere, quippe quum id usu capi nequeat*: ex lege scilicet hac duodecim tabularum. Sic denique Isiodorus lib. V. cap. XXV. *Finium regundorum actio dicta quod per eam regantur fines utrique ne dissipentur; dummodo angustiore quinque pedum loco controversia sit*. (*Prætor Arbitros tris dato*) De Arbitris jam cum ex Cicerone lib. II. de LL. tum ex aliis scriptoribus audivimus. Ad hos igitur *arbitros* recurrebatur, quoties inter vicinos jurgium & controversia esset de Finibus. (*eorum arbitrio*) *Arbitrium* nihil aliud quam sententia

F *Arbitrorum* (*finiom controversias componito*) *Fines* agrorum termini & limites appellantur. *Finibus regundis* JCtis nihil aliud, quam finibus discriminandis. *Regere* enim antiqua & Decemvirali significatione suis finibus terminatum habere. Boetius interpres Topicorum Ciceronis: *Regi fines dicuntur*, inquit, *quoties unusquisque ager propriis finibus terminatur*. Quia vero in verbis Ciceronis paullo ante Mamiliæ legis audivimus mentionem; de ea tribus verbis dicam.

cam. Post leges a Decemviris latas, quia sæpe nunc hæc nunc illa deesse videbantur, variæ ab variis magistratibus, variis de rebus latæ fuerunt leges: inter alias etiam nonnullæ de *Terminis & Limitibus*, inter quas primi fere loci & ordini lex erat *Mamilia*, quam tulit C. Mamilius Trib. pleb. bello Jugurthino, quemadmodum proditum est a Sallustio: Inde C. Mamilius *Limitaneus* fuit cognominatus. Lex illa in finibus agrorum *quinque aut sex pedum latitudinem* præscripsit, quos usucapi vetabat lex duodecim tabularum, quemadmodum jam intelleximus ex Cicerone lib. I. de LL. & in Bruto. Eadem etiam lege *singulos arbitros regendis finibus datos* esse ostendit Cicero. Sequitur lex *de Servitutibus Rusticis*.

3 VIAI LATEITOUDO, ENDO PORRECTOM, OCTO PEDOM ESTOD; ENDO AMFRACTOM, SEDECIM. Hanc legem detersa antiquitatis situ, verbis vulgatioribus ætatis suæ recitat Cajus lib. VII. ad Edictum Provinciale l. VIII. D. de sex prim. *Viæ latitudo ex lege duodecim tabularum in porrectum octo pedes habet; in amfractum, id est ubi flexum est, sedecim*. Loquitur autem lex de *Servitutibus rusticis*, ut si quis jus habeat ducendi vehiculi per prædium alterum, id quod *via* hac lege dicitur, ea via *in porrectum octo pedum* esset; *in amfractum, sedecim*. Justinianus lib. II. Institut. tit. III. pr. ex Ulpiano sic scribit: *Rusticorum prædiorum jura sunt hæc: Iter, Actus, Via, Aquæductus. Iter est jus eundi, ambulandi homini, non etiam jumentum agendi vel vehiculum. Actus est jus agendi jumentum vel vehiculum. Via est jus eundi, agendi, & ambulandi hominis. Nam iter & actum, Via in se continet. Aquæductus est jus aquæ ducendæ per fundum alienum*. Lex igitur duodecim tabularum, *octo pedes latitudinis viæ* dedit, quæ *in porrectum* duceretur, in nullam partem flectens. Quod si ita flecteretur, ut *Vehicula circumflecti* oporteret, quod *Amfractum* appellant Decemviri, *latitudinem lex duplicavit*. Ajunt igitur Decemviri (VIAI) *Viarum* (ut Ulpianus lib. LXVIII. ad Edictum scribit in l. II. §. XXII. D. quid in loco publico) *quædam publicæ sunt, quædam privatæ, quædam vicinales. Publicas vias dicimus, quas Græci βασιλικάς, nostri Prætorias, alii Consulares vias appellant. Privatæ sunt quas Agrarias quidam dicunt. Vicinales sunt viæ, quæ in vicis sunt, veliquæ in vicos ducunt; quæ publicæ sunt, si non ex collatione privatorum constitutæ sunt*.

Pergit deinde Ulpianus: *Privatæ viæ dupliciter accipi possunt, vel hæ quæ sunt in agris, quibus imposita est servitus, ut ad agrum alterius ducant; vel hæ quæ ad agros ducunt, per quas omnibus permeare liceat, in quas exitur de via Consulari: & sic post illam excipit Via vel Iter vel Actus ad Villam ducens*. Item scribit lib. XXXIII. ad Sabinum l. ult. D. de loc. & itin. publ. *Inter vicinales vias* (male apud Senecam legitur *Vincinalis* via lib. V. de beneficiis cap. XXIV. in fine.) *quæ ex agris Privatorum collatis factæ sunt, quarum memoria non exstat & ceteras vias militares* (ita enim Consulares appellat) *hoc interesse, quod viæ militares exitum ad mare, aut in urbem, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent; Vicinales aut in militares vias exitum habent, aut sine ullo exitu intermoriuntur. Militaris* via & *regia* Theophilo appellabatur, quæ *publica* a Justiniano dicitur libr. IV. Inst. tit. de lege Aquilia: *Vicinalis autem, quas κώμας Græci appellant*. *Justiniani verba sunt hæc*, quæ ex commemoratis a me optime intelliguntur. §. V. *Item si putator ex arbore dejecto ramo servum tum transeuntem occiderit; si prope viam publicam aut vicinalem id factum est, neque proclamavit, ut casus evitari posset, culpæ reus est*. Pergunt Decemviri (*endo porrectom*) id est *in directo*, ut Varro loquitur: (*endo amfractum*) Varro lib. VI. de LL. *Amfractum est ab origine flexum duplici, dictum ab ambitu & frangendo. Ab eo leges* (duodecim tabularum) *jubent in directo pedum octo esse; in amfracto sedecim, id est in flexu*. Ut concludam, ad legem hanc duodecim tabularum pertinere etiam videntur illa Ciceronis in Oratione pro A. Cæcinna: *Si via sit imminuta, jubet lex qua velit, agere jumentum*. Intelligit enim legem duodecim tabularum. Sequitur lex de *Glande legenda*.

4 GLANDEM, QUÆ DE TUOD ENDO ALIENOM FONDOM CADIT, SE FRAUDE LEGERE LICETO. Exstat hujus legis sententia apud Plinium lib. XVI. cap. V. *Cautum est præterea lege duodecim tabularum ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere*. Solennia autem legis verba videtur in suum Edictum transcripsisse Prætor apud Ulpianum tit. D. de glande legenda l. unica: Sic enim JC. *Ait Prætor Glandem quæ ex illius agro in tuum cadit, quo minus illi tertio quoque die legere, auferre liceat, vim fieri veto*. Sensus legis est manifestus. Explicavit autem legem hanc Cajus lib. ad duodecim tabulas quarto: ibi enim vocem *Glandis* explicat, quemadmodum videre est in l. CCXXXVI. in fine. D. de verb. signif. *Glandis*, inquit, *appellatione omnis fructus continetur, ut Javolenus ait, exemplo Græci sermonis, apud quos omnes arborum species ἀκρόδρυα appellantur*. Ex hac generali *Glandis* appellatione *Glandiferæ Arationes fructuosæ* ab Cicerone dicuntur Philipp. lib. II. *Quid jam querar de agro Leontino? quandoquidem hæ quondam Arationes Campani & Leontini in populi Romani patrimonio glandiferæ & sumtuosæ ferebantur*. Ab ignorata generali hujus vocis notione nonnullis persuasum fuit primos homines glandibus solis pasci solere. Virg. lib. I. Georg. v. CXLVII.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit; quum jam glandes atque arbuta sacræ
Deficerent silvæ & victum Dodona negaret.

Sequitur fragmentum de *Aqua pluvia*, mutilum.

5 SEI AQUA PLOVIA NOCET. Fragmentum hoc legis duodecim tabularum mutilum & parte sua potiore truncatum, citat Pomponius JC. in l. XXI. D. de statu lib. ubi sic scribit: *Veteres hæc verba legis duodecim tabularum Sei aqua pluvia nocet, sic interpretatos esse, id est si nocere poterit*. Est igitur hoc fragmentum non integrum. Franciscus Hotom. doctissimus JC. rerum antiquarum scrutator & indagator diligentissimus conatus est supplere, vitamque quasi & sensum, quo destituebatur, indere, hoc modo: *Si cui aqua pluvia ex vicini agro nocet, vicino, cui ea nocet, eam per arbitrum arcere jus esto*. Conjecturam hanc suam corroborare nititur loco quodam Ciceronis in Topicorum libris; ubi hæc verba leguntur: *Aquam pluviam nocentem, alteram loci vitio nocentem esse, alteram manu. Quarum*, inquit, *altera jubetur ab arbitro coerceri, altera non jubetur*. In quem Cic. locum sic scribit Boetius: *Jus est aquam pluviam arceri, id est, ut si in alicujus agro pluvia aqua colligatur & in alterius agrum defluat, eaque vi-*

cini frugibus nocitura concrescat, arceat eam finibus ille, qui sua putat interesse, ne defluat. Item: *Aqua pluvia manu nocens est, quæ ita in loco aliquo excipitur, ut inde profluens vicino noceat: si locus is non sit naturaliter talis, sed manu hominis excipiendæ aquæ fuerit apparatus. Vitio vero, quoties naturaliter ita se locus habet, ut excipere aquam possit & nocere vicino.* Quæ verba procul dubio respiciunt legem illam duodecim tabularum *de aqua pluvia*, quibuscumque tandem verbis fuerit concepta; adeo ut lex arcere jubeat *aquam, manu nocentem*; non eam, quæ *loci vitio* nocet. Pertinere videtur & ad legem hanc *de aqua pluvia* lex illa Ulpiani I. D. de aqua pluvia: *Si cui*, inquit, *aqua pluvia damnum dabit id est nocebit* vel nocere potuerit, ut antiqui legum interpretes exponunt, *actione aquæ pluviæ arcendæ avertetur aqua. Actione* inquit, quæ *nimirum descendit* & originem trahit *ex legibus duodecim* tabularum. Addit deinde JC. *eam actionem etiam pertinere ad damnum nondum factum*; quia vocem illam legis *nocet*, interpretari tunc mos erat & trahere in futurum, *nocere poterit*. Intelligendum autem esse, aquam *non loci vitio*, sed *manu nocentem*, sic scribit Ulpianus in l. I. *Hæc autem actio locum habet in damno nondum facto; op. re tamen jam facto: hoc est de eo opere ex quo damnum timetur totiensque locum habet, quotiens manu facto opere agro aqua nocitura est: id est quum quis manu fecerit, quo aliter flueret, quam natura soleret; si forte immittendo eam aut majorem fecerit aut citatiorem, aut vehementiorem: aut si comprimendo redundare effecit: quod si natura*, id est loci vitio, ut Cicero loquitur, *aqua noceret, ea actione non tenebitur*. Pertinent etiam huc verba Alfeni JC. in l. XXIV. D. de *aqua pluvia*, ubi casus quasi describitur hujus actionis & exemplum: *Vicinus loci superioris pratum ita arabat, ut per sulcos itemque porcas aqua ad inferiorem veniret: quæsitum est an per Arbitrum* (*Arbitri* etiam mentio apud Ciceronem in Topicis, ut audivimus) *aquæ pluviæ arcendæ possit cogi, ut in alteram partem araret, ne sulci in ejus agrum spectarent: respondit non posse eum facere, quo minus agrum vicinus, quemadmodum vellet, araret*. Rationem non addit JC. Ea proculdubio hæc est: quod aqua *non manu*, sed *loci vitio* nocens, ut in casu l. XXIV. *arceri per arbitrum non possit*: secus in aqua *manu nocente & opere facto*, ut in vicini agrum deflueret.

Quod etiam indicat apud Ulpianum Q. Mucius in d. l. I. §. III. *De eo opere, quod agri colendi caussa aratro factum sit, Q. Mucius ait, non competere hanc actionem. Nam opera manu facta, nisi agri colendi caussa fiant, in actionem aquæ pluviæ arcendæ veniunt, ut plenius patet* ex d. l. I. §. VIII. & XV. Huic autem aquæ pluviæ actioni, cujus origo est ex legibus duodecim tabularum, contraria omnino est *Actio quædam*, cujus usus olim quum omnia ibi politiora essent, *in Africa*, ut Aggenus scribit lib. II. quum enim regio sit calidissima, nihil magis in querela est, *quam si quis inhibuerit aquam pluviam in agrum vicini influere*. Sequitur jam lex *ultima* de *Servitutibus* quæ de *Aquæ ductu* agit, cujusque verba solennia nobis injuria temporis perierunt. Ejus hæc est sententia:

6 SI CUI PRIVATO AQUÆ DUCTUS ALTERIUS IN PUBLICO NOCERET, EI AQUÆ DUCTUS DOMINUS NOXÆ CAVETO. Leguntur hæc apud Paullum Jurisconsultum in l. V. D. ne quid in loc. publ. sic scribentem: *Si per publicum locum rivus aquæ ductus privato nocebit, erit actio privata ex lege duodecim tabularum, ut noxa domino caveatur*. Fran-

A ciscus Hot. de quo antea dixi legenda hæc Paulli verba monet: *Noxa a domino caveatur*, ut *vox nomine* antiqua consuetudine subaudiatur & sensus sit: ut noxæ nomine, id est damni infecti nomine, rivi & aquæductus Dominus ei privato caveat. Nam ut Ulpianus in l. II. §. II. d. eod. *Loca publica utique privatorum usibus deserviunt, jure scilicet civitatis, non quasi propria cujusque & tantum juris habemus ad obtinendum, quantum quilibet e populo ad prohibendum. Propter quod si quod forte opus in publico fiet, quod ad privati damnum redundet, prohibitorio interdicto potest conveniri; propter quam rem hoc interdictum propositum est.*
B Nam in locis publicis æquum & par omnibus civibus est jus; in quibus si quid indebite & in alterius præjudicium fiat, *potior solet esse caussa prohibentis*: quod de *re communi* pronunciat Papinianus Jurisconsultus libr. VII. Quæst. vel apud Papinianum potius Sabinus in l. XXVIII. D. comuni dividendo, inquit Papinianus, *in re comuni neminem Dominorum jure facere quidquam invito altero posse: unde manifestum est prohibendi jus esse. In re enim pari potiorem caussam esse prohibentis constat*. Ita tamen si *prohibentis* intersit, videndus omnino Accursius in d. l. XXVIII. D. comuni dividundo. Hæc ad leges de *Servitutibus & Finibus regundis* dicta sufficiant. Sequuntur jam explicandæ
C leges duodecim tabularum, quæ pertinebant *ad jura testamentorum vel potius Successionum*.

CAP. XII.

1 *Successio duplex est vel testamentaria vel legitima ab intestato illius lex prima.*
2 *Secunda.*
3 *Tertia.*

D 1 SUccessio, quæ nihil aliud, quam in jus defuncti concessio, D. tit. de acquir. hæred. duplex est, vel *Testamentaria*, vel *Legitima ab intestato*. De utraque fragmenta quædam Legum duodecim tabularum apud varios scriptores sparsa reperiuntur. *Testamentariæ* igitur Successionis hæc primi loci esto. *Paterfamilias, utei soper familia pequniaque soua legasit, ita jous estod.* Adducunt hanc legem varii & Jurisconsulti, & alii auctores, quamvis non omnino iisdem verbis. Cicero quidem libr. II. de Inventione & auctor ad Herennium lib. I. Legem recitant eodem
E plane, quo relata a me est modo. Enarrat paullulum Pomponius Jurisconsultus in l. CXX. D. de verb. sig. Sic enim habet: *Verbis legis duodecim tabularum his uti legassit suæ rei, ita jus esto &c.* Paullo auctiorem habet eam Ulpianus tit. XI. Instit. §. XIV. *Testamento quoque nominatim tutores dati confirmantur eadem lege duodecim tabularum his: utei legassit super pequnia tutelave suæ rei, ita jous esto &c.* Sic Justinianus lib. II. Instit. tit. de Lege Falcidia pr. vers. *Quum enim olim lege duodecim tabularum libera erat legandi potestas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare, quippe cum ea lege ita cautum esset, uti quisq; legas-*
F *sit suæ rei, ita jous esto*, plane quemadmodum paullo ante Pomponius in l. CXX. D. verb. signi. Sic idem Imperator Justinianus Novella XXII. ca. II. vers. *Disponat itaque unusquisque super suis ut dignum est; & sit lex ejus voluntas: sicut & antiquissima nobis lex & prima præco reipublicæ Romanorum disponens ut* (*dicimus autem duodecim tabularum*) *secundum antiquam & patriam linguam ita dicens: uti legassit quisque de sua re, ita jous esto &c.* Quibus omnibus inter se collatis & comparatis, non-

nulli legem hanc his verbis concipiendam arbitrantur : *Paterfamilias utei legasit super familia, pequnia, tutelave souæ rei, ita jous esto*. Ajunt igitur Decemviri (*Paterfamilias*.) Hoc ita intelligendum est solis patribusfamilias testandi jus apud veteres Romanos fuisse; filiis autem familias non fuisse, ne patribus quidem auctoribus : quippe qui suum nihil haberent (*utei legasit*) quasi dicerent uti statuerit sive decreverit. *Legandi* verbum *a lege* factum est : ut *Legare* nihil aliud sit, quam statuere, decernere & (quemadmodum vulgus hodie loquitur in re Testamentaria) disponere, sive de hæreditate, sive de legatis & donationibus in testamento. Videtur tamen potius *Legandi* verbum Græcæ esse originis : Apud Græcos enim λῆξις, κλῆρον id est hæreditatem vel sortem quæ alicui obtigit, significat ἀπὸ τοῦ λήγειν id est a desinendo, quod hæreditas ab uno in alterum desinat. Hinc *Legatum* generaliter in duodecim tabulis pro qualibet deficientium & morientium voluntate, & *Legare* generaliter aliquid testamento relinquere. Et sane verbum *Lego* venire ἀπὸ τοῦ λήγειν indicat syllabæ quantitas : ἀπὸ τῆς λήξιος autem dicuntur apud Græcos ληξιαρχικοὶ Judices qui jus de hæreditatibus apud Athenienses dicebant. Scribit autem Pomponius, *his legis verbis latissimam potestatem tributam fuisse testatoribus & hæredes instituendi & legata & libertates dandi, tutelas quoque constituendi*. Hinc etiam Ulpianus tit. XII. §. XVII. *Legata nobis adquiruntur ex lege duodecim tabularum*. Hinc item Paullus Jurisconsultus in l. VIII. D de verb. signif. *In generali repetitione Legatorum etiam datæ libertates continentur ex mente legis duodecim tabularum*. Quod autem verbis legis a me recitatæ fuerit tributa *latissima potestas*, faciebant duo præsertim ibi verba *Legare* & *Res*. Nam *Legare* verbum quamvis ultimam voluntatem &, ut hodie loquimur, dispositionem continebat. *Legare* enim non solum quod sonat significabat, sed etiam instituere & mortis caussa donare. Hinc apud Livium lib. I. *Numitori regnum vetustum Silviæ gentis legat*. Sed latissima hæc potestas postea coangustata est, vel interpretatione legum vel auctoritate jura constituentium, quemadmodum etiam notat ad d. leg. CXX. de verb. signif. Hugo a Porta. Coangustavit autem inter alias liberam illam facultatem *lex Falcidia*, quam tulit *Falcidius* tribunus plebis temporibus Augusti adhuc triumviri. Nam quemadmodum *Donationibus lex Cincia*, *Dotibus Papia*, *Manumissionibus Caninia*, ita Legatis *lex Furia* primum, deinde *Voconia* & ad extremum lex *Falcidia*, quam hodieque sequimur, præscripsit modum, *dodrantis* scilicet; qui *civilis modus* dicitur a Cornelio Tacito. Certe flagitavit modum hunc necessitas. Quum enim lex duodecim tabularum *liberam potestatem legandi* fecisset ; deinde *lex Furia plus mille assibus Legatorum vetaret capere* ; hinc eveniebat, ut multiplicato Legatariorum numero heres nihil caperet : postea *lex Voconia* vetabat *quenquam plus alteri legare*, quam ad hæredem legantis perveniret. Hinc eveniebat ut pluribus Legatariis existentibus, unus interdum aureus ab herede acciperetur. Spe tam exigui lucelli fiebat ut nullus heres adire vellet.

Ne id fieret, lata est *lex Falcidia*; ea *quartam hereditatis* semper penes heredem esse voluit, quovis prohibito legare *ultra dodrantem bonorum*. Verba ejus exstant in l. I. D. ad Leg. Falcid. *Lex Falcidia lata est, quæ primo capite liberam legandi facultatem dedit usque ad Dodrantem his verbis*. QUI CIVES ROMANI SUNT, QUI EORUM POST HANC LEGEM ROGATUM TESTIMONIUM FACERE VO-

A LET, UT EAM PEQUNIAM EASQUE RES QUIBUSQUE DARE LEGARE VOLET, JUS POTESTASQUE ESTO UT HAC LEGE SEQUENTI LICEBIT. QUICUMQUE CIVIS ROMANUS POST HANC LEGEM ROGATUM TESTIMONIUM FACIET, IS QUANTAM CUIQUE CIVI ROMANO PEQUNIAM JURE PUBLICO DARE LEGARE VOLET, JUS POTESTASQUE ESTO; DUM ITA DETUR LEGATUM, NE MINUS QUAM QUARTAM PARTEM HEREDITATIS EO TESTAMENTO

B HEREDES CAPIANT: EIS QUIBUS QUID ITA DATUM LEGATUMVE ERIT, EAM PEQUNIAM SINE FRAUDE SUA CAPERE LICETO. ISQUE HERES, QUI EAM PEQUNIAM DARE JUSSUS DAMNATUS ERIT EAM PEQUNIAM DEBETO DARE, QUAM DAMNATUS EST. Sed de Lege Falcidia aliisque quas nominavi, suo loco. Ajunt Decemviri (*super pequnia tutelave suæ rei*) Paulus Jurisconsultus libr. LIX. ad Edictum in l. LIII. D. de verb. sig. paullo aliter citat hæc legis duodecim tabularum verba : *Nam*, inquit, *quum*

C *dicitur apud Veteres Agnatorum gentiliumque pro separatione accipitur*. *At quum dicitur* ; PECUNIÆ TUTELÆVE SUÆ, *tutor separatim sine pequnia dari non potest*. Unde quidam colligunt Veteres *genitivum* pro *ablativo* usurpasse : Vide Cujacium ad tit. Instit. de lege Aquilia. (*Super pequnia*) Hac voce non modo *pequnia numerata*, verum etiam *res omnes tam soli*, quam *mobiles* & tam *corpora* quam *jura* continentur. l. CCXXII. & l. CLXXVIII. D. de verb. signif. l. pen. de const. pec. l. L. D. de verbor. oblig. l. XXXVI. D. de peculio. Egregie Augustinus libro de Discip. Christ. *Ter-*

D *tium*, ait, *quidquid homines possident in terra, omnia quorum Domini sunt, Pequnia vocatur* ; *Servus sit*, *Vas*, *Ager*, *Arbor*, *Pecus*, *quidquid horum est Pequnia vocatur*. Ajunt denique Decemviri (*ita jous estod*) hæc verba summum testamentorum jus esse ostendunt quemadmodum Cicero scribit Philip. lib. II. *In publicis actis nihil esse lege gravius*, *in privatis firmissimum esse testamentum* ; adeo ut per hanc legem *jus patriæ potestatis* etiam post patris mortem & usque ad liberorum pubertatem extendatur. Obiter autem notandum, similem omnino huic legem testamentariam fuisse olim *apud Lacedæmonios*, quemadmodum scribit

E Plutarchus in Lycurgo. Putant autem nonnulli legem hanc Athenis fuisse cum aliis petitam. Scribit enim Plutarchus in vita Solonis : *Quum Athenis olim non liceret hæreditates extra familiam testamento relinquere, atque adeo nulla jura testandi essent, is tulit, ut ei qui liberos non haberet liceret hæredem extraneum facere, modo id nullo coactus malo nullisque blandiciis, sed sanus atque valens sponte sua faceret*. Eum, ut quidam opinantur, sequuti sunt *Decemviri*, qui ita in duodecim tabulis scripserunt *uti legasit suæ rei ita jus esto*. Sed de hac lege satis : sequitur *lex Testamentaria vel Successionis ex testamento secunda*.

F 2 QUUM NEXOM FACIET MANCIPIOMQUE, UTEI LINGUA NUNCUPASIT, ITA JOUS ESTOD. Exstat hoc legis duodecim tabularum fragmentum apud varios scriptores. Cicero lib. I. de Orat. *Lapides me hercle flere coëgisses, ut Totum illud utei lingua nuncupasit, non in duodecim tabulis, sed in magistri carmine scriptum videretur*. Idem lib. III. de Offic. *Ac de jure quidem prædiorum sancitum est apud nos jure civili, ut in his vendundis vitia etiam dicerentur quæ nota essent venditori* :

Nam quum e duodecim tabulis satis esset ea præstare quæ essent lingua nuncupata, quæ qui infitiatus esset dupli pœnam subiret, a Jurisconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Videndi etiam Varro lib. v. de LL. & Festus lib. XII. de verb. sig. Ajunt igitur Decemviri (*Quum nexom faciet mancipiumque*) id est quum paterfamilias *per æs & libram familiam* vendet. Loquitur enim lex de *Mancipatione* & jubet ut *quod testator hæredem nuncupans de suis bonis decrevit, id jus ratumque esset.* Quidam etiam hoc legis duodecim tabularum fragmentum referunt ad *Contractus alios.* Plerique interpretantur de *Testamentis.* Testamentorum apud Veteres Romanos genera fuerunt tria; *unum quod Calatis Comitiis; alterum quod in procinctu; tertium quod per æs & libram appellatum.* De hoc tertio Testamenti genere exaudienda est lex, quam recitavi. Dicebatur autem *Testamentum per æs & libram*, quum paterfamilias ei, quem vellet Successorem relinquere, familiam suam, & universum Patrisfamilias jus mancipio venderet, & simul hæredes nuncuparet. Ulpianus Jurisconsultus tit. XX. §. IX. memoriæ prodit, in Testamento, *quod per æs & libram* fieri solet, duas res agi, *familiæ* scilicet *mancipationem & nuncupationem testamenti.* Intelligendus etiam de *tertio illo testamenti faciendi genere* Plutarchus libello de sera Numinis vindicta; de Romanis enim verba faciens, *Ubi testamenta condunt*, inquit, *alii scribuntur hæredes; aliis venduntur bona*; & addit deinde Plutarchus, *illud absurdum videri.* Et sane absurdissimum est, non eosdem esse hæredes, qui bonorum capiunt post mortem testatoris possessionem. Fiebat porro *mancipatio familiæ*, quæ *imaginaria erat venditio*, in hunc modum: *Quinque* aderant *testes & Libripens*, Cives Romani & puberes. Iis præsentibus, is qui successor Defuncti erat futurus, patrimonium morituri emebat, & verba quædam dicens solennia, imaginarii precii nomine *minimum æreum* domino dabat. Verba solennia erant hæc: *Hujus ego familiam, quæ mihi emta est ære æneaque libra, jure Quiritium meam esse ajo.* Deinde *ære percutiens libram*, id æs dabat ei, a quo hæreditatem exspectabat, quasi loco precii. Sic appellabatur is, qui emebat, *familiæ emptor.* Porro *venditor* nihil emtori dabat, sed heredem eum tali modo constituebat, scilicet ut post mortem venditoris posset jure hereditatem adire. Ubi mancipatio ea facta erat, tum ordinabat venditor, quid post mortem suam fieri vellet. Dicebat enim familiæ emptori sive successori: *Huic volo dari fundum, illi domum, illi centum solidos.*

Quæ omnia late scribuntur & explicantur apud Boetium in Topica Ciceronis, & Cajum, Ulpianum, aliosque. Quo modo testamentum fiebat *per æs & libram*, sic etiam solvebatur, quod his verbis ostendit Cicero li. II. de LL. *Hoc vero est e medio jure civili, ut per æs & libram heredem testamenti solvant, & eodem loco res sit quasi ea legata non esset.* Ajunt igitur Decemviri (*Quom per nexom faciet mancipiomque*) Quidquid apud Veteres Romanos *per æs & libram* fiebat, *Nexus* dicebatur: at præter cetera *abalienatio* & *obligatio* fiebat: quarum illa *mancipatio*, hæc *Nexi datio* dicebatur. Ergo nomen *Nexus* utrique & Abalienationi & Obligationi commune fuit. Quod etiam cognoscere licet ex Varronis libris de LL. in quibus hæc sunt verba: *Nexum Manilius scribit esse, quod per æs & libram geratur; in quo sunt mancipia. Scævola quæ per æs & libram fiant, ut obligentur, præterae quæ mancipio dentur: hoc verius esse ipsum verbum ostendit. Nam idem quod obligatur nexum fiet; inde Nexum dictum.*

A Ex quibus apparet, duo esse jura inter se diversa *Jus Mancipii & Jus Nexi.* Quod etiam non obscure significat Cicero, quum utrumque conjunxit in epistola quadam ad Curium: *Attici te proprium esse scribis mancipio & nexu, meum autem usu & fructu.* Idem de Responsis: *Multæ sunt in hac urbe atque haud scio an fere cunctæ jure optimo, sed tamen jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi. Jus autem Mancipii* est jus Dominii emtione adquisiti: *jus vero Nexi* jus est Dominii, oppigneratione aut alia obligatione comparati. Quid autem *Mancipatio* fuerit, docet Cicero in Topicis: *Abalienatio*, B inquit, *est jus rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio, inter quos ea jure civili fieri possunt. Abalienatio* enim genus est, cujus species est *traditio nexu*, id est *mancipatio* & *jure cessio*. Quum autem *Nexus* sit, quod fit per æs & libram, ergo *mancipatio* est traditio alteri per æs & libram: *Nexus* obligatio per æs & libram. Hoc autem quo modo fieret in *Mancipatione*, exponit in Ciceronis Topica Boetius: *Jure civili aliquid fieri inter alios, nisi cives Romanos potest, quorum est jus civile, quod duodecim tabulis continetur. Omnes res quæ abalienari possunt, id est a nostro ad alterius dominium transire, man*C*cipi dictæ sunt. Mancipi vero res veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quamdam Nexus solennitatem fieret. Nexus vero est quædam juris solennitas, quæ fiebat eo modo, quo in institutionibus Cajus exponit l. II. t. I. cujus hæc sunt verba: Mancipatio est imaginaria quædam venditio, quod ipsum jus Romanorum est civium; eaque res ita agitur: Adhibitis non minus quinque testibus civibus Romanis puberibus & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam tenebat, qui appellatur Libripens. Is qui Mancipium accipit æs tenens ita dicit: hunc ego* D *hominem ex Jure Quiritium meum esse ajo; isque mihi emtus est hoc ære, æneaque libra: deinde ære percutit libra, idque æs dat ei, a quo mancipium accipit quasi pretii loco. Quæcumque igitur res lege duodecim tabularum aliter nisi per hanc solennitatem abalienari non poterat.* Idem autem ostendunt Varro & Festus. Varronis quidem verba sunt hæc in libris de LL. *Æs Raudus dictum: ex eo in Veteribus Mancipiis scriptum, Rauduscul libram ferito.* Festi vero sunt hæc verba: *Raudus vulgus in usu habuit, non modo pro ære imperfecto,* E *sed etiam pro signato, quum dicitur in mancipando: Rauduscul libram ferito, id est asse tangito libram.* Idem etiam innuit Plinius libr. XXXIII. c. III. *Quin & militum*, inquit, *stipendiorum hoc est stipis ponderandæ pensatores Libripendes dicuntur: qua consuetudine in iis emptionibus, quæ mancipii sunt, etiam nunc libra interponitur.* Sed hæc plenius alio loco erunt explicanda. Ajunt Decemviri (*quem nexom*) De *Nexo* sic scribit Festus: *Nexum est, ut ait Gallus, quodcumque per æs & libram geritur, idque necti dicitur, quo in genere sunt hæc Testamenti factio, Nexi datio, Nexi liberatio. Nexum æs* dicebatur pecunia, quæ per F nexum obligatur. *Jus autem Nexorum* proprium civis Romani fuisse ostendit Cicero, quum ait pro Cæcinna, *L. Sullam ita ademisse civitatem Volaterranis, ut Nexa relinqueret.* Pergunt Decemviri (*uti lingua nuncupasit*) id est, quemadmodum Festus interpretatur, *ita uti nominavit, loquutusve erit, ita jus esto.* Sic Varro lib. v. de LL. *Nuncupare, nominare valere apparet in legibus, ubi Nuncupatæ pecuniæ sunt scriptæ.* Festus iterum: *Nuncupata pecunia est, ut ait Cincius in lib. II. de officio JCti nominata, certa, nominibus certis pronunciata.* Putantur autem Decem-

viri usi in hac lege voce *Dingua*. Veteres enim *Dingua* dicebant pro *Lingua*, quemadmodum Festus scribit; ut *Dacrumæ*, *Novemsides* & his similia. Hæc ad genus illud Testamenti sufficiant, *quod per æs & libram* apud Veteres Romanos fiebat: pauca addam de duobus aliis Testamentorum generibus, quæ dicebantur, *Calatis Comitiis*, & *in Procinctu*. Nam nullo loco fieri posset hoc commodius. De tribus simul generibus sic loquitur ex Lælio Felice Agellius lib. xv. cap. xvii. *Testamentorum*, inquit, *tria genera fuisse accepimus. Unum quod Calatis Comitiis in Concione populi fieret: Alterum in procinctu, quum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur: Tertium per familiæ mancipationem, cui æs & libra adhibetur.* De duobus prioribus sic loquitur Theophilus lib. ii. Instit. t. x. §. i. *Duo erant apud Veteres Testamentorum genera: unum quod Calatis Comitiis dicebatur, alterum vero procinctum. Testamentum Calatis Comitiis tempore pacis fiebat, bis in anno hunc in modum: Præco universam circumibat civitatem populum convocans: tumque qui testamentum condere volebat, in concione populi ipso teste populo testamentum scribebat, ex quo etiam dictum est Calatis Comitiis. Nam Calare est vocare, Comitia congregatio; quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est testamentum calatis Comitiis.* Secundi autem Testamenti *in procinctu* fieri soliti meminit Plutarchus in Coriolano, ex quo ipsum duodecim Tabulis antiquius fuisse constat. Fuit autem illis temporibus mos apud Romanos, ut in aciem prodeuntes, antequam scuta caperent & togis se præcingerent, tribus aut quatuor audientibus simul sine scriptis testamentum facerent atque heredes nominarent. Sic Vellejus lib. ii. c. v. *Facientibusque omnibus in procinctu testamentum, velut ad certam mortem eundum foret, Metellus non deterritus proposito, quem moriturum miserat, victorem recipit.* Cicero denique libro i. de Oratore: *Ac se, tamquam in procinctu testamentum faceret, sine libra atque tabulis populum Romanum tutorem instituere dixit illorum orbitati.* Ejusmodi vero Testamenta suo tempore periisse indicat Cicero lib. ii. de Natura Deorum: *Sed negligentia nobilitatis auguriorum disciplina omissa, veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta. Itaque maximæ reipublicæ partes in his bella, quibus reipublicæ salus continetur, nullis auspiciis administrantur, nulla perennia servantur, nulla ex acuminibus, nulli viri vocantur, ex quo in procinctu testamenta perierunt. In procinctu* vero significat, docente Festo, *quum ex castris in prælium exitum est; procinctos quasi præcinctos atque expeditos. Nam apud Veteres Togis incincti pugnasse dicuuntur.* Sequitur lex tertia *Testamentaria*.

3 QUEI SE SEI ERIT TESTARIER, LIBRIPENSVE FUERIT, NEI TESTIMONIOM FARIATOR, IMPROBOS INTESTABELISQUE ESTOD. Legitur hoc legis duodecim tabularum fragmentum apud Agellium lib. xv. cap. xiii. sed corruptum admodum & sine sensu: ideoque doctissimi quoque viri in eo emendando & sanando desudarunt. In vulgatis namque Agellii Exemplaribus sic conceptum exstat. *Qui si erit testarier libripensve fuerit, in testimonium feriatur, inprobus intestabilisque esto.* Quæ verba nemo non videt nullam habere significationem. Qui quam partem & symbolam quasi ad legis hujus emendationem contulerint indicabo in ejus illustratione & enarratione, si prius aperuero, quid sibi lex velit, quæque ejus sit sententia. Videtur itaque loqui de *Testibus ad testamentum adhibitis*, quales *quinque Romanos cives eosque puberes cum Libripende* adhiberi solitos antea dixi ex variis scriptoribus: si ii rogati nolint testimonium perhibere ac fateri, testamentum ita ab defuncto conditum fuisse, seque testes ab eodem adhibitos fuisse, quali propter ejusmodi insinuationem pœna vel mulcta sint adficiendi. Vult enim lex *hos tales improbos intestabilesque habendos esse*. Sic etiam in jure civili traditum est, ut quum testamenti tabulæ aperiendæ sint, Prætor suo officio cogat *Signatores convenire & sigilla sua recognoscere vel negare se signasse: quoniam publice expedit suprema hominum judicia exitum habere.* l. iv. & v. D. quemad. test. aper. Quinetiam hæc lex *de omnibus testibus* accipi potest, qui in *aliquo negocio* vel *contractu* adhiberi se testes sunt passi: si de prohibito testimonio regali, illud dicere ejusque adprobare fidem non velint, *ut improbi intestabilesque sint*. Ajunt igitur Decemviri (*Qui se scierit testarier*) In vulgatis Agellii libris ut dixi, legebatur, *Qui si erit testatior*, inemendate prorsus. Hadrianus Turnebus in Adversar. libris legit. *Qui si erit testatus, ut testatus* idem significet quod *antestatus*. Sed ne tunc quidem, si hanc emendationem admittamus, plana erit & clara sententia. Jacobus Cujacius adjutus a vetusto Codice Agellii, in Bibliotheca Joannis Biturigum Ducis reperto, emendat, ut & Fulvius Ursinus, *Qui se scirit testarier*, optimo & planissimo sensu. *Qui se sierit*, qui se siverit, qui passus est se *testarier*, qui passus est se in testem vocari ad testamentum aliquod condendum, aliumve contractum celebrandum; *testarier* μαρτυρηθῆναι. Pergunt Decemviri (*Libripensve fuerit*) *Libripens*, qui Græcis ζυγοστάτης, antiquitus dicebatur, qui ante argentum signatum, quum Romani adhuc ære gravi uterentur, militibus adpenderat stipendia, dictus *Libripens* a *libra ænea*, qua utebatur ad *pendenda*, hoc est ad ponderanda stipendia. Legendus Plinius lib. xxxiii. cap. iii. qui aperte docet *Libripendem* initio dictum fuisse, qui in militibus adpendebat æs grave in stipendium. Postea *Libripendis* nomen transiit ad eum, qui in mancipationibus, hoc est in contractibus imaginariis, quibus res mancipi adhibito ære & libra alienabantur, tenebat libram. Videndus omnino Boetius parte tertia Commentariorum in Topica Ciceronis, & Cajus lib. i. Institut. §. i. Ajunt Decemviri (*Ni testimoniom fariator*) Agellius vulgatus sic habebat, *in testimonium feriatur*. Jacobus Cujacius ad tit. Instit. de testamentis ordinandis legendum censet, *Si in testimonium feriatur*, id est si cogatur, si pulsetur ut testimonium dicat. Hadrianus Turnebus emendat, *Ni testimonium falcatur*, vel *ferat*. Corrigendum unica littera mutata pro *feriatur fariatur*. Veteres enim *Fariari* usurparunt pro *fari*; quemadmodum testatur Diomedes, qui ejusmodi morem antiquis fuisse docet, ut in vocibus quibusdam sermonem ex abundanti adderent, nihilque adjecta sillaba dictionibus conferrent. Sic etiam *aggrediri*, pro *aggredi*, *moriri* pro *mori* dicebant. *Fariari* igitur pro *fari*, *fariatur* pro *fatur*; *fariari* vel *fari testimonium* pro *dicere testimonium*. Ajunt denique Decemviri (*improbus intestabilisque esto*) *Intestabilis* proprie dicitur, cui testimonii dicendi jus non est: quemadmodum contra *Testibilis* appellatur, cui jus hoc datum est. Eleganter Agellius lib. vi. cap. vii. *Et Tarratiam quidem Virginem Vestæ fuisse lex Horatia testis est, quæ super ea ad populum lata, qua lege ei plurimi honores fiunt, inter quos jus quoque testimonii dicendi, testabilisque una omnium feminarum ut sit, datur. Id verbum est ipsius legis Horatiæ. Contrarium est in duodecim tabulis scriptum: Improbus intestabilisque esto. Intestabilis* igitur

μὴ προςδεκτέος εἰς μαρτυρίαν, ἀμάρτυροι ἀπηγορουμένος, ἄτιμος. Hæc enim omnia interpretatur Glossarium Vetus de *Intestabili*. Unde etiam *Intestabilis* pro *vinoso*, *scelerato*, *flagitioso* & *exsecrabili*. Horat. l. II. Sat. III. v. CLXXXI. Plaut. in Milite Glorioso, Tacitus lib. v. §. v. XXIV. Plinius lib. XXX. cap. II. & alii. Postea autem *Intestabiles* etiam in *patiendi* significatione dicti sunt, *quibus testimonium non dicitur*. Hinc Cajus in l. XXVI. t. IV. Heb. CXLII. D. de testibus: *Quum lege quis intestabilis jubetur esse, eo pertinet, ne ejus testimonium recipiatur: & eo amplius ut quidem putant, ne ipsi dicatur testimonium*. Hinc etiam Plautus in Curculione dixit *Intestabilem* pro eo *cui testes non adsunt*. Videndi etiam JCti in l. XVIII. §. I. D. testam. l. v. §. pen. D. de injuriis. l. XXI. §. D. de testibus. Hactenus fragmenta indicavi Legum Duodecim Tabularum de *Successionibus ex Testamento*: sequuntur nonnulla de iis, quæ *ab intestato*; quorum hoc primo loco occurrit.

CAP. XIII.

1 *De successione ab intestato lex prima.*
2 *Secunda qua Postumi ad parentum defunctorum bona vocantur.*
3 *Tertia qua agnati.*
4 *Quarta de patronorum successione.*
5 *De familiæ erciscundæ actione.*
6 *De hereditariis obligationibus dividundis.*

1 FILII FILIÆQUE FAMILIAS BONORUM PATERNORUM SUI SUÆQUE HEREDES SUNTO. Leges aliquot quæ sequuntur præscribunt quo ordine heredes sibi invicem succedere debeant. Hæc autem quam recitavi, vult ut primum locum inter heredes habeant *filii filiæque familias*, naturali ratione illud poscente, omniumque populorum, qui aliqua utuntur & nituntur humanitate, legibus id ipsum flagitantibus. Hujus autem legis testimonium & sententia exstat apud Justinianum Imp. in Institut. lib. II. tit. XIX. qui inscribitur De hered. qualit. & differ. §. II. in fine. *Necessarii*, inquit, *ideo dicuntur quia omnino sive velint, sive nolint, tam ab intestato, quam ex testamento ex lege duodecim tabularum heredes fiunt*. Ajunt Decemviri (*Filii filiæque familias*) Nam ut eleganter Justinianus d. tit. de hered. qualit. & diff. §. II. *Si quis intestatus moriatur, prima caussa est in successione liberorum*. Et idem lib. III. Instit. tit. de heredit. quæ ab intest. §. I. *Intestatorum autem hereditates ex lege duodecim tabularum primum ad suos heredes pertineant*. Quibus auctor, ex quo illa Justinianus jussit exscribi, quicumque tandem sit, respicit proculdubio ad fragmentum illud, quod jam recitavi.

Sui enim heredes nominantur, quia *domestici sunt* heredes & vivo quoque patre quodammodo *domini* existimantur. *Necessarii*, inquam, quia omnino sive velint sive nolint tam ab intestato quam ex testamento e lege duodecim tabularum heredes fiunt. Quamobrem bene Paullus lib. II. ad Sabinum in l. XI. D. de liber. & post. *In suis*, inquit, *heredibus evidentius apparet continuationem Dominii eo rem producere, ut nulla videatur hereditas fuisse; quasi olim hi Domini essent, qui etiam vivo patre quodammodo Domini existimantur. Itaque post mortem patris non hereditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur. Hac ex caussa licet*

A *heredes non sint instituti, domini tamen sunt*. Quibus consentanea sunt, quæ libro singulari de portionibus quæ liberis damnatorum conceduntur, scribit, in l. ult. D. de bonis damnator. *Quia ratio*, inquit, *naturalis, quasi lex quædam tacita liberis parentium hereditatem addiceret velut ad debitam successionem eos vocando, propter quod & in jure civili suorum heredum nomen eis inditum est*. Debetur igitur Successio ab intestato liberis ex lege hac duodecim tabularum, quæ non tam *ex Solonis legibus*, quam *ex ipsis naturalis juris fontibus* est petita. Adposite Paullus Apostolus epistola ad Galatas cap. IV. verſ. VII.
B εἰ δὲ υἱὸς καὶ κληρονόμος. *Si filius, ergo heres*, tamquam necessario quodam argumento, necessaria omnino inlatione: Unde etiam quidam colligunt hereditatem liberis debitam nullo statuto tolli posse. Statuta enim contra jus naturæ non valere: quum naturalia jura mutari non oporteat. Sentiunt tamen interpretes *deminui posse hereditatem*. Hereditas ita diminuta nihil aliud quam *legitima*. *Legitima* vox potius juris quam naturæ. Possunt item liberi a parentibus, meritis de caussis, ab hereditate submoveri. Caussas illas recenset Novell. CXV. cap. III. Ajunt igitur Decemviri (*Filii Filiæque familias*) Adeo etiam in dubio semper
C præsumatur pater liberis suis suam relinquere hereditatem: de qua Præsumtione videndus Alciatus lib. I. Præſ. VIII. *Liberis*, inquam, *& masculis & muliebris sexus* iisque *naturalibus & legitimis*, quemadmodum docent omnes JC. non *illegitimis & injustis* l. I. §. II. D. de bon. damnator. ubi sic loquitur Callistratus JC. *Liberis autem ita demum portio tribuitur, si justis nuptiis nati sunt*. Excluduntur igitur & nati *ex adulterio*, & *incestuoso concubitu*. Legendus omnino Grassus libro sentent. §. legitima, quæst. III. De *Emancipatis* etiam illud monendum, eos jure civili nihil in suc-
D cessione juris habere. Neque enim *Sui heredes* sunt, qui in potestate patris esse desierunt, neque nullo alio jure per legem duodecim tabularum vocantur: sed Prætor æquitate naturali motus dat eis *Bonorum Possessionem, Unde Liberi*. §. IX. Inst. de hered. quæ ab intestato. Ajunt Decemviri (*bonorum paternorum*) quorum quasi sunt Domini post parentum mortem. Facit enim continuatio, ut nulla videatur esse hereditas, quemadmodum loquitur Paullus JC. in l. XI. D. de liber. & posth. (*Sui suæque heredes sunto*) *Tria* traduntur ab JCtis & Justiniano Imperatore tit. Inst. de hered. qual. & diff. pr. *heredum genera*; vel e-
E nim sunt & dicuntur *Necessarii*, vel *Sui & Necessarii*, vel *Extranei*. *Necessarii* heredes sunt Servi heredes instituti, ideoque sic appellantur, nam sive velint, sive nolint omnino post mortem testatorum protinus liberi & necessarii heredes fiunt. De his hac lege non agitur, sed de *Suis & Necessariis*, tales sunt. *Filius*, *Filia*, *Nepos Neptisque ex filio & deinceps ceteri liberi*, qui in potestate morientis modo fuerunt. Qui quidem *Sui heredes* eam ob rem appellantur, quia, ut jam dixi, *Domestici heredes* sunt & vivo quoque patre quodam modo Domini existimantur: unde
F etiam *si quis intestatus moriatur, prima caussa est, in successione liberorum*. *Necessarii* vero ideo dicuntur, quia omnes, sive velint sive nolint, tam ab intestato quam ex testamento, ex lege duodecim tabularum heredes fiunt. Quod ad *tertium heredum genus*, reliqui omnes, qui testatoris juri subjecti non sunt *Extranei heredes* appellantur. *Suorum* autem appellatione *Nepotes* tum lex duodecim tabularum vocat, quum filio mortuo, aut alio pacto e medio sublato, is in potestate esse deprehendatur. Succedit autem cum filiis nepos hu-

jusmodi, quod disertis verbis in duodecim tabulis caveri rescribunt Diocletianus & Maximianus Frontoni in l. III. C. de suis & legit. *Ut intestato defuncti filius*, inquiunt, *ac nepos ex alio qui mortis ejus tempore in rebus humanis non invenitur, manentes in sacris pariter succedant, evidenter lege duodecim tabularum cavetur: quod & honorarii juris observatio sequitur*. Ad hanc duodecim tabularum legem pertinere videtur quod Cajus JC. lib. VI. ad Edictum Provinciale & Ulpianus lib. XV. ad Edictum scripserunt in l. I. & II. D. de hered. petit. licet ea Justinianus lib. V. Digest. non satis apte conjunxerit. Ea verba, quemadmodum ea leguntur in Florentino Codice, sunt hæc. *Hereditas ad nos pertinet aut veteri jure aut novo. Vetere ex lege Duodecim Tabularum, vel ex Testamento, quod jure factum est*. Subscribuntur deinde Ulpiani verba in l. II. quasi apte cohærerent superioribus Caii: *Sive suo nomine, sive per se, sive per alios effecti sumus*. Deinde rursus Caii verba adduntur, quibus exempla duo addit, quibus per alios heredes efficiamur; ceteraque verba quæ principio referebantur sequuntur: *vel ab intestato forte quod sui hæredes* &c. Ego sane arbitror, Ulpianum tres casus testamentariæ successionis ex lege Duodecim Tabularum conscripsisse, sive quis *suo nomine* (hos autem ad jus pertinere censeo) sive *per se*, quum extraneus institutus est, sive *per alios*, servos puta vel filios effectus esset. Non videntur tum verba illa mendo carere, quibus interim non facile quis mederi potest. *Suorum* interim mentionem fieri in duodecim ex Callistrati verbis constat lib. II. quæstion. in l. CCXX. D. de verb. signif. *Liberorum appellatione nepotes & pronepotes, ceterique qui ex his descendunt, continentur. Hos enim omnes suorum appellatione lex Duodecim Tabularum comprehendit*: ubi male quidam legunt *liberorum*. Sequitur lex secunda de Successionibus ab intestato, quæ pertinet ad Postumos succedentes, Parentibus defunctis.

2 SEI QUA MOLIER POST VIREI MORTEM IN DECEM PROXIMEIS MENSEBOS PARIAT QUEI QUAVE EX EA NASCATUR, SOUUS SOUAVE IN VIREI FAMILIA HERES ESTOD. Hoc legis Duodecim Tabularum fragmentum ab ingenio potius & conjectura, quam ex ipsis legis verbis est concinnatum: corroborari autem potest variorum JCtorum & Agellii etiam auctoritate. Audiendus in primis Cajus JC. lib. II. Instit. tit. III. §. III. *Postumorum*, inquit, *duo genera sunt: quia Postumi appellantur ii, qui post patris mortem de uxore nati fuerint, & illi qui post testamentum factum nascuntur. Et ideo nisi is qui testamentum fecit in ipso testamento comprehenderit, Quicumque filius aut filia mihi natus natave fuerit, heres mihi sit, aut certe dicat exheres sit; valere ejus non potest testamentum: quia legitime concepti pro natis habentur* &c. Quibus verbis respicere videtur JCtus ad solennia hæc legis a me recitatæ verba. Clarius autem de legis sententia loquuntur Ulpianus, Julianus, Diocletianus Imperator & Agellius, *facta duodecim tabularum mentione*. Juliani quoque verba exstant in l. VI. D. de suis & legit. hered. *Titius exheredato filio extraneum heredem sub conditione instituit: quæsitum est si post mortem patris pendente conditione filius uxorem duxisset & filium procreasset & decessisset, deinde conditio heredis instituti defecisset, an ad hunc postumum Nepotem legitima hereditas avi pertineret; respondit, qui post mortem avi sui concipitur, is neque legitimam hereditatem ejus tamquam suus heres, neque bonorum possessionem tanquam cognatus accipere potest. Additur ratio: quia lex duodecim tabularum eum vocat ad hereditatem, qui moriente eo, de cujus bonis quæritur, in rerum natura fuerit*. Ad hoc Juliani responsum respicit Ulpianus in l. I. §. VIII. in fin. D. d. t. de suis & legit. Nam dicendum erit suos posse succedere, si modo mortis testatoris tempore vel in rebus humanis vel saltem concepti fuerint; idque & *Juliano & Marcello placet*. Retulit autem responsum illud Juliani in suas Institutiones Justin. Imp. tit. de hered. quæ ab intest. §. VII. Sic Ulpianus mentionem legum duodecim tabularum faciens in l. III. §. IX. D. de suis & legit. hær. *Utique & ex lege duodecim tabularum ad legitimam hereditatem is, qui in utero fuit admittitur, si fuerit editus. Inde & partem facit his, qui pari gradu sunt, ut puta frater unus est & alter: vel patrui filius unus natus & qui in utero est*. Verba denique Diocletiani & Maximiani Impp. Marcellæ cuidam rescribentium sunt hæc in l. IV. C. de suis & legit. *Intestato defuncto Postumum suum heredem, quam sororem licet consanguineam, haberi potiorem ordo successionum lege duodecim tabularum factus nimis evidenter demonstrat*. Restat firmans legis fragmentum a me recitatum Agellius lib. III. cap. XVI. *Factumque*, inquit, *esse negotium propter rationem temporis, quasi marito mortuo postea concepisset: quoniam Decemviri in decimo mense negotii hominem, non in undecimo scripsissent*. Ajunt igitur Decemviri (*Si qua mulier post viri mortem*.) Constat igitur Decemviros loqui de Postumis, qui *post patris mortem* fuerunt nati, non de iis, qui *patre adhuc vivente*, sed *post factum testamentum*. Nam duo esse Postumorum genera, paullo ante audivimus ex Caii lib. II. tit. III. §. III. (*in decem proxumis mensebos pariat*) *Decimus mensis* a veteribus frequentior ad partum esse credebatur de illo Virg. IV. Eccl. v. LXI.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Sic Ovidius de *Anno Romuli mensium decem* lib. I. Fast. v. XXXIII.

Quod satis est utero matris dum prodeat infans
Hoc anno statuit temporis esse satis.

Hinc etiam in Aquiliani formula apud Scævolam lib. VI. Instit. in l. XXIX. in pr. D. de liber. & post. *Si filius meus vivo me morietur: tunc si quis mihi ex eo nepos sive quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proxumeis* (his verbis usos censeo Decemviros) *quibus filius meus moreretur natus nata erit, heredes sunto*. Sic Justinian. Imp. in l. ult. C. de post hæred. *Si filius vel filia intra decem mensium spacium post mortem meam editi fuerint, heredes sunto*: Paullus item lib. IV. sententiar. tit. VIII. §. V. ita scribit: *Septimo mense natus matri prodest ad jus liberorum. Ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, ut aut septimo pleno aut decimo mense maturior videretur*. Quod etiam Alexander Aphrodisiensis, sive quis alius in problematibus memoriæ prodit. De eisdem numeris mentio fit etiam a Cicerone lib. III. de nat. Deor. & ab Macrobio in somnio Scipionis c. VI. ab Aurelio item Augustino apud Gratianum in c. XXVI. c. IV. d. VII. *septimo autem mense* Hippocrates in libro de Septimestri & octimestri partu scribit CLXXXII. *die partum legitimum nasci posse*: quod Ulpianus etiam refert, in d. l. III. §. fin. D. de suis & leg. De eo autem qui *centesimo*

secundo die natus est, Hippocrates scripsit & D. Hadrianus Pontificibus rescripsit, *justo tempore videri natum, nec videri in servitute conceptum, quum mater ipsius ante centesimum octogesimum secundum diem esset manumissa*. Quum autem inquit ex Hippocrate Ulpianus, *qui centesimo octogesimo die natus est*, intelligendum, qui ad initia septimi mensis erit natus. Nam ex sententia Græcorum *singulis mensibus triginta dies tribuendi, & ita centum octoginta duo dies septimum mensem attingunt*. Ait autem Ulpianus, *Partum septem mensium matri prodesse*. Unde & Paullus JC. lib. XIX. Resp. cujus verba leguntur in l. X. D. de stat. ho. *Septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis: & ideo credendum est eum, qui ex justis nuptiis septimo mense natus erit, justum esse*. *Perfectum* inquit JC. Paullus. Nam qui *ante septimum vel octavum* mensem nascuntur, *non sunt vitales*. Cujus rei rationem adfert idem Paullus lib. IV. Sent. tit. IX. §. V. Censorinus libro de die natali: *Septimo*, inquit, *mense partus jam maturus est: eo quod in omnibus numeris septenarius plurimum possit*. Addendi etiam Macrobius lib. I. in Somnium Scipionis cap. VI. & Ambros. epist. XXXIX. ad Herontianum. Plinius item libro VII. cap. V. Caussam ad Astra, Planetas, eorumque naturam refert Schonerus lib. I. de Indiciis: Ait enim *Saturnum*, utpote antiquiorem ceteris, fœtum dirigere primo mense & materiam constringere: *Jovem* secundo, eodemque mense motum & rationem conferre: *Martem* tertio mense sanguinem: *Solem* quarto mense colore suo membra præcipua formare, eoque mense rationalem animam instillari scribit: *Venerem* quinto mense figuram, sexum & venustatem: *Mercurium* sexto mense extendere vocales arterias: *Lunam* septimo mense perficere conceptum propter plenitudinem & perfectionem septem planetarum concurrentem; ideoque partum fieri vitalem. *A Luna Saturnum* octavum mensem dirigere, qui natura sua frigidus, partum quoque infrigidat, & ita parum vitalem facit. Nono mense *Jovem iterum* dominari partui fingit; cujus motu, quo plurimum valet, puer ex tenebris ad lucem profertur. Hæ sunt nugæ Astronomicæ de mensium ad partum enitendum numero. Eas autem obiter indicavi, ne quis vestrum eas ignoraret, eas tamen ut gerras & Buttubata Nævii evitaret. His addam, quod scribit Herodotus lib. VI. cap. LXXI. *Aristonem Lacedæmoniorum regem, quum ei nunciatum esset, ante decem menses exactos, quam uxorem duxisset, eam filium peperisse, jurasse apud Ephoros eum esse suum. Id quum filio Damarato regi postea nocuisset, matrem dixisse, ait, Aristonem stulte fecisse. Neque enim semper mulieres decimo mense partum edere, sed & septimo, quod tum ei evenerat & nono*.

Ajunt igitur Decemviri(*in proximis decem mensibus*) Nam ut inquit Ulpianus in d. l. III. §. II. D. de suis & leg. hered. *Post decem menses mortis natus, non admittitur ad legitimam hereditatem*. Divus tamen Hadrianus, quum femina bonis atque honestis moribus *in undecimo mense* post mariti mortem peperisset, caussa cognita, requisitis veterum Philosophorum & medicorum sententiis, decrevit *in undecimo quoque mense partum edi posse*. Hinc caput illud II. Novellæ XXXVIII. quod inscribitur, *de Muliere quæ peperit undecimo mense*. Hinc Varro in Satyra, quæ *Testamentum* inscribitur: *Si quis undecimo mense* κατ' Ἀριστοτέλην *natus esto heres*. Cujacius tamen hoc totum intelligit de *mense undecimo incepto non perfecto*, vel ut Phavorinus apud Agellium lib. III. cap. XVI. loquitur *adfecto non confecto*; & ita natum *sub finem undecimi* justum non esse; *sub initium* esse. Quæri igitur posset, *An annuus partus non sit admittendus*. Agellius probat ex Homero *partum annuum* reperiri, citatque rei probandæ Homeri versum. Quid igitur *de decimo tertio mense* dicendum? Agellius scribit Plinium lib. VII. Epist. V. ex Massurio referre *L. Papirium Prætorem, secundo herede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, quum mater partum se tredecim mensibus tulisse diceret; quoniam nullum certum tempus pariendi ei videtur*. Legere me memini apud Parisienses arbitrio doctissimorum Advocatorum *admissam fuisse viduam, quæ decimo quarto mense post mariti mortem peperisset*. Eo autem uno hi omnes movebantur, quod vidua apud heredes defuncti mariti vixisset perpetuo, diligenter adservata, nunquam a latere discedens eorum, heredibus nihil præterea ejus honori ac pudicitiæ objicientibus: quin de solenni ac perpetuo ejus luctu ob mariti mortem testantibus. Quod quum ita foret putarunt tanti non habendam *opinionem communis partus reliquorumque communium*, ut matrona honestissima, cui nihil quidquam objiceretur, præter communem morem pariens non audiretur. Sed forte periculum est, ut si id passim admittatur contra easdem naturæ leges communes *tertio etiam mense post matrimonium* partus vitalis obtrudatur. Sed de his satis. (*Qui quæve ex ea nascatur*) Obiter hic notandum, Eum, qui nondum natus est, quinque modis institui posse heredem: *Qui mihi nascetur postumus*; *Qui post testamentum meum*; *Qui me vivo*; *Qui me mortuo*; *Qui me vivo vel mortuo postumus nascetur, heres esto*. Primus, *Qui mihi nascetur Postumus*, ut simplicissimus, ita ab Notariis diligenter est servandus. Intricatior est modus ille, quem tradit Scævola JC. in d. l. XXIX. D. de liber. & post. *Gallus*, inquit, *sic posse institui postumos nepotes induxit. Si filius meus, vivo me morietur, tunc si quis ex eo nepos sive quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proximis quibus filius meus moreretur, natus nata erit heredes sunto*. (*Souus souave in viri familia*) Planum igitur nobis & apertum, quid sibi lex a me recitata velit. Diffinit enim quem Postumi gradum inter heredes habere debeant, & quinam veri postumi judicandi. Ut enim sobolem illam postumam ex nuptiis vere natam, & mariti esse constaret, neve aut proles aliqua notha facile supponi posset, aut in pudicis mulieribus liberum esset sua semper adulteria tegere obtentu matrimonii: ideo Decemviri scripserunt atque diffinierunt, *in decem mensibus hominem gigni*, at qui post decimum mensem a parentis morte nascerentur pro vivis postumis non haberentur, nec inter heredes numerarentur. Ajunt denique Decemviri (*heres esto*) hoc etiam vult Paullus JC. in l. ult. D. de ventre in poss. mit. *Postumus natus quocunque tempore, qui tamen testatoris morte conceptus jam erit, potest agnoscere bonorum possessionem. Nam & Ventrem Prætor ex omnibus Edicti partibus mittit in possessionem bonorum; non missurus scilicet, si ei nato daturus non esset bonorum possessionem*. Videndi & Scævola in l. X. D. unde cognati & Ulpianus in l. XXX. §. VI. D. de adqui. vel omittenda hereditate. Hæc de Lege Duodecim Tabularum; *qua Postumi ad Defunctorum parentum bona vocantur*: sequitur illa, *qua Agnati*.

3 PATRIS-FAMILIAS, QUEI ENDO TESTATO MORITOR, QUOIQUE SOUOS HERES NEC ESCIT, AGNATOS PROXUMOS FAMILIAM PEQUUNIAMQUE HABETO. Certum ordinem in duodecim tabulis ab Decemviris præscriptum fuisse in successioni-

ſionibus ab inteſtato, teſtatur diſertis verbis Diocletianus & Maximianus in l. IV. C. de ſuis & legit. hæred. verba eorum paullo ante indicavi. Quis autem ordo ille fuerit docet manifeſte Ulpianus Inſt. cap. XXVI. §. I. ubi & lex quam recitavi refertur: *Inteſtatorum ingenuorum hæreditates pertinent primum ad ſuos heredes, id eſt liberos qui in poteſtate ſunt, ceteroſque qui in liberorum loco ſunt. Si ſui heredes non ſunt, ad conſanguineos id eſt fratres & ſorores ex eodem patre: Si nec hi ſunt ad reliquos agnatos proximos, id eſt cognatos virilis ſexus per mares deſcendentes ejuſdem familiæ. Id enim cautum eſt lege duodecim tabularum, ac ſi inteſtatus moritur, cui ſuus heres nec exſtabit, adgnatus proximus familiam habeto.* Auctor ad Herennium lib. I. & Cicero lib. I. de Inventione legem hanc his verbis concipiunt: *Sei paterfamilias inteſtato moritur familia pequniaque ejus agnatorum gentiliumque eſto.* Poſteriora legis verba recitat etiam Ulpianus in l. CXCV. D. de verb. ſignif. *Familiæ appellatio qualiter accipiatur, videamus: & quidem varie accepta eſt: nam & in res & in perſonas dividitur: in res ut puta in lege duodecim tabularum. Agnatus proximus familiam habeto.* Reſpiciunt autem ad legem hanc omiſſis ſolennibus verbis Pomponius JC. & Juſtinianus Imp. Pomponius quidem in l. CLXII. D. de verb. ſig. *In vulgari ſubſtitutione quia ei, qui ſupremus morietur, heres ſubſtituitur, recte ſubſtitutus etiam unico intelligitur: exemplo duodecim tabularum, ex quibus proximus adgnatus & ſolus habetur.* Juſtinianus vero lib. III. Inſt. tit. II. de Legit. agnat. ſucceſſ. pr. *Si nemo ſuus heres, vel eorum quos inter ſuos heredes Prætor vel Conſtitutiones vocant exiſtat, qui ſucceſſionem quoquo modo complectatur, tunc ex lege duodecim tabularum ad agnatum proximum pertinet hereditas.* Ajunt igitur Decemviri (*Patris-familias*) verba legis & ſententia ſunt clara & perſpicua ex iis, quæ jam ex variis audivimus: (*quei endo teſtato moritor*) *endo teſtato* nihil aliud quam *inteſtato*, ut *endo tercisum*, *endoitium* aliis locis. (*endo teſtato*) igitur. Agitur enim de Succeſſionibus ab inteſtato (*queique ſouos heres nec eſcit*) Quinam ſui ſint heredes ad ſuperiorem legem didicimus. (*agnatos proxſumos familiam habeto.*) Huc pertinent illa quæ ſcribit Cajus JC. lib. II. tit. VIII. §. IV. *Si defuerint heredes ſui, tunc hereditas defuncti pertinet ad Agnatos.* Exponit deinde qui ſint Agnati: *Agnati enim ſunt per virilem ſexum defuncto propinquitate conjuncti, id eſt conſanguinei fratres, hoc eſt de uno patre nati.* Et paullo poſt: *Non tamen omnibus ſimul agnatis lex hereditatem propinqui inteſtati dat, ſed iis, qui defuncto mortis ſuæ tempore proximiores inveniuntur.* Hæc de Lege Duodecim Tabularum: *qua ſuis heredibus nec exſtantibus, ad hereditatem & bonorum ſucceſſionem vocantur proximi agnati*: ſequitur lex de *Patronorum Succeſſione*.

4 LEBERTO QUEI ENDO TESTATO MORITOR, QUOIQUE SOUOS HERES NEC ESCIT, PATRONOS HERES ESTOD. Agit hæc lex de *ſucceſſione Patronorum in bona libertorum*, ſi inteſtati abſque ſuis heredibus fuerint mortui. Fuiſſe jam inter leges Duodecim Tabularum conſtat cum ex Ulpiano capite Inſtit. XXIX. §. I. & Juſtiniano lib. III. Inſt. tit. VIII. pr. Ulpiani verba ſunt hæc: *Civis Romani liberti hereditatem lex duodecim tabularum patrono defert, ſi inteſtato ſine ſuo herede libertus deceſſerit. Ideoque ſive teſtamento facto decedat, licet ſuus heres ei non ſit, ſeu inteſtato, & ſuus heres ei ſit, quamvis non naturalis ſed uxor puta quæ in manu fuit, vel adoptivus filius, lex patrono nihil præſtat* &c. Juſtinianus autem ſic loqui-

A tur: *Nunc de Libertorum bonis videamus. Olim itaque licebat Liberto patronum ſuum impune teſtamento præterire: nam ita demum lex duodecim tabularum ad hereditatem liberti vocabat patronum, ſi inteſtatus mortuus eſſet libertus herede ſuo nullo relicto.* Idem innuit Cajus lib. VI. ad Edictum Provinciale, cujus verba exſtant in l. I. & III. D. de hered. petit. *Hæreditas*, inquit, *ad nos pertinet aut veteri jure aut novo. Veteri ex lege duodecim tabularum vel ex teſtamento quod jure factum eſt, vel ab inteſtato, forte quod ſui heredes defuncto ſumus, vel agnati, vel quod manumiſimus defunctum, quodve parens noſter manumiſerit.* Tri-
B plex enim ibi deſcribitur *ſucceſſio ab inteſtato ex lege duodecim tabularum*; vel *ſi ſuccedamus ut Sui heredes*, vel *ut Agnati*, vel *ut Patroni*, in bona nimirum Libertorum, vel quibus nos vel noſtri parentes libertatem donarunt. Videntur & ad hanc legem pertinere ea quæ ſcribit Ulpianus lib. XLVI. ad Edictum in l. CXCV. D. de verb. ſig. *Familiæ appellatio qualiter accipiatur videamus & quidem varie accepta eſt. Nam & in res & in perſonas deducitur. In res ut puta in lege duodecim tabularum his verbis: Agnatus proximus familiam habeto. Ad perſonas autem refertur Fa-*
C *miliæ ſignificatio ita, quum de Patrono & Liberto loquitur lex* (Duodecim Tabularum) *ex ea familia, inquit, in eam familiam; & hic de ſingularibus perſonis legem loqui conſtat.* Quæ verba ſolennia an ad hoc Duodecim Tabularum fragmentum, an vero ad aliud ſint referenda, nondum plene mihi liquet. Certum eſt exaudiendam eſſe legem duodecim tabularum, injecta ſimpliciter legis mentione. (*Lex* enim ſemper κατ' ἐξοχὴν de duodecim tabulis eſt intelligenda. Ajunt igitur Decemviri (*Leberto*) Sæpe fit mentio in veterum ſcriptis *Libertorum*, *Libertinorum* & *Ingenuorum*, quorum tamen vocabulorum propriæ notiones non omni-
D bus ſunt obviæ. Non eodem ſemper modo hæc vocabula ſunt accepta. Primis temporibus ita fuerunt diſtincta, ut *Ingenuus* diceretur is, qui *ex duobus Ingenuis* vel *Libertinis* natus eſſet: *Libertinus*, qui ex duobus *Libertis*. *Libertus*, qui aliquando ſervitutem ſerviiſſet & ex illa manumiſſus eſſet. Et ita *Libertus* accipiendus eſt in legibus duodecim tabularum. Poſterioribus temporibus paullo ſequior cœpit eſſe ſignificatio: quemadmodum alias dicendi erit locus. (*Leberto*) igitur, id eſt qui aliquando domino ſuo ſervitutem ſervierat, exque ea, domini ſui liberalitate, manumiſſus eſſet. (*Quei endo teſtato moritor*) Loquitur autem
E lex non *de omnibus libertis* indifferenter, ſed de iis tantum, qui in civitatem Romanam pervenerant, qui jure civitatis Romanæ ſunt donati. Sunt & alii *Libertini*, vel *Liberti* & *Dedititii* & *Latini*. Horum enim legitimæ ſucceſſiones nullæ erant. Nam licet ut liberi vitam ſuam peragebant, attamen ipſo ultimo ſpiritu ſimul animam atque libertatem amittebant, & quaſi ſervorum, bona eorum, jure quodammodo peculii ex lege Norbana Junia Manumiſſores detinebant. Videnda quæ ſcribit Juſtinian. Imp. in Inſtit. tit. de leg. patr. ſucceſſ. §. III. Sed hæc de iis. (*quoique ſouos heres nec eſcit*) Per *ſuum heredem* intelligit lex *Liberti filios*
F *vel liberos, naturales, filium adoptivum, uxorem* &c. quemadmodum paullo ante didicimus ex Ulpiano & Juſtiniano. Legem autem hanc intelligendam eſſe non ſolum de *Liberto*, verum etiam *Liberta*; exaudiendam inquam eſſe de utroque ſexu docet Juſtinianus lib. I. Inſtit. tit. de legit. patron. tutela §. I. *Eo enim ipſo*, inquit, *quod hereditates libertorum, libertarumque, ſi inteſtati deceſſiſſent, juſſerat lex ad patronos liberoſve eorum pertinere &c.* (*Patronos*) *Patronus* in hac lege is,

qui ex servitute servum manumisit. Intelligendus autem non solum *Patronus ipse*, verum etiam *ipsius liberi*. Ait enim Justinianus paullo ante: *Jusserat enim lex ad patronos liberosve eorum pertinere*. Hinc recte Ulpianus lib. XIV. ad Sabinum in l. III. D. de suis & legit. hæred. *Intestato*, inquit, *liberto mortuo, primum suis deferri hereditatem verum est* (ex lege duodecim tabularum) *si hi non fuerint, tunc patrono. Libertum accipere debemus eum, quem quis ex servitute ad civitatem Romanam perduxit, sive sponte, sive necessitate rogatus eum manumittere. Nam & ad hanc legitimam hereditatem admittitur*. Non autem *Patronus* solum sed & *Patrona*. Ulpianus lib. XLVII. ad Edictum: *Liberto sine liberis mortuo imprimis patronus & patrona bonorum possessionem accipere possunt, & quidem simul. Sed & si patrono & patronæ proximi sint aliqui, simul admittuntur*. Succedunt denique *Patronarum liberi*, non solum *legitimi*, sed & *vulgo quæsiti*. Paullus lib. XLIII. ad Edictum; *Patronæ quidem liberi etiam vulgo quæsiti accipient materni liberti bonorum possessionem, Patroni autem non nisi jure quæsiti*. Exstant autem hæc Ulpiani & Paulli JCC. verba in ll. XVII. & seq. D. de bonis libert. (*heres esto*) hæc Duodecim Tabularum verba in hac lege, eam habebant efficaciam, ut *per consequentiam* etiam Patrono deferrent *Liberti sui tutelam*. Docet hoc Ulpianus tit. XI. Instit. §. III. *Legitimi tutores sunt qui ex lege aliqua descendunt. Per eminentiam autem legitimi dicuntur qui ex lege duodecim tabularum introducuntur, seu propalam* (id est disertis verbis) *quales sunt agnati: seu per consequentiam* (id est interpretatione benigna) *quales sunt patroni*. Intelligit enim *per consequentiam hereditatum* l. III. D. de legit. tutorib. per interpretationem dixi, ac si verbis legis introducti essent, Instit. tit. de legit. patr. tutel. ut qui sperarent successionem, iidem bona consequerentur. Inst. d. t. & l. I. & de legit. tut. Bene igitur Q. Mucius Scevola in l. LXXIII. in pr. D. de reg. jur. *Quo tutela redit, eo hereditas pervenit, nisi quum feminæ intercedunt* &c. Ubi verba omnino sunt transponenda: *Eo tutela redit, quo hereditas pervenit*. Est enim tutela *hereditatis consequentia* ex interpretatione legis Duodecim tabularum: ut jam audivimus ex l. III. D. de legit. tut. & §. I. Inst. de leg. patr. tut. Emendationem confirmat Novell. CXVIII. cap. V. Hæc de Successione *in libertorum*, qui ab intestato decesserint, *bona* sufficiant dicta; sequitur lex *de Actione familiæ erciscundæ*.

5 SEI COHEREDES SINGOLI REROM SOUAROM PARTEM HABERE MALONT; FAMILIÆ ERCISCUNDÆ ARBITROM SUMUNTO, EOIQUE IOUS ARBITRIOMQUE REROM PERMITTONTO. Quum rerum communio soleat parere & introducere discordiam atque lites & controversiam etiam inter amicissimos; optima ratione Decemviri legem hanc inter alias scripserunt, qua constituitur *Actio* quam *familiæ erciscundæ* appellare solent Jurisconsulti. De hac autem lege testantur Cajus JC. in l. I. D. famil. ercisc. & Ulpianus in l. ibidem seq. Cajus enim lib. VII. ad Edictum Provinciale sic scribit: *Hæc actio* (familiæ erciscundæ) *proficiscitur ex lege Duodecim Tabularum. Namque Coheredibus volentibus a communione discedere, necessarium videbatur aliquam actionem constitui, qua inter eos res hereditariæ distribuerentur*. Sic Ulp. ibid. lib. XIX. ad Edictum: *Per familiæ erciscundæ actionem dividitur hereditas sive ex testamento sive ab intestato, sive ex lege duodecim tabularum, sive ex aliqua lege deferatur hereditas, vel ex S. C. vel etiam constitutione*.

SEI COHEREDES SINGOLI REROM SOUAM PAR-
A TEM HABERE MALONT, FAMILIÆ ERCISCUNDÆ ARBITROM SUMUNTO, EOIQUE IOUS ARBITRIOMQUE REROM PERMITTUNTO. Ajunt igitur (SEI COHEREDES) qui plures simul alicujus hereditatem sunt adituri (HABERE MALONT SINGOLI SOUAM REROM. PARTEM) ne scilicet ex communione continuæ lites & discordiæ oriantur. Papinianus sapientissimus JC. fratres commendat, qui a lite propter communem hereditatem suborta *per divisionem* (id est *familiæ erciscundæ actionem*) ultro discesserant. Sic enim ait lib. II. Responsorum in l. ult. D. famil. ercisc. *Arbitro quoque accepto fratres*
B *communem hereditatem consensu dividentes, pietatis officio funguntur, quam revocari non oportet, licet arbiter sententiam, jurgio peremto, non dixerit, si non intercedat ætatis auxilium.* (MALONT) Nam antea non nascitur hæc Actio, quam, quum velint a communione discedere & quæ communia sunt, dividere. Quæri igitur solet, *an etiam post triginta annos audietur Socius volens dividere*. Martinus Placentinus & Zasius ajunt audiendum esse; alii negant, arg. l. I. §. I. C. de annali exceptione: Sed priorum, id est ajentium, sententia videtur verior. Nam *nemo invitus in communione & societate detinetur, post quodcumque etiam tempus*. l. ult. C. de communi divid. *Nec societatis in æternum coitio est*
C l. LXX. D. pro socio: deinde *quum pactum id non possit efficere, ergo nec tempus*. (FAMILIÆ ERCISCUNDÆ ARBITROM SUMUNTO) *Familiæ* appellatione in hac lege res omnes hereditariæ sunt exaudiendæ. (*erciscundæ*) *Ercisci* Veteres dicebant pro partiri vel dividere. Hinc Festus: *Erctum citum* (quod significat hereditatem divisam) *fit inter consortes. Erctum* (id est hereditas) a coercendo dictum, unde & *erciscendæ*, & *ercisci*. *Citum* autem (id est divisa) vocatum a ciendo. Est autem idem *ciere* & *ciscere* pro dividere. Unde forte quis non aberret, si dixerit *erciscundæ* compositum ab *er*, vel
D *ereditate*: Sic enim Veteres scribebant sine aspiratione, & a *ciscundæ* id est *dividundæ*. Sic Glossarium Vetus: *Herctus citus*, *διαίρεσις τῶν ὑπαρχόντων*. Sic Servius: *Erctum non citum, patrimonium non divisum; Erctum ciendum, hereditas dividenda.* (ARBITROM SUMUNTO) *Arbiter*, docente Festo, dicitur *Judex, qui totius rei habet arbitrium & facultatem*. Hoc loco *Arbiter*, Judex, ut ita dicam, *compromissarius, id est Civis Romanus ex compromisso ab Litigatoribus a communione rerum hereditariarum discedere volentibus sumtus*; cui prætor disceptandæ arbitrio suo controversiæ potestatem solet tribuere (EIQUE IOUS ARBITRIOM-
E QUE REROM PERMITTUNTO) Cic. lib. I. de Oratore non obscure innuit, *certa solemnia fuisse verba*, quibus Arbiter, partibus divisis, alterum ab alterius parte solet arcere. Summa huc pertinet, ut Arbiter familiæ erciscundæ additus, primum singulas res, si commode fieri possit, singulis adjudicet: si non possit & unius pars præponderet; tum eum alteri in pecuniam certam condemnet. Quod si unus aliquis alterius fructus percepit, remque hereditariam corrupit aut consumsit, tum eum in certam quoque pecuniam alteri condemnet. Videntur ad hanc vel sequentem legem pertinuisse, vel aliam certe constituisse, quæ scribunt Impp. Diocletia-
F nus & Maximianus in l. XXVI. C. de pactis: *Pacto successorum Debitoris ex lege duodecim tabularum æs alienum hereditarium pro portionibus singulis quæsitis ipso jure divisum, in solidum unum obligare creditori non potest; quod & in honorario succedentibus jure locum habet*. Quibus consimilia scribunt iidem Imp. in l. ult. C. de hered. act. *Creditores hereditarios adversus legatarios non habere personalem actionem convenit, quippe quum evidentissime lex duodecim tabularum heredes huic rei faciat obno-*

rios. Sensus est: *Creditorem adversus Debitorem hæreditarium posse agere hypothecaria.* l. III. C. de hæredit. act. at *non contra Legatarios*. Ergo *Legatarios non esse debitores hæreditarios, esse tamen Creditorum loco* l. XL. D. de oblig. Idem etiam innuit Imp. Gordianus in l. VI. C. famil. ercisc. *Ea quæ in nominibus sunt non recipiunt divisionem, quum ipso jure in portiones hæreditarias ex lege Duodecim Tabularum divisa sint.* Hæc de *Actione familiæ erciscundæ*, quæ descendit ex lege duodecim tabularum; sequitur lex de *hæreditariis Obligationibus dividendis*.

6 OBLIGATIONES HEREDITARIÆ INTER COHEREDES PRO PORTIONIBUS HEREDITARIIS DIVIDUNTOR. Hanc etiam legem inter leges duodecim tabularum fuisse scriptam ab Decemviris indicant varia veterum JCtorum. rescripta, responsaque Imperatorum. Audiendi imprimis Impp. Valeriani & Gallieni in l. I. C. si unus ex pluribus heredibus Creditoris vel Debitoris &c. *Manifesti*, inquiunt *& indubitati juris est, defuncto Creditore multis relictis hæredibus actionem quidem personalem inter eos ex lege duodecim tabularum dividi; pignus vero in solidum unicuique teneri*: quibus convenientia rescribunt eodem tit. in l. seq. Impp. Dioclet. & Max. non facta tum legis duodecim tabularum mentione. Sic Paullus JC. in l. XXV. §. XIII. D. famil. ercisc. *Idem juris est in pecunia promissa a testatore, si sub pœna promissa sit: nam licet hæc obligatio dividatur per legem Duodecim Tabularum, tamen quia nihilum prodest ad pœnam evitandam partem suam solvere &c.* Aliorum testimonia prætereo. Confirmant autem hujus legis sententiam Imp. Gordianus in l. I. C. de hæred. act. Antoninus in l. II. C. si certum pet. Dioclet. & Maximian. in l. XXIII. C. famil. ercisc. & alii. Sententia legis est perspicua. Vult enim *ut Obligationes Testatoris divisæ sint inter hæredes pro portionibus hereditariis.* Exemplum rem faciet clariorem: Si Testator votum aliquod fecit, aut centum alicui debet, tum solutio illius voti vel pecuniæ debet fieri *non per unum heredem, sed dividi per heredes*; ita ut omnes heredes conferant ad illius solutionem *pro portionibus hereditariis*. Et sic Creditores demortui debitoris possunt agere *non contra unum heredem*, sed *contra omnes*. Ajunt igitur Decemviri (*Obligationes hereditariæ*) Intelligunt *Obligationes* quæ a Testatore ad heredes veniunt. *Obligatio*, ut diffinit Justin. lib. III. Instit. tit. XIV. pr.) *est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus solvendæ rei secundum nostræ civitatis jura.* Dividuntur Obligationes in *naturales, civiles & mistas*. *Naturales* dicuntur, quæ quum revera contractæ sint, a jure tamen Quiritium non adprobantur, veluti, *si servus Civi Romano pecuniam crediderit: jure quidem naturæ*, quæ parem omnium hominum conditionem esse voluit, obligatio nata est: *sed Prætor* de ea jus non dicit. *Civiles* sunt, quæ vel nunquam revera contractæ sunt, vel quum revera contractæ essent, facto tum aliquo, sed ad juris civilis rationem non adcommodato, dissolutæ sunt. *Mistæ* dicuntur, quæ quum revera & æquissime contractæ sunt, tum etiam a jure civili comprobatæ & confirmatæ, cujusmodi sunt *ex mutuo, commodato, deposito, emto, conducto*, & id genus aliis. De *tertio obligationum* genere lex duodecim tabularum loquitur (*pro portionibus hereditariis dividuntor*) id est pro partibus hereditatis, quas quisque heredum ex hereditate vel bonis defuncti testatoris accipit. Hæc de *Legibus Successionum* ex duodecim tabulis dicta sufficiant: sequuntur fragmenta quæ pertinent ad *Obligationes* tam ex *Contractu*, quam ex *delicto*.

CAP. XIV.

1. SEquuntur jam pulcherrimæ duodecim tabularum aliquot leges, quæ pertinent ad *fidem & materiam Obligationum*; quarum explicationem methodo quadam absolvam. *Obligatio* nihil aliud quam juris vinculum, quo obstringimur ad dandum quid vel faciendum l. III. D. de act. & oblig. & in pr. Inst. eodem titulo: Omnis autem Obligatio descendit vel ex *Conventione* vel ex *Maleficio*. *Conventio* est duorum vel plurium in idem placitum licitum consensus obligationem producens l. I. & VII. D. de pact. Dicitur & *Pactum* in genere sumtum, quemadmodum notant Donellus cap. I. de pact. Cujac. ad. l. I. D. de pact. in fine & lib. II. Observ. XV. Paullus lib. I. Sent. tit. de pact. & conventis. Wesembec. in tit. de Pact. num. II. Connan. lib. V. cap. I. num. IX. Mynsing. denique in §. omnium. Inst. de oblig. num. III. licet Duarenus contrarium velit. *Conventio* autem alia voce etiam nominatur *Contractus*; *Contractus* tum specialior est *Conventione*. *Conventio* generalius quid designat quam *Contractus*. Quum autem *Contractus variæ sunt species*; Alii enim constant & celebrantur *verbis*, alii *re*, alii *consensu*; nullas species inter Duodecim Tabularum fragmenta reperio, quam quæ *Consensu* peraguntur; duas nimirum *Emtionem, Venditionem & Societatem eamque Conjugalem*. Priore igitur loco dicam de *Emtione & Venditione*; de quo *Contractu* tale videtur fuisse in duodecim tabulis fragmentum.

2 RES VENDITÆ TRADITÆQUE EMPTOREI NON, NISI PRECIO VENDITOREI SOLUTO, ADQUEIRONTOR.

Quum Veteres nullam obligationem firmiorem *Emtione & Venditione* existimarent, prætermittere noluerunt Decemviri, quin de eo aliquid etiam statuerent & caverent in duodecim tabulis conscribendis. Testatur non obscure Justinianus lib. II. Instit. de rer. divis. §. XLI. *Venditæ*, inquit, *res & traditæ non aliter emptori adquiruntur, quam si is Venditori precium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, vel ex promissore aut pignore dato. Quod quamquam cavetur*, inquit, *ex lege duodecim tabularum, tamen recte dicitur & jure gentium, id est jure naturali id effici.* Sumta videtur hæc lex, ut & aliæ in duodecim *ex legibus Solonis*, quod colligitur ex Platonis libro de LL. II. & optime ex Theophrasti libro de LL. cujus fragmentum reperitur apud Stobæum cap. XLIV. Notandum autem obiter, quum inquit Justinian. *quam si is venditori precium solverit, vel alio modo ei satis fecerit:* posteriora illa verba non fuisse in lege duodecim tabularum. Ea enim *stricta* fuit & non nisi soluto precio rei venditæ dominium transferri patiebatur: sed interpretatione prudentum angustia illa dilatari cœpit, & adjectum, *vel alio modo satisfactum fuerit*. Legis sententia perspicua est; ideoque ei illustrandæ non diu censeo immorandum. Ad sensum sane legis ejusque benignam interpretationem vel dilatationem referenda sunt verba Ulpiani lib. XXIX. ad Ed. in l. V.

§. XVIII. D. de tributaria actione. *Sed si dedi mercem meam vendendam & exstat. Videamus, ne iniquum sit in tributum me vocari, & si quidem in creditum ei abiit tributio locum habebit: enimvero si non abiit, quia res venditæ non aliter desinunt esse meæ, quamvis vendidero, nisi ære soluto, vel fidejussore dato, vel aliis satisfacto; dicendum erit vindicare me posse.* Sic Pomponius lib. XXXI. ad Q. Mucium in l. XIX. D. de contrah. emptione: *Quod vendidi non aliter fit accipientis, quam si aut precium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum, vel etiam fidem habuerit emtori sine ulla satisfactione.* Vidend. & lex LIII. D. eod. tit. leg. XXXVIII. §. II. D. de liber. caussa. leg. XII. C. de rei vindic. & consulendus Wirnser. JC. lib. I. Pract. Obs. tit. XXXI. cap. III. Juris autem singularis de *Emtione*, seu *de rei venditæ dominio* meminit Varro lib. II. de re rust. cap. II. Vidend. & Quintil. Declamat. CCCXXXVII. Legibus autem *de Emtione Venditione*, videntur Decemviri mox subjecisse leges de *Usucapionibus*, de quibus tum reperio unam his verbis conceptam.

2 OISOS AUCTORITASQUE FONDEI BIENNIS, CETERARUM REROM ANNUOS ESTOD. Hujus legis verba latent aliis immista & proculdubio etiam, deterso situ, imitata apud Ciceronem in Topicis ubi ita scribit *Quoniam usus auctoritasque fundi biennium est, sic etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, & sunt ceterarum rerum, quarum annuus est usus: valeat æquitas, quæ paribus in caussis paria jura desiderat.* Quod Boetius ita interpretatur, *ut plurimarum rerum usucapio annua sit, ut si quis eis anno fuerit usus, eas firma juris auctoritate possideat, veluti res mobiles. Fundi vero usucapio biennii temporis spatio continetur; de ædibus in lege nihil adscriptum est, quamobrem videntur taciturnitate legis Duodecim Tabularum inter ea esse relictas, quarum est usus annuus.* Sic idem Cicero in Orat. pro Cæcinna: *lex usum & auctoritatem jubet esse biennium: at utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur.* Ex quibus apparet Justinianum quoque ad hanc legem respexisse lib. II. Instit. quum tit. de usucap. in pr. ita scriberet: *Jure civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui Dominus non erat, quum crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione aliave justa caussa acceperit, is eam rem si mobilis erat, anno ubique uno; si immobilis biennio in Italico solo usucaperet, ne rerum dominia semper in incerto essent.* Tractat igitur & confirmabat hæc lex modum adquirendi Dominii rerum per usucapionem, de qua multa ab Jurisconsultis traduntur. Est autem *Usucapio* (quæ quia per usum aliquid capit & aufert, dicta est) adeptio Dominii per continuationem possessionis temporis annui in rebus mobilibus, vel biennii in immobilibus, ex mente legis duodecim tabularum: nam hodie, temporibus auctis, alio modo diffinitur. Ajunt igitur Decemviri (USUS) nimirum possessionis, vel ipsa fundi possessio (AUCTORITASQUE) *auctoritas pro usucapione* in hac lege & sequentibus duabus: significat autem jus illud, quod ex possessione, tempore a lege diffinito, adquiritur. Eodem significatu est usus Scævola lib. IV. Resp. in l. ult. D. de aqua & aqua plu. *Scævola respondit, solere eos, qui juri dicundo præsunt tueri ductus aquæ, quibus auctoritatem vetustas daret, tametsi jus non probaretur.* Nam qui apud eum pro *robore*, *firmamento*, *validitate* interpretantur, errant; propius accedunt qui pro *jure Dominii* accipiunt. Elegans locus est Ciceronis de Aruspic. respon. *Multæ sunt domus in hac urbe P. C. atque haud scio an pene cunctæ jure optimo, sed tamen jure privato, jure hæreditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi. Nego esse ullam domum aliam neque privato jure, atque optima lege, publico vero omni præcipuo & divino & humano jure munitam.* Quo loco *possidendi* caussas numerat Cicero, quibus quis Dominus efficitur. Sic Horat. lib. II. Epist. ult. v. CLVIII.

Si proprium est, quod quis libra mercatur, & ære;
Quædam, si credis consultis, mancipat usus:
—— *Qui te poscit ager, tuus est.*

Nam quod Cicero *Mancipium & Nexum*, id Horatius *Libra & Ære mercari* appellat. (FUNDI) *Fundus* integrum aliquid est, agrum cum villa & ædificio significans. Vel fundus est quidquid solo tenetur. Ponitur autem in hac lege generaliter pro *bonis immobilibus*. Videndi Iavolenus lib. IV. Epist. in l. CXV. D. de verb. sig. & Florentinus in l. CCXI. D. eodem titulo.

OISOS AUCTORITASQUE FUNDEI BIENNIS CETERARUM RERUM ANNUOS ESTOD. Ajunt Decemviri (BIENNIS) Abrogata est hæc lex per Justinianum. Nam hodie *res mobiles per triennium, immobiles decennio inter præsentes, vicennio inter absentes* usucapiuntur. Instit. tit. de usu cap. pr. & l. XIII. C. de ser. Paull. l. V. Sent. t. II. §. III. Porro *ceterarum rerum* appellatione intelligit res mobiles. Hæc de *Prima Usucapionis lege*, sequitur *secunda* his verbis.

4 ARVORSUM HOSTEM ÆTERNAD AUCTORITAS ESTOD. Citat hanc legem Cicero lib. I. Offic. quæ Civi tum Romano dabatur, ut usus jus auctoritatis adquireret, quum peregrinus, quem Decemviri *hostem* appellabant, rem alienam possidendo usucapere non posset. Quæ sit sententia legis docet his verbis Balduinus: *Noluerunt*, inquit, *opinor Decemviri alios, quam cives suos possessores tueri & usucapionis jure donare. Æternum itaque tempus desiderarunt priusquam usucapionem peregrinus compleret. Nisi malimus, quod eodem recedit, auctoritatem hic intelligere jus vindicationis, quod æternum contra possessores peregrinos civibus suis esse & ab omni temporis præscriptione liberum Decemviri voluerint.* Ajunt igitur Decemviri (ARVORSUM HOSTEM) Sic scripsimus, nam ita dicit Velius Longus Veteres loquutos. (HOSTEM) de hac voce eleganter Cicero lib. I. Offic. *Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud antiquos nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant Duodecim Tabulæ: aut status dies cum hoste; itemque Adversum hostem æterna auctoritas esto. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum qui cum bella geras, tam molli nomine appellare; quamquam id nomen durius jam effecit vetustas, a peregrino enim recessit, & proprie in eo, qui ferret arma contra, remansit.* Sic Plautus in Curculione: A. I. S. I. v. V. *Si status condictus cum hoste intercedit dies.* Sequitur lex tertia de *Usucapionibus*.

5 REEI FORTEIVÆ ÆTERNAD AUCTORITAS ESTOD. Exstat hæc lex apud Justinianum lib. II. Instit. tit. VI. de usucap. §. II. *Furtivæ quoque res & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore bona fide possessæ fuerint, usucapi possunt. Nam furtivarum rerum lex duodecim tabularum & lex Atinia inbibent usucapionem; vi possessarum lex Julia, Plautia.* Respicit eo etiam Agellius lib. XVII. cap. VII. *Quod subruptum erit ejus rei æterna auctoritas estod.* Sic enim ibi legen-

dum ex libb. M SS. *Subruptum* idem valet quod *subreptum* veteri lingua; quo modo & Plautus interdum loquitur. Sententia autem legis est hæc: *Rei furtivæ* æternam auctoritatem, id est liberam perpetuamque vindicationem esse debere. Quod autem addit de *Lege Atinia* Justinianus, *Atinius* enim aliquot post annis legem hanc duodecim tabularum repetiit, quum ita ad populum ferret: *Furtiva res non usucapiatur, nisi in potestatem ejus cui subrepta est revertatur*. Justinianus legem autem sic explicat: *Quod autem*, inquit, *dictum est, Furtivarum rerum usucapionem per leges prohibitam esse, non eo pertinet ut ne ipse fur usucapere possit* (nam huic nulla ratione usucapio competit, quum mala fide possideat) *sed ne qui alius, quamvis ab fure bona fide emerit, vel ex alia caussa acceperit, usucapiendi jus habeat*. Quod ad *furem*; aliud est, si rem subreptam postea ab Domino emerit & pro tradita habuerit: tunc enim desinit eam pro furtiva possidere, & incipiet pro sua possidere. l. XXXII. in pr. D. de usurp. & usucap. Quod etiam vult Paull. lib. II. ad Neratium verbis, quæ exstant in l. LXXXIV. D. de furtis: *Quamvis res furtiva, nisi ad dominum redierit, usucapi non possit, tamen si eo nomine lis æstimata fuerit vel furi Dominus eam vendiderit, non interpellari jam usucapionis jus dicendum est*. Sequuntur jam ordine tres leges Duodecim Tabularum de *Societate conjugali*, vel de *matrimoniis & nuptiis*: quarum prima hæc esto.

6 PATREBOS CUM PLEBED CONUBIA NEI SUNTO. Invenimus in Veteribus scriptoribus *Populum Romanum* varie, aliis tamen atque aliis temporibus, divisum fuisse. Primum quidem in *Patricios & Plebejos*; inde in *Tribus*; tum in *Curias* distributum; iterum in *Classes & Centurias*; rursum in *Senatores, Equites & Populum*; post in *Optimates & Populares*; in *Nobiles præterea Novos & Ignobiles*: mentio etiam fit *Ingenuorum, Libertorum & Libertinorum*. Omnium divisionum prima & nobilissima fuit illa, qua Populus Romanus distributus fuit in *Patricios & Plebejos*, instituta ab ipso Romulo primo Romanorum rege, de qua plene Dionys. lib. II. inter alia sic inquit: *Illustres genere & virtute celebres opibusque ut tum ferebant tempora abundantes, quibus essent liberi, secrevit ab obscuris egenis & humilibus. Inferioris fortunæ homines Plebejos vocavit. Hi Græcis sunt δημοτικοί. Potiores vero Patres, sive quod ætate anteirent alios, sive quod haberent liberos, sive propter nobilitatem generis, sive propter hæc omnia*. Multæ erant *inter Patricios & Plebejos* differentiæ. Soli certe patricii *Sacra curabant, Magistratus Curules*, ut *Consulatus, Dictaturas, Censuras* & similes gerebant; *secreta etiam habebant a Plebeiis Connubia*, ut hac lege scribitur. De ea Livius lib. IV. sic ait: *Hoc ipsum ne Connubium Patribus cum Plebe esset, nonne Decemviri tulerunt paucis his annis pessimo exemplo publico, cum summa injuria plebis*. Dionys. Halic. scribit lib. X. *Hanc de Connubiis legem in duas postremas tabulas conjectam fuisse*; eam præcipue ob caussam, *Ne Patres cum Plebe reconciliati, communi studio Decemvirorum, qui retinere magistratum perpetuum volebant, obsisterent*. Eadem lex septimo post anno ab *Canulejo Trib. plebis* fuit abrogata, quemadmodum docet Livius lib. IV. ubi simul, quæ cujusque partis argumenta fuerint, exponit, ut suo loco videbimus, tum ex aliis tum ex Livio lib. IV. & Augustino de Civitate Dei lib. III. cap. XVII. Videtur autem Cajus JC. legem hanc *de Connubiis* interpretatus fuisse lib. VI. ad Legem duodecim tabularum: quemadmodum patet ex l. CCXXXVIII. D. de verb. sig. *Plebs est ceteri cives*, inquit, *sine Senatoribus*. Sequitur lex secunda Connubiorum.

7 MOLIER, QUÆ ANNUM APUD VIROM MATRIMONIEI CAUSSA FOUIT, NEI TRINOCTIUM OESORPATUM IERIT, AF VIROD OESOCAPITOR. Ut nonnihil lucis huic legi præmittatur, notandum ex Severino Boetio Topicorum Ciceronis doctissimo interprete, Veteres Romanos tribus modis Uxores habuisse, *Usu, Farre, Coemtione*. *Usu* fieri matrimonium dicebatur, *quum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conveniebat & cum viro ita consuescebat, ut cum justo marito, adeo ut si usus ille intra annum non interrumperetur, pro usucapta jam haberetur*. *Farre* autem *conveniebatur in manum certis verbis & testibus decem præsentibus solennique facto sacrificio: in quo panis quoque farreus* (unde huic modo nomen) *adhibebatur*. *Coemtio*, denique, *certis solennitatibus peragebatur, & sese in coemendo invicem interrogabant*: Vir ita, *An sibi mulier materfamilias esse vellet?* illa respondebat, *velle*. Item *Mulier* interrogabat: *An vir sibi paterfamilias esse vellet?* ille respondebat, *velle*: eoque modo mulier in viri conveniebat manum: & vocabantur hæ nuptiæ *per Coemtionem*, & erat mulier materfamilias viro loco filiæ. Hæc Boetius, quibus consimilia tradit & Servius in lib. IV. Æn. & I. Georg. Videndi etiam Cujacius ad Ulpianum titul. XI. §. XIII. & Observat. lib. VI. cap. XVI. & XX. Petr. Pythœus cap. XVI. not. Mosaic. Lipsius ad lib. IV. Taciti Annalium, Alciatus in l. XLVI. §. I. D. de verb. signif. Tiraquell. de Legibus Connubial. lib. III. & alii. Pertinet autem hæc lex ad primum modum de Uxore, quæ *Usu* habebatur.

MOLIER, QUÆ ANNUM APUD VIRUM MATRIMONIEI CAUSSA FOVIT; NEI TRINOCTIOM OESORPATUM IOAT, AF VIROD OESOCAPITOR. Quemadmodum autem *usu, Farre, & Mancipatione vel Coemtione* Matrimonia contrahebantur, vel fiebant: sic eadem tribus contrariis modis dissolvebantur apud Veteres Romanos *Usurpatione, Diffarreatione, & Remancipatione*. Quæ enim *usu* uxor erat, antequam esset usucapta (qua in re anni spacium requirebatur) si trinoctium ab viro usurpandi caussa abfuisset, lege duodecim tabularum *usurpata* dicebatur, usucapione nimirum interrupta. *Usurpatio* enim Usucapionis interruptionem significat, non vi quidem & proprietate verbi, sed per consequentiam. Si enim id quod possideo, nec dum tamen usucepi, ab aliquo solenniter usurpetur, sive apprehendatur; is, si ejus rei dominus est, possessionem meam sua usurpatione interrumpit. Quia igitur *mulieres* in potestate aut *mariti*, aut *parentum*, aut *tutorum* erant perpetua, idcirco uxor usu non usucapta, ante annum a marito discedens *usurpabatur* hoc est *a parentibus*, vel, si illi non essent, *a tutoribus* solenni quadam ratione adprehendebatur, & mariti potestate liberabatur, si ab eo *trinoctium* abfuisset. Ex hisce satis credo superque constare quid sibi velint hæc Decemvirorum verba; quæ deterso antiquitatis situ exstant apud Agellium lib. III. cap. II. ex Q. Mucio: *Q. Mucium JC. dicere solitum legi non esse usurpatam mulierem, quæ cum Kalendis Januarii apud virum caussa matrimonii esse cœpisset, ante diem quartum Kal. Januar. usurpatum isset; non enim posse impleri Trinoctium, quod abesse a viro usurpandi caussa e Duodecim Tabulis debet: quoniam tertiæ noctis posteriores sex horæ alterius anni essent, qui inciperet ex Kalendis*. Eadem sunt apud Macrob. lib. I. Sat. c. III. Quod igitur scribunt Decemviri, *Mulierem, quæ an-*

num integrum apud virum matrimonii causa fuit, nisi tres integras noctes eam ut usucaptam ab viro haberi, exaudiendum omnino est de primo illo uxorum genere, *quod usu* apud Veteres habebatur. Ajunt (NEI TRINOCTIUM USURPATUM IERIT) *Usurpare* & *usucapere*, quemadmodum jam innui, voces inter se quasi sunt contrariæ, vel contrarie relatæ. Nam ut dixi, *Usurpatio* nihil aliud quam *Usucapionis interruptio*, non proprie sed per consequentiam. Nam *Usurpatio* Latinis scriptoribus aliud significat. Eleganter JC. Paullus lib. LIV. ad Edictum in l. II. D. de usucap. *Usurpatio est Usucapionis interruptio. Oratores autem Usurpationem frequentem usum vocant*. Jubet igitur lex, ut quæ mulier annum unum matrimonii caussa apud virum fuisset, ea mulier, anno exacto, in ejus viri manu esset, id est quasi usucapta, sic uti res mobiles anno usucapiuntur. Quemadmodum autem jure civili rerum usucapiones infringuntur, si Dominus eas usurparit, eodem modo lex mulieri potestatem facit possessionem illam viri interrumpendi, nimirum si ante anni fidem tres ab eo noctes abfuerit. Ajunt *Af, virod*. Veteres enim ut Priscianus memoriæ prodit lib. I. cap. XIII. *Af* dixerunt pro *A* & sic etiam in nonnullis antiquis Inscriptionibus legitur. Sequitur lex tertia *de jure Connubiorum*.

8 SEI VIR AUT MOLIER ALTER ALTEREI NONTIOM MISEIT, DEVORTIOM ESTOD; MOLIER RES SOUAS SIBEI HABETOD, VIR MOLIER EI CLAVIS ADIMITOD EXICITOQUE. In rebus publicis leges latæ *ante scelera*, non raro *scelera ipsa* ignorata, vel mortua & consepulta, solent exsuscitare. Hanc fuisse caussam perhibent, quur Solon de *Parricidiis* nullam tulerit legem, ne admonere videretur de eo, quod antea factum non erat, nec Lycurgus etiam quidquam *de Adulteriis* cavit, quod id facinus incognitum esset adhuc sua ætate Lacedæmone. Mature satis *post scelera*, rogantur leges. Unde illud: *Omnes bonæ leges ex malis moribus nascuntur*. Et optima ratione, meo quidem judicio, fecissent etiam Decemviri, si *de Repudiis* in suis legibus nihil cavissent. Nam non tam permisisse videntur illi Divortia vel Repudia, quam pro viribus suis indixisse & jussisse. Constat namque Romuli instituto tam sanctam fuisse habitam *Matrimoniorum Conjunctionem*, ut ante leges Duodecim Tabularum conscriptas Divortium Romæ nullum fuerit, neque etiam multo post tempore post latas easdem leges. Memoriæ produnt Dionysius, Plutarchus, Valerius, Agellius & alii primum, *Sp. Carvilium Rugam* Romæ cum uxore divortium fecisse, quod sterilis. Incidit autem illud in annum ab V. C. IↃXXIII. M. Pomponio Mathone C. Papirio Masone Coss. id est centesimo vigesimo primo anno post latas duodecim tabulas. Quod igitur ante leges duodecim tabularum Romæ incognitum erat, innotescere quasi cœpit indicatum & monstratum per easdem leges; invitis quasi civibus, quum tam multo post tempore. *De Carvilio* certe hoc sic ait inter alia Valerius lib. II. capit. I. exem. IV. *Tolerabili quidem ratione (sterilitatis* nimirum) *motus videbatur, reprehensione tamen non caruit; quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuisse arbitrabantur*. Cautiores igitur esse debuerunt Decemviri in scribenda hac lege, non inculcare id quod cives ignorabant; quodque deinde docti aversabantur, imo exsecrabantur. Exstat autem sententia hujus legis apud Ciceronem Philipp. lib. II. & Cajum in l. pen. D. ad leg. Juliam de Adulteriis. Ciceronis verba hæc sunt: *Frugi factus est, mimam illam suam suas res sibi habere jussit ex duodecim*

A *tabulis, claves ademit, exegit* &c. Cajus autem lib. XI. ad Edictum Provinc. in l. XLIII. D. ad leg. Jul. de Adulteriis sic ait: *In repudiis & renunciatione comprobata sunt hæc verba: Tua res tibi habeto: item hæc: Tuas res tibi agito*. Ajunt igitur Decemviri (SEI VIR AUT MOLIER ALTER ALTEREI NUNCIOM MISIT.) *Nuncium mittere* solennis erat in hac re phrasis. Cicero in Topicis. *Sei viri culpa factum est divortium, & si mulier nuncium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet*. Hic exemplum est *Mulieris nuncium remittentis*: Nam & ei hoc lex permittit. De *Viris* exempla sunt in *Sp. Carvilio Ruga*, qui primus nun-
B cium uxori misit sterilitatis caussa, & quod jurasset se liberorum quærendorum caussa uxorem habere velle. Alia exempla passim occurrunt. Et quamvis Divortia apud Veteres Romanos ignorabantur vel incognita essent ante leges Duodecim Tabularum, mos tamen obtinuit, quo liberos quis haberet, ut alter alteri suam uxorem concederet. Qui mos hodie certe ridendus. Plutarchus enim in Numa *morem apud Romanos fuisse* scribit, ut *marito, qui satis liberorum haberet, jus esset uxorem suam alteri viro, liberorum ex ea quærendorum caussa concedere, atque in matrimonium*
C *elocare*. Quinetiam Strabo lib. XI. scribit, *Catonem Hortensio uxorem suam Marciam liberorum quærendorum caussa in certum tempus concessisse*: ubi etiam adscribit, *fecisse hoc illum secundum antiquum Romanorum morem*. Et Plutarchus in Catone Uticensi nominatim addit, *contracta Patris Philippi voluntate sponsalia fuisse*. Ajunt Decemviri (DIVORTIOM ESTOD) *Divortium*, inquit Cajus JC. lib. XII. ad Edictum Provinciale leg. II. D. de div. *vel a diversitate mentium dictum est; vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium*. Tertullianus *Discessionem* vocat. Pergunt Decemviri (MOLIER RES SUAS SIBI HA-
D BETOD) In divortiis faciendis certa fuisse ac solennia verba perspicue demonstrat Cicero lib. I. de Orat. *Quum quæreretur de duobus civium capitibus, & de puero, qui ex posteriore natus erat, & de ejus matre, quæ si judicaretur certis quibusdam verbis, non novis mixtis, fieri cum superiore Divortium, in Concubinæ locum ducebatur*.

SEI VIR AUT MOLIER ALTER ALTEREI NONTIOM MISIT, DEVORTIOM ESTOD; MOLIER RES SOUAS SIBI HABETOD, VIR MOLIEREI CLAVIS ADIMITOD EXICITOQUE. Recepta autem hac in re verba fuisse *Res tuas tibi habeto*, *Res tuas*
E *tibi agito*, tradit Cajus JC. in l. II. D. de divort. Sic Quintil. Declam. CCLXXII. *Tunc repudiatam tu credis uxorem, quum res suas sibi habere jussa est, quum egredi*. Apul. lib. V. de Asin. aur. *Confestim toro meo diverte, tibique res tuas habeto*. Adludit eo Plautus Trinum. Act. II. Sc. I. v. XXXI. *Apagesis, ait, Amor, Tuas res tibi habe; Amor mihi amicus ne fuas umquam*. Et in Amphitr. Act. III. Sc. II. v. XLVII. *Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas*. Senec. II. Contr. *Uxorem tutor dimisit, ad partum ingratus vocabat, quod in præmio nullam uxoris fecerat mentionem, Res tuas ti-*
F *bi habe, injicere debuit manum, & ipsam inter res suas trahere*. Ajunt denique Decemviri (VIR MOLIEREI CLAVIS ADIMITOD EXICITOQUE) In Divortiis faciendis præter illa legitima verba, etiam illam, cui nuncius remittebatur, *Ædibus exigi, egredique, ademtis clavibus jussam* varii docent auctores. His forte verbis utebantur hac in re *Foras*, vel *Exi foras*, *Redde claves*. Mart. lib. XI. Epigr. CIV.

Uxor vade foras, vel moribus utere nostris.

Juvenal. Sat. VI. v. CXLV.

Collige Sarcinulas, dicet Libertus & Exi.

Cicero in Philippicis apud Nonium: *Claves ademit foras que exegit.* Titinnius apud eundem Nonium: *At aliquis vestrum nunciat Geminæ, ut res suas procuret, ædibus facessat.* Et hæc de Legibus Duodecim Tabularum, quæ pertinere videbantur *ad Societatem Conjugalem & Matrimoniorum jura.* Dixi autem Obligationem descendere vel ex *Contractu* vel ex *Maleficio.* Hactenus de iis verba feci, quæ ex *Contractu*: postulat ordo, historiam ut ordiar earum, quæ ex *Maleficio* oriuntur. *Maleficium* nihil aliud quam factum natura vel lege illicitum & prohibitum, sive illud fiat *in omittendo*, sive in *faciendo*, unde Obligatio oritur ad pœnam, quæ imponitur, ut sublatis malis ceteri vivant securiores, vel ut is qui punitur emendetur. l. XX. D. de pœnis. *Maleficia* autem in fragmentis legum Duodecim Tabularum reperiuntur vel *Propria* vel *Aliena.* *Propria* quæ & *immediata* sunt, quæ ipsi nos committimus, quorumque ipsi nosmet constituimus & facimus reos. *Aliena* dicuntur, quæ qui nobis nostræque potestati subjecti delinquunt, & ex quibus nos obligamur. *Propria* autem vel sunt *Simplicia* vel *Mista.* *Simplicia*, quæ committuntur *dictis nostris* vel *factis.* *Mista* vero, quæ *dictis & factis* simul. Eorum Maleficiorum, quæ *dictis tantum* committuntur, unam reperio speciem in Legibus Duodecim Tabularum, *Injuriam*, de qua duæ sunt leges.

CAP. XV.

1 *Prima lex de injuriis.*
2 *Secunda.*
3 *Una de cæde.*
4 *Una de incendio.*

1 SEI QUIS INJURIAM ALTEREI FAXIT, XXV. AERIS POENÆ SUNTO. *Injuria* JCtis dicta est, *quod non jure fiat.* Auctor Rhetoricorum ad Herennium lib. IV. ait *injurias* esse, *quæ aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cujuspiam violant*: ideoque Labeo docet, *Injuriam aut re fieri, aut verbis. Re, quoties manus inferuntur; verbis vero, quoties non inferuntur manus, ut cum convicium fit* &c. Salva autem & integra pervenit hæc lex ad nostra tempora beneficio Phavorini apud Agellium lib. XX. cap. I. Sic enim ibi loquitur magnus ille Philosophus: *Quod dixi quædam esse impendio molliora, nonne tibi quoque videtur esse dilatum, quod ita de injuria punienda scriptum est: Si injuriam alteri faxit, XXV. æris pœnæ sunto. Quis enim erit tam inops, quem ab injuria facienda XXV. Asses deterreant? Itaque quum eam legem Q. quoque Labeo vester in libris, quos in duodecim tabulas conscripsit, non probaret, inquit: L. Neratius fuit egregie homo improbus, atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat os liberi hominis manus suæ palma verberare. Eum servus sequebatur, crumenam plenam assium portitans, & quemcumque depalmaverat, numerari statim secundum Duodecim Tabulas XXV. asses jubebat. Propterea inquit, Prætores postea hanc abolescere & relinqui censerunt, injuriisque æstimandis recuperatores se daturos edixerunt.* Ajunt igitur Decemviri (SI QUIS INJURIAM ALTEREI FAXIT) alii legunt *injuria* apud Agellium, parum refert. Intelligenda autem *injuria quæcumque*, etiam *atrox & gravis*, quemad-

A modum apud Agellium & Phavorini & L. Neratii verba indicant. Quia tamen nimis lenis pœna hac lege in injuriantem statuitur, XXV. Asses, arbitrati sunt nonnulli, etiam ex antiquis, Legem de *lenibus injuriis* loqui, non de *insignibus vel atrocibus.* Sex. enim Cæcilius apud eundem Agellium hanc legem defendens ait, *non omnes Injurias hac pœna æstimatas fuisse, sed leniores tantum, & hanc paucitatem assium, grave pondus æris fuisse, quum Populus Romanus ea tempestate librariis assibus fuerit usus.* Ajunt igitur Decemviri (XXV. *æris pœnæ sunto*) Triplex apud Veteres Romanos
B fuisse legitur *Moneta, Ærea, Argentea, Aurea. Æreo nummo* diu usus est populus Romanus, eoque primum *gravi, expenso, rudi & informi*; deinde vero *signato pecudum nota*, unde *pecunia* dicta, auctore Plinio lib. XXXIII. cap. III. sub Servio Tullio sexto Rom. rege. *Argentum* ut ibidem Plinius ait signatum est ann. ab V.C. CCCCLXXXIV. quinto ante primum bellum Punicum; *aureæ monetæ* cœpit esse usus bello Punico secundo. Et hinc est quod in legibus duodecim tabularum *aureæ vel argenteæ monetæ* nulla fiat mentio, quum nullus adhuc ejus esset usus, sed tantum *æris.* In *ærea moneta* infimum locum obtinebat *As unus*; *As-*
C *ses autem duo & semis, Sestertium* faciebant postea in moneta argentea; *ducenti vero & quinquaginta asses sive æris*, in aurea moneta, *aureum* constituebant *Romanum.* Ergo XXV. *æris sive Asses*, quod idem, nihil aliud quam *Decem sestertii sive Nummi*, vel si collatio facienda ad *monetam auream, decima pars erat Aurei Romani.* (POENÆ SUNTO). In aliis libris legitur *Pœna sunto*; in loci sententia nulla est difficultas. Sequitur lex secunda *de Injuriis.*

SEI QUIS CARMEN OCCENTASSIT, QUOD ALTEREI FLAGITIOM FAXSIT, CAPITAL ESTOD. His verbis, quorum paullo post
D rationem reddam, legem hanc, doctissimorum virorum censuras & judicia sequutus, concipiendam arbitror. Exstat autem deterso Antiquitatis situ, vel potius alienioribus & non suis verbis conscripta apud Augustinum lib. II. cap. IX. de Civitate Dei, loquentem inducens Africanum de Libertate Comœdiæ apud Græcos, & sic tandem concludentem: *Nostræ contra Duodecim Tabulæ, quum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt. Si quis occentavisset sive carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri precaretur. Judiciis enim ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vi-*
E *tam non pœnarum ingeniis habere debemus, nec probrum audere, nisi ea lege, ut respondere liceat, & judicio defendere.*

SEI QUIS CARMEN OCCENTASSIT, QUOD ALTEREI FLAGITIOM FAXSIT, CAPITAL ESTOD. Legem hanc in duodecim tabulis præter Ciceronis, cujus jam indicavi verba ex Augustino, probant etiam alii scriptores. Paullus lib. V. t. IV. §. VI. Sentent. *Injuriarum*, inquit, *Actio lege Duodecim Tabularum introducta est, de famosis carminibus, membris ruptis & ossibus fractis.* Sic Arnobius lib. IV. *Carmen malum con-*
F *scribere, quo fama alterius coinquinetur & vita Decemviralibus scitis evadere noluistis impunem. Ac ne vestras aures convicio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis injuriis.* Quin ipse rursum Cicero lib. IV. Tusc. quæst. *Id etiam Duodecim Tabulæ declarant condi jam solitum esse carmen: quod ne liceret fieri ad alterius injuriam leges sanxerunt.* Exaudienda sunt etiam hac de re Horatii verba de Arte Poetica v. CCCXXXI.

Successit vetus his Comœdia, non sine multa
Laude, sed in vitium libertas excidit & vim
Dignam lege regi, lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.

Illa item in Epistola quædam ad Augustinum lib. II. V. LII. *Quin etiam lex Pœnaque malo quæ nolit carmine quemquam Describi: vertere modum formidine fustis Ad bene dicendum, delectandumque redacti.* Ajunt igitur Decemviri (*Sei quis Carmen occentassit*) *Occentassit* non *actitassit* M. Tullium apud Augustinum scripsisse, argumenta duo probant, cum quod Ludovicus Vives insignis librorum de Civitate Dei enarrator & illustrator disertis verbis testetur in MSS. Codicibus hanc vocem se reperisse; tum etiam, quod Festus in libr. de verb. sig. hanc vocem explicet, petitam ab illo proculdubio ex legibus Duodecim Tabularum: *Occentassint antiqui dicebant, quod nunc convicium fecerint dicimus: quod id clare & cum quodam canore fiat, ut procul exaudiri possit: quod turpe habetur; quia non sine caussa fieri putatur.* Ajunt Decemviri (QUOD ALTEREI FLAGITIOM FAXIT.) Exstant in JCtorum libris non paucæ leges, quæ cum hac Duodecim Tabularum lege congruunt, libellos etiam famosos prohibentes, pœnamque in eorum, ut & fabularum scenicarum, quibus nominatim quis taxabatur, scriptores statuentes. In Pandectis lex vel SC. commemoratur ex Ulpiano in l. v. §. ult. D. de Injur. & famos. lib. in hæc verba: *Si quis librum ad infamiam alicujus pertinentem scripsit, composuit, edidit, dolove malo fecit, quo quid eorum fieret, etiamsi alterius nomine ediderit vel sine nomine, uti ea de re agere liceat, etsi condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis ex lege esse jubetur.* Adjicit etiam paullo post Ulpianus eadem pœna ex SC. teneri etiam *eum, qui Epigrammata aliudve quid sine scriptura in notam aliquorum produxerit, item qui emendum vendendumve curaverit.* (FLAGITIOM FAXSIT). *Flagitium* apud Veteres nihil aliud quam Infamia. *Flagitium facere* conviciis alicujus famam & existimationem lædere. De Pœna addunt Decemviri (CAPITAL ESTOD) *Capital* facinus est quod capitis pœna solet lui. *Capitalem hanc pœnam* convertere in *non Capitalem* postea *Lex Cornelia & SC.* quod ex Ulpiano paullo ante indicavi, *ut scilicet auctor famosi carminis esset intestabilis. Intestabilis* autem dicitur is, qui nec testamentum facere potest, nec ad testimonium adhiberi testis. Cajus JC. in l. XXVI. D. qui test. fac. pos. sic interpretatur. *Quum lege quis Intestabilis esse jubetur, eo pertinet, ne ejus recipiatur testimonium, & eo amplius ut putant quidam, ne ipsi dicatur testimonium.* Quod ad *pœnam*, Porphyrio Horatii interpres dicit *fustuarium supplicium* esse constitutum in auctorem Carminum Infamium. *Non Capitalis*, iterum *in Capitalem* commutarunt Valentianus & Valens Impp. qui Edictum fecerunt, *ut qui quocumque loco famosum libellum invenerit, nec statim corruperit, sed alicui patefecerit, capitali supplicio coerceretur.* Hæc de Legibus, quæ ad *Injuriam* pertinebant, dicenda habui: sequuntur eæ, quæ ad *Maleficia factis parari solita. Facta* autem vel *perimunt* vel *lædunt*. Perimunt vel *Hominem*, ut *Cædes*, vel *Rem*, ut *Incedium*, *Furtum*, *Prodigalitas*: de *Cæde* unam reperio, cujus hæc verba fere fuisse arbitror.

2 QUEI CUM TELO HOMINIS OCCEIDENDI CAUSSA FOVERIT DEPREHENSOS KAPITAL ESTOD. Inter alia Veterum Romanorum instituta, non postremo loco habere soleo, quod suis magistratibus summam etiam voluerint esse *curam armorum*, certaque tempora gestandis iis præscripserint. Milites non perpetuo arma habebant; sed quum in hostem procedendum esset, & publice quasi ad arma conclamaretur, arma capiebant, iisque se adcingebant; Cujus rei non obscurum exstat vestigium in *Testamento militari*, quod ingruente hoste, stanteque in procinctu milite fieri erat solitum, ut observant Festus in libr. de verb. sig. Plutarchus in vita Coriolani, Justiniani §. 1. Instit. de Testamento militari. Quin etiam Paullus JC. admonere videtur, *arma militum, anteaquam in pugnam iretur, in exercitu fuisse sub custode.* Sic enim loquitur de eo qui arma abalienaverit, ejusque pœna in l. XIV. finali. D. de re militari: *Tironi in hoc crimine facilius parcetur, armorumque custodi plerumque ea culpa imputatur, si arma militi commiserit non suo tempore.* Optima ratione. Nam quo alio modo facilius subverti, lædi, turbari potest salus populi quiesque publica, *quam armis*: quibus promiscue permissis *latrones* passim prævalerent adversus *viatores*, *inimici* adversus *inimicos*, sine remedio magistratuum. Ea propter Principis est, bonique magistratus *Armorum gestationem vel permittere vel prohibere.* L. Domitius, Prætor Siciliæ, quum ibi latrociniis omnia essent infesta, ad ea exturbanda, quemadmodum scribunt Cicero oratione septima in Verrem & Valerius Maximus lib. VI. cap. III. c. V. edixit, *Ne quis telum haberet; Pastorem etiam qui venabulo postea Aprum eximiæ magnitudinis interfecerat, cruci adfixit: neque ratio publici Imperii Prætorem nimis asperum existimari est passa*, ut disertis verbis ait Valerius. Ut propius ad nostra tempora accedam, *Joannes* XXII. P. M. permisit Inquisitori Hereticæ pravitatis habere secum *ferentes arma, & familiam armatam ad securitatem* ipsius: prohibuit autem, ne aliis permitteret, nisi dum illis egeret. Leguntur hæc in Constitutione secunda, cujus initium est, *Exigit*, in Bullario, quod collegit Laertius Cherubinus. Sic etiam Pius quartus, ut legere est in eodem Bullario constitut. LXV. quæ incipit *quum vices ejus*, prohibuit, *deferre, retinere, vendere sclopeta quæ breviora essent mensura duarum palmarum.* Hæc enim facile occultari possent. Quæ Constitutio deinde extensa fuit per Pium quintum *contra portantes Pugiones, Cultellos, aliudve genus armorum brevioris mensuræ trium palmarum.* Recte igitur Capitalem pœnam statuunt in eos Decemviri, qui *cum Telo*, id est quocumque armorum genere deprehenduntur in publico, *hominis occidendi caussa.*

QUEI CUM TELO HOMINIS OCCIDENDI CAUSSA DEPREHENSOS FOUERIT, KAPITAL ESTOD. Verba vel potius sententia hujus legis exstat apud Ciceronem in Miloniana, ubi sic ratiocinatur: *Quum lex vetat esse cum telo hominis occidendi caussa, eadem facile permittit, esse cum telo sui defendendi caussa. Locus enim est ex contrariis; cujus hoc summum præceptum est, ut contrariorum contraria sit consequentia.* Ajunt Decemviri (QUEI CUM TELO) *Telum* Latini scriptoribus dicitur omne, quod manu jaci potest; quo nomine lapis, lignum, plumbum, ferrum continetur, dictum ab eo, quod *in longinquum mittatur*. Nam apud Græcos τῆλε sive τηλοῦ longe significat. Festus: *Tela proprie dici videntur ea, quæ missilia sunt; ex Græco videlicet translato eo nomine, quia illi τηλόθεν missa dicunt, quæ nos eminus; sicut arma ea quæ ab humeris dependentia retinentur manibus.* Non raro tamen *Tela pro quibuslibet armis* accepimus; etiam iis, quibus cominus aut saltem nostram tuemur, aut alium oppugnamus. Ajunt Decemviri (*hominis occidendi*

di caussa) Quod præsumi solet, si quis telum habeat *non suo tempore*, *non suo loco*, *tempore pacis*, *in civitate quieta*, *sub veste*. Sic enim Tela portantes mali quid moliri animoque versari videntur. Hujusmodi autem Constitutiones leguntur esse quædam inter eas, quas Principes nostri promulgarunt prudentissime. Nam *Armorum tractatio* reddit homines cum *audaciores* tum *crudeliores*, & ad novanda negocia quietemque publicam turbandam promtiores: *ademtio Armorum* contra reddit quietos. Exemplum est in *Lydis Asiæ populis* apud Justinum ex Trogi Pompeii lib. I. c. VII. n. XI. Nam occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellarunt: quibus iterum victis arma & equi ademti; jussique Cauponas, ludicras artes & Lenocinia exercere: & sic gens industria quondam, manu potens & strenua, effeminata mollitie luxuriaque virtutem pristinam perdidit: & quos ante Cyrum invictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit. Absolute etiam Philistini caverunt; ut legere est lib. I Schem. cap. XIII. v. XIX. *ne ullus faber ferrarius esset in Israel, ne forte gladium vel lanceam facerent Hebræi*. Plin. lib. XXXIV. cap. XIV. tradit, *Metalla esse optimo pessimoque vitæ instrumento & ferrum valde utile ad agriculturam & ad alia artificia; sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, homines abuti*, & addit: *In Fœdere, quod expulsis regibus populo Romano dedit Porsena, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agricultura uterentur. Et stilo scribere, vetitum est, ut vetustissimi auctores prodiderunt. Magni Pompeii in tertio Consulatu exstat Edictum in tumultu necis Clodianæ prohibentis ullum telum esse in urbe*. Ait etiam Isidorus lib. VI. cap. IX. Romanos jussisse, *ne ferreum graphium quis haberet*. Siquidem & *graphium* letale vulnus infligit, ut liquet ex cæde Julii Cæsaris apud Suetonium cap. LXXXII. & *Graphiis* confossus describitur ab Aurelio Prudentio περὶ ϛεφάνω. Hymno IX. v. XIII. Cassianus: *Innumeri circum pueri, miserabile visu, parvis membra figebant stilis: Unde pugillares soliti percurrere ceras Scholare murmur advortentes scripserant*. Non prætereundum autem hoc loco Criticos quosdam auctius hoc legis duodecim tabularum fragmentum citare, his verbis: *Ne quis* HOMINEM INDEMNATUM OCCIDERET, HOMINISQUE OCCIDENDI CAUSSA CUM TELO ESSET. Sed male hæc inter se cohærent. Priora enim verba ad *Judicia Capitalia* pertinent, ut homo indemnatus, id est in suis defensionibus non auditus, non occidatur; id est publico supplicio non adficiatur, ut suo loco dicam. Posteriora verba pertinent ad *Delicta privata*, quemadmodum jam audivimus. Hæc sufficiant ad fragmentum illud Legis Duodecim Tabularum, quod ad *Cædem* pertinere mihi visum: sequitur unum, quod ad *Incendii* Delictum spectat.

4 QUEI ALIENAS ÆDIS, FROMENTEIVE ACERVOM IOUXTA ÆDIS POSITOM SCIENS DOLO MALO USIT, VINCTOS VERBERATOSQUE IGNE NECATOR: AST SEI INPROUDENS SE DOLO MALO DAMNUM DUIT, NOXIAM SARCITO, AUT PRÆTORIS ARBITRATU VIRGIS CÆSOS CASTIGATOR. Exstant hæc verba, deterso non nihil Antiquitatis situ, apud Cajum JC. in l. IX. D. de incendio, ruina: etiam Inscriptio declarat descriptam esse ex ejusdem Caii l. IV. ad Leges Duodecim Tabularum. Verba autem hæc sunt: *Qui ædes acervumve frumenti juxta ædes positum combusserit, vinctus verberatusque igni necari jubetur, si modo sciens prudensve id commiserit: si vero casu id est negligentia, aut noxiam sarcire jubetur, aut si minus idoneus sit, lenius castigatur*.

Appellatione autem ædium omnes species ædificiorum continentur. Ajunt Decemviri (QUI ÆDES ALIENAS) Propriis etiam ædibus hac in re non licet abuti. Nam qualecumque incendium si non semper damnum aliis dederit, certe consternare solet vicinorum animos: quod etiam omnino vitandum in rebus publicis bene laudabiliterque constitutis (FRUMENTIVE ACERVUM JUXTA ÆDIS POSITUM) quemadmodum hodie passim ruri videmus (SCIENS DOLO MALO USIT) In Delictis *Animus*, *Consilium*, *Dolus*, *Fraus*, *Scientia* plerumque spectari solent, a quibus Delicta eorumque pœna pendent. l. I. D. de injuriis l. V C. de injur. Unde est, quod *Animantes* delinquere non videantur l. I. D. si quadrupes pauper. fec. dic. *nec dormiens*, vel *furiosus*, vel *impubes doli non capax* l. III. §. I. D. injur. l. XXIV. §. II. *us. vitium* D. de damno infecto. Hinc etiam quoties in Delicto *minor est dolus*, toties & *pœna minor* esse debet l. XXXVIII. §. I. D. de adulter. At *in minoribus* non est tantus dolus, quantus in *majoribus* l. XXII. D. de falsis. Imo in Maleficiis *Impubes* semper pro Doli non capace habetur. Jason in Authen. Sacramenta numero XV. C. si adversus venditionem contra. l. III. D. de reg. jur. (*Usit*) autem ἀρχαϊκῶς ponitur pro *usserit*. (VINCTOS) Pro *Vinctus*, apud Cajum in aliis exemplaribus legitur *Victus*, in aliis *Ictus*. *Victus*, quasi de crimine Incendii convictus: *Ictus* autem idem quod sequens vox *verberatus*. (VERBERATOSQUE). Pertinet hoc ad virgarum supplicium. Nunquam enim quis apud Veteres Romanos supplicio capitali adficiebatur nisi virgis antea laceratus: quod etiam in Christo Servatore notandum. (*Igne necator*) Hæc est pœna Incendiarii malitiosi & affectati, *ut vivus comburatur*. Eleganter Callistratus in l. XXVIII. §. XII. D. de pœnis *Incendiarios capite puniri, qui ob inimicitiam vel prædæ caussa intra oppidum incenderunt, & plerumque vivos exuri; qui vero casam aut villam, aliquanto lenius. At fortuita incendia, si, quum vitari possent, per negligentiam eorum apud quos orta sunt, damno vicinis fuerunt, civiliter exerceri, ut qui jactura adfectus est, damnum recuperet*. *Summum supplicium* vocat hanc pœnam Paullus JC. lib. V. Sententiarum cap. IV. §. VI. *Incendiarii*, inquit, *qui consulto nocendum inferunt, summo supplicio adficiuntur. Quod si per injuriam eorum ignis evaserit, dupli compendio damnum ejusmodi sarciri placuit*.

VINCTOS VERBERATOSQUE IGNE NECATOR: AST SEI INPROUDENS SE DOLO MALO DAMNUM DUIT NOXIAM SARCITO, AUT PRÆTORIS ARBITRATU VIRGIS CÆSOS CASTIGATOR. (IGNE NECATOR) Notat etiam Ulpianus in l. finali D. de incendio, ruina, &c. *Incendiarios humilioris loci bestiis objici solitos, alios capite puniri, vel certe in insulam deportari*. Ejus hæc sunt verba: *Qui data opera in civitate incendium fecerunt, si humiliore loco sint, bestiis obiici solent; si in aliquo gradu id fecerint capite puniuntur, aut certe in insulam deportantur*. Posteriorum etiam Principum constitutiones volunt, *ut Incendiarius manifestus & convictus septem idoneis testibus capite puniatur, seu decolletur: utque Incendiarii Domus & bona incendio multentur*. (*ast sei inproudens*) id est *si casu*, ut loquitur Cajus, vel *negligentia*. Scribit etiam hoc Marcianus JC. lib. XIV. Institutionum, cujus verba exstant in l. II. D. de incendio: *Si fortuito Incendium factum est, venia indiget, nisi tam lata culpa fuit, ut luxuriæ aut dolo sit proxima*. Ob latam enim hanc culpam Incendiarius *fustigari* posset, quæ pœna præscribitur a Paullo JC. in l. III. §. I. D. de offic. præfect. vigil. *Cognoscit Præfectus Vigilum de Incendiariis*,

Effractoribus, Furibus, Receptatoribus, nisi si qua tam atrox tamque famosa persona sit, ut Præfecto urbi remittatur: Et quia plerumque incendia fiunt culpa inhabitantium, aut fustibus castigat eos, qui negligentius ignem habuerunt; aut severa interloquutione comminatus fustium castigationem remittit. (*noxam sarcito*) id est damnum duplum. Paullus lib. V. Sententiarum cap. IV. §. VI. *Quod si per incuriam eorum ignis evaserit dupli compendio damnum ejusmodi sarciri placuit.* Alii sufficere volunt *nudam rei combustæ æstimationem*, ex capite XXII. Exodi v. VI. ubi sic scriptum: *Si egressus ignis invenerit spicas & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit.* Simpliciter enim *damnum* id est *rei æstimatio* reddi jubetur. Sive *simplum* sive *duplum* sit reddendum, certe pœna fortuiti & non voluntarii incendiarii est *civilis*. Callistratus l. XXVIII. §. XII. *Fortuita incendia, si, quum vitari possent, per negligentiam eorum apud quos orta sunt, damno vicinis fuerint, civiliter exercentur, ut qui jacturâ adfectus est, damni disceptet, ut modice vindicaretur.* *Pœna* illa *forensis* etiam appellatur apud Paullum tit. XII. Collationis Legum Mosaicarum. Nam *Forum* proprie *causarum est civilium*, unde etiam Ulpianus in l. I. D. de incendio scribit, *Prætorem proposuisse forenses omnes cum aliis Delictis, tum Incendio.* Potest etiam appellari *Actio Incensarum ædium* ex l. VII. §. XIII. D. de pactis, ubi sic Ulpianus lib. IV. ad Edictum: *Si paciscar ne judicati vel incensarum ædium agatur, hoc pactum valet.* Ajunt porro Decemviri (AUT PRÆTORIS ARBITRATU VIRGIS CÆSOS CASTIGATOR) Bis *ejusdem pœnæ* in hac lege fit mentio, *Virgarum* scilicet. Nam quum inquiunt Decemviri *verberatos*, intelligunt *Pœnam Virgarum* quæ ritu Romanorum veterum capitale supplicium præcedere solet: Quum inquiunt (*virgis cæsos castigator*) intelligunt *Virgarum pœnam*, quam nullum sequitur supplicium capitale: Voluntque his verbis, ut qui *non possunt in ære, luant in corpore*, id est ut pœna pecuniaria imposita alicui, minus idoneo ad solvendum, in corporalem convertatur. Hoc est quod vult Ulpianus in l. I. §. fin. D. de pœnis. *Generaliter placet in legibus publicorum judiciorum vel privatorum criminum, qui extra ordinem cognoscunt præfecti vel præsides, ut eis qui pœnam pecuniariam egentes eludunt, coercitionem extraordinariam inducant.* Sic idem Ulpianus in l. VII. §. III. D. de jurisd. *In servos autem si non defenduntur a Dominis, & eos, qui inopia laborant, corpus torquendum est.* Ad totam denique hanc legem respicere videtur Augustinus l. II. de Civit. Dei c. XX. *Quid alienæ vineæ potius quam quid sua vita noceat potius legibus advertatur. Nullus ducatur ad judices, nisi qui alienæ rei, domui, saluti, vel cuiquam invito fuerit importunus aut noxius.* Hæc ad legem duodecim tabularum de *Incendiariis*: sequitur quæ ad *Furtum* sunt referenda. Quum vero plura numero reperiantur in legibus duodecim tabularum fragmenta de *Furtis*, paucis indicabo, quem in iis observaturus sim ordinem. *Furtum* nihil aliud quam contrectatio rei alienæ mobilis, fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam improprie usus ejus possessionisve, quod admittere legibus est prohibitum l. V. in fine. D. de furtis. §. I. Instit. eodem. Alii ita diffiniunt: *Furtum* esse interversionem possessionis rei mobilis, ex qua oritur obligatio contra furem, potissimum ei, cujus quocumque modo honeste interest ratione rei furto ablatæ, licet Dominus rei furtivæ non sit. *Contrectare* autem nihil aliud est, quam amovere,

A rem auferre, re abuti; l. III. §. XVIII. D. de adquirend. possess. l. XXI. §. VII. D. de furtis. l. LVI. D. eodem. *Contrectatio* vel *vere* fit vel *ficte*, ut in occultatoribus & *receptatoribus* rerum furtivarum l. XIV. C. de receptator. & *in iis*, qui fraudulenter in officio versantur. l. I. §. fin. & l. II. D. de tutelis & rationib. distr. Furtum autem in Legibus duodecim tabularum aliud est *Immediatum*, aliud *Mediatum*; *illud* nullo interposito committitur per ipsum Furem; *hoc Mediatum*, per *Servos*, aliosque, item per *Animalia*, & *Quadrupedes*. De *Immediato* Furto agitur vel in *genere* vel in specie. In *genere* quidem *de Modis furandi*. Ad modos

B hosce, tria invenio fragmenta, quæ spectant. Primum an *Manifestum*; Secundum an *Nec Manifestum*; Tertium an *Conceptum per Lancem Liciumque*. De *Primo* genere sic loquuntur Decemviri.

CAP. XVI.

1 *Primum fragmentum de furto manifesto.*
2 *Secundum de nec manifesto.*
3 *Tertium de concepto.*

1 QUEI NOX FORTOM FAXSIT, SEI IM ALIQUEIS OCCEISIT JOURE CÆSOS

C ESTOD: SEI LOUCEI FORTOM FAXSIT, TELOQUE SE DEFENDERIT, SEI IM ALIQUIS CUM CLAMORE OCCISIT, JOURE CÆSOS ESTOD: SEI LOUCEI FORTOM FAXSIT, NEQUE TELO SE DEFENDERIT, SEI LIBER SIET PRÆTOR IM VERBERARIER JOUBETOD; EEIQUE, QUOI FORTOM FACTOM ESCIT, ADDEICITO: SEI SERVOS SIET, VIRGEIS CÆSOS EX SAXO DEICITOR: SEI IMPOBES SIET, PRÆTORIS ARBITRATU VERBERATOS NOXSIAM SARCEITO. Constat hæc lex variis membris: primum loquitur de *Furto Nocturno*; secundum de *Diurno, teloque adhibito*, tertium de *Diurno, sine telo, & ab libero facto*: quartum *de eo, quod*

D *factum ab servo*; quintum quod ab *impubere*. De primo membro sic loquitur Macrobius, verbis ipsis Decemviralibus, lib. I. Sat. cap. IV. *Decemviri usitatissime in duodecim tabulis Nox pro Noctu dixerunt*: SI NOX FURTUM FAXSIT, SEI IM ALIQUIPS OCCISIT, JOURE CÆSUS ESTO. *In quibus verbis id etiam notandum, quod ab eo quod est Is, non eum casu accusativo, sed im dixerunt.* Hæc Macrobius ad verbum ex Agellii lib. XI. cap. XVIII. in quo ita est: *Decemviri nostri qui post reges exactos leges, quibus populus Romanus uteretur, in duodecim tabulis scripserunt, neque pari severitate in puniendis omnium generum furibus, neque*

E *remissa nimis lenitate sunt usi. Nam furem, qui manifesto furto prehensus esset, tum demum occidi permiserunt, si aut quum faceret furtum, nox esset, aut interdiu se telo, quum prehenderetur, defenderet. Ex ceteris autem manifestis furibus liberos verberari addicique jusserunt ei, cui factum furtum esset, si modo id luci fecissent, neque telo se defendissent; Servos item furti manifeste prehensos verberibus adfici & e saxo præcipitari. Sed pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam sarciri.*

QUEI NOX FORTUM FAXSIT, SEI IM ALIQUIPS OCCISIT, IOURE CÆSOS

F ESTOD: SEI LOUCEI FORTOM FAXSIT, TELOQUE SE DEFENDERIT, SEI IM ALIQUIPS CUM CLAMORE OCCISIT, IOURE CÆSOS ESTOD; SEI LOUCEI FORTOM FAXSIT NEQUE TELO SE DEFENDERIT, SEI LEBER SIET, PRÆTOR IM VERBERARIER IOUBETOD; EEIQUE QUOI FORTOM FACTOM ESIT, ADDEICITO; SEI SERVOS SIET, VIRGIS CÆSOS EX SAXO DEICITOR, SEI IMPOBES SIET,

PRÆTORIS ARBITRATU VERBERATOS NOXSIAM SARCEITO. Ajunt igitur Decemviri (QUEI NOX FORTUM FAXSIT) *Fur*, quemadmodum Varro memoriæ prodit, *ex eo dictus, quod furtum atrum Veteres Romani appellarint, & fures per atras & obscuras noctes facilius furentur*. Hanc etymologiam reprehendit Agellius. Ait enim non *a furvo furem* dici, sed ab Græco φῶρ. Nam *quod a Græcis*, ait, *nunc* κλέπτης *dicitur, antiquiore Græca lingua* φῶρ *est dictum: hinc per affinitatem litterarum, qui* φῶρ *Græce est, Latine Fur*. Alii *Furem* a *feriendo* vel *auferendo* dictum volunt, sicut *& Græci* φῶρ a φέρειν. *Furem* autem Sabinus apud Agellium diffinit *eum, qui alienam rem attrectaverit, quum id se invito Domino facere, judicare deberet. Furtum vero est attrectatio rei alienæ invito Domino*. (*Quei nox fortum faxsit*) *Nox*, quemadmodum jam dixi, ex Macrobio, hoc loco pro *Noctu* positum. Variæ sunt Furtorum species. Inter alias illæ, quod *Furtum aliud sit nocturnum* aliud *diurnum*, quemadmodum etiam videre est apud Cajum JC. in l. IV. §. fin. D. ad legem Aquiliam. Ajunt Decemviri (SEI IM ALIQUIPS OCCISIT, IOURE CÆSOS ESTOD) *Furem nocturnum* occidi posse, si parcere ei sine periculo vitæ non possimus, vel cum telo se defendat, præter fragmentum hoc legum duodecim tabularum nobilissimum, ostendunt etiam aliæ leges. Indistincte autem hoc obtinere *ruri, in agris* docet l. I. C. quando lic. unicuique sine indic. se vind. Sic enim ibi Impp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius Augusti ad Provinciales: *Liberam resistendi cunctis tribuimus facultatem, ut quicumque militum vel privatorum ad agros nocturnus populator intraverit, aut itinera frequentata insidiis adgressionis obsederit, permissa cuicumque licentia digno illico supplicio subjugetur; ac mortem, quam minabatur, excipiat, & id quod intendebat incurrat. Melius enim est occurrere in tempore, quam post exitum vindicare. Vestram igitur vobis permittimus ultionem, & quod serum est punire judicio, subjugamus edicto; ut nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat, ut latroni*. Legibus igitur Duodecim tabularum, ut primum membrum præ se fert, *licuit furem nocturnum quoquo modo occidere, cum in agro, tum in urbe*: hodie ex l. I. C. quando liceat unicuique &c. *in agris tantum* id permissum est, quoquo modo, sive ei parcere non potueris sine vitæ periculo, sive potueris: lex enim non distinguit; qua de re videndus omnino Cujacius ad d. l. I. & lib. XIV. Obs. XV. Pergunt Decemviri (SEI LOUCEI FORTOM FAXSIT, TELOQUE SE DEFENDERIT,) Secundum hoc est hujus legis fragmentum, quod loquitur De *Fure Diurno, seque telo defendente*. Exstat hoc fragmentum vel hujus fragmenti membrum apud Cajum JC. lib. VI. ad Edictum Provinciale; cujus verba leguntur ad tit. Pandect. ad legem Aquiliam l. IV. *Lex*, inquit, *duodecim tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur; interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat, ut tamen æque cum clamore testificetur* (TELOQUE SE DEFENDERIT) De *Interdiario* Fure loquitur etiam l. LIV. §. II. D. de furtis, ubi sic inquit Cajus: *Furem interdiu deprehensum non aliter occidere lex duodecim tabularum permisit, quam si telo se defendat. Teli autem appellatione & ferrum, & fustis, & lapis, & denique omne, quod nocendi caussa habetur, significatur*. *Interdiarius* hic fur ab Græcis appellatur ἡμεροκλέπτης & ἡμερινός; cui opponitur ἡμεροκοιτός id est *dormitator* & νυκτερινός *Fur no-*

A *cturnus*. Non prætereunda hoc loco distinctio ea, quam de Fure occidendo notat Harmenopolus lib. VI. tit. V. *Nulli permitti interdiarium furem interficere extra civitatem, etiamsi miles sit; in urbibus non licere, nisi telum gestet; utrobique oportere eum, qui furem occidat cum clamore testificari: nocturnum impune interfici, si aliter ei sine periculo vitæ parcere non possimus*. (SEI IM ALIQUIPS OCCISIT CUM CLAMORE, JOURE CÆSOS ESTOD.) De *Fure telo se defendente* loquitur etiam Quintilianus lib. V. Inst. *Si quis furem occiderit, injuria occiderit: quamobrem? quia jus nullum constitutum est: quid si se telo defenderit?*
B *non injuria: quid ita? quia constitutum est*. Sic Augustinus ad cap. XI. Exodi: *Hoc & in legibus antiquis secularibus invenitur, impune occidi furem quoquo modo, diurnum, si se cum telo defenderit; jam enim plus quam fur est* (CUM CLAMORE OCCISIT) Videndus omnino Cajus ad l. IV. in fine, D. ad Legem Aquiliam. Non voluerunt igitur Decemviri *furem in manifesto furto prehensum simpliciter occidi*: sed tum demum id concesserunt, *si ei sine periculo ejus, cui furtum fit, parci non possit*. (SEI LOUCEI FORTOM FAXSIT, NEQUE SE TELO DEFENDERIT, SEI LEBER SIET &c. Hoc tertium est hujus fragmenti vel le-
C gis membrum, quod loquitur de *fure Diurno, eoque libero, qui furtum non facit vi armata vel telo adhibito*. Volunt enim, ut Prætoris jussu verberatus ei, cui furtum factum est, addicatur, in servitutem scilicet, donec ejus opera & obsequio damnum resarciatur, quod per furtum factum est passus, pœna satis dura, in qua tamen imponenda habitam fuisse censeo rationem *ipsius Furti*: magnopere enim arbitror retulisse, an furtum *magnum* an vero *parvum* esset. Illud sane certum, pœnam *Furti Diurni* ab Fure libero, & non armato, non fuisse capitalem. Quod ad nostros mores:
D Hodie pœna furti *capitalis est* ex constitutione Frederici Imper. *si quinque solidos furtum excedat*. §. IX. de pace ten. juxta æstimationem communem, non adfectionem singularem l. XXXIII. D. ad Leg. Aq. *Minora furta forcipe vel fustigationibus* castigari hodie solent. §. IX. de pac. tenend. In hisce regionibus quædam urbes Fures *capitali supplicio* adficiunt: quædam, inter quas Lugdunum hoc nostrum, *forcipe* vel *fustigationibus*. Et sane durum est capitali supplicio furem adficere, præcipue si *non sit malitiosus*, si *pauper & adflictioris fortunæ*, si *necessitate adactus* furtum faciat, si *quum magna annonæ sit caritas*. Respu-
E blicas novi, quæ quum panis pretia sunt accensa, furta excusant; modo fiant cum testificatione; id est, si extrema fame laborans, nihilque habens unde sibi comparet, panis coquendi officinam accedat, inde panem auferat, adhibitis testibus, vel præfatus, se fame laborare, famisque extremæ sublevandæ caussa id facere. Nam *necessitatis & inopiæ sublevandæ caussa* furtum factum eatenus excusatur, ut si ad pinguiorem fortunam fur pervenerit, ablata restituat: quemadmodum eleganter notat Clarus sententiarum lib. V. §. fin. quæst. VI. Potest enim is, cui furtum factum est necessitatis
F vel inopiæ caussa, Furtum illud in nomina sua referre, pretiumque poscere ab fure, quum ad pinguiorem fortunam venerit & sit solvendo. Certe quum rerum pretia nimium sunt accensa, in quibusdam rebus publicis omnia solent cum moderatione tamen esse communia.

SEI SERVOS SIET VIRGIS CÆSOS EX SAXO DEICITOR, SEI IMPOBES SIET, PRÆTORIS ARBITRATU VERBERATOS NOXIAM SARCEITO. (SEI SERVOS) Quartum hujus fragmenti membrum agens de *Furto*

Servi. Volunt enim Decemviri, ut Servus, id est is, qui servitutem servit Domino, si furtum fecerit, *virgis cæsus ex saxo Tarpeio dejiciatur*. In furto igitur facto ratio haberi solet apud veteres Romanos *qualitatis personæ*, an *liber* an *servus* esset fur. Gravius puniri voluerunt *Servum* quam *Liberum*. *Liber* enim *virgis* cædi jubetur; *servus* autem non solum *virgis* cædi, verum etiam *præcipitari ex saxo Tarpeio*. In omnibus enim melior erat *Liberorum*, quam *Servorum* conditio. De *Furto* autem *Servi* loquitur Paullus JC. in l. XLII. D. de furtis; item Julianus in l. LVI. §. finali D. d. tit. *Illud etiam notandum*, *Servum* furtum non facere rei peculiaris, quamdiu servus est; si rem subreptam alii non tradiderit. Nihil enim Domino decidit. Nam quamdiu servus est, ipse & quidquid ejus est, in Domini manet potestate, nec conditio rei ablatæ mutatur. Eleganter Julianus in dict. lib. LVI. §. II. & seq. *Si res peculiaris subrepta in potestatem servi redierit, solvitur furti vitium, & incipit hoc casu in peculio esse & a Domino possideri. Quum autem servus rem suam peculiarem furandi consilio amovet, quamdiu eam retinet condicio ejus non mutatur: nihil enim Domino abest: sed si alii tradiderit, furtum faciet*. (SEI IMPOBES) Quintum hujus fragmenti membrum de *Impubere Fure*. Volunt autem Decemviri, ut Si Impubes furtum fecerit verberatus noxam sarciat. Quæ intelligenda omnino de *Impubere doli capace*: quod eleganter notat Ulpianus in l. XXIII. D. de furtis. *Impuberem*, inquit, *furtum facere posse, si jam doli capax sit, Julianus lib.* XXII. *Digestorum scribit. Item posse in Impubere Damni injuria agi, quia id furtum ab Impubere fit: sed modum esse adhibendum ait. Nam in infantem id non cadere. Nos putamus cum Impubere culpæ capace Aquilia agi posse. Item verum est quod Labeo ait, nec ope Impuberis furto facto teneri eum*. De impubere igitur *Doli capace* membrum hoc est audiendum, id est de eo impubere, qui ad illud ætatis pervenit, in quam dolus cadere potest. *Ætatis* enim habetur ratio in delictis l. IV. §. XXVI. D. de Doli except. l. XXVI. §. III. D. de pœnis. l. III. D. de reg. juris. Hæc ad primum Legum Duodecim Tabularum quæ *ad furtum* spectant, fragmentum dicta sufficiant. Sequitur secundum, quod tale.

2 SEI ADORAT FORTOM, QUOD NEC MANIFESTOM ESCIT.) Quemadmodum fragmentum jam explicatum pertinet ad *Furtum Manifestum* sic hoc ad *Nec manifestum*; sequens autem ad *Conceptum per Licium & Lancem*. Tria enim fuerunt Decemvirorum tempore furtorum genera, *Manifestum*, *Nec Manifestum*, *Conceptum*. *Manifestum*, quemadmodum docet Masurius Sabinus apud Agellium lib. XI. cap. XVIII. *quod deprehenditur dum fit. Faciendi finis est, quum perlatum est, quo ferri ceperat. Nec Manifestum furtum est, quod postea quandoque deprehenditur, id est quum fur in faciendo quidem deprehensus non est, sed eum furtum fecisse negari non potest*. Quod porro *conceptum* furtum fuerit apud veteres, ad sequens fragmentum explicabitur. Exstat autem hoc fragmentum apud Festum in voce *Nec*. *Nec Conjunctionem Grammatici fere dicunt disjunctivam, ut nec legit, nec scribit: quum si diligentius inspiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intelligi possit eam positam ab antiquis pro non, ut in duodecim est: Ast ei Custos nec escit. Item si adorat forto quod nec manifestum escit, Et apud Plautum in Asina*. A. I. S. III. v. III. *Nec recte quæ tu in nos dicis*. &c. Ajunt igitur Decemviri (*Sei adorare forto*) *Adorare* idem quod *agere* apud Veteres fuisse, docet Festus, vel ex Festo

A Paullus Diaconus: Ut hic *Adorare furto*, idem sit quod *furtum agere*. (*Quod nec manifestum escit*) *Nec Manifestum* unica quasi voce est efferendum: ea enim Festi verborum videtur esse mens & sententia. Sic vox *Nec opinor* apud Lucretium lib. III.

Imperfecta tibi eleipsa est ingrataque vita;
—— *Et inopinanti mors ad caput adstitit ante.*

lib. V.

B —— *Et inopinantes a tergo respiciebant.*

Quidam pleniorem hanc legem, vel hoc legis fragmentum efferunt hoc modo *Sei adorat forto, quod nec manifestum escit, dupliorem luito*: recte, mallem tamen, *dupli damnator*. Hæc enim fuisse ipsius legis verba censeo. Videtur hoc indicare Cato initio de re rustica: *Majores*, inquit, *nostri voluerunt, itaque in legibus posuerunt, furem Dupli damnandum*. Hoc certum, quum Furtum aliud sit *manifestum*, aliud *nec manifestum*, prioris pœnam esse *quadrupli*, posterioris vero *dupli restitutionem* præter rem furtivam, ut legere est §. C fin. Instit. de Oblig. quæ ex Del. & in Exodo cap. XXII. v. IV. Sed hæc distinctio Furti in *Manifestum* & *Nec manifestum*, item pœna *dupli* vel *quadrupli* hodie non attenditur, ut docent Mynsingerus & Wesembecius, aliique Institutionum Interpretes. Hæc ad secundum fragmentum de *Furto nec manifesto*: succedit explicandum tertium de *Furto Concepto*.

3 FORTA PER LANCEM LICIUMQUE CONCEPTA, UTEI MANIFESTA, VINDICATO. Hanc etiam inter Duodecim Tabularum leges fuisse, non obscure, imo disertis verbis, indicat Agellius D lib. XI. cap. XVIII. Sic enim ibi ille loquitur de Decemviris, id est duodecim tabularum auctoribus & compositoribus: *Ea quoque furta, quæ per lancem liciumque concepta essent, perinde ac si manifesta forent, vindicaverunt*. Loquuntur hæc Decemvirorum verba de pœna *furti per lancem liciumque concepti*. In hujus legis sententia indicanda, nihil plane esset difficultatis, nihil etiam ipsa lex haberet obscuritatis, si *de hoc furti genere* nobis liquido constaret; si, inquam, Agellius quædam nobis de *furto per lancem liciumque concepto* communicasset. Critici in eo ornando valde laborant, suasque indicant opiniones, varias admo-E dum & discrepantes; adeo ut cui adhærendum sit, vix quis statuere posset. Quot enim homines sunt litterati fere, tot sunt hac de re sententiæ. Doctissimorum igitur virorum de hisce tenebris suffragia indicabo, & simul, quod reliquis probabilius magisque amplectendum censeam, docebo: vel potius quæ mea mens sit, aperiam. Alexander ab Alexandro Neapolitanus JC. lib. VI. Genialium dier. cap. X. de hoc legis Duodecim Tabularum fragmento differens, sic inquit: *Dixere furta per lancem & licium, quod fures, qui in alienas penetrabant ædes, plerumque (ut est sagax furum solertia) licium ferrent, quo furta alliga-*F *rent, & lancem pro oculis ne innotescerent*. Absurdum esse puto existimare *Fures Licium portasse*, ut eo furta alligarent. *Licia* proprie tela, quibus in telis textrices implicant stamina. Quis autem credet Furta Licio appensa fuisse a Furibus? Quid si Furta majoris essent ponderis? Et quotacumque potuerunt esse furta, quæ Licio potuerunt alligari? Jam vero quod Fures lancem ferrent pro oculis, ne innotescerent, omnino est absurdum. Facile hoc credam, si apud Veteres privilegium fu-

res habuerint, ut si facies eorum non videretur ab aliis, nemo eos posset adprehendere. Et si facies furis non videretur, corpus sane visum adprehensioni erat obnoxium. Hanc tamen de *Furto per Licium lanceque concepto* opinionem Alexandri sequitur Joannes Oldendorpius JC. magis, quam Criticus, & in eruendis Antiquitatum Veterum thesauris non admodum curiosus: qui quum videret Lancem illam oculis objectam impedimento magis fuisse furibus quam adjumento, addit satis ridicule, Lancem illam *duobus foraminibus fuisse aptatam*, ut matresfamiliarum aut virgines, aliæve ancillæ in domo forte fortuna obviæ, terrerentur, fugerentque potius, quam quod de cognoscendo vel observando fure essent solicitæ, ac interim illi res subriperent. Marius Tatius Alpinus in libro, quem hac de re edidit, eumque sequutus Franciscus Balduin, opinantur, *Furta per lancem liciumque concepta* hæc fuisse, *quæ religionis obtentu impostores quidam tanquam sacrificuli, licio succincti, & lancem ad colligendas stipes circumferentes, committerent, sacrilegiis proxima*; nempe rerum si minus ad ministerium jam consecratarum, collectarum tamen ad sacrificia, & eorum nomine.

FURTA PER LANCEM LICIUMQUE CONCEPTA, UTEI MANIFESTA VINDICATO. Franciscus Hotomannus doctissimis in Institutiones Commentariis, ad lib. IV. hanc *furti per lancem liciumque* concepti explicationem adfert. Ait enim se suspicari, *Furtum per lancem & licium conceptum* id fuisse, quod per simulationem religionis amicti licio Sacerdotes deprehendere sint soliti, quum panem Ætite lapide conditum, & in lance cerimoniæ caussa delatum, eum qui furti suspectus erat, devorare juberent. Qua de re Dioscoridis verba citat, quæ Latine sic sonant: *Furem quoque Ætites deprehendit, si quis in pane conditum offerat. Fur enim mansum devorare non poterit, quinetiam concoctus furem coarguit, quippe concocta cum eo devorare non poterit*. Petrus Pythœus lib. I. Subsecivorum Adversariorum cap. II. suam de Furto per Lancem Liciumque sententiam aliis omnibus præponere non veretur. Eam autem his verbis explicat: *Furtum quod ab viatore aut lictore Licio præcincto, ipso aut alio quolibet comite indicium & fidem in lance præferente, sive hæc privata fuerit sive publica (quod magis credo) ex auctoritate magistratus perquisitum inventumque est, per lancem & licium conceptum videtur*. Certe servos & ministros publicos licio transverso præcingi solitos, quum magistratibus præministrarent, aut quid aliud publica, id est magistratuum auctoritate facerent, idem probare nitur ex Tirone Tullio, cujus verba sunt apud Agellium lib. XII. cap. XIII. Quum autem explicatio docti alioqui viri de furti hoc genere, specie & ratione carere videretur, exemplis eam & auctoritate probat Petronii Arbitri, cujus hæc sunt in Satyrico, cap. LVII. *Dum Eumolpus cum Pargate in secreto loquitur, intra stabulum Præco cum servo publico, aliaque sane non modica frequentia, facemque fumosam magis quam lucidam quassans hæc proclamavit: Puer in balneo paullo ante aberravit, annorum circiter sexdecim, crispus, mollis, formosus, nomine Giton; si quis eum reddere aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille. Nec longe a Præcone Ascyltos stabat, amictus discoloria veste, atque in lance indicium & fidem præferebat. Imperavi Gitoni, ut raptim grabbatum subiret, annecteretque pedes & manus institis, quibus spondam culcita ferebat*. Vera autem legis sententia petenda aliquo modo ex Festi verbis lib. X. de verborum significatione: *Lance*

A *& Licio dicebatur apud antiquos*, *inquit*, *quia qui furtum ibat quærere in domum alienam, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrum familias aut virginum præsentiam*. Quæ verba illud docent, *Furtum per lancem & licium non fieri*, *non committi*; sed *perquiri & concipi*: quo etiam respicit explicatio Petri Pithœi, quam paullo ante recitavi. *Furtum*, inquam, *per lancem & licium* non *designatur*, sed *indagatur*, & ubi locorum lateat vel sepositum sit, quæritur. *Furtum per lancem & licium concipiebatur*, id est perquirebatur ab iis, quibus furtum factum erat, non fiebat a furibus; perquirebatur autem hoc mo-
B do. Qui conquerebatur sibi furtum factum esse, vel rem aliquam sibi a quopiam furto ablatam, & suspicionem habebat in hanc vel illam domum, in has vel illas ædes deportatam, accedebat ad Dominum illarum ædium, & petebat, ut liceret rem sibi sublatam in illis absque Domini indignatione quærere, jurabatque Deos legum custodes, se reperiendi spe ædes ingressum furtum quærere. Et tunc quidem alter ille, apud quem furtum quærebatur, ædes suas ei, qui furtum quærebat, aperire, in obsignatis & non obsignatis locis liberam furti inquirendi potestatem facere cogebatur. Is
C vero qui furtum quærebat, licio se adcingebat, ut expeditior esset ad quærendum, & lancem oculis opponebat, ne a mulieribus aut virginibus in illis ædibus videretur: ab iis enim alienos viros cerni veteres nolebant. Atque tum, si rem furtivam conciperet & comprehenderet, furtum illud *conceptum* & comprehensum pro manifesto vindicari sanxerunt, paremque ac manifesto pœnam ei irrogari voluerunt Decemviri. Quæri autem poterat, quo modo, qui lance oculos tegebat, videre potuerit, quoque pacto furtum concipere. Josephus Scaliger ad locum Festi quem citavi, hac quæstione mota, vocem hanc adscribit, *nescio*. Ego Lan-
D cem arbitror, qua utebantur in furto concipiendo, fuisse *foraminosam*, plenam foraminis: alioquin non video, quis ejus esse potuerit usus. Morem autem hunc quærendi *furta per Lancem & Licium* desumtum esse ab Atheniensibus constat ex lib. XII. Platonis libro de Legibus, qui omnino legendus. Ad Furtum *per Lancem Liciumque conceptum* respicit Justinianus lib. IV. Instit. tit de Obligat. quæ ex del. §. III. *Furtorum autem duo sunt genera: manifestum & nec manifestum. Nam conceptum & oblatum species potius actionis sunt furto cohærentes, quam genera furtorum*. Nam *furtum conceptum* eo loco non est diversum a *Furto per*
E *lancem liciumque concepto*, verbaque illa *per lancem liciumque* adduntur tantum ad indicandum ritum. Quod deinde sit *Furtum Conceptum*, exponit idem Imperator §. seq. Sed furta hæc *per lancem liciumque*, vel hujusmodi Furtorum quæstiones jam evanuerant tempore Agellii, quemadmodum ipse indicat lib. XVI. cap. X. quod etiam indicat Justinianus Imperator in fine §. IV. ubi, quum de Concepto Furto multa dixisset, tandem in fine addit: *Quum enim requisitio rei furtivæ hodie secundum veterem observationem non fiat, merito ex consequentia etiam præfatæ Actiones ab usu com-*
F *muni recesserunt: quum manifestum sit, quod omnes, qui scientes rem furtivam susceperint & celaverint, furti nec manifesti obnoxii sint*. Verba enim illa *secundum veterem observationem* indicant loqui Imperatorem de *Furto per Lancem Liciumque concepto*. Hæc de Furtis, *in genere*, id est de Furtis *Manifesto*, *Nec manifesto*, & *Concepto*; sequuntur ex Duodecim Tabulis fragmenta quædam de variis Furtorum speciebus. Indicavi autem inter Duodecim Tabularum fragmenta inveniri adhuc tres Furtorum species, *Tigni*, *Arborum*

furtim cæsarum, & Frugis ablatæ. De Tigno hoc inveni fragmentum.

CAP. XVII.

1 *Fragmentum de tigno juncto.*
2 *Arboribus furtim cæsis.*
3 *Fruge ablata vel subrepta.*

1 TIGNOM JONCTOM ÆDEBOS VINIÆQUE CONCAPES NEI SOLVITO: QUEI OLUD JUNXSIT DUPLIONE POENAM LUITO. Magnam semper curam habuerunt Veteres Romani *Ædificiorum* non solum *publicorum*, verum etiam *privatorum*. Hinc antiqui illi magistratus, *Ædiles*, *Magistri Viarum* & alii: quorum officium, ut generatim dicam, versabatur antiquitus in *cura Viarum*, *platearum*, *locorum aliorum* tam *publicorum* quam *privatorum*, nec non *ædificiorum cujuscumque generis*, item *parietum*, *tignorum*, *tectorum*, *tabulatorum*, *Mœnianorum*, *Apothecarum*, *Pontium*, *Aquæductuum*, *Canalium*, *Meatuum*, & infinitorum aliorum. Quod ad *Ædificia* & *Domos privatas*, poterant etiam Ædiles & Magistri Viarum compellere Dominum domus dirutæ & inhabitatæ, *ut reædificaret*, vel *vicino proximo venderet*, facta per peritos rei æstimatione; vel si duo convicini illa egeant, *utrisque*: si ipsi nollent emere, *Syndico Civitatis*: quæ omnia confirmavit elegans Constitutio Xisti IV. P.M. Constitutione undecima quæ incipit. *Etsi de cunctarum*, in magno Bullario. Jure civili scripto ratio horum indicatur; *Ne urbes ruinis deformarentur*: quæ ratio volebat, *ut in publico ædificata*, si obessent publico usui, deponerentur, Ulp. in l. II. §. XVII. D. ne quid in loco publico. *Item incœpta* ædificia perficerentur l. XX. §. VI. D. de novi operis nunciatione. *Item ne adhærentia* ædibus jam consummatis & ad fastigium eductis tollerentur, legarentur vel donarentur leg. XLI. l. CXIV. §. IX. D. de Legat. I. Exstat autem hæc lex Duodecim Tabularum cum apud Festum, tum apud Ulpianum JC. Festi verba libro penultimo de verb. signif. sunt hæc: *Tignum non solum in ædificiis, quo utuntur, appellatur, sed etiam in vineis, ut est in duodecim: Tignum* &c. Ulpian. autem lib. XXXVII. ad Edictum, cujus verba exstant in l. I. D. de Tigno juncto, sic inquit: *Lex Duodecim Tabularum neque solvere permittit tignum furtivum ædibus, vel vineis junctum, neque vindicare: ne vel ædificia sub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur; sed in eum, qui convictus est junxisse, in duplum dat actionem.*

TIGNOM JONCTOM ÆDEBOS VINEÆQUE CONCAPES NEI SOLVITO: QUEI OLUD JONXSIT, DUPLIONE POENAM LUITO. Hanc autem legem in duodecim tabulis fuisse alii etiam JCti testantur obliquis verbis, Paullus in l. XXIII. §. VI. D. de rei vindicat. *Tignum alienum ædibus junctum nec vindicari potest propter legem Duodecim Tabularum, nec eo nomine ad exhibendum agi, nisi adversus eum, qui sciens alienum junxit ædibus: sed est actio antiqua de Tigno juncto, quæ in duplum ex lege duodecim tabularum descendit.* Idem Paullus in l. VI. D. ad exhibendum: *Gemma* inquit *inclusa auro alieno, vel sigillum Candelabro, vindicari non potest; sed ut excludatur ad exhibendum potest agi. Aliter atque in Tigno juncto ædibus, de quo nec ad exhibendum agi potest, quia lex duodecim tabularum solvi vetaret: sed actione de Tigno juncto ex eadem lege in duplum agitur.* Idem Paullus in l. LXIII. D. de Donat. inter vir. & uxor. *De eo quod uxoris in ædificium viri ita conjunctum est ut detractum alicujus usus posse possit, dicendum est agi posse; quia nulla actio est ex lege duodecim tabularum: quamvis Decemviros non sit credibile de his sensisse, quorum voluntate res eorum in alienum ædificium conjunctæ essent. Sed in hoc solum agi potest, ut vindicatio soluta re competat mulieri, non in duplum ex lege duodecim tabularum, neque enim furtivum est, quod sciente Domino inclusum est.* Sed Cajus JC. in l. VII. §. X. D. de adquirend. rerum Dominio. *Nec tamen ideo is, qui materiæ Dominus fuit, desiit esse Dominus: sed tantisper neque vindicare potest eam, neque ad exhibendum de ea agere propter legem duodecim tabularum, qua cavetur: Ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstet.* Sic denique Justinianus Imp. §. XXIX. Inst. de rer. divis. *Nec tamen ideo is, qui materiæ Dominus fuerat &c.* Sunt enim verba Caii JC. paullo ante a me recitata. Ajunt igitur Decemviri (TIGNUM) *Tignum*, inquit Festus in hac duodecim tabularum lege, *non solum in ædificiis, quo utuntur, appellatur, sed etiam in Vineis. Tigni* autem *appellatione*, ait Ulpianus in l. I. §. I. D. de tigno juncto, *continetur omnis materia ex qua ædificium constet vineæque necessaria. Unde quidam ajunt Tegulam quoque & lapidem & testam, cæteraque, si qua ædificiis sunt utilia; Tigna enim a legendo dicta sunt, hoc amplius & calcem & arenam Tignorum appellatione contineri. Sed & in Vineis Tigni appellatione omnia vineis necessaria continentur, utputa perticæ, pedamenta.* Idem Ulpianus in l. VII. D. ad exhib. *Tigni appellatione omnem materiam in lege Duodecim Tabularum accipimus, ut quibusdam recte videtur.* Cajus in d. l. VII. §. X. D. de adquirend. rer. dominio. *Appellatione Tigni omnes materiæ significantur, ex quibus ædificia fiunt.* Cajus in l. LXII. D. de verb. sig. *Tigni appellatione in lege Duodecim Tabularum omne genus materiæ, ex qua ædificia constant, significatur.* Tignum igitur *alienum* scilicet vel *furtivum*, furto alicui subreptum, ædibusque suis junctum. (VINIÆQUE CONCAPES). Varie admodum se torquent in vera hujus loci apud Festum scriptura eruenda: Festi quidem verba sic se habent: *Tignum junctum ædibus vineæve & concapu ne solvito.* Alii legunt *Viniæ capulo*: alii *Viniæ concaper*: alii *Viniæ cum capite.* quidam *Viniæve concaptum*: Turnebus legit *viniæque capula*, vel *Viniæve ne solvito.* Josephus Scaliger legendum & emendandum putat, *Vineæque concapes*; hoc sensu, ut si tignum alienum junctum fuisset tuis ædibus; vel concapes fuisset tuæ viniæ. Significare autem ait *Tignum concapes*, quod depactum ac defixum sit terræ ad vineam sustinendam, & caput suum habeat cum capite vineæ commissum. *Caput autem viniæ* est radix ipsa. *Concapes* dicitur, ut *Primicapes*, *præcapes*, *deincapes*, *aucapes*, *formicapes*, *terticapes*, *quarticapes*, *quinticapes* & similia. (QUEI ILLUD IONXSIT, DUPLIONE POENAM LUITO) Sententia legis hæc est. Ne quis alicujus Tignum id est Ligna, Cementa, & alia suis ædibus jungeret, invito eo Domino, cujus id tignum esset. Quod si junxisset invito Domino, ne propterea ædes dirueret, sed Domino Tigni duplum ejus præstaret. Ratio legis est quod Decemviri noluerunt sub hoc prætextu ædes dirui, vel Vinearum cultum turbari, testibus Ulpiano & Justiniano. (DUPLIONE POENAM LUITO) De *Duplionis pœna* audivimus jam paullo ante variorum JCtorum verba. Hæc de prima Furti specie ex Legibus Duodecim Tabularum: sequitur secunda Arborum furtim cæsarum.

2 SEI QUIS ALIENAS ARBOSES INJU-

RIA SECUERIT XXV. ÆRIS ENDO SINGOLAS POENÆ SUNTO. Exstat hæc lex apud Plinium lib. XVII. cap. I. quum inquit; *Fuit Arborum cura legibus priscis, cautumque duodecim tabulis, ut qui injuria cecidisset alienas, lueret in singulas æris* XXV. Sic Paullus JC. in l. I. D. arborum furtim cæsarum: *Si furtim arbores cæsæ sunt & ex lege Aquilia & ex duodecim tabularum dandam esse actionem Labeo ait: sed Trebatius ita utramque dandam, ut judex in posteriore deducat id, quod ex prima consequutus sit & reliquo condemnet*. Constat autem ex l. II. D. eodem titulo Cajum JC. legem hanc explicasse libro primo ad leges Duodecim Tabularum. Sic enim Inscriptio præ se fert dictæ legis. Ajunt igitur Decemviri (SEI QUIS ALIENAS ARBOSES) *Arborum* nomine & *Vites*, item *hederæ*, *harundines*, *salicta* & *stirpes* continentur. Quod ad *Vitem*, sic inquit de ea Ulp. in l. III. D. Arb. furt. cæsarum; *Vitem Arboris appellatione contineri plerique Veterum existimarunt*. Hinc Plinius lib. XIV. cap. I. scribit, *Vites jure apud priscos magnitudine inter Arbores numerari solitas*. Sic Cajus JC. in l. II. D. d. t. *Sciendum est autem eos, qui Arbores & maxime Vites ceciderunt, etiam tamquam latrones puniri*. Intelligendæ autem Vites maxime *novellæ*, de quibus Virg. Ec. III. v. XI.

Atque mala Vites incidere falce novellas.

Quod ad *Ederas* & *Harundines*, de iis sic loquitur idem Ulpianus in l. III. §. I. *Ederæ quoque & harundines arbores non male dicentur*. Videndus & Harmenopolus lib. VI. tit. VII. De *Salictis* idem Ulpianus: *Sed si quis saligneas virgas, instituendi salicti caussa deflexerit, hæque, antequam radices egerint, succinantur aut evellantur, recte Pomponius agi de arboribus succisis, quod nulla arbor proprie dicatur, quæ radicem non conceperit*. Ajunt igitur Decemviri (SI QUIS ALIENAS ARBORES) Exaudiendæ sunt hic Arbores proprie *frugiferæ*, quemadmodum notat Paullus lib. V. Sent. tit. X. An & *Infrugiferæ* hic sunt intelligendæ? sic videtur innuere idem Paullus lib. II. Sent. tit. XXXI. §. XXI. ibi *quælibet arbores*. nullam enim facit distinctionem. Et certe *Infrugiferas* etiam arbores intelligendas esse, satis inde constat: quod Arborum appellatione in hac duodecim tabularum lege etiam contineantur *Salix* & *Hedera*, quæ *Infrugiferæ*. l. III. §. I. & II. D. arb. furt. cæsar. (SECUERIT). Multa hac voce continentur: *Cædere*, *Cingere*, *Discingere*, *Ferire*, *Vulnerare*, & similia. Quod ad vocem *Secandi*, qua utuntur Decemviri, notandum illud fieri *serra adhibita*. Aliud est *secare*, aliud *cædere*; *ictibus* cædimus, *serris* secamus. *Cædere* porro non est secare, sed crebris ictibus securi vel ascia succidere, sed & ferire & vulnerare in totum vel partem. *Cingere*, quo verbo utitur JC. in l. XXIX. D. locati, est in orbem decorticare, quod Arbores necat, ut notat Plinius lib. XVII. cap. XIV. *Qui Arborem evulserit vel eradicaverit*, non hac actione, sed Aquilia tenetur. Ajunt igitur (SEI QUIS ARBOSES SECUERIT) Addunt alii *Furtim*. Hinc nobilissimus ille Pandectarum titulus *Arborum furtim cæsarum*. Hotomannus in Commentariis ad leges duodecim tabularum, differentiam esse notat inter *furtim* & *furti caussa* cædere; in *illo* damnum, injuria, in *hoc* furtum esse. Pergunt Decemviri (XXV. ÆRIS ENDO SINGOLAS POENÆ SUNTO) Pœna igitur *Arborum furtim cæsarum* ex lege duodecim tabu-

A larum est, ut qui secuerit, solvat pro singulis *viginti quinque asses*, sive *æris*, id est *decem sestertios* seu *nummos*; tertiam partem aurei Rhenensis, quartam vero Coronati Francici Solaris, decem stuferos, apud nos. Postea valde variatum fuit *in pœnis* arborum furtim cæsarum. *Pœnam Dupli* constituit Edictum Prætorium, quemadmodum Ulpianus in l. VIII. in fine. D. arbor. furtim cæs. *Condemnatio autem ejus*, inquit, *duplum continet*. Alia item pœna est ex *Lege Aquilia* & *Interdicto quod vi aut clam* l. XXVIII. §. VI. D. de jure jurando. Aliæ pœnæ sunt *Extraordinariæ*, de quibus videndus Paullus JC. lib. V. Sent. titul. VI.
B *Capitalem* etiam pœnam notat Cajus JC. in leg. II. D. d. t. *Sciendum autem eos, qui arbores & maxime vites ceciderint, etiam tamquam latrones puniri*: Hinc sequitur, quum *Latroni vita* adimatur, ut vult Novella CXXXIV. cap. XIII. pœnam hanc *capitalem* esse; *capitale* inquam esse *vites cædere*. Huc potest referri quod scribit Harmenopolus lib. VI. titul. VII. *ei qui absque juris auctoritate, litis caussa vitem aut aliam quamvis arborem inciderit, manum amputari*. & quod Paullus lib. V. sent. tit. XVII. §. 2. refert, de *Damnatione ad opus publicum* & *relegatione*. Sed in his omnibus consideC randæ sunt *caussarum circumstantiæ*. Nam si quis *animo furandi* ceciderit, etiam furti tenebatur: si *lignorum caussa*, condictione furtiva & ad exhibendum; si *per vim*, vi bonorum raptorum: si *ut colonus*, ex locato. Videndus Oldendorpius Act. VII. Class. in fine. Hæc de Furti genere, *Arborum cæsarum*: sequitur *Frugis ablatæ* vel *subreptæ*.

3 SEI QUIS FRUGEM ARATRO QUÆSITAM FORTIM PAVERIT, SECUERITVE, SEI POBES ESCIT, SACRATOS CEREREI NECATOR; SIN IMPOBES ESCIT, PRÆTORIS ARBITRATU VER-
D BERATOS NOXÆ DUPLIONEM LUITO. Exscripta hæc est lex ex Plinii libro XVIII. cap. III. *Frugem*, inquit, *aratro quæsitam furtim nocte pavisse ac secuisse. Puberi duodecim tabulis capitale erat; suspensumque Cereri necari jubebant, gravius quam in homicidio convictum. Impuberem Prætoris arbitratu verberari, noxamve duplionemve decerni*. Verba Plinii primum, anteaquam ad Legis explicationem veniam, non nihil purgabo & emendabo. In primis quod ait Plinius (*quæsitam furtim nocte*) alteram vocem puto abundare, non fuisse in duodecim tabulis, & vix etiam Plinii esse; sed ab aliquo margini adscriptam in
E textum irrepsisse. Sic igitur legendum censeo *quæsitam furtim pavisse* &c. altera voce exturbata. Nam eadem sunt *furtim* & *noctu*. Quod Paullus in l. I. D. arbor. furtim cæs. dicit *Si furtim arbores cæsæ sunt*; idem Paullus lib. V. Sent. t. XX. dicit *noctu*. Nam duo illa ejusdem sunt notionis. Ait Plinius, *suspensumque Cereri necari jubebant*. Justus Lipsius lib. IV. Epistol. quæst. epist. XXVII. legendum arbitratur, *Sacratus Cereri verberator*: quia in antiquis legum formulis solennis sanctio fuit, *sacer Cereri esto*: *Et sacer Jovi esto*. Sequitur denique *noxamve duplionemve decerni*, legen-
F dum omnino *noxæve duplionem*, quemadmodum in sequentibus videbimus. Sancit autem hæc lex pœnam in eos, qui alienas fruges furtim depavissent aut demessuissent. Videtur vero desumta esse ex legibus Draconis Atheniensis legislatoris. Is enim, ut memoriæ prodit Plutarchus, non minorem adversus furem uvarum & olei, quam adversus homicidas vel sacrilegos pœnam sanxit. Ajunt igitur Decemviri SEI QUIS FRUGEM ARATRO QUÆSITAM: Intelligunt igitur *omne genus fru-*

menti. Certe quod *aratro*, hoc opera & labore magno adquiritur; ideoque pœna merito dignus, qui laboris istius fructus furtim aufert. (PAVERIT) Duplici modo furtum hic committitur, vel si quis immissis animalibus frumenta depaverit, vel si quis immissa falce secuerit. (PAVERIT) Respicit huc meo judicio Ulpianus libro IV. ab Sabinum, cujus verba exstant in l. XIV. §. III. in fin. D. de præscr. verbis: *Si glans*, inquit, *ex arbore sua in meum fundum cadat, eamque ego immisso pecore depascam: Aristo scribit non sibi occurrere legitimam actionem, qua experiri possim. Nam neque ex Lege Duodecim Tabularum depasti pecoris, quia non in tuo pascitur; neque de pauperie, neque de damni injuria agi posse. In factum itaque erit agendum.* Hæc igitur fortassis Pliniana est, quæ ab Ulpiano de *pastu pecoris* dicitur: quamvis hic *glandis*, ille *frugis* fecerit mentionem. (SEI POBES ESCIT.) Non eadem pœna statuitur in *adultos* & *impuberes*; sed discrimen inter eos ponitur. Gravius puniuntur in omnibus delictis ii, qui *provectioris* sunt *ætatis*; mitius qui *minoris*. Ætatis enim maxima solet haberi ratio. (SACRATOS CERERI NECATOR) *Frugis* enim fur Cereri videbatur peccasse, ideoque Cereri dandæ erant pœnæ. *Ceres* enim Dea frumenti; adeo ut frumenti victusque magna inopia hanc Deam primum in urbem pertraxerit, ibique Templum concesserit, anno ab urbe Condita CCLVII. Coss. A. Postumio & T. Virginio, quemadmodum multis narrat Dionysius lib. I. cap. XXXIII. & lib. VI. cap. XII. (NECATOR) Alii scribunt apud Plinium *verberator*. Sed quia diserte hæc vox sit expressa, & religione laborare soleam, violenter quid in antiquis scriptoribus mutare, ego vocem illam retinendam censui. (SIN IMPOBES ESCIT PRÆTORIS ARBITRATU VERBERATOS NOXÆ DUPLIONEM LUITO) Hæc pœna *ad omnes personas* edicto fuit redacta arg. l. VII. §. fin. D. arbor. furtim cæsar. idque evidentius ex Paullo JC. colligitur: *Sive segetes per furtum*, inquit, *sive quælibet arbores cæsæ sint, in duplum ejus rei nomine reus convenitur*. Videndus Paullus lib. II. Sent. XXXII. §. XXI. Hæc de Fragmentis Duodecim Tabularum quæ pertinere videbantur ad *Furta mediata*; sequitur, quæ ad *immediata*.

CAP. XVIII.

1 *De furtis immediatis.*
2 *De furto licitum esse pacisci.*
3 *De prodigalitate.*

1 IS, QUOIUS OPE, CONSILIO FORTOM FACTOM ESCIT, DUPLI DAMNATOR. SEI SERVOS FORTOM FAXSIT NOXAMVE NOCUIT, SCIENTE DOMINO, SERVI NOMINE ACTIO ESTOD, DOMINUS SERVI NOMINE NON TENETOR. DE FORTO PACISCI LICITOM ESTOD.

Illud non solum in *Furto*, verum etiam in *omnibus Delictis* obtinet, ut non solum, qui commisit *Delictum* obligetur, sed & *qui persuasit, qui jussit, qui mandavit, qui curavit, ut fieret, qui opem subministravit*, qui *consilium suggessit*. l. II. §. I. ubi eleganter Bartholus D. de injuriis. §. XI. Inst. de oblig. quæ ex del. l. XXXIII. D. de furt. l. L. in fine D. eodem. Sciens delictum neque revelans non punitur, ut Clarus notat quæst. LXXXVII. numero II. Ratum habens Delictum, tum demum punitur, si ipsius nomine perpetratum sit, dict. quæst. LXXXVII. numero V. Agitur ergo hac lege *de eo, cujus ope consilio furtum est factum*. Ajunt Decemviri (IS CUIUS OPE CONSILIO) Duo in hoc Legis Duodecim Tabularum fragmento explicantur, quorum prius est *Furi vel auxilium latum, vel consilium datum*; alterum *Pactum de furto factum*. De Priore (IS QUOIUS &c.) Prior hujus fragmenti pars concinnata est & petita ex duorum Jurisconsultorum verbis Paullo & Ulpiano: quorum Paullus in l. LIII. §. I. D. de verborum signif. sic inquit. *Item dubitatum, illa verba Ope Consilio, quemadmodum accipienda sunt, sententiæ conjungentium aut separantium: sed verius est quod & Labeo ait separatim accipienda, quia aliud factum est ejus qui ope, aliud ejus, qui consilio furtum facit, sic enim alii condici potest, alii non potest. Et sane post veterum auctoritatem eo perventum est, ut nemo ope videatur fecisse, nisi & consilium malignum habuerit: nec consilium habuisse noceat, nisi & factum sequutum fuerit*. Verba enim illa OPE CONSILIO transcripta esse a Paullo JC. ex Legibus Duodecim Tabularum indicant in d. l. LIII. præcedentia ejus verba, quibus & alias Legum duodecim tabularum voces interpretatur & illustrat, UT AGNATORUM GENTILIUMQUE, SUPER PECUNIÆ TUTELÆVE & alias, quas in duodecim tabulis exstitisse jam ante audivimus. Sed plenius legitur hujus legis sententia apud Ulpianum in l. II. §. I. D. de noxalib. actionib. *Is, qui non prohibuit*, inquit, *sive Dominus manet, sive desiit esse Dominus, hac actione tenetur. Sufficit enim, si eo tempore Dominus, quo non prohibeat, fuit. In tantum ut Celsus putet, si fuerit alienatus servus in totum, vel in partem, vel manumissus, noxam caput non sequi. Nam servum non deliquisse; Domino jubenti obtemperavit. Et sane si jussit, potest hoc dici: si autem non prohibuit, quo pacto factum servi excusabimus? Celsus tum differentiam facit inter Legem Aquiliam & Legem Duodecim Tabularum. Nam in Lege Antiqua si servus sciente Domino furtum fecit, vel aliam noxam commisit, servi nomine actio est noxalis, nec Dominus suo nomine tenetur: At in lege Aquilia, inquit, Dominus suo nomine tenetur, non servi, utriusque legis reddit rationem: duodecim tabularum, quasi voluerit servos Dominis hac in re non obtemperare; Aquiliæ, quasi ignoverit servo, qui Domino paruit, periturus, si non fecit*. Ajunt igitur Decemviri (IS QUOIUS OPE CONSILIO) De eo etiam, qui opem tulit, sic loquitur Paullus in l. XXXIII. D. de furtis: *Is qui opem furtum facienti fert, numquam manifestus est, itaque accidet, ut is quidem, qui opem tulit, furti nec manifesti: is autem qui deprehensus est, ob eandem rem manifesti teneatur*. (OPE CONSILIO) Eadem solennia legis Duodecim Tabularum verba exstant apud Ulpianum in l. L. §. I. D. de furtis. *Ope Consilio furtum factum Celsus ait, non solum si iccirco fuerit factum, ut socii furarentur, sed & si non ut socii furarentur, inimicitiarum tamen caussa fecerit*. Hinc autem illæ notæ Antiquorum JC. apud Petrum Diaconum: quæ satis probant, nullam inter duas voces fuisse particulam Conjunctivam, & male Haloandrum in Pandectis legere, *Ope aut Consilio*; nonnullos autem *Ope & Consilio*.

IS QUOIUS OPE CONSILIO FORTOM FACTOM ESCIT; DUPLI DAMNATOR. SI SERVOS FORTOM FAXIT, NOXAMVE NOCUIT, SCIENTE DOMINO, SERVI NOMINE ACTIO ESTOD: DOMINUS SERVI NOMINE NON TENETOR. DE

FORTO

FORTO PASCISCI LICITUM ESTOD. Ajunt (OPE CONSILIO) Ad hæc l. verba respicere videtur Ulpianus JC. in l. LII. §. XXI. D. de furt. *Quum Titio honesto viro pecuniam credere vellem, subjecisti mihi alium Titium egenum, quasi ille esset locuples & nummo acceptos cum eo divisisti, furti teneris, quasi ope tua consilioque furtum factum sit, sed & Titius furti tenebitur.* Ajunt igitur (IS QUOIUS OPE) *Opem fert*, inquit Ulpianus in l. L. §. III. D. de furt. *qui ministerium atque adjutorium ad subripiendas res præbet.* Videndæ & leges ante a me laudatæ, præcipue l. XXXIII. D. de furt. Hanc autem opem si præcesserit *deliberatio quædam*, vel saltem *scientia* ipsius auxiliatoris, tunc eadem pœna, qua principalis ille, est adficiendus: si non præcessit tractatus, mitiore pœna plectendus est: quæ est communis hodie sententia DD. ut notat Clarus lib. V. §. fin. quæst. XL. & LXXX. *Practicæ Criminalis*. (CONSILIO) *Consilium dare videtur*, inquit Ulpianus, *qui persuadet & impellit, quique instruit consilio ad furtum faciendum* l. §. III. D. de furt. intelligendum autem hoc Consilium, *quod effectum habet*. Nam qui consilium furti dedit, non tenetur, nisi consilium effectum sequatur l. XXXVI. D. de furt. in qua sæpe solennia legis Duodecim Tabularum repetuntur. *Si quis servo fugam persuaserit, ut ab alio subripiatur, furti tenebitur is, qui persuasit, quasi ope, consilio ejus furtum factum sit: Plus Pomponius scripsit, eum qui persuasit, quamvis interim furti non teneretur, tunc tamen incipere teneri, quum quis fugitivi fur esse ceperit: quasi videatur ope consilio ejus furtum factum &c.* Inter *Opem* autem & *Consilium* id interest; quod *Opi* Ministerium Corporis insit, *Consilio* vero, solius animi. (DUPLI DAMNATOR) Si nimirum deliberatio præcesserit vel saltem scientia Consultoris & Auxiliatoris: si item Effectus Consilium sequutus fuerit, ut paullo ante dixi. (SI SERVUS FORTUM FAXSIT NOXAMVE NOCUIT.) Leguntur sequentia apud Ulpianum, ut dixi, in l. II. §. I. D. de noxal. act. (SCIENTE DOMINO) Nonnulli enim apud Veteres Romanos servos suos alebant ad omnia flagitia, quibus patrandis si non opem manusque admoverent, sæpe verberabantur, vel etiam occidebantur, quemadmodum satis patet ex l. II. §. I. D. de nox. act. ubi lex Aquilia ignoscit *Servo*, qui sciente Domino, vel Domino suo morem gerens, furtum fecit. Addit enim *periturus, si non fecisset* (SCIENTE DOMINO) Scit etiam Dominus, qui quem prohibere potest, non prohibet. Bene enim Paullus in l. IV. D. de noxalib. act. *In delictis servorum scientia Domini quemadmodum accipienda est, utrum cum consilio, an & si videat tantum, quamvis prohibere non potuerit*; & quæ ibi sequuntur. Inde illud Senecæ in Troade:

Qui non vetat peccare, quum possit, jubet.

(SERVI NOMINE ACTIO ESTOD.) Dominus enim suo nomine non tenetur: inquit Ulpianus in d. sæpe l. II. D. de noxal. act. Secus erat in *Lege Aquilia*, in qua Dominus, peccante servo, suo nomine tenebatur, non servi. Volebat scilicet lex Duodecim Tabularum *Servos Dominis peccare jubentibus non obtemperare*: Aquilia autem lex Servis, Domino jubente, peccantibus ignoscebat. Volebat enim Servos suis Dominis etiam male quid jubentibus parere: qui alioquin, nisi paruissent, fuissent perituri. (DE FORTO PACISCI LICITUM ESTOD) Duas indicavi hujus legis partes, priorem de eo, *cujus ope consilio furtum* fiat: posteriorem de *Pacto Furti*. Priore illustrata, sequitur pars posterior, & fragmentum quasi novum.

2. DE FORTO PACISCI LICITOM ESTOD. Jurisconsultorum illa sunt Placita, *Ne pacisci liceat de rebus aut juribus publicis* nisi secundum jura publica. Nam *quæ publica sunt, pactis privatorum mutari non possunt*; sive pertineant *ad jus publicum naturæ*, sive spectent *ad jus civile*. l. VIII. D. de reg. juris l. VIII. D. de cap. diminut. l. XXVIII. l. XXXIV. l. XXXVIII. D. de pactis. De *Injuriis* tamen & *Furtis* etiam jure civili pacisci licet. l. XXVII. §. III. D. de pactis: quia hæc *crimina publica* non sunt, sed *privata*: atque etiam facta de his pacta ipso jure (*quod magis mirandum est*) tollunt actionem, quum tamen reliqua tantum ad excipiendum prosint, & elidant actionem: d. l. XXVII. §. II. D. de pactis. §. I. Instit. de except. Ajunt igitur Decemviri (DE FORTO PACISCI LICITUM ESTOD) Exstat legis fragmentum apud Ulpianum in l. VII. §. XIV. in fine. D. de pactis: *Nam & de Furto pascici lex permittit*. Respicit eo Paullus in l. XVII. §. I. D. de pact. *Quædam actiones per pactum ipso jure tolluntur, ut injuriarum, item furti*. Ratio autem legis hæc erat, quod Furta lege duodecim tabularum certa pecunia multarentur. Intelligendum autem Furtum *jam factum*, non autem *faciendum*, vel *futurum*, quo referenda Paulli verba in d. l. XXVII. §. IV. *Pacta*, inquit, *quæ turpem caussam continent, non sunt observanda: veluti si paciscar, ne furti agam, vel injuriarum, si feceris. Expedit enim timere furti vel injuriarum pœnam: sed post admissa hæc pacisci possumus*. Hæc de Fragmentis Legum duodecim tabularum, quæ ad *Furta* pertinere visa sunt: Sequitur unum, quod pertinet ad *Prodigalitatem*. Nam hanc etiam Delictum habere, & censere soleo, iisque connumerare, quæ rem perimunt. Non enim incommode nonnulli putant Prodigalitatem Furti esse genus, quod quis non tam sibi, quam suis facit, sive parentes sint, sive liberi, sive Conjux, sive etiam Consanguinei, Affines & Amici. Eo pertinet hoc Duodecim Tabularum fragmentum.

3. SEI QUIS PRODICOS SIET, PRÆTOR EI, CAUSSA COGNITA, BONEIS SOUEIS ENDO TERDEICITO; ENDOQUE EO, PEQUNIAQUE EIUS ADNATORUM CENTEILIOMQUE POTESTAS ESTOD. *Beneficentia* & *Liberalitas* virtus est, quæ communicat facultates & operas non debitas *obligatione civili*, sed *naturali*, *seu divina*, ubi & quando decet, & mediocritatem efficit inter *profusionem* & *sordes*. Ejus autem species sunt *Beneficentia* & *Liberalitas*, hæc quidem fit pecunia; *beneficentia* autem opera, ut educatione, institutione, doctrina, gubernatione, consilio, eloquentia, defensione corporum & famæ. *Beneficentiam* autem venuste admodum Græci pingebant *imagine Trium Charitum*, seu *Gratiarum*, quæ sunt Αγλάϊα, id est Charitas seu serenitas; Ευφροσύνη, Lætitia; Θαλεία, Voluptas. His enim nominibus significarunt beneficia esse danda *vultu sereno & animo hilari ac læto*, qui scilicet voluptate adficiatur, quum aliis prodesse potest. Idem monet illud Hemistichium

vulgare apud Græcos *χαρίτων δέ τε θυμὸς ἄριστος*, quod ita Latine sonat: *In dando beneficio & referenda gratia animus optimus est*. Sunt autem *Duplicia bona & officia*, quæ aliis communicantur. *Quædam enim non pereunt nec consumuntur usu & communicatione*, ut de suo lumine alteri accendere lumen, monstrare viam erranti, dare consilium fidele, liberaliter communicare rerum bonarum doctrinam. Nam ipsa tractatione & propagatione Doctrinæ, nostra Eruditio non imminuitur, sed augetur & alitur. Eleganter Theognis monet v. IↃCCLXXXV.

Si cui contingit docto sapientia major,
Invidiæ stimulis non agitetur iners:
Sed colat ingenue divino pectore Musas;
Doctrinaque alios instruat ipse sua.

Quædam bona nobis sunt *ὑπάρχοντα*, *quæ usu & communicatione absumuntur*, ut Pecunia, frumentum, operæ privatæ. In prioribus igitur *mere oportet esse liberales*; in posterioribus vero *modus in liberalitate est servandus*. Ea de re optime Salomon Proverb. cap. 5. v. XVI. *Fontes tui foras diriventur & rivi effluant in plateas: at tu Dominus illorum maneto & non alieni tecum*. Significat enim *fundos & hereditates nostras conservandas esse propter liberos & rempublicam: sed tamen ex fructibus benigne juvandos esse egentes, quando sine detrimento nostro & nostrorum notabili juvare possimus*. Vitandæ enim sunt *Profusiones immodicæ*, præsertim *in luxu*, aut *alias res vel inhonestas vel non necessarias*. Qua in re peccant *Prodigi*, contra quos hanc legem conscripserunt & in duodecim tabulas retulerunt olim Decemviri.

SEI QUIS PRODICOS SIET, PRÆTOR EI, CAUSSA COGNITA, BONEIS SOUEIS ENDOTERDEICITO; ENDOQUE EO PEQUNIAQUE EJUS ADNATORUM CENTILIOMQUE POTESTAS ESTOD. Hanc de *Prodigo* legem in duodecim tabulis fuisse, docet Ulpianus lib. XXVIII. ad Sabinum, cujus verba exstant in l. I. D. de Curator. furioso & aliis, extra minores dandis: *Lege*, inquit, *duodecim tabularum Prodigo interdicitur bonorum suorum administratio*. Idem Ulp. tit. XII. §. II. Instit. *Lex Duodecim Tabularum furiosum itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione jubet esse agnatorum*. Sic denique Justinianus §. III. Instit. de Curatoribus. *Furiosi quoque & prodigi, licet majores sint viginti quinque annis, tamen in curatione sunt agnatorum ex lege duodecim tabularum*. *Moribus* autem hoc apud Veteres Romanos introductum fuisse, docet idem Ulpianus in d. l. I. D. de Curat. furiosi. Ait enim statim post legis hujus sententiam indicatam: *quod moribus quidem ab initio introductum est, sed solent hodie Prætores vel Præsides Curatorem dare* &c. Apud Athenienses etiam ex lege Solonis *infamia notabatur is, qui patrimonium decepisset*: atque adeo lege omnium Græcorum arcebatur foro & concionibus, sicuti apparet ex oratione Æschinis contra Timarchum. Ipsi etiam Areopagitæ prodigum intemperanter viventem, quem *Asotum* vocant, utpote quem sibi ipsi relictum vix Salus ipsa servare posset, non aliter quam criminis alicujus reum & in jus vocabant & puniebant, quemadmodum videre est apud Athenæum lib. IV. Ajunt igitur Decemviri (SEI QUIS PRODICOS SIET) *Prodigum* Ulpianus diffinit in d. l. I. *qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dilapidando profundit*. Eleganter etiam Cicero lib. II. Offic. *Prodigi qui Epulis & Viscerationibus & Gladiatorum muneribus Ludorum Venationumque adparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem aut omnino nullam sunt relicturi*. *Prodigus* a *Prodigendo*. *Prodigere* nihil aliud, quam consumere, profundere, liberalitatis fines & terminos egredi. Plaut. in Aulular.

Festo die si quid prodigeris.

Cajus in Instit. *Prodigos* vocat *Eversores*. Sic enim ait lib. I. cap. VI. *Sub Curatore sunt minores ætate; majores eversores, insani*: id est, ut alii loquuntur, *Prodigi & Furiosi*. Inde *Domus Eversio* in l. ult. D. de Off. Præs. quam Græci vocant *οἶκον ἀνατροπλώ*. Hinc *Patrimonium evertere* in l. I. D. si familia. *Interversores* in l. VIII. D. de jure Fisci. *Prodigalitas* Liberalitati opponitur hinc, inde vero *avaritia*. *Prodigus* enim peccat *ἐν δόσειν* sicut *avarus* in *λήψειν*. Pergunt Decemviri (PRÆTOREI CAUSSA COGNITA BONEIS ENDOTERDEICITO.) Recepta *erat apud Veteres Romanos formula, qua solenniter Prodigo bonis interdicebatur, talis*, ut indicat Paullus JC. lib. III. Sent. tit. III. §. VII. *Interdicebatur*, inquit, *in hunc modum*. *Quando tu tua bona paterna avitaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico*. Respicit eo Horatius lib. II. Ser. Sat. III. v. CCXVII.

Interdicto huic omne adimat jus
Prætor, & ad sanos abeat tutela propinquos.

Sic Cicero in Cat. Majore. *Ut quemadmodum nostro more male rem gerentibus patriis bonis interdici solet*. Val. Max. lib. III. cap. V. e. II. *Ei L. Pompejus Prætor Urbanus paternis bonis interdixit, neque in civitate tanta, qui illud Decretum reprehenderet, inventus est*. Petebant autem hoc a Prætore Liberi vel Agnati. Idem Valer. lib. VIII. cap. VI. e. I. *C. Licinius, cognomine Hoplomachus, a Prætore postulavit, ut patri suo bonis, tamquam ea dissipanti interdiceretur. Et quidem quod petierat, impetravit*. Ajunt Decemviri (BONEIS SOUEIS ENDOTERDEICITO) Hinc *bonis alicui interdictum* toties legitur apud JC. ut in l. VI. D. de verb. Oblig. leg. XVIII. D. qui test. fac. poss. l. I. & l. X. D. de Curator. furios. l. XVIII. §. II. & §. III. D. de castr. peculio. Alia infinita prætereo. ENDOQUE EO PEQUNIAQUE EJUS AGNATORUM CENTILIOMQUE POTESTAS ESTOD. Ex legibus igitur Duodecim Tabularum Cura Prodigi pertinebat ad *proximos agnatos & gentiles*, quod notat Ulpianus d. tit. XII. §. II. *Agnati* autem dicebantur apud Veteres Romanos *omnes superiores a Masculis* §. III. Instit. de leg. agnat. success. l. X. D. de gradib. affinit. Tales erant *Patris frater*, qui mihi est Patruus; *Soror* quæ Amita. II. *Avi frater*, qui Patruus mihi magnus; *Soror*, Amita magna. III. *Proavi frater*, qui mihi Propatruus; *Proavi soror* quæ Proamita, & sic de ceteris. *Propinquos* eos nominat respiciens ad hanc Legem Horatius lib. II. Ser. Sat. III. v. CCXVII.

Interdicto huic omne adimat jus
Prætor, & ad sanos abeat tutela propinquos.

Filius an Curator *dari possit Patri Prodigo quæsitum olim.* Dubitabatur, quod incommode daretur Curator is, qui minor erat ætate eo, cui Curator dabatur. Hinc Ulpianus in d. l. I. §. fin. *Curatio autem ejus cui bonis interdicitur filio negatur permittendam in Patre furioso; si tam probus sit.* Filius igitur *Patri furioso non prodigo* Curator esse poterat, quemadmodum notat Ulpianus ex D. Pii rescripto. Postea ab *Agnatis Gentilibusque* devoluta est hæc Prodigi Cura ad *Curatorem*, Ulpianus in d. l. *Sed solent hodie Prætores vel Præsides, si talem hominem invenerint, qui neque tempus neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profudit, Curatorem ei dare exemplo furiosi.* Videndi etiam JC. in l. III. D. de postul. l. XII. §. II. D. de tutor. datis: l. XI. D. de reb. eorum & alii. Concludam hanc legem, cum nobili illa quæstione *An quemadmodum pater furioso substituere potest* ut videre §. I. Instit. de pupill. subst. *An* inquam *ita possit substituere filio Prodigo.* Quæstionem solvit Tryphoninus JC. ad l. pen. D. de Curat. furioso & aliis. *Si furioso*, inquit, *Puberi, quamquam majori annorum viginti quinque Curatorem pater testamento dederit, eum prætor dare debet sequutus patris voluntatem. Manet enim ea datio Curatoris apud Prætorem, ut rescripto D. Marci continetur. His consequens est ut & si prodigo Curatorem dederit pater voluntatem ejus sequi debeat Prætor, eumque dare Curatorem. Sed utrum omni modo, an ita; si futurum esset, ut nisi pater aliquid testamento cavisset, Prætor ei bonis interdicturus esset? & maxime si filios habet iste prodigus. Potuit tamen pater & alias providere nepotibus suis, si eos jussisset heredes esse & exheredasset filium, eique quod sufficeret, alimentorum nomine, ab eis certum legasset, addita caussa necessitateque judicii sui: aut si non habuit in potestate nepotes, quoniam emancipato jam filio nati fuissent, sub conditione eos heredes instituere, ut emancipentur a patre prodigo.* Ex quibus verbis hoc notandum, *primo Patrem* ratione Prodigalitatis filio Curatorem dare posse testamento, quemadmodum ibi etiam notat Baldus: *Deinde Patrem filio* Prodigo Nepotes substituere posse: *Tertio Prodigum* exheredari posse a patre addita testamento caussa necessitateque judicii sui & facti: exheredari, inquam, posse, non tamen plene, quia eo casu pater alimenta cogitur filio relinquere, qui casus hodie est usitatissimus: idque non fit *in prodigi odium*, sed *ejus* potius *favore*, ne dissipentur bona. *Quarto illud in eadem* Tryphonini lege observandum, Prodigum, quamvis res suas non posset alienare, posse tamen emancipare suos liberos, ut ibi notat Baldus. *Prodigus* autem simul ad saniores mores redeat, & in iis perseveret, ipso jure Cura liberatur. Ulpianus in d. l. I. *Tandiu erunt Prodigus & Furiosus in potestate vel curatione, quandiu vel furiosus sanitatem, vel ille sanos mores receperit: quod si evenerit, ipso jure desinunt esse in potestate curatorum*, id est, ut Baldus ibi notat, *quando certum est, eos neque furere amplius, neque prodigos esse.* Dixi hactenus de *Delictis* vel *Maleficiis Propriis* iisque *Simplicibus*, quæ *Factis* rem *perimunt*, qualia sunt *Cædes*, *Furtum*, *Prodigalitas*: sequuntur, quæ re non tam perimunt, quam *lædunt*. Hæc in duplici sunt discrimine. Alia enim *lædunt Rempublicam*, alia *Privatos*. *Rempublicam* lædunt *Crimen Læsæ Majestatis* & *Collegia illicita*. Hæc & duo tantum publica quasi Crimina vel Delicta

A ex duodecim tabularum fragmentis reliqua esse invenio. *De Crimine læsæ majestatis*, vel potius *de una specie* hanc legem reperio.

CAP. XIX.

B

I. QUEI PERDUELEM CONSITASIT, CIVEMQUE PERDUELI TRANSDUIT, KAPITAL ESTOD. *Læsæ Majestatis crimen* est illud, quod adversus populum Romanum vel in ejus securitatem committitur, id est quo læditur aut dignitas ejus, aut securitas. Cicero in Rhetor. dicit *Majestatem minuere esse, de dignitate aut amplitudine* C *aut potestate populi, aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare.* In regibus Majestas dicitur excellentia dignitatis & honoris; primum *Deo* attributa absolute & soli: Dehinc & *Principibus*, qui, uti scribit Plutarchus, in terra Dei sunt simulacra, quod notant & D. Petrus epist. I. cap. II. v. XIII. & D. Paullus ad Romanos cap. XIII. VI. I. Ejus Majestatis impressio, etiam inter fortunæ varietates, Principum insidet personis, veluti character quidam potestatis: quem intuentes vel pessimi quandoque, imo plerumque, timent mit- D tere manum in Principem vel eum, qui publica potestate præditus. Sic legimus *Lictorem vel Satellitem* Juvenem armatum, qui missus erat ad occidendum Marium, Consulem Proscriptum, apud Minturnenses in carcere decrepitum & inermem, numquam ausum fuisse ferire, veluti quadam occulta Majestate percussum & prohibitum, teste Valerio Maximo lib. II. capite x. Videndi & Appianus libro I. bell. Civil. & Plut. in ejus vita. Narrat etiam Tranquillus, quum Victoria Vitellii nunciaretur Vespasiano, subito in ejus vultu apparuisse Majestatem antea invisam. Vide Suetonium in ejus E vita cap. VII. Silius etiam Italicus loquens de Scipione Africano narrat inter arma solam Majestatem ei incidisse præcipuam, qua venerațior habebatur & magis timebatur. Quid igitur sit *Majestas illa* in regibus principibusque, non facile potest exprimi. Est enim quippiam latens, quod reddit præter naturam propriam mirabile quippiam, unde veneratio singularis & honor nascitur; nec quale illud sit possunt ipsi admirantes proprie notare vel explicare. Ovid. lib. v. Fastorum v. XXIII. ex *Honoris & Reverentiæ Conjugio* natam *Majestatem* voluit, dum ait, F Deos quosdam exemisse a Terris Majestatem, filiam Honoris & Reverentiæ: ideoque homines Majestate privatos auxilium Gigantum invocasse, ut illam de cœlo detraherent. Certe Dei hæc virtus est, & radius ab vera Dei majestate regibus principibusque inditus, vel aliud quidpiam efficax sed incognitum. Nam jejunius hoc dicitur, Majestatem dici quasi *Majorem statum*. Est quidem *Major status*, sed quid amplius, quod *in majore illo statu* conspicitur oculis potius mentis, quam carneis. Ajunt Decemviri (QUEI

PERDUELEM CONSITASIT) Recitat legem hanc ex duodecim tabulis Marcianus JC. in l. III. D. ad Leg. Juliam Majest. *Lex*, inquit, *duodecim tabularum, jubet eum qui hostes concitaverit, quive civem hostibus tradiderit capite puniri*. (PERDUELEM CONSITASIT) Perduellis apud antiquos dicebatur, quem nos vocamus hostem, ab eo, ut Festus notat, *quod pertinaciter retineat bellum*. *Hostem* autem illi vocabant, quem nos *peregrinum*. Sic Cajus in l. CCXXXIV. D. de verb. signif. *Quos nos hostes vocamus, eos veteres Perduelles vocabant*. Cicero lib. I. Offic. *Equidem illud animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante*. Idem lib. II. Offic. *Pirata non est ex Perduellium numero diffinitus, sed communis omnium hostis*. Postea autem *Perduelles* dicti sunt Patriæ hostes, qui crimen aliquod adversus Majestatem Principis aut Reipublicæ commisissent: quemadmodum in hoc legis duodecim tabularum fragmento. (QUEI PERDUELEM CONSITASIT) Hoc enim est committere inter alia crimen læsæ majestatis. Nam tribus modis Majestas populi Romani minuebatur. I. *Si quis injussu* populi bellum gereret, delectum haberet, exercitum compararet; quum populi esset, ex Romuli lege, bellum decernere vel indicere. II. *Si quis exercitum* populi Romani hostibus traderet. III. *Si quis imbellis cederet*, hostemve arcere nollet, aut in castra concederet, aut exercitum desereret, aut ad hostes profugeret. (QUEI PERDUELEM CONCITASIT) Alii alio modo hæc verba intelligunt & interpretantur. *Nonnulli hostes* ex amicis facere; *quidam inter quos* Hotomannus extra ordinem in hostem pugnare; quod capite sancitum fuisse manifestum est ex variis historiis. *Sed hostem concitare* nihil aliud quam inire factionem, aut factionis sacramentum suscipere vel dicere. Pergunt (CIVEM PERDUELI TRANSDUIT) *Civem perdueli transdere* nihil aliud, quam exercitum Populi Romani prodere, in discrimen adducere, in insidias trahere vel pellicere, ut inquit Paullus lib. V. Sent. tit. XXIX. §. I. *Transduit* autem in hac lege nihil aliud quam *tradiderit*. Sic enim docet Velius Longus antiquos usos esse Præpositione *Trans*: unde & TRANSDATO, pro *tradito* in legibus duodecim tabularum: quemadmodum notat Festus. Crimen igitur læsæ majestatis committunt, ex lege duodecim tabularum, *Qui hostem concitarit*, id est qui factionem inierit, qui factionis sacramentum susceperit vel dederit: Deinde *qui civem hosti vel perduelli tradiderit*, id est, qui exercitum Populi Romani prodiderit, in discrimen vel insidias petraxerit. Hodie Crimen hoc committitur *in Principem*, vel *illum* qui summam in republica potestatem habet. Qui autem hodie committant, vel quot modis committatur, docet Ulpianus in l. I. D. ad Leg. Jul. Majest. §. I. *Hoc crimine tenetur is, cujus opera dolove malo consilium initum erit, quod obsides injussu principis interciderent: quo armati hostes cum telis lapidibusque in urbe sint, conveniantve adversus rempublicam, locave occupentur vel templa, quove cœtus conventusve fiat, hominesve ad seditionem convocentur; cujusve opera, consilio, dolo malo consilium initum erit, quo quis magistratus, quive imperium potestatemve habet occidatur, quove quis contra Rempublicam arma ferat: quive hostibus pop. Romani nuncium litterasque miserit, signumve dederit, feceritve dolo malo quo hostes consilio juventur adversus rempublicam, quive milites solicitaverit concitaveritve, quo seditio tumultusve adversus rempublicam fiat*. Ut propius ad tempora nostra accedam committitur etiam Crimen hoc *in Civitates*, sive illæ superiorem agnoscunt, sive non: quam Communem JCtorum esse sententiam notat Clarus JC. in §. læsæ Majestatis, lib. V. num. II. & III. Committunt autem hoc Crimen *tantum Subditi illius in quem* committitur, ut idem Clarus docet ibidem num. VI. & VII. *quum nimirum stant* a partibus hostium, *quum tractatum* faciunt contra personam Domini, *quum civitatem* ejus, vel *castrum* injuste occupant, produnt, tradunt hostibus vel invadunt; *quum armati* in bello contra Dominum veniunt, patriam oppugnant, pacem cum hostibus Domini contrahunt, auxilium illis ferunt, vel eos receptant; *qui Consiliarium* principis lædunt, qui nummos sua imagine percutiunt, plebem adversus magistratum concitant, patriam produnt. Ut paucis dicam, *hodie omnes illi* hoc crimen committunt, *qui quoquo modo* reipublicæ statum labefactare student, seditione concitata l. I. C. de sedit. & infinitis aliis. Addunt denique Decemviri (KAPITAL ESTOD) Pœna igitur Criminis læsæ Majestatis ex legibus duodecim tabularum erat *Capitalis*. Pœna hæc *Vitæ Amissio* vocatur ab Justiniano in §. III. Inst. de publicis delictis. Impp. Arcadius & Honorius in l. V. C. ad Leg. Jul. Majest. *hujus Criminis reos gladio feriendos jubent*. *Aquæ & Ignis interdictionem* hic pœnam statuit Paullus lib. V. tit XXIX. Mitior tamen hæc pœna sic accipienda, quod plures essent hujus criminis species. Hodie est *Capitalis* & de consuetudine *Capitis amputatio, sectioque corporis in partes*, cum memoriæ defuncti condemnatione, bonorumque publicatione ex d. l. V. ad Leg. Jul. Majest. quæ bona *filiis*, non filiabus, non etiam nepotibus adimuntur, filiis inquam non quidem ante, sed *post delictum commissum natis*, Clarus indicato a me loco numero XII. Quum autem variæ admodum sint Criminis hujus species, sæpe remitti solet hoc crimen. Legendus Pap. lib. XXII. Arrest. cap. I. numero III. Illud adjiciendum est hanc pœnam communi opinione ad eos tantum pertinere, qui in ipsum Principem committunt, non *adversus eum, qui superiorem aliquem* recognoscit. Clarus d. sæpe loco, vers. unum. Hæc ad legem hanc sufficiant. Ad Classem earum legum, quæ pertinent ad Læsam Majestatem, refero etiam fragmentum illud, quod apud Festum, de Defectione a Populo Romano.

2. SANATIBUS IDEM, QUOD FORCTIBUS JOUS ESTOD. Recitat hanc legem Festus: *Sanatei*, inquit, *dicti sunt, qui supra infraque Romam habitaverunt; quod nomen his fuit, quia quum defecissent ab Romanis, brevi post redierunt in gratiam & amicitiam, quasi sana mente. Itaque in duodecim cautum est, ut idem juris esset Sanatibus, quod fortibus, id est bonis, & qui numquam defecerant a populo Romano*. Festus Romæ editus sic concipit duodecim tabularum verba, *Nexo solutoque, foriti sanatique idem jous esto*, quam lectionem Scaliger agnoscit. Legis æquitas manifesta est, ut ii scilicet, qui benignitatem populi Romani experti essent, constantes deinceps in fide atque, ipsius majestate comiter tuenda permanerent, tum ut reliqui hoc tanquam incitamento ad Populi Romani societatem atque amicitiam allicerentur. Hanc legem postea *Æbutia* lege abrogatam fuisse, docet Agellius lib. XVI. cap. X. & ego postea indicabo. Hæc de Legibus *Læsæ Majestatis*: sequitur illa, quæ agit de *Collegiis illicitis*.

3. QUEI CALIMENDO URBE NOX COIT COIVERIT, KAPITAL ESTOD. Exstat hujus legis sententia apud Porcium Latronem oratione in Catilinam. *Primum*, inquit, *duodecim tabulis cautum esse legimus, ne quis in urbe cœtus nocturnos*

agitaret: deinde Lege Gabinia promulgatum, qui Coitiones ullas clandestinas in urbe conflavisset, more majorum, capitali supplicio multaretur. De te itaque Catilina sciscitor, tune cœtus istos Commilitonum tuorum contra præcepta duodecim tabularum, contra leges nostras, contra Senatus ac plebis auctoritatem nocte cogendos esse putavisti? Lex igitur hæc *Clandestinas* vetat *Coitiones*, quippe quæ facinorosis hominibus facultatem aliquid contra Rempublicam audendi præbeant, vel facinora etiam patrandi. Multa enim sacra fiebant apud Veteres Romanos noctu: quorum prætextu sæpe summa flagitia committebantur. *Nox* enim omnium malorum solet esse Architectrix. Eleganter Menander, τὴν νύκτα *appellat* τῶν πολλῶν κακῶν ἀρχηγόν. Hinc etiam *Intempestam Noctem* Veteres appellabant, ut Varro scribit, *quia tempus agendi nullum erat*. Inde etiam altera illa duodecim tabularum lex *Sol occasus Suprema tempestas esto*, ut alio loco videbimus; quia nocte judicia exercere non erat licitum. Dixi Sacra quædam Romæ celebrari solita nocte, quorum occasione multa indigna facinora perpetrabantur. Inter alia autem primi loci erant *Saturnalia*, de quorum abolitione non solum Romæ, verum etiam per totam Italiam, scribit Livius lib. XXXIX. Inter alia sic inquit. *Quum Vinum animos, & Nox & misti feminis mares ætatis teneræ majoribus discrimen omne pudoris exstinxisset*, & quæ sequuntur. Narrat enim ibi quæ *scelera*, *stupra*, *cædes* horum nocturnorum Sacrorum occasione committerentur; originem quoque & progressus impiæ religionis seu verius superstitionis & impietatis, & quo modo illa impia mysteria Saturnaliorum fuerint detecta per Cos. Postumium, vindicataque condignis suppliciis, extritis & abolitis non solum Romæ, verum etiam per totam Italiam Bacchanalibus: constitutis præmiis maximis iis, qui talia scelera detexissent. Cicero lib. II. de Leg. scribit *Dragondam quendam* Thebanum primum apud Græcos perpetua lege sustulisse *nocturna sacrificia*. Dabatur certe magna mulieribus ansa delinquendi nocturnis istis sacrificiis, ob illarum fragilitatem & temporis occasionem, *De Adonidis* Sacris aliquando dictum, οὐδὲν ἱερὸν, *nihil sanctum*. Clodius prætextu religionis nocturnæ contaminavit Sacra, quæ dicebantur *Bonæ Deæ*. Aristophanes facetissimus poeta in Cerealibus *novos Deos* & in his colendis *nocturna pervigilia* sic *vexat*, ut apud eum *Sabasius & quidam alii Dii Peregrinitatis judicati*, de Civitate ejiciantur. *Eupolus* Vetus Poeta Comicus in suis Baptis, nocturna illa Atheniensium sacra, quæ *Cottytia* dicebantur, quo minus damnaret, ne mortis quidem periculo abduci potuit. Apud Plautum in Aululariæ prol. v. XXXVI. *Lyconides Adolescens* dicitur filiam Euclionis vitiasse in Cereris Vigiliis. Occasione etiam Vigiliarum, quas Christiani pii in solennitatibus noctu observare erant soliti, aliquando data fuit maledicendi ansa de Christianis; frequenter quoque harum prætextu multa impudice clam fuerunt commissa. *Eliberitanum* itaque concilium in Hispania *nocturnas* sustulit *Mulierum* in Cœmeteriis *pervigilationes*. Exstat enim Constantii Imperatoris Constitutio lib. XVI. Cod. Theod. qua abolentur *nocturna Sacrificia*, quæ Magnentio auctore erant permissa. Hæc de *Coitionibus Nocturnis*: simulque de Delictis, quibus læditur Respublica: sequuntur, *quibus Privati læduntur*, qualia sunt *Incantatio*, *Vis Privata*, & *Exactio illicitarum usurarum*, nam plura non invenio. De *Incantatione* duas Leges, vel duo potius fragmenta, quæ ex duodecim tabulis reliqua, reperio. Prior hæc est, sed mutila.

A 4. QUEI FRUGES ALIENAS EXCANTASIT. Legitur hujus legis sententia cum apud Senecam, tum apud Plinium. Senecæ verba libro IV. Nat. Quæst. sunt hæc: *Apud nos*, inquit, *in duodecim tabulis cavetur, ne quis alienos fructus excantassit. Rudis adhuc Antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus & repelli; quorum nihil posse fieri, tam palam est, ut hujus caussa nullius Philosophi schola introeunda sit.* Plinius autem l. XXVIII. cap. II. & XXX. cap. I. aliisque locis, manifeste Senecæ contradicit, probans multis exemplis, *maximam vim habere Incantationes*, id quod etiam quotidiana experientia testatur. *Magi* igitur hac

B lege petuntur, quorum finis & scopus est *incantamentis alicui nocere*. Dicuntur & *Malefici*, unde titulus in Cod. lib. IX. XVIII. De *Maleficis*, *Mathematicis*, *& ceteris similibus*. *Maleficos* sane hujusmodi *eorumque artes* constanter omnes constitutæ bene laudabiliterque respublicæ damnant & aversantur: Etiam eos, qui suis Incantationibus & Carminibus opem & auxilium putantur adferre. Nam *ab Deo solo* malis nostris & morbis, rerumque nostrarum incommodis & vitiis medicina est petenda. Is enim solus mederi potest & vult, si nobis sit salutare; potest, quia maximus; vult,

C quia optimus. Frustra apud alios quæritur vel aliis modis; quod ille abunde potest suppeditare. In multis tamen locis *incantationes & exorcismi* ad curanda animalia, vulnera, aliaque id genus permittuntur: iis tamen legibus, *ne quid contra fidem* Catholicam admisceatur: *ne nomen Dei* in vanum accipiatur: *ne materia verborum* aliquid falsitatis habeat: *ne nomina incognita* usurpentur: *ne vana admisceantur: ne spes ponatur* in modo vel scribendi vel legendi; *ne verba contineant* invocationem Dæmonis expressam vel tacitam: *ut in verbis tantum* ratio habeatur Virtutis divinæ, a qua speratur effectus: *ut denique effectus* com-

D mittatur voluntati Divinæ. His legibus & conditionibus Incantationes licitas esse scribit, D. Thomas in lib. II. cap. IV. Exem. XCIII. Has conditiones exacte observasse volunt nonnulli *Germanum Episcopum*, qui in Curia regis Brittanniæ Asinum suum mortuum resuscitavit: *has beatum Ægidium*, qui Cervam ab Venatoribus impetitam defendit & vulnus sagittæ sua benedictione sanavit: *has item Lausoniensem* Episcopum, qui exorcismis usus est contra sanguisugas, damna piscibus inferentes. *Sed quum conditiones* istæ, quas indicat Thomas, difficulter servari possunt, præstat *Exorcismos & Incantationes* ex Christianis rebuspubli-

E cis exulare: morbisque & malis nostris *ab Deo* ardentibus *precibus* remedium & medicinam vel petere, vel precari. Exemplum elegans & pium est apud Lucam Actor. cap. IX. v. XXXIV. ubi Divus Petrus Æneam sanat his verbis. *Sanet te Dominus noster Jesus Christus, surge, sterne lectum tuum. Fides* magnam vim habet *in invocatione Dei* ad sanitatem impetrandam & mirabilia efficienda, juxta Christi promissionem, quæ legitur Matthæi cap. XIV. v. XXXII. & XVII. v. C. XX. *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, tamquam granum sinapis & dixeritis monti huic, transi hinc, transibit; &*

F *nihil impossibile erit vobis*. Porro *de Magicis* ad bonum finem, multa scribit Petrus Gregorius Tholosanus lib. XXXIV. ut *de Ventis sopitis*, de *grandine depulsa*, de *Quæstionis dolore eluso*, & similibus. Sequitur lex altera de *Incantatione*.

6. NEIVE ALIENAM SEGETEM PERLEXERIS. Citat hoc Duodecim Tabularum fragmentum Servius Virgilii Interpres & Augustinus in libris de Civitate Dei. Servius quidem in explicatione versus, qui est Ecloga VIII. v. XCIX. *Atque satas alio vidi traducere messis*. Augusti-

nus vero lib. VIII. de Civit. Dei c. XIX. *Eo quod pestifera scelerataque doctrina fructus alieni in alias terras transferri probibentur; nonne in duodecim tabulis, id est Romanorum antiquissimis legibus Cicero commemorat esse conscriptum, & ei qui hoc fecisset, supplicium constitutum.* Sic Apulejus Apologia: *Magia ista, quantum audio, res est legibus delegata jam inde antiquitus duodecim Tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta.* Hæc vero *certis conceptisque verborum formulis* vel potius *susurris malisque carminibus pernicies hominibus*, vel *agris calamitas* inferebatur. Hujus generis sunt *illa Diræ*, de quibus Cicero lib. I. de Divinatione & Plutarch. in Crassi vita. De voce autem *Pellicere* videndus est Velius Longus de Orthogr. Hæc de Legibus, quæ ad *Incantationem*, sequuntur, quæ ad *Vim Privatam*.

*

† UNCIASIO FENOSE NE QUIS PLUS EXERCETO; SEI QUIS ALIUTA FAXSIT, QUADRUPLIONE POENAM LUITO (UNCIASIO FOENOSE) *Fenus* quemadmodum notat Varro dictum est a *Fetu* & quasi a *Fetura* quadam pecuniæ parientis & increscentis. Sic Festus. *Fenus appellatur naturalis terræ fetus; ob quam caussam & nummorum fetus fenus est vocatum & de ea leges Fenebres.* (respicit ad hanc & plures quæ in duodecim Tabulis fuerunt leges, item ad Duelliam & similes) *Fenus, Feneratores & lex de credita pecunia & quæ* ibi sequuntur. Sunt autem variæ *Feneris* vel *Usuræ* species in Veterum scriptorum apud Romanos monimentis: *Summa Usuræ*, quæ & *Usura Centesima* & *As Usurarius* dicitur, est, quum pars sortis centesima singuli mensibus penditur, id est quum de centum aureis, singulis mensibus *unus*, singulis annis *duodecim* penderentur. *Usura deunx*, quum singulis annis in centenos undecim penderentur; *dextans* quum decem; *dodrans* quum novem; *bes* quum octo; *septunx* quum septem; *semis* quum sex; *quincunx* quum quinque; *triens* quum quatuor; *quadrans* quum tres; *sextans* quum duo; *unciaria* quum unus penderetur. Et de postremo hoc fenore loquitur fragmentum hoc duodecim tabularum. Hodie *Usurarum* sive *Fenoris* non exigua solet haberi ratio. *Usuræ* mutuo plerumque debentur: suntque id quod sorti sive quantitati accedit. Sunt autem vel *Lucratoriæ* vel *minus*. *Lucratorias* appellant JC. quæ ex mero mutuationis officio contra naturam mutui, quod gratuitum est, lucrum faciunt, & hæ improbæ sunt vel illicitæ. l. XX. C. ex quib. cau. inf. ir. suntque etiam *jure divino prohibitæ*, quemadmodum videre est Levit. cap. XXV. vers. XXXVI. & XXXVII. Exod. cap. XXII. vers. XXVI. Deuter. cap. XXIII. vers. XIX. Psal. XV. vers. V. Ezech. cap. XVIII. vers. VIII. Lucæ cap. VI. vers. XXXIV. hoc usurarum genus propria voce *Fenus* appellatur; de quo etiam agit lex duodecim Tabularum. In *minus Lucratoriis* consideratur hodie *Qualitas*, deinde *Quantitas*: per *Qualitatem* Usuræ aliæ dicuntur *Compensatoriæ*, aliæ *Punitoriæ*; *Compensatoriæ* sunt, quæ præstantur, ut compensent justum interesse, quod habet Creditor eo quod pecunia careat. Fit autem hic æstimatio usus sortis consumtæ cum damno Creditoris, quod licitum est. l. XXIII. C. de administr. tut. Paullus Epist. II. ad Corinth. cap. VIII. vers. XIV. l. XIII. §. I. D. de usur. tot. tit. C. de usur. Andr. Gail. lib. II. Obs. V. num. I. Hotom. quæst. Illustr. XL. *Punitoriæ* non tam ad mutuum, quam alios etiam Contractus pertinent; quum hæc *non propter lucrum petentium*, *sed propter moram non solventium* pro pœna vel ab lege vel ab homine infligantur l. XVII. §. III. D. de usur. Concurrunt igitur hic *præsumtum Creditoris damnum emergens* & *lucrum cessans* & *mora debitoris*; quæ quum sit delictum, merito punitur l. XLIV. ubi glossa. D. mandati. Lex a tempore moræ legitimas usuras jubet præstare l. XIX. D. de usur. Homo quantascumque stipulari sibi potest l. fin. D. de præt. stipul. *Quantitas* autem harum usurarum alia fuit *jure veteri*, alia *novo*. *Veteri jure* mira fuit varietas l. VIII. C. si certum pet. l. XL. D. eodem. Videndus omnino Burcholdus tractatu de usur. cap. IV. *Jure novo* Justiniani tempore alia *plebis* & *mercatoribus*, alia *nobilibus personis* usuræ quantitas constituitur. *Mercatoribus Usuræ Bessales*, duodecim annis æquantes sortem; *plebeiis*, quæ æquarent sortem annis sexdecim & octo mensibus concessæ. l. XXVI. C. de usur. *Nobilibus* Trientales permittuntur, exæquantes sortem tercentum mensibus. Videndus Burcholdus indicato a me loco. Nostro tempore ex Caroli Quinti constitutione quinque tantum in centum pendentur, id est, *quincunces usuræ*, exæquantes sortem viginti annis, concessæ sunt. Andr. Gail. l. II. Obs. V. numero II. *Hunc usurarum modum* qui excedunt, *infamia notantur*, Burcholdus cap. V. numero VII. (SEI QUIS ALIUTA FAXSIT) Verba ex lege quadam Numæ Pompilii exscripta, quæ aliquoties in legibus duodecim tabularum arbitror fuisse ab Decemviris posita. Videndus Festus lib. I. de verb. sign. qui *Aliuta* vocem interpretatur *aliter*. (QUADRUPLIONE POENAM LUITO) Legendus Cato in libris de re rustica. Ex hac autem pœna notandum, quantopere aversati fuerint *Usuras* Veteres Romani, qui *Usurarium* vel *Fœneratorem* in *quadruplum*, *Furem* autem in *duplum* condemnare soliti, ut ibi notat Cato. Hæc dicta sufficiant ad Legum istarum fragmenta, quæ pertinere visa sunt ad *Delicta* vel *Maleficia Simplicia*: sequuntur quæ ad *Mista Maleficia* spectant, ex *Dictis simul & Factis*, ut *Crimen Falsi*.

CAP. XX.

1. *De crimine falsi.*
2. *Delicto animalium.*

1. QUEI FALSOM TESTIMONIOM DIXSERIT, EX SAXO DEICITOR) Exstat apud Agellium lib. XX. cap. I. *An putas Phavorine, si non illa etiam ex duodecim tabulis de Testimoniis falsi pœna aboleviss et, et si nunc quoque ut antea, qui falsum testimonium dixisse convictus esset, e saxo Tarpejo dejiceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos* &c. (QUEI FALSOM TESTIMONIOM DIXERIT) Convenit hæc lex cum *octavo Legis divinæ præcepto unde* Græci sumsisse videntur; *ab Græcis* autem Romani. Nam Platonem aliosque Græcorum Philosophos Mosis scripta de creatione Mundi iisque quæ sequuta sunt, legisse, tam est certum, ut probatione non indigeat. Apud Athenienses autem hanc vel similem *de falsis Testimoniis* legem fuisse, inde patet, quod apud eos in Areopago gravissimum fuerit judicium ψευδομαρτυριῶν, quemadmodum apparet ex Demosthene, qui scribit eos non modo in testes falsi testimonii reos, sed & in eum, qui hujusmodi testes subornarat & produxerat, judicium dedisse & gravissime animadvertisse. Ratio erat illa, quod in Græcia infiniti essent ad falsum testimonium dicendum sine ulla religione, tamquam ad ludicrum parati; quemadmodum non obscure notat Cicero Oratione pro Flacco. (QUEI FALSOM TESTIMONIOM DIXERIT) *Falsum* committitur *Dictis*, *Scriptis*, vel *Facto*. *Dictis*, ut *si quis dicat Mendacium* vel *falsum Testimonium*, Paullus lib. V. tit. XV. §. V. Item *si Judex negligat Constitutiones*; *si falsum nomen vel cognomen sibi quis fingat*; vel *pro nobili*, *mi-*

liteque se gerat, quum non sit; item *si nomen in alterius fraudem mutet*; *parentes alios vel genus sibi fingat*. l. un. C. de mutatione nominis. l. XIII. D. ad Leg. Corneliam falsi. Paullus lib. v. cap. XXV. §. II. Novella Leonis LXXVI. *Scriptura* Falsum committitur, ut *si quis falsa Testimonia scribat* vel *signet*, si *testimonio contra voluntatem testatoris sibi Legata vel Fidei commissa adscribat*; vel *chirographa, alias rationes & instrumenta falsa scribat & conficiat* vel *subscribat*. l. I. IV. V. XI. XII. XV. XVII. D. ad Leg. Cor. de Fals. Cujac. ad Leg. Cornel. C. de Falsis. Clarus lib. v. §. falsum. *Facto* falsum committit, qui *judicem corrumpit*. l. XXI. in fin. D. eod. *qui scripturam in fraudem alterius delet, mutat, subjicit, corrumpit*. l. I. D. eod. *qui testamentum amovet vel aufert*. l. II. l. XIV. C. eod. *qui testamenta supprimit, celat, signat falso, scripturam alienam falso imitatur* l. XXIII. D. eod. *qui Vi Testamentum aperit* l. I. §. V. D. eod. *qui nummos aureos adulterant, radunt, tingunt* l. VIII. D. eod. *qui nummos corrumpunt, stanneos expendunt, inaurant, inargentant*. tot. tit. C. de fals. moneta. *qui falsum partum supponunt* l. XIX. D. eodem. Paullus lib. v. cap. XXV. §. X. Item *qui nomine magistratus falsas litteras proponunt sive reddunt* l. XXV. D. eodem: quemadmodum hodie solent *validi mendicantes* tit. C. de mendicant. valid. Item *qui Edicta Magistratuum corrumpunt* l. pen. C. eodem qui *falso Instrumento & falsis Insignibus altioris ordinis utuntur* l. antepenultima. C. eod. *qui signum adulterinum suscipiunt* vel *faciunt* l. XXX. c. eod. *qui mensuras vini vel frumenti publice probatas corrumpunt* l. penult. c. eodem *qui utuntur falsis & abrogatis Rescriptis* vel *Constitutionibus* l. ult. c. eod. Paullus lib. v. cap. XXV. §. IX. *Item qui litteras alienas aperiunt*. Clar. v. Sent. lib. IV. Item *qui subornant falsos testes eosque corrumpunt*. Clar. d. §. alios multos casus prætereo.

*

† 6. SEI MEMBROM RUPSIT, NEI CUM EO PACIT, TALIOD ESTOD) Inter Delicta vel maleficia non postremum locum solet obtinere *Vis*, quum quis vel *convocatis hominibus* vel *sine convocatis hominibus* in aliquem facit impetum. *Convocatis hominibus* fit vis vel *privata* vel *publica*. Sine *convocatis* autem *hominibus* vis infertur I. *ex capite* tertiæ Legis Aquiliæ, II. *Effractione*, III. *Termino moto*. Verba Legis duodecim tabularum quæ indicavi pertinent ad *caput tertium Legis Aquiliæ*. Caput hoc complectitur omne damnum, præter mortem, rebus, animalibus, sive hominibus, culpa etiam levissima aut dolo, datum, sive quis vulneraverit, sive usserit, fregerit, ruperit, aut quovis alio modo rem deteriorem fecerit. Potest etiam referri hoc caput ad *Vim privatam*, quum quis *vel armis* vel *sine armis* in alterius res aut corpus convocatis hominibus impetum facit. (SEI MEMBROM RUPSIT) Exstat hæc lex apud varios, Agellium lib. XX. cap. I. Festum in Talia, Catonem lib. IV. Orig. teste Prisciano lib. VI. Justiniano denique lib. IV. Instit. tit. IV. §. VII. Apud nullum autem legitur lex integrior, quamvis corruptis verbis, quam apud Agellium, cujus hæc sunt verba vel potius apud Agellium Phavorini: *Nonnulla*, inquit, *in istis Decemvirorum legibus nec consistere quidem visa sunt. Veluti lex illa Talionis, cujus verba (nisi memoria me fallit) hæc sunt*. SI MEMBRUM RUPIT MEUM, E PACTO TALIO ESTO. *Præter enim ulciscendi acerbitatem nec procedere quoque excusatio justa talionis potest. Nam cum membrum ab alio ruptum est, si ipsi itidem rumpere per talionem velit, quæro an efficere possit rumpendi pariter membri æquilibrium? In qua re primum ea difficultas est inexplicabilis. Quid si membrum alter imprudens ruperit? Quod*

(A) *& per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet. Ictus quippe fortuitus & consultus non cadunt sub ejusdem talionis similitudinem*. Hæc & quæ alia multa sequuntur ibi Phavorinus, de legis hujus iniquitate conquerens non immerito. Multa enim veniunt in Delictis considerandа, ut pœnæ vel exasperentur, vel mitigentur: habenda enim ratio *caussæ, personæ, loci, temporis, qualitatis, quantitatis*, & *eventus*. *Eventum* præcipue inculcat ibi Phavorinus. Considerat enim *Eventus, Caussam Finalem, Propositum*, & *Exitum*, an *fortuitum*, an *voluntarium* sit Delictum l. XI. §. II. D. de pœnis. Et sane ob *Delictum fortuitum*, talionem alicui imponere, inquissimum videtur; quemadmodum conqueritur Phavorinus. Quum autem Decemviri non distinxerint inter *Delictum voluntarium* & *fortuitum*, & absurdum esset *in Talionem condemnare*, qui fortuito deliquit; verba legis proculdubio exaudienda sunt de *Delicto voluntario*, id est de eo, qui *non casu*, sed *iracundia, impetu, culpa, dolo* alicui membrum ruperit; ut nimirum *talionis lege* rursus ei membrum rumpatur. Eo pertinent verba illa Cæcilii apud eundem Agellium pro defensione legis sic loquentis: *Decemviros minuere atque exstinguere volentes hujusmodi violentiam pulsandi atque lædendi talione, eo metu coercendos esse homines putarunt. Neque ejus, qui membrum alteri rupisset & pacisci tamen de redimenda talione nollet; tantam rationem habendam arbitratos esse, ut an prudens imprudensve rupisset, spectandum putarent, aut talionem in eo vel ad amussim æqui pararent vel in librili perpenderent: sed potius eundem animum eundemque impetum in eadem parte corporis rumpendi, non eundem quoque casum exigi voluisse, quoniam modus voluntatis præstari posset, casus ictus non posset. Nec esse nimiam acerbitatem pœnæ, quum idem fiat in me, quod egomet in alio fecerim. Præsertim quum habeam facultatem paciscendi, & non necesse sit pati talionem, nisi eam ipse elegerim*. Quæ omnia clarissima & maxime perspicua reddunt hujus fragmenti verba, totiusque legis sententiam manifestam & dilucidam. Illud autem obiter monendum, Legis verba corruptius legi apud Agellium SI MEMBRUM RUPIT MEUM, E PACTO TALIO ESTO. Aperta quidem est sententia: putandum tamen alio modo aliisque verbis ab Decemviris fuisse conceptam; hoc modo: SEI MEMBROM RUPSIT, NEI CUM EO PACIT, TALIOD ESTOD. Voluit enim Phavorinus ipsissima legis indicare verba, non sententiam, quum inquit: *cujus verba, nisi me memoria fallit, hæc sunt*: Ajunt igitur Decemviri (SEI MEMBRUM RUPSIT) *Rupsit* antiquo scribendi more pro *ruperit*. (NI CUM EO PACIT) Sic hæc verba omnibus litteris leguntur apud Festum lib. pen. de verb. sig. *Talionis mentionem fieri in legibus Duodecim Tabularum ait Verrius, hoc modo*. SI MEMBRUM RUPSERAT (alii legunt RUPERIT vel RUPIT) NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO. Et addit, *Neque id quid significet, indicat puto, quia notum est, permittit & lex parem vindictam*. PACIT autem hic non pro *paxit* ponitur, ut quidam volunt, sed simpliciter ab antiqua voce *Paco*, quæ apud Festum lib. XIV. *Pacionem antiqui dicebant, quam nunc pactionem dicimus; unde & Pacisci adhuc a Paco in usu remanet*: sic enim ibi legendum (TALIOD ESTOD) Cato lib. IV. Orig. apud Priscianum lib. VI. *Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione vindicta proximis cognatis ulciscitur*. Respicit enim proculdubio ad hoc legis duodecim tabularum fragmen-

tum. Et apertius Justinianus in Instit. lib. IV. tit. IV. §. VII. *Pœna autem injuriarum ex lege Duodecim Tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat; propter os vero fractum nummariæ pœnæ constitutæ, quasi in magna Veterum paupertate*. Ex iis igitur, quæ hactenus in hujus legis explicatione commemorata, discimus, *Talionem nihil aliud esse, quam æqualem retributionem*, idque in malam partem, ut *si quis alicui oculum eruerit, idem ille patiatur*. Plinius lib. VII. cap. LIV. *Sicut in Cornelia nemo ante Sullam Dictatorem traditur crematus: idque voluisse, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere*. Lex Talionis describitur in Exodo cap. XXI. v. XVIII. *Si mors ejus fuerit subsequuta, reddet animam pro anima; Oculum pro oculo, Dentem pro Dente, Manum pro Manu, Pedem pro Pede, Adustionem pro Adustione, Vulnus pro Vulnere, Livorem pro Livore*. Sic Genesis cap. IV. vers. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur & ipsius sanguis*. Quæ pœna hodieque apud nos est in usu, diciturque vulgo, *De levende by de Doode leggen*. Non absimilis Talionis legi est illud. *Quod quisque juris in alium statuerit, eodem jure & ipse utatur*; quibus verbis conceptus est titulus II. lib. II. Pandectarum. Hæc ad legem priorem *de Vi*; sequitur altera.

7. SEI OS FREGIT, VIGINTI QUINQUE ÆRIS POENÆ SUNTO) Exstat hæc lex cum apud Agellium lib. XX. cap. I. tum apud Justinianum lib. IV. Instit. tit. IV. §. VII de injuriis. Agellii verba sunt hæc, vel potius Cæcilii apud Agellium: *Injurias*, ait, *atrociores ut de Osse fracto, non liberis modo verum etiam servis factas, impensiore damno vindicaverunt*. Justiniani autem sunt hæc §. VII. *Pœna injuriarum ex lege Duodecim Tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat; propter os vero fractum nummariæ pœnæ erant constitutæ, quasi in magna veterum paupertate*. Videndi de hac pœna idem Agellius, lib. XX. c. I. Plinius lib. XVIII. cap. III. Festus in Grave æs. Silentio interim non prætereundum duas primas leges referri etiam posse ad classem earum, quæ ad *Injuriam Realem* pertinent. Sequitur *Lex de Exactione illicitarum usurarum*.

8. UNCIASIO FOENOSE NEI QUIS PLUS EXERCETOD: SEI QUIS ALIUTA FAXSIT, QUADRUPLIONE POENAM LUITO. Concinnata hæc lex est ex tribus scriptoribus, *Tacito* lib. VI. c. XVI. Annalium, *Catone* in libris de re rustica, & *Festo* lib. I. de verborum significatione. Taciti verba sunt hæc: *Sane vetus*, inquit, *urbi fenebre malum & seditionum discordiarumque creberrima caussa: eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo duodecim Tabulis sancitum, ne quis unciario fenore amplius exerceret; quum autem ex libidine locupletium ageretur, dein rogatione Tribunicia ad semuncias redacta. Postremo vetita usura, multisque plebiscitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ miras per artes rursum oriebantur*. Cato autem sic scribit: *Majores nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli*. †

* QUEI FALSOM TESTIMONIOM DIXERIT, E SAXO DEICITOR. (E SAXO DEICITOR. *Saxum Tarpeium* vel *Rupes Capitolina* pars erat Capitolini montis, miræ altitudinis; quemadmodum notat Varro lib. IV. de LL. *Dirissimum* autem supplicii genus de *Saxo præcipitari* quod usitatum non solum Romæ, verum etiam apud alios populos. Eo enim adfecta legitur *Jesabel* lib. IV. Regum cap. IX. v. XXXIII. adfecti item scribuntur *filii Seiri Captivi* lib. II. Paralipom. cap. XXV. v. XIII. item *Aesopus*, ut in ejus vita commemorat Planudes, Plutarchus de sera Numinis vindicta. Item *Lycas veneficus*, canente Ovidio in Ibin, *Astyanactes*; eodem Ovidio teste lib. XIII. Metamorph. v. CCCCXV. & Seneca in Troadibus v. CIↃC. *Daphidas* item, ut refert Valerius Maximus lib. VIII. c. VIII. ext. c. VIII. Apud Romanos autem valde erat usitatum, apud quos non solum *falsi testimonii convicti* de saxo

B præcipitabantur, ut discimus ex hac lege: verum etiam *Cives hostes patriæ*, ut docent Plutarchus in Camillo & Mamertinus in Panegyrico. Exemplum nobilissimum est in *Manlio Capitolino*, adfectati regni reo. Item *Incestuosi*, ut legere est apud Tacitum lib. V. Annal. XIV. *Transfugæ*, apud Livium non uno loco. *Servi* in l. unica. C. de emendat. servor. Sic etiam de Saxo præcipitatos legimus *Tarentinos quosdam captivos*, qui effugerant, & ex fuga retracti erant Romam, apud Livium lib. XXIV. Sic *Puer quidam* scribitur præcipitatus ab Caligula: ut in ejus vita commemorat Suetonius. De quo *quosvis sontes* præcipitari solitos docent

C Plutarchus in Romulo, Halicarnassæus lib. VIII. Dio lib. XLIV. *Illud autem* supplicii genus imitatus est Tiberius Capreis, ut narrat Suetonius in ejus vita cap. LXII. Ajunt igitur (E SAXO DEICITOR) Caussa tam atrocis pœnæ fuit, ut acerbitas ulciscendi maleficii bene atque caute vivendi disciplina esset. Illud autem supplicii genus, ut tetrum, postea obsolevit, quo pertinet l. XXV. §. I. D. de pœnis. Nam posterioribus temporibus in Judicum arbitrio cepit esse, *qualis pœna falso Testi irroganda esset*; aliquando etiam *Legis Corneliæ* pœna fuit irrogata, *deportatio* videlicet & *omnium bonorum publicatio*. Testatur postre-

D mum hoc Marcianus JC. in l. I. D. ad Leg. Cor. de Sic. ubi scribit *eum, qui falsum testimonium dolo malo dixisset, quo quis rei capitalis damnaretur, ea lege teneri, cujus est pœna Insulæ Deportatio & omnium bonorum ademtio*. Hodie *Pœna Falsi* valde variat. Est enim aliquando *civilis*, ut *obligatio in duplum ejus quod interest*. l. XXV. l. XXXI. in fin. D. ad leg. Cor. vel ad retractandum falsum l. pen. C. de transactionibus. tot. tit. D. si ex falsis instr. vel testimoniis judicatum sit. Aliquando est *Criminalis*, ut in Notario, qui falsum Instrumentum confecit, est *amputatio manus*. Clar. lib. V. §. falsum

E num. V. Aliquando *amissio caussæ, lucri vel negotii in quo falsum dixerunt*. Clar. d. loco num. XXXII. aliquando falsi pœna extenditur *usque ad mortem*. l. XXIII. in fine. C. ad Leg. Corn. de fals. Deuter. cap. XIX. v. XIX. aut remittitur usque *ad manus amputationem*. Novoll. XLII. c. I. §. I. & XVII. c. IX. vel *relegationem* l. XX. l. XIII. D. d. t. Interdum *pœna Talionis* infertur. Deut. cap. XIX. v. XXI. præsertim deponenti falsum in crimine Capitali. Clar. lib. V. Sent. §. falsum num XXXI. *Capitalis* quoque est hæc pœna in *Obstetricibus* falsum partum deponentibus l. II. D. de Carbon. Edicto. Paull. lib. V. tit. XXV. §. X. Interdum est *arbitraria*

F *pœna* §. VI. Inst. de public. judic. l. XXII. C. de fals. Paull. lib. V. tit. XX. Novell. Leonis LXXVII. Sed hæc sufficiant de Delictis *Propriis & Immediatis*: sequitur fragmentum unum, quod pertinet ad *Maleficia aliena*, quæ dicuntur, quando delinquunt *nostra Animalia*: eo pertinet sequens lex.

2. SEI QUADROPES PAUPESIEM FAXSIT, QUADROPEDIS DOMINOS NOXSIAM SARCEITOD; AUT QUOD NOXSIAM NOCUIT DARE DAMNAS ESTOD.

Exstat

Exstat apud Ulpianum in l. I. D. si quadrupes pauper. fec. dic. & Justinianum Imperatorem lib. IV. Inst. tit. IX. in pr. Ulpiani verba sunt hæc : *Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur, actio ex lege duodecim tabularum descendit, quæ lex voluit, aut dari id quod nocuit, id est animal quod noxiam commisit, aut æstimationem noxiæ offerre*. Justinianus autem sic inquit : *Animalium quæ ratione carent, si qua lascivia, aut pavore, aut feritate, pauperiem fecerint, noxalis actio lege Duodecim Tabularum prodita est. Quæ animalia si noxæ dedantur proficiunt reo ad liberationem, quia ita lex Duodecim Tabularum scripta est ut puta: Si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petierit*. (SEI QUADROPES PAUPESIEM FAXIT) *Pauperies* proprie in hac lege damnum sine injuria mansuetæ quadrupedis, sive alterius pecudis vel bestiæ facientis datum, non lacessitæ sed proprio motu, sua lascivia & fervore contra communem sui generis naturam & mansuetudinem l. I. §. III. D. Si quadrup. pauper. fec. dic. §. I. Inst. eodem. l. XIV. D. de præscript. verb. Quod si igitur *genitali feritate* nocuit animal, cessat obligatio l. I. §. I. cum seq. D. si quadr. pauper. fec. dic. §. I. Instit. eodem. Quod si *culpa alicujus*, non sui ipsius, cui damnum datum est, instigatum sit, vel ad feritatem commotum, pauperies non est, sed ex *Lege Aquilia* obligatio est. l. I. §. IV. D. h. t. Paullus lib. I. tit. XV. §. II. (QUADROPEDIS DOMINUS NOXIAM SARCEITOD) Hujusmodi Legem tulerat etiam Solon Atheniensium Legislator, quemadmodum videre est apud Plutarchum in ejus vita, & Platonem lib. II. de Legibus. (AUT QUOD NOXIAM NOCUIT DARE DAMNAS ESTOD) Pertinet ad hanc legem tertia pars Edicti Ædilitii, quo quis prohibetur *Canem*, *Verrem*, *Aprum*, *Ursum*, *Leonem* ibi habere, qua vulgo iter fit: & si adversus ea factum erit, nocitumque libero homini esse dicatur, quantum æquum & bonum judici videtur, tanti Dominus condemnetur; *ceterarum rerum* quanti damnum datum sit, *dupli* l. XLII. D. de ædilit. edicto, vel etiam *pro noxa deditio* concedatur. §. ult. Inst. Si quadr. paup. fec. dic. l. IV. cum ll. seqq. d. l. XLII. D. de ædilit. edicto. Hactenus de iis Legum Duodecim Tabularum fragmentis egi & dixi, quæ pertinere visa mihi sunt ad res privatas : sequuntur quæ ad publicas. Eo enim relaturum me dixi fragmenta illa, quibus Judiciorum ratio præscribitur.

CAP. XXI.

1. *De judiciis.*
2. *De judice.*
3. *De in jus vocatione.*
4. *De comparitione.*
5. *De dilatione judiciali ob ingentem causam.*

I. FRAGMENTORUM, quæ *ad res publicas* pertinent, nonnulla agunt de *Judiciis*, unum de *Privilegiis*, unum item de *Comitiis*. *Judicium* nihil aliud, quam legitima & solennis caussæ apud Judicem inter Litigantes tractatio, examinatio & dijudicatio arg. C. x. & ibi Glossa & Canonistæ extra. de verb. sig. Videnda & l. XIII. §. I. & II. C. de judic. Alii alio modo diffiniunt. Videndi Baldus in Rubrica Dig. tit. de judic. Alexander in rubrica C. eodem. Abbas in rubr. extra d. t. Pa-
A normitan. in Processu Judic. *Judiciorum* variæ admodum sunt species : a plerisque *Duplex* eorum traditur *Divisio*; prior sumta *a Forma*, posterior a *Fine*. *A Forma* Judicium aliud est *Ordinarium*, aliud *Extraordinarium*. *Ordinarium*, in quo Judex ordinarius, solenniter & secundum ordinem de caussa cognoscit : estque duplex *Publicum* & *Privatum*. *Publicum*, cujus cognitio est Principis, Præfectorum, Præsidum, Senatorum, Provincialium, aliorumque qui passim judiciis ordinarie & publice exercendis præsunt. *Privatum* dicitur, cujus cognitio est Judicis Dati, hodie *Delegatum* dicitur. *Extraor-*
B *dinarium* illud vocatur; in quo legitimus & usitatus ordo non observatur, sed sine strepitu & figura judicii de plano & ex æquitatis præscripto proceditur. *Ab fine* Judicium aliud est *Civile*, aliud *Criminale*. *Civile* quo petit Actor id, quod controversum, sibi adjudicari, proprii privatique commodi caussa. *Criminale* quod pœnam pro crimine perpetrato vel Fisco Pecuniariam applicat, vel Reo Corporalem infligit. Alias subdivisiones prætereo. De Judiciis autem in legibus Duodecim Tabularum, quæ quidem de iis supersunt, reperio agi vel in *genere* vel in *spe-*
C *cie*. *In genere* quidem de *Personis Judicum*. *Judex* proprie Disceptator est Juris, l. XIV. vers. cum igitur C. de jud. L. III. §. IV. D. de recept. arbitr. *In Judicibus* præter alia considerari solent *Virtutes*, quibus eos præditos esse oportet. Eæ variæ solent numerari. I. *Timor Dei*, qui facit, ne favore corrumpantur. Non enim oportet Judicem addictiorem in Judicando esse illi, quem amat, quam cui invidet. Amicitiæ rationem habere non debet, nihilque dissimulare. *Facit idem* Timor Dei, ne Odii stimulis abripiantur. *Odium* enim sincerum veritatis cognitæ judicium turbat, sternit, pervertit. *Id non*
D *est constantis & recti judicis*, inquit Callistratus in l. XIX. §. I. D. de off. præs. *cujus animi motum vultus detegit*. *Facit idemque Timor Dei*, Ne metu fracti falsa & injusta contra conscientiam pronuncient. Detestanda in Judice *Pusillanimitas* illa, qua in jure dicundo potentioris alicujus indignationem vel vim pertimescit. *Judex mollis esse non debet*. l. ult. §. I. vers. hoc itaque. C. de compensat. II. *Virtus Judicis est Diligentia* in Caussa accurate cognoscenda & utraque parte audienda. Judices olim apud Athenienses jurabant, *ὁμοίαις ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι*, *se utramque partem æque audituros esse*. Eleganter Phocylides
E *μήτε δίκην δικάσεσι πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς*, *Judicium non fer, si non sint ambo loquuti*. Alexander etiam apud Plutarchum, accusatorem audiens, alteram aurem obturat manu, significans, se Reo illam servare integram. Certe Judices oportet imprimis rei qualitatem plena inquisitione discutere, & tunc utramque partem sæpius interrogare. l. IX. C. de judic. Ponderare debent merita Caussæ. l. XXXIII. C. de appellat. Negligentes enim parti tenentur ad omnem jacturam Actionis ex quasi maleficio litem suam facientes. in pr. Inst. de Oblig. quæ ex quasi delicto l. XIX.
F in fine. C. de testib. III. *virtus est Peritia Juris*. Nam in genere de omnibus rebus judicare debent earum periti. Imperiti legum & usu rerum destituti, *indigni sunt munere judicandi*. Novella LXXXII. in Præfat. Notandum Græcorum illud *μηγέποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς*, *Judicis officium noli committere stultis*. IV. *Virtus ἐννομία* Justitia inflectens sententias ad normas Legum. Cicero pro Cluentio : *Est sapientia Judicis semper non quid ipse velit, sed quid lex aut religio cogat cogitare*;

Justitiæ vestigia sequi debet & Legum l. XIII. C. de sent. & interloq. jud. l. VIII. C. de judic. *Æquitatem autem informatam & quæ ex jure colligi* potest, non *autem cerebrinam* ante oculos habere debet judex, ut eleganter notat Abbas apud Jasonem in l. IV. in fine. D. de eo quod certo loco. *Judicis Virtus est Æqualitas erga omnes*, juxta unam normam, vitans omnem προσωποληψίαν, quæ est tribuere æqualibus inæqualia, & inæqualibus æqualia. In judiciis non est *acceptio personarum habenda*. Nihil iniquum faciundum in judicio, in *regula*, in *pondere*, in *mensura*. VI. *denique & postrema virtus* est *Justitia vitans δωροφαγίαν*, de qua Exodus c. XXIII. v. VIII. lib. I. Samuel. cap. XII. v. III. lib. II. Paralip. cap. XIX. vers. VII. Judicis pestes sunt *Avaritia*, *Gratia*, *Inimicitiæ*. DD. ad Novell lib. XXIV. cap. II. in fine. *Judex venalis esse non debet*: l. unica in fine. C. de monopol. *nec alienum jurgium prædam suam æstimare* l. III. C. de Leg. Jul. repet. *sed abstinere ab omni sorde*: l. VI. D. eodem l. V. D. de evictión. *Ad hanc Virtutem* pertinet fragmentum hoc Duodecim Tabularum.

2. QUEI JOUDEX, QUEIVE ARBITER JOURE DATOS OB REM JOUDICANDAM PEQUUNIAM CEPET KAPITAL ESTOD. Laudat hujus fragmenti sententiam Agellius lib. XX. cap. I. *Dure autem scriptum esse in istis legibus quis existimare potest, nisi duram esse legem putas, quæ Judicem Arbitrumve joure datum, qui ob rem judicandam pequuniam accepisse convictus est, capite punit.* (QUEI JOUDEX) Quis *Judex* antea dixi. Alii crassius & seculo nostro convenientius sic describunt: *Judex est persona a Deo constituta & ordinata, ut audita utraque parte & explorate cognita caussæ veritate juxta honestas leges jus dicat, hoc est pronunciet, cujus caussa justa, cujus injusta sit, & qua pœna sontes pro Delictis afficiendi sint.* (QUEIVE ARBITER) Judex est vel *Ordinarius*, vel *Extraordinarius*. *Ordinarius* qui perpetuam jure suo per se vel ab alio Jurisdictionem habet l. V. & l. seq. D. de jurisd. l. XII. l. XIII. §. I. & d. l. XIV. C. de judic. *Extraordinarius*, qui & *Delegatus*, Jurisdictionem habet temporariam & certis limitibus accurate observandis diffinitam. Is autem vel est *per Commissionem Ordinarii*, vel *Partium Electionem*. *Prior* ex mandato Delegantis Jurisdictionem accipit, ejus voces repræsentat, nihilque habet proprii l. I. §. I. l. III. D. de offic. ejus cui mand. est Jurisd. *Posterior*, *qui per Electionem Partium*, is dicitur, in quem Litigantes sub Pœnæ stipulatione compromittunt. Estque vel *Arbiter* vel *Arbitrator*. *Arbiter* is, qui vice Judicis suscepta, sua sententia controversiis finem imponit, servato juris ordine. l. XIII. §. II. D. de recept arb. magnam habens cum vero Judice affinitatem, utpote arbitriis ad similitudinem judiciorum redactis. (OB REM JOUDICANDAM PEQUUNIAM CEPET) Respicit huc Cicero IV. Verrina: *Omnium*, inquit, *rerum turpissimum maximeque nefarium est id ob rem judicandam* (sic enim legendum pro *judicatam*) *pequuniam accipere, precio habere addictam fidem & religionem*. Corrumpitur autem Judex *si Donationes accipiat*. l. unica. C. de contract. Judic. vel eorum &c. Corrumpitur item *Promissione & Datione*. l. XVII. C. de Testib. Præsumitur & corrumpi *Mutuum accipiens*. l. XVI. C. si cert. pet. (KAPITAL ESTOD) Statuit igitur hæc lex pœnam capitalem in Judicum Arbitrorumve perfidiam, quæ omnibus ætatibus odio fuisse legitur hominibus. Testatur idem Phavorinus apud Agellium lib. XX. cap. I. *Populo Romano hanc pœnam nimis duram fuisse visam: ideoque postea passum fuisse legem hujus generis de tam immodico supplicio, situ atque senio emori*: ideoque factum *ut posterioribus temporibus ejusmodi Judices injusti ex lege repetundarum extra ordinem puniti, & plerique vel exsilio mulctari fuerint soliti, vel etiam durius, prout admiserint*, teste Modestino in l. IV. §. ult. D. ad Leg. Jul. repet. Certe Judex pecunia corruptus *tamquam inutilis removendus*. l. III. C. de offic. præf. præter. Nam judicare non potest sententiamque ab eo prolatam infirmam jubent esse Imperatores. l. VII. C. quando provoc. non est nec. *Reusque repetundarum puniendus* l. II. & III. C. ad Leg. Jul. repet. Huc pertinet historia de pœna *Sisamnis δωροφάγου* Judicis, quæ legitur lib. V. cap. XXV. Herodoti; cui jussu Cambysis detracta cutis, quam quum rex in Tribunali expandisset, filio Sisamnis suffecto præcepit, ut commonefactus *pelle paterna*, juste judicaret. Hæc in genere *de Legibus Duodecim Tabularum*, quæ *ad Judicia* pertinent, sufficiant: *In specie* agam de iis fragmentis, quæ *Judiciorum ordinem & ritum* præscribebant, sive instituta ea essent *apud Prætorem*, sive *apud ipsum Populum*. De iis, quæ *apud Prætorem* institui solita priore loco dicam, idque vel *generatim*, vel *speciatim*. *Generatim* quidem, & quasi præparatorie, ut Practici loquuntur, *in de Jus vocatione*. de *Comparitione*, de *Dilatione*. *In Jus vocationem* præscribit fragmentum, quod sequitur.

3. SEI ENDO JOUS VOCATOS NON IT, STATIM ENCAPITO ANTESTARIER: SEI CALVITOR, PEDEMVE STRUIT, MANOM ENDOIACITO. SEI ENDO JOUS VOCATO MORBOS ÆVITASVE VITIOM ESCIT, QUEI ENDO JOUS VOCASIT, JOUMENTOM DATO, SEI NOLET, ARCERAM NEI STERNITO. Exstat hoc legum Duodecim Tabularum fragmentum apud varios scriptores. *Partem* primam laudant Lucilius lib. XVII. Satyr. apud Nonium in *Calvitur*; Acron & Porphyrio Horatii. Interpretes ad lib. I. Horat. Sat. IX. vers. LXXVI. Cicero lib. II. de LL. Auctor Rhetoricorum ad Herennium. *Secundam* adferunt Festus lib. XIV. in *Pedem* & lib. XVIII. *in struere*, Cajus IC. lib. I. ad Leg. Duod. Tab. in l. XVIII. D. de in jus vocando & l. CXXXIII. D. de verb. sig. *Tertiam* denique recitant Agellius lib. XX. cap. I. & apud eum Sextus Cæcilius. Varro lib. IV. de LL. & idem γεροντοδιδασκάλῳ apud Nonium in *Arcera* (SEI ENDO JOUS VOCATOS) Fragmentum hoc de variis Judiciorum Actibus loquitur. *Prima* pars de in Jus vocatione vel Citatione, *Secunda* de Contumacia; *Tertia* de Excusatione. *In Jus* autem *Vocatio* vel *Citatio* est rei, vel omnium, quos coram sisti opus est, & quorum principaliter interest, ubicumque caussæ cognitio requiritur, instante parte altera, ad se vocatio, juris sui experiundi gratia. (SEI ENDO JOUS VOCATOS NON IT) Sententia legis hæc est, ut Civis Romanus in jus vocatus, nulla mora interposita, vocantem sequatur. Quod si sequi nolit, adeo ut vi cogi oporteat, actor præsentes aliquot cives antestetur, id est in testes vocet: quod si adhuc sequi nolit, & fugiat, manum Actor injiciat, atque in jus rapiat. Si per morbum vel ætatem venire Reus non possit, ut Actor ei jumentum mittat, quo vehatur. (SEI ENDO JOUS VOCATUS) Exstant hæc, ut præmonui, apud Acronem

& Porphyrionem Horatii interpretes, ad lib. I. Serm. Sat. IX. v. LXXVI. hoc modo concepta, *Si vis vocationi testamini igitur, encapito antestari*. Quæ verba nemo non animadvertit esse vitiosissima, adeo ut nonnulli doctissimi viri, de medicina desperantes, ingenue testati fuerint ignorare se, quid sibi velint. Alii variis modis emendant. Dionys. Lamb. SI VIS VOCATIONI FIAT, ANTESTATUS EM CAPITO, id est si te in jus vocantem non sequatur in jus eum rapito. Turnebus in Advers. libris. SI IN JUS VOCAT NI IT, ANTESTATUS MANUM INJICITO, AUREM ANTESTATI CAPITO. Carolus Sigonius SI IN JUS VOCAT, ATQUE EAT. NI STATIM EAT, ENCAPITO ANTESTARI &c. Justus Lipsius lib. IV. Epist. quæst. Epistola XXVII. SI VIS VOCATIONI FUAT, ANTESTAMINOR; NE IT AUREM CAPITO ANTESTATI, SI CALVITUR &c. Cujacius lib. VII. Obs. cap. XVI. SI IN JUS VOCAT, NI EAT, MANUM INJICITO, EN CAPITO ANTESTARI. Quorundam ex his Emendationes eam ob caussam falsæ sunt, quod *injectio manus* ab lege non daretur, *nisi post antestationem*: & qui petebat priusquam manus ei, unde petebatur, inijceret, antestari juberetur, ne videretur injuriam facere. In vetustissimo Porphyrionis Exemplari sic legitur, *Si in jus vocationi antestamini* &c. ut omnino scriptum fuisse videatur SEI IN JOUS VOCATOS NON IT, STATIM &c. Ajunt igitur (SEI ENDO JOUS VOCATUS) Prima hæc verba citat etiam Cicero lib. II. de LL. ubi sic inquit: *A parvis enim Quinte didicimus* SI IN JUS VOCAT, *atque ejusmodi alias leges nominare*. Quorum verborum sensus non admodum est manifestus. Notat Cicero pueros apud veteres Romanos discere solitos *Leges Duodecim Tabularum*, tanquam Carmen necessarium. Leges autem illas nominat a primis verbis vel vocibus SI IN JUS VOCATUS: quum enim inquit *A parvis didicimus* SI IN JUS VOCATUS: nihil aliud est, quam si diceret, *a parvis didicimus Leges Duodecim Tabularum, quarum initium est Si in jus vocatus*. Videtur hoc Ciceroni familiare fuisse Libros tam aliorum, quam suos, nominare a primis vocibus. Sic lib. XVI. ad Attic. epistola II. *librum suum de Senectute* primis versus Enniani vocibus nominat hoc modo: *Librum meum illum, O Tite, tibi prodesse lætor*: Liber enim de senectute initium habet *ab Ennianis versibus:*

O Tite si quid ego adjuro, curamve levasso,
Quæ nunc te coquit & versat sub pectore fixa,
Ecquid erit pretii &c. ——

Sic idem Cicero libro I. de finib. bonor. & malor.

At utinam ne in nemore nihilominus legimus.

Indicat enim *Medeam Ennii* cujus hæc verba principium erant, ut ex Euripide colligitur. Non enim aliud voluit Cicero quam si dixisset. *At Medeam Ennii nihilominus legimus*. Corrigendus hic occurit elegans Ovidii locus, lib. II. Tristium, El. I. v. CCLX.

Sumserit, Æneidem genitrix ubi prima requiret.

Legendum enim:

Sumserit, Æneadum genitrix; ubi prima.

Intelligit enim Ovidius *Lucretii libros de rerum*

A *natura*: quod opus poeta sic orditur, *Æneadum genitrix* &c. Sic apud varios auctores opus Virgilii *Æneis* vocatur a suo principio, *Arma virumque;* inter alios apud Martialem lib. VIII. Epigr. LVI. v. XIX. & in Apoch. CLXXXV. v. II. ubi *non canas*, sed *legas* ex antiquo Codice est legendum, secundum hunc denominandi morem. Si quis repugnans velit Ciceronem lib. II. de LL. sic loquutum, non quod lex illa principem locum obtinuerit inter leges Duodecim Tabularum nimirum SI IN JUS VOCATUS: sed principium alius fuerit legis inter alias positæ, non repugnabo. Nam & ita hodie *ex primis verbis leges* denominare solemus; ut quum dicimus *l. lecta*, l. *frater a fratre*: *l. vinum* & similes: ut eodem modo etiam Veteres fuerint loquuti, & Cicero dixerit *A parvis enim didicimus* SI IN JUS VOCATUS: id est legem illam Duodecim Tabularum, cui initium, SI IN JUS VOCATUS. Quum autem verba Ciceronis in vulgatis codicibus sic se habeant: *A parvis enim, Quinte, didicimus* SI IN JUS VOCATUS *atque eat & ejusmodi alias* &c. putavit Carolus Sigonius Legem hanc ab Decemviris ita fuisse conceptam, SI IN JUS VOCET ATQUE EAT, ait ATQUE sic positum pro *statim*; qua notione vox illa etiam legitur apud Agellium lib. X. cap. ult. ubi docet *Atque* particulam pro *statim* usurpari solitam. Sic Ennius in Annal.

B

C

Atque atque ascendit muros Romana juventus.

Sed in emendatioribus Ciceronis libris sic legitur, *A Parvis enim, Quincte, didicimus* SI IN JUS VOCAT, *atque ejusmodi alias leges nominare*. Ajunt Decemviri (NON IT) id est si contumacem se præstat. *Contumacia* nihil aliud quam in Judicem commissa inobedientia, non veniendo, non respondendo, & quoquo modo quis judicis jubentis mandato non obediat. Sequitur (STATIM EN CAPITO ANTESTARIER) Adverbium *statim*, quod latebat apud Porphyrionem in voce *Antestamini*, necessario requiritur. Ait enim Agellius, *jubere legem eam, qui in jus vocatus esset, nulla interposita mora vocantem sequi*. Respicit hic auctor Rhetoricor. ad Herennium: *Lege jus est id, quod populi jussu sancitum est, quod genus Ut in jus eas, quum voceris*. (EN CAPITO ANTESTARIER) EN CAPITO antique pro *incipito*. (ANTESTARIER) *Antestor* vetus est Jurisconsultorum verbum, significans accipere in testimonium. Apud veteres enim qui adversarium in jus pertrahere volebat, prius aliquem de præsentibus *antestabatur*, hoc est testem capiebat, ejus attingens auriculam & sic interrogans, *Licetne antestari?* illo autem respondente, *Licet*: tum injecta manu adversarium in judicium trahebat. Quæ omnia venuste Flaccus expressit lib. I. Ser. Sat. IX. Quum enim diceret se in garrulum quendam molestumque hominem incidisse, qui quum vadato respondere deberet, maluisset litem perdere, quam Horatium relinquere. Sed tamen casu obvius illi fuit, inquit, v. LXXV.

D

E

F

Adversarius; & quo tu turpissime? magna
Exclamat voce, & licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam, rapit in jus: clamor utrimque;
Undique concursus; sic me servavit Apollo.

Ejusdem ritus mentio fit apud Plautum in Pœnulo & Persa. In Persa quidem multo apertius his verbis Actus IV. Sc. IX. v. VIII.

Age, ambula in jus, Leno. D. quid me in jus vocas?
S. Illic apud Prætorem dicam: sed ego in jus voco.
D. Nonne anteſtaris? S. Tuan' ego cauſſa, carnufex,
Cuiquam mortali libero aures atteram?

Quæ verba inter alia indicant, *ſolos liberos* apud Veteres Romanos fas fuiſſe anteſtari, *Servos autem Teſtes* eſſe non potuiſſe. Sic in Pœnulo adoleſcens patruo ſuo recte reſpondet:

Ego te anteſtabor, poſtea hanc amabo atque amplexabor.

Quare autem Atteſtantes *Teſtium aures* deprehenderent, docet eleganter Plinius lib. XI. cap. XLV. *Eſt in aure una memoriæ locus, quem tangentes atteſtamur.* Teſtatur Lipſius lib. IV. Epiſt. quæſt. epiſt. XXVII. apud Laurinos lapillum eſſe, *in quo caput ſculptum, & manus aurem atterens*, cum verbo Græco *μνημόνευε*. Ad ſolennem autem illam *Auris Vellicationem* reſpicit Virgilius Ecloga VI. v. III.

Cum canerem reges & prælia, Cinthius aurem
Vellit, & admonuit; Paſtorem Tityre, pingues
Paſcere oportet oves. ——

Idem in Copa:

Pone merum & talos: pereat, qui craſtina curet;
Mors aurem vellens, Venite, ait, Venio.

(ANTESTARIER) Priſcianus ait lib. VIII. *Impuberem libripendem eſſe non poſſe, neque anteſtari*; eoque loco *Anteſtari* paſſive intelligi. Idem notat huic verbo *Anteſtari* reſpondere vocem Græcam προδιαμαρτυρηθῆναι, Budæus vero, κλητεύειν.

SEI ENDO JOUS VOCATOS NON IT, STATIM ENCAPITO, ANTESTARIER: SEI CALVITOR PEDEMVE STRUIT, MANUM ENDOIACITO: SEI ENDO JOUS VOCATO MORBOS ÆVITASQUE VITIOM ESCIT, QUEI ENDO JOUS VOCASIT, JOMENTOM DATO: SEI NOLET ARCERAM NEI STERNITO. (SEI CALVITOR) In jus vocatus, niſi eat, ducitur: ſi quum ducitur, pedem ſtruit, manus illi injicitur & obtorto collo rapitur (CALVITOR) *Calvi* Nonius interpretatur fruſtrari: qui & aliorum ſcriptorum teſtimonia in hanc rem citat. Utuntur enim ea & Pacuvius in Medo & Duloreſte, Plautus in Caſina, Accius in Euryſace. Sic Salluſtius lib. III. hiſtor: *Contra ille Calvi ratus, quærebat num ſomnio Theſaurus portenderetur.* Igitur, ſi in jus vocatus calvitur, id eſt ſimulat ſe vocantem ſequi velle, ſed fruſtratur, Cajus J C. Commentario ad Duodecim Tabulas ſecundo, in lib. CXXXIII. D. de verb. ſig. interpretatur, *ſi moretur & fruſtretur.* Male in vulgatis libris eſt *Si calumnietur*, vel *cavilletur*: melius in Florentinis, *Si calvitur*, quæ res Accurſium in errorem induxit, dum illa verba rubricam eſſe exiſtimat. Eleganter exprimit partem hujus fragmenti Lucilius Sat. XVII. apud Nonium in voce *Calvitur*, ubi tum valde corrupte legitur:

Si non it capito inquit eum, & ſi calvitur ergo.
Fur Dominum ——

Prodigioſa ſcriptura: quam docti viri jam dudum ſunt odorati; quorum alii *Endo manum*, alii *Fer dominum* ſcribendum ingenioſe magis A quam vere judicarunt. Scripſit Lucilius, quod negari non poteſt:

Sei non it, capito inquit eum: & ſi calvitur endo
Ferto manum ——

Scribendum *endo* pro ergo: cujus erroris proclivis eſt occaſio: deinde *Ferto manum*: pro *Fer dominum*: *d* littera pro *t* poſita proximam etiam vocem corrupit. Eſt igitur *Endo ferto manum*, idem quod in Duodecim erat, *Manum endo jacito*. Affectavit enim Lucilius ſimilem verbi compoſitionem, quem in morem Gloſſarium B interpretatur *endo feſtabat* ὠργίζετο, *endoplorato* ἐπικάλεσον. Alia id genus apud alios prætereo. (PEDEMVE STRUIT) hoc eſt ſi retrorſum it, ſi fugit, ſi gradum auget vel minuit, ſi remoratur, ut Feſtus interpretatur. Sic etiam Gloſſarium vetus, *Struere pedem*, φύγειν (SEI ENDO JOUS VOCATO) Sequitur jam pars illa hujus fragmenti, quæ agit de *Excuſationibus*. *Excuſationes* voco, quibus in Judicium vocatus expurgare ſe poteſt, quod non ſe ſiſtat. *Excuſationis* cauſſæ legitimæ ſunt *Bellum*, & *Metus ab hoſtibus*, *Morbus* vel *ipſius vocati*, *vel ejus Patris*, C *Matris*, *Liberorum*, *aliorumque conſanguineorum*, ſi quidem Morbus non careat periculo; item *Peſtis*, *Carcer*, *Nuptiæ*, *Exſequiæ*, *Abſentia reipublicæ cauſſa*, *Magna paupertas*, *Provecta ætas*, & ſimilia. Indicantur in hac lege duæ Cauſſæ *Morbus* & *Senium* tale, quod faciendo itineri ſolet impedimentum creare: quibus tum incommodis Decemviri occurrunt. Volunt enim ut in jus vocato, ſi debilioris ſit valetudinis, vel provectæ nimium ætatis, adeo ut pedes officio fungi nequeant, plauſtrum detur, ne cauſatio ægri corporis perpetuam daret occaſionem detrectantibus, jurisque actiones declinantibus va- D cationem. (MORBOS) *Morbum* Sextus Cæcilius hic interpretatur, non gravem ægrotationem cum febre, ſed valetudinis atque imbecillitatis vitium aliquod. Ille enim alter *morbus Sonticus* ab Decemviris appellatur, ut poſtea videbimus. Sic enim apud Agellium lib. XX. cap. I. Cæcilius: *Morbus in Lege iſta non febriculoſus neque nimium gravis, ſed vitium aliquod imbecillitatis atque invalentiæ demonſtratur, non periculum vitæ oſtenditur*: (AEVITASVE) *Ævitas* nihil aliud quam *Senium*, cum ſcilicet jam provectioris ætatis ſunt homines, & quaſi capulares, ut inquit Plautus (VITIOM ESCIT) VOX ESCIT E in vetuſtiſſimo eſt Codice. Pro eo alii habent *exſtitit*, alii *eſſet*. ESCIT vera lectio eſt, eaque uſi ſunt & alias Decemviri in legibus hiſce ſcribundis, ut videre eſt apud Feſtum AST EI CUSTOS NEC ESCIT. Sic Ennius in libris Annal.

Dum quidem unus homo Romæ ſuper eſcit.

Videndus Feſtus in *Eſcit*. Sic Lucretius lib. I. v. IOCXX.

F *Ergo inter rerum ſummam minimamque quod eſcit.*

Eſcit autem pro erit, ut Feſtus docet. (QUEI ENDO JOUS VOCASIT) Actor his verbis deſcribitur, VOCASIT pro vocaverit. (JOMENTUM DATO) *Jumentum* hoc loco non ſignificat, quemadmodum alias, ſimplex jumentum, vel unicum pecus tergo vehens, ut Equum vel Mulam ad equitandi uſum conceſſam; ſed *Vectabulum* quod ab junctis pecoribus traheretur. Nam Ve-

teres *Jumentum* ab jungendo dixerunt. (SEI NOLET ARCERAM NEI STRUITO.) Decemviri his verbis postulanti Arceram reo sterni vetuerunt, non quod eam delicate sternere actor, si voluisset, prohiberetur: verum quod eam reo sine Arcera in jus sequi recusanti invitus actor sternere non cogeretur. Vocabatur autem *Arcera* Plaustrum tectum undique & munitum, quasi arca quædam magna, vestimentis instrata, qua nimis ægri & senes portari cubantes solebant. Varro lib. IV. de LL. *Arcera, quæ etiam in duodecim tabulis appellatur, quod ex tabulis vehiculum erat factum, ut Arca, Arcera dictum*. Sic Nonius: *Arcera plaustrum est rusticum, tectum undique quasi arca. Hoc vocabulum est & apud Varronem, & apud M. Tullium invenitur. Hoc autem vehiculi genere Senes & ægroti vectari solent*. *Varro* γεροντοδιδασκάλω: *vehebatur cum uxore vehiculo semel aut bis in anno, cum arcera si non vellet, non sterneret*. Quæ verba corrupta admodum. Latent enim in iis verba Legis hujus Duodecim Tabularum, quæ Varronis verbis sunt immista. Sic igitur legendum: *Vehebatur cum uxore semel aut bis in anno arcera: In Duodecim Arceram Sei nolet, nei sternito*. Porro ad hanc de in Jus vocatione legem scripsisse videtur Cajus JC. quæ leguntur tribus locis in Pandectis tit. de In Jus vocando. Primo quidem l. XVIII. ubi sic habetur: *Cajus lib. I. ad Legem Duodecim Tabularum. Plerique putaverunt nullum de domo sua in jus vocari licere, quia Domus tutissimum cuique refugium, atque receptaculum sit: eumque qui inde in jus vocaret, vim inferre videri*. Deinde vero in l. XX. ubi sic: *Cajus lib. I. ad Legem Duodecim Tabularum: Sed etiam a Vinea, Balneo, & Theatro nemo dubitat in jus vocari licere*. Postremo denique in l. XXII. ubi hæc exstant: *Cajus lib. I. ad Legem Duodecim Tabularum: Neque impuberes puellas, quæ alieno juri subjectæ essent, in jus vocare permissum est. Qui in jus vocatus est, duobus casibus dimittendus est: si quis ejus personam defendit, & si dum in jus venitur, de re transactum fuerit*. Hæc de lege quæ agebat de *in Jus vocatione*; sequitur illa quæ de *Comparitione*, ut Practici loquuntur.

4. SEI STATOS DIES SIET CUM HOSTE) Exstant hæc verba apud Ciceronem l. I. de Offic. Addita in fine vox VENITO vel ITO plenam faciet legis sententiam quæ hæc est, Is qui judicio sisti promiserit Adversario secundum suam vel Fidejussorum promissionem, veniat & se sistat ad diem statutum. Respicit ad hanc legem Plautus in Curculione, A. I. S. I. ver. V.

Si status condictus cum hoste intercedit dies,
Tamen est eundum, quo imperant, ingratiis.

Sic Agellius lib. XVI. cap. IV. *Concipiebant jusjurandum ut adessent his additis exceptionibus*. & post: *nisi ipsius eo die ibi sit jus hostisve, status condictusve dies cum hoste*. Ex quibus verbis hæc lex his verbis videtur concipienda: SEI STATOS CONDICTOS SIET CUM HOSTE DIES, ITO VEL VENITO. *Status dies* vocatur, ut notat Festus, qui judicii causa est constitutus. Dierum enim apud Romanos alii erant *Sacri*, alii *Intercisi*, alii *Negociosi*. *Sacri*, qui Deorum caussa erant instituti, ut Nefasti omnes, quibus inerant Sacrificia, Epulæ, Ludi, Feriæ. *Intercisi* dicebantur qui Deorum hominumque erant communes. *Negociosi*, qui hominum caussa erant constituti: horum alii *Fasti* erant alii *Nefasti*. Inter *Fastos* erant & *Dies Stati*, de quibus in hac lege. *Hostis* autem in hac lege

A idem cum *Peregrino*. *Hostis*, inquit, Festus *apud antiquos Peregrinus dicebatur & qui nunc hostis perduellis*. Cicero lib. I. Offic. *Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, his hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus*. Sic in Epitaphio Ennii.

Hic est ille situs, cui nemo civis neque hostis,

id est peregrinus. Hæc de secunda lege: sequitur Tertia, quæ loquitur de *Dilatione Judiciali ob*
B *urgentem caussam*.

5 SEI JOUDEX VEL LITIGATORUM ALTER MORBO SONTICO IMPEDEITOS SIET, DIES JOUDICIEI DIFFEISOS ESTOD. Exstat apud Ulpianum in l. II. §. III. in fine. D. si quis cautionibus in judicio sistendi caussa factis non obtemperavit. Julianum in l. LX. D. de re judicata. Agellius lib. XX. cap. I. & apud eum Sex. Cæcilius. Festus lib. XVII. in Sonticum & apud eum Ælius Stilo. (SEI JOUDEX VEL LITIGATORES) Agit hæc lex de *Dilatione Judiciali* ob urgentem & neces-
C sariam caussam. Sententia enim ejus est, ut si judex vel alter ex Litigatoribus gravi morbo correptus, eoque modo impeditus, judicio præesse, vel in eo apparere non posset, actio illa in illum diem differretur. Ulpiani verba sunt hæc: *Si quis judicio se sisti promiserit, & valetudine, vel tempestate vel fluminis vi prohibitus se sistere non posset, exceptione adjuvatur, nec immerito: quum enim in tali promissione præsentia opus sit; quemadmodum potuit se sistere, qui adversa valetudine impeditus sit? & ideo etiam lex Duodecim Tabularum, Si judex vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur jubet diem ju-*
D *dicii esse diffisum*. (VEL LITIGATORUM ALTERUTER) vel Actor, vel Reus (IMPEDITOS SIET MORBO SONTICO) Non omnes morbi differunt judicii diem, sed *Morbus sonticus*: hæc Duodecim Tabularum verba recitat & Julianus JC. l. LX. D. de re jud. *Quæsitum est quum alter ex Litigatoribus febricitus decessisset, & judex absente eo pronunciasset, an jure videtur pronunciasse; respondit Morbus Sonticus etiam invitis Litigatoribus ac Judice diem differt*.

SEI JOUDEX VEL LITIGATORUM ALTER MORBO SONTICO IMPEDEITOS SIET, DIES
E JOUDICIEI DIFFEISOS ESTOD. MORBO SONTICO. Quis *Morbus Sonticus* proprie apud Veteres fuerit habitus & dictus, nondum plene constat. Javolenus JC. in l. CXIII. D. de verb. signif. scribit *Morbum Sonticum* esse, *qui cuique rei nocet*. *Sex. Cæcilius* apud Agellium lib. XX. cap. I. dicit Decemviros *Morbum Sonticum* appellasse *morbum vehementiorem, quique graviter nocendi vim habeat*. Sontes enim esse, qui nocent. *Julianus* in d. l. LX. D. de re judic. existimat, *Morbum Sonticum* esse, *qui cujusque rei agendæ impedimento est*: & addit ibi: *Litiganti porro quid ma-*
F *gis impedimento est, quam motus corporis contra naturam quem febrem appellant? Igitur si rei judicandæ tempore alter ex litigatoribus febrem habuit, res non videtur judicata, potest tamen dici esse aliquam & febrium differentiam, nam si quis sanus alias ac robustus tempore judicandi levissima febre correptus fuerit; aut si quis tam veterem quartanam habeat, ut in ea omnibus negociis superesse soleat; poterit dici morbum sonticum non habere*. Cassius apud Venulejum in l. ult. §. I. D. de ædilit. edicto arbitratur *Morbum Sonticum* esse,

qui *indicit in hominem, postquam is natus sit*, perpetuoque illi adhæret. Ejus verba hæc sunt: *Quoties morbus sonticus nominatur, eum significari Cassius ait, qui noceat: nocere autem intelligi, qui perpetuus sit, non qui tempore finiatur; sed Morbum Sonticum eum videri, qui inciderit in hominem, postquam is natus sit. Sontes enim nocentes dici. Ælius Stilo* apud Festum *Morbum sonticum* eum appellari ait in duodecim tabulis, qui *certus*, cujusque *certa est caussa & justa, quem* inquit *nonnulli putent esse qui noceat, quod sontes significet nocentes. Morbum* hunc Græci θεηλάτον νόσον appellant. In Glossariis dicitur ἱερὰ νόσος. Hinc *sontica caussa* a morbo dicitur, quæ quid agere non permittit, apud Festum. Hic igitur Moribus diem Judicii ipso jure differt etiam invito judice. l. II. §. III. D. Si quis cautionib. & l. LX. D. de re judicata. (DIES JUDICII DIFFEISOS ESTOD) Si morbo sontico Actor vel reus impeditus esset, Morbum in judicio allegari per amicum curaret, tunc Prætor excusatione cognita, in diffindendo diem hac formula utebatur: HIC DIES DIFFISUS ESTO (DIFFEISOS ESTOD) *Diffindo* proprie in partes findo. Hac lege *Diffindere diem* nihil aliud, quam in aliud tempus remittere. *Tria* enim erant apud antiquos *pronunciandi genera*: *aut enim dies diffindebatur*, hoc est res in posterum diem rejiciebatur; *comperendinabatur*, id est in tertium diem differebatur; aut *judex non liquere* pronunciabat. Eadem voce utitur Agellius l. XIV. cap. II. *Jussi diem diffindi*, ubi & paullo post *Diffisionibus comperendinationibusque*. Livius lib. XI. c. XXXVIII. *Legem Curiatam triste omen diffidit*. Horat. lib. II. Ser. I. v. LXXIX. *Nihil diffindere possum*. Ad hujus autem Duodecim Tabularum legis explicationem scripsit proculdubio Cajus JC. ea quæ leguntur tit. D. si quis cautionibus &c. in l. VI. Sic enim ibi scriptum: *Cajus lib. I. ad Legem duodecim Tabularum; Si is qui fidejussorem dedit, ideo non steterit, quod Reipublicæ caussa abfuerit, iniquum est Fidejussorem ob alium necessitate sistendi cogendum esse, quum ipsi liberum esset non sistere.* Hæc de Lege, quæ ad *Dilationem Judiciorum* pertinebat, dicta sunto: sequuntur aliquot leges, quæ tractant de *Judiciali Velitatione*, quæque eam comitantur: quarum prima his verbis concepta fuisse creditur.

CAP. XXII.

1 *Prima lex de judiciali velitatione.*
2 *Secunda.*
3 *Tertia.*
4 *Quarta.*
5 *Quinta.*
6 *Prima de probationibus.*
7 *Secunda.*

I. REM UBEI PAGONT, ORANTO. NEI PAGONT ANTE MEDIDIEM ENDO FORO AUT ENDO COMITIO CAUSAM CONICIUNTO; POST MEDIDIEM PRÆSENTE AMBOBUS LEITEM ADEICITOD: SOL OCCASUS SOPREMA TEMPESTAS ESTOD. Concinnata hæc lex ex variis fragmentis, quæ laudantur cum ab Auctore Rhetoricorum lib. II. ad Herennium, tum ab Agellio lib. XVII. cap. II. Varrone lib. V. de LL. Macrobio lib. I. Saturnal. cap. III. Quintiliano lib. I. cap. X. Festo in Supremum. Plinio lib. VII. cap. LX. Censorino de die Natali, c. XXIV. Terentio Scauro libro de Orthographia: Auctoris ad Herennium lib. II. verba sunt hæc: *Pacta sunt, quæ legibus observanda sunt hoc modo:* REM UBI PAGUNT ORATO; NI PAGUNT IN COMITIO AUT IN FORO ANTE MERIDIEM CAUSAM CONJICITO. Sic ibi legunt docti viri, quum corrupte in vulgatis libris esset: REM UBI PAGUNT, ORATIONE PAGUNT IN COMITIO &c. Cujacius ad leg. VI. D. de pactis legit. UBI PAGUNT, IN COMITIO &c. Dionys. Gothofr. REM UBI PAGUNT, ORATIONE PAGUNTO &c. Sed quum in Manuscriptis libris legatur ORANTO NI PAGUNT: proculdubio sic emendandum, ut eam concepi. Agellius autem sic scribit lib. XVII. cap. II. ut quidem est in vulgatis libris inemendate admodum: *Sole occaso non insuavi venustate est, si quis aurem habeat non sordidam, neque proculcatam. In duodecim autem tabulis verbum hoc ita scriptum est* ANTE MERIDIEM CAUSSAM CONSCITO (PRENJIGITE) POST MERIDIEM PRÆSENTI LITEM ADDEICITO SI AMBO PRÆSENTES, SOL OCCASUS SUPREMA TEMPESTAS ESTO. Varronis verba ita vulgo leguntur lib. V. de LL. mendosissime: *Suprema, summum diei, id a supremo hoc tempus duodecim tabulæ dicunt occasum esse solis, sed postea lex Plætoria id quoque tempus jubet esse supremum, quo Prætor in Comitio pronunciavit populo* &c. Vox *Prætor* mendum est nullo modo ferendum. Non enim *Prætor* sed *Præco* supremum populo pronunciabat, ut docet Donatus interpres Terentianus, quum inquit. *Sic Judices de Consilio dimittebant suprema dicta quum Præco pronunciabat populo Ilicet, quod significat Ire licet*. Sic Macrobius lib. I. Sat. cap. III. refert in duodecim fuisse *Solis occasus* (legend. *Sol occasus*) *suprema tempestas esto*. Aliorum scriptorum verba de hac lege in ipsa legis explicatione recitabo. Legis autem sententia hæc est: Ut Litigantes si de re controversa paciscerentur, vel litem inter se componerent, orarent, id est oratione id peragerent: quod si non paciscerentur, tum ante Meridiem *in Foro* aut *in Comitio* (iis enim in locis jus dicebatur) caussam conjicerent, id est breviter narrarent, non integra & prolixa oratione exponerent: eo facto Prætor post meridiem litem id est rem controversam ei, qui caussam obtinuisset, addiceret, ambobus præsentibus. Utriusque enim Litigatoris præsentiam lex in lite addicenda desiderat: qua caussa institutum illud fuit, ut absente altero, alter a Prætore *Edictum* peteret, quo absens intra dies decem adesse juberetur, ni veniret: item *alterum Edictum*, item *Tertium*: quibus propositis tunc *Peremtorium* proponebatur, quo adversario facultas omnis tergiversandi præcidebatur: quippe quum in hoc denuncietur, fore ut etiam absente adversario res cognoscatur ac judicetur, quemadmodum plenius discemus in tractatu Judiciorum, vel rituum, qui in Judiciis veterum observari fuerunt soliti. Ajunt igitur Decemviri (REM UBI PAGUNT) *Rei* appellatio quam varie accipiatur ab Jurisconsultis, alias sæpe dixi. (REM UBEI PAGUNT) *Pago*, auctore Quintiliano lib. I. cap. X. antiquum verbum est, quo utebantur pro paciscor. Servius tamen dicit *Pago* nusquam lectum esse: quod si in memoria habuisset leges Duodecim Tabularum, numquam scripsisset. (ORANTO) *Orare* & *Adorare* pro Agere antiquos dixisse docet Festus in verbo Orare, adducto Ennii versu:

Tu face vero quod te cum precibus pater orat,

Et Duodecim Tabularum adscripta lege, *Sei*

adorat furto. Sic Plinius lib. VII. cap. LIII. *Legatus Rhodiorum caussam in Senatu magna cum admiratione oraverat*. Hinc *Orator* apud Ennium;

Orator sine pace redit, Regique refert rem.

Terent. in Prologo Hecyr. altero vers. I.

Orator ad vos venio, sine exorator ut siem.

(NEI PAGUNT) Apud Quintilianum lib. I. cap. X. legitur (NEI ITA PAGUNT) vocem ITA spuriam esse arbitror & ab alio adjectam, non ab Decemviris. Nam NEI PAGUNT diserte legit Terentius Scaurus in libro de Orthographia, ubi profert hoc legis fragmentum. (ANTE MEDIDIEM) *Medidiem* quasi medium diem Veteres dixisse pro *Meridiem* memoriæ prodit Velius Longus de Orthographia. *Meridies*, inquit Censorinus libro de die natali cap. XXX. quod est mediæ diei nomen. (ENDO FORO) Intelligit *Forum Romanum*, quod inter alia Fora erat *maximum* & *nobilissimum*, omniumque primum & antiquissimum. De eo alias dixi. (ENDO COMITIO) *Comitium*, Sexto Rufo teste, locus Romæ foro conjunctus; imo pars fori a Palatii porta incipiens & finiens, ubi hodie templum *D. Mariæ Novæ*. In Comitio *jus dicebatur*, ut patet ex hac Duodecim Tabularum lege: Ibi erant *Litigiosi*, ibi qui religionem jurisjurandi parum colere noverant. Recte Plautus in Cur. A. IV. S. I. vers. IX.

Qui periurum convenire volt, hominem mitto in Comitium.

Inde *Comitiales* apud Plautum in Pœnulo, qui triti in foro & Comitiis, quibus cordi & curæ Lites, qui frequentes ad Tribunal Prætoris, quod in Comitio. (CAUSSAM CONICIUNTO) *Conjicere Caussam* nihil aliud esse, quam caussam paucis agere, ipsa legis sententia satis docet. *Caussam conjicere* pro *agere* positum ab antiquis monet Nonius in verbo Conjicere, apud quem Afranius: *Caussam conjicere hodie hic apud te volo; ambon' adestis! profuturos arbitror*. Hinc *Caussæ Conjectio*, id est brevis narratio apud Paullum J C. in lib. I. D. de reg. jur. *Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat; non ex regula jus sumatur, sed ex jure quod est regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, &, ut ait Sabinus, quasi caussæ Conjectio est*. Ubi male in vulgatis libris legitur *Conjunctio*. Est enim ibi metaphora sumta *ab Oratoribus*, qui vel in principio obiter summam totius caussæ conjiciunt, ut attentiorem faciant auditorem, vel in fine, ut eum memorem dimittant. Est namque in legis sententia, quod est *Caussæ Conjectio* inter Rhetores, illud *Regulam* esse inter Jurisconsultos. (CONJICIUNTO) Sic scribendum per simplex *i* more antiquo. Veteres enim sic scripsisse *Abicio*, *Adicio*, *Conicio*; pro quibus nunc dicimus *Abiicio*, *Adiicio*, *Coniicio* testatur Aldus Manutius in sua Orthographia.

POST MEDIDIEM PRÆSENTED AMBOBUS LEITEM ADDEICITO: SOL OCCASOS SOPREMA TEMPESTAS ESTOD. PRÆSENTED AMBOBUS) Antiquus loquendi modus, pro *Præsentibus ambobus*. Nam Veteres *Præsente* pro *Præsentibus* dixisse, ostendit Nonius Marcellus, adducto testimonio Plauti ex Syris:

Quidam apud forum præsente testibus mihi vendidit;

A Accii ex Menalippo.

Est res aliqua, quæ præsente his prius mature institit.

Fenestellæ denique ex lib. II. Annal.

Et quædam extra præsente suis, quædam absente projecissem.

(LEITEM ADDEICITO) Alii legunt PRÆSENTI LITEM ADDICITO, SI AMBO PRÆSENTES SUNT) quæ verba glossema sapere notant viri docti: *litem autem addicere* quid, alias dicam. *Addicere* vox una ex tribus, quæ fari nefastis diebus prætori non licebat: ea erant *Do*, *Dico*, *Addico*. *Dabant* enim Prætores Bonorum Possessionem, Tutores, Judicia: *Dicebant* Mulctam, Viam: *Addicebant* Bona, Litem, Libertatem, Servitutem, Ingenuitatem. (SOL OCCASUS) Hæc vera legis scriptura: male enim apud Varronem lib. V. & VI. legitur *Solis Occasus*. Confirmant Veterem lectionem legisque sententiam illustrant quæ leguntur apud Censorinum de die Natali, cap. XXIV. *Prætor Urbanus qui nunc est, queique posthac fuerit, duos lictores apud se habeto usque ad supremam, ad Solem occasum jous inter ceivis deicito.* &c. (SUPREMA TEMPESTAS ESTOD) id est diei novissimum tempus, ultima vel suprema hora l. I. §. VIII. D. quando appell. non est nec. l. II. in fine. D. de verb. sig. Hæc de Prima: sequitur *secunda* de *velitatione Judiciali* Lex.

2. SEI QUEI ENDO JOURE MANOM CONSERONT; UTREIQUE SOPERSTITEBOS PRÆSETEBOS VINDICIAS SUMUNTO.) Exstat hæc lex apud Agellium lib. XX. cap. I. & Festum in Superstites, l. XVII. Agellii verba sunt hæc: *Manum conserere est de qua re disceptabatur in re præsenti, sive ager, sive quid aliud est, quum adversarium simul manu prehenderet, in ea re omnibus verbis vindicare, id est vindicia correpta manu in re atque loco præsenti apud Prætorem ex duodecim tabulis fiebat, in quibus ita scriptum est: Sei quei* &c. Festus l. XVII. autem in verbo Superstites, sic se habet: *Superstites præsentes, testes præsentes significat, cujus rei testimonium est, quod superstitibus præsentibus ii inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur.* (SEI QUIS ENDO JURE MANOM CONSERONT) Constat ex Agellii verbis *consertionem illam manuum* factam fuisse *in re atque loco*, de quo disceptaretur, præsenti, & quidem apud Prætorem, id est Prætore præsente, *quo nomine* tunc *Consules* nominabantur, quum nondum peculiaris *Prætorum* magistratus esset, ut ex Cicerone liquet, satisque docet rerum Romanarum historiæ series. Addit autem ibi Agellius: *postquam Prætores propagatis Italiæ finibus datis Jurisdictionibus occupati, proficisci vindiciarum dicendarum caussa longinquas in res gravabantur, institutum fuisse contra Duodecim Tabulas tacito consensu, ut Litigantes, non in jure apud Prætorem manus consererent, id est alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem de qua ageretur, vocaret: atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur terræ aliquid ex eo, uti unam glebam ad Prætorem deferrent, atque in ea gleba tamquam in toto agro vindicarent.* (SEI QUIS ENDO JURE) Jus in hac lege, quemadmodum etiam apud scriptores alios, locus est, ubi Prætor vel alius magistratus consistit, juris dicundi vel judicandi gratia, sive domi, sive in itinere, sive de plano hoc agat. *Jus* igitur hic pro loco vel re controversa, ubi Prætorem adesse & victori

possessionem ejus adjudicare oportet, est accipiendum. (MANUM CONSERUNT) Quid *manus conserere* sit, ex Agellio jam didicimus. *Manum* enim *conserere* dicebantur Litigantes, quum in aliam aut aliam rem, de qua controversia erat, profecti, rem litigiosam aut aliquam ejus particulam manu apprehendebant, jusque suum in re præsenti vindicabant. Respicit ad hanc legem elegantissimus ille Ciceronis locus in oratione pro Murena: *Itaque irati illi* (de Jurisconsultis loquitur) *quod sunt veriti, ne dierum ratione pervulgata & cognita, sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent. Quum hoc fieri bellissime posset*, FUNDUS SABINUS MEUS EST: IMMO MEUS: *deinde judicium: noluerunt*. FUNDUM, *inquit*, QUI EST IN AGRO, QUI SABINUS VOCATUR. *Satis verborum: Cedo, quid postea?* EUM EGO EX JURE QUIRITUM MEUM ESSE AIO. *Quid tum? Inde* EGO TE EX JURE MANU CONSERTUM VOCO. *Quid huic tam loquaciter litigioso responderit ille, unde petebatur, non habebat. Transit ad eum Jurisconsultus Tibicinis Latini modo*: UNDE TU ME EX JURE MANU CONSERTUM VOCASTI, INDE EGO TE REVOCO. *Prætor interea ne pulcrum se ac beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est, cum ceteris rebus absurdum, tum vero nullo usu*: UTRISQUE SUPERSTITIBUS PRÆSENTIBUS, ISTAM VIAM DICO, ITE VIAM. *Præsto aderat sapiens ille, qui ire viam doceret* REDITE VIAM: *eodem die redibant*. Sic Ennius lib. VIII. Annalium

Non ex jure manu consertum sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

Quos citat cum Agellius lib. XX. cap. IX. tum Cicero & pro Muræna & lib. VII. Epist. ad Famil. epist. XIII. Hinc etiam apud Valerium Probum singulares hæ notæ E. I. M. C. V. id est EX JURE MANU CONSERTUM VOCO. Pergunt. Decemviri UT REIQUE SOPERSTITEBOS PRÆSENTEBOS) Festus lib. XVII. *Superstites testes præsentes significat. Cujus rei testimonium est quod superstitibus præsentibus ii, inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur. Plautus in Artemone*

Nunc mihi licet quidvis loqui, nemo hic adest superstes.

Sic Cicero in Oratione pro Muræna: *Utrisque præsentibus superstitibus istam viam dico*. Apud quem recte ne an cum vitio legatur, *Utrisque superstitibus præsentibus*, in dubium vocat Servius, qui in lib. III. Æneid. vers. CCCXXXIX. ad ea verba *superatne & vescitur aura*, *Alii dicunt*, ait, *superat, id est superstes est: sed superstes præsentem significat, ut Cicero in Murænianа suis utrisque superstitibus, id est præsentibus*. Sed vulgatam Ciceronis scripturam confirmant & stabiliunt, quæ ex Festo adduxi. (VINDICIAS SUMUNTO) Festus: *Vindiciæ olim dicebantur illæ, quæ ex fundo sumtæ in jus allatæ erant. At Ser. Sulpicius nomine* (sic enim supplendus Festi locus) *jam singulariter formato, Vindiciam esse ait qua de re controversia est, ab eo quod vindicatur*. Eum autem, qui fundum

A petiturus esset, nomen ejus, & quo loci esset, dicere debuisse, Paullus tradit in l. VI. D. de rei vindicat. Ibidemque ait, eum qui in rem agebat, designare debuisse rem, quam vindicabat, & utrum totam, an partem & quotam peteret. Sed ad hanc legem hæc sufficiant. Sequitur *tertia* de *Velitatione Judiciali*.

3. SEI VINDICIAM FALSAM TOLIT, SEI VELIT IS. . . . . TOR ARBITROS TRIS DATO: EOROMQUE ARBITRIO JOUDICIOQUE FRUCTUS DUPLIONE DAMNOM DECEIDITO. Festus lib. ult. *Vindiciæ olim dicebantur illæ, quæ ex fundo sumtæ in Jus allatæ erant. At Servius Sulpicius nomine singulariter formato Vindiciam esse ait, qua de re controversia est, ab eo, quod vindicatur res ex controversia, & in duodecim*:

B SI VINDICIAM FALSAM TULIT: SEI VELIT IS . . . . . TOR ARBITROS TRES DATO &c. Verba legis Duodecim Tabularum apud Festum sunt mutila, & parum integra, quibus tamen parvo negocio succurrere quis & mederi possit. Ego ita censeo legendum SEI VINDICIAM FALSAM TOLIT REEI VEL LEITIS, PRÆTOR ARBITROS TRIS DATO &c. Alii sic legunt; SEI VINDICIAM FALSAM TOLIT, SEI VOLET IS,

C QUEI POSESIONE DEICITOS EST, ARBITROS TRIS DATO &c. Alii alio modo supplent & emendant. Legis sententia satis est manifesta. Vult enim lex, quis falso sibi rem aliquam vindicavit, id est, secundum quem post injustam manuum consertionem vindiciæ, id est possessio, datæ sunt, ut Prætor tribus arbitris datis ad duplos fructus restituendos cogeret eum, secundum quem vindiciæ latæ erant. SEI VINDICIAM FALSAM TOLIT) *Vindiciam falsam ferre* dicebatur is, qui non juste Prætoris vel Magistratus sententia vel Decreto rem de qua quæstio erat & controversia obtinuerat. *Vindicia*

D autem singulariter hic profertur. unde apud Festum *Servius Sulpicius ait Vindiciam in numero singulari significare eam rem, de qua est controversia, ab eo quod vindicetur*. (*Reei vel leitis*) Hæc verba reposui pro iis quæ in vulgatis (*sei velit is*) quæ tamen verba ab aliis retinentur, paucis ad supplendum sensum additis, QUEI POSESIONE DEICITOS EST. non incommoda sententia: sed plura sunt illa, quam quæ spacium illud, quod in vulgatis exemplaribus est, capere possit. (PRÆTOR) Prætoris enim erat ea dare *Judicia* & *Arbitros*; quemadmodum & *Bonorum possessionem*, *Tutores* & id genus alia. (ARBI-

E TROS TRIS) De *tribus Arbitris* antea dixi ex Cicerone lib. I. de LL. (*eorumque arbitrio joudicioque*) vocem *joudicioque* adscripsi, ut secundum illud spacium, quod apud Festum est in verbis Duodecim Tabularum, commode suppleatur. (FRUCTUS DUPLIONE DAMNOM DECEIDITO) Legendus ad hæc verba Cujacius lib. V. Observat. cap. XXII. Sequitur *quarta* lex ad *Judicialem velitationem*.

4. SEI QUIS EX LEIBERTATED ENDO SERVITOUTEM ADSERITOR PRÆTOR

F SECUNDUM LEIBERTATEM VINDICIAS DATOD; QUEI VINDICIAS TOLIT SPONSORES JOUDICIO SISTIOR DATOD Exstat hujus legis testimonium apud Dionysium Halicarnassæum lib. XI. cap. XXXIV. & Livium lib. III. cap. XLIV. Caussam Pomp. t. D. de orig. IV. §. XXIV. de adsertione Virginiæ puellæ scribunt, Numitorium ipsius Avunculum & adsertorem postulasse ab Ap. Claudio Decemviro, ut Legem, ab se in Duodecim Tabu-

Tabulis præscriptam, servaret; in qua cautum esset, ut ejus, qui in servitutem ex libertate adseritur, Dominus usque ad exitum judicii non is esset, qui contra libertatem, sed qui pro libertatæ pugnaret. Livii verba, ut in compendium contraham, hæc sunt: *Appius Marco Clienti negocium dedit, ut Virginem in servitutem adsereret, neque crederet secundum libertatem postulantibus Vindicias:* & paullo post: *Postulat a Decemviro, ut lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem*. Et post, c. XLVI. *Quum instaret adsertor puellæ, ut vindicaret sponsoresque daret, manus tollere multitudo & se quisque paratum ad spondendum illico ostendere*. Audiendus & hic Pomponius in l. 11. d. §. *vers. initium* D. de Orig. jur. *Initium fecisse secessionis dicitur Virginius quidam, qui quum animadvertisset Ap. Claudium contra jus, quod ipse ex veterum jure in duodecim tabulas transtulerat, vindicias filiæ suæ ab se abdixisse, & secundum eum, qui in servitutem ab eo suppositus petierat, dixisse, indignatus quod vetustissima juris observantia in persona filiæ suæ defecisset, utpote quam Brutus, qui primus Romæ consul fuit, vindicias secundum libertatem dixisset in persona Vindicis Vitelliorum servi, qui proditionis conjurationem judicio suo detexerat, castitatem filiæ vitæ quoque ejus præferendam putavit*. Ajunt igitur Decemviri (SEI QUIS EX LEIBERTATED) Sententia legis plana est. Balduinus & Hotomannus ita eam accipiendam censent, ut non modo liber homo, qui status controversiam pateretur, relinquatur suæ libertati & ejus possessionem retineat, interea dum hæc quæstio status caussæque liberalis penderet: sed etiam ut servus qui in libertatem ab aliquo legitimo & justo vindice asseritur, interea *pro libero* habeatur, & adsertori libertatis, Dominus autem possessione cadat. (EX LEIBERTATED ENDO SERVITUTEM ADSERITOR) ex meliore in pejorem statum. (PRÆTOR) *Prætores* antiquissimis temporibus dicebantur Romæ, qui postea *Consules* fuerunt dicti, sicque *Prætores* in Duodecim Tabulis sunt exaudiendi. (SECUNDUM LEIBERTATEM VINDICIAS DATOD) *Vindiciæ* in hac lege nihil aliud quam sententiæ sive adsertiones vel adjudicationes; quæ sic ab servitute in libertatem darentur, dicebantur *Vindiciæ secundum libertatem*: si vero ab libertate in servitutem, *Vindiciæ secundum servitutem* vocabantur. Unde *Prætor* dicitur *decernere Vindicias secundum libertatem*, quando in libertatem adserit. Idem dicitur *dare Vindicias secundum servitutem*, quando pronunciat eum servi loco habendum, donec dicta causa de statu constiterit. Hujusmodi enim *Vindiciæ*, id est Adjudicationes vel libertatis vel servitutis proprie pendente lite a Prætore dari dicebantur, dum qui sui status quæstionem patiebatur, postulabat a Prætore vindicias secundum libertatem, id est, ut interim pendente lite sit in ipsa possessione libertatis, hoc est ut interim libertate potiatur. Respicit ad hanc legem Terentius:

Hunc hominem ego liberum esse adsero, postulo, ut mibi des vindicias secundum libertatem.

QUEI VINDICIAS TOLIT, SPONSORES JOUDICIO SISTIER DATOD) Hæc verba in legibus duodecim tabularum fuisse manifestum est ex Livii lib. III. D.C. *Quum instaret adsertor puellæ, ut vindicaret, sponsoresque daret, manus tollere multitudo & se quisque paratum ad spondendum illico ostendere*. Succedit lex alia, quam etiam non incommode referendam arbitror ad *Velitationem Judicialem*.

5 QUEI REM DE QUA CONTROVERSIA SIETENDO SACROM DEDICASIT, DUPLIONE POENAM LUITO) Exstat apud Cajum JC. in l. ult. D. de Litigiosis. *Rem*, inquit, *de qua controversia est, prohibemur in Sacrum deducere, alioqui dupli pœnam patimur. Duplum autem adversario præstandum est ut id veluti solatium habeat pro eo quod potentiori adversario sit traditus*. Sententia legis plana est. Res autem *de qua controversia*, nihil aliud est, quam *litigiosa*, quam quæ in litem vel judicium deducta, quæ in controversiam coram judice tracta. Ajunt Decemviri (*Quei rem de qua controversia est, endo sacrom dedicasit*) Sic enim alter Litigantium Adversario potentiori traditur; quod per leges non licet. Extant lib. XI. Constitutionum, pleræque leges, quibus *non licet potentioribus patrocinium litigantibus præstare, neque in se actiones transferre*; item Litigatores nequeunt eorum nomine titulos adfigere prædiis, neque in litem eorum nominibus uti, & cetera, quæ Principibus constituta sunt. (*Duplione pœnam luito*) Duplum illud utrum *fisco* an *adversario* præstandum esset, Lex Duodecim Tabularum non exprimebat. Sed æquius esse Cajus respondit, *Adversario præstandum*, ut id veluti solatium habeat pro eo quod potentiori adversario traditus sit. Hæc de legibus, quæ ad *Velitationes Judiciales* pertinere videbantur, sufficiant: sequuntur duæ Leges quæ ad *Probationes* spectant; quarum prior hæc est:

6 QUOI TESTIMONIOM DEFUERIT, IS TERTIEIS DIEBOS OB PORTUM OFRAGOLATOM EITO) Festus in vocibus, Portus & Vagulatio. Priore loco sic inquit: l. XIV. *Portum in duodecim pro Domo positum omnes fere consentiunt: Cui testimonium defuerit &c.* Posteriore autem loco hæc ejus sunt verba: l. XIX. *Vagulatio in lege Duodecim Tabularum significat Quæstio cum Convicio: Cui testimonium defuerit* &c. Sensus hujus legis hic est: Si cui lis est cum aliquo vel controversia judicialis, testis defuerit, ei licere *comperendinationis, die* id. die tertio ante ejus, cujus testimonio uti volebat, ædes libere conqueri & implorare testimonium, conviciumque recusanti facere. Alii alio modo interpretantur, quorum explicationes silentio prætereo. Johannes certe Crispinius nonnihil ab vera & genuina legis sententia abire videtur; sic enim exponit: *Cui testimonium deest, hoc est qui suam intentionem nullo potest testimonio confirmare, is die tertio ad ædes adversarii obvagulatum eat, hoc est Adversario justum, testibus adhibitis, convicium faciat. Veluti si quid esse in tuis ædibus contenderem, quod quum vere ad me pertineret, tamen apud te esse testimonio nullo possum demonstrare, illudque mihi restituere, uno & altero die rogatus, omnino recuses; mihi permisere Decemviri, quandoquidem deficiente testimonio inutiliter jure vel lege ageretur, tertio die ad ædes tuas venire, ibique rem meam repetere cum convicio*. Quam Decemvirorum in lege hanc mentem fuisse, nunquam ego quidem persuaderi mihi sinam. Nam qui aliud ad se pertinere probare vel testibus vel aliis modis nequit, caussa solet cadere, neque permissum ei adversario suo victori conviciari, injuriamve verbis facere. Quid enim absurdius, quam si quis librum suum apud me esse diceret, ego vero negarem & vere, illeque nullo modo id probaret, quid inquam absurdius atque etiam iniquius, quam si talis convicio etiam me petat? hoc enim esset injurias cumulare. Famam jam meam & existimationem læserat, quum furti me insimularet; an ferendum, si præterea me conviciis prosequatur & persistat quasi in accusatione furti, quod probare testibus aliove modo non

potuit? Longe igitur alia mens fuit & sententia Decemviris, illa nimirum, vel haud absimilis, quam dixi. Agit enim lex *de probationibus*, quæ fieri solent *per testes*. *Probatio* nihil aliud quam rei dubiæ & controversæ judici facta fides l. XII. in fin. D. probat. Duaren. lib. I. Disp. cap. XXVII. Incumbit autem *adfirmanti* l. II. l. XV. l. XXI. D. de probat. l. XXIII. C. eod. usitata regulariter *post litem contestatam*, tot. tit. ut lite non contest. Probationes autem vel sunt *Artificiales* vel *Inartificiales*. *Artificiales* sunt, quæ ex ipsa caussa sumuntur, ex sese arguentes, quæ pro rei natura quandoque validiores, quandoque infirmiores sunt. *Inartificiales Probationes* consistunt in *Testimonio*, de quo in hac lege: *Testimonium* est contestatio veritatis adserendæ gratia rite facta; estque *alienum* vel *proprium*. *Alienum* fit *testibus* vel *Instrumentis*. *Testes* sunt qui ad alicujus rei fidem faciendam invocantur, citatione judiciali l. XVI. C. de Test. sumtibusque producendis l. X. C. eod. Ajunt igitur Decemviri (*Quoi testimonium defuerit*) id est, Si qui testes, quibus probare caussam suam potest, habuerit, ii vero ad testimonium dicendum in judicium non venerint (*is tertieis diebos*) *tertiis diebus* valet in hac lege *perendinis*. Nam *res comperendinata* ab Festo l. XIX. explicatur, *Judicium in tertium diem constitutum*. (*obvagolatom eito*) *obvagulare* convicio differre, populo differre, quemadmodum Plautus loquitur in Aulularia, A. III. S. II. v. XXXI.

Ita me bene amet, Laverna, te jam nisi reddi
Mihi vasa jubet, populo hic differam te ante ædis.

Populo enim differre apud Plautum, quod apud Decemviros *obvagulare*. *Vagulo* autem unde *Obvagulo*, vel *Vagulo*, non a *Vagor*, ut male quidam opinantur, sed a *Vagio*, quemadmodum a *Pipio Pipilo*. Alii autem non *obvagulatum* sed *obvagulationem* legunt: quorum sententia ratione non caret. Sic enim in Duodecim Tabulis legisse videtur Festus, quum vocem *Vagulatio* interpretatur: quod *Vagulatio quæstio sit cum convicio*; id est vox conquerentis & plorantis non sine convicio: ut *ob vagulationem* in hac lege sit antiquo more ad vagulationem, id est clamorem, vagitum & convicium: *ad vagulationem*, id est ad queritandum & convicium homini faciendum, qui ad testimonium dicendum non venerit. Addunt Decemviri (*ob portum*) id est *ob domum*, *ob ædes* ejus qui testimonium dare defugerit: *ante ædis* inquit Plautus: πρὸς τὰς θύρας, ait Plutarchus in Gracchis, *ante ostium*, ut Varro lib. V. de LL. omnes non absimile. Agit igitur Lex de *Testibus* non omnibus, sed *invitis*; qui hodieque *pœnalibus mandatis* vel *captis pignoribus* testimonium dicere super re petita coguntur l. III. §. IX. D. de Tab. exhib. tot. tit. D. de testib. cogendis: Sequitur alia lex de *Probationibus*.

7 JOURIS JOURANDI AD STRIGENDAM FIDEM, MAXSUMA VIS ESTOD) Cicero lib. III. de Offic. *Nullum enim vinculum ad stringendam fidem jure jurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant Leges Duodecim Tabularum.* Videtur etiam ad legem hanc respicere Agellius lib. VII. cap. XVIII. *Jusjurandum apud Romanos inviolate sancteque habitum servatumque est. Id enim moribus legibusque multis ostenditur.* Dixi paullo ante *Testimonium* vel *Alienum* esse vel *Proprium*. *Alienum* fieri *Testibus*, vel *Instrumentis*. *Proprium* A autem *Testimonium* est vel *Juratum* vel *Injuratum*. Prius quidem *Juramentum* dicitur; Posterius autem *Confessio*. *Juramentum* est invocatio Nominis divini, ad confirmandam juratis fidem, ut, si non verum dicat, pœnam a se ipso impositam sustineat. Juramentum illud *Judiciale* dicitur, delatum scilicet ab Judice ad suscipientis petitionem, etiam parte altera invita l. III. C. de jurejur. I. in Caussis dubiis. II. *Quando* is, cui defertur est persona honesta & fide digna. III. *Quando* caussa non est magna neque criminalis IV. *Ut pars* altera citetur & juramentum ante Conclusionem præstetur. V. *Quando* jurans veritatem per B sensum corporeum scire potest. VI. *Quando* semiplene probatum est, quod consistit in judicis arbitrio. (JOURIS JOURANDI AD STRIGENDAM FIDEM) Quanti momenti fuerit Jusjurandum apud Veteres Romanos nemo copiosius explicat, quam Dionysius lib. II. extremo CLXXVIII. qui Regi Numæ institutum Jurisjurandi adsignat. Polybius etiam lib. VI. commemorat tantum apud Romanos jurisjurandi religionem valuisse, ut ea laude facile gentibus omnibus antecellerent. *Nam si Græco homini, inquit, qui magistratum gerat, talentum unum committatur, etiamsi decem scribendo adsint, signaque totidem, atque etiam du*C*plo plures testes exstent, fidem tamen plerumque violant. Apud Romanos, qui, quum Rem publicam gerunt, majorem multo pecuniam tractant, sola jurisjurandi sui religione in officio suo continentur* &c. Eleganter Cajus JC. in l. I. D. de jure jur. *Maximum remedium expediendarum litium est Jurisjurandi religio.* Paullus etiam JC. *Jusjurandum* vocat *compendium litium* Sent. l. II. Tit. I. §. I. Sic auctor Epistolæ ad Hebræos εἰς βεβαίωσιν πάνης ἀντιλογίας πέρας ὁ ὅρκος. Ægyptii τὸν ὅρκον appellarunt teste Diodoro τὴν μεγίστην παρ' ἀνθρώποις πίστιν. Sic *Finis* omnium nimirum con- D troversiarum vocatur in l. IV. vers. Curatores. D. de in litem jurando. Hæc de Legibus, quæ pertinebant ad *Probationes*: sequuntur pauculæ, quæ ad *Rem Judicatam*; quarum hæc prima esto.

AERIS CONFESCI REBOSQUE JOURE JOUDICATEIS TRIGINTA DIES JUSTEI SUNTO, POSTIDEA ENDO MANUS JACTIO ESTOD, ENDO JOUS DOUCITO; NEI JOUDICATUM FACIT, AUT QUIPS ENDO EO IM JOURE VINDICIT SECOM DOUCITO ASIDUO VINDEX ASIDUOS ESTOD, PROLETARIO QUEI VOLET E VINDEX ESTOD. DOUCTOM VINCEITO AUT NESVO AUT COMPEDEBOS QUINDECIM PONDO, NEI MAIOSE AUT SEI VOLET MINOSE VINCEITO. SEI VOLET SOVO VEIVITO: NEI SOUO VEIVIT, QUEI IM VINCTOM HABEBIT, LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO: SEI VOLET PLUUS DATO. ENDO TERATIM PACIO ESTOD; NEI COM EO PACIT SEXAGINTA DIES VINCTOM HABETOD, ENDO EEIS DIEBOS TERTIEIS NONDINEIS CONTINOEIS ENDO COMITIOM ENDO JOURE IM PROCITATO, QUANTEIQUE F STLIS ÆSTUMATA SIET, PRÆDICATO: POSTIDEA DE KAPITE ADDICTEI POENAS SOUMITOD, AUT SEI VOLET TRANS TIBERIM PEREGRE VENOM DATOD. AST SEI PLUSEBOS ADDICTOS SIET, TERTIEIS NONDINEIS PARTES SECANTO; SEI PLUUS MINUSVE SECUESINT, SE FRAUDE ESTOD.) Sextus Cæcilius apud Agellium libro vigesimo capite primo. Idem Agel-

lius lib. XV. cap. XIV. lib. XVI. cap. X. Quintilianus lib. III. cap. XVIII. Varro lib. I. de Vita Pop. Rom. apud Nonium in Proletarii, Cicero in Topicis. Sententiam hujus legis Sex. Cæcilii, quam meis verbis malo indicare. Is apud Agellium sic loquitur: *Confessi æris ac debiti judicatis triginta dies sunt dati, conquirendæ pecuniæ caussa quam dissolverent. Eosque dies Decemviri justos appellaverunt, quoddam velut justitium, id est juris inter eos quasi interstitionem quandam & cessationem, quibus diebus nihil cum his agi jure posset. Post deinde nisi dissoluerent ad Prætorem vocabantur & ab eo quibus erant judicati, addicebantur. Nervo quoque aut compedibus vinciebantur. Sic enim sunt opinor verba legis: Æris confessi rebusque jure judicatis, triginta dies justi sunto. Post deinde manus injectio esto, in jus ducito, ni judicatum facit, aut quipsendo eo in jure vim ducit, secum ducito, vincito aut nervo aut compedibus quindecim pondo, ne minore; aut si volet, majore vincito. Si volet, suo vivito. Ni suo vivit* &c. quæ omnia clariora erunt, si fragmenti hujus nobilissimi singulas partes consideraverimus. Ajunt igitur Decemviri (ÆRIS CONFESCI) Agit hæc Lex de *re judicata* & quomodo ea ex sequutioni sit mandanda. *Res Judicata* vel *Judicatum* nihil aliud, quam lis finita per sententiam appellatione non suspensam. tot. tit. D. de re judic. vel id est, quod sententia diffinitum fuit, ut diffinit Joannes Robertus lib. I. sentent. cap. XXIV. Ajunt Decemviri (ÆRIS CONFESCI) Æs in hac lege pro *omni pecunia*. Æs proprie species est metalli rubro colore, primum in Cypro reperta. Deductum nomen putant alii ab *auri similitudine*, alii a Græco, *αἶα terra*; Varro *ab Asse*. Quia vero primum maximo in precio fuit, adeo ut pecuniam quoque, jacente auro, ex eo signarent: factum est, ut pro ipsa pecunia accepta fuerit. Ovidius in Fastis, l. I. v. CCXXI.

> *Æra dabant olim, melius nunc omen in auro est.*

Servius rex primus post urbem conditam *signare æs* cœpit, cujus in altera parte nota fuit *Janus geminus*, in altera *rostrum navis*. Hæc Plinius lib. XXXIII. Macrobius autem lib. I. Sat. cap. VII. primum æs a *Jano ipso* signatum fuisse, tradit, eo tempore, quo Saturnus filium fugiens primum in Italiam venit; hocque a Jano tributum existimat advenæ bene de se meriti memoriæ: quod rudis illa Aboriginum gens, monstrato Agriculturæ ab illo usu, ad meliorem viam vitamque esset traducta, & quoniam navi fuerat advectus, in signando ære ex una quidem parte *sui capitis* effigiem, ex altera *navis* rostrum impressit. *Æris* igitur id est debiti (CONFESCI) *Confessus æris* hic dicitur, qui propria sua confessione debitorem se creditori suo agnoscit. Hinc toties apud Jurisconsultos & Practicos *Confessus Convictusque*, item *pro Confesso Convictoque* haberi, qui reus judicatus est cum *propria confessione*, tum *testium dictis*. REBUSQUE JURE JUDICATIS ab Judice nimirum. Sunt enim quidam casus, in quibus sententia non transit *in rem judicatam*, ut *quando sententia* lata est ex alicujus vel expertorum in arte aliqua judicio Joachimus Mynsingerus lib. VI. Observat. XXXV. item in *caussa matrimoniali*. Videndus omnino Andreas Gail. lib. I. Obser. CXII. n. V. ubi dicit distinguendum, an sententia lata sit *pro* vel *contra matrimonium* propter impedimentum naturale &c. Item sententia non transit in rem judicatam, *quando victor* fatetur sententiam esse iniquam: *item quando* de iniquitate sententiæ per evidentiam facti constat: *item quando* lata est ex falsis testibus, vel instrumentis, tot. tit. C. si ex fals. instr. Sunt & alii Casus, quos prætereo brevitati studens (REBOS IGITUR JOURE JOUDICATEIS) Jacobus Rævardus legit ÆRISQUE DEBITI JOUDICATEIS; quæ lectio non aliam, quam quæ a me expressa, sapit antiquitatem. Pergunt Decemviri (TRIGINTA DIES JUSTEI SUNTO) Decemviri, quemadmodum testatur Cæcilius *Justos dies* appellant in hac sua lege, veluti *quoddam justitium*, id est *juris inter eos quasi interstitionem quandam & cessationem*, quibus nihil jure agi cum adversariis posset. *Justi dies* vocantur hic ea forma, qua Festus lib. IX. *Justos dies*, appellat, *dies illos triginta, quibus, exercitu imperato, vexillum in arce ponebatur*. (TRIGINTA IGITUR DIES JUSTEI SUNTO) id est unus mensis. Postea alterum tantum cœpit esse. Nam ex Constitutionibus *Judicati faciendi vel solvendi tempus* est *duorum mensium*. l. II. C. Theod. de usur. rei jud. hodie *quatuor est mensium*. l. n. C. de usur. rei judic. Stilus Curiæ Hollandiæ tempus fere observat a Decemviris in duodecim tabulis præscriptum, quemadmodum doceo in mea Praxi Tit. de exsequutionibus cap. VII. §. V. ubi doceo sententias in Actionibus personalibus (DE HIS ENIM IN HAC LEGE AGITUR) mandari posse exsecutioni post tres septimanas (POSTIDEA) in vulgatis Agellii libris legitur *post deinde*; in manuscriptis Codicibus *Pede inde*. Legendum omnino *Postidea*; qua voce utitur & Plautus in Sticho:

> *Æquius est nos potiores habere te, postidea viros nostros.*

Sic *Antidea* dicebant Veteres pro *Ante* (ENDO MANUS JACTIO ESTOD) In vulgatis libris (POST DEINDE MANUS INJECTIO ESTOD) Vox *endo* videtur latere in voce *deinde*; si quis tamen ex duabus vocibus *post deinde* confici velit Antiquam illam vocem *Postidea*, per me licet ut hæc transpositis vocibus sic legat, POSTIDEA MANUS ENDO JACTIO ESTOD. *Manus* autem *endo jactio* nihil aliud quam *Manus injectio*. Sic in alia lege audimus *Sei calvitur pedemve struit manom endo jacito*: quod Lucilius poeta dixit in Satyris *Sei calvitur endo serto manom*. Hæc *Manus Injectio* locum etiam habet in Curia Hollandiæ: Si enim reus condemnatus nihil habet in bonis, unde judicatum solvat, adprehendi solet ab Creditore, inque publicam custodiam condi: quemadmodum doceo in Praxi mea Tit. de Exsecutionibus XI. cap. I. §. II. Videndi etiam DD. & præcipue Cynus in l. I. in fin. C. qui bonis. ceder. poss. Baldus & alii ad l. VIII. in fine. C. quomodo & quando judex. Gloss. & Bartol. ni. l. III. D. de suspect. tutor. Abbas in cap. XV. de re judicata. Baldus denique in cap. IV. Ut lite non contestat. Sensus igitur est. *Post illos triginta dies justos, nisi tibi satisfecerit, injicere ei manus tibi licet*.

ENDO JOUS DUCITO, NEI JOUDICATUM FACIT, AUT QUIPS ENDO EO IN JOURE VINDICIT, SECOM DOUCITO. ASIDUO VINDEX ASIDUOS ESTOD; PROLETARIO QUEI VOLET VINDEX ESTOD. DOUCTOM VINCEITO AUT NESUO AUT COMPEDEBOS QUINDECIM PONDO NEI MAIOSE AUT SEI VOLET MINOSE VINCEITO. SEI VOLET SOUO

VEIVITO: NEI SOUO VEIVIT, QUEI IM VINCTOM HABEBIT LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO: SEI VOLET PLUUS DATO; ENDOTERATIM PACIO ESTOD: NEI CUM EO PACIT SEXAGINTA DIES VINCTOM HABETOD, ENDO EEIS DIEBOS TERTIEIS NONDINEIS CONTINOEIS ENDO COMITIOM ENDO JOURE IM PROCITATO, QUANTEIQUE STLIS ÆSTIMATA SIET PRÆDICATO: POSTIDEA DE KAPITE ADDICTEI POENAS SUMITOD, AUT SEI VOLET TRANS TIBERIM PEREGRE VENOM DATOD: AST SEI PLUUSEBOS ADDICTOS SIET, TERTIEIS NONDINEIS PARTES SECANTO: SEI PLUUS MINUSVE SECUESINT, SE FRAUDE ESTOD. (ENDO JOUS DOUCITO.) Hæc in jus, id est locum illum, ubi magistratus vel judex consistebat juris dicundi aut judicandi gratia. *Hæc*, inquam, *in jus ductio* non aliam ob caussam, non in alium finem fiebat, quam ut cognosceretur, an quis reum confessum æris eximere vellet, debitamque pecuniam pro eo solvere, quod nobilissimi quique apud veteres Romanos facere erant soliti. Hinc locus ille apud Nævium, ut refert Cicero lib. II. de Oratore: *Videtur*, inquit, *esse misericors ille, qui joudicatum duci videt, percunctaturque ita, Quanti addictus? Quumque illi responsum esset, Mille nummum, si addidisset, inquit, tantummodo, Ducas licet, esset illud genus ridiculi præter exspectationem: sed quia addidit, Nihil addo, ducas licet, addito altero ambiguo genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, salsissimus.* Ambiguum autem erat *nihil addo*: quoniam ad adjectionem referri poterat, qua quis in licitatione utitur; & ad ea quæ agebat, hoc est, *nihil verborum addo, nihilque amplius a me exspectes, eum libere ducito*. (NEI JOUDICATOM FACIT) id est nisi solverit id, quod sententia judicis sive Prætoris continet, nisi sententiæ a Prætore latæ obtemperaverit. Judicatum enim nihil aliud, quam jussus sive sententia Prætoris de re controversa. (AUT QUIPS ENDO EO IN JOURE VINDICIT.) Sic emendanda sunt, quæ corruptissime leguntur apud Agellium lib. XX. cap. I. *aut qui psendo eo in joure vim dicit*: pro *qui psendo* legendum unica tantum littera mutata, *quips endo*: *quips* antiqui dicebant pro *quis* vel *aliquis*; ENDO pro *In* quod sæpe monui. ENDO EO nihil aliud quam *in eo* nimirum *joure*, vel *loco*, ubi jura administrantur vel judicia exercentur. VINDICIT pro *vindicat* antique. Quum enim Veteres *sonare*, *lavare* & similia primæ inflexionis quoque dixerint in tertia conjugatione *lavere*, *sonere*, ut Nonius Marcellus testatur; dubium non est quin idem fecerint in voce *vindicare*. Cujacius certe adfirmat, se in vetere Agellii codice scriptum reperisse, VINDICIT. Alii positum hic putant pro *vindicarit*, quemadmodum in lege Servii Tullii *verberit*, per syncopen *verberit*, & *vindicit*, extritis *a* & *r* litteris. Scripsi autem IM VERBERIT. *Im* antique pro *eum*, ut notant Festus lib. IX. & Macrobius lib. I. Sat. IV. Sic Glossarium *Im*, αὐτὸν, & alibi *Im eum*, τὸν αὐτὸν. *Im* autem a nominativo *Is* secundum analogiam & veram inflexionem. Ajunt igitur (AUT QUIPS ENDO EO IM JOURE VINDICIT) quasi dicerent, nisi quis eum in joure vindicet. (SECOM DOUCITO) utpote sibi propter æs alienum addictum. Jubet enim lex eum unde petitur, ni judicatum faciat, aut aliquis pro eo in jure, hoc est apud Prætorem vindex existat, abduci ab eo qui petit & vinciri. (ASIDUO VIN-

A DEX) Leguntur paucula quæ sequuntur apud Agellium lib. XVI. capite decimo ubi scribit, postquam lecti essent versus Enniani ex lib. III. Annal.

Proletarius publicitus scutisque ferroque
Ornatur ferro, muros urbemque forumque
Excubiis curant.

Ortam fuisse inter doctos quæstionem quid esset *Proletarius*, diffinitum fuit inter alia, Ennium verbum hoc e duodecim tabulis sumsisse, in quibus ita erat scriptum: *Assiduo vindex assiduus*
B *esto, Proletario Civi quivis valet vindex esto*. Sententia est ut Assidui vel locupletes cives Creditoribus addicti ab Assiduis vel locupletibus vindicarentur, hoc est si ita res ferret, assibus redimerentur, non autem a Proletariis: ne, quum sint tenuioris fortunæ, quam ut asses possent dare, quibus Assiduos e vinculis eximerent, ipsi pro Assiduis & se suosque liberos familiamque totam in discrimen adducerent, neve corpus liberum immuneque assidui hominis liberandi gratia servituti capitisque pœnæ aut sectioni subjicerent. *Proletario* autem id est tenuioris rei & conditionis civi
C quemvis vindicem esse permiserunt Decemviri: quia eorum debita non solent esse grandiora, quam quæ ære exiguo lui possint. Ajunt igitur Decemviri (ASSIDUO) *Assiduus*, inquit apud Agellium lib. XVI. cap. X. Julius Paullus: *in Duodecim Tabulis & pro locuplete & facile munus faciente ponitur*: dictus *ab assibus*, id est *ære dando*, quum id tempora reipublicæ postularent, aut *a Muneris pro familiari copia faciendi assiduitate*. Sic Ælius apud Ciceronem in Topicis: *Quum lex Assiduo vindicem Assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim assiduus, ut ait Ælius, appellatus est ab ære dando*. Fe-
D stus l. I. *Assiduum eum* appellatum esse ait, *qui suis sumtibus militaret, ab asse dando*. Sic etiam Cajus JC. lib. II. ad Leges duodecim Tabularum scribit, *Assiduum locupletem esse, qui satis & idonee habeat pro magnitudine rei, quam actor restitui petit*. Alii *Adsiduum* scribunt per *d* litteram, sed eos refellit Charisius lib. I. Annal. Ajunt igitur, Assiduus Assiduo (VINDEX ESTO) Festus scribit, Veteres *Vindicem* eum appellasse, l. XIX. qui vindicabat quo minus is, qui prehensus erat, ab aliquo teneretur, hoc est qui prehensum, nexum, sive addictum liberabat. Jurisconsultis propria voce *Fidejussor* appellatur, quod tamen non
E omnibus probatur. Videndus Joannes a Reberteria in Topicis in loco de Notatione vel Etymologia. Respicit autem ad hanc legem Varro lib. I. de Vita Pop. Romani in Proletariis apud Nonium; ubi ejus verba non satis emendata sic sunt legenda & corrigenda: *Assiduo neminem vindicem voluerunt, nisi locupletem*. (PROLETARIO QUEI VOLET VINDEX ESTO) *Proletarii*, ut scribit apud Agellium Julius Paullus ibid. dicebantur apud Romanos, *qui in plebe Romana pauperrimi erant; cives scilicet ab numero officioque prolis edendæ appellati: quod cum re familiari parva minus pos-
F sent Rempublicam juvare, sobolis tamen gignendæ copia civitatem frequentarent*. Sic Nonius: *Proletarii dicti plebeii, qui nihil reipublicæ exhibeant, sed tantum prolem sufficiant*. Proletarii autem quum tenuissimi essent census, eamque ob caussam militia vacarent, *difficillimis* tamen *reipublicæ temporibus* etiam armabantur. Sic armati leguntur apud Ennium lib. III. Annalium, sub Tarquinio Prisco, quum in Imperii Romani excidium conjurassent omnes *Etruriæ populi*. Sic item armati scribuntur apud Eutropium lib. II.

bello Tarentino. Pergunt Decemviri (DOUCTOM VINCEITO) Vult lex ut si nemo addictum vindicet, domum ductus a Creditore vinciatur, quomodo (NESVO AUT COMPEDIBUS) *Nesous* Veteres dicebant, qui *S* plerumque pro *R.* usurpabant. *Nervum*, inquit Festus l. XII. *appellamus ferreum vinculum, quo pedes impediuntur*, quamquam Plautus eo etiam *Cervices* vinciri ait. Eleganter Cato *Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt: fures publici in auro atque in purpura*. Plaut. in Asin. A. III. S. II. v. v.

Nervos, Catenas, Numellas, Pedicas, Boias.

aut nesvo (AUT COMPEDIBUS) *Compedes* vincula ferrea, quibus captorum pedes constringuntur. Terent. in Phormione A. II. S. I. v. XIX.

Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes:

(QUINDECIM PONDO) Significatur hic gravitas & pondus compedium (NE MAJOSE AUT SEI VOLET MINOSE VINCEITO) *Compedes* enim quindecim pondo satis graves erant, quam ut iis vincti subducere se possent aut fugere (AUT SEI VOLET MINOSE) Si nimirum humanius mitiusque Creditor agere vellet cum suo Debitore, addendo Compedes minores quindecim pondo. Hoc enim in ejus quasi arbitrio situm erat. MAJOSE autem & MINOSE *pro majore & minore* antiquis, quibus in more positum erat *S* pro *R* usurpare. In vulgatis autem libris Agellii voces *majore* & *minore* turbato ordine leguntur, *vincito nervo aut compedibus quindecim pondo, ne minore, aut si volet majore*: sed ita ab Decemviris has voces non fuisse collocatas, satis hoc indicat; quod Decemviri passim in hac lege declinant *ab severitate* ad quandam *mitigationem & humanitatem*: præscribuntur quidem creditoribus acerbiora & duriora, suggeruntur tamen e vestigio per voces illas, *Si volet*, mitiora & humaniora, ut in hac lege non uno videre est loco. SEI VOLET SOUO VEIVITO. Respicit ad hæc verba Cajus JC. lib. II. ad Leg. Duodecim Tabularum in l. CCXXXIV. D. de verb. sign. *Verbum vivere*, inquit, *quidam putant ad Cibum pertinere, sed Ofilius ad Atticum ait his verbis & vestimenta & stramenta contineri, sine his enim neminem vivere posse*. Sic Ulpianus lib. LVIII. ad Edictum in l. XLIII. D. de verb. sig. *Verbo Victus continetur quæ esui potui cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoque Victus habere vicem Labeo ait*: ubi Cajus lib. XXII. ad Edictum Provinciale in l. seq. XLIV. addit: *Et cetera, quibus tuendi curandique corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significantur*. (NEI SOUO VEIVIT) si non tantum Debitori Addicto in ære, ut propriis sumtibus vivere possit apud Creditorem, quid faciendum? (QUEI IM VINCTOM HABEBIT) Liberum relinquebant Decemviri nexis suo vivere vel non. Si non vellent suo vivere, tum Creditores cogebantur eos alere hoc est quod sequitur (QUEI IM VINCTOM HABEBIT) id est Creditor (LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO) Quemadmodum *Compedum* pondus vel gravitatem paullo ante, si hoc loco exprimunt Decemviri *farris* quantitatem, quam Creditor nexis in singulos dies daret. Rævardus pro *Libras*, *Libram* legit. Gulielmus Tornesius lib. I. Select. cap. VI. legit *Libras* cum *semissis* no-

A ta adscripta eo sensu *Libras*, id est *silibram*. Sic enim Plutarchus in Camillo ὅσον ἡμερέκας ἐλάμβανον εἰς τρόφην σίτον μὲν ἡμιλίτρον φαρὸς. (SEI VOLET PLUUS DATO) Iterum ad lenitatem & humanitatem in Debitores suos & Nexos cohortabantur Decemviri Creditores. Præscribebant quidem Libras Farris in singulos dies, si tamen mitius humaniusque Debitores tractare vellent, licebat illis plus dare.

ENDOTERATIM PACIO ESTOD, NEI CUM EO PACIT SEXAGINTA DIES VINCTOM HABETOD; ENDO EEIS DIEBOS TERTIEIS NONDINEIS CONTINOEIS ENDO COMITIOM ENDO JOURE IMPROCITATO: QUANTEIQUE STLIS ÆSTUMATA SIET, PRÆDICATO. POSTIDEA DE KAPITE ADDICTEI POENAS SUMITOD, AUT SEI VOLET, TRANS TIBERIM PEREGRE VENOM DATOD. AST SEI PLUSEBOS ADDICTOS SIET TERTIEIS NONDINEIS PARTES SECANTO: SEI PLUUS MINOSVE SECUESINT, SE FRAUDED ESTOD.

B

(ENDOTERATIM PACIO ESTOD) Sequentia hæc hoc modo apud Agellium ib. leguntur: *Erat autem jus interea paciscendi: ac nisi pacti forent habebantur in vin-* C *culis dies sexaginta, inter eos dies tribus nundinis continuis ad prætorem in Comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent prædicabatur. Tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant.* endoteratim autem pro *interatim*, quæ vox apud Festum, lib. IX. qui docet sic loquutos veteres pro *Interim*: sic pro *Initium*, *Intercisi*, dixerunt antiqui illi *Endoitium*, *Endotercisi* & similia (PACIO ESTOD) *Pacionem*, inquit Festus lib. XIV. *antiqui dicebant, quam nos pactionem* (NEI CUM EO PACIT) id est ne is, qui eum vinctum habet, D cum nexo paciscatur. De verbo *Paco* alias dixi. (SEXAGINTA DIES VINCTOM HABETOD) Nam intra illud tempus facile possit aliquis misericordia motus exoriri, qui addictum vinculis eximeret, proque eo Creditori satisfaceret. (ENDO EEIS DIEBOS TERTIEIS NONDINEIS CONTINOEIS ENDO JOURE IM PROCITATO) Vult lex produci vinctum Debitorem tribus nundinis ad Prætorem in Comitium seu judicium, ut repetatur publice, in quantam pecuniam fuerit suo creditori condemnatus. Forte eam ob caussam, si quis familiaritate aut misericordia ductus solvere voluisset eam pecuniam, hominemque miserum vinculis liberare. Item ut E constaret omnibus, Vincto non fieri injuriam aut a Creditore aut ab Judice. Quod *Nundinæ*, alias dixi. *Comitium* locus foro Romano adhærens, ubi jura administrabantur. *Im* hic etiam pro *eum* antique, ut aliquoties in hac lege. (PROCITATO) *Procitare* Veteres dixisse pro vocitare & producere, scribit Festus ibid. PROCITATO igitur hic nihil aliud quam *procito*. (QUANTEIQUE STLIS ÆSTUMATA SIET PRÆDICATO) volunt Decemviri, ut producto in Comitium Nexo, Debitore, Creditor vel ejus jussu Præco aliquoties pronunciet, in quantam pecuniam reus sit condemnatus; an fortean quis commiseratione motus, pecunia soluF ta, vinculis liberare & a morte eripere velit. STLIS autem pro *Lis*. Sic enim Veteres loquebantur præponentes litteras *St* vocibus omnibus, quibus initium erat ab *L.* littera; unde *stlocus*, *stlatus*, *stlumbus* & similia. (POSTIDEA DE KAPITE ADDICTEI POENAS SUMITOD) *Tertiis nundinis*, inquit Agellius ib. *capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant*. POSTIDEA, ut alias dixi, pro *postea*. (AUT SEI VOLET TRANS TIBERIM PEREGRE

VENUM DATOD) iterum per voces *sei volet* mitigatio capitalis pœnæ ſuggeritur. In arbitrio enim & genibus Creditoris ſitum erat, *Debitorem vel necare* vel in *ſervitutem vendere*: mitius autem & clementius erat *vendere* Debitorem, quam *necare* (AST SEI PLUSEBOS ADDICTOS) Iterum hic audiendus Agellius lib. XX. cap. I. *Sed eam*, inquit, *Capitis pœnam ſanciendæ fidei gratia horrificam atrocitatis oſtentu noviſque terroribus metuendam reddiderunt. Nam ſi plures forent, quibus reus eſſet adjudicatus, ſecari ſi vellent atque partiri corpus addicti ſibi hominis, permiſerunt*: & paullo poſt Cauſſam tam atrocis ſupplicii in Debitores fallentes fidem conſtituti idem reddit his verbis: *Nihil profecto immitius nihil immanius, niſi ut re ipſa apparet eo conſilio tanta immanitas pœnæ denunciata eſt, ne ad eam nunquam veniretur. Addici namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Diſſectum eſſe antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi, quoniam ſævitia juſta pœna contemni non quita eſt.* Verba ſunt Cæcilii apud Agellium. (PARTES SECANTO) Quintilianus lib. III. *Sunt quædam non laudabilia natura, ſed jure conceſſa, ut in duodecim tabulis Debitoris corpus inter Creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit.* Sic Tertullianus in Apologetico: *Judicatos*, inquit, *in partes ſecari Creditoribus leges erant; conſenſu tamen publico crudelitas poſtea eraſa eſt, & in pudoris notam capitis pœna converſa eſt, bonorum adhibita proſcriptione.* (SEI PLUS MINUSVE SECUESINT, SE FRAUDE ESTOD) Periculum igitur imminebat Creditoribus ex ſectione. Secandum enim erat Debitoris corpus in juſtas portiones pro quantitate æris, quod ſingulis debebatur. Addo coronidis loco legem hanc Duodecim Tabularum *rogatione Pætilia Tribunicia* ſublatam olim fuiſſe, ac vetitum, ne deinceps hominem liberum ob æs alienum Creditoribus adjudicare, neve in membra diſtrahere fas eſſet: quæ lex annos amplius DCC. inviolabilis exſtitit uſque ad *Diocletiani* ætatem, qui *legem Pætiliam* ſubjecta capitali pœna renovari juſſit. l. XII. C. de ob. & act. Legendus & Bodinus lib. I. de rep. cap. V. Hæc de fragmentis legum Duodecim Tabularum quæ pertinere ſunt viſa ad illa judicia quæ apud *Prætores* exercebantur: ſequuntur, quæ *apud Populum*, duo, quorum primum hoc eſto.

2 DE KAPITE CEIVIS, NISEI MAXSUMO COMITATU, NEI FERUNTO) Cicero lib. III. de LL. & orat. pro Sextio. Priore loco ſic inquit: *Jam Leges præclariſſimæ de duodecim tabulis tranſlatæ duæ, quarum altera Privilegia tollit, altera de Capite Civis rogari, niſi maximo Comitatu vetat* &c. Poſteriore autem loco ſic ait: *Qur quum de Capite Civis, non diſputo cujuſmodi Civis, & bonis proſcripti ferretur, quum & Sacratis legibus & duodecim tabulis ſancitum eſſet, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite civis niſi Comitiis Centuriatis rogari.* Sententia legis eſt manifeſta. Docet Ulpianus, *Reipublicæ intereſſe, ne Delicta maneant impunita.* Hæc perpendentes veteres illi Romani, etiam ipſi ſua judicia graviſſime conſtituerunt; eaque Duplicis generis. *Leviora* enim & quæ minoris erant momenti *magiſtratibus ſuis* demandarunt, ut in *Judiciorum* hiſtoria audiemus, *graviora* autem quæque majoris ponderis, quum ſcilicet de Capite vitaque Civis eſſet agendum, populus ſibi reſervavit. Quam Populi poteſtatem Decemviri hac lege confirmarunt, ut ſcilicet DE KAPITE CIVIS, *niſi Centuriatis Comitiis non rogaretur*, vel ad populum referretur. Ajunt igitur Decemviri (*De Kapite Ceivis*) Quid *Caput* proprie, etiam pueri non ignorant. Sæpe autem vox illa apud bonos & probatos ſcriptores pro *vita* ponitur. Quemadmodum in hac Lege. Sic *Capitis res eſt*, id eſt de vita eſt periculum. Plaut. in Trinum

Cui ſi Capitis res ſiet, nummum numquam plumbeum.

Civem Romanum intelligit qui maximis donatus erat privilegiis, quemadmodum plene docet Sigonius in doctiſſimis ſcriptis ſuis de Antiquo jure Civium Romanorum: inter alia autem hoc non poſtremi erat loci, quod in judiciis cauſſiſque gravioribus non eſſet expoſitus libidini ſuorum magiſtratuum. (NEI FERUNTO) ſuffragia ſcilicet, quo modo fieret, ſatis ſuperque docuimus in hiſtoria Veterum Comitiorum. (NISI MAXSUMO COMITATU) Pendebat igitur totum illud populi ipſius arbitrio & poteſtate: adeo ut ne Coſſ. quidem, qui ſupremum obtinebant in Rep. Romana locum primamque auctoritatem, etiam non potuerint *injuſſu populi de capite Civis Romani ſententiam ferre*. Quemadmodum docet Pomponius in l. II. §. XVI. D. de orig. juris. Hinc etiam *ſecures* Conſulibus primis libertatis annis ademtæ ea lege & conditione a Laertio Dictatore reſtitutæ ſcribuntur, *ne iis in caput Civis Romani injuſſu populi animadverterent.* Ad ſolum igitur pertinebant graviora hæc & Capitalia judicia, ad ſolum, inquam, populum. Poſterioribus tamen temporibus, conſtitutis quæſtionibus publicis, non ipſe populus de omnibus Criminibus Capitalibus judicavit, ſed *Quæſtores Parricidii*, vel *Prætores publicarum Quæſtionum* delegit, judiciaque quæ ipſe tractarat, iis commiſit. (MAXSUMO COMITATU) *Maximi Comitatus* appellatione intelliguntur in hac duodecim tabularum lege *Comitia Centuriata*, in quibus populus deſcriptus *Cenſu*, *ordinibus*, *ætatibus*, plus adhibetur in ſuffragium conſilii, quam fuſe *in tribus* convocatus. Tria erant apud veteres Romanos Comitiorum genera *Curiata*, *Centuriata*, *Tributa*. *Centuriatorum*, de quibus in hac lege, Cauſſæ erant tres: *quod iis Magiſtratus* majores creari eſſent ſoliti; *quod Leges* ferri, *quod judicia* exerceri: poſterioribus temporibus *non omnia*, *ſed unum tantum videlicet Perduellionis*; reliqua enim ſuis *Prætoribus* poſtea fuerunt & *Quæſtoribus* demandata. Reſpicit autem ad hanc legem Plautus in Aulularia:

Ibo intro, ubi de capite meo ſunt Comitia.

Hæc ad Priorem Legem, quæ ad *Populi Judicia* pertinet: ſequitur *altera*, his verbis concepta:

3 NEI QUIPS HOMINEM INDEMNATOM OCCEIDITOD) Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus, cujus hæc ſunt apud Jacobum Cujacium lib. IV. obſ. cap. XIII. verba: *Interfici indemnatum quemcumque hominem etiam duodecim tabularum Decreta noluerunt.* Reſpicit etiam eo Auguſtinus de C. D. lib. I. cap. XIX. *Vos appello leges, judiceſque Romani, nempe poſt patrata facinora, nec quemquam ſceleſtum indemnatum impune voluiſtis occidi.* Sumta fortean hæc lex, ut multæ aliæ, ex Lycurgi Lacedæmoniorum Legiſlatoris legibus, quæ, auctore Valerio Maximo, de *Indemnatis* ſupplicium ſumi vetabant. Videndus Valerius lib. VII. c. II. & c. XII. Legis autem ſententia eſt manifeſta. Cavent enim Decemviri, *Ne quis ſupplicio* adficiatur, niſi a populo damnatus. *Indemnatus* autem inauditus, cujus auditæ prius non ſunt defenſiones, ut Tacitus lib. IV. Annal.

ab U. C. DCCLXXVI. *inaudito filio exitium offerret*. Videndus omnino Cujacius lib. VI. obs. cap. XVII. Sunt autem qui legem hanc plenius efferunt hoc modo; NE QUIS HOMINEM INDEMNATUM OCCIDERET, HOMINISVE OCCIDENDI CAUSSA CUM TELO ESSET. Quæ non bene inter se cohærere, jam antea vidimus. Priora enim ad *Judicia Capitalia* pertinent: posteriora, quæ exstant apud Ciceronem in Miloniana, referenda sunt ad *Delicta privata*. Hæc de Legibus Duodecim Tabularum, quæ *Judicia* spectabant: sequuntur Duæ, quarum una ad *Privilegia* pertinet, altera ad *Comitia*. De *Privilegiis* hæc loquitur.

4. (PRIVILEGIA NEI IRROGANTO) Cicero lib. III. de LL. *Jam Leges præclarissimæ de Duodecim Tabulis translatæ duæ; quarum altera privilegia tollit, altera de Capite Civis rogari nisi maximo Comitatu vetat; nondum cognitis seditiosis Tribunis plebis, ne cogitatis quidem. Admirandum tantum majores in posterum providisse. In privos homines leges ferri noluerunt, id est enim privilegium: quo quid injustius? Quum legis hæc vis sit scitum esse & justum in omnes* &c. Quæ Ciceronis verba Legis hujus sententiam satis declarant. Nolunt enim Decemviri *de Privis*, hoc est de *singulis hominibus* leges ferri, quum æquitatis ratio postulet, ut omnes homines, summi cum infimis, pari jure teneantur, & jura *non in singulas personas*, sed *generaliter* constituantur. Alii alio modo interpretantur. Maxima Interpretum pars ita hoc fragmentum intelligunt, quasi non omnino *Privilegia* prohiberentur, sed ita ut *non nisi Centuriatis Comitiis* ferrentur. Quæ caussa est, quod fragmentum hoc cum eo, quod paullo ante explicavi, commutant hoc modo. *Privilegia nei irroganto, neve de Capite Civis nisi maximo Comitatu ferunto*. Adducebantur scilicet verbis Ciceronis, quæ leguntur in oratione ejus pro Sextio. *Quur quum de Capite civis, non disputo cujusmodi civis, & bonis proscripti ferretur, quum & Sacratis legibus, & Duodecim Tabulis, sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de Capite civis, nisi comitiis centuriatiis, rogari*. Josephus etiam Scaliger doctissimis suis in Festum Castigationibus verba Ciceronis *Ferre de singulis, nisi Centuriatis Comitiis noluerunt*, non esse verba Decemvirorum, sed ipsius Ciceronis interpretantis quasi legem illam Duodecim Tabularum: *Privilegia ne irroganto*. Quidquid sit, docet Cujacius lib. XVIII. obs. cap. VIII. *Privilegia* esse duplicia: alia, *quæ de una tantum persona* concipiantur in omnia tempora, alia, quæ *ad plures personas* ejusdem conditionis, vel ad universos cives pertineant. De posterioris quidem Classis Privilegiis fragmentum hoc nihil dicere, neque ea etiam prohibere: quæ prioris vero conditionis sunt, omnino tollere: nec verba, *nisi per maximum Comitatum*, ad hanc Privilegii legem pertinere, sed ad eam, quæ de *Capite Civis loquitur*, referenda esse: quod ex Cicerone etiam satis intelligitur, ubi hanc legem interpretatur, quemadmodum paullo ante audivimus. (PRIVILEGIA) De ipsa voce eleganter Agellius lib. X. cap. XX. *Non sunt enim generalia jussa, neque de universis civibus, sed de Singulis concepta, quocirca Privilegia potius vocari debent, quia veteres Priva dixerunt, quæ nos singula dicimus*. (NEI IRROGANTO) Nam iniquum hoc esset. Quod & ostendit Asconius Pædianus in Orat. Miloniana: *His legibus* (Pompejanas intelligit) *obsistere M. Cælius Trib. pleb. studiosissimus Milonis conatus est, quod & Privilegia diceret in Milonem fieri, & judicia præcipitari*. Ubi *Privilegium* nihil aliud quam *Privata lex* opposita ex diametro Juri

A Communi. Volebat enim Cælius Tribunus cum Milone agi *non extra* ordinem, non *contra receptam consuetudinem*, sed *communi jure*, id est eo quo omnes Cives in Judiciis utebantur. Unde & Isiodorus, *Privilegium* esse scribit *Jus singulare & in certa persona vel caussa gratiam vel favorem; & lex de uno homine lata*. *Irrogare* autem hoc loco proprie, *legibus infligere*, ut *irrogare pœnam*. *Privilegia* igitur *irrogare*, leges singulares ferre in alicujus injuriam & detrimentum contra jus, quod Civibus omnibus commune, quo omnes ex æquo Cives infimi & summi utuntur. Dici tamen potest *Irrogare* in hac lege accipi

B posse non in *malam* solum sed & in *bonam partem*: ut *Irrogare Privilegium* sit singulare aliquod vel privum jus constituere in alicujus *sive odium, sive gratiam & favorem*. Alii tamen putant *Irrogare* in hac lege poni pro simplici *rogare* & *introducere*. Exemplum autem Juris singularis *in favorem* alicujus constituti est in *Lege Manilia*, quæ lata est *de Cn. Pompeii Imperio*: *In odio* autem alicujus constituti est in *Lege Clodia*, qua *Ciceroni* indictum fuit exsilium. Hæc ad Legem de *Privilegiis*: sequitur illa, quæ agit de *Comitiis*, omnium in Duodecim Tabulis, ex mea quidem Distributione & methodo, postrema.

C JOUSOS POPLEI SOFRACIAQUE SUNTO: QUODCUMQUE POSTREMOM POPLOS JOUSIT, ID JOUS RATOMQUE ESTOD) Livius lib. VII. c. XVII. & Auctor Rhetoricorum ad Herennium lib. II. Livii verba sunt hæc. *In secundo Interregno orta contentio est, quod duo Patricii Coss. creabantur, intercedentibusque Tribunis, Fabius ajebat, in Duodecim Tabulis legem esse, ut quodcumque postremum populus jussisset, id jus ratumque esset. Jussum populi & suffragia esse*. Auctor autem ad Herennium sic ait: *Ea Defensio tenuis est, qua ostenditur id factum esse, quod ea lex sanciat, cui*

D *legi abrogatum, vel derogatum sit, id quod posteriori lege sancitum sit, esse neglectum*. Legis sententia est clara & manifesta. Volunt enim Decemviri, ut quum totum *Suffragiorum* jus sit in potestate populi Romani, exque ejus omnino pendeat arbitrio, ut, inquam quæ postrema a populo sunt lata & jussa, ea contra priora essent rata jurisque vim & potestatem obtinerent. Hac igitur lege *omnium Legum jubendarum auctoritas* datur, vel post reges ejectos adquisita populo a Decemviris confirmatur. (JOUSUS POPLEI) *Populus* in suffragiis & *Jubere* & *Vetare* dicebatur. Titus apud Macrobium lib. III. Sat. cap. XVI. *Quod in foro ge-*

E *stum sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quot Tribus jusserint, quot vetuerint*. Cicero lib. III. de LL. ubi de Tabellariis Legibus disserit. *Carbonis est tertia jubendis legibus ac vetandis*. Idem lib. I. de Orat. *Num apud populum de Legibus jubendis aut vetandis*. Inde igitur JUSSUS POPULI in hac lege; inde *Jussa Vetitaque populi* in sciscendis suffragiis apud eundem Ciceronem lib. II. de LL. Ut autem *jubere*, sic *vetare* e contrario, quemadmodum, docui, erat populi: quod maxime patet in voce illa impotente Tribunorum plebis, *Veto*. Livius lib. V. *Bene habet, inquit Sextius. Quandoquidem tantum intercessionibus pollere*

F *placet; isto ipso telo tutabimur plebejos. Agitedum, Comitia indicite Patres Tribunis militum creandis. Faxo, juvet vox ista veto*. Idem lib. III. *Appellati Tribuni, medio Decreto jus auxilii sui expediunt, in vincula conjici vetant, sisti reum, pecuniamque, nisi sistatur, populo promitti placere pronunciant*. Sueton. in Tibero cap. II. *Ne vetare aut intercedere fas cuiquam Tribunorum esset*. Jussus igitur (POPLEI) Ea inter *populum plebemque* erat differentia, quod populi appellatione o-

mnes cives cujuscumque ordinis exaudirentur: *Plebis* autem voce, tertia tum populi & infima pars. Tres enim erant ordines, *Senatorius*, *Equestris*, *Plebejus*; quos omnes *populi* vox complectebatur, etiam ipsum *Senatorium ordinem*, id est singularios illos cives Romanos, qui Ordinem Senatorium constituebant; non autem *ipsum Senatum*; nam diversa multa habebat *Senatus* a *Populo*: unde solennis illa formula *S. P. Q. R.* quum quid juberetur vel sancitum esset & a *Senatu* & a *Populo*. (SOFRACIAQUE SUNTO) *Suffragium* proprie vox illa, quæ dabatur in Comitiis cujuscumque generis, quæque in tabellis describebatur, qua unusquisque suam declarabat sententiam de *magistratu creando*, de *Lege aliqua ferenda*, de *Reo aliquo vel absolvendo vel condemnando*. Hujusmodi suffragia initio *voce & palam* ferebantur, donec ferrentur *Tabellariæ Leges*, quæ voluerunt *Suffragia Tabellis* describi.

JOUSOS POPLEI SOFFRACIAQUE SUNTO: QUODCUMQUE POSTREMOM POPLOS JOUSSIT, ID JOUS RATUMQUE ESTOD. (SOFFRACIAQUE) Hac igitur voce totum *Suffragiorum* jus populo post reges exactos una cum *Libertate* adquisitum ab Decemviris hac lege confirmatur: Quum enim tria essent Comitiorum genera *Curiata*, *Centuriata*, *Tributa*, in singulis *duplices* plerumque *personæ* considerabantur, & quæ potestatem habebant convocandi & habendi Comitia, & quæ suffragium in iis tulerint. Posteriores in hac lege *Popli* appellatione intelliguntur, id est *Cives Romani* cujuscumque ordinis, sive *Senatorii* essent, sive *Equestres*, sive *Plebeii*. *Cives* inquam jus habebant Suffragiorum: In *Curiatis* quidem Comitiis Cives suffragium ferebant, qui in *Curias* erant descripti: tales erant non quidem omnes, sed ii tantum, qui *in urbe* habitabant. Nam qui *extra urbem* Romam domicilia habebant, in Curias non erant descripti. In *Centuriatis Comitiis* suffragium ferebant omnes Cives, qui in *Centurias* erant relati. Tales erant non tantum ii, qui in *Urbe Roma* verum etiam *extra urbem* in Italia habitabant, *civitate tum cum jure suffragii* donati. Non enim omnes Itali pari jure civitatem adipiscebantur, sed alii *cum jure suffragii*, alii *sine jure suffragii*. Qui igitur civitate *cum jure suffragii* donati erant, etiamsi in urbe non habitabant, *jus suffragii* habebant. In *Tributis* denique *Comitiis* sententiam suam dicere licebat omnibus civibus Romanis, quibus data erat civitas *cum jure suffragii*. Simul enim cum pleno jure Civitatis *Tribum* accipiebant, in qua suffragium ferrent, quemadmodum plenissime hæc omnia docui in historia Comitiorum. Pergunt Decemviri (QUODCUMQUE POSTREMUM POPLOS JOUSSIT) Altera hæc pars est hujus legis. Quum enim Decemviri statuissent, ut totum Suffragiorum jus esset populi, exque ejus illud penderet arbitrio, nutu & voluntate: consequens erat sciscere, ut quidquid suffragiis istis suis postremum populus jussisset, id jus, idque ratum, firmumque esset & inviolatum maneret; abrogatis, si quæ prioribus temporibus in contrarium essent lata & jussa etiam ab ipso populo. (QUODCUMQUE) Hæc vox eleganter complectitur *Caussas omnes* de quibus ageretur cum populo in Comitiis cujuscumque generis. *Comitiis Curiatis*, quibus antiquissimis temporibus omnes magistratus creabantur, omnes leges ferebantur, omniaque quæ ad reipublicæ administrationem pertinebant, agebantur, posterioribus temporibus quum etiam Comitia essent Centuriata & Tributa, *Sacerdotes tantum quidam creari erant* soliti. QUODCUMQUE igitur, id est quoscumque Comitiis Curiatis postremo *Flamines* vel *Curiones* creavit, ii contra alios creatos magistratus illos gererent. Sic *Comitiis Centuriatis* creabantur *Magistratus majores* Coss. Censores, Prætores & alii; *Leges ferebantur*, *judicia peragebantur*: QUODCUMQUE igitur POSTREMUM POPLOS JOUSSIT, id est quoscumque Comitiis Centuriatis *Consules*, *Prætores*, *Censores* aliosque magistratus majores postremo crearit; *quascumque leges* patricio magistratu rogante *tulerit*, *quoscumque in judiciis* vel absolverit vel damnarit. *In Comitiis denique Tributis minores Magistratus*, Tribuni plebis, Ædiles plebis, Ædiles Curules & alii numerosi creabantur; *sacerdotes collegiorum* cooptabantur, *leges etiam ferebantur*, *judicia item quædam* exercebantur, QUODCUMQUE igitur in hac lege, id est quoscumque populus Comitiis Tributis *Tribunos plebis* postremum crearit, vel *Ædiles plebis* vel *alios minores* magistratus tam *Ordinarios*, quam *Extraordinarios*, tam *Urbanos*, quam *Provinciales*; item *quoscumque sacerdotes* in collegia cooptarit, *quascumque leges* plebejo magistratu rogante postremum, tulerit, *quascumque multas* suis judiciis alicui indixerit: ea omnia contra priora essent rata & firma. Intelliguntur tum, hic voce QUODCUMQUE, præsertim *Leges*, inter quas volunt Decemviri *semper ratas esse illas*, quæ a populo posteriore loco sunt latæ. Ajunt igitur Decemviri (QUODCUMQUE POSTREMOM POPLOS JOUSSIT.) Hinc manarunt Responsa illa Jurisconsultorum quæ hodieque exstant in Pandectis ad tit. de LL. & SC. Sic enim ibi Paullus in l. XXVI: *Non est novum ut priores leges ad posteriores trahantur*: Tertullianus in l. XXVII. *Ideo quia antiquiores leges ad posteriores trahi usitatum est & semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas pertinerent, quæ quandoque similes erunt*. Et convenientissime Modestinus in l. ult. D. de Constit. pec. *Constitutiones tempore posteriores potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt*: Alia hujus classis prætereo. QUODCUMQUE igitur JOUSSIT POPULUS POSTREMUM) Quum enim Senatus aut populus Romanus multa jusserit, quæ simul servari non possunt, quoniam ex diametro forte pugnant, tunc *postremum pro jure* servandum est: ut dicis gratia, sicubi *leges sunt* scriptæ, quæ nullo modo conciliari possunt, semper ultimam sequi debemus. Nam *posteriora* gravissima sunt. Quodcumque postremum populus (JOUSSIT) *rogatus* scilicet a Magistratu, in Comitiis quidem *centuriatis* ab *Consule*, *Prætore*, *Dictatore*; *Tributis* vero ab *Tribuno plebis*. Quæ ferebantur *Comitiis Centuriatis* proprie *Leges* dicebantur, quæ vero *Tributis* sciscebantur, *Plebiscita* appellabantur. Quia vero rogabatur *populus* quidem Comitiis Centuriatis, *plebs* vero Tributis, factum, ut *Leges* & *Plebiscita* dicta fuerint *Rogationes*, quemadmodum alias docui. Rogabatur autem Populus vel plebs in eum modum, quem Cicero in oratione pro domo sua expressit: *Velitis jubeatis Quirites, ut M. Tullio Aqua & Ignis interdicatur* (ID JOUS RATUMQUE ESTO) Similes formulæ reperiuntur & apud alios scriptores, ut in Epistola Cælii ad Ciceronem VIII. lib. *Quod eorum judicium major pars judicarit, id jus ratumque esto*. Hæc de Legibus Duodecim Tabularum, id est de Fonte totius Juris Romani: postulat Methodus a me instituta, ut historiam aggrediar earum legum, quas cum ante tum post leges duodecim tabularum a Decemviris latas, varii magistratus tulerunt, variis temporibus variasque ob caussas.

CAP. XXIV.

1 *De Sulpitia Sempronia lege de sacrorum ritibus.*
2 *Item Papiria.*
3 *Hortensia de Feriis.*
4 *Item Poblicia.*
5 *Et Cornelia.*
6 *Licinia de Apollinaribus ludis.*
7 *Item Roscia.*
8 *Julia theatralis.*
9 *De cooptatione & lectione Sacerdotum.*
10 *Domitia.*
11 *Item Cornelia.*
12 *Item Atia.*
13 *Et Antonia.*
14 *De vacatione a militia.*
15 *De Intercalatione.*
16 *Sextia Licinia de Duumviris.*
17 *Ogulnia de Pontificibus & Auguribus.*
18 *Manlia de Triumviris Epulonibus.*
19 *Clodia de sacerdote Pessinuntio.*
20 *Papia de Virginibus Vestalibus.*
21 *Pompilia.*
22 *Sumtuariæ funerum, leges quarum posterior Cornelia.*
23 *Curia de suffragiorum præcessione.*
24 *Alia de obnuntiatione & intercessione.*
25 *Fusia Consularis de tempore comitiorum.*
26 *Item Clodia.*
27 *Sempronia de sortitione.*
28 *Antonia de personis quæ comitiis præerant*
29 *Alia.*
30 *Valeria de Personis jus suffragiorum habentibus.*
31 *Item Sempronia.*
32 *Et Manilia.*
33 *De candidatorum ætate.*
34 *Villia.*
35 *Item Pompeja.*
36 *Et Cornelia de qualitate eorum.*
37 *Item Hircia.*
38 *Et Vitellia.*
39 *Pompeja de præsentia eorum.*
40 *Item Claudia.*

IN explicandis *Legibus Veterum Romanorum*, quæ potissimum post leges duodecim tabularum fuerunt latæ, considerandum censeo, ut clarius & bona methodo omnia procedant, *Jus* vel *primum* vel *a primo ortum*. *Primum* constitutum vel *Sacrum* vel *Profanum*. *Sacrum* item duplex faciam vel *Publicum* vel *Privatum*. In *publico* expendam primo loco *Res*, deinde *Personas*. *Res* in Jure Divino appellantur mihi *Sacrorum* ritus, *Feriæ*, *Ludi*. Ad *Sacrorum* ritus pertinere invenio duas Leges *Sulpitiam Semproniam* & *Papiriam*.

1 De SULPITIA SEMPRONIA Lege illud inprimis monendum, eam duobus nominibus esse insignitam; non aliam ob caussam, quam quod ab duobus simul fuerit lata; quales leges atque etiam plebiscita non pauca in sequentibus occurrent. Tales sunt leges *Atilia-Marcia*, *Cæcilia-Didia*, *Cornelia-Bæbia*, *Papia-Poppæa*, & id genus aliæ. Legem igitur *Sulpitiam Semproniam* tulerunt Coss. P. *Sulpitius Samurio* & P. *Sempronius Sophus* qui Consulatum gesserunt & administrarunt anno CCCCL. NE SCILICET QUIS TEMPLUM VEL ARAM INJUSSU SENATUS AUT TRIBUNORUM PLEBIS MAJORIS PARTIS DEDICARET, quemadmodum plene docet Livius lib. IX. cap.

A XLVI. in descriptione eorum quæ in consulatum eorundem P. *Sulpitii Samurionis* & P. *Sempronii Sophi* inciderunt. Nolebant enim Romani Veteres *Templorum vel Ararum Dedicationes* esse quorum cumque, sed eorum tantum, quibus magistratus vel major, ut Senatus, vel Tribuni plebis minor concessisset: ut scilicet eo modo Dedicationes fierent & *publice* & *publica auctoritate*. Dedicationes autem *certis solennibus verbis* fieri solitas ostendit Festus vel ex Festo Paullus Diaconus in Epitome, quum *Fanum a Fando* dictum tradit; *eo quod, dum pontifex dedicat, certa verba fatur*. Legendi item Varro lib. v. de LL. Isidor. lib. VI.
B Orig. Cicero item in orat. pro Domo, ubi domus suæ dedicationem, ut non rite ac legitime factam, exagitat. Consulendi & eadem de re Seneca de consolat. ad Marciam, Valer. Max. lib. v. cap. x. e. 1. Plutarchus in Poplicola & alii scriptores. Verbis autem istis solennibus præibant *Pontifices* in Dedicatione. Eleganter Livius lib. IX. c. eod. de Cn. Flavio: *Ædem concordiæ in area Vulcani summa invidia nobilium dedicans coactusque consensu populi Cornelius Barbatus Pont. Max. verba præire, quum more majorum negaret, nisi Cos. aut Imperatorem posse templum dedicare*. Quæ Livii verba non parum illustrant legem hanc, quæ circa eadem
C tempora fuit lata. Clamat enim ibi Pontifex Maximus more Veterum Romanorum, *non cujusvis esse Dedicare, sed Consulum* tantum & *Imperatorum*, id est qui rebus præclare gestis ab exercitu *Imperatoris appellatione* fuerant decorati. Hæc de *Sulpitia Sempronia*.

2 PAPIRIA LEX, quæ etiam de *Consecratione* agebat, cavebat, NE QUIS INJUSSU PLEBIS ÆDES, TERRAM, ARAM, ALIAMVE REM ULLAM CONSECRARET. Tulit eam *L. Papirius Tribunus* plebis, incertum quo tempore. Cicero tamen *Veterem* eam legem appellat,
D qui de ea multa in orat. pro Domo: Inter alia sic inquit: *Neque enim id fieri fas erat, neque enim quisquam fecerat, neque erat caussa, quur prohibendo non tam deterrere videretur, quam admonere*. Et postea: *Lex Papiria vetat ædes injussu plebis consecrari: sit sane hoc in nostris ædibus, ac non de publicis templis*. Hæc de Legibus, quæ *ad Ritus* pertinebant *Sacrorum*: sequuntur, quæ ad *Ferias*, quales sunt *Hortensia*, *Publicia*, *Cornelia*.

3 HORTENSIA LEGE effectum est, ut NUNDINÆ, QUÆ OLIM FERIÆ FUERANT FASTÆ POSTEA ESSENT, quo Ru-
E stici, qui nundinandi caussa in urbem venire solebant, lites possent componere. Dies apud Veteres Romanos, ut alias docui ex Macrobii lib. 1. Saturnaliorum cap. XVI. alii erant *Festi*, alii *Profesti*, alii *Negociosi*. Festis inerant *Sacrificia*, *Epulæ*, *Ludi*, *Feriæ*. Profestis *Fasti*, *Comitiales*, *Comperendini*, *Stati*, *Præliares dies*. *Negociosi* Dies alii erant *Fasti*, alii *Nefasti*. *Fastorum* species erant *Comitiales*, *Comperendini*. *Stati* & *Nundinæ* post Legem Hortensiam. *Nefasti* autem Dies omnes *pridie Kalendarum Januarii* & si qui sunt similes; item *Rerum prolationes*, ut *Messium*, *Vindemiarum* & *Dilationum* caussa; tertio *Justi*, *Civi-*
F *les*, qui confessis & condemnatis concedebantur; quarto denique *Nundinæ*, quarum hæc lex meminit: quæ quum olim ante legem Hortensiam essent *Nefasti dies*, facti sunt ex lege Hortensia *Fasti*. *Nundinis* enim conveniebant in urbem Rustici ad Negocia vel *publica* vel *privata*. Nam *octo diebus*, ut Rutilius scripsit, *in agris rustici opus faciebant, nono die intermisso rure ad mercatum, legesve accipiendas Romam veniebant*. Quam ob caussam, ut alias dixi, tribus nundinis proponi

legem ferendam oportebat, antequam acciperetur, ut ab omnibus diligenter cognosci posset. Hac de caussa igitur *Nundinas* Hortensius *fastas* fecit. *Fasti* vero dies dicebantur, quibus Prætori licebat fari tria verba solennia *Do*, *dico*, *addico*. Ceteri *Nefasti* erant. Tulit autem hanc legem, ut mihi quidem videtur, *Q. Hortensius Dictator*, anno ab V. C. CCCCLXVIII. qui in eo magistratu & aliam tulit *de Plebiscitis*, ut postea audiemus. Hæc de *Hortensia*.

4 POBLICIAM legem tulit *Publicius Tribunus plebis*, quo anno V. C. incertum est, NE QUIBUS, NISI DITIORIBUS CEREI SATURNALIBUS MITTERENTUR. Ratio legis erat, ne Cives tenuioris conditionis & parvæ rei sumtibus non necessariis gravarentur, seque ad egestatem non necessariam non præcipitarent. *Saturnalia* apud Veteres Romanos festa erant *Saturni*, quæ in XVI. Kalendas Januarii incidebant, ut notatum est in Veteri Romanorum Kalendario. De iis Varro lib. V. de LL. *Saturnalia dicta a Saturno*, *quod eo die feriæ ejus*. Festus l. XVII. *Satuno dies festus celebratur mense Decembri*, *quod eo ædes est dedicata*. Fuerunt autem Saturnalia multo ante Romam conditam in Italia, quin etiam in Græcia celebrata, de quorum origine tres diversas Veterum scriptorum sententias recenset Macrobius lib. I. Sat. cap. VII. quemadmodum in Festorum dierum explicatione multis docui. Quod ad *Legis Poblicia* illustrationem pertinet, *Saturnalibus crebra convivia agitabant & mittebant sibi invicem cum alia munera*, *quæ Saturnalia dicebantur*, *tum etiam Cereos*. De *Saturnalitiis muneribus* multa alias dixi cum ex aliis, tum ex Suetonio in Aug. cap LXXV. Claudii cap. V. & Vespas. cap. XIX. ex Plinio Juniore lib. IV. Epist. IX. ex Martiale denique lib. IV. epig. XIX. v. III. XLV. v. I. LVIII. LXXXIX. vers. II. lib. V. Epig. XIIX. vers. I. XIX. vers. I. LXXXIV. v. IX. lib. VII. Epig. XII. LIV. LXXII. vers. I. & infinitis aliis locis. *Cereos* autem mittebant eam ob caussam, *quod Saturnum* luminibus accensis colerent, vel *ut significarent* hoc principe ab inculta & tenebrosa vita quasi ad lucem & bonarum artium scientiam editos se esse. Quum autem multi occasione Saturnaliorum per avaritiam ab Clientibus ambitiosa munera exigerent, idque onus tenuiores & qui non magnæ erant rei vehementer gravaret, Publicius Tribunus plebis tulit, ut non nisi ditioribus Cerei missitarentur, quemadmodum refert Macrobius lib. I. Sat. cap. VII. Hæc de Lege *Poblicia*: sequitur *Cornelia*.

5 CORNELIAM LEGEM DE FERIIS tulit *P. Cornelius Dolabella* Consul in C. Julii Cæsaris interfecti locum suffectus, anno ab U. DCCX. UT EIDUS JULII QUIBUS CÆSAR INTERFECTUS IN SENATU EST, URBIS NATALIS HABERENTUR, ut docet Appianus lib. II. de bellis Civilibus. Hæc de Legibus, quæ *ad Ferias*, ad quarum classem non incommode referri potest Lex INCERTI AUCTORIS cujus meminit Seneca pater lib. V. Controv. VI. UT SCILICET DIES FESTI EXIMII ESSENT A SUPPLICIIS. *Accusatus est*, inquit Seneca, *a Fratre Paricidii & damnatus*. *Diebus festis intercedentibus pœna dilata est ex Lege*. Similis lex fuit Athenis ut constat ex historia mortis Socratis apud Xenophontem, mem. l. V. Hæc de Legibus, quæ ad *Ferias*, sequuntur quæ ad *Ludos*, ut sunt *Licinia*, *Roscia*, *Julia*.

6 Quod ad *Legem Liciniam* de *Apollinaribus Ludis*, monendum ante omnia paucis arbitror, *qui* apud Veteres Romanos fuerint, *quando instituti*, & *quam ob caussam*. *Apollinares Ludi* in honorem Apollinis celebrabantur, de quorum origine primaque institutione memoriæ prodit Livius lib. XXV. inventum fuisse carmen *Marci Vatis* perplexis verbis conceptum, ea sententia: *Hostem Romani si ex agris vestris pellere vultis, vomicamque quæ gentium venit longe, Apollini vovendos censeo Ludos*, & quæ multa ibi sequuntur. Quibus addit: *Ad id carmen exponendum diem sumserunt unum, postero die S. C. factum est, ut Decemviri libros de Ludis Apollinis reque divina facienda inspicerent. Ea quum inspecta relataque ad Senatum essent, censuerunt Patres Apollini Ludos vovendos faciendosque, & quando Ludi facti essent duodecim millia æris Prætori ad rem divinam & duas hostias majores dandas. Alterum S. C. factum est, ut Decemviri sacrum Græco ritu facerent hisce hostiis; Apollini bove aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ bove femina aurea. Ludos prætor in Circo Maximo quum facturus esset edixit, ut populus per eos Ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret. Hæc igitur fuit origo Ludorum Apollinarium, victoriæ, non valetudinis ergo, ut nonnulli arbitrantur, votorum; factosque populus coronatus spectavit, matronæ supplicavere, vulgo apertis januis in propatulo epulati sunt, celeberque dies omni cerimoniarum genere fuit*. Hæc Livius. Eadem leguntur & apud Macrobium lib. I. Saturnal. cap. XVII. qui & hoc adjicit: *Quum Ludi primum Romæ Apollini celebrarentur ex vaticinio Marcii vatis, carmineque Sibyllino, repentino hostis adventu plebem ad arma excitatam hosti occurrisse, eoque tempore nubem sagittarum in adversarios visam ferri & hostem fugasse & victores Romanos ad spectacula Dei sospitalis reduxisse*. De *repentino isto hostium incursu* eleganter etiam Festus ex Verrio Flacco, ubi exponit, quam ob caussam in hisce ludis dici solitum: *Salva res est, quum saltat Senex*; his verbis: *Quod P. Sulpitio & Cn. Fulvio Coss. M. Calpurnio Prætore urbis faciente Ludos, quum Romani subito ad arma exissent, nunciato adventu hostium, victoresque in Theatrum rediissent soliciti ne intermissi religionem adferrent, instaurandique essent, inventus ibi sit C. Pomponius libertinus, mimus major natu, qui ad Tibicinem saltaret. Qua de caussa gaudio non interruptæ religionis edita voce posteri quoque celebrarunt*. Servius in lib. VIII. Æneid. vers. CX. paullo aliter de eo more scribit, cujus hæc sunt verba: *Quum iracundia matris Deum Romani laborarent, & eam nec sacrificiis nec ludis placare possent, quidam senex statutis ludis Circensibus saltavit, quæ sola fuit caussa placationis, unde & natum proverbium est: Omnia secunda, saltat senex*. Quum autem hi ludi primum non *stati* essent, sed in annum a Prætore voverentur, dieque fierent incerta, ut ex Livii lib. XXVI. cap. XXIII. & sequenti intelligitur; anno deinde ab U. C. IↃCXLVI. *M. Claudio Marcello* & *T. Quinctio Crispino* Coss. lege a *P. Licinio Varo* Prætore Urbano lata constitutum est, ut deinceps in perpetuum & in statam diem voverentur, qua de re sic scribit Livius lib. XXVII. cap. XXIII. *Ludi Apollinares Q. Fulvio Ap. Claudio Coss.* (fuerunt hi Coss. anno ab U. C. DXLII.) *a P. Cornelio Sulla Prætore Urbano primum facti erant, inde omnes deinceps Prætores Urbani fecerant, sed in annum unum vovebant, dieque incerta faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit in urbem agrosque, quæ tamen magis in longos morbos quam in perniciales evasit. Ejus pestilentiæ caussa & supplicatum per Compita tota urbe est, & P. Licinius Varus Prætor Urbanus legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur. Itaque ipse primus ita vovit, fecitque ante diem tertium Nonas Quintilis; is dies inde solennis servatus*. In Kalendario tamem, nimirum *pridie Nonas Quinctilis*,

Quum autem his ludis *Prætores* ex veteri instituto præessent, tamen apud Dionem lib. XIIII. legimus anno Urbis DCCX. alterum ex *Ædilibus Curulibus* sumtibus C. Cæsaris Ludos Apollinares fecisse. Hæc de *Licinia*, sequitur *Roscia*.

7 Ad LEGIS ROSCIÆ, JULIÆQUE, quæ mox sequitur, lucem majoremque intellectum ante omnia non est ignorandum, quod scribit Valerius Maximus lib. II. cap. IV. epist. III. *Senatum Romanum populo mistum spectaculo ludorum interfuisse per annos quingentos & quinquaginta. Sed eum morem*, inquit, *Attilius Serranus & L. Scribonius Ædiles Ludos Matri Deum facientes superioris Africani sententiam sequuti discretis Senatus & populi locis solverunt: quæ res avertit vulgi animum & favorem Scipionis maximopere quassavit*. Sic igitur consultum fuit Senatorum dignitati. Aliquanto post etiam Equitum loci a populi sedibus sunt discreti *Lege Roscia Theatrali* quam tulit *L. Roscius Otho Tribunus plebis* ut Florus notat lib. Livii XCIX. *non Cos.* ut vult Asconius in Cornelianam, *L. Cæcilio Metello & Q. Marcio Rege Coss.* anno DCLXXXVI. UT IN THEATRO EQUITIBUS ROMANIS, QUI H. S. QUADRINGENTA POSSIDERENT, QUATUORDECIM GRADUS SPECTANDI CAUSSA ADSIGNARENTUR, EXCEPTIS IIS QUI LUDICRAM ARTEM EXERCUERANT, QUIQUE SIVE SVO SIVE FORTUNÆ VITIO DECOXISSENT. cui generi certum locum tribuit, pœna irrogata, si in quatuordecim sedissent. Legendi Florus in Epitoma Liviana lib. XCIX. Asconius Pædianus in Cornelianam, Dio lib. XXXVI. Plinius lib. VII. cap. XX. De eadem lege Cicero pro Muræna: *L.* inquit, *Otho vir fortis, meus necessarius, Equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque hæc lex, quæ ad Ludos pertinet, est omnium gravissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque jucunditatis est restitutus*. Sic idem Philipp. lib. II. *Tenesne memoria Prætextatum te decoxisse? sedisti in quatuordecim ordinibus, quum esset lege Roscia Decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunæ vitio non suo decoxisset*. Sic Horatius Flaccus lib. I. Epist. I. vers. LV.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, & lingua, fidesque,
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, ajunt,
Si recte facies,

Et paullo post v. LXII.

Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Nænia, quæ regnum recte facientibus offert?

Tacitus denique lib. XV. Annal. cap. XXXII. *Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit apud Circum. Namque ad eam diem indiscreti inibant: quia lex Roscia nihil nisi de quatuor ordinibus sanxit*. Ex quibus verbis illud notandum, *Rosciam Legem* & quæ sequuta est *Italiam Theatralem* de *scena* tantum cavisse, non de *Curulibus ludis*, qui quoniam antiquissimi erant, religione quadam & ne plebs alienaretur, servatus in iis mos, ut scilicet Cives omnes cujuscumque ordinis *mistim* eos spectarent & *non discretis sedibus*. Cornelio Cinna demum & Valerio Messala Coss. anno DCCLIX. mutavit morem illum Augustus, quemadmodum scribit Dio lib. LV. Suetonius in ejus vita cap. XXI.

A *Rosciam Legem*, quæ sensim elanguerat, cujusque vires fere jam perierant restituit *Domitianus*, ut in ejus vita notat Suetonius cap. VIII. *Suscepta morum correctione licentiam Theatralem promiscue in Equite spectandi inhibuit*. Ad emendationem illam Legisque revocationem respicit aliquot locis Martialis lib. V. Epig. VIII. vers. I.

Edictum Domini Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt;
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phasis in theatro;
B *Phasis purpureis ruber lacernis,*
Et jactat tumido superbus ore:
Tandem commodius licet sedere,
Nunc est reddita dignitas equestris,
Turba non premimur, sed inquinamur.
Hæc & talia dum refert supinus,
Jussit surgere Lectius lacernas.

Sic ejusdem lib. V. Epig. XXIV. vers. I. Martialis.

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
Jura Theatralis dum siluere loci.
C *Quæ postquam placidi Censoris cura renasci*
Jussit, & Oceanum certior audit eques:
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites; & te sic dare verba putas.
Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ.
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

Item ejusdem lib. epig. XLI. vers. I.

Spadone cum sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celæneo,
Quem sectus ululat matris Entheæ Gallus,
D *Theatra loqueris, & gradus & Edicta;*
Trabeasque, & Idus, fibulasque, Censusque,
Et punicata pauperes manu monstras;
Sedere in Equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo, Didyme; non licet maritorum.

Respicit item ad revocationem Legis Rosciæ Juvenalis sat. III. vers. LIII.

——— Exeat, inquit,
E *Si pudor est, & de pulvino surgat Equestri,*
Cujus res legi non sufficit ——

Hæc de *Roscia*, sequitur *Julia Theatralis*.

8. Dixi paullo ante *Legem Rosciam* quatuordecim gradus adsignasse Equitibus, quibus Census erat equestris. Census ille erant *quadringenta H. S.* Post annos autem aliquot, quum C. Octavianus Augustus *Ordinem Equestrem* recognovisset, censumque ejus ordinis auxisset, multi vero, quibus census ille non esset, ab quatuordecim gradibus lege Roscia excluderentur, mitigavit eam aliquo F modo Augustus, legemque tulit, *ut Equitibus Romanis quibus ipsis Parentibusque equester census umquam fuisset, in quatuordecim ordinibus Roscia Theatrali constitutis considere liceret*. Sic & Suetonius in Augusto cap. XI. *Quum plerique Equitum attrito bellis civilibus patrimonio spectare ludos e quatuordecim non auderent metu pœnæ Theatralis, pronunciavit Augustus non teneri ea, quibus parentibusque equester Census umquam fuisset*. Hæc de legibus, quæ *ad Ludos* pertinebant; quibus adponi possunt eæ, quarum mentionem facit Marcianus JC. lib. V. Regularum in l. III. D. de aleato-

ribus: *In quibus rebus ex lege Titia, & Publicia & Cornelia etiam sponsionem facere licet, sed ex aliis, ubi pro virtute certamen non fit, non licet*. Quid autem sibi velint Marciani verba, docet præcedens ibi lex, in cujus fine sic scriptum. *Si quis certa hasta vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis caussa fiat*. Hæc de Legibus, quæ *Sacrorum* eorumque *Publicorum* ordine pertinent *ad Res*: sequuntur quæ ad *Personas*.

9 De Legibus quæ ad *Personas Sacras* pertinent, agendum monet & monstrat concepta a me methodus vel *in genere* vel *in specie*. *In genere* dicendum & indicandum, *Universalia illa*, quæ *ad Sacerdotes* spectant, ut de illorum *Cooptatione & lectione*, de *Immunitate illorum a militia*, de *Intercalatione* quæ *Sacerdotibus* & præcipue *Pontificibus* incumbebat. *Cooptatio* primo se loco offert, de qua quinque Leges invenio, *Liciniam*, *Corneliam*, *Atiam* & *Antoniam*. Explicanda primo *Licinia*, quæ tempore in hac Classe fuit prima. Quod autem ad *Cooptationem* attinet, illud imprimis hic notandum, *moris fuisse* apud Romanos, sexcentos & qui excurrunt, annos, ut si qui Sacerdotes vita defungerentur in defunctorum locum subrogarentur alii ab ipso Collegio, in quo Defunctus Munere Sacro fuerat functus. Docent passim verum hoc esse veteres historiæ rerum Romanarum, Dionysii, Livii, Plutarchi & aliorum, ut ad probandum hoc exemplis adductis non sit opus. Tandem post sexcentos & plures annos *duo subrogandi sacerdotes genera* cœperunt esse. Quidam enim *a Collegiis suis* cooptabantur, ut *Salii*, *Luperci*, *Fratres Arvales*, *Sacerdotes Galli*, & *Sodales Titii*. Quidam vero ab aliis, non uno modo. *Vestales* a *Pontifice* Maximo, jam inde ab initio: *Rex Sacrorum* Centuriatis, *Flamines* & *Curio Maximus* Curiatis; *Pontifex* Tributis Comitiis. Primus jus illud Collegiis eripere conatus est & ad populum transferre *C. Licinius Crassus Tribunus plebis*, Q. Fabio Maximo L. Mancino Coss. anno DCVIII. qui legem promulgavit quidem sed non tulit, UT SACERDOTUM COOPTATIO AB ILLORUM COLLEGIO AD POPULUM TRANSFERRETUR. Promulgavit quidem & ferre promulgatam tentavit, sed obsistentibus proculdubio Sacerdotibus, qui jus illud eripi sibi nolebant, non pertulit; quemadmodum videre est apud Ciceronem in Lælio sive de Amicitia: *Meministis*, inquit, *Q. Maximo fratre Scipionis & L. Mancino Coss. quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii videbatur. Cooptatio enim Collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum instituit in forum versus agere cum populo: tamen illius credibilem orationem religio Deorum immortalium nobis defendentibus facile vincebat, atque id actum est Prætore me, quinquennio antequam Consul sum factus. Itaque re magis, quam auctoritate caussa illa defensa est*. Plura de hac lege non reperiuntur.

10 Quod anno DCIX. efficere non potuit *C. Licinius Crassus* Trib. pleb. effecit & ad finem perduxit XLII. anno post *Cn. Domitius Abenobarbus Trib. Pleb.* anno DCLI. *C. Mario* III. & *L. Aurelio Coss. Domitius* enim Neronis Imperatoris atavus offensior Pontificibus, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent, legem tulit, NE SACERDOTUM COLLEGIA, UTI ANTEA, QUEM VELLENT, COOPTARENT, SED UT POPULI ID BENEFICIUM ESSET. QUUM AUTEM POPULUS PER RELIGIONEM SACERDOTIA MANDARE

A NON POSSET, ROGAVIT, UT MINOR PARS POPULI ID EST TRIBUS SEPTEMDECIM VOCARENTUR: AB EA PARTE QUI ESSET FACTUS, IS A COLLEGIO COOPTARETUR. De ea re sic Sueton. in Nerone cap. II. *Atavus ejus Cn. Domitius in Tribunatu Pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent, jus Sacerdotum subrogandorum a Collegiis ad Populum transtulit*. Scribit etiam Vellejus Paterculus lib. II. cap. XII. *eam fuisse Legem Domitiam, ut omnes Sacerdotes, qui ante a Collegiis sufficiebantur, suffragiis minoris partis populi crearentur*. Apud Asconium item Pædianum exstant verba ex oratione Ciceronis pro C. Cornelio, quibus ab Cn. Domitio dicit *potentissimorum hominum collegiis ereptam fuisse potestatem cooptandorum Sacerdotum*. Idem Cicero oratione secunda Agraria contra Rullum. *Atque hoc idem de ceteris Sacerdotiis Cn. Domitius tribunus plebis Vir Cl. tulit, quod populus per religionem Sacerdotia mandare non poterat, ut major pars populi vocaretur, ab ea parte qui esset factus, is a Collegio cooptaretur*. Videtur autem hac lege *Absentium quoque ratio haberi solita*, docente id Cicerone Epistola V. ad Brutum. *Ciceronem nostrum in vestrum Collegium cooptari volo. Existimo omnino absentium rationem Sacerdotum Comitiis posse haberi. Nam etiam factum est antea. C. enim Marius, quum in Cappadocia esset, Lege Domitia factus est augur: nec quominus id postea liceret, nulla lex sanxit*. Sacerdotes igitur, qui a Collegiis in defunctorum locum cooptari fuerant soliti, *Lege Domitia* anno DCLI. ab majore populi parte Comitiis Tributis creari cœperunt, qui creati ab Sacerdotibus deinde cooptabantur. Ex quibus patet, *Legem hanc* intelligendam de *Sacerdotibus* non quidem omnibus, sed iis tantum, quorum certa erant Collegia: quales erant *Pontifices minores*, *Augures*, *Quindecimviri Sibyllini*, *Triumviri Epulonum*. *Pontifex Maximus* Tributis Comitiis creabatur. *Rex Sacrorum* Centuriatis. *Flamines* & *Curio Maximus* Curiatis. Quamquam enim *Flamines* & *Rex Sacrorum* attributi essent Collegio Pontificum, non tamen e Pontificum erant numero. Nam *Regis Sacrorum* suum erat proprium Sacerdotium, habebatque sua quædam Sacra miranda, quæ ad nullum alium Sacerdotem pertinebant. Et *Flamines*, quamquam multi essent, qui nomine convenirent, *Collegæ tamen non* erant. Siquidem *Flamen unius tantum Dei* Sacerdos erat habebatque sua quisque sacra, quæ & per se quisque procuraret, & ad alios nihil omnino attinerent. Quod Cicero. lib. II. de LL. satis aperte indicat. Hæc de Lege *Domitia*: sequitur *Cornelia*.

11. *Lex Domitia* vires suas obtinuit annos circiter viginti & duo. Nam eo tempore *L. Cornelius Sulla Dictator & Consul* cum Q. Cæcilio Metello, victoriam de C. Mario & aliis consequutus, urbem Victor ingressus populum Romanum, præcipue Plebejos, qui C. Marii partibus fuerant addictiores, gravissime adflixit, infinitisque incommodis mactavit, quærensque populi majestatem, quantum in se erat, imminuere, quidquid habebat in Patricios juris ademit. Inter multa alia privavit etiam populum *jure creandorum Tributis Comitiis Sacerdotum*, quod illi adquisierat lege lata *Cn. Domitius Abenobarbus* Tribunus plebis, legemque tulit, UT JUS SACERDOTUM CREANDORUM A POPULO RURSUM AD COLLEGIA TRANSFERRETUR; UTQUE SACER-

DOTES EX VETERI MORE AB COLLEGIS COOPTARENTUR, NON TRIBUTIS COMITIIS FIERENT A POPULO. Factum hoc anno DCLXXII. quo anno L. Cornelius Sulla Felix non solum Dictator erat, verum etiam Consul cum Q. Cæcilio Metello. Quemadmodum pluribus hæc commemorant Dio lib. XXXVII. & Asconius in Divinat. Hæc de *Cornelia*; succedit *Atia*.

12. *Lex Cornelia* obtinuit annos octodecim aut circiter. Nam anno ab U. C. DCXCI. *M. Tullio Cicerone* & *C. Antonio Coss.* quum jam sua populo Romano libertas, quam cum alii tum Sulla valde imminuerat, esset restituta, *T. Atius Labinius Tribunus plebis* legem tulit, UT POPULUS quemadmodum solitus erat ex Lege Domitia, SACERDOTES CREARET IN DEFUNCTORUM LOCUM, TRIBUTIS COMITIIS: quum antea Sacerdotes lege Cornelia a Pontificum Collegio cooptarentur, ut refert Dio lib. XXXVII. ubi legitur *T. Atius Labienus Tribunus* pl. fecisse hoc auctore C. Cæsare, qui si populus in mandando sacerdotio suffragium ferret, se, qui popularis admodum erat, *Pontificem Maximum* in demortui Metelli Pii locum creatum iri, non sine caussa putabat, quod & factum est. Hæc de *Atia*, sequitur *Antonia*.

13. Quum anno ab U. C. DCCX. in Senatu confossus tribus & viginti vulneribus *C. Julius Cæsar*, qui cum aliis honoribus, tum *Pontificatu Maximo* fuerat ornatus, *M. Antonius* Cos. qui filiam suam collocarat filio M. Aemilii Lepidi, ut idem post mortem C. Cæsaris Lepidus facilius ac certius, quod commodius a paucis, quam a pluribus fieri & exspectari poterat, in locum Cæsaris *Pontifex Maximus* subrogaretur, abrogata Labieni lege, JUS COOPTANDORUM SACERDOTUM A POPULO AD COLLEGIA RETULIT, ut legitur apud Dionem lib. XLIV. Ceterum quum Antonii leges omnes anno sequenti, qui ab U. C. DCCXI. C. Vibio Pansa & A. Hirtio Coss. ex S. C. abrogatæ essent, quod ex M. Ciceronis Philippicis & Dione perspicuum est, hæc quoque, quam *de Sacerdotum cooptatione* tulerat, abrogata fuisse videtur, *lexque Domitia* restituta. Postea sub Augusto abrogata tertio *Lege Domitia*, *Collegiorum* primo, deinde *Romanorum Principuum* arbitrio, Pontifices, Augures & reliqui Sacerdotes cooptari cœpti. Et hæc de Legibus, quæ ad *Cooptationem* Sacerdotum: sequitur de *Vacatione ab militia*.

14. *Legem de Vacatione* Sacerdotum ab militia antiquissimam fuisse, satis inde constat; quod ejus mentio incidat in illa tempora, quibus bellatum est cum Gallis circa annum CCCLXV. & sequentia. Scribit enim Plutarchus in Camillo, & M. Marcello, item Appianus lib. II. bell. civil. Gallos Romanis suo adventu vel etiam suo solum motu tantum terroris & formidinis injicere solitos, ut in lege *de Vacatione militiæ*, quæ Sacerdotibus & senibus permittebatur, illud adscriptum fuerit, *nisi bellum Gallicum exoriretur*. Tum enim placere, & ut senes & Sacerdotes in militiam quoque proficiscerentur. A quo lata sit, & quo tempore incertum est. Volebat certe, ut jam audivimus, UT SACERDOTES SENESQUE VACATIONEM HABERENT A MILITIA, NISI SI TUMULTUS GALLICUS ORIRETUR. Nam de *Tumultu potius*, quam *bello Gallico* legem accipiendam esse docet disertis verbis Cicero Philippicarum VIII. quum inquit: *Gravius autem esse tumultum, quam bellum hinc intelligi potest, quod bello Gallico Vacationes valent, Tumul-*

A *tu non valent*. De ipsa autem lege Appianus lib. II. bell. civ. Plutarch. in Marcello, Livius l. VIII. & X. Idem Plutarchus in Camillo. Hæc de *Vacatione ab Militia*: sequitur lex de *Intercalatione*.

15. Ad legem *de Intercalatione* intelligendam, nonnihil est præfandum. Triplici anno Romani, diversis temporibus sunt usi: primo *Romuli*, altero *Numæ Pompilii*, tertio *Julii Cæsaris*. *Primus annus* ab Romulo ordinatus menses habuit decem, dies CCCIV. *Numæ annus* duodecim, dies autem CCCLIV. *Julii denique Cæsaris* mensibus item duodecim absolvebatur, vel diebus
B CCCLXV. *Romuli annus* neque Solis cursui neque Lunæ rationibus conveniebat: *Numæ annus* non Soli, sed Lunæ: *Julii* denique non Lunæ, sed Soli congruebat. *Intercalatio*, de qua hoc loco, non ad *annum Julii* in quo quarto quoque die intercalabatur; sed ad *Numæ annum* est referenda. Magnum erat discrimen inter duas Intercalationes. *Numa dies aliquot* singulis annis ad exemplum Græcorum intercalabat, ut annus *Lunæ* rationibus conveniret. *Julius* autem *diem unum* quarto quoque anno intercalabat, ut *Solis* cursui annus congrueret:
C quemadmodum pluribus hæc prosequitur Macrobius lib. I. Sat. cap. XII. Vult igitur lex, UT INTERCALATIO ILLA AD SACERDOTES PROPRIE PERTINERET: ut docet Varro apud eundem Macrobium, qui legem tradit fuisse antiquissimam. Ab eo tempore semper mansit *cura Intercalandi* penes Sacerdotes, etiam in anno Juliano, quemadmodum alias docui ex eodem Macrobio, Censorino de Die Natali, c. XX. ex Suetonio in Julio cap. XL. in Augusto c. XXXI. ex Plinio denique, Solino & Floro. Ad caput hoc de Legibus quæ *ad Sacerdotes* pertinent in genere referenda etiam *lex est Incerti auctoris*
D incertique temporis. NE DUO EX EADEM GENTE IDEM SACERDOTIUM HABERENT; cujus legis mentio apud Dionem lib. XXXIX. Hæc de Legibus, *quæ ad Sacerdotes in genere*: sequuntur, quæ ad eosdem pertinent *in specie*, quales sunt *Sextia Licinia* de Duumviris, *Ogulnia* de Pontificibus & Auguribus, *Manlia* de Triumviris Epulonibus, *Clodia* de Sacerdote Pessinuntio, *Papia* & alia incerti auctoris de Virginibus Vestalibus.

16. DUUMVIRI, de quibus agit Lex SEXTIA-LICINIA, instituti fuerunt a *Tarquinio* vel *Prisco* vel *Superbo*. *Priscum* nomi-
E nant Lactantius lib. I. cap. VI. & Servius lib. VI. Æneid. v. LXXII. *Superbum* vero Dionys. lib. IV. cap. LXX. Solin. cap. VIII. Agellius lib. I. cap. XIX. Priorum sententia videtur verior. Scribit enim Solinus *Sibyllam*, cujus librorum cura Duumviris fuit tradita, Romæ fuisse Olymp. L. qua non *Superbus* sed *Tarquinius Priscus* Romæ regnavit. Instituti fuerunt, ut jam monui, ut essent, qui libros Sibyllinos custodirent, oblatos Tarquinio Prisco ab ignota anu, quæ posteris credita *Sibylla* Historiam narrant Dionysius lib. IV. c. eod. Agellius lib. I. cap.
F XIX. Lactantius lib. I. cap. VI. Servius lib. VI. Æneid. v. eod. Solinus cap. VIII. Plinius lib. XIII. cap. XIII. *Libros novem oblatos*, *sex exustos*, notant Dionysius, Agellius, Lactantius & Servius. *Tres oblatos*, *duos exustos* scribunt Solinus & Plinius. Servabantur in *Capitolio*, cum quo tempore belli Marsici fuerunt combusti. *In Templo Apollinis* servatos notat Servius. *Crematis prioribus* exscripti deinde *alii* aliunde, ut referunt Dionysius & Lactantius,

Servabant igitur hos libros initio ex instituto Tarquinii *Duumviri*, ut notant Dionysius lib. IV. c. eod. & Servius lib. VI. Æneid. v. eod. Mentio *Duumvirorum* frequens apud Livium libris III. cap. XIV. v. c. XIII. & sequentibus. Mansit numerus ille ad annum usque CCCLXXXVI. quo *P. Manlio Capitolino Dictatore* seditionis sedandæ & reipublicæ gerendæ caussa, *L. Sextius & C. Licinius Tribuni plebis* legem tulerunt, UT PRO DUUMVIRIS SACRIS FACIUNDIS DECEMVIRI DEINCEPS CREARENTUR, EA LEGE, UT PARS QUIDEM EX PATRIBUS, PARS AUTEM EX PLEBE FIERET: hinc *Decemvirorum* frequentissima apud Livium post annum illum & alios scriptores mentio. Dictatore Sulla pro *Decemviris* creatos *Quindecimviros* verisimile est. Argumento sunt I. *quod Sulla* aliorum etiam Sacerdotum numerum auxerit. II. *quod Ciceronis* & *C. Cæsaris* tempore fuerunt Undecimviri, quemadmodum videre est in libris Epist. ad famil. apud Sueton. in Cæs. cap. LXXIX. & alios. Postremo auctus horum numerus ad LX. mansit tum semper *Quindecim Virorum* appellatio, ut memoriæ prodit Servius lib. VI. Æneid. Munus *Decemvirorum* erat *Libros Sibyllinos custodire*; *Eosdem ex S. C. adire*; *Quæ legerant Senatui referre*; *Procurare, quæ postulantibus libris Senatus decreverat* & alia. Hæc de SEXTILIA LICINIA: sequitur OGULNIA.

17. OGULNIA lex de duobus agit *generibus Sacerdotum*, eorumque numero aucto: De *Pontificibus*, & *Auguribus*. Quod ad *Pontifices*, instituti illi sunt ab Numa *quatuor numero*, quemadmodum scribit Livius lib. X. cap. IX. ab U. C. Auctus hic numerus fuit, alterumque tantum adjectum est anno ab U. C. CCCCLV. *Q. Apulejo Pansa* & *M. Valerio Corvo* Coss. Eo enim anno legem tulerunt *Q. & Cn. Ogulnii* fratres Tribuni plebis, UT QUUM NUMERUM SACERDOTUM AUGERI PLACUISSET, ET QUATUOR TUNC TEMPORIS PONTIFICES ESSENT, UT INQUAM OCTO PONTIFICES DEINCEPS CREARENTUR, PARS EX PATRICIIS, PARS AUTEM EX PLEBEIIS: ut notat Livius eodem lib. ibid. Postea numerus Pontificum iterum crevit *Sulla Dictatore* & *ex octo* facti sunt Pontifices *Quindecim*, quemadmodum legere est in Epitoma Liviana lib. LXXXIX. *Pontifices* autem dicti *a ponte faciendo Sublicio*, ut volunt Dionys. Halic. lib. II. cap. LXXV. & Varro lib. IV. de LL. quod verum esse non potest, quum Pontifices instituti *ab Numa*, Pons vero Sublicius factus sit ab *Anco Marcio*. Verisimilius est quod scribit Scævola J. C. apud Varronem Pontificem dictum a *posse & facere*. De illorum *cooptatione* dixi jam ante in explicatione Legum, quæ ad *Sacerdotum cooptationem* pertinebant. Ex auctiore vero numero, de quo post hanc legem, factum lego, ut *Pontificum* alii essent *majores*, alii *minores*. *Majores primi octo*, quique deinceps in locum eorum cooptati, eorum mentio in Inscriptionibus: *Minores* autem *reliqui septem*. Legendus Cicero de Arusp. resp. & Capitolin in Macrin. cap. VII. *Munera & potestatem* Pontificum describunt Dionysius lib. II. ibid. Cicero pro Domo & Festus. Unus Pontifex *Maximus* dicebatur, institutus ab Numa, dictus quod maximarum rerum, quæ ad Sacra, judex esset & arbiter, Dionys. lib. II. ibid. Creabatur ille ex *Pontificum Collegio* a *Populo, Tributis Comitiis, ex patritio ordine*, tandem etiam *ex plebejo*, quorum primus fuit *T. Coruncanius* anno D. Hæc de Pontificum numero ex *Lege Ogulnia* aucto. Quod ad Augures: Hos multo ante U. C. institutos & receptos ex Græcia ab Etruscorum gente, instituit Romæ ipse Romulus *tres numero*, quum tres essent Tribus. Confirmavit eos Numa ut referunt Dionys. lib. II. cap. LXV. Livius lib. I. cap. XVIII. Plut. in Romulo. Florus lib. I. cap. II. num. II. Lactantius lib. I. cap. XXII. Tribus *unus* postea additus, a quo, incertum. Verisimile ad *S. Tullium* illud esse referendum, qui populum Romanum *in quatuor Tribus* distinxit, ut quemadmodum Romulus *trium ratione tres* fecerat Augures; sic Numa *quatuor Tribuum* respectu, quatuor crearit Augures. Certe anno CCCCLV. *Q. Apuleio Pansa* & *M. Valerio Corvo* IV. Coss. *quatuor* fuerunt *Augures*, *Patricii omnes*, quibus *Lege Ogulnia*, de qua jam dixi, *quinque* ex plebe sunt additi, sicque *novem Augures* sunt facti, ut plene scribit Livius lib. X. cap. IX. Numerus *Novem Augurum* mansit ad L. Corn. Sullam, qui ampliavit ad *Quindecim Augures*, quemadmodum de eo notat Epitoma Livii lib. LXXXIX. & innuit etiam Auctor de V. V. Illustr. cap. LXXV. De ipsorum *cooptatione* antea dixi. Ad *dignitatem bujus* Sacerdotii pertinebat, *quod non adimeretur viventi*. *Augurum officium* quale fuerit constat cum ex Augurali lege, quæ apud Ciceronem lib. II. de LL. tum aliis. Augures autem dicebantur vel *ab avibus gerendoque*, ut volunt Festus lib. I. Isidorus lib. VIII. cap. IX. vel ab *avium garritu*, ut iidem innuunt. Hæc de LEGE OGULNIA: sequitur MANLIA.

18. Quod ad LEGEM MANLIAM vel potius ROMULEIAM, de *Epulonibus*, notat Cicero lib. III. de Orat. *Pontificum munus* inter alia ex instituto Numæ fuisse, *ut illud Ludorum Epulare sacrificium* facerent. Sic enim Cicero: *Sed ut Pontifices Veteres propter Sacrificiorum multitudinem tres viros Epulones esse voluerunt, quum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti*. Quibus verbis Cicero indicat caussam instituti primum hujus sacerdotii fuisse nimirum *sacrificiorum multitudinem*: quæ effecit, ut tandem, ipsis Pontificibus suggerentibus, mentio facta fuerit novi in hanc rem, *ut epulare Ludorum sacrificium fieret*, sacerdotii creandi, anno ab U. C. DLVIII. *L. Furcio Purpurione* & *M. Claudio Marcello* Coss. Eo enim anno Pontifices, quos *Veteres* Cicero vocat, quum sacrificiorum multitudine laborarent & varie distinerentur, necessarium sunt arbitrati, ut *eorum pars* ut *novum quoddam sacerdotium* transferretur: qua in re usi sunt opera *T. Romuleii Tribuni* pleb. qui in quibusdam Livii exemplaribus corrupte *T. Manlius* appellatur. *T. Romuleius* enim legem tulit, UT PROPTER SACRIFICIORUM MULTITUDINEM (illam enim caussam indicat Cicero) TRIUMVIRI EPULONES FIERENT, QUI LUDORUM EPULARE SACRIFICIUM FACERENT. quemadmodum cum Cicerone memoriæ prodit Livius lib. XXXIII. cap. XLIII. *Romæ*, inquit *eo primum anno Triumviri Epulones facti C. Licinius Lucullus, T. Romuleius, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Lecca*. Et addit: *His Triumviris item, ut Pontifici, lege datum togæ prætextæ habendæ jus*. Triumviri igitur Epulones instituti primum anno DLVIII. *tres* ab initio, ut notat Livius lib. XXXIII. ibid. Numerus ille mansit ad *L. Cornelii Sullæ* tempora, *qui quatuor additis Septem Viros Epulones creavit*: quod aliquot argumentis probat Onuphrius Panvinius in Romana Civitate. Mentio *Septemvirorum Epulonum* apud Agellium lib. I. c. XXII. & passim in

Inſcriptionibus. *Decemviri* tandem Epulones inſtituti fuerunt ab C. Julio Cæſare, quemadmodum ſcriptum reliquit Dio lib. XLIII. Appellatio tamen *Decemvirorum Epulonum* ſemper manſit, quemadmodum probant Inſcriptiones poſt Cæſarem poſitæ. *Munus ipſorum* deſcribit Cicero oratione de Aruſp. reſponſis. Dicti *ab Epulando. Ludorum enim Epulare ſacrificium faciebant.* Cicero lib. III. de Orat. *Epolonos* autem antiquitus dictos fuiſſe patet ex Feſto. l. v. Hæc de ROMULEIA, ſequitur *Clodia*.

19. Quod ad LEGEM CLODIAM, notandum inter alios Deos Deaſque Romæ cultam etiam fuiſſe *Rheam*, quam & *Opem*, *Tellurem*, *Magnam Matrem*, *Matrem Deum*, *Matrem Idæam*, *Berecynthiam* & *Peſſinuntiam* appellabant. *Peſſinuntiam* dicebant a *Peſſinunte Phrygiæ opido*, unde Romam tranſvecta & culta eſt, quod factum anno DXLIX. *P. Cornelio Scipione* & *P. Licinio Craſſo* Coſſ. Cauſſam alias indicavi. Sacerdotes autem in honorem hujus Deæ inſtituti dicebantur *Galli* ab *Gallo* fluvio Phrygiæ, ut volunt Feſtus l. VII. & Herodianus lib. I. c. II. Præſul autem eorum appellabatur *Archigallus*, ut legere eſt in Inſcriptionibus & alio nomine κατ' ἐξοχὴν *Sacerdos Peſſinuntius*, ab ipſo Deæ cognomine. De eo P. Clodius pecunia corruptus legem tulit, UT SACERDOTIO SPOLIARETUR FLUVIUMQUE ILLUD BROTIGARO GALLO GRÆCO ATTRIBUERETUR. Sic enim Cicero in oratione pro P. Sextio: *Mitto omnem domeſticam labem; etiam exteras nationes illius anni furore conquaſſatas videbamus. Lege Tribunitia Matris Magnæ Peſſinuntius ille Sacerdos expulſus & ſpoliatus ſacerdotio eſt; fanumque ſanctiſſimarum atque antiquiſſimarum religionum venditum pecunia grandi Brotigaro impuro homini, atque indigno illa religione: præſertim quum ea ſibi ille non colendi, ſed violandi cauſſa appetiſſet.* Sic idem in oratione de Aruſp. reſp. *Sed quid ego id admiror qui accepta pecunia Peſſinuntem ipſum ſedem domiciliumque Matris Deorum vaſtaris, & Brotigaro Gallograeco impuro homini ac nefario, cujus Legati te Tribuno dividere in æde Caſtoris tuis operis nummos ſolebant, totum illum locum fanumque vendideris? Sacerdotem ab ipſis aris pulvinaribuſque detraxeris? omnia illa, quæ vetuſtas, quæ Perſæ, quæ Syri, quæ reges omnes, qui Europam Aſiamque tenuerunt: ſemper ſumma religione coluerunt, perverteris? quæ denique noſtri majores tam ſancta dixerunt, ut quum refertam urbem atque Italiam fanorum haberemus, tamen noſtri Imperatores maximis & periculoſiſſimis bellis huic Deæ vota facerent* &c. De Botrigaro videndus Strabo lib. XII. ubi Βογόδιατωρος nominatur.

Hæc de CLODIA: ſequuntur duæ Leges de VIRGINIBUS VESTALIBUS.

20. *Virgines Veſtales*, de quibus agit LEX PAPIA in Latio, nobiliſſima Italiæ portione ad Tiberim, fuerunt multo ante V. C. quod probari ſolet duobus argumentis, I. quod Æneas Veſtæ ſacra una cum Penatibus & Palladio Troia in Latium tulerit, quemadmodum omnes Veteres Latini Græcique ſcriptores teſtantur. Alterum argumentum eſt, quod Romuli Remique Urbis Romæ conditorum mater *Rea Silvia Veſtalis Virgo fuerit* facta ab Amulio patruo Albanorum tunc temporis tyranno. Quis autem ſacerdotium hoc Alba Romam primus traduxerit, variant auctores. Incerti ſcriptores apud Dionyſium lib. II. c. LXIV. memoriæ produnt ejus rei auctorem fuiſſe *Romulum primum Romanorum regem*, eumque Veſtales primum in

A urbem recens a ſe conditam traduxiſſe. Sed refutat Dionyſius hos ſcriptores variis argumentis, factumque hoc notat ab *Numa Pompilio* ſecundo Romanorum rege, cui adſtipulantur Livius lib. I. c. XX. Plutarchus in vitis Romuli & Numæ, Agellius lib I. cap. XXII. Meſſalla Corvinus, Auctor de V. V. Ill. cap. III. *Veſtales* dicebantur ab *Dea Veſta*. *Virgines* autem quur fuiſſe oportuerit, acute indicat Auguſtinus lib. IV. de Civit. Dei cap. X. Initio fuerunt *quatuor*, ut ſcribit Dionyſius l. II. c. LXVIII. quarum etiam *nomina* edit Plutarchus in Numa, poſtea *ſex* eſſe cœperunt, ut idem Dionyſius ib. notat. Earum præcipua *Maxima* dicebatur, ut videre aliquoties eſt in Inſcript. & apud Plinium lib. IV. Ep. II. ubi male *Maximilla* tamquam cognomen pro *Maxima illa* δεικτικῶς, de qua videndus Suetonius in Domitiano cap. VIII. *Triginta annos* puræ manebant a Nuptiis. Tunc enim poterant nubere, ſed raro id factum, & parum læto vitæ exitu, teſte Dionyſio ib. apud quem etiam *anni triginta* ſic diſtribuuntur; ut *primo Decennio* diſcerent, *ſecundo* exercerent, *tertio Decennio* docerent. *Crinem* ad Loton, arborem Romæ vetuſtiſſimam, *Capillatam* cognomine, conſecrandam differebant, ſcribente Plinio lib. XVI. cap. XLIV. De *Honoribus* earum & *Privilegiis* videndi Dionyſius lib. II. ib. Plutarchus in Numa, Suetonius in Auguſto cap. XXXI. Veſtales etiam *ſervos fugitivos*, ne urbem exirent, ſuis precationibus credebantur poſſe retinere, ut Plinius teſtatur lib. XXVIII. cap. IV. Veſtales item in *periculis & delictis* deprecatrices adhiberi ſolitas, ut venia fieret impetrabilior, notant Suetonius in Cæſare cap. I. Tacitus lib. III. hiſtoriar. c. LXXXIII. & alii. *De ritu igitur haſce capiendi* agit LEX PAPIA apud Agellium lib. I. cap. XII. cujus hæc ſunt verba. *De more autem rituque capiundæ virginis litteræ quidem antiquiores non exſtant, niſi quod capta fuiſſe fertur, quæ prima capta eſt a Numa rege. Sed Papiam Legem invenimus, qua cavetur* UT PONTIFICIS MAXIMI ARBITRATU VIRGINES E POPULO VIGINTI LEGANTUR: SORTITIOQUE IN CONCIONE EX EO NUMERO FIAT. PAPIAM quidem legem nominat, ſed quis *Papius ille* fuerit, qui legem hanc tulit, neque Agellius adſcribit, neque apud alium quem auctorem legitur. Varii quidem fuerunt *Papii* apud Veteres Romanos, ſed duo præcipue, ad quos legis hujus latio commode poteſt referri: quorum *prior* C. *Papius* fuit Trib. pleb. anno ab V. C. DCLXXXIX. *L. Aurelio Cotta*, & *L. Manlio Torquato* coſſ. *alter M. Papius Mutilus* coſ. cum *Q. Poppæo Secundo* anno DCCLXII. quorum conſulatu Legem illam nobiliſſimam tulit Auguſtus & ab eorum nominibus appellavit *Papiam-Poppæam*, ut quæ ſcribuntur hic de ritu Virginis Veſtalis capiendæ caput iſtius legis fortean conſtituerunt. Nam Legis *Papiæ-Poppææ* varia fuerunt, ut ſuo loco videbimus, capita, ut I. de Enuptione extra gentem ordinemque: II. de Connubio patronorum cum libertabus, III. de Sponſalibus, quando & qua fini contrahenda, IV. de ætate eorum qui ducerent, quæve nuberent, V. de libertate conjungendi, VI. de intervallo temporis a morte conjugis vel Divortio, VII. de Maritorum præmiis patrumque, VIII. de pœnis multiſque cœlibum & orborum, IX. de iis, quæ conjuges inter ſe capiunt, X. de bonis Libertorum, XI. denique (nam alia prætereo, quæ paſſim in Pandectis) de Divortiis. Nec obſtet, quod *lex de ritu capiendæ Virginis Veſtalis* ſimpliciter *Papia*, altera autem illa ab duobus

simul Coss. *Papia-Poppæa*. Nam & *Papia-Poppæa* sæpe simpliciter *Papia* tantum dicitur, quemadmodum videre est apud Tacitum lib. III. Annal. cap. XXV. & passim apud Jurisconс. in Pandectis. Sed hæc pro Conjectura de *Papiæ legis auctore* sufficiant. Addit autem Agellius ib. *Sortitionem illam ex Papia lege non necessariam suo tempore videri solere*. Addit rationem: *Nam si quis*, inquit, *honesto loco natus adeat Pontificem Maximum atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cujus dumtaxat salvis religionum observationibus ratio haberi possit, gratia Papiæ legis per Senatum fit*: sic enim legendum ibi pro corruptissimis, quæ in vulgatis exstant libris, *gratia Popiliæ legis per se ratum fit*. Docet ibi Agellius Virginem Vestalem capi solitam *a Pontifice Maximo solennibus verbis*; ea in re consideratam fuisse *ætatem* & *qualitatem*; *excusationi item locum* fuisse, quod & notat Suetonius cap. XXXI. in Octaviani Augusti vita. Hæc de Lege Papia, sequitur *Pompilia*.

21. *Pœnæ*, quas subibant Virgines Vestales, pro delicti qualitate *duplicis erant generis*. Nam *si quid incuriæ* commissum esset circa Sacra, ut si ignis exstinctus esset, *flagris cædebantur a Pontifice*, ut scribit Dionysius lib. II. c. LXVIII. De *exstincto igne* sæpe scribunt Veteres auctores: & *qua arte exstinctus* resuscitaretur, notant Plutarchus in Numa & Festus in lib. IX. de verb. sig. *Si stupratæ essent & imminuta illarum virginitas*, *Vivæ defodiebantur*, idque ex *lege Sacrata*, cujus auctor Numa Pompilius secundus Romanorum rex, ut docet Dionysius lib. II. ib. supplicium illud depingit Plutarchus in Numa. Exemplum apud Plinium lib. IV. epist. II. Suetonius in Domitiano c. VIII. & alios. Ejus mentio apud Juvenalem Sat. XIV. Plutarchum in quæstionibus Romanis quæst. XCVI. Fiebat autem in Campo Scelerato ad portam Collinam, Festo docente. Hæc de LEGE POMPILIA, quæ potius referenda fuerat ad Classem *Regiarum Legum*: sed quia ibi a me omissa, malui hoc loco commemorare, quam malitiose prorsus præterire. Et hæc de Legibus, quæ ad *Jus Sacrum idque Privatum*, id est ad *Funera & Sepulcra*, *eorumque sumptus*.

22. *Sumptuarias Leges* Ammianus Marcellinus lib. XVI. scribit ex *legibus Lycurgi* sumtas fuisse, diuque observatas & jam senescentes reparasse *L. Cornelium Sullam*. Diodorus etiam Siculus lib. XII. Biblioth. scribit *Saleucum* leges omnium optimas & saluberrimas *Locrensibus* tulisse, quibus & *Convivia & sodalitates* coercuit; & *aureis anulis aut delicatis vestibus uti* vetabat, exceptis *mœchis aut lenonibus*; *mulieri una plus ancilla uti, nisi tremulenta foret*, *item domo noctu egredi ne liceret, nisi ad amatorem iret*. Ita prius *magnum crimen* confiteri oportebat, quam *deliciis sumtibusque* operam darent, quibus ad illa facilis aditus pateret. Romani non in *conviviis* solum, verum etiam in *funeribus & sepulcris* valde erant sumtuosi: adeo ut res, quæ ad summum gradum venerat, legibus fuerit coercenda. De *sumtibus funerum* duas reperio leges: *unam quidem* incerti auctoris, *alteram Corneliam*. De priore sic loquitur Cicero lib. XII. ad Attic. epist. XXXIII. *Antequam proxime a te discessi, numquam mihi venit in mentem, quo plus insumtum in monimentum esset, quam nescio quid quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse*. CORNELIAM tulit *L. Cornelius Sulla Dictator* anno DCLXXIII. *eodem Sulla & Q. Cæcilio Metello Pio* Coss. UT SCILICET CERTUS DIFFINITUSQUE FUNERIBUS ET SEPULCRIS ESSET SUMTUS, ISQUE QUI PRÆTER MODUM EXPENDISSET, MULTARETUR; quemadmodum scribit Plutarchus in ejus vita. Non dissimulabo meam *de his legibus* sententiam; eas, mea quidem mente, ad unam legem esse referendas; id est Ciceronem ad Atticum non *novam aliquam de funerum sumtibus legem* indicare, sed respicere ad *Corneliam*, quam tulerat jam *L. Cornelius Sulla* ut de *Jure de Sacro Privato*, id est *de Funeribus*, una tantum scribenda sit *lex Cornelia*, & ad eam referatur *lex illa*, cujus meminit Cicero lib. XII. ad Attic. epist. XXXIV. Hæc de Legibus, quæ ad *Jus Sacrum* pertinere visa sunt, dicta sufficiant, sequuntur, quæ ad *Jus Politicum*.

23. *Jus Politicum*, ut Sacrum, mihi vel *Publicum* vel *Privatum*. *Publicum* spectat ad *Negocia* vel *Urbana* vel *Militaria*. In Legibus quæ ad *Urbana*, disquiram partim quæ *Magistratuum*, partim quæ *Populi*. In iis, quæ *Magistratuum*, agam vel de *Præparatoriis ad honores*, vel de *ipsis Honoribus*. *Præparatoria* voco *Comitia*. *Comitia* nihil aliud quam conventus populi Romani ad ferendum aliqua de re suffragium. *Suffragiorum lationem* in quibuscumque vel cujuscumque generis comitiis *quædam præcedebant*, *quædam comitabantur*, *quædam sequebantur*. *Præcedebant* primo quidem *Patrum auctoritas*, de qua lex CURIA; secundo *Intercessio & Obnunciatio*, de quibus agunt tres leges ÆLIA, FURIA CONSULARIS, & CLODIA; tertio denique *Sortitio*, quam diffiniebat lex SEMPRONIA. Occurrit igitur primo loco in iis, quæ *Suffragiorum lationem præcedebant*, LEX CURIA.

24. CURIA LEX agebat de *Patrum ante Comitia auctoritate*. *Auctoritas* nihil aliud erat, quam facultas quid vel jubendi vel vetandi. Hæc proprie erat *in Senatu*, quemadmodum *Potestas* in populo, Cicerone lib. II. de LL. scribente, Liv. lib. I. c. XVII. *Regem populus jussit*, *Patres auctores fuere*. ibidem. *Decreverunt*, *ut quum populus Regem jussisset*, *id sic ratum esset*, *si Patres auctores fierent*. Idem lib. VIII. c. XXIX. *Bellum ex auctoritate Patrum Populus adversus Vestinos jussit*. lib. XXVI. c. II. de *Marcio* qui dux ab exercitu lectus absque populi suffragio litteras ad Senatum scripserat: *Titulus honoris, quod imperio, non populi jussu, non ex auctoritate patrum dato Proprætore Senatui scripserat, magnam partem hominum offendebat*. Hinc *in Potestate* vel *Auctoritate Senatus* vel *Patrum* esse apud Plinium lib. X. epist. III. Livium lib. III. IX. XXXII. & XLII. & M. Tullium Philipp. VI. De hac igitur *Patrum auctoritate*, Comitia præcedente, Legem tulit *M. Curius Dentatus* Trib. plebis, anno ab V. C. CCCCLV. quo Consulatum gesserunt *M. Fulvius Pætinus* & *T. Manlius Torquatus*, ea continentia UT ANTE COMITIA MAGISTRATUUM PATRES AUCTORES FIERENT. De ea Lege plene Livius lib. X. & Cicero de Claris Oratoribus, quorum ille *P. Sulpitio interrege* latam legem notat, hic vero *Ap. Claudio Cæco Interrege* Comitia habente. Sed Livii verior est sententia. Nam ab eo, qui *Primus Interrex*, haberi Comitia non solebant; quemadmodum in Comitiorum historia alias diximus. Quemadmodum autem *lex Curia* volebat, ut Senatus auctoritas præcederet, in Comitiis Magistratuum, sic idem cavebat in Comitiis Legum *Lex Publicia*: quam legem hoc etiam loco posuissem, nisi alia ejus capita monuissent alio potius loco constituendam. Ab eo igitur tempore, quo latæ leges & *Publicia* & *Curia*, in omnibus Centuriatis Comitiis, quibus *Leges ferebantur* & *Majores magistratus creabantur*, necessaria *Patrum auctoritas* cœpit esse. Unde fit, ut passim in Historia Livii, ubi mentio est Comi-

Comitiorum Magistratibus creandis indictorum, *S. C. præcessisse* reperiamus. Sic Cicero lib. IV. Epist. ad Attic. *Comitia dilata ex S. C.* Et paullo post: *Senatus decreverat ne prius Comitia haberentur, quam lex lata esset. Si quis intercessisset, res integra referretur. Cœpta ferri leviter; intercessum, nobis non invitis. Res ad Senatum. De ea re ita censuerunt, Comitia quoque primo tempore haberi censere.* Ex quo Ciceronis loco perspicuum est, in Magistratuum Comitiis *auctoritatem Senatus* usque adeo fuisse necessariam, ut non modo *jubendi*, sed etiam *differendi* & *impediendi Comitia* in Senatus potestate esset. Hæc de LEGE CURIA: sequitur LEX ÆLIA de *Obnunciatione* & *Intercessione*.

24 Varia erant apud Romanos Veteres *Auguriorum genera*, præcipue autem *quinque*. Auguria enim dabant vel *Cælum*, vel *Aves*, vel *Pulli*, vel *Quadrupedes*, vel denique *Diræ*. *Ex Cœlo* (nam ad hoc Auguriorum genus pertinet LEX ÆLIA) Auguria dabant *Tonitrua* & *Fulmina*. Quod ad hæc, apud Ciceronem & in omni Historia Romana frequenter occurrit; *Jove fulgente tonante agi cum populo fas non esse*: Hoc est, *quo die aut fulgur apparuerit, aut tonitru auditum sit, nefas esse populi Comitia habere*. Neque vero satis erat, eum ipsum, qui Comitia erat habiturus, nihil tale aut vidisse aut audivisse, sed etiam si quis alius, qui aut magistratus esset, aut augur servasset *de cœlo*, idque *renunciasset ei*, qui vocare populum vellet, nefas erat Comitia habere. Itaque non modo auspiciis parere, sed etiam obnunciationi morem gerere oportebat magistratum. Hoc enim erat *Obnunciare*, Magistratui servatum esse de cœlo renunciare; ideoque, ne eo die Jove prohibente Comitia haberet, vetare. Ut autem pareretur Obnunciationi legem tulit anno ab V. C. DLXXXVII. *Q. Ælius Pætus* Consul, Collegam habens *M. Junium Pennum*, UT QUOTIES CUM POPULO AGERETUR, AUGURES QUIDEM DE COELO SERVARENT, MAGISTRATUS AUTEM ET OBNUNCIANDI ET LEGISLATIONI INTERCEDENDI POTESTATEM HABERENT: quemadmodum videre est apud Ciceronem in Pisoniana, item in ea quam habuit de provinciis Consular. & post reditum in Senatu; apud Asconium quoque Pædianum in Pisonianam. Verba commodius audiemus paullo post in enarratione *Legis Clodiæ*, quæ legem hanc abrogavit. Hæc de Lege ÆLIA: sequitur explicanda FUSIA CONSULARIS, de *Tempore Comitiorum*.

25 Nulla Comitia *nisi diebus Comitialibus* haberi poterant. *Comitiales dies*, ut Macrobius scribit, lib. I. Sat. c. XVI. dicebantur *quod tunc populus esset constitutus ad suffragium in Comitiis ferendum*. *Comitiales dies* species erant *Fastorum*; *Fasti* namque quadruplices erant, ut *Comitiales*, *Comperendini*, *Stati* & *Nundinæ* ex *Lege Hortensia*. Tulit igitur *Q. Fusius Philus* Consul cum *Sex. Atilio Serrano anno ab* U. C. DCXVIII. UT CERTIS DIEBUS, QUI TAMEN FASTI ESSENT, AGI CUM POPULO NON LICERET, quemadmodum docet Cicero locis a me indicatis. Certi autem dies, quos nominat *lex Fusia*, erant inter Fastos non *Comitiales*; comitiales in Kalendario in singulis mensibus leguntur, eam ob caussam, quod *tempus Comitiorum*, quæ magistratuum caussa erant instituta, sæpe numero variavit, ut plene docui in *Comitiorum historia*. Hæc de Lege FUSIA, sequitur CLODIA.

26 Audivimus jam *Q. Ælium Pætum* Consu-

A lem Legem anno DLXXXVII. tulisse, *Ut quoties cum Populo ageretur, Augures quidem de Cœlo servarent, Magistratus autem & obnunciandi & Legislationi intercedendi potestatem haberent*; P. vero *Fusium Philum* Consulem item an. DCXVIII. legem tulisse, *Ut certis diebus qui tamen fasti essent, agi cum populo non liceret*: *P. Clodius* Tribunus plebis, non ferens ereptam Magistratibus liberam Comitia habendi potestatem, tulit anno DCCVC. *L. Calpurnio Pisone Cæsonino* & *A. Gabinio* Coss. Primo quidem, NE QUIS PER EOS DIES QUIBUS CUM POPULO AGI LICERET, DE COELO SERVARET: DEINDE, UT OMNIBUS FASTIS LEGEM FERRE LICERET. Sic homo turbulentissimus &

B turbulentissimi magistratus telo munitus duas abrogavit leges, quas antea nominavi, ÆLIAM & FUSIAM. Asconius Pædianus in Pisonianam ea de re, de abrogantis inquam per Clodium Legibus ÆLIA & FUSIA gravissime conqueritur. Cicero in Pisonem, post reditum in Senatu, de Provinciis Consularibus, in Vatiniana c. VIII. lib. I. ad Attic. c. XVI. & alibi. Hæc de lege CLODIA: sequitur SEMPRONIA de SORTITIONE.

C 27 Moris erat in comitiis centuriatis, ut primæ ad suffragium vocarentur *maximi census* id est *primæ classis* Centuriæ, *octodecim Equitum*, *octoginta peditum*. Hæ quia tribus Centuriis plures erant, quam reliquæ, si consentirent, vincebant, & diffiniebatur sententia. Sin minus XXII. *Centuriæ secundæ Classis* inibant suffragia. Quod si ne tunc calculi convenirent, *tertia Classis* vocabatur, ac deinceps *quarta*, idque tamdiu fiebat, donec XCVII. *Centuriarum* consentirent suffragia. Id si ne post *quintam quidem vocationem* contigeret, *centum nonaginta duabus centuriis* pari utrimque numero divisis in duas sententias, tum demum vocabatur *ultima* inopum Classis, immunis a Tributis atque militia, & utricumque parti accideret, eam reddebat potiorem

D altera, quod perrarum erat. Plerumque enim *prima vocatione* absolvebantur Comitia, *raro ad quartam & quintam* perveniebatur; *sexta erat supervacanea*, Dionysio scribente lib IV. c. XXIV. Is igitur erat ex instituto Ser. Tullii ordo Classium; is libera republica in Comitiis fuit servatus, ut *primæ classis* Centuriæ primo vocarentur, *secundæ* secundo loco, & sic deinceps. *Ordinem hunc* turbavit sua lege *C. Sempronius Gracchus*, qui ante suffragiorum lationem Centurias quinque Classium commisceri voluit, sicque ab

E iis suffragia ferri, nulla habita ordinis Classium ratione. *Legem* enim tulit anno DCXXXI. *Q. Cæcilio Metello Balearico* & *T. Quintio Flaminino* Coss. UT EX CONFUSIS QUINQUE CLASSIBUS SORTE CENTURIÆ VOCARENTUR. Quæ lex valde fuit popularis, infimosque supremis in Jure Suffragiorum æquavit. Testis est hujus rei Sallustius in oratione ad Cæsarem de republica ordinanda. Vult autem lex, UT EX CONFUSIS QUINQUE CLASSIBUS SORTE CENTURIÆ VOCARENTUR; mentionem faciens *quinque tum classium*, quum

F tamen *sex essent* classes: unde patet, *sextam Classem*, quæ Servii instituto *una modo Centuria* continebatur, nullius pene momenti fuisse, ideoque numquam *numero Centuriarum* fuisse auctam. Sic & alii *quinque tantum Classes* nominant. Livius lib. III. *Tricesimo sexto anno a primis Tribunis decem creati sunt, bini ex singulis Classibus*. Asconius in orat. pro Cornelio: *Cæterum quidam non duos Trib. plebis, ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos esse singulos ex singulis*

Classibus. Hæc de *Legibus*, quæ pertinebant ad *præcedentia Legum lationem*: succedunt, quæ spectant *Legum lationem comitantia*.

In iis quæ *Suffragiorum Lationem* comitabantur, considerare vel examinare oportet primo *Personas*, deinde *Modum ferendi suffragia*. Personæ triplicis sunt generis: *aliæ Comitiis* præerant, *aliæ suffragiorum* jus habebant, *aliæ denique* Suffragiis populi Honores consequebantur. De Personis, quæ *Comitiis præerant*, duas reperio leges ANTONIAM & INCERTI CUJUSDAM.

28 Populus Romanus parta libertate, jura quæ regum fuerant, sic cum Senatu partitus est, ut suprema illa sibi retinuerit, *Bellum indicere*, *Pacem facere*, *Fœdus ferire*, *Leges ferre*, *Magistratus creare* & similia: quæ omnia Populus Comitiis suis peragebat. Servavit autem ea sibi, quamdiu salva & inlæsa illi fuit libertas: qua violata imminutaque, & occupata per tyrannidem republica, ad quod malum primam sibi suisque Successoribus januam aperuit C. Julius Cæsar, valide etiam imminuta & violata fuerunt *Populi jura*; adeo etiam ut *Comitiorum atque magistratuum res*, amissa libertate, valde varie cœperit haberi: *Julius Cæsar* jus creandi magistratus non totum a populo tulit, cruda adhuc servitute, sed cum populo divisit. Suetonius satis clare cap. XLI. in ejus vita. *Comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus, de cetero numero Candidatorum, pro parte dimidia quos populus vellet pronunciarentur, pro parte altera quos ipse edidisset. Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura brevi, Cæsar Dictator illi tribui: Commendo vobis illum & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant*. Ubi videmus, consulibus exceptis, in ceterorum suffragia æquale jus principi fuisse cum plebe. Nam *Consules* quidem, summum Imperii olim nomen, & ipsi & sequuti Principes seposuerunt Senatui sibique. *Augusti ævo* & principatu res Comitiorum & Magistratuum variavit. Primo quidem per bella civilia jus Comitiorum & Magistratuum suæ potestatis fecisse & in sua habuisse manu videtur C. Julius Cæsar Octavianus, idque postea divisisse cum *L. Antonio*, lata ab ipso lege, anno ab U. C. IↃCCXIV. De qua sic scribit Cicero VII. Philipp. *Poteritis igitur exploratam habere pacem, quum in civitate Antonium videatis, vel potius Antonios? nisi forte contemnitis Lucium: ego ne Cajum quidem: sed ut video, dominabitur Lucius. Est enim Patronus* XXXV. *Tribuum, quarum sua lege, qua cum C. Cæsare magistratus tum partitus est, suffragium sustulit*. Bellis civilibus compositis, sequutum videtur id quod scribit in Augusti vita Suetonius cap. XL. *Comitiorum pristinum jus*, inquit, *reduxit; ac multiplici pœna coercito ambitu, die Comitiorum Tribulibus suis &c.* Quo loco *pristinum jus* non vetus illud exaudiendum quod integra libertate, sed hoc idem, quod a patre ejus Julio institutum. *Pristinum* tamen eam ob caussam appellatur, quia per bella civilia & impotentem Triumviratum, abolitus Cæsarianus mos, quem reduxit longo intervallo Augustus. Legendus omnino Dio lib. LIII. Aliquid tamen plebi etiam cum Consulum comitiis fuisse, videtur colligi ex Dionis lib. LIV. in Actis anni ab U. C. CCCXXXIV. *Tiberius* primum, animis Quiritium fractis jam, & ad servitium factis, jus omne sibi & Senatui sumsit, Populus nullo loco habitus. Tacitus lib. I. Annal. c. XV. *Tunc primum Comitia e Campo ad Patres translata sunt*. Ex eo tempore expers suffragiorum populus, donec Cajus *tentavit, Comitiorum more revocato, suffragia populo reddere*; ait Suetonius cap. XVI. in ejus vita: scilicet Tiberii instituto omisso, Augusti revocato: sed idem ille omisit, Tiberianumque morem apud sequutos principes valuisse deinceps, clarum ex memoriis rerum. Hæc de Lege *Antonia*, sequitur lex INCERTI CUJUSDAM AUCTORIS INCERTIQUE TEMPORIS.

29. Apud Veteres Romanos honores continuare nullo interposito tempore valde erat indecorum, præcipue si ipsi, qui defungebantur, eosdem honores rursum ambirent. Quod fiebat, si is qui Comitiis præesset, magistratum, quo abierat, iterum venaretur, sibique procuraret. Si enim dicis gratia, Consularia essent Comitia habenda, plerumque *Consulum Alter iis* præerat, aliquando absentibus Consulibus *Dictator*, nonnumquam *Interrex*, aliquando alii. De his igitur cautum est, incertum cujus vel auctoris vel temporis, NE IS, QUI COMITIIS PRÆESSET, SUI RATIONEM IN MAGISTRATU PETENDO HABERET; quemadmodum testatur Livius lib. X. De hac lege nihil amplius reperio, ideoque ejus explicationi, quum per se satis sit clara, diutius non immorabor. Hæc de Legibus quæ ad Personas pertinebant, *quæ Comitiis præerant*: sequuntur tres Leges quæ ad Personas SUFFRAGIORUM JUS HABENTES spectant; quales sunt VALERIA, SEMPRONIA, MANILIA.

30 *Coloniarum*, quemadmodum etiam *Municipiorum*, apud Veteres Romanos aliæ erant *Civium Romanorum*, aliæ *Latinæ*. *Coloniæ Romanæ* vel *civium Romanorum* erant, quæ donatæ erant jure Quiritium, hoc est quæ jus privatum Civium Romanorum habebant, quod consistebat in jure *privatæ libertatis*, *connubiorum*, *jure patrio*, *jure legitimi dominii* ut *hereditatis*, *mancipii*, *nexus*, *usucapionis* & reliquorum, item in jure *testamentorum* & *tutelarum*. Jura vero publica civitatis Romanæ non habebant. Quare qui eo adscripti coloni erant, *nomine* quidem erant Cives Romani, *re autem vera* Coloni. *Latinæ Coloniæ* erant, quæ jus habebant *Latii*, quod in eo consistebat ut *suffragiorum potestatem*, magistratu permittente, *haberent*; & si Latina civitate aut Latii jure donata magistratum gessissent, Cives Romani ut fierent. Coloniis autem ut & Municipiis communicabatur Civitas aliis *cum suffragio*, aliis *sine suffragio*. *Suffragium* pro optimo jure Civitatis dicebatur. Quibus Civitas communicata initio fuerat *sine suffragio*, iis aliquando postea *Suffragii jus* communicabatur, quemadmodum factum est *Fundanis*, *Formianis* & *Arpinatibus*, quibus suffragii latio data est per legem, quam tulit *C. Valerius Tappo* Tribunus plebis anno IↃLXVI. C. Livio Salinatore & M. Messala Valerio Cos. quemadmodum late scribit Livius lib. XXXVIII. c. XXXVI. Hæ de LEGE VALERIA, sequitur SEMPRONIA.

31. Quæ ad VALERIAM legem præfatus sum de *Civitate Romana* communicata nonnumquam *cum suffragio*, aliquando *sine suffragio*: lucem etiam adferunt huic legi Semproniæ, quam tulit C. *Sempronius Gracchus* Tribunus plebis anno IↃCXXXI. *Calpurnio Pisone* & *A. Gabinio* Coss. UT SOCIIS LATINIS SUFFRAGII FERENDI UT CIVIBUS ROMANIS ESSET, quemadmodum scribit Plutarchus in Gracchorum vitis, & Cicero etiam multis locis. Meminit ejusdem rei Appianus, qui ita refert, ut *Gracchus civium Romanorum Colonias in Italia fecerit: ceteris; quibus suffragia in Comitiis ferre non licebat, ita ferre*

concessit; *si tributa persolvissent*. Quod Senatus per Consules & per *Drusum Tribunum* impedire tentavit. Sed quum sociale bellum postea insequutum sit, propter ejusdem Drusi promissa hæc lex ignobilis fuit. Hæc de SEMPRONIA, sequitur MANILIA.

32. Populi Romani variæ fuerunt differentiæ, inter quas non ignobilis fuit illa, quod Civium alii essent *Ingenui*, alii *Liberti*, alii *Libertini*. *Libertinos* varii varie sunt interpretati. Antiquissimis temporibus *Libertinus* is dicebatur, *qui ex duobus libertis erat natus*. *Libertus* autem vocabatur, *qui aliquando servitutem servierat & ex ea manumissus erat*. Appii Claudii Cæci tempore *Libertini* dicebantur illi, *qui nati ex iis*, *qui aliquando servierant*. *& manumissi erant*. Justiniano Imperatori *Libertini* nuncupabantur, qui ex justa servitute manumissi erant. *Libertini* de quibus agit lex MANILIA, exaudiendi sunt, quales illi diffiniri cæperunt Ap. Claudii Cæci tempore. His lex Manilia in omnibus tribubus tribuit *suffragium*. Tulit legem illam C. *Manilius* Trib. pleb. anno IↃCLXXXVIII. M. Amulio Lepido & L. Voliatio Tullo Coss. De qua lege ne sim prolixior, legendi Cicero in oratione pro Lege Manilia & Asconius Pedianus in Cornelianam. Et hæc de Legibus Comitialibus, quæ pertinere mihi visæ sunt ad Personas, *quæ suffragiorum jus habebant*: sequuntur quæ ad Personas spectant, *quæ suffragiis populi: Honore consequebantur*.

33. In Legum, quæ ad *Candidatos*, id est eos, qui honores & magistratus ambibant, visæ sunt pertinere, aliæ *præscribentes* sunt, aliæ *vetantes*. In quibusdam enim præscribitur *Ætas Candidatorum*, in aliis *Qualitas*, in nonnullis *Præsentia*. *Ætatem* præscribunt Leges VILLIA & POMPEIA.

34. Quod ad VILLIAM: In honoribus mandandis magna solet haberi ratio *ætatis* non apud Romanos solum, verum etiam alios populos, quemadmodum exempla illud satis superque docent. Non omnes ad quosvis honores admittendi. Alii Senioribus, alii Junioribus magis conveniunt. *Senibus* enim *corpus quidem annis infirmum est*, sed ut Sallustius notat in Catil. *ingenium sapientia validum est*. Juvenum vel *Adolescentum animi* plerumque parum providi, *iique molles & ætate fluxi*, *dolis haud difficulter capiuntur*. Verum est quod Plutarchus ait, *Consilia Senum hastas juvenum esse*. Romani in dandis magistratibus non magnopere *ætatem* considerarunt ante annum ab U. C. IↃLXXIV. quo tempore quum multi viderent Adolescentes etiam imperitos in campum ad petendos honores contra Senes in republica versatissimos prodire, eorumque, si fortean obtinuissent, temeritate rempublicam subinde in summum periculum præcipitari, *L. Villius Tribunus* plebis Coss. A. Postumio Albino & C. Calpurnio Pisone anno IↃLXXIV. legem tulit reipublicæ Romanæ salutarem & utilem admodum, QUA SINGULIS MAGISTRATIBUS SUAM ÆTATEM DIFFINIVIT; cavens, NE QUIS MAGISTRATUM PETERET, NISI QUI JUSTAM ET AB LEGE PRÆSCRIPTAM ÆTATM HABERET, quemadmodum docet Livius libro XL. Quæ autem *singulis magistratibus ætas* fuerit hac lege diffinita, non constat. Illud enim Livius non addit, eam ob caussam, quod res ejus tempore esset satis nota. Ex aliis certe auctoribus totam illam *ætatis rationem* facile continuari posse, antea demonstravi, quum magistratus ipsos explicarem, ubi docui, *Quæsturam* primum fuisse magistratum urbanum, eamque capere non licuisse ante *annum ætatis* XXVII. *Tribunatui* porro plebis diffinivi *annum* XXX. *Ædilitati* XXXVII. *Præturæ* XL. *Consulatui* XLIII. Sed quærere posset hic aliquis, an hæc ætatis consideratio locum etiam habuerit in *Magistratibus Extraordinariis*: Censeo quod non. Certe de *Dictatore* & *Censore* non difficile est judicium, qui creati plerumque e Consularibus, more tamen potius quam lege hac Villia. Sed & *Interrex* plerumque prodebatur ex honoratissimis Senatoribus: Latam autem dixi hanc Legem ab *L. Villio Tribuno* plebis Legislatorem hunc alii corrupte nominant *Julium*, alii *Tullium*, quemadmodum videre est tum apud alios, qui ejus meminerunt, tum apud Ciceronem vel potius Cœlium lib. VIII. Epistola VIII. Valer. Max. lib. IX. cap. II. Quintil. lib. VI. cap. IV. apud quos etiam videre est Legislatorem ab sua lege, qua anni præscribebantur, *Annalem* fuisse cognominatum, illudque cognomen ad posteros etiam suos transmisisse. Quin & ipsa lex *Annalis* dicebatur. Festus lib. I. de verb. sig. *Annalem Legem dixerunt*, *quæ præscribebat legitimam ad petendum magistratum ætatem*. Videndus etiam Cicero Philippica v. lib. III. de LL. Dicebatur etiam hæc lex *Comitialis*, quod modum frænumque imponeret Comitiis. Latinus Pacatus in Panegyrico, quem Theodosio inscripsit: *Annorum*, inquit, *ita cura fuit majoribus*, *ut non solum in magistratibus amplissimis adipiscendis*, *sed in præturis quoque aut ædilitatibus capessendis*, *ætas sit spectata petitorum*, *nec quisquam tantum valuit nobilitate vel gratia*, *qui annos Comitiali lege præscriptos festinatis honoribus occuparet*. De *Tempore* autem latæ legis ab nonnullis dubitatur. Livius enim lib. XL. videtur agnoscere *annum* IↃLXXIV. quod tamen ille evertit lib. XXXV. ubi de *Scipione Africano* multis ante Villiam legem annis scribit, huic Ædilitatem petenti obstitisse Tribunos, negantes rationem ejus habendam esse, *quod nondum ad petendum legitima ætas esset*. Ait enim, *legitimam non fuisse ætatem*. Quid ergo clarius, quam etiam tum latum fuisse *de ætate*? Et profecto, aut *per errorem* confusionemque nominis & hominis id scripsit Livius, *Scipioni Africano* attribuens, quod postea *Æmiliano* evenerat, de quo Appianus in Libico & Valerio Maximo lib. VIII. cap. VIII. epistola I. *aut fateamur* necessum est parum caute scriptum ab Livio *L. Villium* primum hanc legem tulisse. Et fortasse per partes jam ante de quibusdam magistratibus ferri cœptum est, quæ omnia lex Villia junctim complexa abolevit. Adjuvat aliquid Cicero, qui *Leges Annales* nominat multitudinis numero, Philipp. v. Sic Ovidius lib. v. Fastorum vers. LXV.

—— finitaque certis
Legibus est ætas, unde petatur honos.

Hæc de LEGE VILLIA, quam alii JULIAM corrupte vocant; sequitur POMPEIA.

35. Quemadmodum LEX VILLIA certam ætatem præscribebat honoribus Urbanis petendis; sic idem faciebat in Coloniis LEX POMPEIA, quam tulit *Cn. Pompejus Magnus*, incertum quo anno & quoto ipsius Consulatu. De ea unus, & solus Plinius loquitur lib. X. Epist. LXXX. ad Trajanum. *Cautum est*, *mi Domine*, *Pompeja lege*, *Ne quis capiat Magistratum*, *neve sit in Senatu minor annorum* XXX.

Sequutum est dein Edictum D. Augusti, qui promisit minores magistratus ab annis XXII. *capere*. Hæc de *Legibus*, quæ Candidatis vel iis qui honores ambibant, *certam ætatem* præscribebant: sequuntur, quæ *Qualitatem* præscribebant, CORNELIA, HIRCIA, VISELLIA.

36. Non parum referre, quales sint, quibus honores in reipublicæ administratione mandantur, docent omnium temporum omniumque populorum historiæ. Tales autem esse oportet *fidos probos rerum hominumque peritos*, id est prudentes; item *Senes* & *fortuna varia exercitos, acutos* denique, non tamen nimis. Verum enim est quod monet Thucyd. lib. III. *Hebetiores quam acutiores, ut plurimum melius rempublicam administrant*. Ad *qualitatem* referenda imprimis LEX CORNELIA, quam tulit *L. Cornelius Sulla Dictator & Consul*. II. cum *Q. Cæcilio Metello Pio* anno ab V. C. IƆCLXXIV. scribente Appiano lib. I. bell. Civil. Ejus duo erant Capita, quorum *posterius priore* fuit nobilius. *Priore* cavebatur ab Cornelio Sulla, NE QUIBUS MAGISTRATUS ANTE TEMPUS CAPERE LICERET, NISI QUI IPSIUS PARTES IN BELLO CIVILI ESSENT SEQUUTI. Altero vero vel posteriore capite statutum erat, UT SI QUIS MAGISTRATUM PETERET, QUEM ANTE GESSISSET, NISI DECENNIUM INTERIECTUM ESSET, EIUS RATIO NON HABERETUR. Eadem etiam lege præscriptus videtur ORDO IN MAGISTRATIBUS PETUNDIS, NE QUIS PRÆTURAM PETERET, NISI QUÆSTURAM ANTEA GESSISSET; NE QUIS CONSULATUM AMBIRET, NISI QUIS PRÆTOR FUISSET. De *Quæstura* certe scribit Ulpianus in l. unic. de Offic. quæst. *ingressum esse & primordium honorum gerendorum, sententiæque in Senatu dicendæ*. Tulliana tamen lex, quæ legitur lib. III. de LL. hoc tribuit *Ædilitati*, ut ea *primus ascensus sit ad honoris amplioris gradum*. Et in Verrinis etiam *paullo amplius quam privatum ædilem* vocat se, licet *Quæstor* antea in Sicilia fuisset. Quam ob caussam sic constituendum est, *Quæstores* primo, postea *Ædiles*, deinde *Prætores*, postremo *Consules* veteres magistratus constituisse. De *decem autem annis*, quos præscribere *legem Corneliam* ante audivimus, jam antea alia lege constitutum fuisse videtur. Sic enim Livius lib. VII. cap. XLII. *Apud quosdam invenio L. Genulium Tribunum plebis tulisse ad populum, ne fœnerare liceret: item aliis plebiscitis cautum, Ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet; neve duos magistratus uno anno gereret, utique liceret Consules ambos plebejos creari*. Ad *antiquum illud plebiscitum*, vel saltem *legem Corneliam* referendum est, quod scribit M. Tullius de LL. *eundem magistratum ni interfuerint decem anni ne quis capito; ævitatem Annali lege servanto*. Hæc de LEGE CORNELIA: sequitur HIRCIA.

37. Quemadmodum LEX CORNELIA gratiam faciebat iis ætatis, qui Legislatoris id est L. Cornelii Sullæ partes in bello sequuti erant: sic LEX HIRCIA latiorem multo viam ingressa ad dignitates solum admittebat *Cæsarianos*; non Pompejanos, id est eos, qui bello civili Cn. Pompeii Magni partes contra Julium Cæsarem sequuti fuerunt. Tulit eam *A. Hircius* Cos. cum *C. Vibio Pansa* anno DCCXI. De *ipsa lege* Antonii epistola apud Ciceronem Philippica I. Hec de Hircia, quæ quum per vim lata, legis nomen obtinere non potuit, sequitur Lex *Visellia*.

38. Dixi alias varias fuisse populi Romani distributiones, inter eas autem non postremi fuisse loci, quod cives alii essent *Ingenui*, alii *Liberti*, alii *Libertini*. Singuli sua habebant jura, sua Privilegia. Inter alia Libertinis etiam hominibus *jus aureorum annulorum* nonnunquam concedebatur; quibus deinde lege Visellia ad Ingenuorum honores adspirare licebat. Tulit legem hanc *L. Visellius Varro* Cos. cum C. *Fonteio* anno IƆCCLXIX. De hac lege titulus Codicis exstat lib. IX. XXI. qui inscribitur *Ad legem Viselliam*. Sic enim legitur in Codice Theodosiano. Alii corrupte legunt *Ad legem Miscelliam*; alii *Miscellam* vocant, designari putantes in codice quæ alibi dicitur *Julia Miscella*, quod falsum. De ea lege sic loquntur Diocletianus & Maximianus Imperatores. *Lex Visellia libertinæ conditionis homines, si ea quæ ingenuorum sunt circa honores & dignitates ausi fuerint attentare vel decurionatum arripere; nisi jure aureorum annulorum impetrato a principe sustententur. Tunc enim quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis obtinent; & sine periculo ingenuorum etiam officia peragunt publica*. Ejusdem etiam legis mentio est in l. unica C. Quando civilis actio criminali præjudicet, & in utraque ab eodem exerc. poss. Hæc de Legibus, quibus *Ordo* & *Qualitas* præscribebatur: sequuntur quæ *Præsentiam* Candidatorum, id est eorum, qui honores & magistratus ambibant, visæ sunt flagitare; quales erant POMPEIA & CLAUDIA.

39. In Comitiis Veterum Romanorum, quibus *Consules*, *Prætores*, *Censores*, *Ædiles*, *Quæstores* & alli creabantur, cum aliarum rerum, tum etiam *Præsentiæ* ipsorum, qui candidati erant, magistratusque vel honores ambibant, haberi solet ratio. Volebant enim veteres illi, populo toti plene notos esse eos, qui Magistratus ambibant: plena autem hominis notitia ex ipso adspectu, qui plerumque pleniori solet occasionem dare inquisitioni. *Cn.* igitur *Pompejus* animadvertens magnam esse confusionem in comitiis præcipue *Prætoriis* & *Consularibus* ab iis, qui absentes candidatos se profitebantur, & inde sæpe magistratus honoresque mandari hominibus ipsi populo Romano ignotis; quod valde erat periculosum; *Consul* III. cum *Q. Cæcilio Metello Pio Scipione* legem tulit, anno ab V. C. IƆCCCC. NE CUJUS ABSENTIS IN MAGISTRATUUM COMITIIS RATIO HABERETUR. Intelligendum autem legis istius plura fuisse capita *de jure magistratuum*: interea autem illud etiam fuisse, *quod a petitione honorum absentes submovebat*. De Absentibus vero lex generaliter & universim loquebatur nulla adscripta exceptione, adeo ut Legislator Cæsarem etiam, quicum magna ipsi tunc temporis erat amicitia & necessitudo, præteriret: quem errorem suum serius deprehendit, lege jam in æs incisa & in ærarium condita. Quæ quamvis ita se haberent, errorem tamen suum correxit, legisque jam incisæ & in ærario positæ addidit hæc verba *uno Cæsare excepto*. Erat enim Cæsar eo tempore in Galliis, bellum gerens contra Gallos, Germanos & Britannos. Videndi Dio lib. XL. & Plutarchus in vitis Cæsaris & Pompeii, Suetonius item in Cæsare cap. XXVIII. cujus verba mox recitabo in explicatione Legis Claudiæ.

40. *M. Claudius Marcellus* cos. cum *Ser. Sulpicio Rufo* anno DCCIV. quum videret Cn. Pompeium Magnum maligne fecisse, legem semel la-

tam, in æs incisam, inque ærarium conditam ampliando, adscripta scilicet illi in gratiam *Cæsaris absentis* exceptione, Legem tulit NE CUJUS ABSENTIS IN MAGISTRATUUM COMITIIS RATIO HABERETUR: nullam addens exceptionem, nullam limitationem, adimens eo modo *privilegium Cæsari*, quod ipsi ex lege Pompeja competebat. De utraque & Pompeja & Claudia lege sic scribit Suetonius Cæs. cap. XXVIII. *Attonitis jam omnibus & quorsum illa tenderent reputantibus, M. Claudius Marcellus Cos. edicto præfatus de summa se re pacturum retulit ad Sena-* A *tum ut ei succederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus, & ne absentis ratio comitiis haberetur, quando ne plebiscito Pompejus postea abrogasset. Acciderat autem, ut is legem de jure magistratuum ferens, eo capite, quo a petitione honorum absentes submovebat, ne Cæsarem quidem exciperet per oblivionem, ac mox lege jam in æs incisa & in ærarium condita, corrigeret errorem. Nec contentus Marcellus provincias Cæsari & privilegium eripere* &c. Hæc de Legibus quæ præscribebant in candidatis *Ætatem, Ordinem Magistratuum, Qualitatem & Præsentiam.*

F I N I S.



PAULUS MERULA
DE
COMITIIS
ROMANORUM.

PAULUS G. F. P. N. MERULA DE COMITIIS ROMANORUM.

CAP. I.

1 *Duplex Comitiorum consideratio.*
2 *De Prolegomenis.*
3 *De Diffinitione.*
4 *Comitiorum genera, vel species, vel partes tres; Curiata, Centuriata, Tributa.*
5 *De Centuriatis.*
6 *De quibus caussis Comitiis Centuriatis agi solitum.*
7 *De Comitiis Curiatis.*
8 *De Duplicis generis personis.*
9 *Loco. 2. Tempore.*
10 *Ritibus.*



1 IN Comitiis, quorum apud veteres Romanos fuit usus, duo præcipue consideranda censeo; *primo quidem*, qualis illorum fuerit ratio, rebus Romanorum stantibus & florentibus, præcipue tempore Ciceronis; *deinde quis* fuerit Comitiorum status sub *Imperatoribus*, *occupata jam republica & dempta populo libertate*. In priore membro pendenda erunt, *Prolegomena & res ipsa*.

2 Prolegomena patebunt in *Diffinitione* & similibus, quæ ut generalia plerumque in aliis etiam artibus, & scientiis, ad faciliorem specialium intellectum præmitti solent. Ordiar igitur ab *Diffinitione*. Omnis enim disputatio, quæ de aliqua re suscipitur, debet *a Diffinitione* sumere initium: ut ante omnia sciamus, *quid sit*, de quo agendum.

3 *Comitia* (si vox generaliter accipienda, quemadmodum etiam ab Latinis scriptoribus usurpatur) *nihil aliud quam conventus populi totius, vel partis, ad ferendum aliqua de re suffragium*. Diffinitionis partes, in singulis Comitiorum speciebus (quæ tres præcipue, ut dicam postea) magis elucebunt. *Generis* loco addidi esse *Conventum*. Conveniebatur enim, coibat inquam populus. Et hinc Comitia dicta ab *Coeundo*, ut veteres loquebantur; vel potius *a Comitando*, id est, *simul itando*. Cujus autem erat conventus ille? *Populi totius*, dixi in Diffinitione per *Curias*, *Centurias*, *Tribus*, ut paulo post dicam. Addidi in Diffinitione vel *partis*. Qui & hoc factum fuerit, postea docebo. Agellius tamen differentiam agnoscit in Conventu, vel *populi totius*, vel *partis*: traditque *Comitia* proprie exaudienda, quum *totus populus* convocaretur; Concilium vero, quum pars populi conveniret. Verba ejus ex Lælio Felice lib. XV. c. XXVII. sunt hæc. *Eum qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubeat, non Comitia, sed concilium edicere debere*. Quod discrimen observare etiam videtur Cicero l. II. de Leg. *Quid enim majus est, si de jure quærimus, quam posse ab summis imperiis & summis magistratibus*

A *Comitia, & concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere*. Idem in oratione post redit. in Senatu: *Legem Trib. plebis tulit, ne obnunciare concilio aut comitiis liceret*. Peccasse igitur possem videri, quod in Diffinitione addiderim vel *partis populi*, quum si pars conveniat, *Concilium* proprie, Cicerone & Lælio Felice apud Agell. auctoribus, dicatur, non *Comitia*. Sed excusat me multis locis Livius, cujus ut summa fuit peritia in Romanorum veterum antiquitatibus, sic summa in his talibus debet esse fides. Aliquot rei confirmandæ loca indicabo, quibus manifeste Livius duas has voces confundit, nullo discrimine. Sic enim
B ait lib. III. c. XIII. ubi de judicio Cæsonis Quintuli: *Judicii die, quum excusaretur solum vertisse, exsilii caussa, nihilominus Virginio Comitia habente, collegæ appellati dimisere concilium*. Ubi *concilium totius populi*, non partis; ideoque eadem periodo *Comitia*. Idem Livius lib. eod. cap. LXXI. loquens de Comitiis habitis ob judicium populi de agro ambiguo inter Aicinos & Ardeates: *Quum ad caussam orandam*, inquit, *venissent concilio populi ab magistratibus dato*. Idem agens de judicio Manlii: *In Lucum Petilinum concilium populi indictum est*. Ea tamen fuisse Comitia *Centuriata*, idem est auctor. Idem lib. V. ubi agit de mul-
C cta, quæ M. Postumio Publicano a Corviliis Tribb. pleb. dicta erat, ita scribit: *Multæ certandæ quum dies advenisset, conciliumque tam frequens plebis adesset, ut multitudinem area Capitolii vix caperet*, paulo post, *Comitia* dicit, quod primo loco *concilium plebis* appellarat: *Et Comitia quæ vi atque armis prohibiturus erat*. Non igitur absurdum, Comitia dici non tantum *de toto populo*, verum etiam *de parte aliqua populi*: eo magis, quod *Concilii* vox reperiatur etiam multo latius se extendere, quam *Comitiorum*. Nam Cicero l. III. de LL. *Concilii* voce complectitur *omnes in populo actio-*
D *nes*, adeoque *omnia Comitia*: *Quod vero*, inquit, *actoris jubeo esse fraudem, id totum ex Crassi sapientissimi hominis sententia dixi; quem est senatus sequutus, quum decrevisset, C. Claudio consule de Cn. Carbonis seditione referente, invito eo, qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri, quippe cui liceat, simul atque intercessum, turbarique cœptum sit, concilium dimittere*.

Tam generali notione *concilii* vox sæpissime apud Livium obvia, & alios scriptores, quorum testimonia in medium adferre longum esset & tædiosum. Addidi in Diffinitione Differentiæ genera *ad ferendum aliqua de re suffragium*. Nam non om-
E nes populi conventus *Comitia* erant dicta, sed ii tantum qui ferendorum aliqua de re suffragiorum caussa haberentur. Quum enim *ludorum censusve gratia* populus universus conveniret, non erant Comitia, sed *Conventus*, & generaliter sumtum *Concilium*. Hæc prolegomena rite de Comitiis dicta sufficiant. Addo obiter inter veteres præter alios de Comitiis scripsisse M. Varronem: Inter recentiores autem *Onuphrium Panvinium*, *Joachimum Perronium*, *Carolum Sigonum lib.* III. *de an-*

tiq. jure Civium Roman. & alios: omnium autem accuratissime *Nicol. Gruchium & Joannem Rosinum*, quorum ille tres libros de tribus Comitiorum speciebus dedit; hic vero non infeliciter rem pertractavit lib. VI. cap. I. & seqq. Antiquit. Roman. Ex his omnibus servata methodo delibabo, quæ ad institutum præsens, & totam Comitiorum pertinent illustrationem. Explicatis Prolegomenis, pergo ad *rem ipsam*.

In ipsa re feliciter enarranda, *singularia* quædam examinabo, quædam *communia*. In singularibus *species* indicabo vel *genera* Comitiorum.

4 Comitiorum igitur *genera* vel *species* vel *partes*, quocumque nomine sint appellandæ, sunt *tres*. Alia enim Comitia *Curiata*, alia *Centuriata*, alia *Tributa*. Aliæ species nullæ. Nominat quidem Agellius etiam Comitia *Calata*, l. XV. c. XXVII. ex Lælio Felice, cum dicit, *In libro Lælii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est, Labeonem scribere*, calata comitia *esse, quæ pro collegio Pontificum habentur aut regis aut Flaminum inaugurandorum caussa: eorum autem alia esse curiata, alia centuriata*, &c. sed ea proprium & peculiare genus non efficiebant. In principio enim omnia Comitia erant *Calata*, quod satis ostendit Agellius, quum *Calatorum alia fuerunt Curiata, alia centuriata*. Omnia inquam erant *calata*, sic dicta ab Græco καλέω, id est voco, unde antiquis Latinis *calare* pro vocare. Vocabatur autem populus ad omnia Comitia; unde & omnia Comitia recte *calata*, non solum *curiata* & *centuriata*, ut notat Agellius, sed & *Tributa*, quod ex sequentibus magis patebit. Postea quum hoc verbum in usu esse desiisset, mansit tum *calatorum comitiorum* nomen in duobus tantum, vel *in Pontificibus* creandis, vel *in testamentis publicis* condendis. Priorem causam notat Lælius Felix apud Agellium, loco citato, quum inquit: *Calata comitia sunt, quæ pro collegio Pontificum, aut regis sacrorum, aut flaminum inaugurandorum caussa habebantur*. Posteriorem caussam indicat Theoph. lib. II. instit. tit. X. §. I. *Duo erant apud veteres Testamentorum genera, unum quod Calatis Comitiis fiebat & dicebatur; alterum quod in procinctu. Testamentum Calatis Comitiis tempore pacis fiebat, bis in anno, hoc modo: Præco universam circumibat civitatem, populum convocans; ac tum qui testamentum condere volebat in concione populi, ipse teste populo testamentum scribebat. Ex quo dictum est calatis comitiis. Nam Calare est vocare. Comitia vero populi congregatio. Quoniam igitur vocati congregabantur appellatum est testamentum, calatis comitiis*. Ait Theophilus *bis in anno*. Hinc in doctissimo illo Glossar. *Calata comitia* ἀρχαιρέσια, δὶς τοῦ ἔτους γινόμενα. Proprie igitur tria Comitiorum genera, *curiata, centuriata, tributa*, quæ ordine explicabo; in singulis dicturus, I. *Quid singula*. II. *Quas ob caussas* indici solita. III. *Per quas personas* celebrarentur. IV. *Quis singulis* consecratus locus. V. *Quod tempus* dicatum. VI. *Quo modo peragi solita & quibus ritibus*. dicendum, primo de Comitiis Curiatis, quod ratione temporis ea fuerint prima. Curiarum enim institutio ab Romulo.

5 *Curiata comitia* dicebantur apud Veteres illa, in quibus Populus *curiatim* suffragium ferebat. Moris enim erat in his Comitiis, ut populus *per curias* distributus, sententiam rogaretur, & quod plures Curiæ jussissent, id ratum esset, & *populi Jussum* diceretur. Hanc Curiatorum Comitiorum diffinitionem notat Lælius Felix apud Agellium l. XV. c. XXVII sequentibus verbis, quæ idem quod in Diffiniendo dixi notant. *Curiata* enim *comitia* scribit esse, *quum ex generibus omnium suffragium*

A *feratur. Genera enim omnium vocat curias illas in quas universus populus Romanus erat divisus*. Comitia igitur Curiata dicebantur *a curiis*. *Curiis* nomen *a cura*, teste apud Nonium Varrone l. II. de vita populi Romani. *Curia* πολύσημον erat vocabulum, quemadmodum videre est apud Varr. l. IV. de LL. Festum l. III. & alios. Hac autem Romanarum Antiquit. parte *curia* nihil aliud quam triginta illæ partes, in quas populum Romulus distribuit. Festi verba addam majoris lucis gratia: *curiæ etiam nominantur, in quibus unius cujusque partis populi Romani quid geritur; quales sunt eæ, in quas populum Romanum Romulus distribuit, B numero triginta, ut in sua quisque curia sacra publica faceret, feriasque observaret, hisque curiis singulis nomina curiarum Virginum imposita esse dicuntur, quas Virgines quondam Romani de Sabinis rapuerunt*. De divisione autem populi Romani in Curias facta ab Romulo scribunt Dionys. l. II. cap. VII. Livius l. I. cap. XIII. Eutrop. l. I. Auctor de Viris Illustr. c. II. Pomponius in l. II. §. II. D. de Orig. Jur. & alii omnes historiographi, qui res ab Romulo gestas describunt; quorum plerique numerum esse notant; *curias ab Romulo institutas fuisse* XXX. *eumque numerum semper deinceps mansisse*. Errat autem Asconius Pedianus Commentario C in Ciceronis Verrinas, confundens *curias cum Tribubus*, & scribens etiam *curias auctas fuisse ad* XXXV. Certe longe aliud erant *curiæ*, aliud *Tribus*; ut postea audiemus: *curiarum* numerus semper mansit in *tricenario numero*; *Tribus* autem paulatim ad XXXV. imo plures excreverunt. In nominibus etiam, quæ Curiis imposita, variare & serram inter se reciprocare video veteres scriptores. Alii, ut Livius & Festus, *raptarum nomina imposita iis* scribunt; alii, ut sunt Plutarchus & Dionysius, notant *plerisque curiis locorum nomina indita*, in quibus per Urbem Curiæ erant collocatæ. D Sed parum hæc ad nostrum institutum. Nomina autem XXX. Curiarum qualiacumque tandem fuerint, & unde iis imposita, perierunt nobis præter *octo* numero. Nominat *Foriensem, Raptam, Vellensem & Velitiam*, Festus l. XII. *Novæ curiæ*, inquit, *proxime compitum Fabricium ædificatæ sunt, quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ, ubi is populum & sacra in partes* XXX. *distribuerat*. Et paulo post. *Itaque Foriensis, Raptæ, Vellensis, Velitiæ res divinæ fiunt in veteribus curiis*. Nominat idem Festus l. XVIII. *Tifatam & Titiensem* vel *Titiam*. *Tifata*, inquit, *illiceta. Tifata etiam curia Romæ*. & eodem libro *Ti*-E *tia curia*, inquit, *ab Tito Tatio Sabinorum rege est dicta*. *Calabram* nominat Varro L. V. de LL. *Calabra dicta, ubi tantum sacrorum ratio sit gesta*. *Fauciæ* denique Curiæ mentio apud Livium lib. IX. c. XXXVIII. *Dictator*, inquit, *Papirius C. Junium Bubulcum Magistrum equitum dixit: atque ei legem Curiatam de imperio ferenti, triste omen diem diffidit, quod Fauciæ Curiæ fuit principium*. Hæc de *Diffinitione & etymo Comitiorum*, quæ *Curiata* vocabantur. Videndum porro, quæ eorum fuerint *caussæ*, id est, de quibus *caussis* Comitiis Curiatis agi solitum.

F Dixi paullo ante, *Comitia Curiata* primo omnium in Republica fuisse nota, multo ante *Centuriata & Tributa*. Hæc fuit ratio, quod quæcumque ad Rempubl. pertinebant, *Curiatis Comitiis* fuerint peracta. Nam his Comitiis, *Reges* creari solitos, *Magistratus* item omnes; *Leges* etiam his Comitiis latas fuisse; *Judicia* denique his Comitiis peragi, & alia iisdem fieri solita testatissimum est, ex veterum scriptorum testimoniis. Quod *Reges* his Comitiis creati, testantur Livius lib. I. cap. XVII. Dionys. lib. II. cap. LVIII. & seqq. *Tribunum* etiam

Celerum his Comitiis factum docent iisdem locis Livius & Dionys. qui etiam notant, *Leges* iisdem Comitiis fuisse latas, & *Judicia* exercitata. De omnibus autem in genere idem Diony. l. IV. c. XXIV. cujus verba operæprecium plane est ut audiamus: *Jam olim penes populum fuit*, inquit, loquens de Comitiis Centuriatis ab Servio institutis, *trium horum arbitrium creandi magistratus, tam domi, quam militiæ; leges abrogandi vel confirmandi; bellum pacemve decernere; & quoties de iis rebus disceptatum sit curiatim collecta suffragia*. Idem lib. II. cap. XIV. ubi de Romulo: *Plebi tria hæc commisit, Magistratus creare, leges sancire, de bello, referente Rege, decernere; ita tamen, ut Senatus quoque in iis accedat auctoritas*.

7 Quum instituta essent Comitia *Centuriata* & *Tributa*, hisque pleraque peragi cœpissent, quæ ante *Comitiis Curiatis*; ob duas deinde præcipue caussas *Comitia Curiata* cœperunt haberi, una erat *legum ferendarum*, altera *Magistratuum quorundam sacrorum*, id est, *Sacerdotum creandorum*. *Leges* Curiatis Comitiis latas, lego paucas, *sex numero*, I. de *Confirmatione* quorundam Magistratuum, qui jam ante aliis Comitiis designati erant, ut postea dicam. Altera de *Imperio Magistratibus*, quales erant *Dictatores*, *Consules*, *Proconsules*, *Prætores*, *Proprætores*, & *Proquæstores, qui cum jure Prætorio in Provincias mittebantur, dando*. Meminit Cicero Philip. II. Livius aliquot locis, & alii. III. *Lex Curiata* fuit, qua Camillus ab exsilio fuit revocatus, ut videre est apud Livium lib. V. cap. XLVI. *Accepto inde Senatus decreto, ut & Comitiis Curiatis, revocatus ab exilio, jussu populi Camillus dictator extemplo diceretur, militesque haberent Imperatorem quem vellent*. &c. IV. Qua *Adoptiones* fiebant: de ea, Cicero pro Domo, Tacit. l. I. Histor. c. XVII. Agell. l. V. c. XIX. V. *quæ testamentis* confirmandis ferri solebat. Legendus Agell. lib. XV. c. XXVII. VI. denique *qua Sacrorum detestationes* fiebant. Vidend. idem Agell. lib. XV. cap. XXVII. *Iisdem comitiis, quæ calata appellari diximus, & sacrorum detestatio, & testamenta fieri solebant*. Alteram caussam habendorum Curiatorum Comitiorum fuisse dixi, ut *Sacerdotes quidem crearentur*. Erant autem illi *Flamines* & *Curio Maximus*, ut videre est apud Agell. lib. XV. cap. XXVII.

Præter Candidatos, aliasque vilioris conditionis personas, quarum usus in omnibus Comitiis; locus etiam solet esse aliis in Comitiis singulis. Quemadmodum igitur in Centuriatis & Tributis, ut ex sequentibus patebit, ita etiam in Curiatis intervenire solebant *duplicis generis personæ*, quarum aliæ *potestatem habebant Comitia Curiata convocandi & habendi*; aliæ vero *suffragia in iis ferendi*. Quod ad *priores*, docent veteres scriptores, jus habendorum Comitiorum Curiatorum ante partam libertatem fuisse penes reges, ut pote penes quos summa erat rerum omnium potestas. Multis illud verbis ostendere supervacanei fuerit laboris. Testantur passim Dionys. lib. II. ibid. &c. seqq. Livius lib. I. ibid. Plut. in Reg. vitis, aliique qui septem Romanorum reges delinearunt.

Post ejectos vero reges, parta libertate, jus Comitia habendi Curiata translatum fuit ad *Magistratus patricios*, non *plebejos*; nec *patricios quidem omnes*, sed *majores*, quales erant *Consules*, *Prætores*, *Dictatores* & *Interreges*, quemadmodum mille locis docent Livius, Dionysius, aliique scriptores, quorum omnium testimonia conquirere & indicare immensi esset operis & exigui admodum fructus. Sufficiat rem notissimam nudis verbis indicatam nulla probatione egere. *Pontifices* enim veterum Romanorum fuisse in numero eorum, qui jus habebant Comitia Curiata convocandi, docent Dion. l. II. c. XXV. & Liv. l. I. c. XX. Ratio autem erat, quod soli Pontifices inaugurare erant soliti *Flamines*. Flamines autem, ex veteri instituto, Curiatis tantum Comitiis creabantur.

Quod ad *alterum genus* Personarum, quæ jus habebant in Comitiis Curiatis suffragia ferendi, erant illi *Cives Romani in Curias*, unde Curiatis Comitiis nomen, descripti. Tales erant tantum, qui in Urbe domicilium habebant, non qui extra Urbem. Hi etiam jure civitatis Romæ donati, non *Curiis*, sed *Tribubus* inserebantur: in Urbem autem migrantes, in Curias etiam, ut plene cives Romani essent, & sacrorum Romanorum participes referebantur. Quæ omnia plenius & copiosius indicant Nicol. Gruchius lib. III. de Comitiis cap. III. Onuphr. Panv. l. II. Comment. rep. Romanar. Carol. Sigonius lib. I. de jure Civ. Roman. cap. V.

8 Locus, qui Comitiis habendis erat designatus, *Comitium* fuit. docet Var. IV. de LL. §. XXXII. *Comitium inde primum nomen habuit, quod Comitiis Curiatis populus illuc conveniret*. Erat autem Comitium, quemadmodum docet Sex. Ruf. *foro Romano junctum*, videndus Marlianus lib. III. Topogr. cap. XV. & XX. De Comitio plura dixi in delineatione Urbis Romanæ I. parte Antiq. Rom. Hoc obiter addam, Comitium non solum Comitiis Curiatis sacratum fuisse, sed *in eo etiam jus dici solitum*; ibi fuisse religiosos, ibi versari solitos qui religionem jurisjurandi parum colere noverant. Plaut. Curc. Act. IV. Sc. I. v. IX.

Qui perjurum convenire volt hominem, mitto in Comitium.

Inde *Comitialis* apud Plautum in Pœn. qui triti in foro & comitiis, quibus cordi & curæ lites, qui frequentes ad Tribunal Prætoris, quod in Comitio.

9 Tempus Comitiis, ut aliis, sic etiam Curiatis destinatum, erant *dies Comitiales*, de quibus abunde verba feci in secunda Antiq. Roman. parte, ubi de Dierum discrimine & Veterum Roman. Festis.

10 Restat ut ritus aperiam, qui in Comitiis Curiatis habendis observari erant soliti. I. *Indicebantur integro trinundino*, si leges ferendæ, antequam essent habenda, *ab eo Magistratu*, cui id jus fuisse jam dixi. Ipso die *convocabatur populus per* XXX. *lictores*, tot enim erant curiæ. *Habebantur auspicato*, ita ut obnunciationi parendum esset, si de cœlo esset servatum. Videndus plene Ald. Manutius Pauli F. lib. III. de Quæsitis per epistolam epist. IX. Et ego plenius monui II. parte Antiq. Roman. ubi de Auspiciis veterum. Quum Curiæ convenissent & auspicia capta essent, *Rogatio, de qua Curiæ suffragium laturæ erant*, *recitabatur*, inde *Curiæ in suffragium mittebantur* his verbis: SI VOBIS ITA VIDETUR QUIRITES, DISCEDITE IN CURIAS, & SUFFRAGIUM INITE. Legendus omnino Dionys. lib. IV. Ita *discedebat populus in Curias*; & *singulæ una post alteram sorte vocatæ exibant*, & *suffragium ferebant*. Quæ primo loco exierat *Principium* dicebatur, simulque ejus nomen adscribebatur, *qui pro tribu primus scivisset*. Utrumque ex illa Frontini lege apparet, in qua est. *Tribus Sergia principium fuit, pro Tribu Sex. L. Filius Varro primus scivit*. Idem Frontinus alibi. *Tribus Claudia principium fuit, pro tribu primus scivit Q. Fab. Q. F.* Illud enim Veteres observabant, ut Curia primo ad suffragium sorte vocata esset *boni ominis*. Nam si contrarium accideret, comitia in alium diem proferebantur. Docet Liv. l. IX. c. XXXVIII. *L. Papirius Dictator auspicia postero die repetiit, quia ipso Comitia de imperio primo die habente, prima exiis-*

set Curia Faucia, quæ mali ominis erat, duabus scilicet insignis cladibus captæ urbis, & Caudinæ pacis, quod utroque anno ejusdem Curiæ fuerat principium. Quod tandem pluribus Curiis visum erat, id ad Patres confirmandum referebatur: qui mos postea mutatus, ut notat Dionys. lib. II. cap. VII. *Populus ferebat suffragium, non universus confuse, sed per Curias vocatus; quodque pluribus visum esset Curiis, id ad Patres referebatur, nunc vero mos mutatus est. Neque enim Patres de jussis populi post judicant; sed contra sententiam Patrum confirmat Populus*, &c.

Illud etiam ad ritus Comitiorum Curiatorum operæ precium est monere, suffragia in his, ut & in aliis ferri solere *voce*, *vocalia* inquam fuisse, usque ad legem illam *Tabellariam*, quam tulit *Gabinius Tribunus plebis* Cn. Calpurnio Pisone & M. Popilio Lænate Consulibus, anno IↃCXIV. qua cautum erat, *ut Comitiis quibus Magistratus crearentur, populus non voce sed tabella suffragium ferret*. Sequutæ sunt hanc legem & aliæ; *Cassia*, *Papiria*, *Cælia*, quibus cautum, *ut non solum in creandis Magistratibus, sed etiam in judiciis populi, in legibus jubendis & vetandis, item in judicio perduellionis tabellæ usurparentur*, ut postea dicam. Et hæc de prima Comitiorum specie, quæ *Curiata* dicebantur. Sequitur secunda species, quæ *Centuriata*.

CAP. II.

1 *De Centuriatis Comitiis*.
2 *Eorum caussis* III.
3 *Magistratuum creatione*.
4 *Consulum*.
5 *Prætorum*.
6 *Censorum*.
7 *Proconsulum*.
8 *Rege Sacrorum*.
9 *Tribunorum militum consulari potestate & Decemvirorum legum scribendarum causa creatorum*.
10 *Legum latione*.
11 *Crimine Perduellionis*.
12 *Duplicis generis interventione personarum*.
13 *Consulibus*.
14 II. *Dictatoribus*, *Decemviris*, *Prætoribus*.
15 III. *Judiciorum exercitio*.
16 *Suffragiorum latione*.
17 *Loco*.
18 *Tempore*.

1 QUemadmodum *Curiata* Comitia a *Curiis*, ut dixi; *Tributa* vero a *Tribubus*, ut postea dicam; sic *Centuriata* Comitia dicebantur ab *Centuriis*, quorum auctor & institutor fuit Servius Tullius sextus Roman. rex, quemadmodum docent latissime & multis verbis Dionys. l. IV. c. XX. Liv. l. I. c. XLIII. & paucioribus Flor. l. I. c. VI. n. II. Eutropius l. I. Auctor de VV. Illust. c. VII. & alii. Servius enim, ut paucis multa dicam, populum Rom. *in sex classes* tribuerat: *Primam classem* diviserat rursum *in* LXXX. *centurias*; *secundam in* XX. *Tertiam* in *totidem*; *Quartam æque in* XX. *Quintam in* XXX. *Sexta* & *ultima* pro *una* censebatur Egenorum Centuria. Ita totum Romanorum corpus constabat CXCIII. *Centuriis*; quæ cum *Curiis* & *Tribubus* nihil habebant commune, ut satis patet ex Dionysio, Livio & aliis. Lapsu tamen temporis res eo venit, *ut Curiæ & Centuriæ, quasi Tribuum essent partes*. Quod tandem factum plene fuisse post completum XXXV. tribuum numerum notat Sigonius lib. I. de antiquo jure Civium Roman. cap. IV. Ab iis igitur Centu-

A riis, in quas Classes sex erant divisæ, dicebantur *Comitia Centuriata*, quæ nihil aliud quam *conventus populi per classium centurias divisi ad suffragium ferendum*. Colligebantur etiam suffragia in his Comitiis, *non per Curias*, ut in Curiatis, quemadmodum dixi, *non per Tribus*, ut in Tributis, ut dicam; sed *per Centurias*: adeo ut quod plures Centuriæ jussissent, ratum haberetur. Ex his intelligimus, Ser. Tullium, ut fuit auctor Centuriarum, vel populi Romani in Centurias divisi, ita etiam Centuriatorum Comitiorum habendum
B esse auctorem; quemadmodum Romulus, qui Curiarum fuerat auctor, habendus etiam auctor Curiatorum Comitiorum. Centuriata Comitia vocat Dionysius λοχίτιν ἐκκλησίαν; Dio vero κατὰ λόχους ἀθροιζομένας ἐκκλησίας. Hæc *de nomine & appellatione*. Sequuntur caussæ.

2 Centuriata Comitia indicendi & convocandi populum ad ferendum per Centurias suffragium Caussæ fuerunt tres, *Magistratuum creatio*, *Legum latio*, *Judiciorum exercitio*. Caussæ, inquam, quæ jam a prima horum Comitiorum esse cœperant institutione sub Servio, & parta etiam libertate
C manserunt. Quod sub rege Servio horum comitiorum auctore, docet Dionys. lib. IV. cap. XXIV. qui loquens de prima eorum institutione, sic inter alia scribit: *Servius Tullius rex tria Comitiis illis peregit, ut puta, Magistratus creavit, leges tulit, bellum indixit*. Institutum autem illud Tullii mansisse etiam post ejectos reges, manifestissimum est ex antiquis scriptoribus, quod paucis ostendam. Occurrit primo loco *Magistratuum creatio*.

3 Magistratus apud Romanos, alii erant *Majores*, alii *Minores*, ut postea in Magistratuum enarratione docebo. Præmitto Magistratuum hanc distinctionem, ut doceam *Majores* tantum Magistratus his Comitiis creari solitos. Docet Messala
D apud Agellium lib. XV. cap. XIV. *Majores Magistratus Comitiis Centuriatis fiunt*. Magistratus autem Majores erant *Consules*, *Prætores*, *Censores* & similes.

4 *Consules* Comitiis Centuriatis creari solitos docet Livius lib. I. in fine, ubi de primis, parta libertate, Consulibus creatis: *Duo Consules*, inquit, *inde Comitiis Centuriatis a Præfecto Urbis ex Comentariis Servii Tullii creati sunt L. Junius Brutus, & Tarquinius Collatinus*. Sic etiam Dionysius lib. IV. cap. LXXXVIII. *Sp. Lucretius Interrex a Bruto dictus jussit omnes cives Romanos cum*
E *armis in campo Martio adesse, & postquam eo ventum esset, duos viros nominavit, habituros potestatem regiam, Brutum & Collatinum, hisque populus etiam honorem ratum habuit, collectis centuriatim suffragiis*. Hæc de primorum Consulum Comitiis Centuriatis creatione apud Livium & Dionysium l. V. ib. De reliquis eodem modo creatis passim Livius seqq. libb. passim Dionysius, passim alii Scriptores.

5 *Prætores* autem, quos secundo loco nominavi, his etiam Comitiis creatos fuisse, manifeste docet ex Messala Agellius l. XIII. c. XV. docet & Livius l. VII. scribens: *Prætorem creatum iisdem au-*
F *spiciis, quibus Consules*. *Iisdem auspiciis*, id est, *Comitiis Centuriatis*, quibus Consules creari moris erat. Docet denique Cicero in oratione pro lege Manilia, ubi de se ipso sic scribit: *Nam quum propter dilationem Comitiorum ter Prætor primis centuriis cunctis renuntiatus sum*, &c. Creabantur igitur Centuriatis Comitiis *Consules & Prætores*.

6 Censores etiam his Comitiis creatos fuisse docetur ex Agellio lib. XIII. cap. XV. ubi ex Messalæ libro I. de auspiciis ita scribit: *Patriciorum auspicia in duas sunt divisa potestates. Maxima sunt Consulum, Prætorum, Censorum: neque tamen*

eorum omnium inter se eadem aut ejusdem potestatis. Ideo & Collegæ non sunt Censores Consulum, aut Prætorum; Prætores Consulum sunt. Unde colligunt *Censores*, quod *inter majores* essent Magistratus, creari etiam solitos *Comitiis Centuriatis*; quibus majores Magistratus creabantur, ut idem Agellius docet lib. XIV. Quum autem dicit Agellius Comitiis Centuriatis creatos fuisse majores Magistratus, exaudiri vult *Magistratus majores ordinarios*; nam majores erant & *Dictator*, *Magister Equitum & Interrex*, qui tamen his Comitiis non creabantur; nam erant *extraordinarii*. Ex mente igitur Agellii Comitiis Centuriatis creabantur *Consules*, *Prætores & Censores*. Addunt alii his *Proconsules* & *Regem Sacrorum*.

7 Quod *Proconsules* Comitiis Centuriatis creati fuerint, docet Livius lib. XXVI. cap. XVIII. ubi de P. Cornelio Scipione Proconsule: *Et Romæ*, inquit, *Senatui populoque post receptam Capuam; non Italiæ jam major, quam Hispaniæ cura erat; & exercitum augeri & Imperatorem mitti placebat, nec tamen quem mitterent, satis constabat: quoniam illic ubi duo summi Imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum duorum succederet extraordinaria cura deligendum esse. Quum alii alium nominarent; postremum eo decursum est, ut populus Proconsuli creando in Hispaniam Comitia haberet, diemque Comitiis Consules edixerunt*: quæ verba & sequentia satis docent, Comitia hæc fuisse Centuriata; ea enim in campo Martio celebrabantur, ut postea dicam. Videtur tamen illa Proconsulis P. Cornelii Scipionis creatio fuisse *extraordinaria*, rebus tunc temporis, ob clades in Hispania acceptas, desperatioribus. Nam quomodo Proconsules fuerint creati, alibi dicendum erit.

8 *Regem Sacrorum* addit etiam Nicolaus Gruchius; quem dicit etiam Centuriatis creari solitum, nullam adducens veteris scriptoris auctoritatem, sed argumenta paucula parum valida. Ego etiam de illo nihil volo temere statuere.

9 Certius quid dici potest de *Tribunis militum consulari potestate*, & *Decemviris legum scribendarum caussa creatis*. Nam & hi Majores erant Magistratus non secus ac Consules, in quorum locum creati fuerant, ideoque procul dubio iisdem creati Comitiis, id est Centuriatis; licet Agellius eos inter majores Magistratus non nominat, quod factum ab eo existimandum est eam ob caussam, quod Magistratus eorum non fuerit diuturnus, sed post paucos annos ex Republica sublatus.

10 Prima igitur Comitiorum Centuriatorum caussa fuit *Magistratuum creatio*; alteram fuisse dixi *Legum lationem*. His enim Comitiis Centuriatis ferebantur *leges* a populo per Centurias diviso, *leges* quibus res majores momenti rogabantur. Nam augusta erant omnia, quæ his Comitiis peragebantur. Docent de *legibus* infinita veterum scriptorum loca; quæ indicare longum esset & tædiosum. Unum Livii testimonium in medium proferam ex lib. VII. *Publius Philo Dictator Legem tulit ut earum legum, quæ Comitiis Centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent*. Qui locus manifeste indicat, eas leges quæ Comitiis Centuriatis ferebantur, *veras leges* fuisse, & Leges κατ' ἐξοχὴν appellari solitas, distinctasque fuisse a Plebiscitis. Unde eleganter Justinianus lib. I. Inst. tit. II. §. X. *Legem* diffinit esse *id quod populus Romanus Senatorio magistratu interrogante (veluti Consule) constitueret*. Nam *Senatorius Magistratus* ibi, qui apud Agellium *Major*, qui ut Comitiis Centuriatis creabatur, sic quæ agenda apud populum, a populo roganda habebat, iisdem etiam Comitiis peragebat. *Legum* igitur, quæ ab Magistratibus majoribus ferebantur,

A *latio* pertinebat ad Comitia Centuriata. Sequitur tertia Comitiorum, quæ *Centuriata*, caussa: ea erat *Judiciorum exercitio*.

11 Intelligendum hic non omnia judicia pertinuisse ad Comitia Centuriata; sed *Crimen tantum Perduellionis*. Qui autem *Perduelles* veteribus, docet Cajus l. CCXXXIV. tit. Digest. de verb. signific. *Quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant*. Ejusdem mentis est & Varro lib. VI. apud Ennium scribit.

Quin inde invicteis sumpserunt perduellibus.

B *Perduelles sunt hostes, sic Perduellum, Duellum: id postea bellum. Ab eadem caussa facta Duellona, Bellona*. Inde factum ut *reus Perduellionis* diceretur, qui se quoquo modo in Rempublicam hostili etiam animo declarasset, quasi quis diceret *reum hostilitatis*. De *Perduellionis* autem crimine Comitiis Centuriatis judicatum fuisse docet Valerius Maxim. lib. VI. cap. V. e. III. quum scribit: *Nec se etiam aliter eo facto, quod sequitur, exhibuit, cum Ti. Gracchus, & C. Claudius, ob nimis severe gestam censuram, majorem civitatis partem exasperassent, diem bis P.*
C *Rutilius tribunus plebis perduellionis ad populum dixit, præter communem consternationem, privata etiam ira accensus, quia necessarium ejus ex publico loco parietem demoliri jusserant. Quo in judicio primæ classis permultæ centuriæ Claudium aperte damnabant*. Videndi & Livius lib. VI. c. XX. in judicio *M. Manlii Capitolini*. Cicero orat. pro Sextio, & alii. Hæc igitur de caussis, ob quas Comitia Centuriata indici solita. Videndum quibus in his Comitiis locus Personis.

12 Quemadmodum in Comitiis Curiatis, ita etiam in Centuriatis *duplicis generis* interveniebant personæ, quarum aliæ, *quæ jus habuerunt Comi-*
D *tia Centuriata convocandi*; aliæ *quæ in iis suffragium tulerunt*. Ad priorem classem pertinebant *majores Magistratus, ut Consules, Prætores, Censores, Dictatores, Interreges, Tribb. militum* Cos. potestate, *Decemviri* legibus scribendis.

13. De *Consulibus* testantur infinita scriptorum loca. Hi, quoties novi Consules in sequentem annum essent creandi, *Comitia Centuriata creandis Consulibus indicebant*. Docet cum aliis Livius mille locis. Si Consules Reipublicæ caussa abessent in expeditionibus contra hostes, *Dictator dicebatur, qui id faceret nomine Consulum*; ut etiam præter alios infinitis locis ostendit Livius.
E Hinc toties in Fastis legitur creatus *Dictator Comitiorum habendorum causa*. Si aliquam ob causam Comitia haberi non possent ante anni exitum, *Patricii ex suo numero prodebant Interregem*, a quo deinde alius creabatur, eodemque modo alii atque alii, donec unus ex iis Comitia Consulibus creandis haberet. Docet Livius l. X. c. II. *Eo anno interregnum initum. Interreges fuere Ap. Claudius, dein P. Sulpicius. Is comitia consularia habuit*, &c. Jus igitur habebant convocandi Comitia Centuriata *Consules*, *Dictatores*, *Interreges*, Consulum creandorum caussa.

F Jam quod *Consules* etiam hæc Comitia habuerint, ut *Prætores* crearentur, ut etiam *Censores*, docent veteres scriptores. De *Prætoribus* quidem Cicero lib. IX. Epistolarum ad Att. epist. VIII. *Nos autem*, inquit, *in libris habemus, non modo Consules a Prætoribus, sed ne Prætores quidem creari jus esse quod majus imperium a minore rogari non sit jus. Prætores autem, quum ita rogentur, ut collegæ Consulum sint, quorum est majus imperium*, &c. Confirmant idem apud Agel. lib. XIII. cap. XV. Messala & Tuditanus. Eorum verba sic lau-

dat Agellius, *Prætor*, inquit *Messala*, *etsi collega Consulis est, neque Prætorem neque Consulem jure rogare potest, ut quidem nos a superioribus accepimus & ante hæc tempora servatum est, ut & in Commentario tertio decimo C. Tuditani patet: quia imperium minus Prætor, majus habet Consul, & a minore imperio aut majoris collega* (nam sic scribendum, non *majore*) *rogari jure non potest*.

Quod etiam *Consules* Comitia Centuriata habuerint, ut *Censores* crearentur, *docet* Livius lib. XXIV. *Decretumque omnium primum, ut consules sortirentur, compararentve inter se, uter Censoribus creandis Comitia haberet*. Videndus idem & aliis locis, & Cicero, lib. IV. ad Atticum. epist. II. *Ego a Pompejo legari ita sum passus, ut nulla re impedirer, quod ne, si vellem, mihi esset integrum, aut si Comitia Censorum proximi Consules haberent, petere posse*. Ex iis æque dicta, patet Consules Comitia Centuriata habuisse caussa creandorum *Consulum Prætorum, Censorum*.

Quod vero *Tribuni Militares* & *Decemviri legibus ferendis* Comitia habuerint *Centuriata creandorum Magistratuum* caussa, docent Livius passim, Dionysius Halicarnasseus & alii.

Tales igitur jus habebant populum convocandi *ad Comitia Centuriata Magistratuum creandorum caussa*.

14 *Legum* autem caussa hæc Comitia habebant *Consules, Dictatores, Decemviri, Prætores*. De *Consulibus* nullus non scriptor. Docent hoc omnes leges. De *Dictatoribus* etiam certa res. Docent leges *Hortensia, Æmilia, Cornelia*, quæ lata ab Dictatoribus. De *Decemviris* confirmant leges XII. *Tabul.* apud Livium & Dionysium. *Prætoribus* denique hoc jus fuisse, docet Livius lib. XLV. cap. XXI. ubi ait: *Prætor M. Juventius legem tulit de bello Rhodiis indicendo*.

15 *Judiciorum denique caussa* Comitia hæc convocata fuisse a *Consulibus, Dictatoribus* & *Prætoribus* docent antiqui scriptores. De *Consulibus* testatur Livius lib. II. cap. XXXV. ubi de *judicio Coriolani*. De *Dictatoribus* idem Livius lib. IV. ubi de judicio *Sp. Melii*. De *Prætoribus* denique loquitur idem sæpe jam nominatus Livius lib. XLIII.

Dixi hactenus de *Personis, quibus jus erat convocandi & habendi Comitia Centuriata*; sequitur ut nonnihil dicam de iis, *qui suffragium in iis erant ferre soliti*.

16 Suffragia ferendi jus erat *omnibus civibus Romanis, qui in classium Centurias erant descripti, quique jus suffragii habebant*, non solum qui in urbe Roma, verum etiam qui extra urbem in Italia habitabant, civitate tamen cum jure suffragii donati. Testatur Cicero Oratione post redit. ad Quirites, ubi loquitur de Comitiis Centuriatis, quæ habita, ut revocaretur ab exilio: *Nullus in eorum reditu motus municipiorum & coloniarum factus: at me in patriam ter suis decretis Italia cuncta revocavit*. Idem Oratione pro Sestio. *Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ societas, nullum collegium, aut concilium, aut omnino aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissime de mea salute decrevisset*. Hæc *de Personis duplicis generis*: sequitur *Locus* & *Tempus*.

17 Locum in quo Comitia Centuriata habebantur, *inauguratum* fuisse, & *extra pomærium* docet Agellius lib. XV. c. XXVII. *Centuriata Comitia nisi imperato exercitu haberi non poterant, idque præsidii causa, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus*. *Imperiato*, inquit, *exercitu*; atqui exercitus imperari non poterat nisi *extra urbem*. Docet Livius lib. XXXIX. cap. XV. *Majores vestri*, inquit ibi Sp. Posthumius Consul; *ne vos quidem nisi quum aut vexillo in arce posito Comitiorum caussa exercitus edictus esset, aut plebis concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex Magistratibus ad concionem vocasset, forte temere coire voluerunt*. Ex quibus patet Comitia Centuriata haberi solita, *exercitu indicto, loco inaugurato, extra urbem, urbisque pomærium*. Locus igitur Comitiis Centuriatis destinatus fuit *Campus Martius*: ideoque Cicero notat hunc Campum *auspiciis Consularibus fuisse consecratum; regulariter* hoc Campo, quam vocem addo, quod *præter morem & consuetudinem* Judicium Perduellionis contra Cn. Manlium Capitolinum institutum fuerit non in Campo Martio, sed *in Luco Petelino*. Eam ob caussam, ut a conspectu Capitolii, (quod ex campo Martio fronte videri poterat) oculi populi averterentur, quo liberius de Conservatore ejus judicare posset, ut scribit Livius lib. VI. cap. XX. De *Campo Martio* plenissime dixi in enarratione Antiq. Roman. in ipsa Romæ Urbis delineatione parte I. Hæc de *loco*.

18. Tempus Comitiis Centuriatis dedicatum, ut & aliis, erant *Dies Comitiales*, qui per omnes anni menses erant sparsi. Nullus enim mensis apud veteres Romanos, in quo non fuerint quidam dies Comitiales.

CAP. III.

1 *De ritibus*.
2 *Senatus auctoritate*.
3 *Nisi auspicato*.
4 *Tabellis*.
5 *Quæ dabantur a Diribitoribus*.
6 *Dimissione*.

1 IN ritibus, quibus Centuriata Comitia celebrabantur, tria docendi gratia dixi indicanda. *Primo quid* fieri solitum ante Comitia hæc celebranda; *deinde quid* in ipsis Comitiis; *tertio quid* post peracta Comitia.

2 Quod ad primum membrum, notatu dignum, quod Comitia Centuriata non celebrarentur nisi *ex Senatus auctoritate*; quemadmodum docet Dionysius Halicarn. l. IX. c. XLIX. ubi etiam notat discrimen hoc inter Comitia *Centuriata, Curiata & Tributa*: quod *priora* ut rite celebrarentur, flagitarent Senatus auctoritatem; *Tributa* vero non flagitarent. De accedere Comitiis solita Senatus auctoritate, multa Livius passim, præcipue vero libro VIII. & Cicero pro Plancio, Appian. lib. I. belli Civilis qui latam a Cornelio Sulla notat legem; *qua cavebatur, ne quid referretur ad populum, quod ante ab Senatu decretum confirmatumque non esset*: atque addit *veteri legi* id cautum fuisse. *Legem veterem* appellat, quam Publius Philo Dictator tulit anno IↃXIV. qua cavebatur, *ut legum, quæ Comitiis Centuriatis ferrentur, ante initum suffragium, patres auctores fierent*. Videndus Livius lib. VIII. *Dictatura popularis & orationibus in patres criminosis fuit: & quod tres leges secundissimas plebi, adversam nobilitati tulit unam, ut plebiscita omnes Quirites tenerent: alteram ut Legum, quæ Comitiis Centuriatis ferrentur, ante initium suffragium patres auctores fierent*, &c. Patribus autem auctoribus factis & Comitia probantibus, vel ut *Magistratus crearentur*, vel *leges ferrentur*, vel *judicia exerceretur*, *edicto dies indicebatur populo*, quando conveniendum esset. Hinc toties apud veteres scriptores legimus *Consules, Comitia edixisse*: nam edictum huic rei proponebatur, & quidem in tabella scriptum. Testatur Agellius lib. XIII. cap. XV. *In edicto illo Consulum quo edi-*

cunt, qui dies Comitiis Centuriatis futurus sit, scribitur ex veteri forma perpetua, ne quis Magistratus minor de cœlo servasse velit. Propositum autem erat Edictum illud integrum trinundinum, id est, tres nundinas continuas. *Nundinæ* autem nono die celebrabantur, quo in urbem veniebant ex agris homines, & ex edicto cognoscebant, quis futurus esset dies Comitiorum. Tempus tum illud sæpe coarctabatur, si postularet necessitas, quemadmodum docet Livius lib. XXIV. *Si Consules* abessent, præmittebant edictum illud ex itinere, ut trinundino ante proponeretur, vel Prætori scribebant, ut is eorum nomine Comitia indiceret. Exemplum est apud Livium lib. XXII. Si Centuriata Comitia *legum ferendarum* caussa essent celebranda, necesse erat Legislatorem ante omnia, populo ad concionem vocato, legis & utilitatem & necessitatem ostendere, si populus probaret, proponebatur, & populi judicia subibat. Docet Dionys. lib. X. cap. III. *Tribuni plebis advocata concione pollicebantur plebi, se legem laturos de iis rebus, quas postulabat. Quam orationem postquam plebs collaudavit, sublata omni mora legem quam paratam habebant, recitarunt. Ac proposita lege, datum est trinundini spatium, quo fieret potestas legis improbandæ omnibus qui vellent*, &c. Legendus & Livius lib. III. cap. XXXV. ubi idem notat de legib. Decemvirorum. Subornabant autem Legislatores unum vel plures, qui legem trinundino finito ferendam suaderet. *Suadere* & *Dissuadere* verba hic propria erant; videndus Festus. Livius lib. XXXIV. cap. I. *M. & P. Junii Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur. Nec eam se abrogari passuros ajebant. Ad suadendum dissuadendumque multi nobiles prodibant*. Cicero de Senect. *Anno enim undevicesimo post ejus mortem, hi consules, T. Flaminius, & M. Acilius facti sunt: ille autem Cæpione & Philippo iterum consulibus, mortuus est: cum ego quidem quinque & sexaginta annos natus, legem Voconiam voce magna & bonis lateribus suasissem*. Et de Cl. Orator. *Quæ quidem vis tum maxime cognita est, cum, Lusitanis a Serv. Galba prætore contra interpositam, ut existimabatur, fidem, interfectis, T. Libone tribuno pl. populum incitante, & rogationem in Galbam privilegii similem ferente, summa senectute (ut ante dixi) M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit*, &c. Agellius lib. XI. cap. X. *Quod in capite superiore a Critolao scriptum esse diximus super Demosthene; id C. Gracchus in Oratione qua legem Auferam dissuasit, in Demadem contulit verbis hisce*, &c. Hinc Oratio Ciceronis, *Legis Maniliæ Suasoria*; Hinc etiam *Legis Agrariæ Dissuasoria*; Catonis & L. Valerii *Legis Oppiæ Dissuasoria* apud Livium, lib. XXXIV. cap. I. Item Appii rogationis *de Plebejo Consulatu Dissuasoria*, apud Livium lib. VII. cap. VI. Nam & dissuadendi legem dabat magistratus potestatem illis, qui vellent. Trinundinum autem illud observabatur etiam in Comitiis Centuriatis, Judiciorum exercendorum caussa celebrari solitis. Docet Cicero pro domo sua. *Nam, cum tam moderata judicia populi sint a majoribus constituta, primum, ut ne pœna capitis cum pecunia conjungatur; deinde ut nisi prædicta die, quis accusetur, ut ter ante Magistratus accuset, intermissa die, quam mulctam irroget, aut judicet; quarta sit accusatio trinundinum prodita die, qua die judicium sit futurum: tum multa etiam ad placandum, atque ad misericordiam concessa sunt: deinde exorabilis populus, facilis suffragatio pro salute: denique etiam, si quas res illum diem aut auspiciis, aut excusatione sustulit, tota caussa judiciumque sublatum est*. Hæc de iis, quæ ante Comitia fiebant. Addam obiter, quod

A fere præterieram, in *Suadendo* & *Dissuadendo* solemnia fuisse verba recepta, *Oppiam Censeo*: exempli caussa, *Vos quod faxitis, Deos omnes fortunare velim*. Livius lib. XXXIV. cap. IV. *Vel omnium rerum caussa vobis antiquandas censeo istas rogationes: quod faxitis, Deos velim fortunare*. Videndus idem Livius lib. VII. & X. In hujusmodi autem Suasoriis & Dissuasoriis aliisque id genus populum adloquebantur veteres illi hac voce, *Quirites*. Legendus Strabo lib. V. *Hinc*, inquit, *Quirites appellare solent Romanos, qui orationem habent ad populum*. Patet alioqui, quod dixi, ex infinitis veterum scriptorum locis. Sequitur ut explicemus, quæ ipsis Comitiis Centuriatis inhærebant; qui ritus observari soliti *ipso Comitiorum die*.

B

3 Nulla Comitia Centuriata haberi poterant, *nisi auspicato*, id est, captatis ante auguriis, quorum in his Comitiis duo erant genera; *Observatio de cœlo, & avium inspectio*. Videndus omnino Agellius lib. XIII. cap. XV. *In edicto consulum, quo edicunt qui dies comitiis centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua*. NE. QUIS. MAGISTRATUS. MINOR. DE. COELO. SERVASSE. VELIT. Et præter illum Dionys. lib. II. cap. VI. *At Romulus tunc acceptis a Deo certis signis, advocata concione & indicatis auspiciis, rex omnium consensu declaratur, & morem instituit in posterum, ne quis regnum assumeret, magistratumve iniret, nisi & Deus idem probaret: estque hæc auspiciis lex apud Romanos longo tempore observata, non solum sub regibus, verum etiam sublata monarchia, in consulum, imperatorum, cæterorumque magistratuum legitimorum comitiis*, &c. Cicero l. II. de LL. *Maximum autem & præstantissimum in republica jus est augurum, & cum auctoritate conjunctum. neque vero hoc quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim majus est, si de jure quærimus, quam posse a summis imperiis, & summis potestatibus comitia tollere? concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere?* &c. Et lib. II. de Divinat. *Jam de cœlo servare non ipsos censes solitos qui auspicabantur? nunc imperant pullario, ille renunciat. Fulmen sinistrum, auspicium optimum habemus ad omnes res, præterquam ad Comitia: quod quidem institutum reipublicæ caussa est, ut Comitiorum vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis magistratibus principes civitatis essent interpretes*, &c. Auspiciis succedebant *Sacra quædam legitima*, quæ ante Comitia fieri oportebat a Magistratibus, ut docet Dionys. lib. VII. & X. Simul ac captata essent auspicia, & peracta sacra, antiquissimis temporibus is magistratus, qui Comitia erat habiturus, urbe egrediebatur & *Tabernaculum capiebat*: sequebantur eum *omnes cives armati sub signis*, in suis quisque centuriis, quemadmodum non uno loco docet Dionys. lib. VII. Videndus & Dio lib. XXXVII. Posterioribus temporibus, non omnes cives armati in campum conveniebant, sed tantum præsidii gratia, ut ait Agellius: *Paucorum hominum exercitus imperabatur, atque in Janiculum introducebatur, & erigebatur vexillum; donec peracta essent Comitia*. Hunc ritum eleganter describit Dio lib. XXXVIII. *Quum antiquitus multi hostes circum Romam habitarent, veriti Romani ne, dum ipsi Comitia Centuriata agerent, hostes per insidias urbem aggrederentur, Janiculumque occuparent, statuerunt, non omnes ire in suffragia, sed ut semper aliqui armati per successionem eum locum custodirent. In Janiculo igitur, quamdiu concio durabat, custodiæ agebantur. Quum autem solvenda jam erat concio, signum ab Janiculo removebatur & custodes discedebant. Non autem licebat, custodiis ab arce ea remotis quic-*

C

D

E

F

quam amplius statuere. Is autem mos solis Centuriatis Comitiis observabatur, quum omnes extra urbem in armis adesse res postulabat: & id hodieque religionis caussa fieri solet. Exercitus autem olim solemnibus verbis imperari solitos notat Varro lib. v. de LL. ubi sic scribit: *Exercitus sic imperabatur Accenso: Calpurni voca inlicium omnes Quirites huc ad me. Accensus vero sic. Omnes Quirites inlicium visite huc ad judices. C. Calpurnius dicebat, voca ad Conventionem omnes Quirites ad me. Accensus ita dicebat: Omnes Quirites ite ad conventionem huc ad judices. Deinde Consul ad exercitum loquebatur. Impero qua convenit ad Comitia Centuriata.* Dixi etiam *Tabernaculum capi solitum.* In eo capiendo tanta adhibebatur cura, ut si peccatum in ea re esset, tota Comitiorum actio vitiosa & inauspicata censeretur. Videndus Plutarchus in Marcello. Captabantur auspicia *prima luce*, ut notant Dionysius & Macrob. lib. I. Sat. c. III. *Sacra sunt enim Romana partim diurna, alia nocturna, & ea quae diurna sunt, ab initio diei ad medium noctis protenduntur: ab hora sexta noctis sequentis nocturnis sacris tempus impenditur, ad hoc ritus quoque & mos auspicandi eandem esse observationem docet. nam Magistratus, quando uno die eis & auspicandum est, & id agendum super quo processit auspicium, post mediam noctem auspicantur, & post exortum solem agunt, auspicatique & egisse eodem die dicuntur.* Agellius lib. III. c. II. *Sacra sunt Romana partim diurna partim nocturna: sed ea quae inter noctem fiunt, diebus addicuntur non noctibus, quae igitur se posterioribus noctis horis fiunt, eo die fieri dicuntur, qui proximus eam noctem illucescit, ad hoc ritus quoque & mos auspicandi eandem esse observationem docet: nam Magistratus, quando una die eis auspicandum est, & id super quo auspicantur, & per meridiem sole magno; auspicatique esse & egisse ex eodem die dicuntur.* Ad Auspicia pertinebat, ut, si cœptis jam Comitiis *tonitru supervenisset*, tunc ea dirimerentur. Pertinebat & eo *morbus Comitialis*. Eo enim si quis corriperetur, & in ipsis Comitiis repente concideret, dissolvenda erant Comitia; nec justa eo die haberi poterant: unde & morbo nomen, quemadmodum docet Serenus Sammonicus his verbis:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo,
Quod fieri nobis suffragia justa recusat.
Saepe etenim membris acri languore caducis,
Concilium populi labes horrenda diremit.

Quum igitur nihil eorum quae dixi impediret, conveniebat populus in Campo Martio. Ibi autem Magistratus qui Comitia erat habiturus, habebat orationem, qua praeter alia nominabat *Candidatos*, qui honores petebant, caussasque praesentium Comitiorum exponebat. Ad hujusmodi Conciones respicit Plinius in Panegyrico, quem Trajano dixit c. LXIII. nu. II. *Vidit te Populus Romanus in illa vetere potestatis suae sede; perpessus es longum illud carmen Comitiorum, nec jam irridendam moram.* Et post, c. XLII. n. III. *Tu Comitiis nostris praesidere, tu nobis sanctissimum illud carmen praeire dignatus es.* Si legum *essent Comitia*, Antequam populus in suffragium mitteretur, *primo loco lex recitabatur* a Praecone, *tum oratione docebatur, denique rogabatur* populus, ut eam legem accipere & suffragiis suis jubere vellet. Asconius Pedianus in argumento orationis pro C. Cornelio. *Promulgavitque legem, qua auctoritatem senatus minuebat, ne quis, nisi per populum, legibus solveretur: quod antiquo jure erat cautum. itaque in omnibus S. C. quibus tum aliquem legibus*
A *solvi placebat adjici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur, &c.* Legendi Appianus lib. I. belli civil. Plutarchus in Catone Utic. Iis peractis jubebatur populus discedere in suas Centurias. *Discedere* solemnis hic vox erat, ut videre est apud Ciceronem, orat. pro Corn. Balbo. Ordo in suffragiis ferendis non idem semper fuit observatus. Quis antiquissimas temporibus atque ideo sub rege Servio Tullio mos fuerit, docet multis Dionys. libro v. qui notat *dignitatis Centuriarum habitam fuisse rationem*, ut primae Classis Centuriae primo loco suffragia ferrent, reliquae deinde sequerentur. Sequentibus temporibus, parta libertate, *sorte omnia peracta*.
B Nam omnes Centuriae in sortes conjiciebantur & quae prima educebatur, primum ferebat suffragium, & *Praerogativa* appellabatur; deinde reliquae vocabantur, quae dicebantur *Jure vocatae*. Videndus Asconius in Divinat. Ausonius in Panegyr. *Cujus orationis ordo lucidior? quae doctrina tam diligens, propriis Comitiorum verbis loqui, nec vocabulis moris antiqui, nomina peregrina miscere? Valete modo Classes populi, & Urbanarum tribuum praerogativae, & Centuriae jure vocatae.* Asconii verba in II. Verrin. sunt haec. *Praerogativae tribus sunt, quae primae suffragium ferunt ante jure vocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in Comitiis concordia populi firmaretur, bina omnia de iisdem Candidatis Comitia fieri, quorum tribus Primae Praerogativae dicebantur, quod
C primae rogarentur, quos vellent Consules fieri: secundae jure vocatae, quod in iis, sequente populo, ut saepe contingit, Praerogativarum voluntatem jure omnia complerentur.* Mittebantur autem Centuriae in suffragium quadam verborum solemnitate, quam talem fuisse docet Livius lib. XXXI. c. VII. ubi de Sulpicio Consule: ITE IN SUFFRAGIUM BENE JUVANTIBUS DIIS, ET QUAE PATRES CENSUERUNT, VOS JUBETE. Nam *Ire in suffragium* phrasis frequens, & apud nullum non scriptorem obvia.
D Ad formulam autem illam respicit Plautus in Milite Glorioso, *Quid modi flendo? Agite*, inquit ibi, *ite cum Diis benevolentibus*. Suffragia autem primis temporibus, ut de Curiatis etiam dixi, *voce* in his etiam Comitiis ferebantur. Ejus suffragii formula videtur fuisse, exempli gratia, *Hunc, illum Consulem nomino*, vel *dico*, ut videre est apud Livium lib. x. lib. XXIV. lib. XXIX. Nam in Comitiis Magistratuum, rogabantur singuli quem vellent Magistratum esse, & tum nominabant singuli, quem vellent Magistratum creari. Legendus
E Asconius Pedianus in Divinat. Si legum essent Comitia, quum populus legem accipere vellet, utebatur his verbis solemnibus, UTI ROGAS, quasi diceret, *ita volo, uti rogat Legislator*. Si legem accipere nollet, utebatur solenni verbo ANTIQUO, quasi diceret, *quod rogatur, antiquo, ne fiat, veto.* Eadem verborum solemnitas locum habebat in Comitiis Judiciorum. Nam voce ANTIQUO absolvebatur reus; per verba UTI ROGAS, condemnabatur.

4 Sic igitur voce suffragia olim ferebantur: post per Legem Cassiam tabellae populo dabantur, unde & Lex illa *tabellaria*. In Comitiis quidem Ma-
F gistratuum, *tabellis Candidatorum nomina* inscribebantur; unde tot populo tabellae dabantur, quot erant Candidati: notabantur autem in tabellis non integra Candidatorum nomina, sed primae tantum literae, ut videre est apud Ciceronem pro domo. In Comitiis Legum, & Judiciorum duae tabellae dabantur, in quarum una erat UTI ROGAS, duabus tantum primis litteris *U.* & *R.* in altera A. id est. ANTIQUO. Priore populus accipiebat legem, vel condemnabat reum: posteriori vero repudiabat legem, vel absolvebat reum.

5 Ta-

5 Tabellæ autem hujusmodi non domo adferebantur a populo, sed dabantur suffragium laturo a *Diribitoribus*, hoc modo. Sortitione facta Magistratus vocabat per Præconem Centuriam prærogativam ad suffragium. Centuria vocata discedebat in septum quoddam prope Tribunal, quod *Ovile* dicebatur, & ibat per *Pontes*; qui nihil aliud quam angustæ viæ, per quas populus in Ovile discedebat. In Pontis initio, stabant *Diribitores*, qui Tabellas singulis ministrabant. Ingredientibus in Ovile, Rogatores cistam proponebant, in quam conjicerent, quam vellent tabellam. Collectis unius Centuriæ omnibus suffragiis, educendis iis adhibebantur *Custodes*, quorum munus erat describere suffragia, ut ea Centuriæ sententia renuntiaretur, in quam ex tabellis plurium suffragia inclinare cognosceretur. Si Magistratuum Comitia essent, numerus inibatur tabellarum, in quibus idem nomen erat notatum. Cujus enim Candidati nomen plures tabellæ continebant, is ab illa Centuria factus renuntiabatur *Consul*, *Prætor*, *Censor*. Si paria hic essent suffragia, nemo renuntiabatur, & quasi nihil actum esset, exspectabantur aliarum Centuriarum suffragia. In legum Comitiis, si plures reperirentur tabellæ, in quibus scriptum erat V. R. pauciores vero in quibus A. ab ea Centuria legem juberi renuntiabatur, & contra. Si paria essent suffragia, nulla ejus Centuriæ sententia pronuntiabatur. In Judicio & Crimine Perduellionis idem omnino observabatur; in paritate vero suffragiorum locum habebat *Rei absolutio*. In favorem enim reorum absolvisse censebatur Centuria, quæ non condemnarat: paribus igitur suffragiis reus absolvebatur. Testatur illud Dionysius lib. VII. ubi scribit lege cautum fuisse, *ut æqualitate suffragiorum reus absolutus judicaretur*. Quum prærogativæ Centuriæ suffragium renunciatum esset, reliquæ deinde Centuriæ vocabantur: Si interim appareret tot jam Centurias vel jussisse legem vel antiquasse, vel hunc vel illum Consulem fecisse, vel reum absolvisse vel condemnasse, ut reliquas omnes vincerent, cessabatur ab ulteriore suffragiorum rogatione. Quæ omnia plenissime explicantur, & veterum scriptorum testimoniis comprobantur apud Nicolaum Gruchium de comitiis libro primo, Sigonium de jure antiquo veterum Romanorum, Onuphrium in Imperio Romano & alios. Hæc igitur dicta sufficiant de iis, quæ in ipsis Comitiis fiebant. Sequitur nonnihil, quod post Comitia.

6. *In legum Comitiis* Magistratus post dinumerata suffragia, legem vel acceptam vel antiquatam pronunciabat, populum ita dimittens. *In Magistratuum* Comitiis, Magistratus *hunc vel illum Consulem creatum* renunciabat, adjecta solemni precatione, quemadmodum videre est apud Ciceronem in Oratione pro Muræna: *Quæ precatus sum*, inquit, *a Diis immortalibus, Judices, more institutoque majorum, illo die, quo auspicato, Comitiis Centuriatis L. Murænam Consulem renuntiavi, ut ea res mihi magistratuique meo, populo, plebique Romanæ, bene ac feliciter eveniret: eadem precor ab iisdem Diis immortalibus ob ejusdem hominis consulatum una cum salute obtinendum, & ut vestræ mentes, atque sententiæ cum populi Romani voluntate, suffragiisque consentiant, eaque res vobis populoque Romano pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat. Quod si illa solemnis comitiorum precatio consularibus auspiciis consecrata tantam habet in se vim, & religionem, quantam Reip. dignitas postulat; idem ego sum precatus, ut iis quoque hominibus, quibus hic consulatus me rogante datus esset, ea res fauste, feliciter, prospereque eveniret*. Renuntiati autem Comitiis Consules domum deducebantur ab magna hominum multitudine, præsertim propin-

quorum & necessariorum. Testatur Cicero l. II. Orat. in Verrem: *Nam ut Hortensius Consul designatus reducebatur e campo cum maxima frequentia & multitudine*. Nec multo post: *Propinquis necessariisque ejus, qui tum aderant, verbum nullum fecit*. Hactenus *de Comitiis Centuriatis*; sequitur ultimum genus *Tribus*.

CAP. IV.

1 *De Tributis Comitiis*.
2 *Quorum habendorum caussæ generales erant* IV.
3 I. *Creatio minorum Magistratuum*.
4 *De Urbanis*.
5 *Tribunis & Ædilibus plebis*.
6 *Ædilibus Curulibus*.
7 *Præfectis Annonæ*.
8 *Quæstoribus Parricidii*.
9 *Quinqueviris turribus murisque reficiendis & Triumviris variis*.
10 II. *Provincialibus*.
11 *Sacerdotum in collegia cooptatione*.
12 III. *Legum latione*.
13 IV. *Judiciorum exercitione*.
14 *Personis quarum interventu Comitia Tributa peragi solita*.
15 *Quæ suffragii jus in Comitiis habebant*.
16 *Loco*.
17 *Tempore*.
18 *Ritibus*.

1. QUid Tributa Comitia fuerint veteribus Romanis docet Messala apud Agellium lib. XV. c. XXVII. *Quum ex regionibus & locis boc est per tribus suffragium ferebatur*. Hæc Comitiorum descriptio ut plenius intelligatur, quærendum ante omnia, quid *Tribus*, *a quo institutæ*, *quomodo lapsu temporis auctæ*. *Tribus* inter alia nihil aliud quam *quædam populi Romani partes distinctæ locis in urbe diversis & regionibus undique circum urbem per Italiam dispersis*, sic appellatæ, quemadmodum docet Asconius III. in Verr. vel *a tributo dando*, vel quod initio *tres* tantum essent *Tribus*, unde etiam, qui iis præerant, *Tribuni* nominati. *Quis auctor* primus Tribuum fuerit variant inter se veteres scriptores, quorum principes *Dionysius & Livius*. *Dionysius* libro II. cap. VII. auctorem Tribuum nominat *Romulum*, his verbis: *In tres partes divisa universa multitudine, singulis præclarum aliquem virum ducem præposuit; deinde unamquamque rursum in X. partibus totidem fortissimos viros ei præfecit, has Curias, illas Tribus vocare voluit: sicut vocantur & hodie*. Auctor igitur *Tribuum Romulus* ex sententia Dionysii, & aliorum plurium, qui res Romanas litteris consignarunt. *Livius* lib. I. c XLIII. quemadmodum & nonnulli alii, Tribus institutas notat *a Servio Tullio*. Varro & Plutarchus Romulum etiam edunt; sed in eo ab Dionysio differunt, quod Dionysius scribit Tribus *ab Romulo institutas ante omne bellum*; Varro vero & Plutarchus *post bellum Sabinum confectum*. Sed non mirum, veteres scriptores serram inter se reciprocare in re tam antiqua. Dionysii opinio videtur veritati maxime consentanea, cum ob alia, tum vero ob nomina Tribubus imposita. Erant illa *Rammensis*, *Tatiensis*, *Lucerum*. *Ramnensem* dictam volunt *ab Romulo*, primo Urbis conditore: *Tatiensem* vel Titiensem a Tito Tatio Sabinorum rege; *Lucerum* vero a *Lucumone* vel *Lucretino*, vel denique ab *Luco Asyli*, quemadmodum plene docui ad I. Antiquit. Romanarum partem, qua urbem Romam delineavi. *Tribus* igitur *tres* secundum meliorum opinionem fuerunt. Alterum tantum addidit L. Tar-

quintius Priscus, qui receptis in urbem devictis hostibus, & ternario Tribuum numero non sufficiente, *sex numero Tribus* constituit, vetere'sque duplicavit, monitus ab Augure Nævio, sub iisdem nominibus, appellans *primos & secundos Ramnes*, *Tities*, *Luceres*. Historiam satis notam legere est apud Livium lib. I. cap. XIII. Festus lib. XVII. *Sex vestæ sacerdotes constitutæ sunt, ut Populus pro sua quaque parte haberet ministram sacrorum. Quia civitas Romana in sex est distributa partes, in primos, secundosque Titienses, Ramnes, Luceres*. Servius Tullius iterum minore numero *in quatuor tribus* vel *partes* distribuit Populum Romanum, quas rejectis antiquis nominibus, non ab *auctore* vel *gentis origine*, sed ab *locis*, qui colebantur, appellavit. I. *Suburanam*, in qua princeps mons Cælius, Carinæ, Ceroliensis & Subura. II. *Esquilinam*, in qua Esquiliæ, quæ duo montes habiti *Cispius* & *Oppius*. III. Collinam, in qua Viminalis & Quirinalis. IV. *Palatinam*, in qua *Palatium*. Videndus omnino Varro lib. IV. de LL. ∫. IX. Ita cives Romanos in quatuor partes distribuit Servius Tullius, quas *Urbanas* appellavit. Idem universam rusticam multitudinem divisit in XV. tribus, quarum nomina *Romulia*, *Læmonia*, *Pupinia*, *Galeria*, *Pollia*, *Volcinia*, *Æmilia*, *Cornelia*, *Sergia*, *Horatia*, *Menænia*, *Papiria*, *Sergia*, *Veturia*, *Claudia*. Sic sub Servio fuerunt in universum *Tribus* XIX. qui numerus mansit ad annum CCLVIII. Eo enim additæ *duæ adhuc Tribus*, ut notat Livius l. II. Earum nomina censet fuisse Carol. Sigonius, *Crustuminam* & *Vejentinam*. Sic XII. *Tribus* fuerunt Anno CCLXVI. ex novis civibus *quatuor tribus* additæ, *Stellatina*, *Tromentina*, *Sabattina*, & *Arniensis*, XXV. tribuum numerum expleverunt. Livius lib. VI. cap. V. ubi male XXXV. Rursus anno CCCXCV. scribente eodem Liv. lib. VII. cap. XV. *duæ tribus additæ Pomptina & Publilia*, constituerunt *tribus* XXVII. Deinde anno CCCCXXI. *duas Tribus* superioribus addiderunt *Metiam & Scaptiam*, ob novos cives, Censores Publilius Philo & Sp. Posthumius. Iterum *duæ Tribus Ufentina & Falerina* anno CCCCXXXV. fuerunt adjectæ; Anno vero CCCCLIV. rursus *duæ Aniensis & Tarentina*. Tandem anno IↃXII. duæ tribus *Velina* & *Quirina* additæ, numerum expleverunt XXXV. Tribuum, qui numerus integer usque ad extrema Reipublicæ tempora permansit, ut notat Florus Epitome libro XIX. Sub Imperatoribus plures fuerunt additæ, quorum omnium ut & superiorum XXXV. passim in Inscriptionibus & apud Varronem lib. VII. de LL. aliosque scriptores frequens mentio. De Tribubus, earumque nominibus & numero legendi Onuphrius, Carolus Sigonius, Georgius Fabricius, Aldus Manutius & alii.

2. Ab his igitur *Tribubus* dicta *Tributa Comitia*: quorum habendorum caussæ generales erant quatuor. I. *Creatio minorum* Magistratuum. II. *Sacerdotum* in collegio cooptatio. III. *Legum* latio. IV. *Judiciorum* exercitio.

3. Quod ad primam caussam; notandum *Magistratus illos*, qui his Comitiis creabantur fuisse *minores*, eosque partim *urbanos*, partim *provinciales*, *urbanos* autem vel *ordinarios* vel *extraordinarios*.

4. De singulis ordine paucis dicam. *Urbani* iique ordinarii Magistratus, qui his Comitiis creabantur, erant omnes minores Magistratus, qui singulis annis ad suum munus ordinarium in urbe obeundum a populo creabantur. Tales erant *Tribuni plebis*, *Ædiles plebis*, *Ædiles curules*, *Quæstores*, *Triumviri capitales*, *Triumviri nocturni*, *Triumviri*, *Tribuni Militum*.

5. *Tribunos & Ædiles* plebis, quum primo Curiatis Comitiis crearentur, post legem a Volerone Tribuno plebis latam, *ut scilicet plebeii Magistratus Tributis Comitiis fierent*, his Comitiis semper creatos fuisse, testantur tum aliii, tum clare Livius lib. II. c. LVI. Dionysius l. IX. cap. LIX.

6. Ædiles Curules his Comitiis creatos fuisse docet L. Piso l. III. Annal. apud Agell. l. VI. c. IX. *Cn.* inquit, *Flavius patre libertino natus scriptum faciebat, isque in eo tempore ædili curuli apparebat, quo tempore ædiles subrogabantur, eumque pro tribu ædilem curulem renunciaverunt; at ædilis, qui Comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum ædilem fieri. Cn. Flavius Annii filius dicitur tabulas posuisse, scriptum sese abdicasse: isque ædilis curulis factus est.* Legendus etiam eadem de re Livius lib. IX. extremo: *Cæterum Flavium dixerat ædilem forensis factio, Ap. Claudii censura vires nacta, qui Senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat, & posteaquam eam lectionem nemo ratam habuit nec in curia adeptus erat, quas petierat opes Urbanas, humilibus per omnes tribus divisis, forum & Campum corrupit, tantumque Flavii comitia indignitatis habuerunt, ut plerique nobilium annulos aureos & phaleras deponerent.* Quæstores his Comitiis creatos testantur Livius l. IV. c. LIV. Et alii scriptores. Quin & Cicero l. VIII. ad familiares Ep. XXX. ad M. Curium his verbis: *In campo certe non fuisti, quum hora secunda Comitiis Quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi Cons. esse dicebant, posita esset. Quo mortuo nuntiato, sella sublata est. Ille autem qui Comitiis Tributis esset auspicatus, centuriata habuit, consulem hora septima renuntiavit, qui usque ad Kalend. Jan. esset, quæ erant futura mane postridie*. Eadem & hic *quæstoria* & *tributa*. *Triumviros Capitales* iisdem Comitiis fuisse factos, notat Cicero oratione pro Cluentio, qua dicit, *Q. Manilium his Comitiis Triumvirum Capitalem creatum.* De *Triumviris nocturnis* legendus Livius l. IX extremo. *Invenio qui in quibusdam annalibus, cum appareret ædilibus, fierique se pro tribu ædilem videret, neque ejus accipi nomen, quod scriptum faceret; tabulam posuisse, & jurasse, se scriptum non facturum. Quem aliquanto ante desisse scriptum facere arguit Macer Licinius, tribunatu ante gesto, triumviratibusque, nocturno altero, altero coloniæ deducendæ.* De *Triumviris* AA ÆFF. & *Tribunis militum* idem Livius l. VII. c. V. *Itaque non patri modo remissa caussæ dictio est, sed ipsi etiam adolescenti ea res honori fuit. Et cum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam & antea sicut nunc, quos Ruffulos vocant, imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit, nullis domi militiæque ad conciliandam gratiam meritis, ut qui rure, & procul cœtu hominum juventam egisset.* Et Asconius Pedianus in Verr. *Tribunorum militarium duo sunt genera. Primum eorum, qui Ruffuli dicuntur. Hi in exercitu creari solent. Alii sunt Comitiati, qui Romæ Comitiis designantur.* Initio facto ab anno CCCXCIII. Quod tamen restringendum ad *Tribunos Comitiatos*. Duo enim erant *Tribunorum* genera, ut notat ibidem Livius & Asconius; quorum alii *Ruffuli* appellabantur, alii *Comitiati*. *Ruffuli* in exercitu ab Imperatoribus vel belli Ducibus; *Comitiati* vero Romæ Comitiis creabantur. Tales erant Magistratus *Urbani minores & ordinarii*, qui Comitiis Tributis creabantur. *Extraordinarii* erant *Præfecti annonæ*, *Duumviri navales*, *Quæstores parricidii*, & alii, quos paucis ostendam.

7. De *Præfectis Annonæ* Livius l. IV. c. XIII. *Postremo perpulere Plebeii haud adversante Senatu, ut L. Minutius præfectus annonæ crearetur; felicior in eo Magistratu ad custodiam libertatis futurus, quam ad curationem ministerii sui: quamquam postremo annonæ quoque levatæ haud immeritam & gratiam & gloriam tulit.* De *Duumviris Navalibus* idem l. IX. c.

xxx. his verbis: Et *duo imperia eo anno* CCCXCIII. *dari cœpta per populum, utraque ad rem militarem pertinentia: Unum, ut tribuni militum senideni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea per quam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum & Consulum ferme fuerant beneficia: tulere eam rogationem Trib. Pleb. L. Attilius, C. Martius: alterum, ut duumviros navales classis ornandæ, reficiendæque causa idem populus juberet*.

8. De *Quæstoribus parricidii* testatur Sallustius, Asconius, alii. Quin & *Duumviros*, quibus cura esset *ædes sacras locandi, ædificandi, consecrandi & restituendi*, his Comitiis factos fuisse a populo nusquam non testatur Livius, & præter Livium Cicero orat. pro domo.

9. Addit Livius alios minores extraordinarios, qui his Comitiis creari soliti, ut *Quinqueviros turribus murisque reficiendis* l. XXV. c. VII. *Comitia deinde a prætore urbano de Senatus sententia, plebisque scito sunt habita: quibus creati sunt Quinqueviri muris turribusque reficiendis, &c. Triumviros & Quinqueviros Mensarios* l. VII. c. XIV. *Inclinatis semel in concordiam animis, novi Consules fœnebrem quoque rem, quæ distinere unanimos videbatur, levare agressi, solutionem alieni æris in publicam curam verterunt, Quinque viris creatis quos Mensarios ab dispensatione pecuniæ appellarunt*. Et l. XXIII. c. XXI. *Et Romæ quoque propter penuriam argenti Triumviri mensarii rogatione Minutii Trib. pleb. facti, L. Æmilius, qui Consul censorque fuerat, & M. Attilius Regulus, qui bis Consul fuerat, & L. Scribonius Libo, qui tum trib. pleb. erat. Triumviros sacris conquirendis & donis persequendis*, l. XXV. c. VII. *Triumviros juvenibus ad militiam conquirendis* idem l. eod. c. V. De his omnibus in genere loquitur Valerius Messala Augur apud Agellium l. XIII. c. XV. quum inquit: *Minoribus magistratibus creandis Tributis Comitiis Magistratus, sed justius curiata datur lege*. Quibus verbis antiquus scriptor hoc vult, *Omnes minores Magistratus creari Comitiis Tributis, quum primis temporibus Curiatis Comitiis, justius & meliori jure fierent*.

10. Dixi his Comitiis creari solitos minores magistratus non solum *Urbanos*, verum etiam *Provinciales*, tales erant *Proconsules, Proprætores, Proquæstores*; quorum tamen his Comitiis creatio ita restringenda, ut intelligamus eos his creatos fuisse, si extra ordinem pronunciare iis mandarentur, quemadmodum plenius alio loco docebo. Hæc de prima Comitiorum Tributorum caussa. De *magistratuum minorum & urbanorum & provincialium* creatione.

11. Secundam caussam dixi fuisse *Sacerdotum in collegio cooptationem*. *Sacerdotum* inquam *non omnium*. Erant enim quia Collegiis suis cooptabantur, quales erant *Salii, Luperci, Fratres Arvales, Sacerdotes Galli & Sacerdotes Titii; Vestales* a Pontifice Maximo capiebantur; *Rex sacrorum* Centuriatis: *Flamines & Curio Maximus* Curiatis Comitiis creabantur. Solus autem Pontifex Maximus ante legem Domitiam Tributis Comitiis fiebat. Alios addit Lex Domitia. Tulit eam Cn. *Domitius Ænobarbus* Trib. pleb. anno DCLI. C. Mario III. L. Aurelio Oreste Consulibus. Hac lege, jure sacerdotum subrogandorum a Collegiis ad populum translato, ut notat Sueton. in Nerone c. II. *Ut igitur paulo altius repetam, atavus ejus Cn. Domitius in tribunatu pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit* &c. & Vellejus Paterculus l. II. c. XII. *quo anno Cn. Domitius tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet*. Cœperunt ab eo tempore Comitiis Tributis creari *Pontifices, Augures, Fe-*

A *ciales, Septemviri Epulonum & Quindecimviri sacris faciundis*. Legem Domitiam abrogavit *L. Cornelius Sulla Dictator*, ut scribit Pedian. in Divinat. Comment. & Dio l. XXXVII. Restituit, abrogata Cornelia, Domitiam *T. Attius Labienus Trib. plebis* anno DCXC. M. Tullio Cicerone & C. Antonio Consulibus. Dio l. XXXVII. Abrogavit item Domitiam *C. Antonius Consul* anno DCCIX. Restituit secundo *Senatus* C. Vibio Pansa A. Hirtio Coss. Cicero Philipp. XIII. Abrogata tertium lex Domitia *sub Augusto*, & primo Collegiorum, deinde Romanorum Principum arbitrio, quo omnia agebantur, Sacerdotes non amplius Tributis Comitiis creari cœpe-
B runt. Plinius l. IV. Ep. VIII. *Gratularis mihi, quod acceperim auguratum, jure gratularis, primum quod gravissimi principis judicium in minoribus etiam rebus consequi pulchrum est, deinde quod sacerdotium ipsum cum priscum & religiosum, tum hoc quoque sacrum plane & insigne est, quod non adimitur viventi, &c.*

12. Tertiam Tributorum caussam docui *Legum lationem*: *Legum*, inquam, non omnium, sed earum tantum, quas Tribuni plebis ferebant, quæque ab ipsa plebe *Plebiscita* appellabantur. *Nam Plebiscita erant, quæ plebs plebejo magistratu rogante*
C *ferebat*, inquit Justin. lib. I. Instit. tit. II. §. IV. Hujusmodi plebiscita præcipue talia erant, *quibus de pace cum aliquo rege vel populo facienda ferebatur*. Testatur Livius lib. XXX. *Tum M. Attilius*, scribit, *& Q. Minutius tribuni plebis ad populum tulerunt, Vellent, juberent ne Senatum decernere, cum Carthaginiensibus pax fieret? & quem eam pacem dare, quemque ex Africa exercitus deportare juberent? De pace uti rogatæ omnes tribus erant, jusserunt pacem dare P. Scipionem, eundem exercitus deportare*. Idem l. XXIII. *Q. Martius rex, & C. Atinius Labeo Tribb. plebis se intercessuros dixissent, ni prius ipsi ad plebem tulissent: Vellent juberentne cum rege Philippo pacem*
D *esse. Ea rogatio in Capitolio ad plebem lata est, omnes quinque & triginta tribus uti rogatæ jusserunt*. Talia enim erant Plebiscita, *quibus quis legibus solvebatur*, quam tamen auctoritatem Senatus postea sibi arripuit. Testatur Asconius in argumento orationis pro C. Cornelio: *C. Cornelius*, inquit, *legem promulgavit, quæ auctoritatem Senatus minuebat, ne quis nisi per populum legibus solveretur: quod antiquo quoque jure erat cautum. Itaque in omnibus Senatusconsultis, quibus aliquem legibus solvi placebat, adjici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur. Sed paulatim ferri erat desitum, resque in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in Sena-*
E *tusconsultis de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa SenatusConsulta per pauculos admodum fiebant*.

13. Quartam denique caussam horum Comitiorum dixi fuisse *Judiciorum exercitionem*. Judicia hic exaudienda non *capitalia*, sed *pecuniaria*, quæ mulctæ indicendæ caussa exercebantur. Testatur Livius infin. locis præcipue vero l. IV. c. XLI. ubi scribit *M. Postumium Tribunum plebis his Comitiis a populo decem millibus æris gravis damnatum, quod ad Vejos ejus opera male pugnatum esset*. Et hæc de caussis quatuor Tributorum Comitiorum dicta suffi-
F ciant: sequuntur *Personæ*, quarum interventu Comitia Tributa peragi solita.

14. Personæ, quemadmodum in Curiatis & Centuriatis, etiam hic duplices considerandæ, *aliæ*, quibus jus Comitia Tributa habere; aliæ quæ tulerint suffragia. Quod ad *priores personas*, ea erant *Tribuni plebis, Consules, Prætores, Dictatores*, Jus hæc Comitia habendi competebat *Tribunis plebis*, non quidem omnibus simul, plures enim erant, sed *quibus sors illud dederat*. Livius libro III. *Forte quadam utili ad tempus, ut Comitiis præesset*,

potissimum M. Duellio (qui unus ex Collegio Tribunorum erat) sorte evenit, viro prudenti & ex continuatione magistratus invidiam imminentem cernenti. Qui cum ex veteribus tribunis negaret ullius se rationem habiturum, pugnarentque collegæ ut liberas tribus in suffragium mitteret, aut concederet sortem comitiorum collegiis, habiturus e lege potius comitia, quam ex voluntate patrum; injecta contentione Duellius consules ad subsellia accitos cum interrogasset, quid de Comitiis consularibus in animo haberent, respondissentque, se novos consules creaturos: auctores popularis sententiæ, haud populares nactus, in concionem cum iis processit, &c. Quin munus illud adsignabat alicui Tribunorum *non solum sors, sed aliquando etiam Collegarum consensus*, cujus rei exemplum est apud Livium lib. III. Sed nimis est certum, Comitia hæc haberi solita *a Tribunis plebis*, quam ut pluribus probetur, quod hæc Comitia proprie essent plebis, plebi autem præessent Tribuni plebis. Creabant autem his Comitiis Tribuni alios Tribunos, & Ædiles plebis; quemadmodum perspicue docet Dionysius lib. VI. Livius lib. III. & infinit. aliis locis. Reliquos minores magistratus creabant his Comitiis *Consules* & *Dictatores*. Illi enim his Comitiis Quæstores creabant: Cicero lib. VII. ad famil. Epist. XXX. *In campo certe non fuisti, cum hora secunda, comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi Consulem esse dicebant, posita est, &c. Ædiles Curules* Cicero Orat. pro Plancio. *Sed cur ego sic ago? quasi non Comitiis jam superioribus Plancius designatus ædilis; quæ Comitia primum habere cœpit Consul cum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor: deinde habere cœpit subito, præter opinionem omnium, ut ne si cogitasset quidem quispiam largiri; daretur spatium comparandi.* Livius lib. VI. ubi scribit *primos Ædiles Curules a Dictatore creatos*. Habebant iidem Consules *Sacerdotum Comitia* Tributa, ut patet ex quadam Ciceronis epistola ad Brutum. Hæc de personis quæ jus habebant Tributa Comitia exercendi. De *Tribunis quidem plebis, ut alii Tribuni & Ædiles* crearentur: *de Consulibus* vero, *Dictatoribus*, aliisque ut *reliqui minores Magistratus & Sacerdotes* fierent. Sequitur ut dicamus de personis; *quæ suffragii jus in his Comitiis habebant*.

15 Comitiis Tributis sententiam suam licebat dicere *omnibus civibus Romanis per Tribus* XXXV. *distributis*, non solum qui Romæ domicilium habebant, verum etiam qui in Coloniis, Municipiis & Provinciis, modo jus civitatis Romanæ consequuti essent, *cum jure suffragii*. Nam cum pleno jure suffragii simul etiam Tribuni accipiebant, in qua suffragii ferendi jus haberent. Legendi Livius lib. XXXVIII. Agellius lib. XV. cap. XXVII. *Tribuni autem neque advocant patricios, neque ad eos referre ulla de re possunt: ita ne leges quidem proprie sed plebiscita appellantur quæ tribunis plebis ferentibus accepta sunt; quibus rogationibus ante patricii non tenebantur, donec*;&c. & hæc de personis, quarum interventu Comitia Tributa fuerint celebrata. Sequitur locus.

16 Comitiis Tributis non unus erat locus apud Veteres Romanos consecratus. Habebantur enim interdum in *Campo Martio*, aliquando in *Comitio*, sæpe in *Capitolio*, nonnunquam in *Pratis Flaminiis*, vel *Circo Flaminio*.

In *Campo Martio* celebrata fuisse hæc Comitia, nullus non scriptor, non solum *magistratuum creandorum*, verum etiam *legum ferendarum & judiciorum exercendorum* caussa. Legendi præter alios Cicero lib. I. Epist. I. ad Attic. *Nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore quo tuum puerum cum his litteris proficisci Cincius dicebat, in campo comiciis tribunitiis, ad* XVI. *Kal. Sext. competitores, qui certi esse videbantur, Galba, & Antonius & Q. Cornificius*. lib. VII. epist. XXX. ad Familiar. *In campo certe non fuisti, cum hora secunda, comitiis quæstoriis institutis, &c.* In *Comitio* docet idem pro Rabirio, ubi equites Romanos sic alloquitur: *Si jam nobis nunciaretur in Senatu sententias dici, ut his legibus teneremini, concurrendum ad Curiam putaretis; si lex ferretur, convolaretis ad Rostra*. Rostra autem erant *in Comitio*. Quod in *Capitolio* nonnunquam celebrata Tributa Comitia, testatur Plutarchus in Gracchis. Appianus lib. I. bell. Civil. Livius lib. XXV. & XLV. Quod denique in *Circo Flaminio*, probatur ex Livio lib. III. cap. LV. & lib. XXVII. Plutarcho in Marcello. Hæc de *Loco*, sequitur *Tempus*.

17 Tempus his Comitiis, quemadmodum & Curiatis & Centuriatis, consecratum, erant omnes *dies Comitiales*, qui quales fuerint, & quod per omnes anni menses essent sparsi, aliis plene docui. Sequuntur *Ritus*.

18 Quemadmodum & Curiata & Centuriata, sic etiam Tributa solemnis præcedebat *indictio*. Nam qui ea habiturus erat indicebat, *trinundino* antequam essent habenda. Testantur passim veteres scriptores, ex quibus constat plerosque ritus, qui in Centuriatis, observatos etiam fuisse in Comitiis Tributis. Tributa tamen Comitia *non auspicato* habebantur. Docet diserte Dionys. l. IX. cap. XLIX. Verba ejus hæc: *Curiata comitia tunc demum rata habebantur, si re prius in Senatu agitata, populique calculo per Curias approbata, post ambo ista, divina etiam signa atque auspicia assensissent. Tributa vero, etiamsi nec Senatus consultum præcessisset, nec sacra vel auspicia addixissent, una die peragebantur a tribulibus*. Quod de auspiciis, dico exaudiendum de duobus auspiciorum generibus, *Avium inspectione & Tripudiorum animadversione*. Nam *observatio de cœlo*, quum ad omnia Comitia adhiberetur, in Tributis etiam observabatur. Non enim habebantur, quo die observatum esset de cœlo. Parendum erat Obnunciationi, ut multis docet Cicero in Vatinium, qui generalem de omnibus Comitiis tradit regulam: *Sed quæro*, inquit, *si ad cætera vulnera, quibus putasti rempublicam deleri, hanc quoque mortiferam plagam inflixisses auguratus tui, utrum decreturus fueris id, quod augures omnes usque a Romulo decreverunt, Jove fulgente, cum populo agi nefas esse, an quia tu semper hic egisses, auspicia fueris dissoluturus?* Videndus omnino Sigonius lib. I. de Antiquo jure Civium Romanorum cap. VII. Et hæc est caussa, quod veteres scriptores aliquando notent *vitio creatos Tribunos aut Ædiles plebis, aliosque minores magistratus, quod quo die creati essent, fulgurasset aut tonuisset*. Non igitur antea quam Tributa Comitia celebrabantur, *aves inspicere aut tripudia observare* necesse erat; tantum *servabatur de cœlo*, num tonaret vel fulguraret. Ipso Comitiorum die magistratus, qui Comitiis præerat, *concionem habebat*, qua quid faciendum esset, an minores magistratus creandi, an leges ferendæ, an judicia exercenda, docebat. Ea peracta populus *in Tribus* discedebat, quemadmodum *Centuriatus* in Centurias, *Curialis* in Curias. Hinc *sortitiones fiebant*. Eæ erant variæ, omnium prima erat, in qua tribu *Latini suffragium ferrent*. Testatur Livius lib. XXV. c. III. *Testibus datis, Tribuni populum summoverunt, sitellaque illata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent*. Latinis enim, fœdere cum iis icto, data fuit potestas ferendi suffragii, si quando tempore Comitiorum Romæ essent. Data, inquam, Latinis hæc potestas anno CCLI. Sp. Cassio II. & Postumo Cominio Coss. Probant ex variis scriptoribus & limitant Nicolaus

Grucchius libro II. de Comitiis cap. IV. & Car. Sigonius lib. I. de Antiquo Jure Italiæ cap. IV. Prima igitur sortitio pertinebat *ad Italos*, in qua nimirum tribu suffragium ii essent laturi. *Altera sortitio* fiebat inter Tribus, quo scilicet ordine quæque earum suffragium esset latura. Hic omnium Tribuum nomina *in cistellam* conjiciebantur, & quæ prima exierat, prima ferebat suffragium, & *prærogativa* appellabatur. Legendus Appianus libro I. bell. Civil. Sortitione facta, Tribus *ad suffragium ferendum vocabatur a præcone*, jubente magistratu. Vocata tribus de loco ubi consistebat, per pontes ibat in *septum vel ovile*, de quo in explicatione Comitiorum Centuriatorum. In pontis initio stabant *Diribitores*, qui tabellas populo ministrabant. Aderat statim *Rogator* magistratus, qui cistam deferebat colligendis per Tribus suffragiis; ut docet Auctor ad Herenn. libro I. Cicero lib. I. de natura Deorum, Asconius in Cornelianam, & Suetonius in Cæsare cap. XXI. LXXXII. Aderant item *Custodes*, quorum munus erat animadvertere, ne quid in ferendis suffragiis fieret fraudis. Colligebantur autem suffragia *viritim*, id est, omnes, qui ex eadem tribu erant rogabantur: & quum tota tribus suffragium dixisset, sententiæ numerabantur, id est, tot puncta in tabella notabantur: & in quam plures consensisse videbantur, *ea tribus sententia renuntiabatur*. Videndus plane Grucchius lib. II. cap. IV. Hæc in genere observabantur Tributis Comitiis: addam specialia quædam. Si magistratuum creandorum gratia Tributa hæc Comitia erant indicta, *tot tabellæ dabantur, quot erant Candidati*, quemadmodum in Centuriatis Comitiis dixi. Quia vero XXXV. erant tribus, oportebat *Candidatum, ut a majore populi parte creatus* diceretur, habere XVIII. *tribus suffragantes*. Docent hæc passim Livius & alii. In legum Comitiis eadem omnino, quæ in Centuriatis observabantur: In Judiciorum etiam Comitiis, nemo nisi *prædicta die*, ut inquit Cicero pro Domo, *accusabatur*. Magistratus enim tribus nundinis ter reum accusabat: trinundino absoluto, quarta accusatio fiebat ab magistratu. Tum demum reus sordidatus, barba & capillo promissis, producebatur in forum, comitante magno amicorum, item atratorum numero. Ibi reus pro rostris vel suis verbis vel amicorum se defendebat: quo facto populus in suffragium mittebatur, Tabellas habens duplicis generis, *unam* UTI ROGAS, condemnatoriam; *alteram* ANTIQUO, absolutoriam. Post dicta suffragia, eadem omnino fiebant, quæ in Centuriatis. Magistratus creati renunciabantur, & ab frequenti populo domum deducebantur. Leges jussæ & latæ publicabantur, id est, ut docet Corn. Tacitus l. XI. Annal. *Æreis tabulis per fora & templa figebantur*. Rei damnati illico prædes dabant solvendæ mulctæ, alioquin in vincula deducebantur a magistratu. Livius lib. XXXVIII. cap. LVIII. in historia L. Scipionis Asiatici: *Judiciis a Q. Terentio prætore perfectis, Hostilius & Furius damnati, prædes eodem die quæstoribus urbanis dederunt. Scipio cum contenderet, omnem quam accepisset pecuniam, in ærario esse, nec se quicquam publici habere, in vincula duci est cœptus*. Et Agellius libro VII. cap. XIX. *Pulcbrum atque liberale atque magnanimum factum Tib. Sempronii Gracchi in exemplis repositum est. Id exemplum hujusmodi est. L. Scipioni Asiatico P. Scipionis Africani Superioris fratri C. Minucius Augurinus tribunus plebis multam irrogavit: eumque ob eam causam prædes poscebat. Scipio Africanus fratris nomine ad collegium tribunorum provocabat; petebatque ut virum consularem triumphalemque a collegæ vi defenderent. Octo tribuni, cognita caussa, decreverunt: ejus decreti verba, quæ posui, ut in annalium monumentis exscripta sunt*.

QUOD. P. SCIPIO. AFRICANUS. POSTULAVIT. PRO. L. SCIPIONE. ASIATICO. FRATRE. CUM. CONTRA. LEGES. CONTRA. Q. MOREM. MAJORUM. TRIBUNUS. PLEBEI. OMNIBUS. ACCITIS. PER. VIM. INAUSPICATO. SENTENTIAM. DE. EO. TULERIT. MULTAM. Q. NULLO. EXEMPLO. IRROGARIT. PRÆDES. Q. OB. EAM. REM. DARE. COGAT. AUT. SI. NON. DET. IN. VINCULA. DUCI. JUBEAT. UT. EUM. A. COLLEGÆ. VI. PROHIBEAMUS. ET. QUOD. CONTRA. COLLEGA. POSTULAVIT. NE. SIBI. INTERCEDAMUS. QUO. MINUS. SUAPTE. POTESTATE. UTI. LICEAT. D. E. R. NOSTRUM. SENTENTIA. OMNIUM. DATA. EST. SI. L. CORNELIUS. SCIPIO. ASIATICUS. COLLEGÆ. ARBITRATU. PRÆDES. DABIT. COLLEGÆ. NE. EUM. IN. VINCULA. DUCAT. INTERCEDEMUS. SI. EJUS. ARBITRATU. PRÆDES. NON. DABIT. QUO. MINUS. COLLEGA. SUA. POTESTATE. UTATUR. NON. INTERCEDEMUS.

CAP. V.

1 *De Communibus in personis, quarum aliæ Principales, aliæ Adjuvantes. Principales erant Candidati*. I. *De eorum Nomenclatione*.
2 II. *Blanditia*.
3 III. *Assiduitate*.
4 *Ambitione, Prensatione, Rogatione, Benignitate*.
5 *Personis adjuvantibus*.
6 *Rogatoribus*.
7 *Præconibus*.

1 HÆc dicenda habui quæ singulariter observanda in Comitiis Curiatis, Centuriatis & Tributis: restat ut addam quædam in omnibus *Communia*; quæ præcipue consideranda in personis, quibus locus erat in omnibus Comitiis. Earum aliæ principales, aliæ adjuvantes. *Principales* erant *Candidati*. *Candidati* apud veteres Romanos dicebantur, qui magistratum aliquem petebant, Comitiis vel *Curiatis*, vel *Centuriatis*, vel *Tributis*. Dicti autem Candidati *ab toga candida*, quam gestabant, qui se magistratum petere profitebantur. Vocibus his utor; nam Candidati *profiteri* dicebantur. Vellejus lib. II. *Tum in Comitiis habendis præcipuum egit consulem. Nam & quæsturam petentes, quos indignos putavit, profiteri vetuit: &, cum facturos id se perseverarent, consularem, si in campum descendissent, vindictam minatus est. Et Egnatium florentem favore publico, sperantemque, ut præturam ædilitati, ita consulatum præturæ se juncturum, profiteri vetuit*: apud Sueton. in Augusto cap. IV. *Confiteri* legitur in vulgatis, pro *profiteri*, quæ vox in Mss. Codicibus. Poterant autem omnes profiteri in toga Candida petitionem: populo inquam supplicare in toga candida cuivis erat liberum, qui quod ambiebat a populo, se obtinere posse sperabat. Sed præcedebat hic *Magistratuum ac Senatus cognitio*. Ne enim populus magistratum alicui mandaret indigno, aut contra leges, publicæ rei intererat, *considerari Candidatorum caussas a magistratibus & concilio publico*: quæ deinde ad populum allegatæ, ef-

ficiebant ut eorum tantum qui digni essent, rationem Comitiis habere vellet. Si igitur justa & legitima esset petitio, *Nomina eorum* dicebantur *accipi*, eorum *ratio haberi*: & contrario qui repellebantur, eorum *nomina non accipi* dicebantur, aut *eorum ratio non haberi*. Testantur Livius lib. IX. l. XXVII. l. XXXIX. Agell. lib. III. cap. IX. Cæsar lib. III. de bello Civ. Sueton. in Julio cap. XVII. Cicero in Bruto, Philip. II. & lib. XVI. ad Familiar. Epist. II. Valer. Maxim. lib. III. cap. ult. lib. IV. cap. I. Vell. Paterculus lib. II. Professio autem in duobus præcipue erat posita, *Amicorum & Populi voluntate concilianda*. *Amici* hic dicebantur, non solum *propinqui* & *necessarii*, verum etiam omnes, qui aliquid bonæ voluntatis ostendebant. Hi omnes erant conciliandi. Qui propinqui, qui necessorii, satis notum. Qui bonam voluntatem ostendebant, erant in triplici discrimine, *Salutatores*, *Deductores*, *Sectatores*. *Salutatores* prima diei hora domum petitoris veniebant, & salute dicta domum inde discedebant. Qui ritus apud nullum scriptorem elegantius dilineantur, quam apud Martialem nullo non loco. *Deductores* autem matutino tempore veniebant, sed tantisper expectabant, dum petitorem domo exeuntem in forum deducerent. Hi *Anteambulones* fere dicebantur, ut videre est passim cum apud alios tum apud Martialem lib. II. Ep. XVIII. vers. V. *Sectatores* assidui cum petitore omnibus horis erant, ejusque latera stipabant. Sic amici conciliabantur. Popularis autem voluntatis conciliatio quatuor partibus constabat, *Nomenclatione*, *Blanditia*, *Assiduitate* & *Benignitate*. *Nomenclatio* eam habebat vim, ut petitor suo quemque nomine appellaret ac salutaret. Elaborandum enim erat Candidato, ut singulorum civium nomina teneret: videbatur enim parum ejus rationem habere, qui aut non tenebat, aut oblitus erat nomen alterius. Quia vero in tanto populo fieri non poterat, ut æque omnes cogniti essent, habebant veteres Romani servos, qui nomina omnia civium, ut quisque occurrebat, suggererent: ii *Nomenclatores* dicebantur, de quibus apud Suetonium Aug. cap. XIX. Cal. cap. XXI. Claud. cap. XXXIV. Cicero pro Muræna *Monitores* vocat Festus l. VI. *Fartores*. *Fartores*, inquit, *nomenclatores, qui clam velut infarcirent nomina salutatorum in aurem candidati*. *Nomenclator* quidem quod nominaret. *Monitor* quod moneret: *Fartor quod clam veluti infarciret in aures candidatorum nomina*, ut docet Festus.

2 Altera pars rationis popularis erat *Blanditia*. Blandiri dicebantur, quum occurentes salutarent non proprio sed honestiori nomine, *patrem*, *fratrem*, *patronum*.

3 *Assiduitatis* quam tertio loco posui, ad conciliandum populi voluntatem, tres erant partes: *Ambitio*, *Prensatio*, *Rogatio*.

4 *Ambire* nihil aliud quam circuire. Ambibant autem Petitores non Romæ solum & in foro, sed etiam in Conciliabulis Italiæ in quibus cives multi negotiandi caussa versabantur. Legendus Plinius lib. VI. epist. VI. *Prensare* rogandi caussa singulorum dextram prehendere. *Rogare* denique erat precibus petere aut beneficium reposcere. *Rogabant* autem ipsi Candidati, tum adhibiti ab ipsis clari viri, qui *suffragatores* appellabantur. *Suffragationis* autem formula apud Livium legitur lib. X. cap. XIII. ubi sic loquitur Fabius Maximus: *P. Decium expertum mihi concordi collegio virum, dignum parente suo, quæso mecum consulem faciatis*. Alia item est apud Sueton. in Julio cap. XLI. *Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneat*. Rogationis etiam species erat *Tunicæ depositio*, cujus caussas aperit Plutarch.

A Probl. XLIX. *Ne in sinu pecuniam gestare possent Candidati, qua suffragia emerent, sive ut cicatrices adverso pectore acceptas commodius possent ostendere omnibus, qui occurrerent: aut quemadmodum prensationibus & supplicationibus, sic etiam habitu & imitatione corporis se deprimerent*. *Benignitas*, quam partem quartam dixi conciliationis curæ popularis, posita erat *in congiariis dandis*, *prandiis præbendis*, *gladiatoribus exhibendis*, *locis parandis*, *pecuniis dividundis*, *dandis denique muneribus*. Quin & postremis Reipublicæ temporibus consuetudo obtinuit, ut præsenti pecunia populo suffragia emerentur, & ad eam rem ministri adhiberentur, B *Interpretes*, *Sequestres* & *Divisores*. *Interpretes*, teste Asconio, erant, *per quos pactio inducebatur; quique pecunias pronuntiabant per Centurias, Curias & Tribus*, de quibus legendus etiam Sueton. in Cæs. cap. XIX. *Sequestres* dicebantur, eodem Ascon. teste, *apud quos pecunia deponebatur*: *Divisores* denique, *qui singulis nummos distribuebant*. *Divisorum* etiam mentio apud Sueton. in Octavio cap. III. Et hæc de Candidatis.

5 Restat ut dicamus nonnihil de personis adjuvantibus, quæ in omnibus Comitiis habebant locum; tales erant *Diribitores*, *Rogatores*, *Custodes & Præcones*. C Diribitores erant qui in Pontis initio stantes populo suffragia laturo tabellas diribebant, id est distribuebant. Cicero post redit. ad Senatum. *Quando illa dignitate tot diribitores custodesque vidistis*. Diribitores hos summos sæpe fuisse viros, non perpetuo tamen, *sed quum de rebus magnis esset agendum*, docet Cicero in Pisonem: *Hoc certo video quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos distributores, vos custodes fuisse tabularum, & quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excusatione, vel honoris, id in salute mea, nullo rogante, vos vestra sponte fecistis*. Ex quibus verbis constat Diribitores hos D ab Candidatis *rogari* solitos ad munus hoc subeundum: deinde *juvenes* fuisse; fuisse item *honore præditos*; quamvis non perpetuo, item *voluntarium* fuisse hoc munus, non necessarium.

6 *Rogatores* erant, qui per singulas Curias, Centurias, Tribus, tabellas suffragii colligebant; qui, inquam, cistam deferebant, in quam tabellas suffragii populus conjiciebat. Hi Rogatores etiam erant principes ex Senatu viri, quemadmodum notat Cicero in Pisonem & lib. II. de divinat. ubi ita scribit; *At Aruspices divini quos cum Tiberius Gracchus propter mortem repentinam ejus qui in prærogativa referenda subito concidisset; in Senatum* E *introduxisset, eum justum rogatorem Comitiorum fuisse dixerunt*. Videtur autem Augustus munus hoc certis quibusdam hominibus ex equestri ordine attribuisse. Testatur Plinius lib. XXXIII. c. II. de Decuriis equitum ab Augusto institutis. *Decuriæ quoque ipsæ pluribus distinctæ nominibus fuere. Tribunorum æris & selectorum judicum. Præter hos etiamnum nongenti vocabantur ex omnibus selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in Comitiis*. *Custodes*, qui præter id quod observabant, ne quid fraudis committeretur in sortitionibus & suffragiis dicendis, describebant etiam cujusque Centuriæ educta e cista suffragia, ut inde appareret quæ esset illius Centuriæ sententia. F

7 *Præcones* denique erant, *qui sententias* Curiarum, Centuriarum & Tribuum ab custodibus ex cista eductas alta & magna voce pronuntiabant. Cicer. VII. in Verr. *Tu quum Prætor renuntiatus es quoquo modo (mitto etiam & prætereo quid tum actum sit) sed quum esses renuntiatus ut dixi, non ipsa præconis voce excitatus es, qui te toties seniorum juniorumque Centuriis illo honore adfici pronuntiavit*. Idem II. in Rullum; *Itaque me non extremæ Tribus*

suffragiorum, sed primi illi vestri concursus, neque singulae voces praeconum, sed una voce universus populus Romanus consulem declaravit. Videndus idem pro Milone. Agell. lib. XII. cap. VIII. *Æmilius quoque Lepidus & Fulvius Flaccus, nobili genere amplissimisque honoribus & summo loco in civitate praediti, odio inter se gravi & simultate diutina conflictati sunt. Postea populus eos simul censores facit, atque illi, ubi voce praeconis renunciati sunt &c.* Talis igitur erat apud veteres Romanos Comitiorum ratio florente & stante Republica. Paucis ostendam, qualis illa fuerit sub Imperatoribus & concludam. Comitiorum res amissa libertate varie habita. Julius Cæsar jus creandi magistratus non totum a populo tulit, cruda adhuc servitute; sed *cum eo divisit*. Clare docet Sueton. cap. XLI. *Comitia cum populo partitus est, ut exceptis Consulatus competitoribus de caetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, renuntiarentur, pro parte altera quos ipse edidisset. Et edebat per libellos cuique tribui missos scriptura brevi, Cæsar dictator illi tribui. Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.* Augustus deinde *Comitiorum pristinum jus* (verbis utar Suetonii cap. XL.) *reduxit, multiplici poena coercito ambitu, Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die*

A *comitiorum, nequid a quoquam candidato desiderarent singula millia nummum a se divisit. Pristinum* appellat non vetus illud, quod integra libertate obtinebat: sed hoc idem, quod a patre ejus Julio institutum. *Pristinum* tamen ideo, quia per bella civilia & impotentem Tribunatum abolitus erat Cæsarianus ille mos, quem ut vult Suetonius reduxit longo intervallo Augustus, quod etiam docet Dio lib. LIII. Tiberius primus, animis Quiritium fractis & jam ad servitutem factis jus omne Comitiorum sibi & Senatui sumsit, Tacit. lib. I. Annal. cap. XV. *Tunc primum e campo Comitia ad Patres translata sunt, nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant, neque populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore & senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret sine repulsa & ambitu designandos.* Consulum autem renuntiationem ad se solum Tiberium transtulisse scribit Dio lib. LVIII. Ex eo tempore expers suffragiorum fuit populus, donec *Cajus tentavit, Comitiorum more revocato, suffragia populo reddere*, ait Suetonius cap. XVI. *sed idem ille omisit.* Tiberianum autem morem apud sequentes principes valuisse, deinceps clarum ex Memoriis rerum.

B





BREVIS INSTITUTIO
DE
COMITIIS VETERUM ROMANORUM,
LIBELLIS TRIBUS COMPREHENSA:
QUIBUS ACCESSIT
Lib. IV. de Comitiis Imperii Romano-Germanici.

OPERA AC STUDIO

P. OTTONIS AICHER,

Benedictini ad S. Vitum cis Rhotam, in Alma & Archiepiscopali Universitate Benedictino-Salisburgensi Philosophiæ Moralis ac Historiarum Prof. Publ.

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO

PRÆSULI

A C

DOMINO DOMINO

ALPHONSO

Imperialis Monaſterii Weingartenſis

ORDINIS S. BENEDICTI

ABBATI,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI,

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis nec non Celſiſſimi Principis & Archiepiſcopi Salisburgenſis

CONSILIARIO

RESPECTIVE INTIMO,

CONGREGATIONIS BENEDICTINO-SUEVICÆ

PRÆSIDI,

ALMÆ UNIVERSITATIS SALISBURGENSIS

ASSISTENTI DIGNISSIMO, &c.

Domino ſuo Obſervandiſſimo, & Gratioſo.

REVERENDISSIME AC AMPLISSIME

DOMINE DOMINE

PRÆSUL.



Es magna, nec ſatis unquam laudata, Hiſtoria eſt, qua res homineſque, poſtquam fuerunt, ad vitam memoriamque redeunt. *Teſtem* quærimus *Temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, & nunciam vetuſtatis?* In hac ſimul habemus. Hiſtoria enim rerum geſtarum velut cuſtodia, & temporum arca eſt, memoriam præteriti bona fide conſervatam liberali notitia diſpenſans. Brevem omnes vitam ducimus: in Hiſtoria nemo moritur. Hæc ſecunda vita eſt, & univerſum Reipublicæ corpus fato, ut ſic dicam, ſubtrahit. Ejus partem aliquam paucis ſignare paginis conatu ſum: COMITIA ROMANORUM ajo, Hiſtoriæ nec non Antiquitatis Romanæ facem. Hæc accenſa, recta ad Te, *Reverendiſſime & Ampliſſime Domine Domine Præſul*, properat, geſtiente velut flammula, quo dudum jam ibant vota mea. Publica Tua in rem litterariam, quam in Alma Benedictino-Salisburgenſi Univerſitate primum SS. Theologiæ Profeſſor, dein ultra viginti annos Rector Magnificus, poſt meritiſſimus Præſes, maxima ſolertia, parique emolumento promoviſti; privata in me, ac Monaſterium S. Viti merita, me perpulerunt, ut gratitudinis hoc quale quale argumentum Nomini Tuo inſcriberem. Compendium, & munus tenue. Quia tamen

---- etiam Phæbo gratiſſima dona
Cres tulit.

Nec Diis ipſis

Semper inaurato Taurus cadit hoſtia cornu:
Hic quoque ſit gratus parvus labor.

Parvus; quem magnum hoc ipſo facies, quod admittes.

In ſpatioſos laudum Tuarum campos non excurro; ſcio, quam nolint laudari ii, qui ſoli laudem merentur omnium.

Contemnit laudem Virtus, licet uſque ſequatur
Gloria Virtutem, corpus ut umbra ſuum.

Nihil ergo auribus do: ſed ſilens, ad hoc Sapientiæ delubrum votivam tabulam figo, meque ac meos labores æternum ſacro.

Deum veneror, ut Te, magne Antiſtes, Bono publico, Ordini atque Univerſitati noſtræ diutiſſime ſervet incolu em. Salisburgi Nonis Julii, Anno M. DC. LXXVIII.

Reverendiſſimæ ac Ampliſſimæ Dominationi Tuæ

Devotiſſimus
P. OTTO AIGHER.

L E C T O R I
S.



Agnam Romanæ Antiquitatis partem libro non magno illustrare conor. Ea COMITIA *sunt, ortu regia, usu sacra, scitu insuper utilia. Non minima etenim litterarum pars hæc, & ad bonos Latinosque scriptores,* Ciceronem *cum primis ac* Livium, *in quibus* COMITIORUM *creberrima mentio, intelligendos maxime facit: quin ad penitiorem quoque Reip. Romanæ cognitionem. In hac, quamdiu ea fuit libera, maxima penes populum erat potestas. Magistratus jubere, Leges condere, bellum pacemque decernere, fœdera inire, in populi tantum erant potestate. Quæ quoniam* COMITIIS *peragebantur,* COMITIORUM *rationem cognitam ac perspectam habere necesse est, ut* Romanam *quoque* Rempublicam *intelligamus. Hæc dum ego compendio, quæ prolixioribus forte voluminibus alii, oculis tuis subjicio, candide Lector, fave, fruere, ac vale.*

ELENCHUS SCRIPTORUM,
QUIBUS IN HOC OPUSCULO USI SUMUS.

Agellius.
Aldus Manutius.
Appianus.
Asconius Pædianus.
Aulus Persius.
Aurea Bulla Caroli IV.
Bartholom. Marlianus.
Benedictus Carpzov.
C. Cornelius Tacitus.
C. Plinius.
C. Suetonius Tranquillus.
Carolus Sigonius.
Christoph. Gevvold.
Christophorus Leheman.
Dion Cassius.
Dionysius Halicarnasseus.
Dominic. Arumæus.
Erycius Puteanus.
Eugenhardus.
Eutropius.
Franciscus de Mendoza S.I.
Frontinus.
Gulielmus Becker.
Henningus Arnisæus.
Hermannus Hermes.
Hincmarus Episc.
Jacobus Lampadius.
Instrumentum Pacis Osnabrgu.
Joannes Althusius.
Joannes Bodinus.
Joannes Limnæus.
Joannes Rosinus.
Josephus Hebræus.
Justinianus Imper.
Lælius Felix.
L. Annæus Florus.
Macrobius.
M. Accius Plautus.
M. T. Cicero.
Matthias Stephani.
Melchior Goldastus.
Nicolaus Grucchius.
Nonius.
Onuphrius Panvinius.
Ordo Cameræ Imp.
Paulus Manutius.
Paulus Merula.
Paulus Matthæus Wehnerus.
Plinius.
Plutarchus.
Pomponius.
P. Virgilius Maro.
Q. Æmilianus.
Q. Horatius Flaccus.
Recessus Imperii.
Richardus Streinius.
Serenus Sammonicus.
Sextus Pompejus Festus.
Strabo.
Theodorus Reincking.
Thomas Demsterus.
T. Livius.
T. Lucretius Carus.
Tobias Paurmeister.
Valerius Maxim.
Varro.
Ulpianus.

INDEX.

LIBER PRIMUS

DE COMITIIS CURIATIS.

LIB. II.

DE COMITIIS CENTURIATIS.

LIB. III.

DE COMITIIS TRIBUTIS.

LIB. IV.

DE

COMITIIS IMPERII ROMANO-GERMANICI.

LIBER PRIMUS.

CONTINENS

PROLEGOMENA,

ET

COMITIA CURIATA.

CAPUT I.

Etymologia, & Definitio Comitiorum.

OMITIA dicta sunt a *coeundo*, vel *comeundo*, ut veteres loquebantur; vel potius a *comitando*, id est, simul itando: quod Populus coire his, & unum in locum convenire soleret.

Definiuntur COMITIA, *Conventus Populi, ad ferendum aliqua de re suffragium*. Id est, cum universus populus, per legitimum Magistratum, vel edictum, ex institutione Romuli convocatus esset ad aliquid suo suffragio jubendum, vel prohibendum: neque enim usquam alibi populus suffragia tulit, aut dixit, quam in comitiis.

Generis locum in data definitione obtinet *Conventus*; conveniebat enim, vel coibat populus: Differentia est, *ad ferendum aliqua de re suffragium*. Non enim omnes Populi conventus comitia dicebantur, sed ii tantum, qui ferendorum aliqua de re suffragiorum causa haberentur. Cum vero *ludorum*, *censusve* gratia, Populus universus, ut sæpe fiebat, conveniret, Comitia non fuerunt.

Unde *comitia* differunt a *Conciliis*; siquidem in illis totus Populus convenit; in Conciliis vero pars Populi tantum ad aliquid sciscitandnm. Quam differentiam Agellius quoque agnoscit, *lib.15.cap.27.* Verba ejus ex Lælio Felice sunt hæc: *Eum, qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubeat, non comitia, sed concilium edicere.* Quod discrimen observare etiam videtur Cicero l. 2. de leg. *Quid enim majus est, si de Jure quærimus, quam posse ab summis Imperiis & summis Magistratibus comitiatus, & concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere.* Idem in Oratione post redit. in Senat. *Legem trib. plebis tulit, ne obnunciare concilio aut comitiis liceret.* Differunt etiam *comitia* a *Conventu*, quod ille a Magistratibus in Provincia celebraretur: a *concione*, quæ ex rostris, aut e curia habita; aut ipse Populus congregatus ita appellaretur. Quæ tamen differentiæ anxie ab Auctoribus non sunt observatæ; imo sæpius reperitur alterum vocabulum pro altero positum.

CAP. II.

Divisio Comitiorum.

COMITIORUM *Genera*, vel *Species*, vel *Partes*, quocumque nomine appelles, sunt tres: Comitia scilicet *Curiata*, *Centuriata*, *Tributa*. Curiata Romulus, Centuriata Servius Tullius, Tributa denique Tribuni plebis in Rempublicam intulerunt. Et *Curiata* quidem dicta sunt, cum Populus in curias; *Centuriata*, cum in centurias; *Tributa*, cum in Tribus descriptus suffragia iniit. Neque enim quisquam civium Romanorum erat, qui non *curiæ*, aut *tribui*, aut *centuriæ* accenseretur, aut jus suffragiorum ferendodorum non haberet: nisi a Censoribus notatus, aut aliunde indignus extitisset. Aliæ Comitiorum species nullæ.

Nominat quidem Agellius etiam *comitia Calata*, lib. XV. 27. ex Lælio Felice, cum dixit: *In libro Lælii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est, Labeonem scribere, Calata comitia esse, quæ pro collegio Pontificum habentur aut Regis aut flaminum inaugurandorum causa: eorum autem alia esse curiata, alia centuriata*, &c. Sed ea proprium & peculiare genus non efficiebant. In principio enim omnia comitia erant Calata, quod satis ostendit Agellius, quum *Calatorum alia fuerint curiata, alia centuriata*.

Omnia inquam erant *Calata*, sic dicta a Græca voce *Caleo*, id est voco, unde antiquis Latinis *Calare*, pro vocare. Vocabatur autem populus ad omnia comitia, unde & omnia recte *Calata*, non solum *curiata*, & *centuriata*, ut notat Agellius, sed & *tributa*, quod ex sequentibus magis patebit. Postea quum hoc verbum in usu esse desiisset, mansit tum *Calatorum comitiorum* nomen in duobus tantum, vel *in Pontificibus* creandis, vel in *testamentis publicis* condendis. Priorem caussam notat Lælius Felix apud Agellium, loco citato, quum inquit: *Calata comitia sunt, quæ pro collegio Pontificum, aut Regis sacrorum, aut flaminum inaugurandorum causa habebantur*. Posteriorem causam indicat Theophil. lib. 2. Instit. *Duo erant apud veteres Testamentorum genera, unum quod Calatis comitiis fiebat, & dicebatur, alterum quod in procinctu. Testamentum Calatis comitiis tempore pacis fiebat, bis in anno, hoc modo: Præco universam circumibat civitatem, populum convocans; ac tum qui testamentum condere volebat in concione populi, ipse teste populo testamentum scribebat. Ex quo dictum est, calatis comitiis. Nam calare est vocare. Comitia vero populi congregatio. Quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est testamentum calatis comitiis.* Hæc ille. Proprie igitur tria tantum comitiorum genera sunt: Curiata, Centuriata, Tributa. De sin-

gulis ordine dicendum. Et primo quidem de comitiis curiatis, quod ratione temporis ea fuerint prima: Curiarum enim institutio a Romulo.

CAP. III.

Quid sint Comitia Curiata, & quid Curiæ?

CUriata comitia dicebantur apud Veteres illa, in quibus Populus *curiatim* suffragium ferebat. Hoc est, in quibus Populus *per curias* divisus sententiam rogabatur, ut quod plures curiæ suis suffragiis decrevissent, id jussum seu decretum populi diceretur. Hanc curiatorum comitiorum definitionem notat Lælius Felix apud Agellium l. xv. c. 27. *curiata* enim *comitia* scribit esse, *quum ex generibus omnium suffragium feratur. Genera enim omnium* vocat *curias illas, in quas universus Populus Romanus erat divisus*. Comitia igitur curiata dicebantur *a curiis*. Quæ ut melius intelligantur, de Curiis pauca dicenda.

Curiam a cura derivat apud Nonium Varro *l.* 2. *de vita Populi Rom.* Cujus triplex significatio, nam & pro loco certo Urbis, & pro certo hominum cœtu, qui inde curiales dicti, & tertio pro jure, quo curiales hi gaudebant, sumebatur.

Alii ita deducunt curiæ significationes: Primo, ut per curias intelligamus triginta illas partes, in quas Populum Romulus distribuit. Secundo, sacras ædes, quas singulæ curiæ habuerunt, in quibus sacra sua peregerunt: sumptibus ex ærario a Romulo, qui eas in monte Palatino primum condiderat, cuique curiæ designatis. Is autem, qui curiæ præerat, Curio vocabatur. Tertio, curiæ dictæ sunt illæ ædes, in quibus Senatus est habitus. Atque istæ curiæ variis nominibus affectæ sunt: a Civibus, Virginibus Sabinis raptis, & locis, & ducibus, &c. De divisione autem populi Romani in curias facta ab Romulo, scribunt Dionysius l. 2. Livius 1. Eutrop. 1. Pomponius in *l. 2. de Origine Juris*. Et communiter Historici, qui res a Romulo gestas describunt; *curias ab Romulo institutas fuisse XXX. eumque numerum semper deinceps mansisse*, notant. Ex his igitur curiis orta sunt comitia curiata. Quæ vero fuerint causæ, propter quas ea habita fuerint, breviter aperiendæ sunt.

CAP. IV.

De quibus causis actum sit comitiis curiatis.

CAusæ horum comitiorum diversæ pro diversis Reipublicæ temporibus fuerunt. Nam post curias a Romulo institutas usque ad tempora Servii Tullii Sexti Romanorum regis, omnia quæ suffragiis Populi a Regibus committebantur, *curiatis comitiis* peragebantur: quod necdum *centuriæ*, nec *tribus* erant, quæ suffragium dicere possent. Itaque *comitiis curiatis* actum de omnibus omnino rebus, quæ ad rectam Reipublicæ administrationem spectabant.

Primum enim his comitiis *Reges*, aliique *Magistratus* creati. De Regibus quidem, excepto Tarquinio Superbo, res est manifesta, & testantur id *Livius lib. 1. Dionysius lib. 2. & seqq.* De aliis Magistratibus, ut de *Tribuno Celerum*, docent iisdem locis Livius & Dionysius: quo etiam referri debent *Quæstores*; nam & ipsos sub Regibus fuisse, Auctor est Tacitus *Annal. lib.* 11.

Secundo, *Leges* omnes, quæ ad Servii Tullii usque tempus latæ sunt, curiatæ fuerunt.

Tertio, *Judicia* etiam his Comitiis facta, de capite judicati, id est, de libertate & fortunarum

A amissione. Confirmat judicium Horatii sub Tullo Hostilio, ubi curiarum suffragiis vel calculis Horatius absolutus est, testibus Dionysio *lib.* 3. & Livio *lib.* 1.

Quarto, post ejectos Reges, cum plebs, post secessionem in sacrum montem, impetrasset a Patribus, ut liceret sibi *Tribunos*, *Ædilesque plebejos* creare, etiam illi curiatis comitiis usque ad Legem Voleronis latam creati leguntur.

Denique ubi curiatis non tantum *centuriata*, sed & *Tributa* comitia accesserunt, omnia fere, quæ ante *curiatis* fiebant, postea *tributis* & *centuriatis* peragebantur: maxime postquam lex Vo-
B leronis lata est, de creandis plebeiis Magistratibus comitiis *tributis*, qui antea *curiatis* creati fuerant.

CAP. V.

De Legibus Curiatis.

CUm instituta essent comitia *centuriata* & *tributa*, hisque pleraque peragi cœpissent, quæ ante *comitiis curiatis*; ob duas deinde præcipue caussas *comitia curiata* cœperunt haberi: una erat *Legum ferendarum*; altera *Magistra-*
C *tuum quorundam sacrorum*, id est, *Sacerdotum creandorum*. *Leges* curiatis comitiis latas, legimus paucas, *sex numero*:

I. De *Confirmatione* quorundam Magistratuum, qui jam ante aliis comitiis designati erant.

II. De *Imperio, Magistratibus*, quales erant *Dictatores*, *Consules*, *Proconsules*, *Prætores*, *Proprætores*, *& Proquæstores*, qui cum jure Prætorio in Provincias mittebantur, dando. Meminit Cicero *Philip.* 2. Livius aliquot locis, & alii.

III. *Lex curiata* fuit, qua Camillus ab exilio fuit revocatus, ut videre est apud Livium lib. 5.
D *Accepto inde Senatus decreto ut & comitiis curiatis, revocatus ab exilio, jussu populi Camillus dictator extemplo diceretur, militesque haberent imperatorem quem vellent* &c.

IV. Qua *Adoptiones* fiebant: de ea Cicero *pro Domo*, Tacit. *lib.* 1. *Histor.c.*17. Agell. *lib.*5. *cap.*19.

V. Quæ *Testamentis* confirmandis ferri solebat. Legendus Agell. *lib.* 15. *c.* 27.

VI. Denique qua *Sacrorum detestationes* fiebant: hoc est, omnes consecrationes, quas publice in concione populi fieri oporteret. *Agellius ibid.*

Altera causa habendorum posterioribus tempo-
E ribus comitiorum curiatorum, fuit, ut *Sacerdotes quidam* crearentur. Erant autem illi *Flamines*, *& Curio Maximus*, ut videre est apud Agellium *lib.* 15. *cap.* 27. Reliqui autem Curiones non comitiis, sed a suis quique curiis eligebantur.

CAP. VI.

De Personis Comitiorum Curiatorum.

DUplicis generis *Personæ* his comitiis intervenire solebant: quarum aliæ comitia curiata *convocandi jus ac potestatem* habue-
F runt; aliæ vero *suffragia in his ferendi*. Generis primi fuerunt *Reges*, penes quos rerum summa fuit in Republica, ut testantur passim Dionys. *l.* 2. *& seqq.* Livius l. 1. Plutarch. *in regum Vitis*, aliique qui septem Romanorum reges delinearunt.

His exactis, & parta libertate, jus habendi comitia curiata translatum fuit ad *Magistratus Patricios*, non plebejos; nec Patricios quidem omnes, sed *majores*, quales erant *Consules*, *Prætores*, *Dictatores*, *Interreges*: ut pluribus locis docent

docent Livius, Dionysius, aliique Scriptores. *Pontifices* quoque jus habuisse, pro *Flaminibus* creandis, comitia curiata convocandi, Romanæ historiæ Scriptores testantur. Ratio erat, quod soli Pontifices inaugurare solebant flamines: Flamines autem ex veteri instituto curiatis tantum comitiis creabantur.

Alterum genus, *Personarum* scilicet, quæ in his comitiis suffragia ferebant, soli erant *Cives Romani in curias descripti*, quique in urbe habitabant. Nam qui extra Urbem domicilia habuerunt, tametsi cives Romani essent, non tamen erant descripti in curias. Quod discrimen inter eos ut melius intelligatur, hic paucis aperiendum censeo. Omnes cives qui in urbe degebant, in curias describebantur: ubi autem imperium ac fines suos amplificare cœperunt Romani, devictis jus quoque civitatis impertiverunt, ut nimirum cives Romani essent. Hi vero non in *curias*, sed in *Tribus* referebantur, quamdiu scilicet nulla in Urbe domicilia haberent: & unusquisque ritus suos, & sacra patria retinebat. Qui autem ex his, vel Coloniis, vel Municipiis, vel etiam Provinciis Romam immigrabat, illic habitandi causa, in curiam aliquam recipiebatur; Patria insuper sacra relinquere cogebatur, & iis se sacris addicere, quibus operam dabat illa curia, in quam insertus esset. Illi ergo, quibus in Urbe domicilium erat, jus suffragii comitiis curiatis habebant: reliqui non item. Plura vide apud Nicolaum Grucchium *lib. 3. de comitiis*, *c. 3.* Onuphrium Panvinium *lib. 2. Comment. Reip. Rom.* & Carolum Sigonium *lib. 1. de jure Civium Rom. c. 5.*

Atque in his triginta curiis totidem *Lictores* aderant, non suffragiorum, sed officii causa.

CAP. VII.

De Loco curiatis comitiis destinato.

POpulus Romanus non poterat suffragium auspicato ferre, nisi *intra Pomœrium*, idque in foro, atque adeo in comitio. Hinc *Locus*, qui comitiis habendis erat designatus, *comitium* fuit. Ita præter alios Scriptores docet Varro lib. 4. de ling. lat. §. 32. *Comitium inde primum nomen habuit, quod comitiis curiatis populus illuc conveniret.* Erat autem *comitium*, quemadmodum docet Sextus Rufus, *Foro Romano junctum*, imo pars fori, inter Palatii portas & Capitolium. Ante Hannibalis in Italiam adventum non habuit tectum; propterea sæpius ob cœli injurias soluta fuere comitia: postea tamen impositum, & iterum a Cæsare restauratum.

Dixi vero, *intra Pomerium*; quasi *post murum*, quem veteres *mœrum* nominarunt, seu *promurum*, quasi proximum muro. Agellius *lib. 13. cap. 14.* ita describit: *Pomœrium est locus intra agrum effatum, per totius Urbis circuitum, pone muros, regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii.*

Cæterum multa in hoc foro visenda erant: 1. *Tullianum*, carcer ad terrorem increscentis audaciæ, quem Servius Tullius ad viginti pedes depressum lapideis fornicibus cinxit.

2 *Statuæ* plurimæ, præter Marphorium, qui præ foribus carceris ingenti aspectu stabat, Remum alii, alii Jovem interpretantur.

3 *Rostra*, quæ L. Furio Camillo, & C. Mænio Coss. ex rostris navium Antiatium allata Romam, atque ex iis capacissimum suggestum exstructum, Rostraque id templum appellatum. In his autem Rostris leges latæ, causæ actæ, conciones habitæ ad Populum. Erant porro duplicis generis rostra,

A nova & vetera; *Nova*, quæ ad Palatii radices; *Vetera* quæ apud curiam in comitio, de quibus hic sermo est, ubi & Ciceronis caput ostentui ab Antonio præfixum fuit.

4 In comitio quoque erat *Puteal Libonis*, seu Scribonii, quæ ara fuit, quam tenentes manibus Judices, ajebant ex animi sententia se judicaturos. Jurabant enim solemni jurejurando Jovem lapidem. Plut. Aulularia: *Si te ea sciens fallo, ita me ejiciat Diespiter bonis, salva Urbe & arce, ut ego hunc lapidem.* De hoc Puteali Libonis Cl. Vir Erycius Puteanus facundissimam habuit Orationem, quæ XVII. est *Suadæ Atticæ*.

B

CAP. VIII.

De Tempore, ac Præambulis comitiorum curiatorum.

TEMPUS comitiis, ut aliis, sic etiam curiatis destinatum, erant *dies comitiales*. Non enim certo aliquo tempore curiatis comitiis populum convenisse, ac de re aliqua suffragium tulisse, legitur: sed quandocunque necessitas Reipublicæ id requirebat. Non tamen omnibus diebus sine discrimine, sed tantum comitia-

C libus, ut modo dictum: cum populo enim agi, nisi comitialibus diebus, fas non erat.

Cæterum Populus in comitium non veniebat, initurus suffragia, nisi *ab aliquo Magistratu vocatus*; cui id jus erat, ut supra dictum. Is ubi dicebat, habenda esse comitia, tum triginta *lictores* singuli suas curias jubebant stato die adesse in comitio. Hoc autem observandum, a nullo Magistratu indicta comitia, nisi *auspicato*: ita ut obnunciationi parendum esset, si de cœlo esset servatum. Quod ut intelligatur, breviter aliquid libandum est de auspiciis. Tria fuerunt auspiciorum gene-

D ra: *avium inspectio*, *de cœlo observatio*, & *tripudii* animadversio. Avium *inspectio* ad Curiata & centuriata tantum; *Observatio de cœlo* ad omnia comitia adhibebatur; hinc in Curiatis comitiis tres Augures debebant adesse, qui Legislatori essent in auspicio: *Tripudium* ad res gerendas proprie adhibitum.

Differunt vero Augurum & Magistratuum auspicia. Præcipua eorum discrimina Aldus Manutius numerat sex:

Primum, Augures auspicabantur, ut ex signis quibusdam vel probarent aliquid, vel vetarent: alii vero Magistratus cæteris in rebus tantum signa

E observabant, ex quibus probabant, vel prohibebant.

Secundum, soli Augures quod auspicarentur, etiamsi nulla scientia præditi essent, nihilque vidissent, comitia poterant impedire.

Tertium, Augures solum obnunciabant, Magistratus autem & nunciationem & spectionem habebant. Spectionem autem habere, idem est, quod servare de cœlo: obnunciare, est visa vel audita auspicia indicare.

Quartum, nulla comitia neque legum neque Magistratuum haberi poterant, nisi præsente aliquo vel pluribus Auguribus.

F

Quintum, Augures poterant obnunciare comitiis habendis, aut jam habitis: Magistratus autem obnunciare solebant, priusquam comitia haberentur. Nemini enim Magistratuum licuit ipsis comitiis, Magistratuum creandorum causa institutis, de cœlo servare, & ita comitia impedire.

Sextum, Augures post auspicia obnunciabant, & sic impediebant: Magistratui vero, si vellet impedire, non erat necessaria signorum observatio; sed poterat etiam obnunciare ante auspicia

facta, & divinare, quasi aliquid vitii in auspiciis A esset. *Cicero* 2. *Philipp.* Fusius de his Aldus Manutius *lib.* 3. *Epist.* 9.

CAP. IX.

Ritus in comitiis centuriatis observari soliti.

POstquam *curiæ omnes*, *vocatæ per legitimum Magistratum*, in comitium confluxissent, & *auspicia* capta essent, nullumque impedimentum, quo minus jam comitia haberi possent, obstaret; tum *Rogatio*, de qua curiæ suffragium laturæ erant, publice recitabatur. Ea finita, Præses comitiorum Curias in suffragium mittebat, hac formula: SI VOBIS ITA VIDETUR, QUIRITES, DISCEDITE IN CURIAS, ET SUFFRAGIUM INITE. Si porro ea rogatio non videretur e re Populi futura, tum Tribuniplebis intercedebant, solemni verbo: VETO; vel, VETAMUS. Quod cum fieret, non licebat curiis jam suffragia inire, sed solvebantur comitia, vel in alium diem rejiciebantur. Quod si nemo Tribunorum plebis vetaret, tum Populus in curias discedebat; & singulæ una post alteram sorte vocatæ, exibant & suffragium ferebant. Quæ primo loco exierat, *Principium* dicebatur, simulque ejus nomen adscribebatur, qui pro tribu primus scivisset. Utrumque ex illa Frontini lege apparet, in qua est: *Tribus Sergia principium fuit*, pro *Tribu Sex. L. Filius Varro primus scivit*. Idem Frontinus alibi: *Tribus Claudia principium fuit*, *pro tribu primus scivit Q. Fabius Q. F.*

Illud etiam Veteres observabant, ut curia primo ad suffragium sorte vocata esset *boni hominis*. Nam si contrarium accideret, non inibant suffragia, sed comitia in alium diem proferebantur: ut docet Livius *lib.* 9. Quod tandem pluribus curiis visum erat, id ratum habebatur. Atque si primæ curiæ consentirent, statim ac sedecim ex illis suffragia dixissent, finiebantur comitia. Quod si dissiderent, eousque inibant suffragia, dum sedecim curiæ consensissent. Denique quod plures curiæ dixissent, ad Patres referebatur, qui sua Auctoritate confirmarent. Qui mos postea mutatus fuit, ut notat *Dionys. lib.* 2. Jus enim confirmandi Magistratus, quod primum Senatus habuit, posterioribus temporibus Populus ad se traxit; ac bina comitia de Magistratibus Patriciis creandis haberi voluit: una, quibus designarentur, & illa vel centuriata erant, vel curiata; altera, quibus designati confirmarentur, & hæc ipsa vel curiata, aut centuriata erant. Lex centuriata ferebatur de confirmatione Censorum designatorum: curiata vero pro confirmatione reliquorum Magistratuum.

B Cæterum in comitiis primis, cum designare vellent aliquem Magistratum, ita rogabatur Populus: QUOS VULTIS CONSULES FIERI? Posterioribus autem, cum de confirmatione ageretur, ita: VULTIS, JUBETISQUE, UT M. CICERO, ET C. ANTONIUS, QUOS COSS. POPULUS DESIGNAVIT, CONSULATUM HABEANT? Rogatio in primis comitiis non erat lex: in Posterioribus autem de Confirmatione Magistratuum lex dicebatur; lege enim hujusmodi Magistratus confirmabantur.

Illud etiam in ritibus curiatorum comitiorum observatu dignum, quod suffragia in his, ut & in aliis comitiis, *voce* ferebantur, seu *Vocalia* erant, usque ad legem illam *tabellariam*, quam tulit Gabinius Tribunus plebis, *Cn. Calphurnio* Pisone, & M. Popilio Lænate Coss. qua cautum erat, *ut comitiis*, *quibus Magistratus crearentur*, *populus non voce*, *sed tabella suffragium ferret*. Sequutæ sunt hanc legem & aliæ, Cassia, Papiria, C Cælia, quibus cautum, ut non solum in creandis Magistratibus, sed etiam in judiciis populi, in legibus jubendis & vetandis, item in judicio perduellionis, tabellæ usurparentur; ut sic judicia liberiora essent.

In comitiis legum ferendarum, præter ea quæ diximus, nihil fere aliud fuit observatum, nisi quod eas oportuerit *trinundino* ante exponi, quam comitia haberentur. *Nundinæ* autem (vel potius *Nondinæ*, aut *Novendinæ*) dictæ sunt a *Nono*, & redeunte ad se die, quia *nono* quoque *die* celebratæ. A Nundinis igitur ad Nundinas novem dies erant, diversi octo, intermedii septem. D Jure igitur lata lex non erat, nisi *Trinundinum*, sive *Trinum Nundinum*, intercessisset.

Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 16. ait, *Romanos instituisse Nundinas*, *ut octo quidem diebus* (septem duntaxat sunt) *in agris Rustici opus facerent*; *Nono autem die*, *intermisso rure*, *ad mercatum*, *legesque accipiendas Romam venirent*, *& ad Scita atque Consulta frequentiore populo referrentur*: quæ Trinundino die proposita, a singulis, atque universis facile noscebantur. Unde etiam mos tractus, ut Leges *Trinundino* die promulgarentur. Hæc ille. Vide & *Erycium Puteanum de Nund. Rom.*

LIBER SECUNDUS DE COMITIIS CENTURIATIS.

CAP. I.

Quid sint comitia centuriata : & quid classes, ac centuriæ?



COMITIA *Centuriata* erant, quibus Populus per classium Centurias divisus suffragia ferebat: ita ut suffragia colligerentur centuriatim, & quod plures centuriæ jussissent, id ratum haberetur.

Explico. Quemadmodum *Curiata* Comitia a *Curiis*, ut dixi *l.* 1. *c.* 3. *Tributa* vero a *Tribubus*, ut postea dicetur *l.* 3. ita *Centuriata* Comitia dicebantur a *Centuriis*: quarum Auctor fuit Servius Tullius sextus Romanorum rex, uti referunt pluribus Livius *lib.* 1. *Dionysius lib.* 4. & paucioribus Florus *lib.* 1. *Eutrop.* 1. quorum *Dionysius* tota hac de re diligentissime agit: ait itaque, Servium primum in *sex classes* universum populum distribuisse, non habita ulla ratione Curiarum aut Tribuum, sed solius census seu facultatum; ita ut ditiores in prima classe continerentur, deinde servato divitiarum ordine, classium reliquarum series institueretur. Singulas autem Classes in Centurias divisit: *primam Classem* in LXXX. Centurias: *secundam* in XX. *Tertiam* in totidem: *Quartam* itidem in XX. *Quintam* in XXX. *Sexta & ultima* pro una censebantur Egenorum Centuria. Singulis item Centuriis arma imperavit. Quatuor porro centurias, quæ sine armis essent, jussit sequi eas, quæ armatæ stipendia facerent. Earum duæ erant *Fabrorum*, duæ *Tibicinum*. Ac fabrorum quidem duæ Centuriæ additæ sunt secundæ classi: Tibicines vero quartæ classi adscribebantur.

Ita totum Romanorum corpus constabat CXCIII. Centuriis; quæ cum Curiis & Tribubus nihil habebant commune, ut satis patet ex Livio, Dionysio & aliis. Lapsu tamen temporis res eo venit, ut Curiæ & Centuriæ quasi Tribuum essent partes. Quod tandem factum plene fuisse post completum XXXV. Tribuum numerum, notat Sigonius *l.* 1. *de antiq. jure civium Rom. c.* 4.

Ab iis igitur Centuriis, in quas divisæ erant sex Classes, dicebantur Comitia Centuriata.

Atque ex his intelligimus, Servium Tullium, ut fuit Auctor Centuriarum, vel Populi Romani in Curias divisi, ita etiam Centuriatorum Comitiorum habendum esse Auctorem: quemadmodum Romulus, qui Curiarum fuerat Auctor, habendus est etiam Auctor Curiatorum Comitiorum.

CAP. II.

Ob quas causas fuerint habita comitia centuriata?

CEnturiata comitia fiebant ob tres potissimum causas: prima erat *creandorum Magistratuum*, altera *Legum ferendarum*, tertia *Judicii exercendi* causa. Atque his tribus contineri comitia, indicat Cicero lib. 2. de Divinat. *Fulmen sinistrum*, ait, *auspicium optimum habemus ad omnes res, præterquam ad comitia. Quod quidem institutum Reipublicæ causa est, ut comitiorum, vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis Magistratibus, Principes civitatis essent Interpretes.*

Ac Magistratus quidem his Comitiis creabantur omnes, qui *Majores Magistratus* & Patricii vocabantur; præter *Dictatorem*, *Magistrum Equitum*, & *Interregem*: hi enim extraordinarii erant. Comitiis autem centuriatis ordinarii tantum creabantur, hoc est, qui singulis annis ad munus suum obeundum creati a centuriis, ut *Consules*, *Prætores*, *Censores*. Agellius *lib.* 15. *c.* 14. Item *Tribuni militares consulari potestate*, *Decemviri* legibus scribendis: sed hi Magistratus cito sublati a republica.

De *Consulibus quidem*, quod centuriatis comitiis creati sint, res est manifesta; & docet Livius *lib.* 1. *in fine*, ubi de primis, parta libertate, Consulibus sic scribit: *Duo consules inde comitiis centuriatis a Præfecto Urbis, ex Commentariis Servii Tullii, creati sunt, L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.* De reliquis eodem modo creatis passim Livius sequentibus libris, Dionysius, aliique Scriptores.

Prætores autem his quoque comitiis creatos fuisse, docet Agellius *lib.* 13. *c.* 14. & Livius *lib.* 7. ubi scribit, *Prætorem creatum iisdem auspiciis, quibus consules*. Id est, Comitiis centuriatis, quibus consules creari moris erat.

De *Censoribus* liquet ex eodem Agellio *lib.* 13. *c.* 14. Hæc de prima causa.

Alteram fuisse diximus causam *Legum ferendarum*. Quæ leges perferebantur a Majoribus Magistratibus auctoritate Senatus: non quidem quæcunque leges (nam & in aliis comitiis ferebantur) sed quæ majoris momenti viderentur, quales fuerant duodecim Tabulæ, Ciceronis revocatio ab exilio, &c. Nam augusta erant omnia, quæ his comitiis peragebantur.

Tertia comitiorum centuriatorum causa est *Judiciorum exercendorum*: non quidem omnium, sed unius tantum, videlicet *Perduellionis*. Qui autem Perduelles veteribus, docet Cajus *ff. de verb. signif. Quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant.* Inde factum, ut *reus perduellionis* diceretur, qui se quoquo modo in Rempublicam hostili animo declarasset: quasi quis diceret, *reum hostilitatis*. De Perduellionis autem crimine comitiis centuriatis judicatum fuisse, docet Valerius Max. *l.* 6. *c.* 5. Vide & Livium *lib.* 6. in judicio M. Manlii Capitolini.

CAP. III.

Quæ Personæ centuriatis comitiis intervenerint?

TRia genera *Personarum* comitiis centuriatis aderant: 1. *Quæ jus habuerunt comitia centuriata convocandi.* 2. *Quæ in iis suffragia tulerunt.* 3. *Communes*, Diribitores, rogatores, custodes, & præcones; item candidati, maxime cum crearentur Magistratus.

1 *Jus* igitur *convocandi* hæc comitia habuerunt *Magistratus majores* tantum, & quidem *Consules*, *Prætores*, *Censores*, *Dictatores*, *Interreges*, *Tribuni militum* consulari potestate, *Decemviri* legibus scribendis. Et quidem *ad creandos Magistratus* soli *consules*, *Dictatores*, *Interreges*, *Tribuni militum consulari potestate*, & *Decemviri legibus scribendis*, jus habebant comitia centuriata convocandi.

De *Consulibus* nullum dubium. Hi enim, quoties novi consules in sequentem annum essent creandi, *comitia centuriata creandis consulibus* indicebant: ut docet cum aliis Livius infinitis locis. Quod si consules Reipublicæ causa abessent, Senatusconsulto *Dictator* dicebatur, qui id faceret nomine Consulum: ut etiam præter alios pluribus locis ostendit Livius. Hinc toties in Fastis legitur *creatus Dictator comitiorum habendorum causa*. Si aliquam ob causam ante anni exitum comitia novis Magistratibus creandis perfici non possent, Patricii ex suo numero prodebant *Interregem*, qui dies quinque imperaret, a quo deinde alius creabatur, eodemque modo alii atque alii singulis quinque diebus creabantur, donec unus ex eis comitia haberet. Docet Livius lib. 10. *Eo anno interregnum initum. Interreges fuere Appius Claudius, dein P. Sulpitius: is comitia consularia habuit.* Neque tantum consulum creandorum causa, jus convocandi centuriata comitia habuerunt *Consules*, *Dictatores*, *Interreges*; sed etiam reliquorum Magistratuum creandorum, ut *Prætorum*, *Censorum*, *&c.* Neque enim Prætores ac Censores a Prætoribus & Censoribus, sed tantum a consulibus creari poterant: ut docent Veteres Scriptores, Cicero *lib.* 4. *ad Atticum Epist.* 2. & *lib.* 9. Agellius *lib.* 13. *c.* 14. Livius *lib.* 24. & 27.

Quod vero *Tribuni militares*, & *Decemviri legibus ferendis*, centuriata habuerint comitia creandorum Magistratuum causa, docent Livius *lib.* 3. 4. & 5. Dionysius Halicarnasseus passim, & alii.

Legum autem causa hæc comitia habebant *Consules*, *Dictatores*, *Decemviri*, *Prætores*. De *Consulibus* res manifesta est: Docent hoc omnes Leges consulares. Neque de *Dictatoribus* ulla dubitatio: confirmant id leges *Hortensia*, *Æmilia*, *Cornelia*, quæ omnes a Dictatoribus latæ. De *Decemviris* docent leges XII. Tabularum, ab iis centuriatis comitiis latæ, ut testatur Livius, & Dionysius. *Prætoribus* denique hoc jus fuisse, docet Livius *lib.* 45. ubi ait: *Prætor M. Juventius legem tulit de bello Rhodiis indicendo.* *Censores* vero hoc jure caruerunt, Legibus tamen subscripserunt. Jus autem habebant Populum convocandi in Campum Martium, ad lustrum condendum.

Judiciorum denique causa comitia hæc convocata fuisse a *Consulibus*, *Dictatoribus*, & *Prætoribus*, docent antiqui Scriptores. De *consulibus* testatur Livius *lib.* 2. ubi de judicio Coriolani. De *Dictatoribus* idem Livius *lib.* 4. ubi de judicio Sp. Melii. De *Prætoribus* denique loquitur idem *libro* 43.

2 *Suffragia ferendi* in comitiis centuriatis jus habebant omnes *cives Romani*, qui in classium centurias erant descripti, seu Urbem seu reliquam Italiam habitarent, dummodo jure suffragii cum civitate donati essent. Non enim omnes in Italia pari jure civitatem adipiscebantur; sed alii cum jure suffragii, alii sine hoc jure. Neque etiam omnes cives, qui in urbe habitabant, jus suffragii comitiis centuriatis habebant: qui enim a censoribus ignominiæ causa notabantur, & in Ceritum tabulas relati erant, ii hoc jure carebant.

3 De *tertii generis Personis* dicam infra, ubi de iis disseruero, quæ in comitiis peragi, & quo ordine soleant.

CAP. IV.

Quo loco habita fuerint comitia centuriata?

COmitia centuriata haberi non poterant, nisi in *loco inaugurato*, hoc est ab Auguribus ad eam rem dicato & consecrato: non tamen intra pomœrium, sed extra, ut docet Agellius lib. 15. *c.* 27. *centuriata comitia*, inquit, *nisi imperato exercitu haberi non poterant, idque præsidii causa, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus. Imperato*, inquit, *exercitu*: atqui exercitus imperari non poterat, nisi extra Urbem, ut idem Agellius lib. 15. *c.* 27. *Quia*, inquit, *exercitum extra Urbem imperari oporteat, intra Urbem imperari jus non sit.* Rationem autem edicendi exercitus indicat Livius lib. 39. *Majores vestri* (inquit ibi Sp. Posthumius Consul) *ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus edictus esset, aut plebi Concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex Magistratibus ad concionem vocasset, forte temere coire voluerunt.* Ex quibus patet, comitia centuriata haberi solita, *exercitu indicto*, *loco inaugurato*, *extra Urbem*, *Urbisque Pomœrium*.

Locus igitur centuriatis comitiis destinatus erat *Campus Martius*. De quo Livius ita scribit: *Ager Tarquiniorum, qui inter Urbem ac Tyberim fuit, consecratus Marti, Martius deinde Campus fuit.* Hunc campum reperio apud Agellium *lib.* 6. *cap.* 7. Accæ Laurentiæ fuisse, datumque testamento Populo Romano, vel, ut alii volunt, Romulo. Quamvis etiam dicant aliqui, eum a Caja Tarratia Virgine Vestali populo Romano donatum; propter quem amplissimos honores populus ipsi habuerit. Eum sibi Tarquinii usurpaverant: quibus ejectis Populo restitutus est, adjecta consecratione.

In hoc Campo Martio centuriata comitia semper habita reperio: nisi quod judicium Manlii e Campo Martio translatum est in lucum Petilinum, ut a conspectu Capitolii averterentur oculi Populi, quo liberius de conservatore ejus judicaret, ut scribit Livius *lib.* 6. Hunc Campum Cicero 4. *Oratione in Catilinam*, Consularibus auspiciis consecratum appellat: quia imperii Consularis auspiciis omnia fere peragebantur, quæ publice in eo Campo fieri solebant. *Nicolaus Gruchius lib.* 1. *cap.* 5. Pratum, ut scribit Dion, equis, & juventuti exercendæ accommodatum. In eo delectus fiebant tempore tumultus: & clari viri post mortem cremabantur.

CAP. V.

Quo tempore celebrata fuerint comitia centuriata?

TEmpus comitiis centuriatis, ut & aliis, præfixum, erant *dies comitiales*: qui per omnes anni menses erant sparsi. Nullus enim mensis apud Veteres Romanos, in quo non fuerint quidam dies Comitiales. Ut vero melius intelligatur, quid sint Dies Comitiales, verba Macrobii adduco ex 1. Saturn. c. 16. *Numa ut in menses annum, ita in dies mensem quemque distribuit: diesque omnes aut festos, aut profestos, aut intercisos vocavit. Festi diis dicati sunt; profesti hominibus ad administrandam rem privatam publicamque concessi: intercisi deorum hominumque communes sunt. Festis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ: profestis fasti, comitiales, comperendini, stati, præliares: intercisi in se non in alia dividuntur. &c. Fasti sunt, quibus Prætori licet fari tria verba solemnia,* DO, DICO, ADDICO. *His contrarii sunt nefasti. Comitiales sunt, quibus cum populo agi licet. Et fastis quidem lege agi potest, cum populo non potest: Comitialibus utrumque potest. Comperendini, quibus vadimonium licet dicere. Stati, qui judicii causa cum peregrino instituuntur.* Hæc ille. Ex quibus hoc primum constat, *dies Comitiales* non eos fuisse, in quos pro arbitrio comitia Magistratus edicerent, sed certos quosdam eos dies fuisse, jam inde a Numæ instituto, quibus solis cum populo agi posset. Erant igitur *comitiales dies*, illi dies in fastis populi Romani descripti, quibus comitia haberi possent. Hoc enim est quasi cum populo agere: nam rogari populi suffragia nisi Comitiis non possunt.

COMITIA *legibus ferendis*, aut *judiciis habendis*, certum anni *tempus* non requirebant. Neque idem semper tempus observatum fuit *Magistratibus creandis*. Siquidem consules inibant aliquando Calendis Sextilibus Consulatum, quorum comitia tunc habita fuissent mense Junio aut Quintili. *Livius lib.* 3.

Tempore autem belli Punici secundi, consules Idibus Martiis consulatum inibant, usque ad annum V. C. 601. quo tempore plerumque comitia habita mense Januario & Februario. Anno vero V. C. 601. consulatum iniverunt calendis Januarii, quod deinceps servatum est.

Post *consulum comitia*, sequenti die, aut proximis, vel eodem quandoque habita comitia *Prætoribus* creandis.

Censorum vero paulo post, ubi consules iniissent Magistratum, idque quinto quoque anno, qui simul ubi designati essent, ad Capitolium deducti, insignia sui Magistratus capiebant, & in leges jurabant: quod in consulibus & Prætoribus non observabatur, nisi interregnum esset, aut in demortui locum quis sufficeretur.

CAP. VI.

Quid ante comitia centuriata fieri solitum?

1 COmitia centuriata ex *Auctoritate Senatus* fieri oportebat: ut docet Dionys. Halicarn. *l.* 9. ubi etiam notat *discrimen* hoc inter *comitia centuriata, curiata, & tributa*: quod priora ut rite celebrarentur, flagitarent Senatus Auctoritatem; tributa vero non flagitarent. Ac primis quidem temporibus, post habita comitia Patres Auctores fiebant, id est, ea quæ

A Populus suis suffragiis jussisset, confirmabant. Postea vero id jus Senatui ademptum est, & institutum, ut antequam comitia haberentur, in incertum comitiorum eventum, Patres Auctores fierent. Livius passim, præcipue *lib.* 8. Cicero *pro Plancio*. Appianus *lib.* 1. *bell. civil.* qui latam a Cornelio Sylla notat legem, qua cavebatur, *ne quid referretur ad Populum, quod ante a Senatu decretum, confirmatumque non esset*: atque addit, *Veteri lege* id cautum fuisse. Requirebatur itaque in comitiis centuriatis primum, ut Patres Auctores fierent, id est, ut juberent aliquem comitia illa edicere. Jubebant autem id plerumque

B Senatusconsulto.

2 Patribus jam Auctoribus factis & comitia probantibus, vel *ut Magistratus crearentur*, vel *leges ferrentur*, vel *judicia exercerentur*; Edicto dies indicebatur Populo, quando conveniendum esset. Hoc autem *Edictum in tabula* scriptum prostabat publice per *Trinundinum*, id est, tres nundinas continuas: ut homines, qui nono die ex agris in Urbem veniebant, ex edicto cognoscerent, quis futurus esset dies comitiorum, *Agellius lib.* 13. *cap.* 14. Tempus tamen illud sæpe coarctabatur, si postularet necessitas, quemad-

C modum docet Livius *lib.* 24. In extraordinariis quoque Magistratibus tantum temporis intercedere non poterat: quemadmodum fiebat, si *Interreges* comitia habituri erant; Interregis enim imperium quinque tantum erat dierum, & poterat secundus Interrex comitia habere, ut supra dictum. Quod si consules Urbe abessent, tunc Edicta comitiorum mature præmittebant ex itinere, vel Prætori, ut eorum nomine ediceret, imperabant.

3 Si centuriata comitia *Legum ferendarum* causa essent celebranda, tum Legislator, vel alius, Orator, concioni convocatæ legis necessitatem, & utilitatem, ostendebat: si Populus probaret,

D publice affigebatur, & Populi judicia subibat per Trinundini spatium, *quo fieret potestas legis probandæ vel improbandæ omnibus qui vellent*: ut docet Dionys. *lib.* 10. Idem & Livius *lib.* 3. notat de Legibus Decemvirorum. Subornabant autem Legislatores unum vel plures, qui legem Trinundino finito ferendam suaderet. Hinc Oratio Ciceronis *Legis Maniliæ Suasoria*: hinc etiam *Legis Agrariæ Dissuasoria*. Nam & dissuadendi legem dabat Magistratus potestatem illis, qui vellent.

4 In *suadendo & dissuadendo* solemnia fuere verba recepta. Ex. gr. *Oppiam censeo. Vos quod faxitis, deos omnes fortunare velim*. Livius lib.

E 34. Vel, *omnium rerum causa vobis antiquandas censeo istas rogationes: quod faxitis, deos velim fortunare*. Videndus idem Livius *lib.* 7. & 10. In hujusmodi autem *Suasoriis & Dissuasoriis*, aliisque id genus, Populum alloquebantur Veteres hac voce, QUIRITES. Strabo lib. 5. *Hinc*, inquit, *Quirites appellare solent Romanos, qui Orationem habent ad Populum*.

5. In *Judiciorum* quoque comitiis Promulgatio Judicii servabatur, & toto Trinundini tempore ter accusatio apud Populum iterabatur. *Cicero pro*

F *Domo sua*.

CAP. VII.

Qui ritus in ipsis comitiis centuriatis observari soliti?

PRimo, qui habiturus erat comitia, adhibito augure auspicari intra Pomœrium Urbis in arce, vel alio loco, debebat: Nulla enim comitia centuriata haberi poterant, *nisi Auspicato*, id est, captatis ante auguriis. Quorum in his co-

mitiis duo erant genera: *Observatio de cœlo*, & *avium inspectio*. Videndus hic Agellius *lib.* 13. *c.* 14. *In edicto Consulum, quo edicunt, qui dies comitiis centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua:* NE QUIS MAGISTRATUS MINOR DE COELO SERVASSE VELIT. Præter illum Dionys. *lib.* 2. Cicero *lib.* 2. *de Legibus, & l.* 2. *de Divinat.*

Cæterum si augur, aut major Magistratus obnunciaret, se de cœlo servasse, id est, si adversa auspicia nunciaret, (minor enim non potuit in his comitiis, ut ex cit. loco Agellii colligitur) tunc eo die comitia non habebantur. Eodem modo *Candidati*, præsente augure, auspiciis utebantur, supplices facti Diis.

2. Auspiciis (quæ prima luce captari solebant) succedebant *Sacra quædam legitima*, quæ ante comitia fieri oportebat a Magistratibus, ut docet Dionys. *lib.* 7. & 10. Immolabant enim hostias; quod in omnibus publicis actionibus Romæ solemne erat.

3. Auspiciis jam captatis, peractisque Sacris, is qui habiturus erat comitia, Urbe egressus *Tabernaculum capiebat*, comitantibus eum omnibus civibus armatis, sub signis, & suis centuriis, ut Dionysius docet *lib.* 7. Dio *lib.* 37. Posterioribus vero temporibus non omnes cives armati in Campum conveniebant: sed tantum præsidii gratia paucorum hominum exercitus imperabatur, qui *in Janiculo monte* excubias ageret, donec peracta essent comitia. Tabernaculum autem capiebat, veluti Dux exercitus, is qui habiturus erat comitia. In quo capiendo tanta adhibebatur cura, ut si peccatum in ea re esset, tota comitiorum actio vitiosa & inauspicata censeretur. Vitium autem committebatur, si, priusquam Pomœrium transgrederetur, auspicia aut non consuluisset, aut adversa se obtulissent. Quod si aliqua causa Consules in Urbem eo die retraheret, aliud Tabernaculum, priore derelicto, capere debebant.

4 Si cœptis jam comitiis *Tonitru supervenisset*, tunc ea dissolvebantur. Item, si in ipsis comitiis *morbo Herculeo* correptus quispiam repente concidisset, dirimenda erant. Unde ille morbus dictus est *comitialis*, quemadmodum docet Serenus Sammonicus his versibus:

Et subiti species morbi, cui nomen ab illo,
Quod fieri nobis suffragia justa recusat.
Sæpe etenim membris acri languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Franc. de Mendoza, Paulus Merula, Rosinus, Demsterus.

5 Cum nihil ex prædictis impediret, conveniebat Populus in Campo Martio. Ibi Magistratus, qui comitia edixerat, habebat Concionem: qua præter alia nominabat *Candidatos*, qui honores petebant, causasque præsentium comitiorum exponebat. Ac si *Magistratuum* essent comitia, rogabat Populum, ut ex iis Candidatis, quorum haberi rationem oporteret, crearet Populus quos vellet, Consules, Prætores, Censores, &c. Postquam autem tabellaria lex lata, tantum eorum Candidatorum ratio habebatur, qui in tabulis signati erant.

6 Si *Legum* essent comitia, primo lex recitabatur a Præcone, quam Scriba subjiciebat. Tum Oratione docebatur Populus, denique rogabatur, ut eam legem accipere, & suffragiis suis jubere vellet. Habebantur etiam Orationes *Suasoriæ* & *Dissuasoriæ*.

7 Idem Ordo servabatur in *Judiciis*. Judicium enim Populi lege lata fiebat; quam si Populus probaret, damnabatur reus; si antiquaret, absolvebatur.

8 Proponendi & rogandi formula in his, & omnibus actionibus publicis cum Populo, erat: VELITIS JUBEATIS QUIRITES. *Discedere* dehinc Populus in suas centurias jussus ad suffragium ferendum: idque Populus faciebat, nisi quis obnunciasset, vel intercessisset, ex Consulibus, Prætoribus, aut Tribunis.

CAP. VIII.

Quo Ordine suffragia inita, & an voce vel tabulis tulerint?

ORdo in suffragiis ferendis non idem semper fuit observatus. Primis quidem temporibus atque adeo sub rege Servio Tullio, *dignitatis centuriarum habitam fuisse rationem*, docet Dionysius *lib.* 5. ita ut primæ classis centuriæ primo loco suffragia ferrent, reliquæ deinde sequerentur. Mutata republica, & libera, omnes centuriæ in sortes conjiciebantur, & quæ prima educebatur, prima suffragium inibat, & *Prærogativa* appellabatur. Deinde reliquæ vocabantur, quæ dicebantur jure vocatæ. Mittebantur autem centuriæ in suffragium quadam verborum solemnitate, quam talem fuisse, tradit Livius *lib.* 31. ITE IN SUFFRAGIUM BENE JUVANTIBUS DIIS, ET QUÆ PATRES CENSUERUNT, VOS JUBETE.

Cæterum dupliciter suffragia fuerunt inita, primo *Voce*: quod erat dicere suffragia. Erant enim in quavis centuria rogatores, qui ex singulis quærerent sententias, quas palam etiam singuli proferebant. In quam autem partem plures ejusdem centuriæ homines inclinassent, ea totius centuriæ sententia censebatur: quam deinde Rogator per Præconem enunciari jubebat.

In comitiis *Magistratuum* rogabantur singuli, quem vellent Magistratum creari: & tum nominatim singuli appellabant, quem vellent. Ejus suffragii formula videtur fuisse: HUNC, vel ILLUM CONSULEM NOMINO, vel DICO; ut videre est apud Livium *lib.* 10. & pluribus aliis locis.

In *Legibus* accipiendis, respondebat voce Populus, si probaret, UTI ROGAS, q. d. ita volo, uti rogat Legislator. Si nollet accipere, utebatur hoc verbo, ANTIQUO, q. d. quod rogatur, veto ne fiat.

Eadem verborum solemnitas locum habebat in comitiis *Judiciorum*. Nam voce, ANTIQUO, absolvebatur reus: per verba, UTI ROGAS, condemnabatur.

Postquam autem Lex Cassia, quæ dein *Tabellaria* dicebatur, lata fuit, *Tabellis* suffragia dabantur, in hunc modum.

In comitiis *Magistratuum*, omnium *Candidatorum* nomina, quorum haberi rationem volebant, Tabellis inscribebantur: unde tot unicuique de populo Tabellæ dabantur, quot erant *Candidati*. Brevitatis autem causa non integra Candidatorum nomina in Tabellis scribebantur; sed primæ tantum litteræ nominis cujusque. *Cicero pro domo sua.*

In comitiis *Legum* ac *Judiciorum* duæ tabellæ dabantur; in quarum una scriptæ litteræ V. R. id est, *uti rogas*. In altera A. id est, *Antiquo*. Priore Populus accipiebat Legem, & condemnabat Reum: posteriore vero repudiabat Legem, & absolvebat Reum. Hæ autem tabulæ dabantur Populo in comitiis ab iis, qui *Diribitores* appellati, hoc ordine.

Sortitione facta *de Prærogativa*, Magistratus

in Tribunali, quod itidem in Campo Martio, sedens vocabat per Præconem centuriam prærogativam ad suffragium. Hæc vocata discedebat in septum quoddam prope tribunal, quod *Ovile* dictum; locus erat cancellis conclusus, in quem interim nemo alius intrare audebat. In hoc Ovile, seu septum, centuria prærogativa ire per *Pontes* debebat, vias admodum angustas, & ex tabulatis opere tumultuario excitatas. In pontis initio stabant *Diribitores*, qui tabellas singulis ministrabant. Ingredientibus in Ovile, Rogatores cistam proponebant, in quam conjicerent eam, quam vellent, tabulam. Collectis unius centuriæ suffragiis, iis educendis *Custodes* adhibebantur, quorum munus erat describere suffragia, ut ea Centuriæ sententia renunciaretur, in quam ex tabellis plurium suffragia inclinarant.

In *Magistratuum* Comitiis ille Consul, aut Prætor, aut Censor, aut rex Sacrorum renunciabatur, cujus nomen frequentius in tabulis scriptum reperiretur. Si paria hic essent suffragia, nemo renunciabatur, & quasi nihil actum esset, aliarum Centuriarum suffragia postulabantur.

In *Legum* comitiis, si plures reperirentur tabellæ, in quibus scriptum erat V. R. pauciores vero in quibus A. ab ea centuria legem juberi renunciabatur: & contra. Si paria essent suffragia, tum ejus centuriæ sententia nulla pronunciabatur. Præterquam in *Judicio Perduellionis*, ubi in paribus Reus absolvebatur. In favorem enim reorum absolvisse censebatur centuria, quæ non condemnarat, *Dionysius lib.* 7.

Cum Prærogativæ centuriæ suffragium palam renunciatum esset, tum ea ex Ovili discedebat, & prima Equitum centuria, post singulæ centuriæ primæ classis ordine ad suffragium ferendum vocabantur.

Si interim appareret, tot jam centurias vel jussisse legem, vel antiquasse; aut hunc vel illum Consulem fecisse; aut reum absolvisse vel condemnasse, ut reliquas omnes vincerent; cessabatur ab ulteriore suffragiorum rogatione. Si autem non consensissent; tot sequentium classium centuriæ vocabantur, usquedum plures jussissent, vel damnassent. Plura de his Nicolaus Grucchius *de comitiis lib.* 1. Sigonius *de jure antiquo veterum Roman.* Onuphrius *in Imperio Rom.* Rosinus *lib.* 6. *Antiq. Rom. cap.* 14.

CAP. IX.

Quid post comitia centuriata factum?

IN Legum comitiis, Magistratus, post dinumerata suffragia, legem vel acceptam vel antiquatam pronunciabat, Populumque ita domum mittebat.

In *Magistratuum* comitiis, designatus Magistratus, ante sæpius per Præcones pronuntiatus, jam iterum ab eo, qui comitia habuerat, solemni formula renunciabatur: ut videre licet apud Ciceronem *pro Muræna*. Ita Consules designati cum maxima frequentia & gratulatione, necessariorum imprimis, domum deducebantur. Testatur idem Cicero *Orat.* 2. *in Verr.* his verbis: *Hortensius Consul designatus reducebatur a Campo cum maxima frequentia & multitudine*. Nec multo post: *Propinquis, necessariisque ejus, qui tum aderant, verbum nullum fecit*. Hæc de comitiis centuriatis; nunc ad Tributa transeamus.



LIBER TERTIUS DE COMITIIS TRIBUTIS.

CAPUT I.

Quid sint tributa comitia, & quid tribus?



RIBUTA COMITIA perinde a *Tribubus* nomen habuerunt, ut a centuriis centuriata: quod scilicet non modo tributim divisus Populus suffragium ferret, sed etiam, quid plures Tribus juberent aut vetarent, spectaretur. Erant autem Veteribus *Tributa comitia, cum ex regionibus & locis, hoc est per Tribus, suffragium ferebatur*. Agellius *lib.* 15. *c.* 27. Hæc comitiorum seu definitio seu descriptio ut plenius intelligatur, quærendum ante omnia, quid *Tribus*, a quo institutæ, quomodo lapsu temporis auctæ. Tribus igitur erant *quædam populi Romani partes distinctæ locis in urbe diversis, & regionibus undique circum urbem per Italiam dispersis*: sic appellatæ, quemadmodum docet Asconius Pædianus III. in Verr. vel *a Tributo* dando, vel quod initio *tres* tantum essent *Tribus*, unde etiam, qui iis præerant, *Tribuni* nominati. Quis *Auctor primus* Tribuum fuerit, variant inter se Veteres Scriptores. Dionysius lib. 2. Auctorem Tribuum nominat Romulum, his verbis: *In tres partes divisa universa multitudine, singulis præclarum aliquem virum ducem præposuit; deinde unamquamque rursum in X. partitus, totidem fortissimos viros eis præfecit. Has Curias, illas Tribus vocare voluit*.

Quæ Dionysii opinio videtur veritati maxime consentanea, cum ob alia, tum vero ob nomina Tribubus imposita.

Quarum prima *Ramnensis* dicebatur, a Romulo. Secunda *Tatiensis* vel Titiensis, a Tito Tatio Sabinorum rege, qui a Romulo prælio victus, ab eodem in Urbem Romam & imperii societatem receptus est. Tertia *Lucerum*, a Lucumone vel Lucretino, ut quidam volunt: vel denique a Luco Asyli, ad quem multi confugientes civitate donati fuerunt: Quæ est sententia *Plutarchi in Romulo*.

Ramnenses igitur fuerunt, qui cum Romulo primo Urbem condiderunt, pastores scilicet Albani, & aliquot Græcanici generis, qui ante Urbem conditam ea loca tenuerunt: atque hi omnes habitarunt Palatium & Cælium montes. *Tatienses* fuerunt Sabini, & quotquot ab ea regione vel cum Tito Tatio, vel postea venerunt: hi coluerunt Capitolium & Quirinalem. *Luceres* dicti sunt cæteri adventitii, ut Hetrusci, Ardeates, Latini, & perfugæ omnes, qui ad Asylum confugerant: hi tenuere loca inter Palatium & Capitolium plana, atque circum forum. *Rosinus antiq. Rom. l.* 6. c. 15.

A Permanserunt vero hæ Tribus usque ad Tarquinii Prisci tempora. Aucta siquidem Urbe ex convenis, profugis, & devictis populis, cum ternarius Tribuum numerus non sufficeret, eas duplicavit, & sex numero Tribus constituit, sub iisdem nominibus, ut monitus erat ab Augure Nævio; ut esset *prima Ramnensis & secunda: prima Tatiensis & secunda: prima Lucerum & secunda*.

Servius deinde Tullius sextus Rex Romanorum, duobus Collibus Viminali & Exquilino inclusis Pomœrio, totam Urbanam multitudinem *in quatuor partes*, secundum loca habitationum distribuit: quas *a Tributo Tribus* appellavit, non habita ratione Tribuum Romuli. Nomina vero his dedit a locis, ubi habitarunt, appellans *Suburanam, Palatinam, Esquilinam, & Collinam*; easque *Urbanas Tribus* esse voluit.

B Idem postea Servius universam multitudinem *rusticam in quindecim Tribus* divisit. Earum nomina, *Romilia, Lemonia, Pupinia, Galeria, Pollia, Voltinia, Æmilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, Veturia, Claudia*. Sic sub Servio fuerunt universim Tribus XIX. qui numerus mansit usque ad annum U. C. 258. Eo enim additæ duæ adhuc Tribus, *Crustumina & Vejentina*: sic XXI. Tribus factæ.

C Anno dein 366. ex novis civibus quatuor Tribus additæ, *Stellatina, Tromentina, Sabatina, & Arniensis*, ut jam XXV. essent. *Livius lib.* 6.

Rursus anno U. C. 395. *Pomptina, & Publilia* fuit addita. Idem Livius *lib.* 7. & sic constituerunt Tribus XXVII.

Deinde Anno 421. Publ. Philo & Sp. Posthumius Censores, duas Tribus, ob novos cives, Superioribus addiderunt, *Metiam & Scaptiam*.

Iterum Anno U. C. 435. duæ Tribus, *Ufentina & Falerina*, fuerunt adjectæ. Anno vero 454. rursus duæ, *Aniensis & Tarentina*.

D Tandem Anno 512. duæ Tribus, *Velina, & Quirina*, additæ, numerum expleverunt XXXV. Qui numerus ad extrema usque Reipublicæ Tempora integer mansit. De singulis breviter seqq. cap.

CAP. II.

Divisio Tribuum: & quæ Tribus Urbanæ?

E TRibus olim divisæ fuerunt in *Urbanas & Rusticas*. In *Urbanis* primis temporibus erant, qui Urbem incolerent: in *Rusticis*, qui in agris habitarent, & eos colerent more agricolarum. Ita *Tribus* nil aliud erat, quam *pars Urbis vel agri Romani*.

Tribus Urbanæ, in quas Servius Tullius Urbem diviserat, quatuor erant:

I. *Suburana*, sic dicta, teste Varrone *lib.* 4. *de ling.*

ling. lat. quod sub muro terreo carinarum esset, vel ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe. Alii a pago Sucusano, Sucusanam vocant. Hæc Cælium montem, & circum adjacentia loca complectebatur. Paulus Manutius *in scholiis ad 8. librum Epist. Ciceronis ad Famil.* existimat de ea locutum fuisse Ciceronem *in Orat. 2. Agraria*. Plinius *lib. 18. cap. 3.* Dionysius *lib. 4.* Florus *in Epit. Livii libro 20.*

II. *Esquilina*, dicta est ab Esquiliis. Esquiliæ autem, ut Varro *lib. 4. de lingua lat.* testis est, secundum quosdam ab excubiis regiis, secundum alios, quod excultæ a Rege Tullio essent, sic dictæ sunt. Meminerunt hujus Tribus iidem, qui Suburanæ, Dionysius *lib. 4.* Plinius *lib. 18. cap. 3.* Florus *in Epit. Livii lib. 20.*

III. *Collina* Tribus dicta est, ut scribit Varro *lib. 4. de ling. lat.* a collibus, Quirinali & Viminali, in quibus sita erat. Meminit ejus, præter Superiores, etiam Josephus *lib. 14. c. 17.* his verbis: *L. Caponius L. F. Collina*.

IV. *Palatina*: denominata hæc Tribus est, Autore Varrone *lib. 4. de ling. lat.* a Palatino monte, quem cum Foro & Capitolio obtinebat. De qua sic Cicero *Orat. 4. in Verrem*. C. CLAUDIUS C. F. PALATINA. De ea porro Plinius *lib. 18. c. 3.* Dionys. *l. 4.* Florus *in Epit. Livii lib. 20.*

Hæ itaque sunt quatuor Urbanæ Tribus, in quas quanquam ab initio conjecti Nobiles omnes fuissent; postea tamen paulatim se subduxerunt, & in rusticas relati sunt, cum forensi turbæ, & tenuioris fortunæ hominibus Urbanas reliquissent.

CAP. III.

De Tribubus rusticis, & primo quæ a locis traxerunt nomina.

TRibus omnes rusticæ, quemadmodum & urbanæ, initio a locis, in quibus collocatæ fuerant, nomina acceperunt; nam quod a familiis quædam earum nomina habeant, id non sub Servio Tullio, sed postea factum est.

V. Inter has primum locum obtinet *Romilia*, quæ sic dicta est, quod sub Roma sit, teste Varrone. Sext. Pompejus sic ejus meminit: *Romilia Tribus dicta, quod ex eo agro censebatur, quem Romulus ex Vejentibus ceperat*. Ex quo loco Onuph. *lib. 2. Com. Reipubl. Rom.* colligit, hanc Tribum eam agri Romani partem obtinuisse, quæ in Tuscia prope urbis mœnia inchoans, secundum flumen, usque ad maris ostia trans Tiberim extendebatur. Meminit ejus etiam Cic. Orat. 2. Agraria: item 2. in Verrem: *Fortem virum ex eadem familia Q. Verrem Romilia*.

VI. *Lemonia*. Sex. Pomp. Festus: *Lemonia Tribus a pago Lemonio appellata est, qui est a porta Capena, via latina*. Cic. ejus meminit Phil. 9. *Ser. Sulpitius Qu. F. Lemonia Rufus*. Et in Orat. pro Planco: *Quid cum Lemonia Planco?*

VII. Tribus *Pupinia*, ut scribit Sext. Pompejus dicta ab agro Pupinio, qui in Latio cis Tiberim ad mare vergens, haud longe ab Urbe erat, ut videre est apud Liv. *l. 26.* Meminerunt ejus Cælius epist. ad Ciceronem: *C. Lucretius C. F. Pup. Jur.* & Cic. ad Q. Fratrem: *C. Nerius Pupinia*. Valerius etiam Maximus *lib. 4. c. 4.* his verbis: *Illi etiam prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut Consules fierent, voluptatis causa sterile, atque æstuosissimum* Pupiniæ solum versabant.

VIII. *Galeria*: incertum, unde dicta. Putat Onuphrius *lib. 2. comment. Reipub. Rom.* a Galeso flumine Tusciæ Galesam primum, postea vero Galeriam appellatam. Memoria ejus extat apud Livium lib. 27. *Galeria juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Q. Fulvium & Q. Fabium Consules dixerat*. Plinius lib. 7. cap. 48. *M. Mutium M. F. Galeria Felicem* commemorat.

IX. *Pollia*: de hujus quoque origine dubitatur, a quo sc. loco nomen acceperit. Meminit ejus Livius lib. 8. *Tribus omnes, præter Polliam, antiquarunt legem in Tusculanos latam*. Meminit etiam Valerius Max. *lib. 2. c. 4. & lib. 9. c. 10.*

X. *Voltinia*, etiam a loco aliquo sic dicta, sed quo nescitur. De ea Cicero *pro Plancio* aliquoties mentionem facit.

CAP. IV.

De Tribubus ab illustribus familiis nominatis.

SErvius Tullius omnibus Tribubus a se institutis nomina dederat a locis: progressu vero temporis plurimæ aliunde a magnis Viris aut familiis appellari voluerunt. Atque hinc fit, ut plurimum antiquæ appellationes ignorentur, ac nova tantum a familiis ipsis indita nomina apud Scriptores reperiantur. Id quod de sequentibus novem Tribubus, quæ familiarum nomina habent, sentiendum est.

XI. *Claudia* tribus: hæc cum vetus esset, aliudque nomen a loco proculdubio haberet, a gente Claudia in eam relata novum nomen assumpsit. Cum enim Actius Clausus, cui postea Appio Claudio nomen fuit Romæ, Regillo e Sabinis profugus, magna cum clientium manu, civitate donatus esset, Tribui huic nomen dedit. Testibus Livio *lib. 2.* & Dionysio *lib. 5.* Meminit ejus etiam Virgilius *lib. 7. Æneid.*

Claudia nunc a quo diffunditur & Tribus & gens.

XII. *Æmilia* seu Aimilia, nomen sortita est a clarissima Æmiliorum familia, quæ Romæ fuit celeberrima. De qua Tribu Livius lib. 38. sic meminit: *Rogatio perlata est, ut in Aimilia Tribu Formiani ac Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent*. De eadem Cicero *ad Atticum lib. 2.* ita mentionem facit: *Formianorum Tribum Æmiliam*.

XIII. *Cornelia*: ipsa quoque a nobilissima gente Cornelia nomen obtinuit. Meminit ejus Livius eodem loco, ubi Æmiliæ.

XIV. *Fabia*: & hæc Tribus a gente Fabia, quæ in eam relata fuit, nomen obtinuit. De qua Suetonius *in Augusto c. 40.* *Fabianis & Scaptiensibus Tribulibus suis die Comitiorum singula millia nummum a se dividebat*. Item Horatius l. 1. Epist. 6.

Hic multum in Fabia valet, ille Velina.

XV. *Horatia*: hanc aliqui inter primas illas a Servio institutas referunt; postea nomen a clara Horatiorum gente accepit. Paulus Manutius eam novies in lapidibus nominari scribit.

XVI. *Menenia*, nomen habet a gente Menenia, quæ primis Reipublicæ temporibus floruit, testantibus Livio, Dionysio, & Cassiodoro. Aliqui legunt *Mentina*, sed corrupte. Meminit ejus etiam Cicero *Epist. famil. l. 13. Epist. 9.* his verbis: *P. Rupilius P. F. Men.*

XVII. *Papiria*. Et hæc Tribus a gente Papiria nomen accepit: cujus Livius *lib. 8.* Dionysius, ac alii, & inter recentiores *Richardus Streinius* meminerunt.

XVIII. *Sergia*: quæ & ipsa a gente ejusdem nominis appellationem obtinuit, de qua *Richar-*

dus Streinius. Q. Asconius Pædianus *in Ciceronis Orat. pro Cornelio* ejus ita meminit: *Sergia & Quirina damnaverunt*.

XIX. *Veturia*: a gente Veturia, quæ ante Vetusia dicta fuit, vetere relicto, nomen accepit. De qua Livius *lib.* 36.

Et hæ sunt novendecim illæ Tribus, quas Servius Tullius instituit. Nunc de reliquis.

CAP. V.

De aliis Tribubus, a Variis, & vario tempore additis.

NOn repetam hic, quo tempore, & a quibus institutæ fuerint sequentes Tribus; cum supra cap. 1. id jam ostenderim: sed ad ipsas statim progrediar.

XX. *Crustumina*, sive Clustumina, nam in antiquis & lapidibus & libris sæpissime, per L, scripta legitur; dicta est a Thuscorum Urbe Crustumina, teste Pompejo Festo. Meminit ejus Livius *lib.* 42. & Cicero *pro Plancio, & Balbo*.

XXI. *Vejentina*, dicta est a Veiis, vel ab agri Vejentini parte. Cicero pro Planc. *Quid Plancio cum Lemonia? quid cum Vejentina?*

XXII. *Stellatina* nomen habet a Stellate agro Thuscorum. Ejus meminit Livius *lib.* 6.

XXIII. *Tromentina*, a Campo Tromento in Thuscia sic dicta. Meminit ejus Livius *lib.* 6. ubi Stellatinæ. Sex. Pomp. & in lapide Cajetæ legitur: *L. Attilio L. F. Tromen.*

XXIV. *Sabatina*, tribus a Lacu Sabate dicta ita Sext. Pompejus. Sabatis autem lacus in Thuscia fuit, atque nostra ætate appellatur Anguillaria. Etiam hujus meminit Livius *lib.* 6. Onuphrius *lib.* 2. *Comment. Reip. Rom.*

XXV. *Arniensis*. Hæc tribus in vetustis monumentis & Arnensis & Arniensis appellatur: quæ passim in Narniensem se transformavit, cum *Arniensem* legendum sit. Dicta autem est ab Arno Tusciæ amne. Meminit ejus Livius *lib.* 6. & *lib.* 29. his verbis: *C. Claudius Nero censor ex tribu Arniense*. Cicero in Rullum: *a Suburana usque ad Arniensem*. Valerius Max. *l.* 2. *c.* 4.

XXVI. *Pomptina*, nomen accepit ab agro Pomptino, de quo Livius *lib.* 7. Sextus Pompejus Festus Pontinam hanc tribum appellat, & ab Urbe Pontia sic dictam scribit, quæ urbs fuit in Volscis. Meminit etiam hujus Tribus Cicero *Epist.* 4. *ad Atticum*, & 8. *Epist. fam.*

XXVII. *Popilia*, vel *Poplilia*, & *Publilia*, unde nomen acceperit, dubitatur. Scaliger in Festum docet, nominatam a Popilia fœmina: alii a loco, vel a Viro, hoc nomen accepisse autumant. Meminit hujus tribus, præter Livium *lib.* 7. & Festum, Valerius Max. *lib.* 9. *cap.* 10.

XXVIII. *Mæcia*, seu *Metia*, Auctore Sex. Pompejo, a quodam castro Mæcio prope Lanuvium appellata est. De hac Tribu meminerunt Livius *lib.* 6. & *lib.* 29. Cicero *ad Atticum lib.* 4. & *pro Plancio*. Valerius Max. *lib.* 2. *cap.* 4.

XXIX. *Scaptia* Tribus nomine Scaptiæ Urbis in Latio appellatur. Meminit ejus Suetonius *in Augusto cap.* 40. Sext. Pompejus Festus, Livius *lib.* 8.

XXX. *Ufentina*, quæ & *Oufentina*, sic dicta a fluvio Ufente, qui est in agro Privernate, inter mare & Tarracinam. Sext. Pompejus Festus *in lit. V.* Livius *lib.* 9. Lucretius: *Priverno Oufentina venit fluvioque Oufente*.

XXXI. *Falerina*, ab agro Falerno in Campania sic nominata. De ea Livius *lib.* 9.

XXXII. *Aniensis*, ab Aniene fluvio in Sabinis dicta. De hac Tribu mentionem facit Livius *lib.* 10. Cicero *Epist. fam. lib.* 8. & *pro Plancio*.

XXXIII. *Terentina*, dicta a Tarento, qui locus putatur fuisse in Campo Martio. De hac Cicero *pro Planc.* Item *Epist. fam. lib.* 8. *M. Oppius M. F. Terentina*.

XXXIV. *Velina* Tribus a lacu Velino dicta, qui est in Sabinis, non a Velia urbe Lucaniæ. Meminit ejus Cicero *lib.* 4. *ad Atticum*. Idem in Bruto: *T. Annius Velina*. Persius *Sat.* 5. Horatius *lib.* 1. *Epist.* 6.

Hic multum in Fabia valet, ille Velina.

XXX. *Quirina* tribus, a Curensibus Sabinis videtur appellationem traxisse. Sex. Pomp. Fit ejus mentio a Cicerone Orat. pro Quinctio: *L. Albius Sex. F. Quirina*.

Hæ sunt triginta quinque Tribus, in quas Populus Romanus universus, tam Urbanus quam Rusticus, fuit dispertitus; quarum aliquam necesse erat, cujuscumque esset ordinis, civis Romanus obtineret. Et quando hæ Tribus convocatæ, Tributa comitia vocabantur: de quibus deinceps agendum. Quod vero præter enumeratas, aliæ quoque reperiantur Tribus, videlicet, Papia, Ocriculana, Camilla, & plures aliæ; Carolus Sigonius, & Onuphrius Panvinius putant ea esse nomina XXXV. Tribuum: sed multas earum duobus fuisse aliquando nominibus insignitas, altero loci, altero familiæ, easque ab aliis hoc, ab aliis vero illo fuisse appellatas. Quemadmodum etiam tres ex veteribus illis postea fuerunt ab Augusto, Vespasiano, & Trajano, Julia, Flavia, & Ulpia vocatæ. *Rosinus lib.* 6. *Antiq. Rom. cap.* 15.

CAP. VI.

Ob quas causas potissimum habita Comitia Tributa?

POpulus Tributim cogebatur, seu comitia Tributa fiebant, quatuor præcipue ob causas: I. Ad *creandos minores Magistratus*. II. Ad *Sacerdotes in Collegia coptandos*. III. *Ad leges ferendas*. IV. Ad *judicium exercendum*. De singulis ordine pauca dicam.

Quoad primam causam notandum, *Magistratus* illos, qui his comitiis creabantur, fuisse *minores*, eosque partim *Urbanos*, partim *Provinciales*: Urbanos autem vel *ordinarios*, vel *extraordinarios*. *Urbani*, iique Ordinarii, erant omnes minores Magistratus, qui singulis annis ad suum munus Ordinarium in Urbe obeundum, a Populo Tributis comitiis creabantur: ut, *Tribuniplebis*, *Ædilesplebis*, *Ædilescurules*, *Quæstores*, *Triumviri Capitales*, *Triumviri nocturni*, *Triumviri, auro, argento, ære flando, feriundo*, *Tribuni militum*.

Tribunos & *Ædilesplebis*, cum primo curiatis comitiis crearentur, post legem a Volerone Tribunoplebis latam, *ut scilicet plebeii Magistratus Tributis Comitiis fierent*, his comitiis semper creatos fuisse, testantur Livius *lib.* 2. Dionysius *lib.* 9. & alii.

Ædiles autem *Curules* his comitiis creatos fuisse, ex Agellio *lib.* 6. *cap.* 9. constat. Idem etiam Livius *lib.* 9. extremo habet, Cn. Fluvium a factione forensi, quam Appius Claudius Censor in omnes Tribus diviserat, Ædilem Curulem factum.

Quæstores his comitiis creatos testantur Livius *lib.* 4. & alii Scriptores. Quin & Cicero *lib.* 4. & *lib.* 7. *Fam. Epist.* 30. *ad M. Curium*.

Triumviros Capitales iisdem comitiis fuisse fa-

ctos, notat idem Cicero Oratione pro Cluentio, qua dicit, *Q. Manilium his Comitiis Triumvirum Capitalem creatum*.

De *Triumviris nocturnis* legendus Livius *lib.* 9. extremo.

De *Triumviris* A. A. Æ. F. F. item de *Tribunis militum*, obscurum non est, eos Tributis comitiis creatos fuisse: non tamen omnes. Duo enim fuerunt genera Tribunorum militarium, ut notat Livius *lib.* 7. & Asconius Pædianus *in Verr.* quorum alii *Rufuli* appellabantur, alii *Comitiati*. *Rufuli* in exercitu ab Imperatoribus vel Belli ducibus; *Comitiati* vero Romæ Tributis comitiis creabantur. Atque hi Magistratus *Urbani minores & Ordinarii* fuerunt.

Extraordinarii erant *Præfecti annonæ*, *Duumviri navales*, *Quæstores* sive *Quæsitores Parricidii*, & alii, quos paucis ostendam.

De *Præfectis annonæ* Livius lib. 4. *Postremo perpulere Plebeii haud adversante Senatu, ut L. Minutius Præfectus annonæ crearetur*.

De *Duumviris navalibus* mentionem facit idem Livius *lib.* 9.

De *Quæstoribus* sive *Quæsitoribus Parricidii*, testantur leges, Manilia apud Sallustium, & Varia apud Asconium, quibus decernebantur de certis quibusdam criminibus quæstiones, ad quas exercendas ipsi legumlatores simul Populum rogabant, ut Quæsitores designaret.

Quin & *Duumviros*, quibus cura esset *ædes sacras locandi, ædificandi, consecrandi & restituendi*, his Comitiis factos fuisse a Populo, pluribus locis testatur Livius, & præter hunc Cicero *Orat. pro Domo*.

Addit alios minores extraordinarios, qui his comitiis creari soliti, ut *Quinqueviros turribus murisque reficiendis*, lib. 25. *Triumviros & Quinqueviros Mensarios*, *lib.* 7. & 23. *Triumviros sacris conquirendis, & donis persequendis*, lib. 25. *Triumviros Juvenibus ad militiam conquirendis*, l. 23.

Item omnes *Curatores extraordinarii* negotiorum variorum, & *viarum extra Urbem*. Item *Triumviri deducendis coloniis, aut agris dividendis*. Agellius lib. 13. cap. 14.

Provinciales Magistratus, qui his comitiis creabantur, erant *Proconsules*, *Proprætores*, *Proquæstores*. Quorum tamen his comitiis creatio ita restringenda, ut intelligamus, eos his creatos fuisse, si extra ordinem Provinciæ iis mandarentur.

Secunda causa comitiorum Tributorum fuit *creatio Sacerdotum, & in Collegia cooptatio*: non tamen omnium. Erant enim, qui a Collegiis suis cooptabantur, ut *Salii, Luperci, Fratres Arvales, Sacerdotes Galli, & Sodales Titii*. *Vestales* a Pontifice Maximo: *Rex Sacrorum* centuriatis: *Flamines, & Curio Maximus*, curiatis comitiis creabantur. Solus autem *Pontifex Maximus* ante legem Domitiam Tributis comitiis fiebat. Post hanc vero, qua Sacerdotum subrogandorum jus a Collegiis ad Populum translatum est, etiam *Pontifices, Augures, Feciales, Septemviri epulonum, & Quindecimviri sacris faciundis*, his comitiis creari cœpti.

Nicolaus Grucchius *lib.* 2. *cap.* 2. *de Comitiis*, Paulus Merula, & Rosinus.

Tertia causa fuit, *ob leges ferendas*: non omnes tamen, sed quas Tribuniplebis ferebant, quæque ab ipsa plebe Plebiscita appellabantur. *Nam Plebiscita erant*, inquit Justinianus l. 1. Instit. tit. 2. *quæ plebs plebejo magistratu rogante ferebat*. Hinc omnia *plebiscita*, omnes *rogationes de pace* (nam bella centuriatis comitiis indicebantur) *de iis qui solverentur Legibus, de Triumpho per populum decernendo, de donanda alicui civitate, &c.* his

A comitiis pertractata fuerunt. De quibus videri potest Livius *lib.* 24. 30. & 33.

Quarta denique causa erat, *Judiciorum exercitium*. Judicia autem hic intelligenda sunt, non *Capitalia* (hæc enim centuriatis comitiis fiebant) sed *pecuniaria*, quæ mulctæ indicendæ causa exercebantur. Testatur Livius plurimis locis, præcipue *lib.* 4. 25. 34. 43.

CAP. VII.

De Personis, quæ his comitiis adfuerunt, & de candidatis Magistratuum minorum.

B TRiplicis generis Personæ, quemadmodum in centuriatis, etiam hic considerantur: I. Quæ jus habuerunt comitia Tributa celebrandi. II. Propter quas habita comitia. III. Quæ tulerunt suffragia.

1 *Jus Comitia hæc habendi* competebat *Dictatoribus, Consulibus, Prætoribus, Tribunis militum, & Tribunisplebis*.

Et quidem *Tribuniplebis* his comitiis creabant alios *Tribunos & Ædilesplebis*: quemadmodum perspicue docet Dionysius *lib.* 6. Livius *lib.* 3. pluribusque aliis locis.

C Competebat autem hoc jus Tributa habendi comitia *Tribunisplebis*, non omnibus simul, sed *quibus sors illud dederat*, ut legere est apud Livium *lib.* 3. Quin etiam munus illud adsignabat alicui Tribunorum *non solum Sors, sed aliquando etiam Collegarum consensus*. Cujus rei exemplum est apud eundem Livium *lib.* 3.

Reliquos minores Magistratus creabant his comitiis *Consules, & Dictatores*. Illi enim comitiis hisce *Quæstores* creabant: teste Cicerone *lib.* 7. *Famil. Epist. ad Curium, & Oratione in Vatinium*. Item *Ædiles Curules*: quemadmodum testatur idem Cicero *Oratio pro Plancio, & ad Atticum lib.* 4. Livius etiam *lib.* 6. scribit, *primo Ædiles Curules a Dictatore creatos*. Quod item etiam de Tribunis militum consulari potestate sentiendum.

D Quod ad *extraordinarios Magistratus* attinet, eos creandi Consulibus, Prætoribus, & Tribunisplebis jus fuit, ut ex omni historia patet.

Sacerdotum comitia Tributa penes Consules erant, post legem Domitiam.

Legum, Judiciorumque comitia habent ii, quibus jus erat agendi cum populo, *Consules*, scilicet, *Prætores*, & *Tribuniplebis*.

E 2 Comitiis Tributis *jus suffragii ferendi* habebant omnes cives Romani per Tribus XXXV. distributi, non solum qui Romæ domicilium habebant, verum etiam qui in Coloniis, Municipiis, & Provinciis; modo jus civitatis Romanæ consecuti essent cum jure suffragii. Nam cum pleno jure suffragii simul etiam Tribum accipiebant, in qua suffragii ferendi jus haberent. Legendi Livius *lib.* 38. Agellius *lib.* 15. *cap.* 27.

3 Præter has personas oportebat comitiis his Tributis Magistratuum adesse *Candidatos*: & quidem, cum Tribuni & Ædilesplebis creandi essent, tantum plebejos. Nulli enim Patricio licebat hunc Magistratum capessere, ut habet Livius *lib.* 4. Hinc aliqui Patricii, quo possent ad talem Magistratum pervenire, ad plebem sese curarunt traduci, ut Clodius.

F *Quæsturam* tam Patricii quam Plebeii ambire poterant, dummodo haberent ætatem lege definitam, decemque stipendia fecissent, aut non essent infames ab aliquo judicio. Candidati *Tribunatus militaris*, si Equites essent, decem stipendia; si pedites, quinque vel sex facere debebant.

In *Sacerdotum* comitiis Candidati etiam adesse debebant: quamquam absentium quoque, & non petentium ratio haberi potuerit. Sacerdotes autem media ex parte *Patricii*, & media ex parte *Plebeii* esse debebant. Ex una quoque gente vel familia duo in eodem Collegio Sacerdotes esse non poterant. *Pontifex Maximus* non nisi ex Pontificum Collegio sumi poterat: quod pluribus probat Grucchius. Atque hæc de Candidatis.

In *Judiciorum* comitiis, præter eos, qui comitia indixerant, & suffragia tulerant, etiam oportebat adesse accusatores, & reos cum Advocatis, Patronis & Sordidatis.

De Diribitoribus, rogatoribus, custodibus, præconibus, quorum munus fuit non tantum Tributis, sed etiam centuriatis comitiis interesse, supra dictum est.

Cap. VIII.

Quo loco, & Tempore habita comitia Tributa?

Comitiis Tributis non erat unus destinatus locus. Quare modo in *Campo Martio*, aliquando in *Comitio*, interdum in *Capitolio*, nonnunquam in *pratis Flaminiis*, vel *Circo Flaminio* habebantur. Quia religio non erat, extrane, an intra Pomærium haberentur.

In *Campo* quidem *Martio* celebrata fuisse Tributa comitia, non solum Magistratuum creandorum, sed etiam legum ferendarum, & judiciorum exercendorum causa, multa extant veterum testimonia. Præter alios, Cicero *lib.* 1. *Epist.* 1. *ad Atticum*. Et *lib.* 7. *Epist.* 30. *ad Famil.*

In *Comitio* celebrabantur potissimum legum & judiciorum comitia. Testis est Cicero *pro Rabirio Posth.* Agellius *lib.* 1. *cap.* 1.

Quod in *Capitolio* nonnunquam habita fuerint Tributa comitia Magistratuum creandorum, legum ferendarum, & judiciorum exercendorum, testantur Plutarchus *in Gracchis*, Appianus *lib.* 1. *belli civil.* Livius *lib.* 25. *&* 45.

Quod denique in *Circo Flaminio*, seu pratis Flaminiis, probatur ex Livio *lib.* 3. *& lib.* 27. Plutarcho *in Marcello*. Fuit autem hic locus in Urbe, sic dictus, quod circum Flaminium campum ædificatus esset; vel a Consule Flaminio, qui ad Thrasimenum lacum occisus est, in quo ludi Apollinares, Equestresque celebrabantur. Bartholomæus Marlianus *l.* 6. *cap.* 3.

Tempus his comitiis, quemadmodum & curiatis & centuriatis, consecratum, erant omnes *dies Comitiales*. Hoc tamen addito, nisi quis nominatim, ut aliis etiam diebus cum populo agere sibi liceret, legem tulisset, ut Clodium fecisse docet Cicero *pro Sextio*. comitialibus igitur diebus ordinarie comitia Tributa habebantur. Certo vero anni tempore non omnia peragi poterant. Nam legum, judiciorum, & extraordinariorum Magistratuum comitia non habebant certum anni tempus, sed pro necessitate publica, aut Magistratuum voluntate, variis temporibus fiebant.

Ordinarii vero Magistratus ad finem mensis Julii, & ingressum Augusti, nisi obnunciatione vel intercessione differrentur, creabantur. Ac Tribunorum quidem & Ædilium plebis comitia prima erant. *Cicero lib.* 1. *Epist.* 1. *ad Atticum*. Inde Consularia, & Prætoria, mox Ædilium Curulium, post Quæstorum, denique Tribunorum militum. *Cicero Orat.* 2. *Verr.*

Nulla autem comitia ante primam diei horam inchoari poterant; idque legibus prohibitum fuisse, docet Dio *lib.* 39.

Cap. IX.

Quo ordine, & modo Comitia Tributa celebrata fuerint.

Indicebantur primum hæc comitia, quemadmodum & curiata & centuriata, ab aliquo Magistratu, qui ea habiturus erat, idque utplurimum *Trinundino* antequam essent habenda. Testantur passim veteres Scriptores, ex quibus constat, plerosque ritus, qui in centuriatis, observatos etiam fuisse in comitiis Tributis.

2 Tributa tamen comitia *non auspicato* habebantur. Quod docet diserte, præter Livium, Dionysius lib. 9. *Tributa vero*, ait, *inconsulto Senatu, nullis auspicibus adhibitis, una die peragebantur a Tribulibus*. Quæ tamen non de omnibus auspiciis intelligenda sunt; sed de duobus tantum, *avium inspectione*, & *tripudiorum animadversione*. Nam *observatio de Cœlo*, cum ad omnia comitia adhiberetur, in Tributis etiam observabatur: non enim habebantur, qua die servatum esset de Cœlo; parendum siquidem erat obnunciationi, ut multis docet Cicero in Vatinium. Vide etiam Sigonium lib. 1. de antiquo jure civium Rom. c. 7. & hæc est causa, quod Veteres Scriptores aliquando notent, vitio creatos Tribunos aut Ædiles plebis, aliosque minores Magistratus, quod, quo die creati essent, fulgurasset aut tonuisset. Non igitur ante Tributa comitia aves inspicere, aut tripudia observare necesse erat; tantum servabatur de Cœlo, num tonaret, vel fulguraret. Nunc de horum Comitiorum modo.

3 Ipso Comitiorum die, Magistratus qui comitiis præerat, Concionem habebat, qua quid faciendum esset, an minores Magistratus creandi, an leges ferendæ, an judicia exercenda, docebat. Ea peracta populus in Tribus suas discedebat, quemadmodum centuriatis in centurias, curiatis in curias.

4 Inde *Sortitiones* fiebant, quæ erant variæ. Omnium prima erat, in qua Tribu Latini suffragium ferrent. Testatur Livius lib. xxv. *Testibus datis, Tribuni populum summoverunt, Sitellaque illata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent*. Latinis enim, fœdere cum iis icto, data fuit potestas ferendi suffragii, si quando tempore comitiorum Romæ essent. Data, inquam, Latinis hæc potestas anno Urb. Cond. CCLXI. Sp. Cassio II. & Posthumo Cominio Coss. Probant ex variis Scriptoribus, & limitant, Nicolaus Grucchius *lib.* 2. *de comitiis cap.* 4. & Car. Sigonius *lib.* 1. *de antiquo Jure Italiæ c.* 4. Prima igitur Sortitio pertinebat ad Italos, in qua nimirum tribu suffragium ii essent laturi. Altera Sortitio fiebat inter Tribus, quo scilicet ordine quæque earum suffragium esset latura. Hic omnium Tribuum nomina *in Cistellam* conjiciebantur, & quæ prima exierat, prima ferebat suffragium & prærogativa appellabatur; & sic de aliis Tribubus, prout unaquæque illarum ex cista exibat, ita scripta ordine ferebat suffragium, usque ad ultimam Tribum. Legendus Appian. lib. 1. *bell. Civil.*

5 Sortitione facta, *Tribus ad suffragium ferendum vocabatur* a Præcone, jubente magistratu. Vocata Tribus de loco ubi consistebat, per pontes ibat *in septum vel ovile*, de quo in explicatione comitiorum centuriatorum. In pontis initio stabant *Diribitores*; qui tabellas populo ministrabant. Aderat statim *Rogator* Magistratus, qui Cistam deferebat colligendis per Tribus suffragiis: ut docent *Auctor ad Herenn. lib.* 1. *Cicero* 1. *de natura Deorum*, *Asconius in Cornelianam*, *& Suetonius*

in Cæsare. Aderant item *Custodes*, quorum munus erat animadvertere, ne quid in ferendis suffragiis fieret fraudis.

6 Colligebantur autem suffragia *Viritim*, id est, omnes qui ex eadem Tribu erant, rogabantur: & quum tota Tribus suffragium dixisset, sententiæ numerabantur, id est, tot puncta in tabella notabantur, quot tabellæ similes reperiebantur: & in quam plures consensisse videbantur, ea Tribus illius *sententia renuntiabatur*. Videndus plane Grucchius *lib.2. cap.4.* Hæc in genere observabantur in Tributis comitiis: addam specialia quædam.

A

7 Si Magistratuum creandorum gratia Tributa hæc comitia erant indicta, *tot tabellæ dabantur, quot erant Candidati*, quemadmodum in centuriatis comitiis dixi. Quia vero XXXV. erant Tribus, oportebat Candidatum, *ut a majore populi parte creatus diceretur*, habere XVIII. Tribus suffragantes. Docent hæc passim Livius, & alii.

B

8 In legum comitiis eadem omnino, quæ in centuriatis observabantur. In Judiciorum etiam comitiis, nemo, nisi prædicta die, ut inquit Cicero *pro Domo*, accusabatur. Magistratus enim tribus nundinis ter reum accusabat, & mulctam irrogabat: trinundino absoluto, quarta accusatio fiebat a Magistratu. Tum demum reus sordidatus, barba & capillo promissis, producebatur in forum, comitante magno amicorum, item atratorum numero. Ibi reus pro rostris vel suis verbis vel amicorum se defendebat: quo facto populus in suffragium mittebatur, Tabellas habens duplicis generis, unam UTI ROGAS, condemnatoriam; alteram, ANTIQUO, absolutoriam.

9 Post dicta suffragia, eadem omnino fiebant, quæ in Centuriatis. Magistratus creati renunciabantur, & a frequenti populo domum deducebantur. Leges jussæ & latæ publicabantur, id est, ut docet Corn. Tacitus XI. *Annal. Æreis tabulis per fora & templa figebantur*. Rei damnati illico prædes dabant solvendæ mulctæ, alioquin in vincula deducebantur a Magistratu. Livius lib. 38. in Historia L. Scipionis Asiatici, & Agellius *lib. 7. c.19.*

Talis erat apud Veteres Romanos comitiorum ratio, stante & florente Republica. Amissa libertate, varie habita.

Nunc paucis ostendam, qualis illa sit in Imperio nostro Romano-Germanico.



LIBER QUARTUS DE COMITIIS IMPERII ROMANO-GERMANICI.

CAP. I.

Comitiorum Imperialium definitio, & divisio.



OMITIA sunt conventus Ordinum Imperii (auctoritate Cæsaris, cum Electorum consensu) indicti, ad aliquid sciscendum, decernendumve reipublicæ causa. *Bertram. de Comit. conclus.* 8. *Hermes Fascic. Jurispub. cap. ult. n.* 5. Explicatur.

Dicitur 1. *Conventus*; quod verbum loco generis est: ad omnia enim pertinet, de quibus negotii contrahendi, transigendique causa conveniunt, qui inter se agunt. *Ulpian. l.* 1. *§.* 1. *ff. de pact.* Differentia consistit in reliquis verbis, quibus excluduntur omnes alii conventus, quibus vel Connubia, vel Uniones, aut Confœderationes, vel etiam Confraternitates inter Principes aut alios contrahuntur, *Arumæus de Comit. cap.* 1. *n.* 21.

Dicitur 2. *Auctoritate Cæsaris*; ex quo colligitur, comitiorum indictionem Imperatori tanquam capiti Imperii reservatam esse; adeo, ut sine ejus concessione, etiam prætextu publicæ salutis, sic convenire non liceat. *l.* 1. *de Colleg. l. Conventicula. C. de Episc. & Cler.*

Dicitur 3. *Cum Electorum consensu*: indicit enim comitia Imperator, non generali Edicto, sed speciali, singulis Imperii statibus transmisso. *Limnæus lib.* 9. *c.* 1. *n.* 23. Verum non nisi de consensu Electorum, secundum leges Imperatori in Electione dictas. Et quidem si priorum Imperatorum, Caroli Magni ejusque Successorum, antiqua tempora respiciamus, satis constat, hanc convocandi potestatem nullis vinculis constrictam fuisse; sed Imp. Status suos & Proceres convocasse, sine requisito ullo consensu alieno; idque sequentibus aliquot temporibus perduravit. Cum autem aliqui Cæsares non raro pro libitu, non ita urgente gravi necessitate, Status convocarent, bella obtenderent, tributa exigerent, placuit hac in parte Imperatoris potestatem restringi: & Capitulationi Caroli V. insertum est, quod non liceat Conventum, nisi de consensu Electorum, indicere. Quæ clausula ab eo tempore recepta, & recessibus etiam Imperii inseri solita est. *Hermes Fasc. Juris pub. cap. ult.* Ideo antequam diem futurorum comitiorum edicat Imperator, Electores singulos per litteras consulere solet. *Paurmeist. de Jurisd. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 20. Per hoc autem Majestati nihil cedere, contra Bodinum 1. *de rep. c.* 8. ostendit Arumæus *de Com. cap.* 3. *n.* 20. *& seqq.*

Id tamen, quod de Electorum consensu dictum, sic intelligendum; necesse quidem esse, ut omnes requirantur: nam si unus negligeretur, hujus

A præteritio plus comitiis, quam multorum contradictio obesset. *Arg. c. Venerabilem c. bonæ memoriæ, extr. de Elect.* Non tamen, ut omnes consentiant, sed sufficere majoris partis adsensum: Pars enim major minorem ad se trahit. *Armæus de comit. c.* 3. *n.* 36.

An vero Electoribus instantibus, Imperator teneatur, etiam invitus, comitia indicere, disputat Sluter. *animadvers. in Hippol. a Lapide part.* 1. *cap.* 15. *sect.* 2. *§.* 3.

2 DIVIDUNTUR COMITIA in Universalia, & Particularia. *Universalia* sunt, quibus Universi Principes & Status Imperii conveniunt. *Particularia*, quibus pars Principum convenit: *Arum. de comit. c.* 2. *n.* 2. *Paurmeister de Jurisd. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 5. Quorum vetustissima sunt, quibus Rex vel Imperator Electorum votis eligi solet. De quibus Onuphrius Panvinius in peculiari libro *de Comitiis Imper.* latius agit.

CAP. II.

Ob quas causas, & a quo indicantur hæc Comitia?

1 CAUSÆ, quæ Imperatorem ad indicenda comitia permovere debent, sunt, *necessitas*, *utilitas*, *salusque Imperii*. Levi vero ex causa nunquam Imperator comitia indicit, nec indicere potest; cum ejus examinatio Electoribus subjaceat, qui nunquam permissuri sunt, extra necessitatis utilitatisve casum, comitiis terminum locumque assignari. *Limnæus de jure publ. lib.* 9. *cap.* 1. *n.* 21. *&* 22.

2 INDICIT COMITIA Universalia solus *Imperator*, cui tanquam capiti Imperii hoc reservatum esse dignoscitur, adhibito ex legibus Capitulationis Electorum assensu, litteris ad singulos ordines missis. Ejus quippe proprium est, de rebus ad Rempublicam pertinentibus, consilio Procerum Conventus agere. *L. Humanum. C. de LL.* Et sunt, qui comitiorum indictionem ad jura Majestatis referunt, *Clapm. lib.* 1. *c.* 14. *de arcan. rerump.* quorum ductu soli Imperatori eadem cogere, & Status convocare permissum erit. Siquidem jura Majestatis ad instar puncti divisionem non recipiunt, adeoque Imperatoris personæ cohærent, ut nec volens iis se abdicare, aut alium in consortium vocare possit. *Arumæus de Comitiis cap.* 3 *num.* 2.

3 Quod si vero Imperator ultra Alpes sit aut ad bellum profectus, indictio comitiorum Regi Rom. competet: cum hic Imp. perpetuus sit Vicarius. Licet enim præsente Imperatore Regis Rom. potestas quiescat, & Rex Imperatorem dominum suum appellare soleat, prout & Imperatorem titulo Majestatis veneratur, cum una & summa Majestas sit in Imp. cujus intuitu aliis non Majestatis sed Regiæ dignitatis titulus tribuitur: aliud ta-

men est, si Imperator absit; tunc enim Rex Rom. omnia jura Imperatoria exercere potest, adeo ut etiam comitia indicere possit. *R. I. Spirens. anno* 1532. Cum vero Imperator fatis concedit, non existente Rege Rom. cura indicendi comitia, necessitate flagitante, ad Imperii Vicarios spectabit. *Arum. de comit. c. 3. n. 52. Hermes Fasc. Jurispub. c. ult. n. 11. & 13.*

Quoad indictionem igitur comitiorum, nota has regulas:

I. Antequam Imperator indicit comitia, singulorum Electorum consensum requirere debet, per litteras & Legatos. *capit. Ferd. III. art.* 13.

II. Electores singuli requisiti ab Imperatore, si illis comitia haberi videtur esse ex usu & utilitate Imperii, authographo & sigillo quisque suo consensum singillatim præbent. Hoc ex stylo curiæ deducit Paurmeister *lib. 2. de Jurisd. cap. 2. n.* 19.

III. Ordines Imperii olim ab Imperatore ad comitia vocabantur per edictum tantum generale; postquam vero Status comparere negligerent, a Friderico III. captum fuit, unumquemque eorum specialiter ad comitia vocari litteris, vel manu exaratis, vel, temporis lucrandi causa, typis impressis. Quod posterius tempore Caroli V. & Ferdinandi I. in usu fuisse, observatum. *Limnæus in addit. ad libri 9. c.* 1. De quibus nunc specialiter agendum.

CAP. III.

De his, qui ad Comitia vocari solent.

1 Vocantur ad comitia *Status Imperii*, sic dicti, quod Statum & locum sedendi & votandi in Conventibus Imperii habeant: hac quippe unica & propria quasi nota Status ab aliis Imperio subjectis secernuntur. *Recess. de anno* 1512. *in Princip. & anno* 1576. *in princ. Arum. de comit. c. 4. n.* 1.

2 Sunt autem quidam Status, qui ad comitia quidem vocantur, attamen iis interesse non coguntur. *Limnæus de Jure publ. l. 9. c. 1. n.* 88. Sic Archiduces Austriæ tanquam Status Circuli Burgundici edicto citantur ad comitia, accedere tamen eadem non tenentur, ex privilegio Friderici II. & Caroli V. quod etiam competit Ducibus Lotharingiæ, ex transactione inter Carolum V. & Imperii Status inita Augustæ Vindel. anno 1548. *Limn. ibid. n. 89. & seq. Hermes Fasc. Jurispubl. c. ult. n.* 24. Bohemiæ vero Rex, licet primus sit inter Electores Politicos, hodie tamen ad comitia Universalia non vocatur, nec iis interest; sed tantum Conventus Electorales frequentat. *Arum. de Comit. c. 4. n.* 58. *& seq.* licet Bohemiæ regnum, cum aliis Imperio immediate parentibus Provinciis, contributiones conferre teneatur; quando enim milites vel pecuniæ aliis Ordinibus imperantur, tanquam Imperii Status & membrum, 400. Equites, & 600. pedites ad singulos menses mittere tenetur. *Goldast. de jur. regni Bohem. lib. 2. c. 14. & seq.* Ratio autem, cur Rex Bohemiæ ad comitia non vocetur, est, quia vocandus uni circulo adscriptus sit, necesse est. *R. I. de anno* 1512. Bohemia autem nulli circulo adscripta est, nec separatim undecimum Circulum constituit. *Arumæus de Comit. cap. 5. n. 45. & seqq.* Alii, *cum Limnæo*, hanc rationem tradunt, cur ab annis 200. Bohemus non legatur ullis subscripsisse Comitialibus decretis aut Recessibus. I. Quia Bohemi Superioritatem affectarunt. II. Constitutionibus Imperii se conformare recusarunt. III. Quia iidem frequenter Reges Bohemiæ fuerunt, qui & Imperatores Rom.

Non desunt etiam, qui hoc privilegii loco competere Bohemo contendunt, quod ad comitia venire non teneatur: si tamen velit, iis interesse possit. *Hermes Fasc. Jurispubl. c. ult. n.* 24.

3 Abbatissæ quoque personaliter in comitiis non comparent, sed per Legatos suos: cum pudoris leges non patiantur fœminas ejusmodi Conventibus interesse. *Gevvold. de Septemvir. cap. 7. arg. l. fœminæ. de reg. jur. Limnæus lib. 9. cap. 1. n. 105. & seq. Wilhel. Becker Synops. Juris publ. l. 4. c. 1. n.* 4.

4 Inter Ecclesiasticos Proceres ad comitia vocantur ii quoque, qui a Pontifice nondum sunt confirmati, aut Infulati. *Limnæus ibid. n.* 49.

An vero Sede vacante Capitulum ad comitia vocandum? Verius est, ut affirmemus. Ratio: quia potestas Episcopalis residet penes Capitulum. *c. Cum olim. c. His quæ. de major. & obed.* & Sede vacante Capitulum succedit tam in temporalibus, quam spiritualibus. Quod etiam observantia confirmatur: nam Recessibus se subscripserunt anno 1555. *Dechant und Capitul tu Munden.* Et anno 1559. *Probst, Dechant, und Capitul des Thumstiffts Treysingen.* Anno 1576. *Dechant und Capitul des Stiffts Balberstatt.*

5 Principes seu Status Imperii minorennes ad comitia non vocari, sed eorum loco tutores, vel Curatores, quos habent, tradit *Limnæ. lib. 9. c. 1. n.* 51. Majorennes etiam ante petitam intra annum investituram ad comitia vocari, benignius est. Inter quos primogenituræ jus viget, inter eos primogenitum, qui Ducatum solus administrat, solum ad comitia vocari, idem docet *n.* 53. Inter cæteros, ubi divisioni locus datur, si quilibet ab Imperatore de portione sua investitus sit, quilibet ad comitia vocetur. *Limnæus ibid. n.* 54.

6 Principes sive Status Imperii ad comitia vocati, si neque personaliter, neque per Legatos suos compareant, jure suffragii pro illa vice privantur. Per Legatum comparens, alleget causas idoneas, quare in propria persona adesse nequeat, quas litteris & sigillis publicis demonstrabit. *Wilhelm. Becker loco citato.*

Ac licet olim in emanentes sine gravi & legitima causa, mulcta constituta fuerit; quod etiamnum in Polonia obtinet, prout & apud Romanos, qui in Senatum vocatus non comparuerat, pignoribus captis, aliisve modis cogebatur: Et M. Antonius Consul Ciceroni, nisi in Senatum veniret, domum ejus se eversurum comminatus est: hæc tamen severitas ab usu in Germania recessit, ac receptum est, suo quemque damno emanere, & pro ea vice (ut supra dictum) suffragio privari. *R. J. de anno* 1522. *§. Und miemol. Hermes Fasc. Jurispub. c. ult. n.* 38.

CAP. IV.

De Loco, & Tempore habendorum Comitiorum Imperialium.

1 Imperii legibus certus *temporis* terminus, quando indicenda sint comitia, positus hodie non est, sed a necessitate & utilitate Imperii dependet. Habenda ergo comitia Imperii, quoties id publica utilitas, aut necessitas postulaverit. *Instrum. pacis Osnabrug. art. 8. §. Gaudeant.*

Annua ea fuisse imperante Carolo M. ex Hincmaro *Epist. 3. cap.* 29. constat: & Eugenhard. *in Vita Caroli Magni*: Sic ad publicum populi sui conventum, inquit, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur, ire, sic demum redire solebat. Et quidem ut plurimum tempus hoc Vernum

vel æstivum, utpote rebus sub dio agendis aptissimum, fuisse verisimile est; Poeta Anonymo teste, anno 782.

——— Vernalis & aura
Jucundum spirans ornaret floribus arva.

Gevvold. c. 3. n. 10. *de Septemvir. Arumæus de Com. c.* 5. *n.* 29. Sed posteriorum Imperatorum temporibus annui conventus in usu esse desierunt.

2 Ad *Locum* quod attinet, ubi celebranda comitia, variatum in Imperio videmus, & legibus & consuetudine.

Apud veteres Romanos non in Urbe, sed in Campo Martio comitia habebantur.

Sub Cæsaribus frequenter in campis sub Dio habita sunt. A Carolo Magno Moguntiam, Moguntia deinde a Friderico II. Francofurtum translata sunt, satis id annuente Q. Æmiliano, qui de comitiis Anno 1486. Francofurti habitis sic canit:

Maximus hic Cæsar solito de more vocavit
Concilium, magnis quoties de rebus habetur.
Qua gens turritam Francfordia possidet Urbem.

Bertram. de comitiis Imp. memb. 2. *th.* 21. *Limnæ. lib.* 9. *c.* 1. *n.* 30. & 31.

3 Hodie ab Imperatoris fere arbitratu pendet, quem locum comitiis Imperii destinare velit, maxime si non de primis, sed ulterioribus sermo sit: hoc solo observato, ne extra Imperii fines comitia indicat, Capitulatione ejus hoc ipsum prohibente. Absonum quippe esset, de rebus Imperii extra Imperium consultare, & quas plurimas domi comitiis peragendis commoditates habemus, apud exteros quærere. Recessu Imp. Wormatiæ anno 1527. cautum est, ut non convocentur Status ultra Augustam, nec infra Coloniam. Quod tamen ad 10. Imperii Circulos pertinere, contendit Arumæus *de com. c.* 5. *n.* 31. & *seq.* ita ut extra illos comitia celebrari non possint. Quapropter nec in Lombardia, nec Sabaudia, nec in Ducatu Mantuano, aliisve Italiæ Principatibus & Feudis ad Imperium spectantibus comitia hæc indici possunt.

CAP. V.

Quid ante Comitia Imp. fieri solitum?

1. POstquam Status, aut eorum Legati ac Nuncii, ad locum comitiis destinatum venerunt, nomina sua, & hospitii locum, ac missi mandata sua apud Cancellariam Electoris Moguntini profiteri debent, simulque ut mandatum ad acta comitiorum referatur, & in convocatione Ordinum ratio eorum habeatur, petent. Cujus formulam præscribit Arumæus *de comit. c.* 6. *n.* 3.

Quæres autem, an Status, qui nec comparent, nec Legatos mittunt, vota sua scripto transmittere possint, eorumque habenda sit ratio? ℞. Id negari de jure communi, per *c. Si quis justo.* 46. *§. Absens. de Elect. in* 6. *Bull. Aur. cap.* 4. *§. Cæterum.*

2 Legatus Electoris vel Principis apud Cæsaream Majestatem audientiam petere, absentiam sui Principalis excusare, ad Consultationem se offerre, & suam personam ad hoc clementissime acceptari petere solet. *Hermes Fasc. Jurispubl. c. ult. n.* 49.

3 Status, eorumque Nuncii, dum in loco comitiorum Cæsaris adventum exspectant, ingressum Imperatoris in Urbem sua assistentia magis honorificum & gloriosum reddere, eumque condecenti apparatu excipere solent. Qua pompa peracta, Status & absentium Nuncii ad sua hospitia, distributione Vice Mareschalli de Pappenheim ipsis assignata, redeunt. Quod Officium Mareschalli familiæ Pappenheimiæ perpetuum & hæreditarium est: ita quidem, ut, quod officium Electoris Sax. S. R. I. Archi-Mareschalli præsentis esset, hoc in absentia ejusdem præstet Vice-Mareschallus.

4 Ejusdem vero muneris alia sunt, quæ ante Statuum atque aliorum ad comitia confluentium adventum peragi, alia quæ post adventum continuari, vel demum suscipi solent. I. Diversoria Statibus, atque aliorum Legatis assignat, atque distribuit. Ubi tria consideranda veniunt: scilicet ædium electio, earum assignatio, & inscriptio nominis ejus, cui assignata. Electio a discretione Pappenheimii dependet. In assignatione iterum ejusdem observantia est, cuique Statuum, aut Legatorum, pro conditione & qualitate, hospitium commodum, quantum fieri potest, assignare. Ad Inscriptionem quod attinet, quemadmodum Pappenheimius non promiscue omnibus, sed Statibus tantum atque Magnatum Legatis hospitia assignat, ita nec omnium hospitiis inscriptiones ponit. Quodsi vero inscriptio a Pappenheimii ministris, huic negotio addictis, facta fuerit, eam si quis deleverit, de juris rigore falsi crimine notabitur. Si quis metatorum nostrorum manum, ait Imperator *in l.* 1. *C. de metatis*, qua deputatas singulis quibusque domus denotant, & postibus hospitaturi nomen adscribunt, delere non dubitaverit, ad instar falsi reus constituti hujus authoritate teneatur. Id vero tunc obtinet, quando, ut decet & moris est, inscriptio facta fuit. Contra enim, si ædes hospitum immunitate securas inscriptione notaverint, harum dominus licite eandem poterit delere: *arg. l.* 5. *C. de metatis. Limnæus lib.* 9. *c.* 1. *n.* 66. & *seqq.* II. Ad officium Vice-Mareschalli de Pappenheim pertinet, curam rei annonariæ habere, providere scilicet, ne Civitas comitiis destinata, ob adventantium multitudinem caritate annonæ prematur, sed ut rerum necessariarum adsit copia, & justo pretio omnia vendantur. Qua de re Anno 1612. Francofurti in Conventu Elect. edita est ordinatio annonaria, quæ legitur apud Arumæum *de Comit. c.* 6. *n.* 81. III. Pappenheimii curæ est, ut Curiam, in qua actus publici celebrantur, lustret, atque Senatus civitatis hortator sit, ut apparatus omnis splendidus appareat atque Augustus. IV. Ejusdem muneris est, curam securitatis publicæ suscipere, atque industrie indagare, quomodo nocturnæ Vigilum excubiæ constitutæ sint, ut die ac nocte securæ sint viæ, utque Senatus ministros hinc inde dispositos habeat, ne per incendium, irruptionem, aut intestinos motus, aliquid detrimenti civitas accipiat. V. Vice-Mareschallus indicit Statibus, qua hora dieque ad propositionem Cæsaream, atque consultationes debeant comparere. Ejusdem quoque est Status aut absentium Nuncios, postquam in Senatum venerint, monere, ut Sessionem suam occupent, & operam dare, ut Status in possessione loci & voti defendantur: Item nequis extraneus, cui hoc jus non est, in Senatum irrepat, & Secreta Conventus in hostium notitiam veniant. VI. Idem nomine Archimareschalli jurisdictionem exercet in Legatorum familiam, atque advenas. Qua de re inter ipsum & civitates, in quibus erant comitia, non leves aliquando extiterunt controversiæ. Civitates prætendebant, durantibus comitiis Jurisdictionem suam durare: econtra allegatum

gatum, quod ad Imperatoris adventum, omnis alia inferioris Magistratus jurisdictio quiescat, & quod minor judex non possit jurisdictionem exercere in præsentia majoris. Denique ad ratihabitionem Imperatoris & Saxoniæ Electoris, hæc res per Legatos Bavaricos & Wirtenbergicos transacta est an. 1614. *Limnæus lib. 9. c. 1. n. 84.* Plura *Hermes Fasc. Jurispub. c. ult. n. 54. Bertram. de comit. concl. 60.*

CAP. VI.

Quo ordine & modo comitia Imper. peragantur?

POst adventum Cæsaris, vel Commissarii, & Statuum, ac condecentem a molestiis itineris respirationem, ad *Propositionem* devenitur: quæ nihil aliud est, quam uberior quædam punctorum litteris vocatoriis tactorum narratio.

A Ante eam solet Imperator Vice-Mareschallo de Pappenheim injungere, ut singulos Status, eorumque Nuncios, certo tempore ad audiendam Propositionem convocet. (Prima quippe vice hoc Cæsari, & non Moguntino competit.) Qui etiam condicto die & hora in Palatio Cæsaris comparere, & quidem Electores, vel eorum Nuncii, in interiore Camera, Principes vero Statuumque Nuncii in Antecamera exspectare solent. *Arum. cap. 7.*

2 Quoniam vero ad omnia consilia, omnesque actus, in nomine D. N. J. C. progrediendum sit, ut Justinianus monuit, *in l. 2. in princip. C. de offic. Præfect. Prætor. Afric.* ideo ante comitiorum initium, Cæsar, aut Cæsaris Vicarius, cum Electoribus, Principibus, & Nunciis Statuum, templum accedere, & Missam de S. Spiritu audire solet, pro felici comitiorum successu. Sacris finitis, Cæsar, vel ejus Legatus, cum pompa, splendore & apparatu, omnibus Electoribus, Principibus, Ordinibus comitantibus, ad Curiam deducitur.

3 Cæsar ubi in curiam venit, solium ad hoc regaliter præparatum conscendit; Electores paulo demissius sedent. Et quidem Elector Moguntinus a dextris Cæsaris, si in ejus Diœcesibus & Provinciis, & in Archicancellariatu ejus Germanico comitia celebrentur, Coloniensi Provincia duntaxat excepta, Coloniensis vero Elector a sinistris: quod si vero comitia in Coloniensi Provincia agantur, hic a dextris, & Moguntinus a sinistris sedet. *Bur. Bull. cap. 3. §. 2.* Archiepiscopus vero & Elector Trevirensis ex opposito, & lineari directione versus Imperatoris faciem, ut loquitur *Arumæus de comit. c. 7. n. 18.* Utrumque deinde latus suo ordine Electores Politici occupant. Pro Principibus reliquis duo adhuc subsellia, duobus gradibus Cæsaris sede inferiora sunt: in quorum dextro consident Archid. Austriæ, Archiepiscopi, Magister Ordinis Teutonici, Episcopi, Abbates, & Abbatissarum Legati. In Sinistro, reliqui Principes Politici, eorumque Legati; quibus Comites, Barones, & civitatum Nuncii promiscue adstant. *Arumæus d. c. 7. num. 23. & 24. Wilhelm. Becker Synopf. J. P. l. 4. cap. 1. n. 6. Hermes d. loco n. 63.*

4 Facto consessu, quidam ex Principibus Ecclesiasticis vel Politicis, lingua patria, eisdem Cæsaris nomine gratias agit, quod edicto audientes, tanto numero comparuerint. Quem ipse Imperator gravi oratione subsequi solet, ac repetita gratiarum actione, ut causas edicti Conventus gravissimas ex promulganda propositione cognoscere & quæ ad Reip. salutem sunt necessaria, in medium consulere velint, hortatur. *Becker d. l.*

5 Cæterum forma comitiorum potissimum consistit in *Propositione*, *Consultatione*, & *Conclusione*. Proponendi jus soli Imperatori, & ei, cui hoc ab Imperatore mandatum, competit. *Lim. d. l. n. 120.* Propositio vero vel descripto, vel oretenus recitatur, aliquando ab ipso Imperatore, (ut de Sigismundo Imperat. testatur Leheman *Chronic. Spirens. l. 7. c. 76.*) vel Principe: aut Imperatore absente, ac ejus Commissario præsidente, ab ejus Consiliario. *Arumæ. de comit. c. 7. n. 26.*

B Finita propositione solet Imperator breviter Status alloqui, & hortari, ut Propositione contenta puncta diligenter examinare, & facta deliberatione suam desuper sententiam ipsi exhibere velint. Quibus dictis, Electores, Principes, Ordines & Legati consurgunt, & paululum collocuti, per Electorem Moguntinum Imperatori gratias agunt pro paterna cura, qua Imperium & ipsos complectitur, ac in omnibus, quæ ad salutem Imperii pertinere videbuntur, studia sua deferunt. Utque de rebus propositis rectius deliberare possint, exemplaria, seu copias (ut vocant) recitatæ Propositionis sibi edi submisse petunt.

C Quibus ita peroratis, Propositio Cancellario Electoris Moguntini traditur; Cæsarque surgit, & eo ordine ac Pompa, qua in curiam venit, ad palatium suum reducitur. Propositione per amanuenses in scripto ad Status perlata, ex Cancellaria Moguntina Vice-Mareschallo convocatio omnium Imperii Ordinum ad diem certum & horam præfigitur. Nec enim lecta Propositione protinus ad consultandum devenitur; sed congruens spatium & induciæ aliquæ deliberatoriæ concedi solent, quod etiam in comitiorum processu observatur. *Arumæus de Comit. c. 7. n. 37. & seqq. Becker. d. l. n. 8.*

D 6 Principes ac Ordines Imperii in locum Conventui designatum convocati, capita deliberationis eo ordine, quo proposita fuerunt, expedienda suscipiunt. Ad feliciorem vero de propositis negotiis consultationem, Status S. R. I. in tres classes se dividunt; quarum prima Electorum est, secunda Principum Imperii, tam Ecclesiasticorum quam sæcularium, Abbatum, comitum & Baronum, tertia Civitatum Imperialium.

7 Electores suum in conclave secedentes, eo consident Ordine, qui in Aurea Bulla præscriptus est. Occupatis subselliis, Moguntinus Elector per Cancellarium suum cæteros Coelectores, vel absentium Nuncios, interrogari curat, quem Ordinem circa Propositionis puncta observare velint.

E Quem ubi per consensum omnium, vel majoris partis, ipse cognovit, Directoribus Principum & Civitatum Senatus, an pari passu, ad vitandam in relatione confusionem, procedere cupiant, indicari moris est. Quamvis autem rationabile sit, Ordinem Propositionis in consultando sequi; (Cæsari quippe, ut in proponendo, quem velit ordinem punctorum constituere, præscribi non potest: ita in deliberando non temere nec facile eum invertere decet.) Propositio enim est instar interrogationis, cui responsio, quæ ex delibera-

F tione resultat, congruere debet: attamen res ea non semel acres excitavit controversias, ut videre est apud Arumæum *de Comit. c. 7. n. 62. & seqq. Herm. d. l. n. 71.* Si tamen causas rationabiles allegent, cur alio quam in Propositione servato modo consultationes instituere velint, audiendi merito videntur.

Cum igitur ad deliberationem proceditur, Moguntinus in Senatu Electorum, in quo viritim suffragia dantur, proponit, & vota suorum Coele-

ctorum colligit. Qui reliquorum sententiis exquisitis, suam ultimo loco addit sententiam, cum indicatione, quonam major pars tendat. Quo enim major pars inclinat, id pro concluso tenetur, minoremque ad se trahit. Si quis autem se profiteatur indifferentem, is majori parti reputatur consentiens, nisi aperte de contrario testetur. *Limnæus d. l. n.* 139. Moguntini vero sententiam licet olim Electores omnes requirere fuerint soliti, hodie tamen ex transactione id solius Saxonis est officium. Et hi Electores, respectu ad reliquos duos Senatus habito, unum votum constituunt. *Arumæus de Comit. c.* 7. *n.* 78. *Hermes d. l. n.* 68.

8 Alter Senatus Principum est, qui in duo divisi scamna, vel Ecclesiastici, vel Sæculares sunt: illi primum, hi vero alterum occupant. In præeminentiæ tamen signum Archid. Austriæ jus scamni Ecclesiastici concessum fuit; ita ut Archiduces Austriæ cum Archiepiscopo Salisburgensi sessionem mutent, & si Austriacus uno die primam, Salisburgensis altero die eandem tenere soleat. *Arum. d. l. n.* 87.

In hoc Collegio Principes tam Ecclesiastici quam Politici, item Magister Ordinis Teutonici, ut & Abbates Principali dignitate eminentes, Præpositi Elbangensis & Berchtesgadensis, viritim sententias dicunt, nunc unus ex Ecclesiasticis, mox ex Politicis, a Vice-Mareschallo rogati, quas Director adscribit alternative. Prælati reliqui omnes, duo tantum vota habent; unum Suevi, alterum Rhenani: prout etiam Comitibus & Baronibus in Tribus distinctis non ultra duo suffragia competunt.

Limnæus tamen *in Additionibus ad lib.* 9. *c.* 1. *n.* 143. notat, Comitibus Franconiæ anno 1641. & in comitiis Ratisbonensibus anno 1653. Comitibus Westphaliæ & inferioris Saxoniæ, peculiare votum concessum fuisse, & ita hodie quatuor Comitum vota numerari, nimirum Suevicorum, Wetteravicorum, Francorum, Westphalorum ac inferioris Saxoniæ.

Hæc vota licet per Syndicos & Commissarios frequenter dari soleant, non ideo tamen ad collegium Principum accedere, & deliberationibus interesse ipsis negatur. Et quia in hoc Collegio Senatus quandoque amplus est, nonnunquam pro comitiorum acceleratione, certus quorundam fit communi eorum placito delectus, qui vota sua, rebus diligenter & circumstantiis perpensis, litteris consignata, ceteris exhibeant perpendenda.

Proponendi atque dirigendi prærogativa hoc in Senatu inter Archiepiscopum Salisburgensem & Archid. Austriæ alternatur. Vota vero postulat & exquirit Vice-Mareschallus Pappenheimius, ut supra insinuatum. *Hermes d. l. n.* 69. *Limnæus lib.* 9. *c.* 1. *n.* 141. *& seqq.*

9 Tertius Senatus est Civitatum Imperialium ac liberarum; qui & in duo dividitur scamna, vulgo *Die Rheinische und Schvvabische Banck*. In scamno Rhenano consident Legati civitatum Imperialium tractus Rhenani, Wetteraviæ, Alsatiæ, *in der landvogtey Hagenau*, Saxoniæ & Thuringiæ. Inter quos primum locum occupat Legatus civitatis Coloniensis. In Suevico scamno primus locus civitati Ratisbonensi competit. Directorium hoc in Senatu tribuitur Civitati in qua habentur comitia: quæ muneris sui explicandi causa adhibere solet Senatorum suorum, ut & Advocatorum, vel Syndicorum ex ordine aliquos; quibus Secretarium ac duos Registratores addunt, quorum unus nomine Civitatum Rhenensis Lateris, alter Lateris Suevici, in Prothocollum refert, quæ proponuntur ac consultantur. In exquirendis votis his ordo servari solet a Directore, ut primo Legatum civitatis Coloniensis in Rhenano scamno interpellet, secundo ad Suevicum deflectat, & Ratisbonensis postulet votum, tertio iterum ad Rhenanum redeat, quarto ad Suevicum, atque ita consequenter continuata variatione, ac Director ultimo loco suum subjungat votum. *Limnæus d. l. n.* 145. *& seqq. Becker l.* 4. *c.* 1. *n.* 11.

10 Postquam negotii unius vel alterius conclusio in Electorum Senatu secuta est, eandem alteri Principum Senatui aperiunt. Quam si hic quoque approbaverit, res plana est: sin minus, nova oritur consultatio. Deliberatione peracta, iterum in curia convenientes Principes suam sententiam exponunt. Qua cognita, Electores prævio consilio indicant Principum Collegio, in quo cum ipsis conveniant, & discrepent; spe ea freti, Principes in disparibus mutata opinione suæ sententiæ adhæsuros. Qui si adhuc dissideant, utriusque Collegii disparia Imperatori, vel ejus Commissario, referuntur, per Secretarium Moguntini. His vero in disparibus perseverantibus, Civitatum Nuncii ad utrumque Senatum vocantur, & utriusque Collegii votum, non per Cancellarium sed Secretarium, vel viva voce vel ex scripto proponitur: cui relationem suam Civitates quoque adjungunt, suoque suffragio vel uni aut alteri accedunt, vel ab iisdem recedunt. Idem proponitur, si duo Collegia Electorum & Principum concordent. Ex quibus relationibus & correlationibus sæpe nascitur hinc inde in idem placitum consensus. *Hermes d. l. n.* 73. *Limnæus d. l. n.* 166. *& seqq.*

11 Consensus autem Ordinum Imperii in idem placitum fit vel in singulis classibus separatim, inter ejusdem Collegii membra; vel inter prædictas tres classes. Priori casu, si dissentiunt, major pars minorem vincit. *Reinck. lib.* 1. *class.* 5. *c.* 8. *n.* 59. *Arumæus de Comit. c.* 8. *n.* 74. *& seqq.* Nec alius fere finiendorum comitiorum modus dari potest, quam ut majoribus stetur votis. Nam si saniora minoris partis vota majoribus præferenda dixerimus, res admodum intricata erit, quænam saniora dici mereantur; & hic,

Qui velit ingenio cedere, rarus erit:

Juris inde Civilis dispositio est, ut si quid a pluribus decernendum fuerit, majoris partis consensus minori prævaleat. *l. quod major pars.* 19. *ff. ad Municipal. l. duo ex tribus.* 39. *ff. de re judic.*

De Jure quoque Canonico plurium suffragia attenduntur. *t. t. ext. de his quæ fiunt a majori parte Cap.* Prout, qui in Electorali Collegio plurium calculis eligitur, Imperator est. *Aur. Bull. c.* 2. §. 4. Idem & in reliquis Imperii negotiis obtinere, clari Recessuum Imp. textus sunt. *R. I. Trevir. anno* 1512. *Wormat. anno* 1521. *Spir. anno* 1542. *Ratisb. anno* 1576. Plura Limnæus *d. l. n.* 176. *& seqq. Hermes d. l. n.* 74. *& seqq.*

12 Secundo casu, si consentiunt omnes tres classes (non enim personarum vel ordinum, sed classium vincit numerus. *Paurmeist. de jurisd. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 45.) commune ordinum consultum per selectos quosdam Imperatori exponitur, cui si idem quoque placet, confecta res est; sin minus, tam diu inter se adductis hinc inde rationibus a Cæsare & ordinibus disceptatur, donec vel hi in Imperatoris, vel hic in illorum concedat sententiam. *Wehn. obs. pract. Verb. Reinchstage. Paurmeist. de jur. l.* 2. *c.* 2. *n.* 47.

13 Quodsi duæ vel tres illæ statuum classes, in votis ac sententiis proferendis convenire nequeant, & singulæ singulas tueantur sententias; tum res ad Imperatorem deferri, ejusque arbitrio committi solet, qui eam ex plenitudine potestatis decidit: ut sufficienter declarat *Recess.* 1544. *vers. Als unir aber in det Handlung*. Cum enim Caro-

lus V. in comitiis Spirensibus Anno 1544. Status discrepantes in concordiam redigere frustra niteretur; Status controversiam Imperatorio decreto definiendam esse censuerunt. *Wilhelm. Becker Synopf. Juris publ. lib. 4. cap. 1. num.* 14. Vide etiam, quæ dicit Herm. *d. l. num.* 82. Jacobus Lampadius ait, *Tract. de Republ. Romano-German. parte* 3. *cap.* 8. *num.* 12. Si Status convenire nequeant, solet anniti Cæsar, ut ad concordiam redigat. Eligit nonnunquam omnium Ordinum paucos, qui concilient, de quibus conveniri non potuit, Statibus vel eligendi personas, vel nonnunquam totius negotii decernendi potestatem Cæsari permittentibus. Hæc ille.

14 Quod ergo cum prævia matura deliberatione in comitiis, bonis rationibus munitum, emanavit, si Cæsaris accedat confirmatio, vim juris merito obtinebit. *l.* 1. *ff. de Constit. Princip. Hermes d. l. n.* 73. *fin. Becker d. l. n.* 13.

15 Denique cum Imperator, ex sententia *Paurmeisteri de Jurisdict. lib.* 2. & *Wehn. observ. pract. verb. Reichstage*. Semissem comitiorum habeat, altero Statibus relicto (prout & olim jus comitiorum inter Cæsarem & populum divisum fuisse, scribit Suetonius.) quorum semissis in tres sextantes pro numero trium Collegiorum subdividitur, ita ut unum Electores, alterum Principes, tertium Liberæ Imperii Civitates habeant; dubium non est, quin Imperator semisse suo, & sextante, quem Senatus ille habet, cujus sententiam amplectitur, majorem partem efficere possit. Vide Arumæum *de Comit. c.* 8. *n.* 86. *Herm. d. l. n.* 79.

Aliorum sententia est, quod in comitiis, quicquid agitur & concluditur, contractus & transactionis instar sit, inter Imperatorem ex una & Status Imperii ex altera partibus: in quo contractu vel transactione, una pars transigens sit Imperator, & altera ipsi Imperii ordines conjunctim. Ut proinde, qualis in contractibus duarum partium paciscentium vel transigentium requiritur consensus, talis etiam hic in comitiis requiratur. Hoc tamen adjecto, quod, quando ab una parte Cæsaris adest consensus, non sit simpliciter necesse ex altera parte Statuum universorum concordantem adesse consensum, sed majoris partis voluntas sufficiat, ut evenire solet de jure in pluribus consortibus, in quibus majoris partis placitum sufficit, *l.* 7. *§. fin.* & *l.* 8. *ff. de pact. Hermes d. l. n.* 80.

16 Atque in his comitiorum summa consistit. Ex quibus Jus comitiorum inter Cæsarem & Status divisum cognoscere licet: atque hinc a Cæsare, inde a Statibus, tanquam duobus inter se convenientibus, decreta fieri. Unde recte Semissem comitiorum Cæsari, Semissem Statibus tribuisse patet Wehnerum d. l.

In iis ergo negotiis, que ad comitia pertinent, Cæsar Aristocratici Imperii partem dimidiam tenet solus: dimidam Imperii proceres. Quam multa vero ad Solius Cæsaris Imperium spectant, quæ solus ac proinde Monarchice temperat: quemadmodum & jura Majestatis, & summæ potestatis sunt penes unum, & solum imperatorem, Lege Regia in eum translata, quæ nullibi revocata legitur, *Carpzovius de L. Reg. German. c.* 13. *sect.* 8. *§.* 2. *Arnisæus relect. Polit. lib.* 2. *c.* 6. *sect.* 5. *n.* 1. Unde & hodie omnium Principum & Statuum Imperii Dominus clementissimus appellatur: & ab iis Imperatori præstatur homagium, quod est fundamentum Superioritatis ex parte recipientis: ex parte vero præstantis, fundamentum subjectionis. Plura vide apud Reinck. *de regim. sæc. l.* 1. *class.* 2. *c.* 2. *n.* 52. & *seqq. Herm. Fasc. Jurispubl. c.* 3. *n.* 31.

Ex quo, Bodinum aut ignorasse miscendæ reipublicæ rationem, aut Imperii nostri Statum, (qui ex Monarchia & Aristocratia est temperatus, prævalente tamen Monarchia) calumniose traduxisse, perspectum est: *l.* 2. *de rep. c.* 26. & *l.* 4. *cap.* 1. & in *meth. histor. c.* 6. *de Statu Rerumpubl.*

CAP. VII.

De fine Comitiorum, & Recessu, ut vocant.

Restat, ut videamus, quid consultationes, atque conclusiones subsequatur, atque adeo quomodo finiantur comitia.

1 Circa hæc potissimum advertendum est, an propositæ ad deliberandum causæ sint expeditæ, aut non expeditæ. Casu quo nondum expeditæ sunt, vel ad futura generalia, vel specialia remittuntur comitia. Altero casu, quando ad consultandum proposita negotia expedita sunt, vel omnia, vel aliqua, id quod conclusum fuit, a Moguntino in formam Recessus redigitur, atque publice prælegitur Deputatis Imperatoris atque Statuum, eum in finem, ut, si opus sit, emendent emendanda, & corrigenda corrigant. Ab Imperatore ad hoc unus vel duo deputantur. Electorum quilibet unum vel duos (quibus tamen unicum votum competit.) Senatus Principum Ecclesiasticorum tres, Sæcularium totidem: Civitatum autem Scamna duos mittunt, qui ad revisionem conceptus adhibentur, ita ut Cæsarei Commissarii Votum habeant decisivum, & quod alias majori parti placet, ratum manet. Decretum vero solius Cæsaris nomine concipitur. *Limnæus d. l.* 193. & *seqq. Hermes Fasc. Jurispub. c. ult. n.* 83.

2 Secuto vero inter deputatos Cæsaris ac Statuum de formula Decreti consensu; ea in membrana in Cancellaria Electoris Moguntini describitur, ac postmodum Cæsaris & Statuum sigillis & subscriptionibus confirmatur. Modus vero sigillandi & subscribendi hic esse solet: funiculum duplicem infimæ parti membranæ transfixum, in superiore parte sigillum Cæsaris conjungit: post cujus sigillum funiculus in duos divisus manet, & in illo qui a dextro latere sigilli Cæsarei est, Ecclesiastici suum sigillum annectunt: ac primo quidem nomine Electorum Ecclesiasticorum Moguntinus, vel in ejus absentia Consiliarius ipsius, aut alius Elector Ecclesiasticus qui in sessione prior est, sigillum appendit. Secundum in latere dextro sigillum applicat Ecclesiasticus Princeps, in Sessione præcedens in secunda Statuum classe, vel eo absente in Sessione proximus. Tertio loco unus ex Prælatis sigillum apponit. A latere sinistro sigilli Cæsarei e Regione Moguntini, in altero funiculo Elector Bavariæ, vel eo absente ejus Consiliarius, aut alius Elector Sæcularis ejus nomine. Secundo loco, sigillum nomine sæcularium Principum appendit sæcularis aliquis Princeps, qui in Sessione prior est. Tertio loco unus ex Ordine Comitum Wetteravicorum, & Suevicorum, alternis vicibus, sigillum subjungit. Ultimo sigillum Civitatis Imperialis illius, in qua comitia habentur, funiculos ambos conjungit.

3 Ne vero in subscriptione aliqua oriatur controversia, Secretarius Electoris Moguntini, Electorum ac Statuum aut eorum Legatorum nomina, ordine describere solet: Ac primo quidem Electorum. 2. Ecclesiasticorum Principum. 3. Sæcularium Principum. 4 Prælatorum. 5 Comitum ac Baronum. 6 Liberarum Imperii Civitatum; ac cuique Senatui designationem eorum Imperii Statuum, qui in eo continentur, offerre, ut ipsi ordinem in subscriptione servandum, definiant. Vide *Lehem. Chron. Spirens. l.* 7. *cap.* 124. *Althus. Pol. cap.* 33. *n.* 85. His itaque peractis, Recessus a Moguntino Cancellario publice clara voce legi; ac Cæsar, Status ad ejusdem observationem hortari solet. Publicato vero Recessu, & ab Ordi-

num Amanuensibus descripto, Status, venia a Cæsare impetrata, discedunt. Vid. *Arum. de Com.c.8. n.* 108. *Becker d. l. n.* 15. Publicati Recessus duo Originalia conficiuntur, quorum unum penes Cæsarem, alterum penes Electorem Moguntinum asservari moris est: copiaque ejus ad jussum Cæsaris Cameræ Imperii, ut secundum eam processus fiant, per Moguntinum transmittitur. *Arum. ibid. n.* 104. *Limnæus d. l. n.* 226.

CAP. VIII.

De Comitiis Particularibus in Genere.

1 PArticularia comitia sunt, ad quæ, authoritate Legis publicæ, non omnes Imperii Status vocantur aut comparent, sed aliqui tantum ex iisdem. Dicitur: *Authoritate Legis publicæ*; ut excluderentur alii Statuum Conventus, ad quos privata ipsos quandoque vocat conventio atque lubentia. *Limnæus de Jure pub. lib.* 9. *c.* 1. *n.* 227.

2 Sunt autem particularia comitia in duplici differentia: in quibusdam certa tantum pars; in quibusdam vero, ex universo Ordinum Collegio, quidam selecti conveniunt.

Pars vero quæ convenit, vel est *certæ* alicujus *classis*, vel certi *loci* ac definitæ *regionis* Imperii.

Certæ Classis, est Electorum Conventus:

Certi loci ac regionis, sunt Conventus Circulorum.

Ad alterum comitiorum particularium genus, quando scilicet ex universo Ordinum Collegio *quidam* selecti conveniunt, spectant *Conventus Deputatorum*, ac *Visitatorum Cameræ* Imperialis. De singulis pauca seq. cap.

CAP. IX.

De Comitiis Particularibus in specie.

1 COnventus Electorum duplex est: *Electoralis*, & *Collegialis*. *Electoralis* est, quando propter novi Regis Rom. in Imperatorem promovendi, electionem conveniunt; & dicitur *Wahltag*: ad quem etiam vocatur Rex Bohemiæ. *Collegialis* est, quando conveniunt Electores propter alia negotia publica & privata, prout tempus & necessitas suggerit; & dicuntur celebrare *einen Churfurstentag*: ad quem Rex Bohemiæ non vocatur. Fuerunt olim Electoralia comitia annua, ut apparet ex *Aurea Bulla Caroli IV. cap.* 12. hodie vero non nisi urgente necessitate celebrantur. *Arum. de Comit. c.2. n.*28.

2 Conventus Circulorum, vulgo *Die Kreystage* sunt vel *universales*, vel *particulares*. *Universales* sunt, quando omnes decem Circuli conveniunt: videlicet 1 Circulus Austriacus. 2 Burgundicus. 3 Circulus Electoralis ad Rhenum. 4 Bavaricus. 5 Saxoniæ Superioris. 6 Franconius. 7 Suevicus. 8 Rhenensis. 9 Westphalicus. 10 Saxoniæ inferioris.

Dicuntur vero hi Conventus universales, in quantum se invicem respiciunt, alias respectu comitiorum Imperii non sunt universales.

Conventus circulorum *particulares* sunt, quando unius vel alterius tantum Circuli Status conveniunt.

Ejusmodi Conventibus partim certus datus est terminus, ordinarie annuus. Partim vero alius hisce Conventibus terminus datus non est a lege, nisi quem necessitas ipsa, aut utilitas Circulis præscribit. In his agitur de contributionibus, monetis probandis vel reprobandis, sententiarum ac mandatorum Imperialium executione, ac pace publica conservanda. *Paurmeister de jurisd.l.2. c.* 2. *n.* 182. *Matt.Steph.de jurisd.l.2.p.1.c.* 4. *n.* 48. Item de præsentandis Assessoribus Cameræ, pro ut Circuli singuli duos nominandi jus habent.

Singuli autem Circuli suos habent Capitaneos A (*Kreisobristen oder auschreibende Fursten*) e quibus Principibus regulariter unus est Ecclesiasticus, alter Sæcularis. Hi Ordines suo circulo incorporatos, certo tempore, ad certam Civitatem, suo etiam in circulo sitam, convocant. Quo ubi conventum, Legati apud eosdem, nomina & mandata sua edunt: dieque destinato Legatis in curia sedentibus, is cui indicendi jus est, proponit, singulorum sententias rogat, eo quo sedent ordine, deinde suam addit; & quod majori parti placuit, Decreti Circularis habet vigorem, dummodo res sit, quæ Circulari dispositioni subest. *Hermes Fasc. Jurispubl. cap. ult. num.* 89. Qui etiam addit, quod B unicuique circulo in sua regione incumbat, 1 Cura & defensio pacis publicæ. 2 Justitiæ executio. 3 Cura monetæ publicæ. 4 Contributionum moderatio. 5 Inquisitio de Vectigalibus, & negotia simul cujusque regionis.

3 CONVENTUS DEPUTATORUM, *Deputations-Tag*, sunt ii, ad quos ex universo Ordinum Collegio selecti conveniunt.

In comitiis primum Augustanis anno 1555. instituti sunt, ut causæ in comitiis, mole negotiorum oppletis, indecisæ, illic expedirentur: aut si de exortis in Imperio turbis, unius atque alterius circuli Capitanei se impares arbitrarentur iis C compescendis. Tunc enim rem Moguntino per litteras exponunt, cui Cæsaris nomine Deputatos convocare permissum est.

Hi deinde Francofurti coacti, nomen & mandata apud Moguntinum edunt. Cæsareus autem Commissarius, re cum Electoribus communicata, capita deliberationis scripto concepta Ordinibus in curia congregatis proponit, & singulis dat describenda. Ac licet antehac inter Deputatos paria ferendorum suffragiorum jura essent, ita ut omnes & singuli viritim, juxta ordinem Sessionis in comitiis consuetum, sententias dicerent, ac D vota majora concluderent: hodie tamen aliter servari dicitur, ita ut propositionis capitibus descriptis, in duas classes se dividant, & jus suffragiorum in duos semisses distribuatur, quorum unum Cæsaris Commissarii, alterum reliqui deputati habent. Deputatorum semissis rursus in duos quadrantes subdividitur, quorum unum Electores, alterum reliqui Principes aliique Status obtinent, tam Ecclesiastici quam Sæculares, Prælati, Comites, Civitates. Electores autem & Principes viritim sententias dicunt. *Becker d. l. n.* 19. *Hermes d. l. n.* 91. Hi Deputati cum quasi per compendium Statuum ordinem comprehen- E dant; ea, quæ ab ipsis conclusa sunt, vim recessuum Imperii obtinent. *Limnæus de jure publ. lib.* 9. *c.* 1. *n.* 239. *Arumæus de comit. c.* 2. *n.* 32.

4 CONVENTUS VISITATORUM CAMERÆ sunt delegatorum ab Imperatore & Statibus, qui Cameram Imperialem inspiciunt, & reformant, nonnunquam & revisorum partibus funguntur. Hi mittuntur Spiram, ad Judices idoneos constituendos, Cameræ item tollendas corruptelas, & ad querelas Statuum de Camera Imperiali abolendas. *Althus. c.* 33. *n.* 107. *Ordo Cam. p.* 3. *tit.* 53. *Becker d. l. n.* 20.

F Sunt autem Visitatorum Cameræ comitia fere annua, quæ Elector Moguntinus edicit. Comparent in his, Legatus Cæsaris, Elector Moguntinus, & quem ex reliquis Electoribus hic vocaverit: duo Principes; unus Ecclesiast. alter Secularis: Prælatorum, Comitum, & Civitatum nomine, singuli Legati, *Becker d. l.*

Hæc de comitiis tum Veterum Romanorum, tum Imperii nostri Romano-Germanici, compendio dicta sint ad laudem Omnipotentis, qui nos vocare dignetur ad comitia Electorum suorum.

FINIS.

FRANCISCI POLLETI DUACENSIS JC.

HISTORIA FORI ROMANI,

RESTITUTA, ILLUSTRATA, ET AUCTA

Corollariis, & Prætermiſſis, quibus ſeries affecta conficitur per Philippum Brodæum Arienſem, ejuſdem generum, Duaci, & Orchiarum Propræfectum.

PHILIPPI BRODÆI J.C.

AD LIBRUM FORUM

EPIGRAMMA.

ITo libelle foras, nec te amplius arca flagellet
Nostra, nec invitum scrinia clausa premant.
Nec fas esse diu puto te interdicere luci,
Aque foro, cum sis tu liber ipse forum.
Esto foris, te quando fori non amplius urgent,
Haudque foro debet claudier ulla foris.



PHILIPPUS BRODÆUS
LECTORI.



NON lubet hic, Lector humanissime, accusare Naturam tanquam novercam, ut Theophrastus moriens dicitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interest, hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam dedisset, quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisset, ut omnibus perfectis artibus omni doctrina hominum vita erudiretur. Hoc tamen vere cum Plinio asserere audeo acerbam semper mortem, & immaturam eorum videri, qui immortale aliquid parant: nam qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt. Qui vero posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quæ inchoatum semper aliquid abrumpat. Sed quorsum hæc? Equidem semper dolendam Soceri mortem existimavit, quod illa præventus hoc opus perficere non potuerit: hæc enim una cum vita seriem Historiæ, quam contexebat, præmature abripuit. Nec, hercle, dubitandum est, si fata vitam ampliassent, qui non modo huic operi extremam manum addidisset, sed & alia doctiora & limatiora ætate ingravescente cumulasset. Quid enim vetat ex florido vere, & spicosa æstate conjicere autumni futuri copiosam messem? Cum enim hic fere adolescentiam in variis academiis studiorum ergo peregisset, in quibus non mediocre eruditionis suæ specimen ediderat, præsertim vero in amplissimo illo Parisiorum Palladio, ubi cum publice, tum privatim docendo se per aliquot annos exercuerat frequenti corona, & magno auditorum applausu, tandem ad suos huc reversus, veluti laborum extantlatorum mercedem aliquam consequuturus, atque quasi lautioris & civilioris vitæ genus inchoaturus pientissimam matronam (ut taceam prudens alias cum animi tum corporis dotes, quia nunc socrus est mea) tum valde juvenem duxit uxorem, atque fori nostri causarum Patronus, & hujus urbis Decurio factus est. Cumque ad majora vocaretur, hunc quasi de via pergentem mors invida rapit, cum jam annum suæ ætatis XXX. vix excessisset, magno bonorum & doctorum luctu. Antiquitatis studiosissimus fuit. Meditabatur etiam quæ ad politiam & Reipub. reformationem spectabant. Quin etiam quorundam abusuum, quos in curiam Decurionum & praxim irrepsisse animadverterat, corrigendorum auctor fuit. Plura adderem, nisi domesticum testimonium elevaretur. Sunt tamen in vivis qui norunt, quanta comitate, & integritate vixerit. Cum autem alteram, quam moriens reliquerat natu majorem filiam abhinc quinquennio uxorem duxissem, mearum partium esse, & pietati convenire putavi, ut qui hæres essem bonorum & sacrorum, hunc veluti posthumum suscipere, tollere, evulgare. Primum itaque magno studio conquisitis, ac tandem inventis exemplaribus aliquot, quæ plusquam viginti annos delituerant a morte ipsius parentis collatione ad invicem (nam diversa erant) ea sic retractavimus, & sub incudem revocavimus, ut dispunctione & restitutione quorundam, hunc veluti novum ederemus, quem si ipse Socer aspiceret, vix scio an pro suo fœtu vellet agnoscere. Cum autem decursu lampada traditam ab eo putarem, historiæ telam exorsus, unde abruptum licium videbatur, sic eam continuavi, ut ordinem judiciarium usque ad sententiæ dictionem & executionem persequerer. Quin etiam ita luxuriavit calamus ut præter paralipomena, breviaria operis, librorum, capitumque, atque copiosum indicem, scholia & corollaria subcisiva subnectenda curaverim: ut taceam interim laborem, quem in conferendis auctoribus in textu laudatis cum suis fontibus insumsimus atque etiam dissimulem, quæ passim annectendo interseruimus. Quæ omnia uti candidus es Lector,

ita

ita æqui bonique consules. Siquidem hoc studui, ut aliqua ex parte tuum laborem, operamque sublevarem in evolvendis diu, multumque auctorum laudatorum voluminibus, cum fere in his COROLLARIIS capitum & librorum notæ ad faciliorem indaginem in promtu habeantur. Conveniebat etiam, ut huic operi libellum DE MENSIS VETERUM subjungeremus, quem lib. I. cap. X. pollicetur Socer, quo tibi, benigne Lector, epulum aut symposium in foro nostro apponerem, nec minus gratum nec minus lautum fortasse, quam prandium illud Saliorum, quod in maxima Martis æde foro proxima parabatur, cujus nidore captus epulo Claudius Cæsar (ut testatur Suetonius) aliquando deserto tribunali ascendit ad Sacerdotes, unaque discubuit. Verum quando quorundam malignitas nobis hoc induit bonum, de eo nil amplius dicam, ne forte nimium gulam, & orexim moveam, quam explere nunc non possum. Interim postquam recta non licet, sportulis veluti contentus foro utere. Sed lubet tabulas producere, ne quis a me excogitatum argumentum existimet, epistolam dico, quam Leodio misit Lovanium Polletus noster ad Nicolaum Andream Ariæ nunc Propræfectum, quam tanto libentius asscribam, quod Fori hujus etiam mentionem facit.



PARS LITERARUM
FRANCISCI POLLETI
AD
NICOLAUM ANDREAM ARIÆ
PROPRÆFECTUM.

Accepi libellos, quos tibi reliqueram per nuntium mittendos, simul tuum Georgium Agricolam de mensuris, pro quo habeo gratiam. Ubi absolvero epitomen ad explicandam partem mensæ veterum circa pocula & cyathos, tibi mittam exemplum, ut munus antidoro aliquo compensem. De foro meo si aliis facis copiam, vide ut non sine aliqua præfatione, fuisse nimirum ædificatum raptim, ut ipse testis es, ne quis Colophonem fastigio additum putet, esse multa addenda, corrigenda, immutanda, quod faciam ante Remigii, si Diis placet. Quod studium operamque tuam polliceris ad res meas, habeo gratiam, ego vicissim meipsum ad tuas offero, &c.



ARGUMENTA

ET

SUMMARIA LIBRORUM, CAPITUM,

& fere eorum, quæ hoc opere continentur, tum ratio ordinis concinnata brevitate a Phil. Brodæo Francisci Polleti Genero.

BREVIARIUM QUINQUE LIBRORUM HISTORIÆ FORI ROMANI.

Libro primo Forum constituitur. Secundo advocatorum corona cingitur. Tertio Judicum consessu ornatur, quibus quarto rei sistuntur, ac de publicorum praxi agitur. Quinto de praxi privatorum judiciorum, Apparitoribus Judicum, sententiis, appellatione, & re judicata tractatur.

Ratio ordinis.

Prius de publicis judiciis tractat, quia hæc, quibus de capite & fortunis anquiritur, dignitate præstantiora sunt privatis, quibus tantum de re pecuniaria agitur. Adde quod delicta & crimina, quæ in illis puniuntur, etiam tempore sunt priora obligationibus & ultimis voluntatibus, de quibus vere in his disceptatur. Licet autem dignitate personæ rebus sint præstantiores, tamen locus, & tempus, quæ primo libro constituuntur ordine quodam naturæ præcedere debuerunt.

Summarium libri primi.

Libro primo de loco, tempore, & instrumento fori, modo, ratione, & habitu dicturorum & acturorum agitur.

ARGUMENTUM.

Cap. I. Forum describit, ac dividit, & utrique foro Magistratus præficit.

II. Ubi causæ publicæ, & privatæ disceptabantur, ac de foro, theatro, basilica, & comitio.

III. De foro veteri, Julii, Augusti, Nervæ, & Trajani, ac de basilicis, & eorum situ & ornatu.

IV. De variis nominibus & locis, quibus jus dicebatur, de Præfecto Prætorio, & officio Quæstoris.

V. Ubi & unde Oratores, & Patroni causam dicebant, ac de corporis habitu, & motu, quid cognoscere ex plano, & de tribunali.

VI. De instrumento fori & forma tribunalis.

VII. De subselliis & sessionibus Judicum, Litigantium, & Testium, & instrumenti forensis conductione, & dispositione, auditorii redemtione, faventium & fastidientium gestu.

VIII. De vario dierum discrimine, ac primum de nefastis.

IX. De fastis, & diversa dierum & horarum ratione, atque de horologiis quædam.

X. De deductione, & reductione, metu, ac exordiis acturorum, & tempore agendi.

XI. De clepsydris, & earum usu probato, vel improbato, Monitoribus, Phonascis, & horarum lege, partitione temporum, & quod nox actionem dirimebat.

XII. De ratione agendi, vicissitudine, alternatione, Patronorum numero, eloquutione, hypocrisi, & discrimine orationis, actionis, declamationis.

Summarium libri secundi.

Libro secundo de iis agitur, qui in foro Reis, id est, litigantibus operam aut locant, aut commodant, mutam quidem & segnem, gratuitam aut venalem sistunt, qui generali vocabulo Advocati dicuntur.

ARGUMENTUM.

Cap. I. De Advocatis, & advocatione in genere.

II. De Cognitoribus, Formulariis, Leguleis, & Monitoribus.

III. Discrimen ponit inter Leguleos & Jurisconsultos, atque in fori Rabulas, Sycophantas, & id genus pestes genuinum figit.

IV. De Custodibus, Capsariis, Subscriptoribus, & subscriptione, Laudatoribus, & Deprecatoribus.

V. De Oratoribus, & Rhetoribus, eorum ortu, progressu, & differentia.

VI. De munere & analogia Oratorum, fori veteris majestate, & Adolescentum accusationibus.

VII. De tyrocinio, depositione Prætextæ, & sumtione virilis Togæ, & pompa, quæ fiebat, de contubernio Adolescentum, cum viris principibus, & de Prætoris edicto de postulando.

VIII. Rursus de toga, habitu, & amictu Oratorum, & veterum multa: Ciceronis versiculus explicatur, & restituitur.

IX. De Causidicis, atque iterum contra fori Latratores & rixatores invehitur, quos ita depingit, ut facile ab Oratore internosci possint.

X. De Patronis & Clientibus, clientelarum & feudorum origine & similitudine.

XI. De honorariis Causidicorum, & beneficii hostimento, de S.C. & l.Cintia contra Advocatorum sordes.

XII. De Oratorum subselliis, Actuariis, orationum retractatione, atque de recitatione.

XIII. De partibus orationis, motu, & vi Eloquentiæ, statu, & habitu Reorum, Parecbasis de spectris.

Summarium libri tertii.

Libro tertio de Magistratibus cum publicas tum privatas causas disceptantibus tractatur.

ARGUMENTUM.

CAP.I. De jurisdictione & imperio, atque utriusque accommoda exempla proponit.
II. De verbis honorariis, atque primo quæ ad articulum (do) pertinent, quæ meri imperii ait.
III. Duo alia Prætoris verba persequitur quæ ad jurisdictionem nudam accommodat, tum in postremo vulgatam lectionem corrigit.
IV. De juris speciebus, Ciceronis Nomothesia, Prætorum jurisdictione, origine, nomine & ctione.
V. De Regibus Duumviris, Tribunis, Ædilibus, & Censoribus, & de ipsorum jurisdictione.
VI. De Prætoriis insignibus, & ornamentis triumphantium, ac de variis tunicis, Curulis, & Ædilib.
VII. Divisione facta judiciorum progreditur ad eos qui jurisdictionem habent in quæstionibus, & quomodo Prætor in publicis præerat.
VIII. De judicum decuriis, & legibus judiciariis, & quomodo variatum sit in illis.
IX. Iterum de legibus judiciariis, & diversa Judicum nomenclatione, incremento, decremento variatione, & vicibus decuriarum.
X. De judicandi necessitate, & quomodo Judices hanc provinciam detrectantes cogebantur, factaque comparatione togatæ militiæ cum castrensi illius tres missiones describit.
XI. A quibus decuriæ Judicum describebantur, & ubi asservabantur, deque variis cognitionibus, quæ fiebant a Populo, Senatu, & Principe.
XII. De Disceptatoribus & Arbitris, arbitrio & judicio.
XIII. De Centumviris & causis, quæ apud eos disceptabantur, de consilio, judicio, & concilio.
XIV. Amplius de Centumviris, nominis ratione, ordine, creatione, collegio & horum quadruplici judicio, ac de Decemviris.
XV. De Recuperatoribus, quomodo & quando dabantur, de formulis recuperatorii judicii, & assertionibus.

Summarium libri quarti.

Libro quarto causis divisis, & distinctis, tandem de Accusatoribus, & Reis, atque de praxi publicorum judiciorum agitur.

ARGUMENTUM.

CAP.I. De divisione causarum, & earum discrimene.
II. De accusatoribus, Quadruplatoribus, Sectoribus, & horum hominum grege, præmio, & eliminatione ab optimis Principibus.
III. De Prævaricatoribus, & eorum pœna.
IV. De Tergiversatoribus, Mandatoribus, Emissariis, & aliis id genus.
V. De calumniatoribus, & eorum pœna.
VI. De Reis, qui causam dicere, respondere subire judicium, & defendi dicuntur, ac de incolumibus, & integris, atque de Budæi Forensibus.
VII. Accusatorium ordinem aggreditur, ac primum de delationibus, libellis, inscriptione, subscriptione, relatione, exemtione, & abolitione Accusatorum, & Reorum, nec non de Custodum appositione.
VIII. De diei dictione, interrogatoriis, & litis contestatione.
IX. De inquisitione, & legatione, ac de causa Repetundarum.
X. De variis æstimationibus litium.
XI. De ordine dicendi, & quod defensio interdum accusationem præcedebat, de partibus orationis, in fori veteris, & hujus sæculi mores digressio, quid sit indicasse Reum.
XII. De altercatione.
XIII. Altercationem dividit, ac primum de ea, quæ in denuntiandis, & interrogandis testimoniis consistit, acatalepsia, & subselliis Testium, ac dejurejurando.
XIV. De testium rejectione & elevatione, jurisjurandis variis formulis, tormentis, ac tabulis.
XV. De ampliationibus, comperendinationibus, & dilationibus causarum, & earum discrimine.

Summarium libri quinti.

Libro quinto de Praxi & formula privatorum judiciorum, & quæ amborum fere communia sunt, ratione ferendarum sententiarum, sportulis, apparitoribus, custodiis, appellationibus, & re judicata.

ARGUMENTUM.

CAP.I. De more denuntiandi litem, seu in jus vocandi, hoc est, de vadimoniis, attestationibus, Attestatis, Vadibus, Prædibus, & Supprædibus.
II. De dilationibus, & desertionibus vadimoniorum, ac de contumaciæ pœnis.
III. Rursus de vadimonii desertione, atque de prærogativa domus.
IV. De actionum formulis, & interrogatoriis actionibus.
V. De sponsionibus, & sacramentis, constitutione judicii, judicium datione a prætore, & iis fere, quæ fiebant in contestatione privatorum.
VI. De notionibus Judicium, & eorum consilio, Assessoribus, Consiliariis, Jureconsultis, & quadruplici horum genere.
VII. De citatione, sortitione, rejectione, subsortitione, & numero Judicum: item qui, & quando jurati, aut injurati sederent.
VIII. De variis modis ferendarum sententiarum, & suffragiorum a Judicibus, Populo, & Senatu.
IX. De corruptione & Corruptoribus Judicum.
X. De corruptione judiciorum, & comitiorum, numerum captatoribus & legibus Repetundarum.
XI. De sportulis Judicum, & Apparitorum.
XII. De Apparitoribus Scribis, Notariis, Amanuensibus, & qui scriptum facerent.
XIII. De Accenso, Præcone, Interpretibus, Viatoribus, Lictoribus, & statoribus.
XVI. De Carnifice, Triumviris Capitalibus, & Custodiis.
XV. De sententiis, earum conceptione, & pronuntiatione.
XVI. Quod sententia mutari nequeat, & de provocatione.
XVII. De appellatione rursus, supplicatione, restitutione in integrum, & deprecatione.
XVIII. De executione rei judicatæ.
XIX. De variis suppliciis & pœnarum generibus, & quæ fere in animadversione Reorum observabant Romani.

DECURIA AUCTORUM

In hoc opere citatorum, quorum plurimi cum explicantur, tum restituuntur, & illustrantur.

Accursius.
Acron.
Adrianus Turnebus.
Ælianus.
Ælius Lampridius.
Ælius Spartianus.
Æmilius Probus.
Æschines.
Alexander ab Alexandro.
Ammianus Marcellinus.
Amonius Monachus.
Andreas Alciatus.
Andreas Tiraquellus.
Angelus Decembrius.
Angelus Politianus.
Antonius Goueanus.
Antonius Muretus.
Antonius Sabellicus.
Antiphon.
Appianus.
Apulejus.
Aristophanes.
Aristoteles.
Asconius Pædianus.
Athenæus.
Auctor ad Herennium.
B. Augustinus.
A. Gellius.
Ausonius.
Authenticæ.
Baldus.
Baptista Egnatius.
Bartholomæus Chassanæus.
Bartolus.
Basilius Magnus.
Cælius Rodiginus.
C. Julius Cæsar.
Callimachus Poeta.
Carolus Molinæus.
Carolus Sigonius.
Cassiodorus.
Cassius Severus.
Cicero.
Chrysippus.
Claudius Cantiuncula.
Clementinæ.
Codex { Justinianeus. Hermogenianus. Theodosianus.
Columella.
Constantius Harmenopolus.
Contius.
Cornelius Nepos.
Cornelius Tacitus.
Decretales.
Demosthenes.
Deuterononius.
Diogenes Laertius.
Dion Cassius.
Dionysius Halicarnasseus.
Dominicus Floccus.
Eguinarius Baro.
Ennius Poeta.
Epictetus Philosophus.
Erasmus Rotherodamus.
Euripides.
Eusebius.
Exodus.
Extravagantes.
Fabius Quintilianus.
Felinus.
Festus Pompejus.
Flavius Vegetius.
Flavius Vopiscus.
Franciscus Balduinus.
Franciscus Conanus.
Franciscus Duarenus.
Galenus.
Gaspar Contarenus.
Genesis liber.
Gratianus compilator decreti.
Gregorius Haloander.
Gulielmus Benedicti.
Gulielmus Benedicti.
Gulielmus Budæus.
Guido Papæ.
Herennius.
Herodianus.
Hesiodus.
Hirtius de bello Africo.
B. Hieronymus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.
Jacobus Cujacius.
Jacobus Revardus.
Jason de Maino.
Jeremias.
Institutiones Justiniani.
Joannes Andr.
Joan. antiquus glossator.
Joan. Baptista a porta.
Joan. Bartholomæus Marlian.
Joan. Berberius.
Joan. Bodinus.
Joan. Brodæus.
Joan. Faber.
Joan. Franciscus Pozinnibius.
Joan. Genesius Sepulueda.
Joan. Gillotus.
Joan. Imbertus.
Joan. Longovallius.
Joan. Oldendorpius.
Joan. Papon.
Joan. Picus.
Isidorus.
Julius Capitolinus.
Julius Obsequens.
Juvenalis.
Laberius Mimus.
Lactantius Firmianus.
Laurentius Valla.
Lazarus Baiffius.
Lazius.
Lælius Fœlix.
Leges Decemvirales.
Leonardus Portius.
Lucanus.
Lucas de Penna.
Lucas Evangelista.

Lucianus.
Lucillius.
Lucius Florus.
Macrobius.
Malleus Maleficarum.
M. Cato.
Marius Maximus.
Martialis.
Martinus antiquus glossator.
Matthæus Evangelista.
Nicephorus.
Nicolaus Grucchius.
Nonius Marcellus.
Novellæ constitutiones Justin.
Ovidius Naso.
Ordinationes regiæ super publicis judiciis.
Pacuvius.
Palladius.
Pandectæ juris.
Papinius poeta.
Paralippomenon liber.
Pardulfus Pratteus.
Paulus Apostolus.
Paulus de Castro.
Paulus Ghyrlandus.
Paulus Manutius.
Persius.
Petrus Apostolus.
Petrus Pithæus.
Philippus Comminæus.
Plato.
Plautus.
Plinius uterque.
Plutarchus.
Polybius.
Polydorus Vergilius.
Pomponius Lætus.
Poncius Diaconus.
Porphirio.
Priscianus.
Propertius.
Proverbiorum liber.
Prudentius poeta.
Psalmorum liber.
Pub. Lavinius.
Pub. Victor.
Pythagoras.
Q. Curtius.
Regum liber.
Sallustius.
Seneca uterque.
Servius Donatus.
Socrates.
Sozomenus.
Statius Poeta.
Stylus Regius criminalis.
Suetonius Tranquillus.
Sylvestrina summa.
Symmachus.
Terentius Apher.
Terentius Varro.
Tertullianus.
Theophilus.
Theophrastus.
Thucydides.
S. Thomas.
Tibullus.
Titus Livius.
Tyro Tullius.
Valgius Rufus.
Valerius Maximus.
Valerius Probus.
Vellejus Paterculus.
Vergilius Maro.
Verrius Flaccus.
D. Viglius.
Vincentius Lupanus.
Vitruvius.
Xenophon.
Zazius.
Zeno.

Abstinuimus a nomenclatione Conditorum legum, & canonum, ne in infinitum hoc album excresceret.

S U M M A R I U M

Libri primi.

LIBRO PRIMO DE LOCO, TEMPORE, ET INSTRUMENTO FORI, MODO, RATIONE, ET HABITU DICTURORUM, ET ACTURORUM AGITUR.

HISTORIA FORI ROMANI.

ARGUMENTUM.

Forum describit, ac dividit, & utrique Foro Magistratus præficit, invidiamque deprecatur Auctor.

CAPUT PRIMUM.

Forum.



Orum [1] est, quo res vænum ab annonariis, causæque distrahendæ a litigatoribus conferuntur. Nam forus, qui inductus ab Isidoro [2] in jus latinorum obrepserat, nomine justissimo, ut Reus peregrinitatis, dudum facessere jussus est: Et quod idem auctor commentatus est etymon, cum Forum a fando, [3] vel Phorone, Argivo rege deducit. Etenim quanquam notationum in vocabulis ratio periculosa sit, adeo ut qui in ea versantur, sæpe aut deridiculi sint, aut cum intendunt indicem ad fontem, dictionem derivaturi, in lubrico titubent, aliud pro alio commonstrantes, tamen in argumento præsenti, tutissimum mihi videtur Terentii Varronis judicium, Isidori vero, calumniis expositissimum. Vim adfert syllabæ quantitati, qui Forum a fari invito syllabæ genio repetit: ita vanus est, qui Latino verbo, & indigenæ auctorem exoticum affingit. Non est verisimile, Romanos exteri regis, atque ignoti memoriam, forique constituti beneficium coluisse, Peloponesum autem, Achajam, reliquamque Græciam, contempta regia nomenclatione, non Phoron, sed δικαςήειον vel ἀγορὰν pro foro usurpare maluisse. Ad hæc præter auctoritatem Varronis rei Latinæ peritissimi, quæ opposita Isidoro, viro non tam erudito, quam bono, & diligenti in adversa lance ut levissimum auferret, ejusdem est plenior etymologia, & quæ duplex fori genus complexa sit, judiciale nimirum, & vænale, utrumque suos mores, sua officia destinata, suosque præfectos sortitum. Illi præponit Aristot. IV. Pol. ἀρχὰς, nos Magistratus, qui scilicet Juris disceptandi, dicundi, jubendique potestatem habent. Huic autem idem ἐπιμέλητας, Latini curatores præficiunt, ut sunt Ædiles Plebeii, Curules Cereales, præfecti annonæ, qui commissa in sumptuarias leges, dolosque Dardanariorum [4] puniunt, reliquorumque, qui in fraudem annonæ vexandæ, flagellandæque societatem, & monopolium coeunt: Et ii quos distinctis ex genere muneris, quo funguntur, nominibus, Jureconsulti vocant [5] Sitonas, Sitologus, Sitometras, Sitophilacas, qui frumentationem, Eleonas, Elæ-

Forus.

Fori duplex genus.

Fori judicialis præfecti. Fori venalis præfecti.

A emporus, qui oleariam curant, Episcopus, annonæ inspectatores, quos vulgo Esguardos ab inspiciendo, observando, & approbando annonam vænalem, dicunt, Tamias, Apodectas, Ephorus, reliquosque annonarios præfectos, quos Aurelius Arcadius Charisius persequitur lib. singulari de munerib. civilibus. Itaque pro rerum varietate, [6] quæ vænum comportarentur, varis affectum est nominibus, modo enim Boarium, Suarium, [7] Piscarium, alias Holitorium, Cupedinarium, Coquinum, & Furinum in Pseudolo Plauti vocabatur. Cæterum vænale forum non tantum esculentis, poculentis, reliquoque victui distrahendo, sed aliarum etiam rerum commerciis contrahendis destinatum est. Hincque est quod Galli solennes mercatorum conventus in municipiis, statasque & indictas suas nundinas foras vocant. Porro Forum judiciale ampliorem, magisque variam historiam habet, ad cujus explicationem, universa hæc a nobis instituta commentatio conferetur. Enimvero antequam in ipsam exegesim ingrediamur, invidiam, quæ nobis subeunda erit, ex molesti, ingratique stili fragmentis, deprecati, argumenti suscepti maleficio imputemus. Nam ejusmodi est, ut, quia obsoletum longo senio, situque, neque a quoquam omnino versatum, vix fidem esset habiturum, nisi in rem præsentem, quasi adductis auctoribus plane repræsentaretur: neque enim ingenio cogitatis rationibus, aut argumentis arte e locis erutis, sed atechnis auctorum locupletum laudationibus more Jurisconsultorum res arguenda fuit, habendaque ob oculos proposita prolepsis, anticipata de mutis illis magistris, per quos didicimus, opinio, quod ipsi dixissent, ut quondam Pythagoræi de suo Pithagora αὐτὸς ἔφα. Quod idem accidit iis magnis antiquariis, qui rem nummariam, vestiariam, vascula iam, nauticam, ædificatoriam, temporum tenebris demersas, & sepultas, suo studio, & industria eruerunt, spectandasque omnibus exhibuerunt: quibus si quando datur stylo indulgere, id tum demum faciunt, cum in parerga excurrunt. Nam hujusmodi hypomnemata continent tantam in se varietatem rerum, ut perpetuam deductamque dictionis seriem (quod rerum præclare ab Heroibus gestarum narrationes admittunt) non paterentur, quin modo in Capita, artusque justos, sed pe-

Fori venalis varia nomina.

Foræ Gallorum.

Invidia deprecatio.

B C D

ne in articulos frangenda fuerint, ut non ad epidicticam aut etiam exegeticam, sed didascalicam scribendi rationem summis notandisque dumtaxat rerum capitibus fuerint comparanda. Eam tamen dedimus operam, ut pro rei ingenio, apte inter se omnia connexa hæreant, nihilque luxatum & non suo loco positum reperiatur. Religiose autem coacti sumus abstinere a Græcis, ne miscellaneorum chaos farciremus (cum etiam Græcum Forum singularem requirat historiam) conscii institutæ operæ, ut qui non Gallis, aut Græcis, aut aliis exterarum gentium civitatibus, sed solis Latinis Forum construamus. Sed ex diverticulo res reponatur, & quod felix, faustumque sit, rem attingamus.

PHILIPPI BRODÆI J. C. COROLLARIUM ad cap. I. historiæ Fori Rom.

M. Varro. 1. Forum est quo) *Etymologia est Fori, quam adfert M. Varro lib. 4. de lingua Latina: Quo conferrent, inquit, suas controversias, & quæ vendere vellent, & quo quæque ferrent, forum generatim appellaverunt, a ferendo nempe. Quod autem additur a Socero (causæque) ad interpretationem magis pertinet, quam ad necessitatem requiratur: Siquidem verbum* Res. Rei etiam *causas & lites complectitur, testis Ulpian. in L. 183. de verb. & rerum signif. Inde Reorum nomen pro litigantibus: Hinc etiam actus rerum toties apud Sueto. pro actis causarum ponitur: Ipse etiam nimius fortasse, & superfluus ero, si Horatii auctoritatem addidero.*

Dubius sum, quid faciam, inquit,
Tene relinquam, an rem.

Fori notatio. *Id est litem. Brevius itaque definiri posse videtur, aut circumscribi forum ex verbi allusione, si quis dicat locum esse, quo res feruntur, aut unde res feruntur, ut in posteriore, quæque litera dictionem importet, quibus quasi per coitum, & copulam nomen Fori connexum est, ut non ineleganter Gellius libro 1. cap. 25. noct. Attic. Induciarum vocabulum ex his factum putat,* inde uti jam. *Sic ferias a ferendis epulis,* Induciæ. Feriæ. *nisi malimus per antiphrasin dici, quod tunc nullæ res inde ferantur, respicientes ad fori, quam modo attulimus, etymologiam, veluti bellum quasi minime bellum, lucus quod minime lucet, & sic diversa analogia nundinæ feriæ, & non feriæ dici poterunt.*

Nonius Marcellus. 2 Ab Isidoro) *Lib. Etymologiarum, qui laudatur auctor in c. forus. de ver. sign. Nonius Marcellus tamen notat masculino genere dici apud Lucilium, & Salustium.*

3 Forum a fando) *In hoc etymo Fori Isidorum reprehendit Alciat. lib. 2. disputationum c. 24. ac fere iisdem argumentis rationibusque confutat.*

Dardanarii. 4 Dardanariorum) *Quia verbum hoc insolens est multis, sicut & nonnullæ phrases, quibus auctor noster utitur, ideo paucis perstringenda videntur. Sunt ergo Dardanarii propolæ, qui omnia præemunt, ut postea carius revendant, quorum fit mentio in l. 27. de pœnis, l. 6. de extraordin. crimin.* Vexari annonam. *Vexari autem per eos sectatores, & mancipes annona dicitur, quando fertur, raptatur, huc atque illuc distrahitur, cujus verbi emphasim interpretatur Servius apud Gellium, lib. 2. cap. 6. noct. Att. & Macro. Saturnal. l. 6. c. 7. super hoc versu Vergilii.*

Flagellare annonam. *Dulichias vexasse rates.*

Flagellatur autem, quando in horreis & granariis veluti mancipatur, & verubus quasi verberib. coercetur, ne exire aut egredi possit; qua phrasi utitur Plin. l. 33. c. 13. metaphora forte desumpta ab obæratis & nexis, qui addicti creditoribus ab iisdem in ergastulis flagellabantur: in eadem significatione Martial. arcam flagellare opes in ea reconditas dixit. Papinius autem strangulare, pro ita condensare & comprimere, ut, quæ respirare nequeant, suffocari videantur.

Strangulare. *Non tibi suppositas infelix strangulat arca*
Divitias.

Ad quam significationem visus est respexisse Hermogenianus in l. 53. ff. de Jud. dum arctiorem annonam dicit, & Persius Satyra quinta:

Vastare, Gravare, Levare annonam. *Jam nunc astringas, jam nunc granaria laxes.*

Lampridius in Commodo & Severo Impp. vastare & gravare annonam dixit, quibus levare contrarium est Ciceroni.

Sitonia. Sitocomia. 5 Vocant Sitonas) *De his fit mentio in l. ultimæ demum. & honor Σιτώνης autem est curator annonæ præpositus l. ult. de adminis. rer. ad civit. pertinent. Unde Sitonia vel Sitocomia, ut legit D. Alciat. l. unic. ut nem. liceat in emp. spec. libro 10. C. Σῖτα vero appellatione, cibaria, quibus vescimur, continentur. Inde est quod Arcad. in d. l. munerum, frumenti, olei, & harum specierum curatores, Sitonas vocat. Quædam de procuratione rei frumentariæ, vide apud Vincentium Lupan. in Spartia. Didium. Sed nostri instituti non est singula prosequi.*

Forum aleatorium. 6 Itaque pro rerum varietate) *Sic Augustus Forum Aleatorium vocat, in quo solitus erat aleam ludere: Ita enim apud Suet. Lusimus per omnes dies forumque aleatorium calefecimus.* Septendecim Fora Romæ. *Porro septendecim Fora Romæ fuerunt, de quibus, & eorum situ, vide Joannis Barthol. antiquæ Romæ Topographiam, & Publ. Victor. de urb. Rom. regionib. & locis. Tredecim recenset* Fora. *Alex. ab Alex. genial. dier. lib. 2. cap. 12. qui multa de Foris Romanorum & exterorum habet notatu digna. Fuerunt & alia loca in provinciis, in quibus solennes conventus fiebant, vel jurisdicundi, vel nundinationis causa, quæ etiam fora dicebantur, quæ sæpe nomen retinebant ab iis, qui agebant, aut indicebant, ut sunt Forum Appii,* Conventus. Conciliabulum. *Cassii, Livii, &c. inde hujusmodi phrases frequentes apud Ciceronem, Plinium, Cæsarem, & alios probatos auctores, Forum agere, Forum indicere. Conventus autem quomodo fierent, explicat Theophilus inst. lib. 1. tit. 6. Extremo vero conventus die concilium habebatur. In alia etiam significatione, Forum usurpatur pro nundinationis & ne-*

& negotiationis loco, quod conciliabulum proprie dicitur. Utriusque autem Fori, quod vel juris, vel nundinationis ergo agebatur, vestigia ad nos usque pervenerunt, vel ex eo colligimus, quod nundinationes sive conciliabula, quæ quotannis statis temporibus, & certis locis recurrunt, Fora vel foras vernacule vocamus: Verum hujusmodi mercatorum conventus olim non erant certi, aut stati respectu loci, aut temporis, sed concepti. Nam senatus, Prætor, & Proconsul indicebant pro arbitrio, quinimo privati nundinationis jus interdum obtinebant, ut probat Plinius Nepos lib. 5. Epist. ad Valerian. & Suet. in Claudio. Juridicorum conventuum exempla nunc etiam extant: Nam quid aliud sunt in municipiis sessiones illæ judicum, quas asizias aut francas veritates jus consuetudinarium appellat? Certe cum hujusmodi conventus celebrantur, Forum agitur & indicitur: nam utrobique jus dicitur: nec forte absimiles sunt conventus illi celebres in Gallia, qui magni dies vocantur, quibus de appellationibus, quæ a Baillivorum & Seneschallorum curiis immittuntur, cognoscitur. Quomodo autem differant Colonia, municipium, præfectura, Forum, conciliabulum, vide apud Turnebum adversariorum lib. 1. c. 11. Præcipue apud Carolum Sigonium lib. 2. de antiq. Jur. Ital.

Asiziæ. *Magni dies.*

7 Boarium, suarium) *Hæc omnia postquam contracta in unum locum, quæ ad victum pertinebant & ædificatus locus, macellum appellatum. Var. lib. 4. de lin. Lat. Porro inter venalis fori præpositos referri potest Præfectus urbis, qui teste Ulpi. curam carnis omnis ut justo pretio haberetur, habebat. Et ideo forum suarium, boariumque ad ipsius curam pertinet. l. 1. §. curam. ff. de offic. præfect. urb.*

Præfectus urbis. *Macellum.*

ARGUMENTUM.

CAP. II.

Ubi causæ publicæ, & privatæ disceptabantur, ac de Foro, Theatro, Basilica, & Comitio.

Forum igitur ubi causarum officina, & veluti quoddam Juris quod cujusque esset diribitorium 1, non ad unum tribunal omnes lites recipiebat, sed Privatæ, quæ ad Centumviros pertinerent, sub tecto in Basilica concertabantur: Publica autem judicia, si populus referente Tribuno cogniturus esset, in Comitio ad Rostra, si judices decuriati in quæstione legitima, in reliqua fori area nuda, cœloque adversa, qua in re morem Atticum Romani repræsentarunt: Athenis enim in aperto, & sub dio causæ perorabantur, Area ipsa ἡλιαία, & judices qui in ea considebant ἡλιασταὶ tanquam sub sole cognoscerent, vocati: ut etiam Athletæ, qui alias in xistis & tectis stadiis luctabantur, alias in hypætras & subdiales palestras commigrabant: Forum etenim area, & Basilica constitit. Basilicæ plures fuerunt, 2 cinctæ porticibus ad ambulationes: inter quas fuit & Porcia Basilica, quam extruxit Censorius Cato in censura ex ære publico, vicinam Foro sub Curia: illic Tribuni plebis

Diribitorium. *Privatæ lites.* *Publica Judicia.* *Atticorum mos.* *Basilicæ.*

A causas appellationum ex subselliis cognoscebant. Auctor Plutarchus in utroque Catone Censorio & Uticensi. Fuit & Fulviæ Basilica, quam Paulus Consul magnificentissime mille & quingentis extruxit talentis: Auctor idem Plutarchus in Julio. Fuerunt & aliæ Basilicæ, ut Opimia, & Julia. Sed Forum proprie est hypætra illa, & subdialis area, ubi Judices cognoscebant. Ausonius ad Gratianum Cæsarem in gratiarum actione pro consulatu: Non Forum, inquit, non Basilicæ olim negotiis plena, nunc votis votisque pro salute tua susceptis, &c. Tranquillus in Julio: Ædilis, præter Comitium & Forum, Basilicasque, etiam Capitolium ornavit, porticibus ad tempus extructis. Viden loca a nobis causis destinata, Basilicam privatis, Comitium popularibus, Fori reliquam aream publicis, & legitimis quæstionibus? Nam & hoc facile a Grammaticis impetrabitur, ut quis dicatur esse foris, qui domi non est: sed in Foro sub æthere aperto, sic exigere foras, pellere tecto, extrudere sub Jovem frigidum: Quod quia videtur utcumque paradoxon, Judicum consessum, auditorumque coronam, solis cœlique injuriis expositam, lubet auctores citare. Valerius lib. 7. de Lucio Pisone: Cum tristes, inquit, sententiæ de eo ferrentur, repentina vis nimbi incidit, cumque prostratus humi pedes Judicum osculraretur, os suum cœno replevit, quod conspectum, totam quæstionem a severitate, ad clementiam, & mansuetudinem transtulit. Idem eodem libro: Appius Claudius cum causam diceret satis periculose, coorti imbris beneficio, tutus fuit a damnatione: Discussa enim quæstione, aliam, diis interpellantibus, de integro instaurare non placuit. Cicero pro Marco Scauro, quæ oratio non extat: Curia illa vos de gravissimo principatu patris fortissimoque testatur, Lucius ipse Metellus avus hujus, sanctissimos Deos illo constituisse in templo videtur, in vestro conspectu, ut salutem a vobis nepotis sui deprecaretur. Significatur autem Curia hostilia, & Castoris Pollucisque templum, quæ cum in foro essent, a Cicerone digito demonstrabantur. Fabius lib. 6. ca. de risu: Rarum est, ut oculis subjicere contingat, ut fecit C. Julius, qui cum Helvio Manciæ sæpius obstrepenti sibi, diceret: jam ostendam qualis sis; isque plane instaret interrogatione, qualem se tandem ostensurus esset, digito monstravit imaginem Galli in scuto Mariano Cimbrico pictam, cui Mancia tum simillimus visus est. Tabernæ autem erant circa Forum, & scutum illud signi gratia positum. Itaque ut privatæ lites recte Basilicanæ, ita publicæ subdiales & hypætriæ vocarentur: Hinc illæ auctoribus usurpatæ phrases, exire ex umbris, prodire in solem, & pulverem, deserere umbras parietum, & sciamachias declamationum, & apud Gel. prodire in lucem Fori ex angulis secretisque librorum. Fab. lib. 12. cap. 2. Sed quia deserta ab iis, qui se ad eloquentiam contulerunt, studia sapientiæ non jam in actu suo, atque in hac fori luce versantur, sed in porticus, & gymnasia primum, mox in conventus scholarum recesserunt: hactenus ille. Cœli autem injuria cur incommodior il-

Quid proprie forum. *L. Piso.* *Appius Claudius beneficio imbris liberatus.* *Curia hostilia.* *Tabernæ circa Forum.* *Lites Basilicanæ, Subdiales.*

lic sit, quam in Theatro, quod tectum non erat, 3. aut in Concione, aut cum dabatur opera suffragiis ferendis in campo, non video. Oborto enim nimbo, in porticus sese recipiebant, ut in Theatro. Vitruvius lib. 5. cap. 9. Post scenam porticus sunt constituendæ, uti cum imbres repentini ludos interpellaverint, habeat populus, quo se recipiat ex theatro: imo & ibidem Romæ quædam templa subdialia erant, & nudo cœlo exposita, solis parietum lateribus fortassis contenta, adeo ut qui in eis orationibus, votis, aut aliis divinis operam darent, ab hujusmodi injuriis cœli, & ætheris, tuti non essent, ut legitur apud eundem Vitruvium cap. 2. lib. 6. Jovi (inquit) Fulgori, Cœlo, Soli, Lunæ ædificia sub divo Hypætra constituuntur: Addatur & hoc, quod rei consciis tædium, incredulis fidem fortassis afferet: Fabius lib. 10. Quod accidisse Portio latroni dicitur, ut cum ei, summam in scholis opinionem tenenti, causa in foro esset oranda, impense petierit uti subsellia in Basilicam transferrentur: Ita illi cœlum novum fuit, ut omnis ejus eloquentia contineri parietibus videretur. Ideo forte in morem 4. receptum, quia auditorii frequentiam in judiciis, ubi agebant gravissimi & disertissimi oratores, non caperet Basilica, vel ne privatarum litium actio, quæ intus ab obstrepentibus Rabulis latrabatur, causas magis serias impediret, quanquam & aliquando eloquentes patroni dicerent apud Centumviros, & frequentissimam audientium coronam. Plin. 2. lib. 6. ad Romanum: Sedebant Judices centum & octoginta (tot enim quatuor conciliis conscribuntur) ingens utrinque advocatorum numerus, & numerosa subsellia, astantium corona, latissimum judicium multiplici circulo ambibat, ad hoc stipatum tribunal atque etiam ex superiore Basilicæ parte, qua fœminæ, qua viri, & audiendi, quod erat difficile, & visendi studio imminebant: quod nos ita interpretamur, ut ex Pluteo per intercolumnia despicerent in mediam Basilicam. Cinctæ enim erant Basilicæ porticibus concameratis ex coaxatis contignationibus immissis in parastatas columnis aut pilis adjunctis, supra quam contignationem altera est, & superior porticus, cujus tectum testudinatum, aliis postibus, parastatis & arrectariis sustinebatur. Medium spatium & quasi superior porticus pluteus vocabatur, qui in utrumque latus per intercolumnia peristyliorum liberum habebat prospectum. Parastatæ vero dupli erant ad latitudinem porticus, sicut & columnæ perpetuo scaporum ductu ad Basilicæ latitudinem. Nam sic fere describit lib. 5. eam Fori Basilicam, cujus architectus fuerat Vitruvius. Comitium vero definit Asconius locus propter senatum, quo coire equitibus Romanis, & populo Romano licet, ubi Rostra erant, prope curiam, in quibus conciones magistratuum ad populum perorabantur: aut ut Varro scripsit, quod coibant eo comitiis curiatis, & litium causa. Plutarchus tamen in Romulo, a coito fœdere inter Romanos, & Sabinos deducit. Non modo in comitiis populus cognoscebat, sed & in Circo flamineo: ibi enim dixisse

Templa subdialia.

Portius latro.

Eloquentes patroni apud Centumviros.

Basilicæ cinctæ porticibus.

Parastata. Pluteus.

Comitium.

Populus Comitiis & Circo cognovit.

Marcum Marcellum causam, Auctor est Plutarchus in ejus vita.

PHILIPPI BRODÆI J. C. COROLLARIUM ad cap. 2. historiæ Fori Rom.

1 Diribitorium) *Est autem Diribitorium, publica domus, veluti arx, aut castellum quoddam, ubi exercitus recensentur, & stipendia militibus diribentur, dividuntur & distribuuntur. Quo verbo utitur Suet. in Claudio: Quum Æmiliana pertinacius arderent, in diribitorio duabus noctibus mansit. Ubi perperam in delibatorio a viro docto legitur. Inde diribitores apud Ciceron. pro divisoribus pecuniarum.*

Diribitorium.

Diribitores.

2 Basilicæ plures) *Undecim refert P. Victor in libello de urbis Rom. region. & locis. Porro Basilica, ut hoc addatur, ita ædificari solebat, ut in una parte Judicia, in altera negotia exerceri possent, teste Vitruvio l. 5. quod etiam elici potest, ex l. pediculis, §. 3. de aur. & arg. leg. Ubi Paulus innuit aurum in Basilica proponi solere. Vide etiam Alciat. l. 1. prætermiss. Basilicæ, imitatione Græcorum dictæ sunt* ἀπὸ τοῦ βασιλέος, *nos regiam sive palatium dicimus: tandem etiam pro templis, & Ecclesiis dici cœperunt.*

Basilica.

3 In theatro quod tectum non erat) *Tandem utrumque forum, & theatrum velis & supparis coopertum fuit. Plin. l. 19. c. 1. naturalis historiæ, ait, Q. Catulum in Theatris umbram fecisse, cum Capitolium dedicaret, velis puerperiis: Lentulus vero Spinther, Apollinaribus ludis, Carbasina vela primus in Theatra duxisse traditur. Suet. in Caligula: Gladiatorio munere, reductis interdum flagranti sole velis, emitti quenquam vetabat. Martial. de Hermogene fure:*

Forum & theatrum tectum.

Quamvis non modico caleant spectacula sole
Vela reducuntur, cum venit Hermogenes.

De Foro idem Plinius ait, Cæsarem Dictatorem totum forum intexisse, viamque sacram, ad clivum usque Capitolium intexisse, quod munere ipso gladiatorio mirabilius visum tradunt. Deinde Marcellus Octavia Augusti sorore genitus, velis forum etiam inumbravit, ut salubrius litigantes consisterent, quantum mutatis morib. Catonis Censorii qui sternendum forum muricibus censuerat.

4 Ideo forte in morem receptum) *Aliam rationem, cur causæ sub dio agerentur, Antyphona adfert his verbis:* Ἔπειτα δὲ ὁ πάντας οἶμαι ὑμᾶς ἐπίσασθαι ἅπαντα τὰ δικαστήρια ἐν ὑπαίθρῳ δικάζει τὰς δίκας τοῦ φόνου, ἢ οὐδενὸς ἄλλου ἕνεκα, ἢ ἵνα τοῦτο μὲν οἱ δικασταὶ μὴ ἴωσιν εἰς τὸ αὐτὸ τοῖς μὴ καθαροῖς τὰς χεῖρας. *Hinc est, quod Judæi Prætorium ante Pascha intrare nolebant, ne contaminarentur.*

ARGUMENTUM.

CAP. III.

De Foro veteri, Julii, Augusti, Nervæ, & Trajani, ac de Basilicis, & horum situ, & ornatu.

Forum Latinum multis nominibus donatum. Populus Romanus diu admodum unico foro contentus fuit, quod Latinum, & Latium, aliquando etiam, ut a Martiale, Palladium vocabatur, quod Palladis templum in eo esset: sicut & Castoris, Pollucisque, Saturni, ubi ærarium, Concordiæ, Pacis, Curia Hostilia; Rostra, Comitium, Græcostasis, Senaculum, Gradus Aurelii, sub veteribus, sub novis, Tabernæ nummulariorum, Colossus Domitiani, & alia, quæ explicantur a Chorago, in Curculione 1 Plauti. Ibi Basilica Opimia, ubi lites non graviores Centumvirorum, aut Recuperatorum cognitione decidebantur. Sæpe tamen Synechdochicως, comitium pro foro Romano accipitur. Tranquillus in Augusto: Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid inusitatum, dignumque cognitione adjectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare, ut Rhinocerotem apud septa, Tigrim in scena, anguem quinquaginta cubitorum pro comitio. Constat autem ex Vitruvio, in Foro munus gladiatorium populo repræsentari solitum, aliaque spectacula, cujus longitudinem vult esse sesquialteram, latitudini comparatam, cujusmodi sunt archeja in nostratibus municipiis, quæ ex area ampliorem visendamque magis speciem præbent. *Munus gladiatorum.* Hinc incomitiare, & inforare a Plauto non minus felici & festiva, quam audaci analogia, pro eo quod est experiundi gratia, in Jus vocare, aut trahere. Ita enim in Curculione leno ad Trapezitam:

—— Quæso ne me incomities.
Trap.
Licetne inforare, si incomitiare non licet? Cur non inforabis
Me quidem: non mihi placet profecto tuum, nec Forum, nec Comitium.

Alterum Forum a Cæsare constitutum. Julius Cæsar tandem aliud Romæ constituit, cujus solum quanti constiterit, Tranquillus his verbis significat: Nullum largitionis, aut officiorum genus publice, privatimque omisit, forum de manubiis inchoavit, cujus area supra sestertium millies 2 constitit: quod, si ad calculum abaci Budaici exigatur, nostratis nummi summam duorum millionum & quingentorum millium coronatorum efficiet. Quanquam Plinii codex in summa dissentiat, cujus verba hæc sunt: Pyramides regum miramur opera, cum solum tantum foro extruendo sestertiis mille ducentis emerit Cæsar Dictator. Quæ summa impar omnino est priori, cum ex ea tantum triginta millia Coronatorum redigantur. Neque ferenda esset hyperbole Pliniana, qua tam levis summa Pyramidum regiarum magnificentiæ præfertur. In eo autem Cajus Dictator statuam loricatam sibi poni passus est. Basilicæ vero Juliæ descriptionem eleganter pingit Pellio Vitruvius lib. v. ubi tribunal specie amplissimum in æde Augusti in hæc verba designat: *Basilicæ Julii.* Tribunal est in ea æde hemicyclio schematis minoris curvatura formatum: Ejus autem Hemicyclii in fronte est intervallum, pedes quadraginta sex, introrsum curvatura pedes quindecim, uti qui apud Magistratus starent negotiantes in Basilica non impedirent: quod ipsa assignatione augustissimum videtur, & in arcus formam, quæ semicirculo minor est, cum ad diametrum non pertingat, redactum. In Basilica autem, quatuor tribunalia erant Centumvirorum, cujus Plinius Orator in epistolis sæpe meminit, & Fabius lib. XII. de Trachajo illo megalophonotato causidico loquens: Certe cum in Julia Basilica diceret primo tribunali, quatuor autem judicia (ut moris est) cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum, & intellectum, & quod agentibus cæteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini. De qua etiam intellexit Martial. lib. VI. de filio Reguli patris eloquentiam mirante:

Jam clamor, Centumque viri, densumque corona
Vulgus, & infanti Julia tecta placent.

Forum Augusti. Octavius vero Augustus Forum tertium adjecit propter hominum judiciorumque multitudinem, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius, nec dum perfecta Martis æde (quam voverat bello Philippensi pro ultione paterna suscepto) publicatum est, ut separatim in eo publica judicia, & sortitiones judicum fierent: Hæc Suet. Idem alibi de eodem: Forum angustius fecit, non ausus extorquere possessoribus domos. Ad quod videtur mihi alludere Ver. 7. suæ Æneid. si topothesiam animi gratia non ludit, sed obiter more Poetarum Augusto adulatur his verbis. *Vergilii locus.*

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Urbe fuit, summa Laurentis regia Pici.

Quanquam sint, qui ad domum quam extruxit in palatio referant, quæ tamen non ita magnifica fuit, ut apud Tranquill. legitur: Habitavit (ait) postea in Palatio, sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate, neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breves essent albanarum columnarum, & sine marmore ullo, aut insigni pavimento conclavia: & quæ sequuntur omnino ad Basilicam pertinent:

Hic sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat, hic illis Curia, Templum,
Hæ sacris sedes, epulis hic ariete cæso,
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Pertinent ista ad ædem Martis, quæ ab eodem adjuncta Basilicæ fuerat, ut dictum est, ubi Senatus habebatur. Tranquill. in Caligula: Magnificas Romam literas mi-

sit, monitis sæpe latoribus, ut vehiculo ad Forum usque, & Curiam pertenderent, nec nisi in Æde Martis, & frequente Senatu Consulib. traderent. Ibidem & convivia agitabantur a Martis sacerdotibus. Idem auctor in Claudio: Cognoscens quondam in Augusti Foro, ictusque nidore prandii quod in maxima Martis æde Saliis apparabatur, deserto tribunali ascendit ad Sacerdotes, unaque discubuit.

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum,
Antiqua ex Cedro, Italusque paterque Sabinus.

Ornamenta Fori. Idem Suet. in Augusto: Itaque & opera cujusque, monentibus titulis restituit, & statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.

Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clipeique, ereptaque rostra carinis.

Quibus subscribit Ovidius Fastorum lib. v. in encomiastica ejusdem templi descriptione.

Perspicit armipotens operis fastigia summi,
Et probat invictos illa tenere Deos.
Perspicit in foribus diversa tela figuræ,
Armaque terrarum milite victa suo.

Quæ sane trophæa, & anathemata, Templum, Forum, Basilicam, aut aliud in urbe archeion magis decent, quam privatam domum. Sed & iisdem ornamentis suum forum decoravit Trajanus Cæsar. Gellius: In fastigiis fori Trajani simulachra sunt sita circumundique inaurata, equorum, signorumque militarium, subscriptumque est, *Ex Manubiis.*

Tali intus templo divum, patriaque Latinus
Sede sedens.

Amplitudo Fori Basilicæ. Fori Basilicæ ita augustæ, amplæque fuerunt, ut templa deorum viderentur. Nam & Basilica vetus inter cætera ornamenta, Castoris, & Pollucis simulachra, in loco conspicuo collocata habuit. Cicero in Verrem septima actione: Vos omnium Forensium, consiliorumque maximorum, legum, judiciorumque arbitri, & testes celeberrimo in loco Prætorii locati, Pollux & Castor, cæteros item deos, deasque omnes imploro, atque obtestor. Nisi malumus Prætorium fori aream interpretari, unde in templum Castoris ascenderetur. Ad hæc in Julia Basilica templum fuit Augusti: in Augusti Basilica, ædes Martis Ultoris. *Dii fori tutelares* Neque mirum: Habet enim fori ratio saluberrima, Deos quasi genios, & tutelares Castorem Pollucemque, Themidem, Astream, Dicem, Isidem perjurii vindicem, & Minervam eloquentiæ præsidem, cujus etiam eloquentiæ auctorem ferunt Herculem Gallicum, qui vi facundiæ suæ, homines agrestes catena aurea quocunque vellet circumduceret. *Hercules Gallicus.* Et revera templa veterum non absimilia erant nostratibus: constabant enim cella sanctiore, nos chorum vocamus, quæ cella sanctior a Basilica & porticibus distinguebatur Pluteo, & quasi altero pronaω, nos non male pulpitum vocamus, quod in morem pulpiti, aut tabulati erectum sit, quidam ex vulgo threnum vocant, fortassis, quod illic threni Jeremiæ Prophetæ recitentur, & aliæ Homeliæ sacræ. Basilica vero, quam nos navem, aut Carinam vocamus, deambulationes, quæ utrinque sunt, omnino porticus sunt veterum, quæ sunt veluti fori in Carina. Cella sanctior solis rebus sacris destinabatur, Basilica vero, & porticus, & pronaωn fere usibus prophanis exponebantur. *Templum & reliquum præter cellam usibus prophanis exponebatur.* Illic enim, & nundinæ mercium, & proxenetica contractuum, prologi nuptiarum, colloquia transactionum, ut hodie apud nos, nimis impie, exercebantur. Plinius epist. lib. 4. de transactione hæreditatis: Rogavit me ut cum Curiano loquar, convenimus in ædem Concordiæ. Cic. pro Quintio: Hoc eo per te agebatur, quod propter ærariam rationem, non satis erat in tabulis inspexisse, quantum deberetur, nisi ad Castoris quæsisset, quantum solveretur. *Ciceronis locus emendatus.* Quo in loco male vulgo legitur, a quæstoribus: Fuerunt enim mensæ fœneratorum circum forum, etiam in templorum porticibus, hinc æs circumforaneum Ciceroni pro nominibus, quibus obnoxii sumus Trapezitis ex pecunia mutua fœnori accepta, quem morem, & Judæi servabant, qui in illo Salomonis delubro religiosissimo nundinabantur, fœnusque exercebant, conversa orationis domo, in speluncam latronum, ut in Evangelio Matth. scribitur, cap. 21. *Æs circumforaneum.* Itaque populus Romanus sub aliquot Cæsaribus, ab Augusto ad Domitianum usque, triplici foro usus est. Martial.

Causas, inquit, agam Cicerone disertius ipso;
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Idem lib. 7.

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.

Idem lib. 8.

Foro triplici sparsus ante equos omnes,
Ædemque Martis, & Colosson Augusti,
Curris per omnes tertiasque quintasque.

Qui quidem Poeta sub Principe Domitiano vixit, ideoque triplicis fori tantum meminit, Veteris, Julii, & Augusti. Quartum autem, quod Nervæ Coccejo Cæsari attribuitur, nondum ædificatum erat, cujus tamen fundamenta jecerat Domitianus, in cujus vita sic Tranquillus. *Forum Nervæ.* Nonam excitavit ædem in Capitolio Custodi Jovi, & forum quod nunc Nervæ vocatur. Verum quia exædificatum exornatumque a Nerva Cæ-

sare fuit, ideo illi vendicatur. Lampridius dicit vocatum Transitorium in Severo his verbis: Statuas Colossas, vel pedestres nudas, vel equestres divis Imperatoribus in foro divi Nervæ, quod Transitorium 4 dicitur, locavit, omnibus cum titulis & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent. Idem Lampridius, ibidem, de Thurino loquens, qui fumum vendiderat: In foro (inquit) Transitorio, ad stipitem illum ligari præcepit. Sed tandem quintum, & celeberrimum Imperator Trajanus adjecit, ex manubiis distractorum spoliorum refectis, in quo columna 5 centum quadraginta cubitorum altitudine fuit, in qua exactissime res, ab ipso principe gestæ, incisæ erant. Gellius cap. 23. lib. 13. meminit, locusque supra allatus est. Hoc forum Trajani dictum est & forum Ulpium. Capitolinus in Marco Philosopho: Multi, inquit, nobiles bello Germanico, sive Marcomanico, imo plurimarum gentium interierunt, quibus omnibus statuas in foro Ulpio collocavit.

Transitorium. *Forum Trajani.* *Forum Ulpian.*

PHILIPPI BRODÆI I. C. COROLARIUM ad cap. 3. historiæ Fori Rom.

1 In Curculione) *Actu tertio.*

2 Sestertium millies) *Contra Leonardus Portius, mille legendum putat apud Tranquillum in Julio cap. 26. non millies, idque confirmat Baptist. Egnat. in suis annotationibus ex lectione Plin. lib. 38. cap. 15. naturalis historiæ. Dum autem consulo Codicem, quem domi habeo, impressum Basileæ apud Frob. ann. 1554. inveni millies, ut reponendum indicat Auctor noster.*

3 Gellius) *Lib. 13. cap. 23. Noct. Att.*

4 Quod transitorium dicitur) *Transitorium dictum, quod inde in Romanum & Augusti forum iretur.*

5 In quo columna) *De Foro Trajani & ejus ornatu, vide multa apud Joannem Barthol. Marlia. in sua Topographia antiq. Rom. lib. 3. c. 13. & de columna in medio sita, in cujus fastigio ossa Trajani condita servabantur. Hujus autem fori architectus fuit Apollodorus, ut auctor est Dion. Cassius in vita Adriani Cæsaris.*

Apollodorus.

ARGUMENTUM.

CAP. IV.

De variis nominibus, & locis, quibus Jus dicebatur, de Præfecto Prætorio, & officio Quæstoris.

Comitium.

COmitium 1 inferiorem areæ Forensis partem, ad Rostra Curiamque esse diximus, ubi tamen & sub dio, ante ædificatas Basilicas, Prætor jus dixit, ut constat ex XII. tabulis, ex quibus aphorismus traductus est, de debitore addicto ipsi creditori: *In vinculis sexaginta dies habeto. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in Comitium producito*: Ubi tractandarum litium mos in Basilica nondum receptus erat. Plautus in Pœnulo:

Cras mane, quæso, in comitio estote obviam.

A Citantur imposterum testes & Advocati, ut adsint liti postridie tractandæ; &, ut etiam diximus, forum aliquando, & proprie pro ipsa area capitur. Fabi. lib. III. cum loquitur de publicis judiciis, quæ sub Jove frigido disceptabantur: Rarum est, ut in foro, Judicia propter id constituantur. Aliquando pro Basilica. Gellius 2. Quærebat Favorinus, cum in area fori ambularet, ut amicum suum Consulem operiretur, causas pro tribunali cognoscentem. Cic. 1. de Oratore: Ne semper Forum, Subsellia, Rostra, Curiamque meditere. Per Subsellia, aream subdialem publicorum Judiciorum significans. Plautus Menæchmis:

Forum pro Area

B

— aut ad Populum (ait) aut in Jure aut ad judicem res est.

id est lites discutiuntur, aut in Comitio pro rostris ad populum, aut in Basilica apud Prætorem in jure, aut in fori area apud Judices. Cicero idem intelligit primo de Oratore: Nam si quis (ait) statuet hunc esse Oratorem, qui tantummodo in jure, aut in Judiciis possit, aut ad populum, aut in Senatu copiose loqui, &c. Non enim una est appellatio loci, in quo Jus redditur; nam & aliquando Jus vocatur per Metonymiam, ut Julius Paulus primo 3 ff. collata, inquit, appellatione ab eo, quod fit in eo, ubi fit: Quem locum determinare possumus, ubicunque Prætor, salva majestate Imperii sui, salvo more Majorum, jus dicere constituit: Tullius pro Quintio. Dejicitur de saltu, Cai Aquili, pridie kalendas intercalares, biduo post, ut statim aliquis de Jure concurrerit, non toto triduo sexaginta millia passuum conficiuntur. De Jure, i. de foro ubi decreta erat ob vadimonium desertum bonorum possessio: unde fluxerunt illæ formulæ actionum: *Quando te in jure conspicio: & manum in jure conserere: & post* XII. tabulas. *ex jure manu consertum.* Quia olim ex jure, id est, a Prætore in fundum controversum litigantes contendebant, manum illic conserturi, ut apud Gellium libr. ult. 4 legimus. Quod solemne quoddam mihi videtur litis contestationis, ut junctis dextris, more militari, sponsioneque facta in depositum futuræ litis, quasi duellum quoddam inirent. Addi possunt vetera illa & translatitia Prætorum edicta, *de in jus vocando: Si quis vocatus in jus, non venerit.* Et Domitius Ulpianus 5 verba ista edicti honorarii: *Qui in jure interrogatus, respondit*: interpretatur in hunc modum: Sic accipiendum est apud magistratus populi Romani, vel Præsides provinciarum, vel alios judices: Jus enim eum solum locum esse, ubi juris dicendi, vel judicandi gratia consistat, vel si domi, vel in itinere hoc agat. Cicero quinta oratione Verriana, de Palemarcho Aratore: Domum ad istum in jus deductus est, & cum ipse etiam cubaret, in cubiculum introductus est, quod nisi mulieri, & Decumano patebat, alii nemini. Sed etiam Sudationes in thermis, pro laconicis aut hypocaustis concameratis Latini usurpant, & Ambulationes pro pergulis, Cœnationes pro

C D E F

Jus pro loco. *Formulæ actionum*

cubiculis. Et Augustus quum domi cognosceret, ut ait Tranquillus, videtur mihi in jure fuisse, & Julius domi causam Ligarii, & Dejotari cognoscens. *Domi causæ cognitæ.* Item & Manlius Torquatus Decium Syllanum filium suum repetundarum delatum, causa domi cognita, domi damnavit: Et Spurius Cassius, qui filium Tribunatu functum, regnique ambiti ob legem Agrariam, nimis popularem, convictum, advocato cognatorum & amicorum consilio, condemnavit domi, verberibusque ad necem cædi jussit. *Patria potestas.* Tantum olim fuit jus potestatis patriæ, neque minor dominica in servos: Nam non tantum vendere, aut exhæredare sine causa poterat, sed etiam necare. Quin & propinqui in fœminas suæ gentis, jus habebant, & domi cognoscebant. Tranquillus in Tiberio: Matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui more majorum de communi sententia coercerent, auctor fuit. Par jus habuerunt aliquando Galli in suas uxores. C. Cæsar libr. VI. Commentariorum: Viri (scribit) in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque potestatem habent, & cum paterfamilias honesto loco natus decessit, ejus propinqui conveniunt, & de morte, si res in suspicionem venit, de uxoribus servilem in modum quæstionem habent. Ex quo loco intelligitur, etiam habuisse domi quoddam 6 Forum, & juris dicundi potestatem. Animadverti etiam apud auctores, Auditorium dici, juri dicundo locum comparatum. Julius Paulus tit. ff. de re judicat. l. contra pupillum, qui ad majus Auditorium *Auditorium pro Foro.* vocatus est, si litem inchoatam deserit, contumax non videtur. Martianus l. I. ff. ne de statu defunct. post quinquennium quæratur; Ego quoque in Auditorio publico idem sequutus sum. *Valla.* Quanquam Valla alioqui oculatissimus, & quasi custos appositus bonis auctoribus, ne prævaricentur, aut imponant Latinitati, hoc non viderit, qui Auditorium Ludimagistris relinquit: Quod quia diffiteri non possum (recitant enim Declamatores, & Poetæ in Auditorio apud Tranquillum, & Plinium) tamen & pro Foro accipi, locus allegatus satis arguit. Plinius lib. VI. de Regulo Causidico: Jam illa perjucunda una dicentibus, quod Regulus libera tempora petebat, quod audituros corrogabat, quid denique jucundius, quam sub alterius invidia, quam diu velis, & alieno Auditorio quasi deprehensum, commode dicere? ubi Auditorium pro auditoribus, continens (ut ajunt) pro *Acroasis.* contento, accepit. Et fortassis apud Pellionem Vitruvium Acroasis, id est, Auditorium, pro Fori Basilica accepta est. Ejus hæc verba sunt, in peroratione operis de Architectura, libro X. Eo tempore quidam architectus ab Arado, nomine Callias, Rhodum cum venisset, Acroasin fecit. Hinc acroasis physica Aristotelis, & acroamatica dogmata 7 apud Gellium. Idem Julius Paulus 8 in titul. de reb. creditis, *Auditorium causarum.* Auditorium causarum commemorat his verbis: Lecta est in Auditorio Æmilii Papiniani Præfecti Prætorio Jurisconsulti cautio. Nam hic ineptum esset, de schola, & ludo capere, non enim cautiones, sed disciplinæ tractantur in ludo: Erat igitur in Prætorio, aulaque Principis causarum

A Auditorium, ubi Principis Assessores, Consiliarii, postulatis rescribendis, litibusque decidundis vacabant: quibus præsidebat Præfectus Prætorio, ut apud nos, in Sanctiori Consilio Cancellarius, qui olim Castrensis Magistratus fuit, subiitque in vicem Magistri militum, aut Tribuni Celerum, occupata statim a Cæsaribus Republica, teste Pomponio in Juris Enchiridio: *Præfectus Prætorio.* Plures tamen fuerunt etiam a principio. Tranquillus in Caligula: Duo consilium communicaverunt, perfeceruntque, non sine conscientia potentissimorum Libertorum, Præfectorumque Prætorii, ut in Codice Justinianæo, Præfectus Prætorii Orientis, Illyrici, Africæ: Et quanquam militiæ

B Magistri essent, ut sub se Tribunos, Centuriones, Legatos, reliquosque Ductores haberent, &, si in comitatu agerent, Excubitoribus, Custodibus, Speculatoribus, reliquisque Comitatensibus, præessent, tamen is honor indignus Patritio viro, usque ad Flavium Titum Cæsarem visus est. Tranquillus in Tito: Recepta ad se proprie omnium officiorum cura, cum patris

C nomine ipse, & epistolas dictaret, Orationesque in Senatu recitaret, etiam Quæstoris vice, Præfecturam quoque Prætorii suscepit, nunquam ad id tempus, nisi ab Equite Rom. administratam: Quem locum sic legendum puto, ut post illa verba, Orationesque in Senatu recitaret, etiam Quæstoris vice, commate oratio suspendatur. Constat enim Cæsarum temporibus, inter reliqua Quæstoris munera, hoc unum magnificentissimum, summumque fuisse, nomine Principis in Senatu Orationes recitare, si quando argumentum Edicti, Legis *Quæstoris munus magnificentissimum.*

D aut Senatus consulti, Patribus Conscriptis suadendum esset, si Principi in Senatum venire, aut pronunciare, vel recitare non vacaret, aut luberet. Tranquillus in Nerone: Orationes ad Senatum missas, præterito Quæstoris officio, per Consules plerumque recitabat. Tacitus lib. XVI. Oratio Principis per Quæstorem ejus audita est. Utriusque vestigia sunt 9 in ff. Nam & orationes Cæsarum citantur, & in præfationibus Justinianus commendationi hominum, inter reliquos, titulum Quæstoris Sacri Palatii, aut Exquæstoris adjicit, qui

E quamvis initio non sublimis fuerit, tamen per Cæsares ita elatus est, ut inter principes numeraretur, cujus puto tandem hoc officium fuisse, habere pro Principe in Senatu, aut Palatio Orationem, & de rebus, quæ in consilio agitandæ erant, referre: *Cancellarius.* Cujus etiam munus hodie obit Cancellarius, qui ad Sanctius Consilium res deliberandas proponit: cum olim id facerent, aut Consules, aut Principes habitis Orationibus. Præfectus vero Prætorio, rejecto sago, relictisque castris, sumpta toga, Palatinus magistratus effectus est, qui tamen *Præfectus Prætorio ex Castrensi Palatinus.*

F in Equestri ordine semper delituit, usque ad tempora Alexandri Severi, per quem tandem Senatu donatus est: adeo Quæstura & Præfectura illa ab initio parum dignitatis habebant. Lampridius in Alexandro Severo: Præfectis Prætorii suis Senatoriam addidit dignitatem, ut viri clarissimi, & essent, & dicerentur. Idem antea, vel raro fuerat, vel omnino non fuerat, eousque, ut si quis Imperatorum successorum

Præfecto Prætorio dare vellet, laticlaviam iidem per Libertum submitteret, ut in multorum vita Marius Maximus dixit: Alexander autem idcirco, Senatores esse voluit Præfectos Prætorio, ne quis non Senator de Romano Senatore judicaret. Ergo hinc patet, causas cognovisse Præfectum Prætorio Præsidem 10 Antecessoribus, qui in Principis consilium adhibebantur. Tamen multi in jure Romano, tempore Cæsarum Antecessores nullos fuisse putant (quanquam Haloander & plerique alii docti ita ubique in Pandectis & Codice legunt) sed Anticensores, ut Antigraphes; neque obstat mixta ex Græco Latinoque compositio, cum & Periodovictor dicatur, sæpe & auctor belli Alexandr. penteremen pro quinqueremen dixit. In alteram tamen sum propensior partem, quia tempore Cæsarum nulli erant Censores, ergo nec poterant esse Anticensores. Horum enim vero Antecessorum consessus, alias Consistorium, & Auditorium Sacrum, alias Forum amplissimum, aliquando Sacrum Palatium, sæpissime Forum Prætorianum Justinianæo in C. nobis Strictum, Privatum, Sanctumque Consilium, appellatur. Observavit & Alciatus in C. Theodosiano, non semel Secretarium dici, quod illic secreta summe rerum contrectentur. Alias, & Sacrarium dicitur, nisi malumus pro Secretario 11 Sacrarium legere ubique, ut Ausonius in gratiarum actione pro Consulatu ad Gratianum Cæsarem: Gratias ago, non in Sacrario modo imperialis oraculi, qui locus horrore tranquillo, & pavore venerabili, raro eundem animum præstat, ut vultum &c. De Consistorio loquitur ibidem: Et nunc ego piissime Imperator, ne fastigium Auditorii sacri dictorum tuorum timidus interpres, divinitatis tuæ prope cum piaculo verba transcurram. Ibidem: In illa vero sede, ut ex more loquimur, Consistorii, ut ego sentio, Sacrarii tui, nullus unquam superiorum, aut dicunda potestas cogitavit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expedivit. Prætorium autem olim castrense fuit: Hinc Præfectus Prætorii, porta Prætoria, cohors Prætoria, & viæ Prætoriæ: ex castris rus deductum 12, ubi villas voluptarias significat, cujusmodi magnificentissimæ fuerunt Lucullianæ. Sueton. in Caligula: In Extructionibus prætoriorum, atque villarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere cupiebat, quam quod posse effici, negaretur. Idem in Augusto: Ampla & operosa prætoria gravabatur. Aliquando etiam Forum Romanum erat, ubi Jus dicebat Prætor. Cicero VII. Actione in Verrem: Vos omnium Forensium Consiliorum maximorum, Legum, Judiciorumque arbitri, & testes celeberrimo in loco Prætorii locati, Pollux & Castor. Alias domus aut insula Prætoris. Idem in eadem Actione. Procedit iste e Prætorio inflammatus scelere, furore, calamitate, in Forum venit. Ubi Prætorium a Foro distinctum est, cum tamen neque ruri sit, neque in castris. Receptum est etiam a vulgo in usum loquendi, ut majores Judicum Consessus curias vocemus, ut Comicus Aristophanes φροντιστήρια a Philosophorum sollicita, & curiosa contemplatione, transtulit in Forum. Qui enim litigant, rapiuntur nonnunquam in profundissimas juris indagines, & exemplo Socratis philosophantis, sunt in secessu quodam mentis a corpore, atque anxii de alea litis suæ, spe, metuque ipsi sibi suum cor edunt, quibus, ut est apud Pacuvium,

Lapit cor cura, ærumna corpus conficit.

Ideo Curiones sunt, qui conficiuntur, & marcescunt curis. Plautus in Aulularia;

Volo ex te ego scire, quid sit agnus curio.
Euc.
Qui ossa atque pellis est, ita cura macet.

Et fortassis Curiones, Parochi vel Parœci dicuntur, a curis, quibus ex officio obnoxii sunt, ad quod Livius videtur allusisse: Inter majorum rerum curas, comitia maximi Curionis vetus excitaverunt certamen. Aut si lubet Curiam vocari, majus aliquod Forum, a Romana Curia Senatuque, quod consideant illic Judices gravissimi, & Senatu dignissimi, quasi Curiam illam veterum patrum conscriptoriam, repræsentent: quanquam Senatus causas non disceptaret. 13 Marcus tamen Varro Curiam a curando his verbis deducit: Curiæ duorum generum: nam & ubi curarent sacerdotes res divinas, ut Curiæ veteres, & ubi Senatus humanas, ut Curia Hostilia, quod primus ædificavit eam Hostilius rex sub veteribus.

PHILIPPI BRODÆI J. C. COROLLARIUM ad cap. IV. historiæ Fori Rom.

1 Comitium) *De Comitio vide Joannem Bart. Marl. l. 3. c. 15. in epit. Rom. antiquæ Topograph.*

2 Gellius) *Juvat hic, & alibi speciatim locum lectori ostendere, vide ergo A. Gell. lib. 13. cap. 23. Noctium Att.*

3 Julius Paulus) *Tit. 1. l. penult.*

4 Apud Gellium) *c. 9. Noct. Att.*

5 Domitius Ulpianus) *l. 4. de interrog. Act.*

6 Habuisse domi quoddam Forum) *Domesticorum judiciorum exempla sunt apud Valer. Maxi. lib. 5. c. 8. Livium lib. 9. Decadis 4. de abolitione Bacchanalium. Florum, lib. 48. de Veneficis, ubi fere liberi, & uxores parentibus, maritis, & propinquis judicibus condemnantur domi. Sed absolutionis non ita frequentia: Pauca commemorat idem Valer. d. lib. 5. c. 9. Unum est apud Cornel. Tacitum, lib. 13. de Pomponia Græcina, externæ superstitionis accusata (religionis Christianæ, ut suspicor, quod fere superstitionis nomine ab hujusmodi prophanis auctoribus nuncupetur) quam maritus, prisco instituto, coram propinquis causa cognita insontem pronuntiavit. Porro l. Romilia de adulteris, sic concepta erat: Adulterii convictam, vir, & cognati uti volent, necanto.*

7 Acroamatica dogmata) *Cic. de fin. lib. 5. & Gel. lib. 10. c. 4. auctores sunt, apud Philosophos fuisse duo genera librorum, unum populariter, quod exotericum vocabatur, alterum acroamaticum, quod limatius*

Marginal notes: Antecessores. — Forum Prætorianum. — Consistorium. — Prætorium Castrense. Prætorium pro villa voluptuaria. — Prætorium pro Foro. — Pro domo aut insula Prætoris. — Curia. Phrontisterium. — Curiones. — Curia unde. — Pomponia Græcina. — L. Romilia.

fuerat, & ab auctoribus cujusque sectæ discipulis tradebatur.

8 Vestigia sunt in ff.) *De origine, & officio utriusque tractant abunde Arcadius & Ulpian. J. CC. lib. 1. tit. 11. & 13. ff. vide etiam Alc. l. 12. C. de præf. præt.*

Antecessores.

9 Idem Jul. Paul.) L. 40. *cui adde l. 7. C. de post.*

10 Antecessores) *Quemadmodum prætores a præeundo, ita Antecessores ab antecedendo dicti sunt. Suet. in Vitellio: Irruperant jam agminis Antecessores: ut relativa sint ad Successores. l. edictum. ff. de Judic. Ex castris autem & sagata militia in togatam irrepsit hujus verbi significatio (nam fere hæc illi æmulatur) ut Antecessores honoris causa dicamus, qui aliis virtute aut scientia antecellunt. Sic Tertul. l. 1. & 5. Contra Marchionem, primarios, & principes Apostolos, Antecessores vocat. Sic Antecessores Juris Professores, & Doctores dicimus: quo titulo honoravit Justin. Imp. Theophilum, Dorotheum, & alios in epistola liminari. ff. & in l. 2. de confirmat. in prin. C. Constat autem ex d. procem. ff. in singulis gymnasiis quatuor fuisse Antecessores. Alciat. autem in varia lectione fluctuat, ac mire se torquet lib. 3. dispunct. cap. 12.*

Sacrarii & Secretarii discrimen.

11 Nisi malumus pro Secretario Sacrarium) *Ex l. 3. C. de of. diver. jud. & l. ult. C. ubi Senat. §. ult. videtur elici posse hæc differentia, ut Secretarium Judicum dicatur, Sacrarium, & Consistorium Principis, cujus quidem Sacrarii mentio fit in l. ult. §. legati. de mun. & hon. ff. Multa de Secretis, & Secretariis notatu digna sunt apud Petrum Pitheum l. 2. adversar. subcess. c. 12.*

12 Ex castris Rus deductum) *Quædam non aliena notat D. Alciat. in l. 198. de verb. sign. in ver. Prætoria.*

13 Quanquam Senatus causas non disceptaret) *De Senatus cognitione quædam habes in c. 7. & 11. nostræ historiæ, lib. 3. Distinguenda autem videntur tempora: nam tempore Plinii de atrocioribus cognoscebat, aut Judices dabat ex Senatoribus.*

ARGUMENTUM

CAP. V.

Ubi & unde Oratores, & Patroni causam dicebant, ac de corporis habitu, & motu, quid cognoscere ex plano, & de tribunali.

Septa Fori.

CONsensus eorum, quorum causæ adesse interat, septis concludebatur, relicta media areola, ex qua Oratores, aut Causidici recto stantes trunco dicerent, ne scilicet astantium corona, septis exclusa, aversis cognoscentibus Judicibus ex subselliis incumberet. Fab. lib. 12. c. 2. de Cicerone loquens: Neque se tanta unquam in eo fudisset ubertas, si ingenium suum consepto fori, non ipsius rerum naturæ finibus, terminasset. In Basilica autem, locus, ubi considebatur, paulo erat elatior, totusque etiam Tribunal appellabatur. Plinius Secundus ad Maximum: Si

Area tribunalis.

quando transibis per Basilicam, & voles scire, quomodo quisque dicat, nihil est quod Tribunal ascendas, nihil quod præ-

A beas aures, facilis divinatio, scito eum pessime dicere, qui laudabitur maxime. Ex inani illo plano, Orator ad Tribunal, ubi surrexisset dicturus, sese convertebat, ut totum corpus visendum ostentaret, neque enim ex pulpito, ut Philosophi, aut sacri nostri Ecclesiastæ, & olim Poetæ, Historici, & qui recitabant, dicebat. Juvenal. VII

Pulpitum declamantium.

Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.

B Suetonius in libello de Illustribus Grammaticis: Me quidem (ait) adolescentulo, repeto quendam principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare, nonnullis vero differere, post meridiem, remoto pulpito, declamare solitum. Hoc ergo Rhetores faciebant, ut, quia in scholis suis haberent quædam Fori seminaria, ea compararent ad usum moremque Forensium. Hinc eorum præcepta de incessu pedum, aut crurum projectione, reliquique corporis decenti motu, ut stent recto trunco, paulum diductis tibiis, ne se flectant in latus alterum, incli-

C nent pronos in anticam, reclinent supinos in posticam, quod Circulatorum est. Fabius libro VI. cap. de risu. Afer venuste Manlium Suram, multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem, reponentem, non agere dixit, sed satagere. Et cum alius inter agendum per areolam discursaret, quæsitum est ab eo, quot millia passuum declamasset. Causidicis vero nostri sæculi objecta sunt, quasi belluis indomitis & furentibus repagula, ne (credo) pauperiem faciant: Ita ex copiosiore & faciliore bile,

Causidicis nostri sæculi cur objecta repagula.

D pugnos paratiores habent, sed cohibentur lignis illis transversis, quibus innixi, obtegunt plurima pedum, crurum, incessus vitia, quæ remoto pulpito fœdissime apparerent. Cæterum Oratorum historia latius enarrabitur suo loco: tantum necessitatem standi, quam elegerunt, ut dicit l. quisquis. C. de postuland. perstringamus: quam miror illic vocari necessitatem, cum aliquando qui agerent, sederent, maxime in minoribus Judiciis apud Tribunalia.

Explicata l. quisquis de postul.

E Quintilianus libro XI. cap. III. Multa ex his, quæ præcepimus, mutari ab iis necesse est, qui dicunt apud Tribunalia: nam & vultus erectior, ut eum, apud quem dicitur, spectet, & gestus, ut ad eundem tendens elatior sit, necesse est, & alia, quæ occurrere etiam me tacente omnibus possunt. Itemque ab iis qui sedentes agunt: Nam fere fit hoc in rebus minoribus: & iidem impetus Actionis esse non possunt, & quædam vitia fiunt necessaria. Nam & dexter pes e læva Judicis sedenti proferendus est, & ex altera parte multi gestus necesse est in sinistrum eant, ut ad Judicem spe-

Oratores quandoque sedentes agebant.

F ctent. Equidem plerosque, & ad singulas clausulas sententiarum video assurgentes sibi, & nonnullos subinde etiam aliquid spatiantes, quod an deceat, ipsi viderint: cum id faciunt, non sedentes agunt. Hactenus ille. Item Fab. capit. I. lib. XI. Rideatur merito, qui apud Disceptatorem de re levissima sedens, utatur illa Ciceronis confessione, non modo se commoveri, sed etiam corpore ipso perhorrescere. Ast in gravioribus causis, quia tanta vis est Actionis

dextræ,

dextræ, & aptæ, ut ei quondam Demosthenes primas, secundas, tertias victoriæ partes concederet: ejus commodum contemnendum non est, ne dolo prævaricatus, luctum in reatu constituto Clienti Patronus afferat. Etenim cum Hypocrisis sit quædam corporis eloquentia, non omnes egisse eloquentiæ partes videtur, qui eam aspernatus est. Plinius lib. II. ad Cerealem: unde accidit, ut ii qui sedentes agunt, quamvis illis maxime ex parte supersint eadem illa, quæ stantibus, tamen hoc quod sedent, debilitentur, & quasi deprimantur: Movet enim dicentis gestus, incessus, discursus, omnibusque moribus animi consentaneus vigor corporis. Hæc Plinius. Quæ eo pertinent, ut si sedeat inter agendum Advocatus, non statim exsibilandus, explodendus, mulctandus, aut causa deturbandus sit a Judice, quod in bonos mores peccatum sit, aut in juris præscriptum: Eam enim necessitatem mores, non jus introduxerunt, ad diluendam prævaricationis suspicionem. Atque in ea lege Valens & Valentin. Imperatores non edicunt, sed publici & recepti moris Oratores admonent, ut qui agant stent recti, qui cognoscunt, & disceptant, sedeant. Hinc vulgatum discrimen inter mores Oratorum & Judicum, ut hi sedeant, illi stent. 1 Plautus in Mostellaria.

Vis actionis in stante. *Hypocrisis corporis Eloquentia.* *Necessitas standi Oratori cur moribus introducta. Discrimen inter mores Oratorum & Judicum.*

—— *Nimis Orator clues catus,*
Sine me isthuc judicare, surge, ego istic assedero.
Maxime, & accipiam hanc ad me litem.

Quo in loco Plauti, Orator surgit, & Judex consider. Unde dictæ sunt in jure nostro, Sessiones Judicum, de quibus in l. 2. ff. quis ordo in bono. poss. ser. & apud Cicer. tertio de natur. Deor. Exeamus (inquit) a Theatro, veniamus in Forum, sessum ite, precor. Quid? ut judicetur, qui tabularium incenderit. Ubi Cotta Academicus Vellejum, & Balbum sedere facit judicaturos. Stare autem Oratorum proprie est. Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus. Quod gaudium assurgendi, assistendique inter tacentes, in unum conversos coire populum, & circumfundi coronam, & accipere affectum, quacunque Orator induxerit. Ratio, cur stent Oratores, superius allegata est, ad majorem emphasim Actionis, & Pronuntiationis. Cur autem sedeant Judices, est apud Plautum in Mostellaria quædam ratio, quod sedendo plus sapiamus, quo in loco servus Tranio in ara sedens, ad quam confugerat, cum sollicitaretur, ut surgeret, timens dorso suo, & olfaciens dolum Teuropidæ, surgere non vult, hæc verba Plauti sunt:

Sessiones Judicum. *Cur Judices sedeant.*

TEUR. *Surge dum huc est consulere igitur quiddam quod tecum volo.*
TRA. *Sic tamen hinc consilium dedero, nimio plus sapio sedens.*

Recto autem rarus, modicus, & modestus incessus concedebatur, ut, cum area Tribunali adversa esset quasi eadem linea media decussata esset, dicenti præterire, & ex suis Subselliis in adversa concedere, turpe, & stultum videretur. Fab. li. XI. c. III. Transire in diversa Subsellia, parum verecundum est. Nam & Cassius Severus urbane adversus hoc facientes, lineam poposcit. Et si aliquando concitate itur, nunquam non frigide reditur. Diametrus ergo hæc descripta est, quasi finibus utriusque partis regundis; intra quos se inter agendum contineat Orator. Dicuntur tum Oratores dicere ex plano, quia area illa plana æquaque est: Tranq. in Tyber. Et si quem Reorum elabi gratia rumor esset, subitus aderat, Judicesque aut e plano, aut e quæstoris tribunali legum, & religionis, & noxæ, de qua cognoscerent, admonebat. Ex quibus sane verbis conjici potest, imo certissime deprehendi, quid sit de plano cognoscere, ut in famosa illa Clement. Sæpe de verb. sign. cum Judici mandatur, ut causam aliquam simpliciter de plano sine figura, & strepitu Judicii cognoscat. Nam de plano cognoscit, cum ex tribunali Judex in planum, & aream descendit, atque ibi obiter κατὰ ποδὰς, e vestigio litem dirimit, ut ista adversa sint cognoscere de tribunali, & de plano. Huc pertinet l. a procedente. C. de dilatio. ubi dilationes dantur a non procedente, & ambulante Judice, & de plano, sed pro Tribunali supra planum sedente. Solent enim aliquando Rabulæ, ut sunt importuni, Judices descendentes de Tribunali retinere in aurea, planoque, ut quod volunt, obiter obtineant. Idem Auctor in Claudio. Illud quoque a majoribus natu audiebam, adeo Causidicos solitos ejus patientia abuti, ut descendentem e Tribunali, non solum voce revocarent, sed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso retinerent. Idem paulo post de Equite: cum scorta meritoria citari adversus se, & audiri pro testimonio videret, graphium, & libellos, quos tenebat in manu, ita cum magna stultitiæ, & sævitiæ exprobratione, jecisse in faciem ejus constat, ut genam non leviter perstrinxerit. Quæ patientia summa erat in eo, qui quicquid volebat, poterat, sed ille *non faciendo nocens*, 3. *sed patiendo fuit*. Sed ex his quis non videt crassum discrimen esse, inter cognoscere de plano, & sine strepitu? fit enim hic non modo strepitus, sed impotentissima, & non ferenda Causidicorum importunitas.

Oratoris incessus. *Dicere ex plano.* *Cognoscere de plano.* *Cognoscere de Tribunali.* *Rabularum importunitas. Claudii Cæsaris patientia.* *Cognoscere sine strepitu.*

COROLLARIUM AD CAP. V.

1 Ut hi sedeant, illi stent) *Quidam adeo superstitiosi hac in parte fuerunt, ut dicant sententiam latam a stante, aut non sedente Judice, nullius esse plane momenti: pro quibus facit cap. ult. in fi. de sent. & re jud. in 6. juncta gl. in ver. sedendo. Quod non obtinet in causis summariis, in quibus proceditur de plano: ut dicitur in clem. sæpe de ver. sig. circa fi. Cicero autem sæpissime usurpat sedere pro judicare.*

A stante Judice sententia non valet.

2 Adversa sunt cognoscere de tribunali) *Videre est ex l. 1. §. abolitio. ad S. C. Turp. l. 2. §. dies. quis ordo in bon. pass. ser. Impp. autem Honor. & Theodos. l. pen. de naufrag. lib. 11. C. pro summaria cognitione, levato velo dixerunt. Ubi, ni fallor, alludunt ad carbasa navium, quum de*

Levato velo.

submersis navibus loquuntur, aut forte respexerunt ad vela, quibus aliquando inumbratum fuit Forum Rom. ut alias adnotavimus, quæ Sessionum tempore expansa, post Cognitionem reducebantur, licet de privatis agant.

3 Non faciendo nocens) *Versus est Ausonii de* XII. *Cæsaribus. Exemplum autem hoc de Equite ponitur, ut nimiam tolerantiam Claudii demonstret.*

ARGUMENTUM

CAP. VI.

De instrumento Fori, & forma Tribunalis.

Instrumentum Fori.

UNiversum Fori instrumentum erat in Tribunali, Subselliis Judicum, Litigantium, Patronorum, Subscriptorum, Cognitorum, Custodum, Laudatorum, Pragmaticorum, Testium, reliquorumque Advocatorum, & abacis Notariorum, & Scribarum, quæ tamen veluti ruta cæsa, opusve quoddam intestinum 1, loco moveri poterant, & ex Basilica in aream apertam, & rursus inde, in Basilicam transferri. Fab. de Portio Latrone: Impense petiit a Judicibus, ut subsellia in Basilicam transferrentur. Suet. de funere Julii: Lectum pro Rostris in Forum Magistratus, & honore functi detulerant, quem cum pars in Capitolini Jovis cella cremare, pars in Curia Pompeii destinaret, repente duo quidam gladiis succincti, ac bina jacula gestantes, ardentibus cereis succenderunt, confestimque circumstantium turba, virgulta arida, & cum Subselliis Tribunalia, quicquid præterea ad manum aderat, congessit. Fuit & in Fori instrumento Tabularium, quod & Tablinum, Græcis Grammatophylacion, & Chartophylacion: ubi Actorum Forensium Commentarii velut in Armario asservarentur. Verg. in Georg.

Rura Cæsa, Subsellia transferri poterant.

Tabularium.

Insanumque Forum & populi Tabularia vidit.

Capitolinus in vita Mar. Philosophi: per provincias Tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud Præfectos Ærarii, ut si forte aliquis in provincia natus, causam liberalem diceret, testationes inde ferret, atque hanc totam legem de assertionibus firmavit. Quamquam aliter capiat Tabularia, nimirum pro tabulis & pulpitis, Tac. in dial. ubi comparat veteres cum sui sæculi Oratoribus: Quantum (inquit) virium detraxisse Orationi Auditoria & Tabularia credimus, in quibus jam fere plurimæ causæ explicantur: ubi significatur more scholarum in pulpito recitatas Orationes. Asconius in argu. Milonianæ: Populus duce S. Clodio Scriba, corpus P. Clodii in Curiam intulit, cremavitque subselliis, & tribunalibus, mensis, & codicibus Librariorum. Tribunal autem ejus erat, qui judicio præsidebat, eminebatque inter subsellia minorum Judicum, ut Prætoris majestas in Trabea & Prætexta magis conspicua appareret. Livius l. 2. de Consulibus militem conscripturis: Dimisso Se-

Tribunal.

A natu Conss. in Tribunal ascendunt, citant nominatim juniores. Et paulo post: Redeunt in Tribunal, citari nominatim unum ex iis, qui in conspectu erant, dedita opera jubent: cum staret tacitus, & circa eum aliquot hominum, ne forte violaretur, constitisset globus, Lictorem ad eum Consules mittunt, quo repulso, tum vero indignum facinus clamantes, qui Patrum Conss. aderant, devolant de Tribunali, ut Lictori auxilio essent. Ex quibus verbis satis significatur, non in solam causarum cognitionem, Forensiumque operam comparatum esse Tribunal. B Porro quod duo Conss. sedebant in Tribunali, & in eodem illis aliquot Senatores aderant, conjectare licet, capax fuisse admodum Tribunal, quod planum fiet ex eo, quod a Vitruvio describitur l. 5. Quod cum esset in arcum efformatum, chorda erat pedum quadraginta sex, sagitta autem a chorda ad arcus curvaturam pedum quindecim. Valer. de Lucio Crasso agente in Gallia: Cum in eam Cneus Carbo, cujus patrem damnaverat, ad speculanda acta sua venisset, non solum eum inde non submovit, sed insuper lo- C cum ei in Tribunali assignavit. Et fortassis credendum est 2, in Tribunali fuisse Curulem collocatam, in qua Prætores considerent. Cic. IV. in Verrem de Verre Prætore: In Sicilia properans de sella exilivit, hominem innocentem a Sacerdote absolutum indicta causa, de sententia Scribæ, Medici, & Aruspicis condemnavit. Ibidem: Palam de sella atque tribunali pronuntiavit, si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, sese nomen ejus recepturum. Idem III. in Verrem: Quæ D multitudo, quod vos oblitos esse non arbitror, qui ordo ad Pisonis sellam isto Prætore solitus sit convenire. Cur enim Curulem non caperet, cum & Lecticam acciperet? Tranquillus in Augusto: Ipse jus dixit assidue, & in noctem nonnunquam: si parum corpore valeret, Lectica pro Tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Quibus adducor, fixum Tribunal fuisse, cujusmodi fuit Tribunal Aurelium in gradibus Aureliis ab Aurelio Cotta Prætore positum. Non omnes tamen Judices jus Tribunalis habebant, sed tantum Judices Ordina- E rii, & maxime, qui Ordinariis præsidebant, Tribunal habebant, reliqui Delegati & Commissarii Subsellium. Ulpian. l. 1. ff. de Judiciis: Judicis (inquit) qui Tribunali præest, aut aliam Jurisdictionem habet: Item ex alio Tranquilli loco in Augusto: Solis virginibus Vestalibus locum in Theatro, & contra Prætoris Tribunal dedit. Fuit tamen alia in Castris Tribunalis forma, ut etiam a sella Castrensi & Curuli diversa esset. Idem in Galba: Obser- F vatum est etiam, Kalendis Januarii sacrificanti coronam de capite excidisse, auspicanti pullos evolasse, adoptionis die, neque milites alloquuturo, Castrensem Sellam de more positam pro Tribunali oblitis ministris, & in Senatu Curulem perverse collocatam. Curtius libro nono: Tandem universa concione effusius flente Pœnus ausus est, cunctantibus cæteris, propius Tribunal accedere. Et paulo post: Itaque inops consilii desilivit e Tribunali. De suggesto loquitur, ex quo concionabatur apud

Curulis in Tribunalis.

Lectica pro Tribunali.

Tribunal fixum.

Non omnes judices ius Tribunalis habebant.

Tribunal extra Forum.

Tribunal pro suggesto.

milites Alexander. Plinius Secundus in Panegyrico ad Trajanum: Decora facies Consulis multa post sæcula Tribunal viridi cespite extructum: nec fascium tantum, sed pilorum signorumque honore circumdatum. Cujus militaris Tribunalis etiam meminit Plutarchus in Pompejo: Fuit & Carpentum Judiciale. Flavius Vopiscus Syrenensis in Aureliano ad initium: Hilaribus, quibus omnia festa, & fieri debere scimus, & dici, impletis solemnibus vehiculo suo me, & Judiciali Carpento Præfectus urbis accepit. Sella vero Curulis a Lectica differebat, & Solio, quanquam sunt qui apud Poetam, illud:

Militare Tribunal. Carpentum Judiciale. Curulis a Solio differt.

—— *Solio consedit eburno.*

de Curuli intelligant, quod ex ebore fuerit teste Plutarcho, quod mihi vix persuadere possent, quod sellæ Curules non solidæ, sed diversis partibus conjunctis compactæ sint. Tranquillus in Augusto: Rursus commissione ludorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat, evenit, ut laxatis sellæ Curulis compagibus caderet supinus. Solium autem dictum Grammaticis, quod solidum esset, & quasi homogeneon Physicis, Jurisconsultis autem ἡνωμένον, quod continetur uno spiritu, ut lignum, lapis, & similia: Nam quod ex pluribus cohærentibus, & contiguis, id est, continentibus constat, hoc Physici heterogeneon, Jurisconsulti συνημμένον vocant, auctor Pomponius in tit. de usurpation. l. rerum mixtura. Fuit etiam Solium non tantum Regium, sed etiam Jurisperitorum veterum, ex quo de jure domi respondebant. Tullius primo de legibus: Ego vero ætatis potius vacationi confidebam: cum præsertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in Solio consulentibus responderem, senectutisque non inertis grato, atque honesto munere fungerer. Meminit & III. de Oratore. Curulis autem a Lectica & si differat, utraque tamen civium principum propria, utraque gestationi comparata, ut ambigam de loco Suet. in Nerone: Interdum (ait) quoque clam gestatoria sella delatus in Theatrum: nisi quod sella, etiam citra epitheton pro Curuli accipiatur, non pro lectica. Paul. Jurisconsultus in tit. de servit. urb. prædiorum: Qui sella aut lectica vehitur, ire non agere dicitur. Suet. in Julio: Lecticarum usum, item Conchyliatæ vestis & Margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies ademit. Idem in Domitiano: probrosis fœminis lecticæ usum ademit, jusque capiendi legata, & hæreditates. Enumeratur etiam inter Magistratuum insignia a Juvenale in 10.

Solium. Curulis a lectica differt.

Quanquam non essent urbibus illis Prætexta, & Trabeæ fasces, Lectica, Tribunal.

Gestabatur etiam a Lecticariis, & succollabatur, non equis portabatur, ut nunc. Tranquillus in Claudio: ab his lecticæ impositus, & quia servi diffugerant, vicissim succollantibus, in castra delatus est: quæ a Lecticariorum numero gestantium, modo hexaphoros, alias octophoros 3 vocabatur. Sic etiam Curulis majorum Magistratuum vocabulum, ut etiam sellæ muliebres. Idem in Othone: Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit, ac deficientibus Lecticariis, cum descendisset, cursumque cœpisset, laxato calceo restitit, donec omissa mora succollatus, & a præsente comitatu Imperator consalutatus, &c. Hunc morem hodie repræsentant Pontifices Rom. qui succollati per Lecticarios gestantur sublimes, conspicui, & visendi. Sed Lectica tecta erat, & munita quasi arca quædam magna, vestimentis instrata, qua ægri aut senes portabantur, instar Arceræ 4 apud Gellium. Tranquill. in Augusto: A cœna in lecticulam lucubratoriam se recipiebat, ibi donec residua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte, conficeret, ad multam noctem permanebat; ubi fortassis melius legeretur cellula, de qua paulo ante in hæc verba: Si quando quid secreto, aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas & τεχνόφυον vocabat: Hinc transibat in alicujus Libertinorum suburbium. Ubi rursus legendum censeo Libertorum. Vehebantur & Lectica delicati. Idem in eodem Augusto: Sic quoque sæpe indigens somni, & dum per vices deportaretur, deposita lectica inter aliquas moras, redormiebat. Cicero Philippica II. Vehebatur in Essedo Tribunus plebis, Lictores Laureati antecedebant, inter quos aperta Lectica Mima portabatur. Habuit enim utrinque plagulas 5 vice fenestrarum. Suetonius in Tito. Deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, cum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlum, multumque conquestus, eripi sibi vitam immerenti. Varro lib. de vita populi Rom. apud Nonium Torale vocat, quod lecticæ injicitur, & Segestria, quæ eandem involvebat. Lecticæ nostræ, quibus gestantur Magnates Pilenta recte vocantur, id est, Rhedæ pensiles, quæ interdixit matronis Romanis lex Oppia. 6.

Lecticarii succollatores. Pontifices Romani. Arcera. Locus Tranquilli emendatus. Plagulæ lecticarum. Toral. Pilenta.

COROLLARIUM AD CAP. VI.

1 Ruta cæsa) *Aliter usurpat Ulpianus in lib. 17. de act. emp. ut sint quasi eruta veluti creta, arena: cæsa, ut arbores, carbones. Largius tamen accipere videtur Scævola l. 66. §. ult. de contr. emp. pro iis quæ ædium fundive non sunt, quibus adde l. 241. de verb. significat. quæ terra non tenentur, quæque opere structili, tectoriove non tenentur, ut hæc postrema addita sint, pro prædiis & ædificiis urbanis, in quibus ruta cæsa accipiuntur pro opere intestino, id est, iis mobilibus quæ menugeria vocant, & quæ clavis, stipitibus, & radicibus fixa non sunt, ut adversa sint operi structili & tectorio, ut sunt incrustationes, lambruceriam vocant, coaxationes, intertignia, ostia, fenestræ, & similia,* qui tienuent a cloux cheville chimme & rachine, *ut Pragmatici consuetudinarii vocant, quæque sine turpi nota & deformitate ædium amoveri non possunt. Sic Jabolenus l. 18. de act. emp. Granaria, quorum stipites in terra defossi non sunt, rutis cæsis cædere ait Cicero. Sed dices te, cum ædes*

Ruta cæsa. Opus intestinum. Opus tectorium. Incrustationes.

venderes, ne in rutis quidem cæsis, solum tibi paternum reliquisse. Et quæ ruta cæsa in ædibus proprie sunt, ea in villa, taberna, & officina instrumentum dicuntur, in vineis dos. Columel. lib. 3. de re Rustica, c. 3. vineas cum sua dote, id est, cum pedamentis, & viminibus, &c.

Instrumentum Dos.

2 Et fortassis credendum) *Hanc divinationem mire adjuvat, quod scripsit Tacitus, lib. 2. annalium: nec Patrum cognitionibus satiatus, judiciis assidebat in cornu Tribunalis, ne Prætorem Curuli depelleret.*

3 Hexaphoros, octophoros) *De Hexaphoro, & Octophoro crebra mentio est apud poetas: presertim apud Martial. Sic enim l. 1. In Cæcilianum:*

Cum tibi non essent sex millia, Cæciliane,
Ingenti late vectus es Hexaphoro.

Et lib. 6. in Aphrum:

Quid te Cappadocum sex onus esse juvat.

Item paulo post.
Non debes ferri mortuus Hexaphoro.

Juvenalis:

Qui sexta cervice feratur.

De octophoro idem Martialis:

Octophoro sanus ponatur, Avite, Philippus,
Hunc tu si sanum credis, Avite furis.

Et libro nono:

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.

Lecticarii.

Lecticarum etiam crebra fit mentio a Jureconsultis in l. 8. §. si ita legatum. de legat. lib. 1. l. 65. eodem lib. 2. l. 49. lib. 3. l. 13. de auro & argento mundo. Hujusmodi homines lecticam bajulantes, ad lecticam homines vocat Catullus.

Arcera.

4 Instar arceræ) *Quid sit arcera, explicat Cæcilius J. C. apud Gellium Noct. Att. lib. 20. c. 1. quod probat Nonius Marcellus. Arceram porro ex tabulis factam scribit Varro lib. 4. de lingua Lat. De Pilento autem, Carpento, Basternis & Petoritis multa diligenter, & curiose adfert Petrus Pithœus J. C. adver. subsec. l. 1. c. 5. De Petorito Gellius c. 3. l. 15. & de Pilentis quædam habentur apud Adrian. Turneb. lib. 11. advers. c. 6.*

Plagæ.

5 Utrinque plagulas) *Nonius plagas interpretatur grandia linthea, & toral, & lecticariam sindonem, unde per diminutionem plagulæ dicuntur, quas inter muliebria vestimenta recenset Ulpian. in l. 23. de aur. arg. mund. legat. Bayfius interpretatur lineam vestem, vel instratum lineum, quod puerperæ honoris & decoris gratia lecto, in quo decumbunt, superponere solent, ad candorem & cultum delicatiorem.*

6 Lex Oppia) *Pro defensione, & abrogatione hujus legis vide apud Livium l. 34. nobile certamen atque Orationes in utramque partem a Portio Catone Cons. & Lucio Valerio Trib. Pleb. habitas.*

A

ARGUMENTUM.

CAP. VII.

De Subselliis & Sessionibus Judicum, Litigantium, & Testium, & instrumenti forensis conductione, & dispositione, Auditorii redemptione, faventium & fastidientium gestu.

B

Centumviri in quatuor Hastas, Consessusque distributi erant, totidemque Tribunalia. Plinius lib. 1. Epistolarum: Eram adoloscentulus adhuc, eram in quadruplici judicio, id est, Centumvirali in quatuor consilia diviso: quibus singulis, singulæ hastæ dieb. fastis erigebantur. Fabius de Julia Basilica: Certe cum in Julia Basilica diceret primo Tribunali, quatuor autem Judicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum, & intellectum, &, quod agentibus cæteris contumeliosum fuit, laudatum quoque e quatuor Tribunalibus memini. Atque ut Tribunalia, & Curules majorum sunt Magistratuum, ut Consulum, Prætorum, Proconsulum, Præsidum, & Præfectorum urbis: Ita Subsellia minorum, ut Quæstorum, Tribunorum, & Judicum, qui nudam Jurisdictionem habent, sine ullo imperio. Tranquillus in Claudio: De majori negotio acturus in Curia, medius inter Consulum sellas Tribunitio Subsellio sedebat. Puto tamen Subsellia, hinc inde circa Tribunal, veluti sedilia perpetua in exhedris Philosophorum disposita, iisdemque sic usos Subselliis Judices, ut si qui ex iis, qui in sortem obvenerant, jus Curulis haberent, aut aliorum insignium, in Curuli consedisse, suumque jus usurpasse, ut in Senatu fiebat: neque tantum Judices, sed & Advocatos, qui præsentem, tacitamque commendationem ex opera sedentaria commodabant. Cic. pro Pub. Sylla: Sed si parens tuus, etiam in illa suspicione periculi sui, tamen humanitate adductus, advocationem hominis improbissimi, sella Curuli, atque ornamentis suis Consularibus honestavit. Quid est, quamobrem Consulares, qui Catilinæ adfuerunt, reprehenduntur? *Animus autem sedendo magis sapit*, (ut est in proverbio) habetque acriorem contentionem in quiete corporis, & cum natura nulla molestia impeditur, constantius sese in rem propositam intendit, ut simul cum corpore affectus mentis componatur, quod & agnoscunt Anagogici Theologi in illo Matth. v. loco: Cum vidisset Jesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, &c. Acceditque quod auctoritas & majestas 1 Magistratus magis visenda ostenditur, in sedente, quam stante: & de hoc ante dictum est: Hinc Consessus Judicum, & etiam Ducum in Castris.

Quatuor Tribunalia.

C

Subsellia

D

E

Cur sedeant Judices.

F

Subsellia litigantium.

Consedere Duces, surgis tu pallidus Ajax.

Quanquam 8. Æneidos, consilium capturi in rerum discrimine ex Æneæ absentia Duces Trojani

—— *Stant longis innixi hastis.*

At cum litigantes adversa haberent Subsellia, separata erant ea, in quibus Testes considebant. Hinc Cicer. pro Flacco exagitat, quod Testes inter Adversarii Advocatos sederent, his verbis: hoc vero quid est? una sedent, ex accusatorum subselliis surgunt, non dissimulant, non verentur. De Subselliis queror, una ex domo prodeunt. Conducebantur vero Tribunal, Subsellia, reliquumque instrumentum ab Ærario, quas redemptionum sordes remisit Nero in principatu. Tranq. in ejus vita: Item ut litigatoribus pro patrociniis certam justamque mercedem, pro Subselliis nullam omnino darent præbente Ærario gratuita constituit. Sic in recitatione Poetarum. Tacitus in Oratoribus: Cum toto anno per omnes dies magna noctium parte unum librum extulit, & lucubravit, rogare ultro, & ambire cogatur, ut sint qui dignentur audire, & ne id quidem gratis: nam & domum mutuatur, & Auditorium extruit, & Subsellia conducit, & libellos dispergit. Asservabanturque in eum usum in Curia: Ideo in funere Clodii arrepta sunt a plebe, & in rogum conjecta, cum illic cadaver cremaretur, ut docuimus ex Asconio. Accusator autem redempta collocabat in ea fori parte, quam commodissimam sibi arbitrabatur: Ideoque M. Cicero pro Flacco, conqueritur electum a Lælio Accusatore consessui locum proximum gradibus Aureliis, in quibus perditi quidam, egentes, & conducti vociferarentur ad mentionem auri Hierosolymitani. Ejus hæc verba sunt. Sequitur auri Hierosolymitani invidia: hoc nimirum illud est, quod non longe a gradibus Aureliis hæc causa dicitur, ob hoc crimen hic locus abs te, Læli, atque illa turba quæsita est. Aliquando etiam eodem in die plura Judicia publica in Fori area exercebantur. Asconius in Milonianam de Milone duabus legibus de vi & ambitu Reo: Divinatio de ambitu Accusatorum facta est, Quæstore Aulo Torquato, atque ambo Quæstores Torquatus & Domitius Nonis Aprilis Reum adesse jusserant, quo die Milo ad Domitiani Tribunal venit, ad Torquati amicos misit. Ibi postulante pro eo Marco Marcello, obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret, quam de vi judicium perfectum esset. Hæc Asconius. Auditores extra conspectum stabant, nisi cum ignavi quidam, & frigidi dicerent: tum enim si qui aderant in vacuis subselliis sedebant. Aliquando etiam pretio 2 redimebantur ab ambitiosis, qui numo, non fama eloquentiæ Auditorium corrogabant. Plin. lib. II. ad Maximum. Heri duo nomenclatores mei habebant ætatem eorum, qui nuper togas sumpserunt, ternis denariis ad laudandum trahebantur, tanti constat, ut sis disertissimus. Hoc pretio quælibet numerosa subsellia implentur, hoc ingens corona colligitur, hoc infiniti clamores commoventur, cum Mesichoros dedit signum: Opus est enim signo apud non intelligentes, ne audientes quidem. Nam plerique non audiunt, nec ulli magis laudant. Deinde paulo post: primus hunc audiendi morem induxit Titus Largius, hactenus tamen ut

Instrumenti Fori conductio.

Accusator Subsellia collocabat loco sibi commodissimo.

Audientium locus.

Auditorium redemptum

A auditores corrogaret. Ita certe ex Quintiliano præceptore meo audisse memini. Narrabat ille: Affectabat Domitium Afrum, cum apud Centumviros diceret graviter, & lente, hoc enim illi actionis genus erat; audit ex proximo immodicum, insolitumque clamorem, admiratus reticuit, ubi silentium sibi factum est, repetit, quod abruperat, iterum clamor, iterum reticuit, & post silentium cœpit. Idem tertio. Novissime quis diceret quæsivit, responsum est, Licinius. Tum intermissa causa, Centumviri (inquit) hoc artificium periit.
B Hæc Plinius: Quo apophtegmate conquerebatur Domitius Orator, Eloquentiam, dicendique artem, tot sæculis Romani Fori Reginam, extinctam, eversamque pecunia, cum non peritia, sed pecunia causidicos commendaret. Nam pauci aderant Eloquentiæ in illa ætate admiratores. Tacitus in Oratoribus, de suo sæculo loquens: Unus inter hæc dicentium, & alter astitit, & res velut in solitudine agitur. Oratori autem clamore, plausuque opus, & velut quodam Theatro, qualia quotidie antiquis
C Oratoribus contingebant, cum tot pariter, & tam nobiles Forum coarctarent, cum Clientelæ quoque, & Tribus Municipiorum, & Legationes, & partes Italiæ periclitantibus assisterent, cum in plerisque Judiciis crederet Populus Rom. sua interesse, quid judicaretur. Satis constat, C. Cornelium, M. Scaurum, Titum Milonem, L. Bestiam, Pub. Vatinium concursu totius civitatis, & accusatos, & defensos, ut frigidissimos quoque Oratores ipsa certantis populi studia excitare, & incendere potuerint. Itaque hercule ejusmodi libri
D extant, ut ipsi quoque qui egerunt, non aliis magis Orationibus censeantur. De iisdem pretio conquisitis, & coemtis Auditoribus Juven. Satyra XIII.

Quanto Fessidium laudata vocalis agentem
Sportula.

Et Martial. lib. V. ad Candidum de liberto:

Quidlibet in causis narraveris, ipse tacebo,
E *At tibi ter geminum mugiet ille sophos.*

Idem lib. VI. de Laudicœnis.

Quod tam grave sophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est,

F Idm Plinius paulo ante in eadem epist. prius citata: Sequuntur Auditores Actoribus similes, conducti, & redemti mancipes, convenitur a conductis, & redemtis in media Basilica, tam palam Sportulæ, quam triclinio dantur. Ex judicio in judicium pari modo transitur. Inde jam non inurbane σοφοκλεῖς vocantur ἀπὸ τοῦ σοφὸς, καὶ καλεῖσαι. Iisdem Latinum nomen est impositum Laudicœni, & tamen crescit in dies fœditas utraque lingua notata. Hactenus ille. Non solis Judicibus dat operam Orator, sed & coronæ astantium sese accom-

Sportula

Laudicœni.

Orator se coronæ accommodat.

modat, ut peritus nauta, qui ventis, cœloque morem gerit, modo expansis, modo contractis velis. Tanta enim est vulgi libertas, ut in eundem fere exeat finem forensis Actio, in quem Mimorum & Histrionum Theatralis gesticulatio, utque hi ex gestus compositione sibilum vel plausum sibi conciliant: ita illi pedum supplosu, vel cachinno ejiciuntur, aut fremitu, fausto applausus favore, & lætis acclamationibus excepti laudantur. Sunt ista Auditorum faventium, supplodere, acclamare, silere, 3 suspicere, intueri. Cic. 1. de Oratore de causa Rutilii; Quid multa? Pedem nemo eo in Judicio supplosit, credo, ne Stoicis renunciaretur. Idem III. dialogo: In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem Deum (ut ita dicam) inter homines putant? & Vergil. 1. Æneid.

Auditorum faventium signa & vocabula.

Tum pietate gravem, & meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant.

Complosus manuum gestus est laudantium. Horatius.

Consentire tuis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Ubi Acron utroque pollice, id est, utraque manu synechdochicῶs sublata pariter, & sæpius mota. Quanquam malim ad veterem ritum referre, ut pollex 4 sit membrum propensi favoris. Plinius capite II. libro XXVIII. Pollices cum faveamus premere, etiam proverbio jubemur. Fastidientium vero sunt exsibilare, explodere, obstrepere, frendere, rumpi. Cicero pro domo sua: quare disrumpatur licet ista furia, atque audiat hæc ex me, quoniam lacessivit. Apud Livium: fremant frendeantque. Quamvis fremere sit vocabulum castrense & meson, quodque tanquam gladius Delphicus in contrarios usus converti possit. Est enim fremitus militum, levis quidam susurrus concionis militaris, conjunctus cum assensu & favore propenso; alias indignatione, & ira tacita. Idem Vergil. eodem lib.

Fastidientium audientium vocabula.

Fremere.

Talibus Ilioneus, cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ.

Neque soli Auditores victi, aut expugnati vi orationis erumpebant in clamores, sed & Judices ipsi personam retinere non poterant, quin loci auctoritate, suique muneris majestate posthabita, ita afficiebantur, ut non murmure solum, aut alio non ita insigni signo, sed & effusis clamoribus, dicentem laudarent. Plinius lib. IX. ad Maximum. Frequenter mihi agenti evenit, ut Centumviri cum diu se intra Judicum auctoritatem, gravitatemque, tenuissent, omnes repente quasi victi, coactique consurgerent, laudarentque. Julium Cæsarem infensissimum Q. Ligario, ita ut omnino eum perdere decrevisset, nobilissima illa Oratiuncula, quæ extat pro eodem Ligario, expugnatum testatur historia, ut inter audiendum mutatum subinde se dejici sentiret. Et vehementissima illa in Q. Tuberonem apostrophe: *Quid tuus ille Tubero in acie Pharsalica, &c.* ita ex se positus est, ut abjectis libellis, quos manu tenebat, omnino sibi non constaret.

COROLLARIUM AD CAP. VI.

1 Accedit quod auctoritas & majestas) *Unde Hieronym. c. 8. Daniel. dum explicat hæc verba: antiquus dierum sedit: sedens (inquit) describitur, ut maturitas sententiæ comprobetur. Repete quæ superius c. 5. dicta sunt.*

2 Aliquando etiam pretio) *Quem morem imitantur adhuc quidam Professores in Italia & Gallia, qui sportulas, aut cœnam rectam dant, ut sint qui eos audire velint.*

3 Silere) *Plin. lib. 2. epistola ad Octavium: Imaginor si qui concursus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam silentium maneat, quo ego cum dico, vel recito, non minus quam clamore delector. Sit modo silentium acre, & intentum, & cupidum ulteriora audiendi. Inde Musonius Philosophus apud Gellium noct. lib. 5. cap. 1. improbat laudari Philosophum a vociferantibus, & in laudando gestientibus, magnam laudem (ait) non abesse ab admiratione, admirationem autem, quæ maxima est, non parere verba, sed silentium. Idcirco poetarum sapientiss. auditores illos Ulyssis labores illustrissime narrantis, ubi loquendi finis, consiluisse universos dicit, quasi attonitos & obstupidos, delinimentis aurium ad origines usque vocis permanentibus.*

Silentium.

4 Ut pollex sit membrum propensi favoris) *Huic interpretationi subscribit Adrianus Turnebus lib. 11. advers. cap. 6. ubi ait pollicem vertere damnantis esse, quod & Politiano explicatum est: Vide etiam Andr. Alc. l. 12. cap. 9. paregr. Jur. Fab. lib. 11. cap. 3. Inst. Orat. averso pollice demonstrare aliquid receptum magis puto, quam Oratori decorum, & paulo post: In posteriora gestus non dirigitur, interim tamen velut rejici solet.*

Pollicem vertere.

ARGUMENTUM.

CAP. VIII.

De vario Dierum discrimine, ac primum de Nefastis.

Dierum Romanorum historiam, quæ eorum discrimina, nomina, causasque explicatas continet, Pontificum Fasti prosequuntur, cujusmodi argumentum aliquando Callimachus poematio complexus est, quod inscripsit περὶ αἰτίων, quod fortassis universa temporum descriptio, in causis eorum explicandis occupata sit, quod videtur sequutus Ovid. in Fastorum propositione.

Pontificum Fasti.

Tempora cum causis Latium digesta per annum,
Lapsaque sub terras, ortaque signa canam.

Cæterum a Numæ regis tempore, & institutis sacerdotibus designatisque annuis per menses XII. & dies 365. anfractibus, qui dies Festi, Profesti, Intercisi, & ex Profestis qui Stati, Præliares, Comperendini, Comitiales, Fasti, Nefasti, Religiosi, Atri, Innominales, usque ad Appium Claudium Cæcum, a collegio Pontificum, in quod soli tum Patritii cooptabantur, plebeii discebant. Cujus scriba Cneus Flavius cornicum oculis confixis 1 (ut ille ait) mimum omnem plebi, Fastis communicatis, divulgavit. Sed ut ad propositum instituta referatur oratio, Forensium dierum ratio in triplici est constituta discrimine; aut enim Fasti sunt, aut Nefasti, aut Intercisi. Priores duo solidi sunt, & perpetui ab ortu in occasum, postremi trunci & imperfecti, quibus, nisi post operam sacris datam, litibus vocare non licebat. Nefastis vero silentium Fori justitiumque erat. Ovidius.

Cn. Flavius Scriba. — *Dierum divisio.* — *Nefasti.*

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,
Fastus erit, per, quem lege licebit agi.

Intercisi. De intercisis 2 idem poeta, cujusmodi similes habemus in nostra religione, ut matutini festi, pomeridiani profesti:

Neu toto perstare die sua jura putaris,
Qui jam Fastus erit, mane Nefastus erat.
Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera Prætor habet.

Nam qui putant, Nefastum diem esse eum, qui religione infamis & infausto nomine ater sit, eos ineptos esse apud A. Gellium memini, cum revera vocabulum forense sit, amplectaturque omnia dierum genera, quibus Justitio Fori indicto Prætor Jurisdictionem non exercebat. 3 Itaque dies faustissimi & festissimi, ut Natalis Urbis, Cæsaris, Sacrorumque Ludorum, quia illis Prætori os veluti occlusum erat, ne proferret tria illa solemnia verba, do, dico, addico, 4 quibus totum mysterium suæ Jurisdictionis absolvitur, nefasti erant. Non sum tamen nescius, nefastum nonnunquam pro infami 5 sacro aliquo omine accipi, quod quasi nefas secum traheret. Tacit. lib. 14. Dies natalis Agrippinæ inter nefastos fuit. Cicero secundo de legibus hoc Aphorismo: *Quæ Augur injusta, nefasta, vitiosa, dirave defixerit, irrita, infectaque sunto.* Idem Statius Thebaidos 1. pro prophano, & profesto usurpat.

Honoraria verba. — *Nefastus pro infami contra Gellium.*

Arcades hic tua (nec pudor est) delubra nefastis
Imposuere jugis.

Dies mœsti, & lugubres. Sed ista habent eam analogiæ formam, quam nefas, nefandum. Hujusmodi vero dies atros, religiosos, ominosos, mœstos, lugubres vocant Gellius 6 cap. XVII. lib. V. Verrius Flaccus in IIII. de verb. signif. Dies qui sunt postridie Kalendas, Nonas, Idus, quos vulgus imperite nefastos dicit, propter hanc causam dictos, habitosque atros

A scribit Sueto. in Augusto: Adeo consternatum ferunt, ut per continuos menses, barba, capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans, Quintili Vare, Legiones redde, diemque cladis quotannis mœstum habuerit, ac lugubrem. Apud eundem Gellium eodem in loco Innominales dicuntur: ante diem (inquit) quartum Kalendas, Nonas, vel Idus tanquam Innominalem diem plerique vitant. Ejus observationis an religio ulla sit tradita, quæri solet. Horum observationem 7 non fuisse olim, aliquot exemplis confirmat in vita

Dies Innominales.

B Furii Camilli Plutarchus. Nefasti ergo, quibus imperatum foro silentium, iidem fortassis sunt cum Justis, quod ut persuadeatur, lubet caput ex legib. XII. tabularum nominatim citare, & interpretari, quod hujusmodi est: *Confessi æris, rebusque jure judicatis, triginta Justi dies sunto.* Quæ verba sic Gellius 8 interpretatur: Justos appellarunt Decemviri, veluti quoddam Justitium, id est, Juris inter eos interstitionem quandam & cessationem, quibus dieb. nihil cum his agi jure possit; Andreasque Alciat. 9 quem honoris gratia no-

Dies Justi iidem cum Nefastis.

C mino, ne plagium commisisse videar, commentus est Justitiæ, Justitii & Justi, argutam sane, & dignam suo nomine analogiam, cui Justitia dicatur, non quod juris quidam sit status, ut putavit Isidorus 10, sed quod vis sistatur, quasi vis stitia κατ' ἀντιστοιχίον, id est, elementi præposteram trajectionem. Dies ergo justi erant, quibus vis in Reos delatos, aut judicatos sistitur, & sententiæ executio, solutionisque coactio suspenditur, & differtur in diem trigesimum. Tranquill. in Augusto: Obser-

Andreas Alciatus — *Justitiæ analogia*

D vatum est, ne, quoties introiret urbem, supplicium de quoquam sumeretur, qui dies adventus Augusti recte justi vocarentur, quod illis vis, & executio juris differatur, & sistatur, ut in civilibus, ii etiam dies, qui dantur Reis, & gravi ære alieno obæratis a Principe causa cognita, & extra ordinem, in dilationibus solutionum (atterminationes, & respirationes vulgus vocat) & qui a die missionis in possessionem ex contumacia triginta dies dantur, usque ad proscriptionem, ut ex Oratore pro Quintio. Qua ratione Solstitium dicitur

Dies Justi. — *Dilationes solutionum.*

E in astrologicis, quando solis accursus in Tropicis sistitur, ubi est summus Zodiaci flexus, ad utrumque polum ab Æquidio ex axiomate physico, idem corpus in circumflectendo cursu aliquantulum stet sistatve gradum. Atque ut Nefastorum descriptio latius explicata spectetur, sic distribuatur, ut quidam sint sacri, quidam prophani. Sacros vocarunt Latini Festos & Religiosos. Suetonius in Tyberio: Nullus a pœna hominum cessavit dies, ne religiosus quidem ac sacer. Ubi Religiosus

Solstitium. — *Divisio Nefastorum.* — *Religiosus pro festo.*

F pro festo, in bonam partem accipitur: ut in eodem Nefastus novo more pro atro usurpatur; de nuru Agrippina loquens: sed & perseverantem, atque ita absumptam, criminose insectatus est, cum diem quoque natalem ejus, inter nefastos referendum suasisset. Hos bonos etiam dies vocant. Ovidius:

Nefastus pro atro. — *Dies boni.*

Prospera lux oritur, linguis animisque favete,

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Jurgia, differ opus livida turba tuum.

Nefastorum divisio. Stati. Ex Religiosis & Sacris Stati sunt quidam, alii Repentini, quidam Conceptivi. Stati ita in Fastis descripti sunt, ut annuis anfractibus in eundem semper diem cadant, quamvis rem conturbat intercalandi imperitia, ut sunt plurimi ex Festis Deorum, & Ludorum digestis in menses singulos ab Ovidio, quibus, quia Justitium erat, Nefasti vocantur. Cicero 2. Verrina: Nonæ sunt hodie Sextiles, hora nona convenire cœpistis, hunc diem jam ne numerant quidem, decem dies sunt ante Ludos votivos, quos Cn. Pompejus facturus est, hi ludi quindecim dies auferent: Deinde continuo Romani consequentur, ita prope quadraginta diebus interpositis, tum denique se ad ea, quæ a nobis dicta erant, responsuros esse arbitrabantur, deinde ducturos se dicendo & accusando facile ad Ludos Victoriæ. Cum his plebeiis esse conjunctos, secundum quos, aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri sunt. Hæc ille. Facit ad hanc rem caput ex Ciceronis Nomothesia: *Feris jurgia amovento, easque in famulis operibus patratis habento*. Quod idem auctor ita interpretatur. Cum est feriarum festorumque dierum ratio in liberis, requietem habet litium & jurgiorum: in servis operum & laborum. Præter Sacros sunt alii dies quidam Stati, sed etiam litibus exempti. Ulpian. lib. 2. ff. tit. de feriis. Pridie Kalendarum Januarii Magistratus, nec jus dicere, sed nec sui potestatem facere consueverunt. *Accursius reprehenditur.* Ubi Accursius quam historiæ & temporum peritus fuerit, glossula satis coarguit: Dic (inquit) quod tempore hujus legis Christus non venerat in virginem, cum Christus sub Augusto natus sit, *Ulpianus.* Ulpianus sub Alexandro Syro vixerit, interjectis viginti Cæsaribus, & annis fere ducentis. *Stati ex Nefastis quot.* Nefastos Statos Marcus Philosophus Imperator centum & trigintaquinque fecit, reliquos ducentos & triginta reb. agundis, litibusque decidundis constituit, auctor Capitolinus. Itaque verisimile est, recognitos ab eo Fastos, in quib. pauciores erant judiciarii & legitimi dies: *Augustus Fastos recognovit.* Nam & Augustus antea, cum animadvertisset, infinitas lites tam paucis Fastis non posse expediri, ex Nefastorum numero aliquos detraxit. Tranquillus in ejus vita: Ne quod ante maleficium negotiumve impunitate, vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit. Scio ego Jurisconsultos observasse certos casus, quibus Magistratus operam darent etiam Nefastis. 11 Sed quia summa historiæ capita tantum decurrimus, non putavimus officio injungendum, & labori nostro subsecivo hoc imponendum, ut anxie jus ipsum conquireremus. *Concepti.* Concepti Nefasti sunt feriæ, quæ quotannis a Magistratibus vel Sacerdotib. concipiuntur in certos dies vel incertos, *Feriæ Latinæ.* ut sunt Latinæ, Sementinæ. Sic enim conceptivas ferias definit Macrob. lib. 1. Saturnal. Hi ergo quamvis annui essent, ta-

A men certum locum in Fastis non habebant: ut in nostra Europa Christiana, festa sunt mobilia, quæ quamvis quotannis redeant, tamen incertum diem habent in perpetuis sacris nostris Diariis, aut Ephemeridibus, vulgo Kalendariis, *Kalendaria.* infami olim vocabulo nominibus fœneratitiis, sed jam diluta macula Fastorum nostrorum religione quasi consecrato. Ad Conceptivos istos dies referre lubet, Ferias messium & vindemiarum, *Feriæ messium & vindemiarum.* quæ ut annuæ sunt, tamen certum initii sui diem non habent. Julius Paul. l. 2. ff. tit. de feriis: B Præsides provinciarum ex consuetudine cujusque loci solent messis & vindemiarum causa tempus statuere. Nam quod Theod. Imperat. 12 messem includit die VIII. Kalend. Augusti, vindemiam autem Septembris x. & Idib. Octobrib. videtur vim rerum attulisse naturæ, & eadem ubique eodem tempore ab ea exegisse, cum aliæ regiones aliud ingenium soli habeant, neque omnis fert omnia tellus, sed

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ, *Vergilius.*
C *Arboreique fœtus alibi, atque injussa virescunt*
Gramina.

Itaque ut quæque regio vel Soli vicinior est, vel ab eodem remotior, ita sibi mandatorum, creditorumque, vel citius vel tardius, usuras cum forte repræsentat. *Repentini.* Repentini 13 sunt, & Indictivi, qui etsi Fasti sint, tamen repentina aliqua occasione, ex eorum numero auferuntur, eximunturque, ut insignis aliqua Victoria, Ludi qui populo dantur insperati, D Triumphus, Ovatio, Supplicationes, Epula publica, Congiaria, Natalis filii, aut parentum Principis, (ut sæpissime in historia Tranquilli) Successio 14 novi Imperatoris. Plinius libro decimo epistolarum ad Trajanum: Diem, domine, quo servasti imperium, dum suscipis, quanta mereris lætitia celebravimus, precati Deos, ut generi humano, cujus tutela, & securitas saluti tuæ innisa est, incolumem florentemque præstarent: præivimus & Commilitonibus, jusjurandum more solemni præstantibus, & Provincialibus, qui eadem certarunt E pietate, jurantibus. Totam ascripsimus, quod præter rem nostram, solemnem Jurisjurandi exigendi a militibus morem, quo die succedebat novus Imperator, contineret: in quam sententiam multæ in eodem libro ab eodem ad eundem extant, cum quotannis repeterentur ejusmodi vota. Erant & aliæ multæ occasiones eximendorum dierum, ut cum ad Tribus & Centurias Populus evocaretur, *Comitiales & Fasti.* qui dies Comitialis vocabatur, qui solidus Nefastus non erat, sed comitiis curiatis intersciF ssus. Quo die Pub. Clodius adoptatus est lege curiata ad Populum per Cons. Cæsarem, eodem Cicero dixerat causam pro Cajo Antonio collega suo, sic enim ait ad Pontifices: Hora fortasse sexta diei questus sum in judicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Republic. quæ mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere; hæc homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, retulerunt: Hora nona

nona illo ipso die tu es adoptatus. Antequam enim in septa suffragiis ferendis vacaturus populus iret, aut ubi a campo rediisset, quid impediebat, quo minus litibus opera aliqua daretur? Hunc diem ita circumloquitur Ovidius:

Est quoque, quo populum jus est includere septis.

Plautus in Pœnulo de redemtis pretio Testibus:

Nam istorum nullus Nefastus est, Comitiales sunt meri.
Ibi habitant, ibi eos conspicies quam Prætorem sæpius.

Plautus explicatur. Alluditur ad istam dierum historiam, sed amphibologia est, in dictione Comitiales, nam usurpatur pro Forensibus, & qui quotidie in foro sunt exponentes vænalem operam, & fidem. Inde enim conducebantur. Idem in Trinummo:

—— Ego sycophantam jam conduco De Foro.

Et quasi adversarentur invicem, opposuit comitiales Nefastis, tanquam comitiales iidem essent cum Fastis. *Auspicia* Auspicia nonnunquam diem judicio dictum discutiebant. Tullius ad Pontifices: Denique si qua res illum diem, aut auspiciis, aut excusatione sustulit, tota causa judiciumque sublatum est. Quem locum capiendum puto, cum agitur ad populum causa: Nam Clodius Pulcher Tribunus non poterat diem dicere Ciceroni, nisi ad populum. Idem ibidem paulo ante de Auguribus: Negant fas esse agi cum populo, cum de cœlo servatum sit. Facit & aliud legis caput. *Jove tonante fulguranteve comitia ne sunto.* *Causæ indicendi Justitii.* Cladis item insignis, luctusque publicus causam indicendi Justitii attulit, cujus est apud Livium lib. x. exemplum. Tacit. lib. II. Hos vulgi sermones audita mors ita incendit, ut ante edictum Magistratuum, ante senatusconsultum sumpto Justitio desererentur fores, clauderentur domus, &c. *Sumere & exuere Justitium.* Ergo indicebatur edicto Justitium, atque ut dicit ille sumere Justitium. Ita lib. 3. idem auctor dicit exuere Justitium: Exuto (inquit) Justitio reditum ad munia, fortassis quod forenses alium haberent habitum. Aliquando ex privata occasione dies auferebatur, quod tangetur a nobis, cum de dilationibus vadimoniorum tractabimus. *Exempti dies.* Porro hos Nefastos etiam exemptos vocare possumus, quod eximantur, & subtrahantur rebus agendis, Græci exhæresimos vocant, sed in alia ratione. *Exhæresimi.* Cic. in Verr. actio. III. Consuetudo Siculorum est, cæterorumque Græcorum, quod suos dies, mensesque congruere volunt cum Solis Lunæque ratione, ut nonnunquam, si quid discrepet, eximant unum, aut aliquem diem, aut summum biduum ex mense, quos illi exhæresimos vocant. Si ergo aliquos eximimus dies, cur non exemptiles, exemptos, aut exhæresimos vocabimus? Plin. lib. v. epist. ad fin. Dimittuntur Centumviri, eximitur dies. Eodem modo dicuntur, & exemptæ Actiones, ut

A Prætoriæ post annum exactum exemptæ sunt a spatio temporis, aut cum ex alia occasione expirat Actio, sublataque est potestas lege agendi: quos etiam sublatos dicere possumus. *Exemptæ actiones.* Nam & tollere diem, & auferre, ut eximere dicimus. *Dies sublati.* Cic. pro domo sua: Si qua res illum diem auspiciis, aut excusatione sustulit. Idem actione II. in Verrem: Hi Ludi XV. dies aufferent: In foro nimirum, ne de ea re judicetur in Senatu, ne Senatusconsultum fiat, aut res transigatur, ut apud Gel. 15. Cato diem dicendo exemit, scilicet Senatoribus eripuit, ne de relato censeretur decreto. *Diem eximere.* B Cicer. III. de legib. Tunc enim tolli diem dicendo necesse est. Bona pars hyemis Justitio exigebatur. *Justitium hyemis.* Sed dies certos numero ac discrimine includere, aut advertere difficile est, quod Saturnalibus attribuissem, nisi me revocasset Tranquilli locus in Augusto: Plerisque (inquit) judicandi munus detrectantibus, vix concessit, ut singulis Decuriis per vices annua vacatio esset, & ut solitæ agi Novembri & Decembri mense res omitterentur. Hoc beneficium significatur alio in loco a Claudio Cæsare datum, & a Sergio Galba ereptum. C Idem in ejus vita: Judicibus sextam adjici curiam rogantibus, non modo non negavit, sed etiam concessum a Claudio beneficium, ne hyeme initioque anni ad judicandum evocarentur, eripuit: quod an designetur his verbis viderint, qui oculatiores sunt. Sic habent verba ejusdem Auctoris in Claudio: Submota operariorum servorumque turba, rerum actum divisum in hybernos æstivosque menses conjunxit. Agnosco hic phrasim auctori peculiarem, ut D actus rerum, actionem causarum significet; *Actus rerum.* sicut in Nerone: Cautum ut rerum actu ab ærario causæ ad forum, & Recuperatores transferrentur; & in Augusto: triginta dies rerum actui accommodavit. Sed quid sibi velit per divisionem, & conjunctionem, non potui ex alio auctore conjicere. Non est trahendum in exemplum, quod idem Claudius fecit, ut diebus etiam solemnibus & religiosis, contempto jure moribus recepto, jus laboriosissime diceret. Utinam illi Cæsares non gravius abusi essent sua potestate, neque putassent alibi E decere, quod liceret.

COROLLARIUM AD CAP. VIII.

1 Cornicum oculis confixis) *Cicer. in Orat. pro Luc. Flac. & pro Murena hoc utitur proverbio, unde autem petita sit metaphora, docet Andr. Alc. lib. 7. parerg. Juris. c. 17. Historiam narrat Pomponius J. C. in l. 2. de orig. Jur. Valer. Max. lib. 2. c. 1. Livius lib. 9. Plin. lib. 33. c. 1. meminit etiam idem Cic. ad Atticum, & de Oratore.* *Cornicum oculos configere.*

F 2 Intercisi) *De his sic Varro lib. 5. Linguæ Latinæ: Intercisi dies sunt, per quos mane, & vesperi est nefas, medio tempore inter hostiam cæsam, & exta porrecta fas, a quo quod fas intercedit intercisi dies, aut quod tum intercisum nefas. Macrobio autem dicuntur dies Deorum Hominumque communes: nam cum hostia cæditur, fari nefas, inter cæsa, & porrecta fari licet, rursus cum adoletur, non licet.* *Intercisi qui, & unde dicti.*

Fasti. 3 Prætor jurisdictionem non exercebat) *Terent. Varro lib. 5. de lingua Latina: Vocantur dies Nefasti, per quos dies nefas fari Prætorem. Quin etiam olim nefastis diebus silebant oracula, quibus nec fas erat falsos Deos, aut potius dæmonia consulere, ut ex apophtegmate illo Alexandri apparet: Is enim Delphos profectus, quum Sacerdos negaret se consulturum Deum, quod dies essent nefasti, quibus ne oraculis quidem loqui fas esset, vi pertracta secum Sacerdote templum ascendit, quumque illa importunitate victa, diceret invictus es eo fili: Satis, inquit, Alexander oraculi est, mulieris vocem responsi loco ducens. Sed Impostores illi tandem simulare desierunt, quando adveniente Christo unigenito Dei Filio veritati, & luci cædere coacti sunt: ex hinc enim os illis impurum, & falsidicum potius, quam fatidicum præclusum est, & infantes, elinguesque facti, perpetuum coacti sunt silere silentium, quod idem præsensit Apollo Pithius, dum Augusto Cæsare (sub quo natus est idem Christus, & Salvator) consultus, jam advenientibus Fastis Evangelicis, hæc verba veluti de plano, & levato velo (quod ajunt) effutivit, ut testis est Nicephorus.*

Nefastis diebus silebant oracula.

Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans
Cædere sed jubet, tristemque redire sub Orcum;
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Quibus adde quæ habet Eusebius de præparatione Evangelica, præsertim lib. 5.

4 Abdico) *Sic enim legendum contendit Socer c. 3. lib. 3. nostræ historiæ, non addico: quod hic admonere operæpretium duxi, ne quis communi lectione inductus, impingat.*

5 Nefastum nonnunquam pro infami) *Horatius libr. 2. Carminum ode 13. de arbore quadam, cujus lapsu fere oppressus fuerat.*

Ille & nefasto te posuit die.

Livius lib. 8. terram nefastam pro infausta, & Plin. lib. 20. c. 11. etiam nefastos frutices dixit.

6 Gellius c. XVII.) *Adde c. 9. lib. 4. Noct. Attic.*

7 Horum observationem) *Heraclitus quidem Hesiodum reprehendit, qui dies alios bonos, alios constituit malos, quasi ignoret, ejusdem diei eandem esse naturam, ut testatur idem Plutarchus: nec ferendi sunt qui illud usurpant:*

Hesiodus reprehenditur.

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρα, ἄλλοτε μήτηρ.

8 Gellius) *Lib. 20. c. 1. Noct. Att.*

9 And. Alc.) *Lib. 1. cap. 29. parerg. Jur. Quæ quidem analogia justorum dierum adeo vera est, ut diebus feriatis ideo vitarentur nuptiæ virginum, in quibus vis iisdem fieri videretur. Sed Verrium Flaccum*

Cur Feriis viduas ducere, virgines non item liceat.

A *Juris Pontificii peritissimum dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere fossas veteres, novas facere jus non esset: ideo magis viduis, quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum.*

10 Isidorus, sed quod vis sistatur) *Lib. etym. C. forus de ver. sig. ext. Gellius tamen aut certe Cæcilius J.C. apud Gellium lib. 20. c. 1. non ita abhorret ab etymo Isidori quin Justos, & Justitium interpretetur, juris inter eos quasi interstitionem.* *Interstitium.*

11 Operam darent etiam Nefastis) *Vide l. 2. & 3. de fer. & dilat. l. miles. §. sexaginta. ad l. Jul. de adult. ff. l. 5. & 11. de fer. C.* B

12 Theodosius Imperator) *d. l. 2. C. de fer.*


13 Repentini) *Hujusmodi Feriæ Imperativæ sive Indictivæ dicuntur, quia eas Consul, aut Prætor indicebat, ut testatur Macrob. Suet. in Claudio: observavitque sedulo, ut quoties terra in urbe movisset, ferias advocata concione Prætor in urbe indiceret. de quib. loquitur Ulp. in l. 26. §. 5. ex quib. caus. ma. ff. Si feriæ (inquit) extra ordinem sint indictæ, ob res puta, prospere gestas, vel in honorem Principis, & propterea Magistratus jus non dixerit, C. Cassius nominatim edicebat restituturum se, quia per Prætorem videtur factum: Solemnium enim feriarum rationem haberi non debere, quia prospicere eas potuerit, & debuerit Actor, ne in eas incidat. Imo non tantum Imperativas indicebat, sed etiam Conceptivas, sed lubet adferre verba solemnia Prætoris, quibus more majorum Compitalia concipere solebat, quæ a Gellio referuntur libr. 10. c. 23.* Die noni Popul. Rom. Quiritibus Compitalia erunt, quando conceptæ fuerint nefas. *Qin etiam Sacrificulus rex religionis causa easdem indicebat, quod ex Var. lib. 5. de Lingua Latina probari potest, quod etiam nunc in nostra religione Christiana servatur, proclamante parocho singulis diebus Dominicis feriandi tempora totius hebdomadæ, ut præcipitur ex concil. Lugd. quod refert Gratianus de consecrat. dist. 3. Notanda certe semper mihi visa est C. Cassii apud Tacit. lib. 13. sententia de moderatione Festorum: Si pro benignitate Divis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere, ideoque oportere dividi Sacros & Negotiosos dies, quibus divina colerentur, & humana non impedirent.*

Indictivæ Feriæ. C D *Sacrificulus.* E *quomodo festa temperanda.*

14 Successio novi Imperatoris) *Facit ad rem l. omnes. 2. & l. ult. C. de fer. d. l. 26. §. 5. ex qui. cau. ma.*

15 Apud Gellium Cato) *Cap. 10. lib. 4. Noct. Att. Huc pertinent rerum prolationes, & res prolatæ, omnes denique vacationes, & induciæ forenses, quando halcedonia sunt apud Forum, ut Plautus loquitur.* *Rerum prolationes.* F

Ad faciliorem dierum Forensium & Castrensium rationem habendam, de quibus fere hoc cap. & seqq. tractatur, hanc sequenti pagella ob oculos tibi Lector tabellam proponimus.


DIERUM ALII.
Sacri. Deorum causa instituti, Nefasti omnes, quibus insunt.
Sacrificia.
Epulæ.
Ludi.
Feriæ, aut
Publicæ
Stativæ
Agonalia.
Carmentalia
Plures refert Varro lib. 5. de ling. Lat.
Lupercalia.
Conceptivæ
Annales
Latinæ.
Paganalia
Sementivæ
Compitalia
Non annales
Cum
Sine
nomine
Imperativæ, ob
Victoriam
Natalem
diem filii.
Successionem.
Imperatoris.
Privatæ
Familiarum
Claudiæ
Juliæ.
Singulorum
Æmiliæ.
Natalium.
Fulgurum susceptiones.
Funerum.
Expiationum.
Intercisi, Deorum & Hominum communes modo hi, modo illi dici possunt.
Negotiosi, qui hominum causa constituuntur.
Fasti
Comitiales, quod tunc populus esset constitutus ad suffragium ferendum, quibus etiam lege agi licet.
Comperendini, quibus licet vadimonium dicere.
Stati, qui judicii causa cum Peregrino instituuntur.
Nundinæ, ex l. Hortensia.
Nefasti
Dies pridie, Kalend. Jan. & si qui sunt similes.
Rerum prolationes
Messium.
Vindemiarum
Dilationum
causa.
Justi civiles, qui confessis & condemnatis conceduntur.
Nundinæ, olim ante l. Hortensiam, quæ nec videntur sacris contineri posse, cum Hominum potius, quam Deorum causa constitutæ sint.
Rursum alii
Præliares, quibus fas est repetere, vel hostem lacessere.
Non præliares.
Justi.
Atri, postridie
Inominales, ante quartum
Kalendas.
Nonas.
Idus.
Feriæ
Latinarum.
Saturnaliorum.
Ditis & Proserpinæ.

Hos castrenses dies separatim posuimus, non autem sub Fastis aut Nefastis, quia in iis Forensium dierum nulla habetur ratio. Observatio autem horum habebatur in inferendo bello: nam in excipiendo omnes præliares erant. Sunt & aliæ adhuc considerationes dierum, quas apponere huc non duximus necesse, præsertim quando loci hujus & diei, premamur angustia, quibus obedire oportet, non abuti.

ARGUMENTUM

CAP. IX.

De Fastis & diversa dierum & horarum ratione, atque de horologiis quædam.

NOn potuit dierum ratio universa in unum caput conjici, ne enorme & immane videretur: Ideo excepit locus hic reliquias eorum, quæ superioribus cognata sunt. Habendum ergo, Fastos eos esse, quos vulgus litigabiles vocat, 1 qui sunt ii, quicunque Nefasti non sunt, & ex adverso ii Nefasti, quicunque Fasti non sunt. Sunt enim adversa amesa, id est, contraria immediata. Nam Intercisi non sunt tam medii, quam modo hi, modo illi, & quemadmodum in Castris differebant Justi dies & Præliares, ut illi essent, quibus imperato exercitui vexillum rufi coloris in arce positum esset: hi autem quibus res repetere, & hostem lacessere: ita Fasti similes sunt Præliaribus, quibus contendere, & manum conserere in Foro cum hoste licet. Hostis enim non tantum pro Perduellione, & eo, qui contra nos arma ferat, sed pro Adversario in jure, ut olim pro Peregrino, capi potest, ut habet multa Forum 2 cum Castris communia, ut petere, intendere, depellere, status, quæ militaria sunt: Sic etiam Justis Castrensibus similes sunt Nefasti, quibus nondum lacessere hostem, pendente adhuc vexillo, tanquam depactis indiciis, & quibus nondum vis hosti adferatur. Fastos ergo, Judiciarios Latini vocant. Julius Capitolinus in Marco Ælio Antonino Philosopho: Judiciariæ rei summam diligentiam adhibuit, Fastis dies judiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis, litibusque disceptandis constitueret. Criticos fortassis non male appellaremus, imitati Medicos, qui statos dies annotant, ex quibus eventum morbi conjiciunt. Itaque ubi advenerunt, tum, tanquam causa cognita, de salute ægri pronuntiant, ante vero solent, quia nondum liqueat, ægrum ampliare, & comperendinationibus extrahere, quos si quis legitimos vocet, analogiam habet, & exemplum locuples, quo se tueatur: Dicitur enim legitimus Senatus pro ordinario. Tranquillus in Augusto: Statuit, ne plus, quam bis, in mense legitimus Senatus haberetur. Kalendis scilicet, & Idibus. Scio tamen dies legitimos alias alios esse, ut docebimus aliquando ex Asconio. Status dies auctore Festo judicii gratia constitutus, dictus ab eo, qui vadatur. Receptus a promittente vadimonium, id est, promissus ut constituta pecunia, hoc est, promissa, & recepta actio in

Fasti. *Dies Castrenses. Præliares. Fori cum castris similitudo* *Judiciarii.* *Critici.* *Legitimi dies. Legitimus Senatus.* *Status dies. Receptus*

A jure dicitur: Idem & Proditus dicitur a Cicerone pro domo sua: Prodita die, qua judicium futurum est. Dictus dies Terentio:

Placuit, despondi, hic nuptiis dictus est dies.

Diem juris dicere, Plautus in Menechmis:

—— Juris ubi dicitur dies, simul Patronis dicitur.

B Seneca in Hercule Furente scribere pro præstituere diem dicit:

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.

Status autem a sistendo vocatur, quod eo die sistatur vadimonium. Plaut. in Curcul.

Si status condictus cum intercedit dies,
Tamen est eundum quo imperant ingratiis.

C Cicero primo Officiorum: *Si status dies sit, cum hoste venito.* Quo caput legis Decem viralis lubens traducerem ad forum, ut ad diem promissum sistendum sit vadimonium adversario, nisi Tullii me interpretatio revocaret: Interpretatur enim hostem peregrinum, ut in altero Aphorismo: *Adversus hostem æterna auctoritas esto.* Quod significat usucapionem juris esse Romani, neque hujus beneficium Peregrinis concedi. Auctoritas ita veteri jure usurpabatur D pro jure quodam vendicandi, ut in lege Atinia 3 apud Gellium: *Ejus, quod surreptum erit, æterna auctoritas esto.* Id est, rei furtivæ nulla est usucapio, remque vendicanti nulla præscribi longi temporis exceptio potest. Formula interrogandi: *Quando te in jure conspicio, postulo an te auctorem facias.* Auctoritas pro jure agendi, conveniendi, & excipiendi capitur. Non possum enim adduci, ut credam in priore capite, æternam auctoritatem, perpetuam esse actionem: Nam ut civiles actiones æternæ sint, tamen peregrinum hostem esse E forensem, quomodo probabitur, nisi ex eo capite, *Si status dies sit, cum hoste venito*: de quo tamen ego ambigo, cum hoc idem nusquam alibi legerim, ne ulla ratio transferendi probabilis in Forum vocabuli, ut in hoste. Memini & apud Asconium Pædianum legere summum diem non eum, quo causa dicitur (potest enim pluribus diebus dici) sed eum demum, quo causa peroranda est, & de ea per Judices in consilium missos, datis tabellis, permissoque calculo, definitive pronunciandum, ut sit summus, F id est, ultimus, sicut apud Horatium,

Prima dicte mihi, summa dicende Camœna.

Perendinus dies, in quem ad triduum dilata, & rejecta cognitio causæ est. Probus in singulariis literis, unde notæ illæ D. T. S. P. id est, diem tertium seu perendinum, unde causa perendinata. Cicero pro Murena: jam illud quidam mihi mirum videri

Proditus. *Dictus.* *Ciceronis locus.* *Auctoritas.* *Summus dies.* *Perendinus.*

solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos, etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium an perendinum, Judicem, an Arbitrum, rem, an litem dici oporteret. Visum est & hoc nobis dignissimum nota, ex diebus Romanis, quosdam fuisse Civiles 5 viginti quatuor horarum, qui a media nocte in alteram mediam noctem, intermedia luce, extenderentur: Auctor Gellius post Marcum Varronem. Quam rationem imitamur nostris temporibus, cum horologia, signo ex pulsu nolæ dato media nocte primam, & reliquas per seriem justorum intervallorum repræsentant auribus, quasi tum in diem ingressus sit. Nam Veteres horis noctes non designabant, sed vigiliis. Lucem vero, id est, diem artificialem, spatiumque illud quo Sol supra hemisphærium elatus ab ortu, in occasum terras illustrat, horis duodecim dividebant ex Solario non Æquinoctialibus 6 & justis sed imparibus, ut in quas duodenas minimus juxta ac maximus dies distribueretur. Solarium vocabant & Sciothericum, quasi umbratile horologium, cujus usum satis sero receperunt Romani, bello scilicet Punico secundo. Hinc illi festivitate mira Plautinissimi versus in Bœotia comœdia.

Dies civilis.

Solarium

Ut illum dii perdant, primus qui horas reperit,
Quique adeo primus statuit hic solarium.
Qui mihi comminuit misero articulatim diem,
Nam me puero venter erat solarium,
Multo omnium istorum optimum & verissimum,
Ubi iste monebat esse, nisi cum nihil erat,
Nunc etiam quod est, non est, nisi soli lubet.
Itaque adeo jam oppletum est oppidum solariis,
Major pars populi aridi reptant fame.

Verba sunt parasiti esurientis, execrantisque solaria recens statuta, cum ante venter horas certius latraret. Erat autem in foro publicum solarium. 7 Cicero pro Quintio: Non ad solarium, non in campo, non in conviviis. Indicat Quintium more bonorum patrumfamilias, domi se continuisse, & rem fecisse, non discursasse per Forum, & Comitia, ut alii quidam Nepotes solent, domi quidem otiosi, & dissoluti, foris circa aliena accinctissimi & negotiosissimi. Serius vero receperunt horologia nostratibus similia, quæ expressis, & solidis sphæris, orbibusque automatis, & ponderum justa gravitate sese moventibus, ad numerum circumdarent indicem diametrum, per orbem planum, in viginti quatuor intervalla distinctum, qui representaret nobis circulum illum Æquinoctialem: & ubi attingeret intervalla illa index, tum horæ indicatæ numerus nolæ impulsu significaretur. Quanquam & tempore Ciceronis sphæras automatas habuerunt, quibus expressa erat orbium cœlestium descriptio, & etiam Planetarum, similemque ex argento solidam Possidonium habuisse commemorat Cicero secundo de natura Deor. quarum artificium doctissime prosequitur Angelus

Horologia solida.

Possidonii sphæra.

A Politianus 8 in quadam epistola. Habuerunt & illo sæculo nolas, sed non in alium usum, quam ut januis dependerent. Tranquillus in Augusto. Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Jovi frequentarent, somniavit queri Capitolinum Jovem, cultores sibi adduci, seque respondisse, Tonantem pro Janitore sibi appositum: ideoque mox tintinabulis fastigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant. Idem Tranquillus in libello de claris Rhetoribus. Lucius Octacilius Pilitus servisse dicitur, atque etiam Ostiarius vetere more 9 in cathena fuisse. Ex quib. duobus locis discimus, quomodo januæ antiquorum custoditæ fuerint. Cæterum cum utrumque haberent, ex quo compararent horologium nostro simile, nusquam legi ea conjunxisse, & in usum horologiorum tintinabula, & sphæras automatas convertisse. Nam quod apud Val. l. 1. legitur, corvum mortis Ciceronis prænuncium horologii ferrum loco excussisse, ad solarii pertinere potest gnomonem. Agnoscimus hic brevem excursum aliquem a proposito, sed quia non omnino indoctus est, neque alienus ab iis, quæ proxime commentabimur, non ingratum, aut segnem fore speramus, ut repetatur mentio de die civili, & concludatur. Ita Varroni subscribit Paulus Jurisconsultus. More Romano (inquit) dies a media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur, ita quod in his viginti quatuor horis, in duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum, perinde est quasi quavis hora lucis actum est. Hæc ille. Quod & operta veteris ritus significatione, voluisse Vergil. Gellius 10 putat his versib.

L. Octacilius Pilitus.

B

C

Dies Rom. quando incipit.

D

—— Torquet medios nox humida cursus,
Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.

Dies Continui & utiles, qui sunt, & quomodo capiendi, docet eleganter Ulp. in l. 1. ff. de diver. temp. præs. ut ii dies cædant pro utilib. quibus actor experiendi potestatem habet, aut Reus sui copiam conveniendi facit, vel Prætor jus reddit. Sunt & dies Legales, 11 Emergentes, Conventionales & Ecclesiastici, qui varie oriuntur, & occidunt in vigiliis, e profestis & pridianis festorum jejuniis.

Dies Continui & utiles.

E

Dies Legales, Conventionales, Ecclesiastici.

COROLLARIUM AD CAP. IX.

1 Quos vulgus litigabiles vocat) *Hi Sessionum dies vocantur, l. 2. §. dies. quis or. in bo. pos. ser. ff. Iique subdividi possunt in Cognitionum, & Postulationum dies.*

Dies Sessionum.

2 Ut habet multa cum Castris) *Hac analogia Castrorum ad Forum, quid prohibet Nefastos, & Ferias definire pacem forensem paucorum dierum, uti M. Varro in lib. humanarum, qui est de bello, & pace, diversa analogia inducias belli ferias definit: Gellii autem reprehensionem nihil moror. Sic Præliares, & Justos forenses, ut castrenses Fastos, & Nefastos dicere possumus.*

Inducia, fori pax.

F

Præliares forenses.

Festi Castrenses,

3 Atinia apud Gellium) *Lib. 17. c. 7. Noct. Att. & l. 14. c. ult. perperam autem legitur Attilia, Inst. de usuc. §. furtivæ. Hujus*

Lex Atinia.

l. fit mentio in l. 4. §. 4. de usuc. l. 215. de ver. sig. & apud Cic. Actione 3. in Verr.

4 Summus, id est ultimus) *Sic apud Martialem:*

Summum nec metuas diem, nec optes.

5 Quosdam fuisse civiles) *Notandum hic videtur, quod quando diem in Naturalem, & Civilem dividunt, diverse utrumque accipi, nam qui olim antiquis* Dies naturalis, civilis.

A *Naturalis dicebatur, idem ab omnibus fere nunc Civilis nuncupatur, & contra, Naturalis enim Censorino dicitur a Solis ortu usque ad occasum, hinc nunc Vulgaris, Artificialisque a nonnullis nominatur. Civilis vero eidem dicitur tempus, quod fit cœli una circumductione, quomodo hic ab Auctore capitur. Cujus quidem Civilis diei sicut anni Solaris, non natura, sed positione principia sumuntur.* Anni & diei civilis varia initia.

Anni quidem vertentis initium capiunt alii a
- *Solstitiis*
  - Hyberno } *ut* *Romani.*
  - Æstivo } *ut* *Athenienses.*
- *Æquinoctiis.*
  - Autumnali } *ut* *Asiani.*
  - Verno. } *ut* *Arabes, Damasceni.*

Sic diem incipiunt alii ab
- Ortu, *ut Babylonii.*
- Meridie, *ut Umbri, Hetrusci.*
- Occasu, *ut Athenienses, Judæi.*
- Media nocte, *ut Romani, Ægyptii, Hyparchi.*

Cōtinet autem hic dies
- Lucem, *cujus partes sunt*
  - *Mane.*
  - *Meridies.*
  - *Occiduum sive serum tempus.*
  - *Solis occasus sive suprema tempestas.*
- Diluculum.
- Crepusculum.
- Tenebras, seu noctem, *cujus partes sunt*
  - *Vesper.*
  - *Prima fax.*
  - *Concubium.*
  - *Nox intempesta.*
  - *Media nox.*
  - *Mediæ noctis inclinatio.*
  - *Gallicinium.*
  - *Conticinium.*

Noctes autem in castris quatuor vigiliis dividuntur, quæ singulis ternis horis fiebant.

Qui plura volet dierum discrimina, & quomodo a variis varie observentur, videat Gellium lib. 3. c. 2. Noct. Att. Macrobium lib. 1. cap. 3. Andream Tiraquel. de utroque retractu §. 1. glos. 11. De errore, correctione anni, & mensium Romanorum Joannis Genesii Sepulvedæ Commentationem. Budæum in posterioribus annotat. in Pandectas.

6 Ex solario non æquinoctialibus) *Ex hoc loco notanda sunt quædam non vulgaria de horis videlicet duo esse genera horarum, unum Temporalium, quas Græci* καιρικὰς *vocant, quæ ex Solis progressu, vel regressu supra nostrum hemisphærium incrementum, vel decrementum capiunt, nam Brumæ tempore diurnæ brevissimæ, nocturnæ longissimæ sunt. Solstitio autem æstivo contra, noctis horæ brevissimæ, naturalis diei longissimæ sunt. Hinc est quod apud Vergilium Junius & Julius, quibus horæ, & dies sunt longissimi, tardi menses vocantur.* Horarum divisio. καιρικαί. Vergilius

An ne novum tardis sydus de mensibus addas. Palladius.

Harum horarum temporalium meminit Palladius, quæ ex umbrarum auctione, & decretione sic deprehendi poterunt, si in aprica planicie area quadrata describatur, quæ ab uno quoque latere, unam spectet

B *mundi plagam, in cujus quadrati medio erigatur stylus gnomicus, nostrum Meridianum referens, cujus judicio umbrarum, horæ temporales colligi possunt. Nam quæ brevissima est, meridiem cujuslibet, longissima primam & ultimam naturalis diei horam denotat. Porro eadem est proportio umbræ decrescentis atque accrescentis. Prima enim post meridiem, quæ septima est naturalis diei, quintæ ante meridiem, octava quartæ, nona tertiæ, decima secundæ, undecima primæ umbræ quantitate respondet.* Umbrarum proportio.

C *Sic Januarius Decembri, Februarius Novembri, Martius cum Octobre, Aprilis Septembri, Majus Augusto, Junius denique cum Julio convenit. Plin. l. 36. c. 10. Naturalis Historiæ mirabilem hujusmodi umbratilis horologii compositionem describit, ab Augusto fabrefactam in campo Martio, ad depræhendendas Solis umbras, dierum & noctium magnitudines, cujus gnomen Obeliscus erat (Nam Angeli Decembrii non me movet sententia, qui lib. 5. c. 55. suæ Politiæ literariæ Obeliscum non in Horoscopi usum, sed tumuli aut busti erectum putat, cum Plinii Sacrosancta sit auctoritas)* Sciothericum Augusti Cæsaris.

D *Verum illud mirabilius, quod ait Sciotherici hujus observationem suo tempore a xxx. annis evanuisse, sive Solis (inquit) ipsius dissono cursu, & cœli aliqua ratione mutato, sive universa tellure aliquid a centro suo dimota, ut de-*

præhendi & in aliis locis accipio, sive urbis tremoribus ibi tantum gnomone intorto, sive inundationibus Tyberis sedimento molis facto, quanquam ad impositæ rei altitudinem in terram quoque dicantur jacta fundamenta. Quod eo magis asscripsi, quia audiam Hercinii turris fastigium, quod secundo ab hac urbe lapide situm est, nunc plane conspicuum, quod ante hominum recenti memoria nullo modo conspici poterat, propter montium interjacentium cacumina. Quod aliquando cum audirem in magnam me rapuit admirationem, ut causam investigandam putarem. Tandem comperi hoc accidere propter veluti decussata montium supercilia, ex frequenti lapidum ablatione, quæ visum impediebant. Porro umbrarum hanc rationem quam vocant gnomicen, invenit Anaximenes Milesius Anaximandri discipulus, primusque horologium, quod appellant Sciothericon, Lacedemonæ ostendit, ut idem testatur Plin. lib. 2. c. 6. Alterum genus est Æquinoctialium horarum quas ἰσημερινὰς Græci dicunt, quibus nunc passim utuntur in automatis & aliis Sciothericis nostris horologiis, quando diem Civilem quemlibet in viginti quatuor æquales partes dividimus, nulla ratione habita diei Artificialis sive Naturalis. Iis autem qui sub Æquatore habitant eædem sunt ἰσημεριναὶ ϗ καιριναὶ, quod aliis bis tantum accidit in anno, in Æquinoctiis quando dies æquatur nocti. Vide quædam apud Alc. l. 10. parerg. c. 3. & l. 2. §. qui Romæ. de ver. sig. qui etiam quædam habet de die naturali & civili.

Hercinium. — *Anaximenes Milesius.* — *Horæ æquinoctiales. ἰσημεριναί.*

7 In Foro publicum Solarium) *Varro lib. 5. de ling. Lat. Meridies ab eo quod medius dies. D. antiqui non R. in hoc loco dicebant, ut Præneste incisum in Solario vidi, quod Cornelius in Basilica Æmilia & Fulvia inumbravit. Cic. lib. 2. de nat. Deorum: aut quum solarium, vel descriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu. Quæ a nobis huc allata sunt, ut confirmemus locum Ciceronis pro Quintio a Socero in textu allatum, de certo quodam loco fori intelligi, ubi erat Sciothericum, vel Descriptum: nam cum Solarium plura habeat significata, sunt quidam qui de Mœnianis interpretentur.*

Solarium. — *Descriptum.*

8 Angelus Politianus) *lib. 4. epist. 70. epist. Automaton autem cujus meminit Paul. in l. cætera. de leg. 1. explicat Andr. Alc. l. 1. c. 20. parerg. jur.*

Automaton.

9 Vetere more in cathena) *Senec. lib. 3. de ira. Irasceris ergo cathenario cani, quem paulo ante ostiarium vocaverat. Idem Ovid. Amorum. 1.*

Janitor indigne dura religate cathena.

Servi Atrienses.

Hujusmodi autem servi Atrienses, aut ad limina dicebantur, ut notat Turneb. quorum mentio fit in l. 203. de ver. sig. l. 15. §. 1. de usufruct. l. 8. de instr. leg. ff.

10 Gellius putat his versibus) *d. c. 2. lib. 3. Noct. Att. Refert etiam Macrob. l. 1. c. 3. Saturn. Sunt autem hi versus ex 5. Æneid. Vergil.*

11 Dies Legales, Emergentes) *de quibus vide Paul. de Cast. & Jas. d. l. more. de fer. nec non eundem Tiraq. supra dicto loco.*

ARGUMENTUM

CAP. X.

De deductione, & reductione, ac exordiis Oratorum, & tempore agendi.

AFfinia superioribus sunt, quæ de horis, & dicendi temporibus traduntur, quæque sese ultro obtruserunt adducta ab ipsa rerum serie. Quare Fasto die aliquo inter partes litigaturas constituto, quo experturæ in foro essent, si non occasione aliqua rerum actu eximeretur, dicturi Patroni a Litigantibus, Advocatis, Cognitoribus, Subscriptoribus, reliquorumque magno comitatus fastu, domo in Forum deducebantur, actaque causa reducebantur. Fab. lib. XII. de Rabulis loquens: Cum multa (inquit) diserte & summis clamoribus, quæ neque ad Judicem, neque ad Litigantem pertineant, decantaverint, bene sudantes, beneque comitati per Forum reducuntur. Suspicor ego magnum, frequentemque fuisse comitum numerum, eo quod si civis primarius esset, nunquam foras progrederetur, etiam privatus, nisi stipatus magna Clientum caterva, quorum Anteambulones præcederent, Comites sequerentur, quem morem hodie retinent Principes, ut medii inter comites incedant. Verg. 1. Æneid.

Orator deducebatur in forum. Comitatus deducentium.

Talis erat Dido, talem se læta ferebat
Per medios.

Qui ex stipantibus præcederent, Anteambulones vocabantur. Tranquil. in Vespasiano: Sumpta virili toga Latum clavum, quanquam fratre adepto, diu aversatus est, nec, ut tandem appeteret, compelli, nisi a matre potuit: ea demum extudit magis convitio, quam precibus & auctoritate, dum eum identidem per contumeliam Anteambulonem fratris appellat. Mart. lib. XI.

Anteambulones.

Jam parce lasso Roma Gratulatori,
Lasso Clienti, quamdiu Salvator,
Anteambulones, & Togatulos inter,
Centum merebor plumbeos die toto.

Qui sequerentur Pedissequi, & Comites, Plautus in Milite:

Pedissequi & Comites.

PAL. *Sequere hac me ergo.*
PYR. *Pedissequos tibi sum.*

Oportuit autem esse togatos 1 hujusmodi Clientes, qui sportulas acciperent singuli quadrantes plumbeos, hoc est, X. asses Turonenses: non enim grex ille Togatorum ex servis domesticis (ut hodie fit) sed ex iis, qui jus togæ haberent, cogebatur. Suet. in August. Reges, amici, atque socii relictis regnis, non Romæ modo, sed provincias peragranti, quotidiana officia togati, & sine regio insigni more Clientum, præstiterunt. Plin. ad Minutium Fundanum libro 1. epist. Nam si quem interroges, hodie quid egisti? respondeat, officio togæ virilis interfui, ille me, in advocationem, ille me in consilium rogavit. Habes

Togati Clientes, Sportula.

Comitum quinque genera. ex Martial. carmine quinque eorum, qui hoc officio defungebantur, nomina Gratulatores, Clientes, Salutatores, Anteambulones & Togatulos. Juve. VII.

Respicit hoc primum qui litigat, an tibi servi
Octo, decem Comites post te, an sit sella, Togati,
Ante pedes.

Si ergo Comitum Anteambulonumque comitatui accedat numerus Advocatorum, ab eo qui litigat comparatus, frequentiam fuisse maximam verosimillimum est. Cic. lib. I. ad Atticum: Cum ad Forum stipati gregibus amicorum descendimus. Livius in causa Virginiæ: Virginius postero die secum obsoleta veste comitantibus aliquot matronis, cum ingenti advocatione in forum filiam adducit. Cicer. pro Flacco conqueritur, Testes simul cum Patrono, Reo, & Advocatis ex eadem domo prodiisse in forum, his verbis: Hoc vero quid est? Una sedent, ex Accusatorum subselliis surgunt, non dissimulant, non verentur: De subselliis queror, una ex domo prodeunt. Tacitus in dialogo de Oratoribus, ubi inter laudes, & fructus Oratoriæ hæc censentur: Jam vero qui Togatorum comitatus, & egressus, quæ in publico species, quæ in judiciis veneratio? Ibidem cum comparat Poeticam cum Oratoria: Quis Salejum nostrum egregium Poetam (vel si hoc honorificentius est) præclarissimum Vatem deducit, aut salutat, aut persequitur? Ibidem: Nec comitatus istos, & egressus, aut frequentiam salutationum concupisco. Qui acturi erant, cum dies judicii advenisset, nunquam ita paratos sese senserunt, quin diem illum eximi, & sibi auferri lubentissime paterentur. Notum est de servo a Cicerone manumisso, quod domino nunciasset Actionem in aliam diem dilatam. Plinius ad Rufum lib. V. ad calcem: Eximitur dies me gaudente, qui nunquam ita paratus sum, ut non mora læter. Idem lib.6. ad Arrianum de quodam Causidico, quem nimis anxia cura coquebat acturum: Soleo (inquit) nonnunquam in judiciis quærere Marcum Regulum, nolo enim dicere desiderare: Cur ergo quæro? habebat studiis honorem, timebat, pallebat, scribebat, quamvis non posset dediscere illud ipsum, quod oculum modo dextrum, modo sinistrum circumlineat. Dextrum, si a petitore, alterum si a possessore esset acturus, quod candidum splenium in hoc, aut illud supercilium transferebat, quod semper Aruspices consulebat de Actionis eventu, animi superstitione, sed tamen, & a magno studiorum honore veniebat. Hactenus ille. Hinc exordia molesta sunt, & quasi cum horrore, ex Judicum, & Coronæ reverentia conjuncta, ubi ex præscripto Rhetorum acturus fateri debet aliquo signo externo solicitudinem: mire enim auditurum cura delectat. Hoc præcipit Homerus Ulyssis exemplo, quem stetisse oculis in terram defixis, immotoque sceptro, priusquam illam eloquentiæ procellam effunderet. Dicit hæc Fab. lib. XI. ubi paulo ante, quomodo causa citaretur dixerat, non enim eodem modo

Actorum metus.

Exordia molesta.

A quævis causa appellatur. Ejus hæc verba sunt. Cum Judex in privatis aut Præco publicis dicere de causa jusserit, leviter consurgendum. Nostro tamen sæculo, non a Præcone, aut Judice, sed ab Actuario, qui commentario actorum præest ad pedes Judicum, causæ citantur primum, deinde a Præcone Prætorio, quem Ostiarium vulgus appellat, excepta citatio repetitur. Martialis lib. 4. circumloquitur Præconem forensem. Præco.

B
Qui nec Leno potes, nec Comessator haberi,
Nec pavidos tristi voce citare Reos.

Hinc colligitur, vile officium fuisse. Orator ergo nunquam nisi jussus dicebat. Vergilius I. Æneid. Venia dicendi petenda.

Postquam introgressi, & coram data copia fandi,
Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit.

C
Idem Quintil. in eod. cap. Et cum ad Judicem nos converterimus, consultusque permiserit dicere, non protinus est erumpendum, sed danda est cogitationi mora. Itaque in Senatu non dicebant sententiam, nisi rogati a Consule, qui retulisset, quod si quid interfari vellent, id tum faciebant, si potestas interloquendi a Consule facta esset. Jul. Capitolinus in Maximino. Vectius Salinus ex familia Ulpiorum rogato Consule, ut sibi dicere atque interfari liceret, sic orsus est. Porro Fabulinus Deus invocabatur ab incipientibus fari, cujus Nonius meminit, de doctorum indagine in dictione, statilinum. Conveniebant autem in Forum Prætor, Judices, Litigantes, Advocati, & quorum erat Actioni interesse hora tertia a Solis ortu, nisi ex aliqua gravi causa extra ordinem res cognosceretur. Martialis:

Sententiam non dicebant nisi rogati.

D

Fabulinus Deus.

Hora causidicorum.

Prima salutantes, atque altera detinet hora,
Exercet raucos tertia Causidicos.

E
A meridie autem hora nona, tertia scilicet post pastum, ut mane post Solis exortum. Cic. act. II. in Verrem, Nonæ hodie sunt Sextiles, hora nona convenire cœpistis. Tamen apud Plutarchum in Catone Uticensi legitur ut paradoxon, Marcum Catonem post prandium & vinum causas cognovisse, quasi id extra ordinem foret. Martial. l. 8. significat operam datam a tertia ad sextam litibus:

Horas quinque puer nondum tibi nunciat, & tum
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis:
F
Cum modo distulerint raucæ vadimonia chartæ.

Ubi significatur, dimitti Forenses ante horam prandii, & vocatum ad prandium Cæcilianum venisse ante horam, & dum adhuc litigaretur in foro. De hora prandii dicemus in lib. de veterum mensa, quem aliquando perfectum evulgabimus.

Liber auctoris de veterum mensa.

CO-

COROLLARIUM CAP. X.

Togati. 1 Oportuit autem esse togatos) *Unde Martial.*

Mane, vel a media nocte togatus ero.

Ordo rogandarum sententiarum. 2 Non dicebant sententiam nisi rogati) *De ordine rogandarum sententiarum in Senatu tractat Gel. lib. 4. c. 10. Noct. Att. Suet. quidem auctor est, Augustum sententias de majore negotio non more, neque ordine prærogasse, ut perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis, quam assentiendum esset.*

ARGUMENTUM

CAP. XI.

De Clepsydris, & earum usu probato vel improbato, Monitoribus, Phonascis, & horarum lege, partitione temporum, & quod nox Actionem dirimebat.

Clepsydræ Ctesibius. Clepsydræ usus quando apud Roman. illatus, & a quo. Clepsydra quid? SEd cum tempora dicendi per Clepsydrarum numerum expedirentur; operæ precium videtur de historia Clepsydrarum quædam adferre. Clepsydra igitur, quam & Hydrologium vocant, inventa est primum a Ctesibio quodam Alexandrino, ut testis est Vitruvius lib. IX. ejusque usus primum illatus in urbem a P. Scipione Nasica, anno urbis conditæ quingentesimoquinto. Est autem horologium aquaticum, id est, urna aut phiala, unde furtim per stillas aqua effluens, ubi reliquisset inanem phialam, tempus exactum designabat, quæ in alterum spatium rursus repiebatur per ministrum, cui hoc officii injunctum erat, qui quasi aquæ infusor Græcis dicebatur ἐφύδωρ. Usurparunt enim illi & hanc clepsydrarum commoditatem, & ab iis ad nos translatam esse simul cum nomine, ut multa alia, puto. Ejus enim frequentissima mentio apud Oratores Græcos. Cicero tertio de Oratore de Pericle loquens: At hunc non clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat. Martial. l. VI.

Septem clepsydras magna tibi voce petenti
Arbiter invitus, Cæciliane, dedit.

Idem lib. VIII. in Cinnam:

Patronis cur libera non concedebantur tempora.

Hoc agere est causas, hoc dicere, Cinna, diserte,
Horis, Cinna, decem dicere verba novem.
Sed modo clepsydras ingenti voce petisti,
Quatuor, o quantum, Cinna tacere potes.

Rarum erat Romæ, ut Patronis libera ad dicendum tempora concederentur, quod fortassis eloquentia suspecta esset, & multa artificiose involverent Oratores, quibus incautis Judicibus tenebræ offunderentur. Ideoque in angustias temporum clepsydris conjiciebantur, & præstituto spatio liberior dicendi futura vis quasi cohibebatur. Certe sacri nostri Ecclesiastæ cum Christia-

A nas suas declamationes in templis ad populum decantant, utuntur aliquando vice clepsydrarum vitreis arenariis duplicibus, ubi ex superiore ventre in inferiorem sensim micæ tenuissimæ arenarum, per arctissimas medii & communis foraminis angustias, tamquam per pilωron decidunt. Idque cum studio fiebat ab eo, qui præsidebat Judicio, si Reus favorabilis, & gratiosus esset. Cicero pro Quintio in prosopopeja Sexti Nævii, qui gratiosissimus erat Judici, cujus Nævii hæc verba sunt. Præstituendæ horæ ad arbitrium nostrum Judex ipse *Ecclesiastæ Christiani.*

B acce satur. Porro invidiosum & ad famam periculosum erat, cogi in certa dicendi tempora. Nam & nonnunquam bonis exactisque causarum Patronis, aut nimis breve spatium, ad rem pro merito, & decoro explicandum, aut nimis laxum datur, quod cum non absolverent necessariis, metu infamiæ, quæ subeunda esset, si tacerent, multa levicula præter rem aliquando afferre cogebantur, quæ reliquæ & necessariæ Actionis auctoritatem elevarent, oborto mentibus audientium prolixitatis non necessariæ, & importunæ tædio. Ita- *Clepsydrarum usus improbatus.*

C que qui non ita erant confirmati, ne periculum invidiæ, aut pudoris ex silentio audirent, solebant sibi, atque ita adversario (nam nunquam nisi utrique simul parti concedebantur) petere libera ad agendum tempora. Plinius Secundus de Regulo Oratore: Jam illa perjucunda una dicentibus, quod Regulus libera tempora petebat, quod audituros corrogabat: quid denique jucundius, quam sub alterius invidia, quamdiu velis, & in auditorio alieno quasi deprehensum commode dicere? *Libera tempora.*

D Hæc ille. Tacitus in lib. de Oratoribus, de foro veteri. In quo (ait) nemo inter paucissimas horas perorare cogebatur, & liberæ comperendinationes erant, & modum dicendi sibi quisque sumebat, & numerus, neque dierum, neque Patronorum cavebatur. Cn. Pompejus III. Consulatu astrinxit, imposuitque veluti frenos Eloquentiæ. Ubi clepsydras non esse imperatas Causidicis, neque in forum evectas ante 3. Pompeii Consulatum significatur. Hunc morem orandi ad clepsydram, ut Eloquentiæ inimicam, quis non *Clepsydræ Eloquentiæ inimica.*

E damnet? Fabius lib. 12. cap. 6. Laboratam congestamque dierum, & noctium studio Actionem, aqua deficit. Cicero ad Quintum fratrem Asiæ Proconsulem. His rebus nuper Cneus Octavius jucundissimus fuit, apud quem primus Lictor quievit, tacuit Accensus, quoties quisquam voluit, dixit, & quam voluit diu. Illic laudatur, quod non ad clepsydram, sed libere dicebatur apud Octavium. Plinius eundem exagitat, ut maximum in civitate vitium, libro sexto ad Arrianum. Equidem quotiens judico,

F quod vel sæpius facio, quam dico, quantum quis plurimum postulat, addo etiam. Temerarium enim existimo divinare, quam spatiosa sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cujus modum ignores, præsertim cum primum religioni suæ judex patientiam debeat, quæ pars magna Justitiæ est. At quædam supervacua dicuntur etiam: sed satius est, & hæc dici, quam non dici necessaria. Præterea an sint supervacua, nisi cum audieris, scire non possis.

Sed de his melius coram, & de pluribus vitiis civitatis. Hactenus Plin. Horæ autem eæ quæ clepsydris declarabantur, non æquinoctiales erant, sed tantillæ, ut in duodecim etiam brevissimus dies circa Brumam divideretur, ut dictum est. Quin neque singulis clepsydris singulas horas puto designatas fuisse, sed datas phialas angustas, aut capaces ad libidinem ejus, qui pro tribunali disceptabat. Quod mihi persuadet locus ex epistola 1 Plinii Junioris libro secundo: Dixi (inquit) horis pene quinque, nam clepsydris duodecim, quas spatiosissimas acceperam, additæ sunt quatuor. Si igitur singulæ clepsydræ singulas horas auferebant, debuit pluribus horis dixisse, cum prioribus duodecim clepsydris, & horis additæ sint quatuor. Sed paradoxon mihi est, posse cuiquam humanitus, in duodecim, nedum in sedecim horas vociferando, vocem sufficere, quamvis diurnæ essent in brumali solstitio: esset enim hoc plus solido die dicendo consumere, quanquam haberent, qui a tergo nimium commotos reprimerent. Plinius libro secundo ad Arrianum, de causa, quam egit coram Trajano in Senatu: Cæsar quidem tantum studium, tantam etiam curam (nimium est dicere sollicitudinem) præstitit, ut Libertum meum, post me stantem sæpius admoneret, voci, lateribusque consulerem, cum me vehementius putaret intendi, quam gracilitas mea perpeti posset. Gellius libro primo de fistula eburnea Gracchi concionatoria. Qui hoc compertius memoriæ tradiderunt, stetisse in circumstantibus dicunt occultius, qui fistula brevi sensim graviusculum sonum inspiraret, ad deprimendum, sedandumque impetum vocis ejus. Refervescente namque impulsu & instinctu extraneo, naturalis illa Gracchi vehementia, indiguisse non (opinor) existimanda est. Marcus tamen Cicero Fistulatorem istum utrique rei adhibitum esse a Graccho putat, ut sonis, tum placidis, tum citatis, aut demissam, jacentemque ejus orationem erigeret, aut ferocientem sævientemque cohiberet. Quod si tanta 2 veteribus cura vocis, ut præter illa, etiam arte Phonasci adhibita, atque assidue illi operam darent, quid stultius eo clamatore, qui victus sui instrumento ita abuteretur, ut in posterum non esset usurus? Sed heus rei series abrumpenda est, quæ alioqui nos abs re abduceret. Præscriptum autem horarum a Prætore, aut alio judicii Præside Pronunciatum lex vocabatur. Plinius ad Ursum. Nam cum ex lege Accusator sex horas, novem Reus accepisset, ita diviserat tempora Reus inter me, & eum, qui post me dicturus erat, ut ego quinque horis, ille reliquis uteretur. Cicero pro Flacco. Quod enim fuit, quod ab eo redimeretur, ut duceret judicium, cui sex horas omnino lex dedit? Cicero 111. Act. in Verrem: Hic tu fortasse eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam, nisi omni tempore, quod mihi concessum est, abusus ero, querere, Deum atque Hominum fidem implorabis, circumveniri Cajum Verrem, quod Accusator nolit tam diu, quam liceat dicere: quod mihi mea lex cum det, eo mihi uti non licebit? Asconius pro Milone legem latam a

Clepsydrarum Horæ.

Monitores.

Fistula Gracchi.

Phonasci.

Lex Horarum.

A Domitio Quæstore judicii Miloniani, qua Accusator duas, Reus tres horas habebat, meminit; sed catachristicῶs legem usurpant, ut legem Maniliam, & reliqua plebiscita leges vocamus. Est enim hujusmodi lex potius privilegium, quod judicio peculiaris sit, in quo lata est. Observavi autem ita comparatas fere hujusmodi leges temporum præstitutorum, ut Reus sesquialteras haberet horas ad Accusatorem, ut si Accusatori sex darentur, reo novem, id est, tantundem, & dimidio plus; ut causa, quam egit Plinius. Item in causa Milonis B Accusator duas, Reus tres, id est, sesquialteram habuit; naturalis enim favor pro laborantibus. Quanquam in causa Rabirii conqueratur, se in semihoram coactum. Usus vero clepsydræ multo certior, constantiorque erat, quam solarii, quamvis non minus, quam clepsydrarum, illud adversum, oculisque 3 oppositum, haberetur, si quando sub dio res ageretur; nam usus solarii perpetuus non est. Impedito enim Sole, prætextuque interjectarum nubium, quæ in media aeris regione C meteoræ, sublimesque pendent, umbraque sublata, nullus stylus indicabit horas. Clepsydra vero perpetua est, etiamsi in noctem diceretur, quod aliquando fiebat, sed novo more, & extra ordinem. Suetonius in Augusto. Ipse jus dixit assidue, & in noctem nonnunquam. Et Plinius auctor est, Theophanem in causa Bassi dixisse in noctem, atque illatis lucernis. Quanquam Senatusconsulta, 4 quæ facta essent post diem solis occasu clausum, irrita, & nulla omnino essent. Sed ut Senatusconsulta non fierent, tamen recipi potuit con- D tra morem, ut accensis funalibus in seras horas Oratores dicendo proveherentur, cum id obtinerent ab Auditoribus, quibus vi Eloquentiæ extra se positis tempus elaberetur imprudentibus, aut quos gravis causæ momentum in subselliis & officio diutius retinebat. Magis enim ordinarium fuit, ut nox actionem dirimeret. 5 Plinius libro quarto: Actionem meam nox, ut prælia solet, diremit. Egeram tribus horis, & dimidia, supererat sesquihora; nam quum ex lege sex horas, novem Reus accepisset, ita diviserat tempora Reus inter E me, & eum, qui dicturus post me erat, ut ego quinque horis, ille reliquis uteretur. Ex quibus testatissimum est, partitos inter se tempora Patronos plures eandem causam perorasse.

Usus solarii.

Dicebatur nonnunquam in noctem. Senatusconsulta.

Nox actionem dirimebat.

Partitio temporum.

COROLLARIUM.

1. Ex epistola Plinii) *Lib. 5. ad Arrianum.*

2. Quod si tanta veteribus) *Memini me legere apud Sueton. in vita Neronis, ipsum Neronem nil eorum omittere solitum, quæ* F *Cantores vel conservandæ vocis causa, vel augendæ factitarent, sed & plumbeam chartam supinus pectori sustinere, & clystere vomituque purgari, & abstinere pomis cibisque officientibus, donec, blandiente profectu, quanquam exiguæ vocis, & fuscæ, prodire in scenam concupivit. Et paulo post: Ibidem sæpius, & per complures cantavit dies, sumpto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore. Idem etiam testatur*

Nero.

Voci quæ nocent: & conducunt.

Octavium Augustum dulci, & proprio quodam oris sono pronunciasse, & dedisse assidue Phonasco operam. Plinius autem plumbeam laminam, & porrum sectivum conducere dicit, ut etiam claram vocem reddit anaphonesis. Officit autem frequens coitus teste Aristotele 7. de animalibus. Fabius Instit. Orat. cap. 3. lib. 11. Augentur autem sicut omnia, ita voces quoque bona cura, & negligentia minuuntur. Sed cura non eadem Oratoribus, quæ Phonascis convenit, tamen multa sunt utrisque communia, firmitas corporis, ne ad spadonum, & mulierum, & ægrotorum exilitatem vox nostra tenuetur, quod ambulatio, unctio, veneris abstinentia, facilis ciborum digestio, id est, frugalitas præstat. Præterea ut sint fauces integræ, id est, molles, ac leves, quarum vitio & frangitur, & obscuratur, & exasperatur, & scinditur vox.

Solarium in Foro.

3 Adversum oculisque oppositum) *Ex Plinii cap. 60. l. 7. quem antea citavimus, apparet solarium statutum in publico secundum Rostra in columna.*

Sententia Nocturna Areopagitæ.

4 Quanquam Senatusconsulta quæ facta, &c.) *Imo sententia noctu lata non valet. l. 2. §. & quia. ff. de orig. jur. excipiuntur tamen Areopagitæ, qui noctu judicabant.*

Nox certamen dirimebat.

5 Nox actionem dirimit) *Adde huc celebrem primam contentionem Papirii Dictatoris cum Q. Fabio Magistro equitum, quæ est apud Livium lib. 8. ubi dicitur, quod nox veluti in prælio certamini finem fecit.*

ARGUMENTUM

CAP. XII.

De ratione agendi, vicissitudine, alternatione, Patronorum numero, eloqutione, hypocrisi, & discrimine Orationis, Actionis & Declamationis.

Et quoniam nos hactenus deductum argumentum provexit, ut quomodo Actiones dividerentur, attingeremus latius, rem explicatam diligentius inspiciamus. Ex illa ergo Plinii epistola, si tempora præstituta consumpta non erant uno die, postero complebantur etiam, aliquando perendino, aut quarto, donec tandem causa peracta, calculus Judicibus permitteretur: quod ita aliquando fiebat, non ut integra causa repeteretur, sed cum plures articulos haberet, alius ab alio tractaretur, ut causa Mureuæ. Nam ejus certas quæstiones sigillatim Patroni Quintus Hortensius, & Marcus Crassus tractarunt, Cicero autem peroravit universum. Quo (inquit) mihi durior locus est dicendi datus, ut cum ante me & Hortensius dixisset, & vir summa dignitate & diligentia & facultate dicendi Marcus Crassus, ego in extremo non partem aliquam agerem causæ, sed de tota re dicerem, quod mihi videretur. Et pro Flacco quædam argumenta refutarat Hortensius, & pro Balbo, ubi cum dixisset multa de pridiana Actione Pompeii, sic ait: Quo mihi difficilior est hic extremus perorandi locus. Quod item in Oratore ad Brutum jactat, cum multi ante se dicerent, omnes perorationem sibi reliquisse: ubi peroratio epilogum, aut conclusionem quar-

Agendi ratio.

Divisa actio in articulos.

Peroratio.

A tam actionis partem non significat, sed ultimam summamque causæ totius actionem. Sæpe autem alternis agebant Patroni adversarum partium, ut ubi respondisset Reus, Actor actionem repeteret, quasi a Reo præscriptam exceptionem submoturus, quod Jurisconsulti vocant replicare. Est enim primum Actio, cui succedit Exceptio a Defensore, tertio loco Replicatio, quarto Duplicatio rursus a Reo, quinto Triplicatio ab Actore, tandem Quadruplicatio, ut sic in infinitum iri posset per causæ varia capita, cujus mentio fit in l. 1. ff. de
B except. Plin. in epist. ad Ursum, pro quo repetundarum Reo in Senatu dixerat, loquens de causa Bassi: successit mihi Lucerius Albinus tam apte, ut orationes nostræ varietatem duarum, contextum unius habuisse credantur. Respondit Herennius Pollio instanter & graviter, deinde Theophanes rursus dixit in noctem, atque illatis lucernis: postea postera die egerunt de Basso Titius Homulus, & Fronto mirifice, quartum diem probationes occuparunt. Ante tamen sic dixerat: Egit contra eum Pomponius Rufus vir paratus, & vehe-
C mens, Rufo successit Theophanes, unus ex Legatis, fax accusationis, & origo. In hac ergo causa duo primum accusarunt, conjunctis & consequentibus actionibus tres responderunt, Plinius, Albinus, & Pollio. Repetivit actionem Theophanes, cui item duo Homulus & Fronto successerunt. Ex quibus apparet, non plures modo Patronos, sed etiam Accusatores fuisse, qui non ut Subscriptores tacerent, sed ut primarii delatores agerent: ut in causa Prisci duo Accusatores erant, Plinius & Cor-
D nelius Tacitus, Defensores Salvius Liberalis, & Fronto Catius. Epistola extat ad Arrianum lib. 11. Rarum autem erat pluribus Patronis, quam sex, usitatum quatuor. Pædianus in argumento pro Scauro. Defenderunt Scaurum sex Patroni, cum ad id tempus raro quisquam pluribus, quam quatuor uteretur. Fuerunt autem hi sex, P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Callidius, M. Cicero, M. Messala Niger, & Q. Hortensius. Ipse quoque dixit pro se, ac magnopere Judices movit squallore, & lachrymis, & Ædilitatis effusa memoria,
E favore Populi, ac præcipue paternæ auctoritatis recordatione. Meminit & Tacitus lib. III. de causa Pisonis loquens, qui numerum Patronorum impositum a Cneo Pompejo tertio Consulatu in libro de Oratoribus scribit. Hæc ille. Vices illæ dicendi toties revocatæ ab utroque Actiones vocabantur. Cicero pro Fontejo: Jam enim mihi videor prope causa duabus Actionibus perorata, debere dicere. Idem pro Flacco: Itaque Recuperatores contra istam rem minime dubiam prima actione judica-
F runt, quæ verba ita appendo, ut solidis actionibus, & quæ rem totam comprehenderent, pluribus non esset opus, nisi cum tabellis significassent Judices, sibi non liquere. Pro Cæcinna, bis anteacta erat & bis ampliatus Reus propter juris obscuritatem, ex qua dubitabant Judices moramque faciebant, ait Cicero: quod idem accidit in causa Publii Quintii, quam tamen feliciter peroravit. Quod si in privatis litibus actiones repetuntur, quanto æquiore ra-

Alternis agebant Patroni.

Plures agebant.

Raro plures Patroni quam sex.

Actiones

Dictiones tione in publicis Judiciis? Dictiones etiam vocantur a Tacito in libro de Oratoribus: Juvenis deducebatur a patre, vel a propinquis ad eum Oratorem, qui principem locum in civitate tenebat, hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, disceret. Atque hinc natum discrimen illud, inter Actionem, Orationem, & Declamationem, *Actio, Declamatio, & Oratio.* quia Actio ipsius Oratoris viva vox est, in causa seria, apud consilium dicentis, quam si postea domi recognitam, & dispunctam evulgabat Oratio, quod plurimi, etsi alioqui disertissimi non fecerunt: ut est in dialogo de claris Oratoribus, sequuti (uti opinor) etiam rationem, quod vis eloquentiæ non ita sese prodat ex scripto, ut ex gestu, voce, motu denique membrorum decenti. In quam sententiam plurima disputat eleganter Plinius Junior ad Cerealem lib. 11. Hunc motum Hypocrysim, ejusque magistros Hypocritas vocamus, *Hypocrys. Hypocrita* ut Demosthenes Andronico Hypocritæ operam dedit, vocabulo ut honesto, necdum infamia notato, pro eo, qui vitæ sanctimoniam ex vultu squallido præ se ferret. Rhetores enim Oratorem, quem instituunt, ut Inventionem a Philosophis, & Dispositionem a Dialecticis, sic quintam Rhetorices partem, id est, Actionem duabus rebus comprehensam, voce & gestu, partim a Phonasco, partim ab Hypocrita petere jubent, cum Memoriam beatam, aut infelicem fato, & naturæ acceptam ferant, Eloquutionem vero, ut sibi propriam, suo jure vendicent; *Eloquutio propria Rhetorum.* quæ ratio partim, non sic a me distincta est, ut in omnes præcepta non conferat Rhetor: extant enim in singulas etiam plurima; sed quod illa precario mutuatur ab iis, quos diximus, Vernacula autem sunt, & domi nata, quæ de sua Eloquutione præscribit: Ita cum inæqualitatem vocis, monotoniam, monoeda, quasi unam faciem, closmon suffocatam & elisam vocem in clarum sonum erumpentem ab immaturo gallorum cantu, platyasmon cum patulo ore pronuntiamus, κοιlostomiam cum e specu quasi eruitur vox, jotacismum, lambdacismum, metacismum, & cætera vocis & pronuntiandi vitia vitari 1 præcipiunt, interdicto nudo id faciunt, non adjunctis præceptis, quibus in virtutes his contrarias vox informetur, quod Phonasci soli præstant, a quibus suos boatus tonitruaque petunt Tragœdi. *Gestus.* Et quæ de oculis, genis, 2 superciliis, palpebris, labris, ore, vultu, denique tota cervice, collo, humeris, mento, brachiis, manu, digitisque, ubi & Chironomia, pedibus, & toto trunco tradunt, quanto melius ab Hypocritis discerentur, qui in his hoc possunt, ut Metoposcopis, Chiromantis, & Physignomis expressis affectibus imponere possint? *Demosthenis speculum.* Ideoque Demosthenes, quæ ab Andronico, & Satyro gesticulandi magistris Hypocritisque acceperat, ea domi ad speculum latissimum secum exprimebat, a seipso exigens, quæ in aliis videbatur desideraturus, ut Cic. a Roscio Comœdo. *Actionis Animus.* Est ergo animus ipsius Actionis gestus, qui si ineptus est, stulta Actio, si frigidus, languida, si nullus, mortua. Pauci ob eam causam (ut dictum proxime est) quas dixerant Orationes emitte-

A bant, quibus plus in agendo, quam in scribendo felicitatis erat. Nam Marcus Antonius nihil, Quintus ille Hortensius, quondam Rex Fori Romani, pauca scripsit, *& Hortensius.* quia tota ejus dicendi vis, in voce, & gestu fuit, in quo anxius fuit, & exquisitus usque ad ineptias, ut jure meritissimo a Licinio Crasso, & aliis histrio, & Dionysia saltatricula dictus sit, auctor Aulus Gellius: 3 nam in statu, vultu, oculis, totoque corpore motus palæstrici sunt odiosiores, & Histrionum nonnulli gestus ineptiis non vacant, *Agentium ineptiæ.* quæque sunt recta, atque simplicia laudantur. B Plinius Secundus Junior in epistola 4 ad Nepotem. Præterea, ut dicitur viva vox magis afficit: Nam licet hæc acriora sint, quæ legas, altius tamen in animo sedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit. Nisi vero falsum putamus illud Æschinis, qui cum legisset Rhodiis Orationem Demosthenis, mirantibus cunctis, adjecisse fertur τί ἢ εἰ αὐτῦ τῦ θηρίυ ἀκηκόειτε. Erat Æschines, si Demostheni credimus, Μεγαλοφωνότατος: fatebatur tamen longe melius eadem illa pronuntiasse ipsum, qui peregerat. C Sed heus quonam provecti scribendo sumus? Oratio igitur ut bona sit, & laudetur, ista non requirit: *Oratio.* Aliud est bona Actio, aliud Oratio. Plinius Junior lib. 1. ad Cornelium Tacitum: Est Oratio Actionis exemplar, & quasi archetypon: Ideo in optima quaque mille figuras extemporales invenimus, in his etiam, quas tantum editas scimus, ut in Verrem: Artificem quæmnam? recte admones, Polycletum esse dicebant: & reliqua, quibus contendit Actiones longiores fuisse, si per tempora præscripta non D staret, quam Orationes, etiamsi earum similitudinem, faciemque maxime exprimant, de qua aliquando plenius commentandi 5 occasio sese offeret. Oratio rem gestam, verumque argumentum explicat: *Declamatio quid.* Declamatio fictum, sed quod fieri potuit, ut quæ tribuuntur Fabio & Senecæ declamationes. Nonnunquam rem gestam, ut cum aliqui animi gratia ludunt orationes verarum causarum, ut fecit M. Brutus, qui pro Milone edidit Orationem, quam ipse non habuit, auctor est Pædianus. Tranquillus in Caligula: E Solebat prosperis Oratorum actionibus rescribere, & magnorum in Senatu Reorum accusationes, defensionesque meditari, *Viri magni declamarunt.* quod nos ad exercendum stylum animi gratia fecisse putamus, quod fecit Cicero ad Præturam usque, Cn. Pompejus sub bellum civile, ut promptius responderet C. Curioni, pro Julio Cæsare dicturo, Octavius in castris quotidie Mutinensi bello, & Nero Cæsar primo imperii anno, antea quoque bis solitus. F Usque adeo eloquentiæ studiis addicti erant Veteres, ut in Castris, in medio armorum strepitu, ex tam feriis negotiis horas aliquas ad declamandum suffurarentur: non ignari Minervam literarum, & armorum præsidem. *Minerva literarum & armorum præses.* Themata declamationum varia proponebantur a Rhetoribus in scholis, *Themata declamationum.* theses, anasceuæ, catasceuæ, apologi, historiæ, aliquando etiam hypotheses repetitæ ex vetere historia, aut recentes, alias ficta argumenta causarum, quæ syntaxes vocabantur, teste Suetonio in libello de claris Rhetoribus. Sed

ad rem. Perorata causa dicitur apud nos, cum utrinque renunciatum est allegationibus, permissa pronuntiandi potestate Judici: habetque hoc mysterii vocabulum illud *Dixi*, quod nescio, an recte usurpetur in panegyricis, & reliquis declamationibus, quæ Latine habentur. Est enim hoc Forense, ut dicere proprium Oratoris, eloquenter scilicet loqui. Non ergo ad finem cujusque orationis Orator subiiciebat *dixi*, sed in summa, & postrema peroratione, quando post eum nullus sperabatur dicturus, ut qui prius egissent, hoc non usurparent. Asconius in Pæd. Moris (inquit) fuit Veterum, quum satis visum esset fluxisse verborum, hanc sibi necessitatem finiendæ orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, *Dixi*. Quod etiam ab utraque parte oratione consumpta, ut in consilium mitterentur Judices, Prætor solebat pronuntiare, *Dixerunt*. Est autem mittere in consilium, ut idem auctor dicit alibi, dimittere Judices ad sententiam dicendam, ubi allegatis omnibus argumentis Orator dixerat, *Dixi*.

Dixi.

Mittere Judices in consilium.

A

B

C

COROLLARIUM.

1 Vitia præcipiunt) *De vitiis vocis, & pronuntiationis quædam vide apud Fab. libr. 11. c. 3. & apud Erasmum dialogo de pronunciatione. Porro augendæ & conservandæ vocis præcepta præcedenti cap. quædam attulimus, quæ inculcare non videtur necesse.*

2 Genis) *Huc quadrat c. 3. l. 11. Instit. Orat. Fab. ubi fere gestus omnium membrorum describit.*

3 Auctor Gellius) *Lib. 1. cap. 5. Noct. Att.*

4 Epistola ad Nepotem) *Lib. 2. epist. 3. Adde aliam ad Sparsum lib. 4. & Valer. Max. l. 8. c. 10.*

5 Aliquando plenius commentandi) *Infra lib. 2. c. 12. nostræ Historiæ.*

6 Dixi in fine cap.) *Eleganter & ingeniose hoc cap. & lib. finit auctor noster per verbum* dixi, *quo Auditores domum, Judices olim in consilium mittebantur: Quod intelligendum est in statu judiciali, quando quid juris tantum disceptabatur, in quo productiones testium & tabellarum non requiruntur, alioquin præpropere Judicibus calculus judicandi permitteretur ante probationes. Cæterum an Prætor solemnibus verbis dimitteret Judices, non satis constat: Verisimile est his verbis dimissum consilium,* nil vos moramur Judices. *Livius lib. 8. cum se nil morari Magistrum Equitum pronuntiasset, digressum eum templo, lætus Senatus, lætior Populus, &c. Capitolinus autem in M. Philosopho testatur etiam his verbis Coss. dimisisse Senatum,* nil vos moramur P. C.

Dixi. Nil vos moramur

SUMMARIUM

Libri secundi.

LIBRO SECUNDO DE IIS AGITUR, QUI IN FORO REIS, ID EST, LITIGANTIBUS OPERAM AUT LOCANT, AUT COMMODANT, MUTAM QUIDEM ET SEGNEM, GRATUITAM AUT VÆNALEM SISTUNT, QUI GENERALI VOCABULO ADVOCATI DICUNTUR.

HISTORIA FORI ROMANI

LIBER SECUNDUS

ARGUMENTUM CAP. I.

De Advocatis, & Advocatione in genere.



SEd nos telam historiæ Oratoriæ, quam exorsi sumus, pertexamus, ipso rerum ordine ad eam decurrendam, quasi pectinem porrigente, quæ a summo licio ita commode repetetur. *Actores.* Actores sunt, qui lites ipsas in Foro tractant, aguntque, catholico, & communi nomine Reis, & Advocatis. *Rei.* Rei sunt primarii litigantes, qui suo nomine agunt, & experiuntur, sive agant, sive excipiant; neque enim, qui petit minus Reus est, quam qui excipit, inde dicti, quod res eorum agatur. Advocati autem sunt, qui Reis litigantibus operam suam, aut commodant, aut locant, vel præsentiam mutam quidem, & segnem, gratuitamque, aut venalem sistunt: hos enim generali vocabulo, & amplissimo Advocatos Latini vocant, & quicunque operam etiam sedentariam dant litigatoribus: dicti quod advocentur, accersanturque, ut partibus adsint, qui & Operæ Forenses sunt, cum rogantur a Reis causarum ergo, eadem prorsus forma, qua & Operæ Campestres, *Operæ Forenses. Operæ Campestres.* pro iis, qui Candidatis honorem petentibus adsunt in Campo, vel dividendis, vel pronuntiandis nummis inter Centurias suffragium laturas. Suetonius in Augusto: Octavius pater a principio ætatis, & re, & æstimatione magna fuit, ut equidem miror hunc quoque a nonnullis Argentarium, atque etiam inter Divisores Operasque Campestres proditum. Sunt hujusmodi Advocati, Patroni, Causidici, Cognitores, Subscriptores, Pragmatici, Submonitores, Custodes, Laudatores, & qui honorariam præsentiam commodant, atque etiam Testes: *Testes Advocati.* Nam hi Advocati Plauto dicuntur in Pœnulo, ubi aguntur gratiæ Testibus, & rursus in posterum advocantur in hunc modum.

LYC. *Malus es, captatum me advenis cum Testibus,*
Tuorum apud me nemo, nec quicquam tui.
AGO. *Mementote illuc Advocati.*

Advocati enim dicuntur adesse litiganti, & causæ, quia præsentes in subselliis causam, in quam advocati erant, habitu, voce, nutu, vel alias tuebantur. Cicero pro Quintio: Aderunt homines nobilissimi, & potentissimi, quorum frequentiam, & concessum non modo P. Quintius, qui de capite decrevit, sed quivis, qui extra periculum est, perhorrescat. Idem ibidem: Recusabant qui tum aderant, loquens de Advocatis quos Alphenus corrogabat, hinc illud, ut adesse alicui, sit patrocinium, & tutelam in se recipere, & propensum favorem significare. Livius in causa Virginiæ: Virginius postero die, secum obsoleta veste comitantibus aliquot matronis, cum ingenti advocatione filiam in Forum adducit. Quo loco interpretatur Advocationem, concursum civium, quos in commiserationem filiæ suæ, aut clamore, aut calamitate sua advocaverat Virginius. *Advocatio. Superesse.* Eadem forma fortassis & superesse Reo dicitur Advocatus. Tranquillus in Augusto: Cum Asprenas Nonius arctius ei junctus causam veneficii accusante Cassio Severo diceret, consuluit Senatum, quid officii sui putaret; cunctari enim se, ne si superesset, eriperet legibus Reum; sin deesset, destituere, & prædamnare amicum videretur. Plautus in milite glorioso:

— Ne doceto malas, ut sint malæ,
Mihi sola ego supersum.

Id est, ego una mihi strenuam operam dabo, & meas agam probe partes. *Superstites.* Ideo Superstites recte Advocati dicuntur, quasi iidem cum præsentibus. Plautus in Asinaria:

Nunc mihi licet quidvis loqui, quando
nemo adest superstes.

Eadem de causa Antistites sunt, quasi ante rem ipsam stantes, quæ agebatur. *Antistites.* Hinc attestare dicitur: Symmachus ad Ausonium: Quippe ita facundia attestas cæteris, ut si formido rescribere. Aulus tamen Gellius I qui paulo junior Suetonio fuit, & apud quem recentis historici nomen, & auctoritas, haud ita in magna æstimatione esset, negat recte latineque dici in eum sensum. Ejus verba hæc sunt: Irroboravit, inveteravitque falsa, atque aliena verbi significatio, quod dicitur. Hic illi superest, cum dicendum esset, Advocatum esse quem cuipiam, causamque ejus defendere. Atque id dicitur non in compitis tantum, neque in plebe vulgari, sed in

Foro, & in Comitio apud tribunalia. Et quæ deinceps disputat eodem capite libro primo, sed ut forte non usitatum fuerit apud auctores Gellio natu majores, tamen quia a vulgo civitate Latina donatum erat, receptumque in quotidianum usum,

Contra Gellium.

Quem penes arbitrium, & jus, & norma loquendi;

Non putarem ab eo abhorrendum prorsus, tam delicata enim, & anxia religio proxima esset stultæ superstitioni: Nam Gellii auctoritas, quæ alioqui in re Latina maxima est, non deterruit posteros 2 ab utendo. Ulpian. l. 1. ff. de Procuratoribus: Usus Procuratoribus perquam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt, vel non possunt, saltem per alios, vel agere, vel conveniri possint. Aliquando sunt Advocati, quicunque Reo adsunt præter Oratorem. Cic. II. de Oratore: Orat Reus, urgent Advocati ut invehamur, ut maledicamus, denique ut interrogemus. Quanquam sæpissime Quintiliano Advocatus pro Patrono usurpetur, & passim in jure Romano, ut Advocatio pro patrocinio, atque etiam pro Accusatoris opera, quod admirabilius est. Plin. lib. 2. ad Arrianum de Prisco, quem idem & Tacitus ad Senatum repetundarum reum peregerunt: In fine (inquit) sententiæ adjecit, quod ego, & Tacitus injuncta advocatione diligenter, & fortiter functi essemus, arbitrari Senatum ita nos fecisse, ut dignum mandatis partibus fuerit. Cic. pro domo sua. Cum eos qui conventu bonorum virorum verba de salute mea fecerant, adesse jussisti, eorumque advocationem manibus, ferro, lapidibus discussisti, tum profecto ostendisti vim maxime tibi displicere, ubi extra judicium eliminata est in concionem turbulentam. Alias habet proprium significatum, intra quem consistit, ut ex tam multis qui advocantur accersunturque ad causam, sint ii solum, qui præsentiam suam amico commodant, aut jus suggerunt, teste Asconio in Divinationem. Sed qui jus suggerunt nomine proprio affecti, vocantur Pragmatici, & Formularii: de quibus alias latius. Qui præsentiam præstant proprie Advocati. Cic. pro Quintio: Jus non palam dicit? mihi si quid debetur peterem, atque adeo jam pridem abstulissem, nihil hoc tanto negotio, nihil tam invidioso judicio, nihil tam copiosa advocatione uterer, si petendum esset. Plinius lib. 1. ad Minutium: Nam si quem interroges hodie, quid egisti? respondeat, officio virilis togæ interfui, sponsalia, aut nuptias frequentavi, ille me ad signandum testamentum, ille me in advocationem, ille in consilium rogavit. Pro Cecinna: eodem tempore se in fugam conferunt amici, Advocatique ejus perterriti. Ubi amicos rogatos ab Advocatis non sejunxit. Aderant ergo supplices amici, qui squallidi, & quasi in reatu sedebant, ad commovendos ad misericordiam animos: quasi illis omnibus nota infamiæ etiam inureretur, ut pro Fontejo virgo Vestalis soror excitata est ad lachrymas Judicibus extundendas, advocati Macedones, Hispani, Massilienses, qui sua præsentia commendarent, Judicesque exorarent. Mittebantur enim ex provinciis Romam Legationes

Advocatio pro Accusatione.

Advocati proprie.

Pragmatici.

A in Reorum periculis, ut Mamertini in causa Verris, Gaditani in causa Balbi, quos Laudatores, & Deprecatores Cicero vocat pro Balbo his verbis: Proferam Testes, proferam Legatos, excitabo Laudatores, ad hoc judicium summos homines, & nobilissimos Deprecatores hujus periculi missos videtis: Hæc ille. Et in aliis orationibus fere amicorum, qui adsunt, meminit Cicero. Et pro Quintio Advocati erant nobiles potentes a Nævio gratiosissimo, per quos vis veritati adhiberetur. Et frequentia advocationis agnoscitur, quam quisque sit gratiosus. Curtius lib. VI. ubi Philotas majestatis reus ait ad concionem militum: Solent rei capitis adhibere vobis parentes, duos fratres ego nuper amisi, patrem nec ostendere possum, nec invocare audeo, cum & ipse tanti crimimis reus sit. Hæc Advocatio Græcis dicitur Paraclesis, ut Paracleti Advocati, qui accersebantur ad savendum dicturo causam: atque ita injicitur scrupus quidam religionis Judicibus, quasi non Rei solius periculum sit, sed advocatorum amicorum, qui, tanquam in causam subscripsissent, adsunt experturi judicii aleam, ut simul cum Reo damnentur, aut absolvantur. Et hanc puto antiquissimam Advocatorum originem, priorem Procuratoribus, Custodibus, Formulariis, Cognitoribus, & Oratoribus, ut in causa Virginiæ apud Livium. Virginius pater & Icilius sponsus parentibus advocatis, nullo Patrono a foro conducto, ipsi per se egerunt: nam tempore Decemvirorum nullos Causidicos, nullos Pragmaticos, nullos Procuratores fuisse argumento est, quod in jus vocatus nullum negotium excusare poterat, quamvis serium, nullum etiam morbum præter sonticum, neque absens agere per Procuratorem. Sed verba capitis illius ex XII. tabulis ascribamus: *Si quis in jus vocatus, si morbus ævitasve vitium extitit, qui in jus vocabit, jumentum dato, si nolit, arceram ne sternito.* Quæ pluribus declarantur apud Gellium. 4. Cui opinioni nostræ accedit Architectus Institutionum libro quarto, tit. per quos agere possumus, qui sero admissos Procuratores & cunctanter significat his verbis: Alieno (inquit) nomine agere, olim in usu non erat, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela. Præterea lege Hostilia permissum est furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut Reipubl. causa abessent, quive in eorum cujus tutela essent. Et quia hoc minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine, neque agere, neque excipere actionem licebat, cœperunt homines per Procuratores litigare: Nam & morbus, & ætas, & necessaria peregrinatio, itemque multæ aliæ causæ sæpe hominibus impedimento sunt, quo minus rem suam exequi ipsi possent. Hactenus ille.

Legationes in Reorum periculis.

Paraclesis. Paracleti

Olim nulli Procuratores.

PHILIPPI BRODÆI I. C. COROLLARIUM ad caput primum.

1 Gellius) *c.22. Noct. Att. lib.1.*

2 Deterruit posteros) *Nam passim Jureconsulti nostri utuntur, ut videre est ex l. 10. ex quibus cau. major. l. 12. de tutor. dat. ab his. l. quæsitum. de re Jud. l. 2. de curat. furios. l. penul. de vaca. mun. ff.*

Numerosa Advocatio. 3 Aderant ergo supplices) *Advocationis numerosæ exemplum est memorabile apud Cæsarem lib. I. Commentariorum de Orgentorige, qui die constituta causæ dictionis, ad judicium omnem suam familiam ad hominum millia decem undique coegit, & omnes clientes, obæratosque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit, per eos ne causam diceret se eripuit.*

4 Apud Gellium) *cap. I. lib. ult. Noct. Att.*

5 Morbus & ætas) *Actor ad Herennium l.2. scribit ex bono & æquo fuisse constitutum, & ad utilitatem communem, ut major annis sexaginta, & cui morbus causa est, Cognitorem det.*

ARGUMENTUM

CAP. II.

De Cognitoribus, Formulariis, Leguleis, & Monitoribus.

Cognitores. ADvocatis successisse Cognitores, Cognitoribus Formularios, Formulariis Patronos, Patronis Subscriptores, Custodes, Monitores, ex his quæ sequentur verisimile est. Nam si in re obscura relinquitur nobis divinandi locus, is *Cognitorum origo.* Cognitorum fuit natalis successu temporis post Fastos Pontificiosque commentarios, ubi legis Actio descripta erat, evulgatos a Cn. Flavio Appii Scriba, qui ex plebe emunctioris erant naris, ingeniique experrectioris observasse diligenter formulas illas, earumque ex prætoris ore deductum, & usum in pluribus causis: quarum cum tenorem seriemque complexi essent, amicis in foro periclitantibus, operamque desiderantibus communicasse, ut jam longo rerum usu comparata quadam hexi, cum concepta de se fiducia satis confirmatos fundatosque sentirent, in Forum processerint, amicisque litigantibus, non ut Advocati tantum præsentiam commodantes, sed jus tanquam tela a tergo mini- *Cognitores qui sint.* strantes. Factique ex Advocatis Cognitores, quorum opera fueritne honoraria, an mercenaria, nihil refert: gratis enim aliquando, alias pretio litigantibus aderant. Sunt autem Cognitores, teste Pædiano in Divinationem, qui præsentis Litigatoris causam cognoscunt, & tuentur ut suam, quasi familiarissimi Defensores, quorum fidei partes jus suum explicatum litisque fundamenta concredunt: itaque & vadimonia ab iis obeuntur, judicium accipitur, satisdatur nomine litigantis. Cicero pro Roscio Comœdo: Tu Piso, tu enim Q. Roscium pro opere, labore, quod Cognitor fuisset, quod vadimonia obiisset, rogasti, ut Flavio daret HS. CCCLIII. Idem in Divinatione: Me Defensorem calamitatum suarum, me Ultorem injuriarum, me Cognitorem juris sui, me Actorem causæ suæ esse voluerunt. Hos jam Procuratores ad lites vocamus, cum olim Procurator genuinus sit, & affinis Cognitori, tamen hoc differebat, quod

A ille absentis, hic præsentis esset; auctor idem Asconius. Cicero pro Cæcinna: Procurator non omnis is, qui negotia gerit aliena, sed is dicitur legitime omnium rerum ejus, qui in Italia non sit, aut Reipublicæ causa absit, quasi pene Dominus & alieni juris Vicarius. Et in causa Quintii, in eum sensum Alphenum Procuratorem absentis in Gallia Narbonensi Quintii fuisse dicit. Posteri vero non tantum Cognitoribus hoc nominis dederunt, sed etiam e Foro extulerunt, accommodaruntque iis, qui negotia, bonaque aliena pru- *Quid differant a Procuratoribus?* *Procuratores extra Forum.*

B dentia permissuque domini gererent, ut Jurisconsultus Modestinus in l. Procurator totorum, & Paulus in l. Procurator cui. ff. de Procuratoribus. Unde illud discrimen verius, quam elegantius inter Procuratorem totorum, & universorum. Itaque Diœceses, Institores, Exercitores, Insularios, Villicos, Dispensatores, reliquos alienarum Curatores, eadem forma Procuratores vocamus. Porro Cognitores si præter operam etiam jus suggerent, idque tanquam ex professo assidue factitarent, & ei studio uni incumberent, no-

C men aliud inducunt: Sunt enim Formularii vel Legulei, quos Græci Pragmaticos vocant, qui imperitos agendi instruebant, Actionesque concipiebant, ubi dolo Flavii eo munere defuncti essent Pontifices; qui Asconio etiam Advocati sunt, quia jus suggerunt, sed se non posse agere fatentur. Fab. lib. XII. c. VIII. Pessimæ consuetudinis libellis esse contentum, quos componit aut Litigator, qui confugit ad Patronum, quia liti ipse non sufficit, aut aliquis ex eo genere Advocatorum, qui se non posse agere confitentur, deinde fa- *Formularii.* *Officium Formulariorum.* *Libellus litis instrumentum. Legulei.*

D ciunt id, quod est in agendo difficillimum? Quo in loco Formularios designari quis ambigit? Hi consulti a Litigatoribus libello describebant summa litis capita, jurisque accommodi articulos, hunc ad Oratorem instruendum ferebant partes. Memini, hujusmodi libellum vocari ab eodem Fabio litis Instrumentum. Sed hoc interest inter Jurisconsultum & hunc Rubricarii juris interpretem, quod inter Rabulam & Oratorem. Formularios & Leguleos dici idem Fabius auctor est capite tertio ejus-

E dem libri duodecimi Institutionum Oratoriarum: verum ea, quæ de moribus excolendis, studioque juris præcipimus, ne quis eo credat reprehendenda, quod multos cognovimus, qui studio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam necesse est, confugerunt ad hæc diverticula desidiæ, quorum alii sese ad album, & rubricas contulerunt, & Formularii, vel (ut Marcus Cicero ait) Legulei quidam esse maluerunt, tanquam utiliora eligentes ea, quorum solam facilitatem sequebantur, &c. Cum hæc describerem, venit in men- *Proverbium.*

F tem proverbii, fiunt Aulœdi, qui non possunt esse Cytharœdi, cujus meminit in hæc verba Cicer. in oratione pro Murena: itaque mihi plerique videntur initio hoc multo maluisse, post cum id assequi non potuissent, isthuc potissimum sunt delapsi, ut ajunt in Græcis Artificibus, eos Aulœdos esse, qui Cytharœdi fieri non potuerunt. Sic nonnullos etiam videmus, qui Oratores evadere non potuerint, eos ad juris studium

dium devenire. Monitores etiam dicuntur. *Monitores.* Idem eodem. Hoc maximum ignorantiæ malum, quod credat eum ſcire qui moneat; neque ſum noſtri moris ignarus oblituſque eorum, qui velut ad arculas ſedent, & tela agentibus ſubminiſtrant, neque idem Græcos quoque neſcio factitaſſe, unde nomen iis Pragmaticorum datum eſt. Cicero *Pragmat.* in Divinatione. Quid ad hæc dici poteſt? neque enim quæro, quid tu dicturus ſis, video mihi non te, ſed hunc librum reſponſurum eſſe, quem Monitor tuus hic tenet, qui ſi recte te monere velit, ſuadebit tibi, ut hinc diſcedas, neque mihi verbum ullum reſpondeas. Idem quarta Actio. Videtis illum ſub criſpo capillo nigrum, qui eo vultu nos intuetur, ut ſibi ipſi peracutus eſſe videatur? qui tabulas tenet? qui ſcribit? qui monet? qui proximus eſt? *Submonitores.* Sunt enim Submonitores poſtici quidem adjutores, qui omiſſa reddunt memoriæ agentium. His ſimiles ſunt qui hodie Sollicitatores vocantur, qui actum rerum diligentia procurant. *Miniſtratores.* Fortaſſis Miniſtratores iidem erunt cum Submonitoribus. Idem ſecundo de Oratore: Ut cum te Sulpiti objurgabam, quod miniſtratorem peteres, non adverſarium. Idem pro Flacco: Vidi ego in quodam judicio nuper Philodorum Teſtem Trallianum, vidi Parrhaſinum, vidi Archidemum, cum quidem idem hic mihi Meandrius, quaſi miniſtrator, aderat, ſubjiciens quod inter ſuos cives, civitatemque dicerem, ſi vellem. Ex quibus conſtat, non omnino eoſdem fuiſſe Submonitores, Miniſtratoreſque cum Formulariis & Pragmaticis, quod hi ſolum jus ſuppetant & ex profeſſione, illi recentes ſunt in ea re, & quidvis ſubjiciant etiam extra rem forenſem. Tranquill. in Auguſto. Die Senatus nunquam Patres, niſi in Curia ſalutavit, & quidem ſedentes, ac nominatim ſingulos, nullo ſubmonente. Formularius ſine controverſia, idem cum Pragmatico, cujus hæc mihi deſcriptio, & periphraſis videtur ex 1. de Oratore. *Legulei deſcriptio.* Leguleus cautus, & acutus præco actionum, cautor formularum, auceps ſyllabarum. De eodem idem eodem libro. Itaque ut apud Græcos infimi homines mercedula adducti miniſtros ſe præbent in judiciis Oratoribus, ii, qui apud illos Pragmatici vocantur: ſic in noſtra civitate contra ampliſſimus quiſque & clariſſimus vir, ut ille qui propter hanc juris Civilis ſcientiam, ſic appellatus a ſummo Poeta eſt:

Egregie cordatus homo catus Ælius Sextus,

Multique præterea, qui, cum ingenio ſibi auctore dignitatem repериſſent, perfecerunt, ut in reſpondendo jure, auctoritate plus etiam, quam ingenio ipſo valerent. Deinceps eodem in dialogo. Itaque illi diſertiſſimi homines, miniſtros habent in cauſis Juriſperitos, cum ipſi ſint peritiſſimi, & qui, ut abs te paulo ante dictum eſt, Pragmatici vocantur, in quo noſtri omnino melius multo, quod clariſſimorum hominum auctoritate, leges, & jura tecta eſſe voluerunt. Sed hoc tamen non fugiſſet Græcos homines, ſi ita neceſſe eſſe arbitrati eſſent, Oratorem ipſum erudiri in jure Civili, non ei Pragmaticum adjutorem dare. Quibus locis comparantur Græci Fori Pragmatici cum Romanis Juriſconſultis, non cum Formulariis: puduiſſet enim dicere, Leguleorum opera viros eloquentiſſimos Oratores indigere.

COROLLARIUM AD CAP. II.

1 Sunt autem Cognitores) *Vide Alc. parerg. Jur. l. 2. c. 5. quis dicatur Cognitor in jure, & quid ab Advocato differat.*

ARGUMENTUM

CAP. III.

Diſcrimen ponit inter Leguleos, & Jureconſultos, atque in Fori Rabulas, Sycophantas, & id genus peſtes genuinum figit.

SUnt autem iſti formularii, quaſi Juriſconſultorum feces, & quanto Rabulæ Oratoribus, & in re medica Empirici Methodicis, tanto Formularii Juriſconſultis ſunt inferiores. *Diſcrimen inter Leguleos & Juriſconſultos.* Ut enim triticum in ſolo infelici, aut alterius occaſionis maleficio in lolium aut ægilopem ſterilemque avenam degenerat; ita qui in ipſa æquitatis arcana mentis indagine non penetrant, circa rubricas, albumque forenſe cum hærent, Legulei fiunt. *In Leguleos.* Quod genus hominum, ſolum dignum eſt his odiis, quæ Juriſconſultis immeritis imprudentes quidam creant. Audiant enim iſti vitilitigatores, philodici, philætii, ſpernolici, apud Demoſth. contra Æſchinem & τῆς ἀγόρας περὶ τρίμματα, quaſi fori vaframenta, & Veteratores, & Ariſtophanicum illud ὀρθοφοιτοσυκοφαντοδικοταλαιπώροι. Quod nomen ita protenſum in ſeſquipedem accommodum eſt lites extrahentibus in æternum. Audiant Harpyiæ, Hyrudines generis humani, Æruſcatores, Impoſtores, Veteratores, qui captiunculis formularum, ſutelis ſycophantiis, technis concenturiatis, ut eſt apud Plautum, & factitiis fabricis, Holophantæ ſint, an Sycophantæ potius neſcio, in labyrinthos, mæandroſque litium æternarum Clientulos imprudentes intrudunt, quos ſuorum ipſos pudet pigetque morum; nam Menæchmus Cauſidicus apud Plautum ita in conſortium collegarumque ſordes invehitur;

Aut hoc vivitur more morum moleſto maxume omnium:
Atque uti quique optumi ſunt maxumi, morem hunc habent:
Clienteis ſibi omnes, volunt eſſe multos: bonine, an mali ſient,
Id haud quæritant: Res quæritur magis, quam clientum fides,
Quojuſmodi cluat, ſi pauper eſt, atque haud malus,
Nequam habetur: Sin dives malus eſt, habetur is ciens
Frugi.

Hi ſunt, qui cum ſe Juſtitiæ Satellites profiteantur, eam nummo produnt, aut ejus cum ſe jactent Sacerdotes nefario inceſtoque contrectatu temerant, violant, corrumpunt ter ſacrilegi. Excipiant eorum impetum,

A quos irritarunt suis latrociniis, pyraticis pactionibus, tyrannicis concussionibus, repetundarum causam dicant apud Rhadamanthum, aut alium rigidiorem Quæsitorem, non edita, sed reddita professionis ratione. Adsit tandem unus, qui ex illo nebulorum grege culpam agnoscat, & præstet: Jurisconsultum verum, sanctum, integrum, indignum convitiolo minimo vindicet a maledicis, conclamet tandem cum Niso Vergiliano, ut Euryalum eripiat:

Me me, adsum, qui feci, in me convertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste, nec ausus,
Nec potuit, cœlum hoc, & sydera conscia testor.

J. C. nisi vir bonus.

Ut enim Orator Catoni non est nisi vir bonus, ita nec Jurisconsultus, qui tanto major est Oratore, quanto Pallas Mercurio, Justitia Eloquentiæ, Ratio denique Orationi longius præit. Eloquentia ratione destituta, res est perniciosissima. Jurisperitia nunquam a ratione sejungitur, jus absit, aberit longissime & ratio, adsit autem, aderit & illa comes conjunctissima. Quid enim aliud jus, quam recta ratio summi Jovis? Accedit & palmaris illa, quod virtute abuti nemo potest, cum reliquorum omnium propensus, & facilis sit abusus. Nemo autem inficias iverit, Jurisprudentiam speciem esse Justitiæ distributivæ, imo ipsam esse Justitiam, quum Prudentia reliquis etiam virtutibus sit permixta: ut & agnoscunt Ethici, cum etiam quidam sint, qui artis nomine omne virtutum genus comprehendi contendant. Forenses ergo isti Impostores, Sycophantæ, & Holophantæ, cum technas suas obtendunt simplicibus, non magis jure abutuntur, quam *qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt*, fronte conficta, barbaque immissa, bonorum, & frugi virorum, & a voluptatum illecebris alienorum speciem præ se ferunt, Temperantiam non lædunt, commutant, aut pervertunt, neque vitium suum virtute, sed specie virtutis obumbrant. Virtus enim ita pura, candida, simplex, nativique coloris, ut fucum adscititium non retineat. Istorum itaque decipulæ, non a jure sunt, sed a malitia quadam improba, quæ juris speciem ementitam prætexit. Desinant ergo tandem isti impingere Jurisconsultis sordes malitiosas, laqueos perniciosos, latrocinia, prædasque ex imperitis raptas. Non minus sancti sunt, quam Oratores, non minus boni, quam docti, suas invectivas categorias in istis non juris, sed malitiæ consultis experiantur. Et si unquam Formularii forensesque Harpyiæ Astræam ipsam nudam forma, atque filo virginali, aspectu vehementi, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, sed reverendæ cujusdam justitiæ dignitate præditam vidissent, ut quondam Chrysippus ille, 1 pridem os illud suum impurum, improbumque dimisissent, frontem illam impudentissime perfrictam abjecissent, recantassentque illud Plauti, quod toties decantaverunt,

Virtute abuti nemo potest

Justitiæ imago.

Pol pudere præstat, quam pigere totidem literis.

Ejus est facies tam amabilis, ut si oculis cerneretur, mirabiles sui amores quibusvis excitaret, ut Socrates in Phædro Platon. de Sapientia dicebat, tam verenda ut horrorem incutiat ejus majestas prævaricatoribus, simulatisque Deæ principis Satellitibus. Sunt & alii ejus farinæ Impostores forenses, qui etiam impune imponunt, & illudunt suis civibus, & clientibus, qui B tamen non tam odio, quam ludibrio digni sunt, quod non tam dolo peccant quam inani quadam philautia, & ambitiosa jactantia conjuncta cum summa ignorantia, qui, si nihil aliud, quam tempus perderent, ferendi essent, ut Moriones, aut Histriones animi gratia tolerarentur, sed quia etiam, una cum tempore, & oleo, lites, & causas clientum perdunt, non sine magna fraude clientum, sua stultitia abutuntur, qui re vera faciunt lites hujusmodi suas, & ex imperitia rerum male gestarum, judicio tenentur. Ii sunt, qui multa qui-C dem declamant in foro, quæ nihil ad rem clientum pertineant promovendam, contenti illic detonare, quæ in umbris, & scholis aliquando meditati sunt, de fictis & fabulosis argumentis, interim rem clientis negligentes, quos irridet nasute Martialis lib. VI. sub nomine Posthumi cujusdam Rabulæ, qui cum nihil ad rem diceret, tamen in parergis & parecbasibus ingeniosus ita videri volebat, ut tam longe a materia excurreret, ut ad eam nunquam recurreret. Versus Martialis facetissimi hi D sunt:

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto,
Hoc Judex sibi postulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosque, Mutiosque,
Magna voce sonas, manuque tota:
Jam dic, Posthume, de tribus capellis.

COROLLARIUM AD CAP. III.

E 1 Chrysippus ille) *In libris, qui inscribuntur* περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς. *Verba autem refert Gellius l. 14. c. 4. Noct. Att. Optimo jure invehitur in hos fori Rabulas, in quo viri docti, & pii nunquam modum adhibent. Sed quid cum illis agatur, qui neque jus, neque bonum atque æquum sciunt? quibus si vel mica pudoris inesset, aut jam resipuissent, aut in aviam solitudinem jam pridem, exiliumque voluntarium, idem & perpetuum sese amandassent, aut suspendio vitam Divis & Hominibus invisam finivissent.* F *Qui plures invectivas cupit, videat Budæum in annotationibus suis in Pandectas, Zazium in suis comment. ad l. 2. de orig. Juris, Claudium Cantiunculam in sua Parænesi, de ratione studii legalis.*

ARGUMENTUM

CAP. IV.

De Custodibus, Capsariis, Subscriptoribus, & Subscriptione, Laudatoribus, & Deprecatoribus.

Custodes.

MOnitoribus posticis haud absimiles sunt, qui dicentibus apponebantur Custodes, apud quos litis instrumentum, tabulæ inquisitionum, testificationum, reliquorumque scriptorum, quibus litium articuli confirmandi erant, in capsis deponebantur custodienda; ante enim ex quarta Verriana de Claudio adduximus: qui tabulas tenet? qui monet? qui scribit? qui proximus est? quod etiam pertinuerit ad Custodes non tantum monere, verum etiam capsas depositas custodire, cavereque ne qui agant prævaricentur, aut colludant cum Adversario. Asconius. Custodes & Subscriptores non tantum chartarum causa, neque adjuvandi Accusatoris adhiberi solent, sed etiam, ut non facile corrumpantur. Ulpianus tit. de administ. tutor. in l. si plures. Dati sunt (inquit) quasi observatores actus ejus & custodes. Custodes etiam apponebantur ex legis permissu Accusatoribus, qui observarent ex eo die, quo delatus erat Reus, usque in causæ diem, quid illi agerent, qua via molirentur accusationem, quibus modis instruerent, dolum ne, corruptelam, ambitum admiscerent. Auctor Plutarchus in Catone Uticensi: sicut eleganter & lepide a Zelotipis dantur Custodes Conjugibus suspectis apud Martialem;

Custodes legis permissu Accusatoribus appositi.

Custodes das, Polla, viro, nec accipit ipsa,
Hoc est uxorem ducere, Polla, virum.

Exemplo Argi centoculi Io observantis, qui Argus eadem ratione apud Vergilium sub finem VII. Æneid. Custos virginis vocatur. Custodes etiam apponuntur captis pignoribus Reorum debitorum, quando creditores in eorum bonorum possessionem ex primo decreto Prætoris mittuntur, ne ipsi debitores fraudem faciant creditoribus, vel incustodita bona dilapident. Porro Custodum forensium, 1 ne quid imponere videamur, amplissime meminit Cice. in Divinatione contra Q. Cæcilium. Custodem (inquit) me Tullio apponite; quid? mihi quam multis Custodibus erit opus, si te semel ad meas capsas admisero, qui non solum, ne quid enuncies, sed etiam, ne quid auferas, custodiendus sis. Sed de isto Custode toto, sic brevissime respondebo, non esse hos tales viros commissuros, ut ad causam tantam, a me susceptam, mihi creditam, quidam Subscriptor me invito aspirare possit. Etenim fides mea Custodem repudiat, diligentia Speculatorem reformidat. Capsas hic forulos seu sacculos, librorum thecas interpretamur, cujusmodi canabeos nostrates Advocati habent; his enim tabulæ in foro deferebantur, aut libri etiam a servis in scholam, qui Capsarii 2 dicebantur, nam hunc forensem morem attigit Juvenalis Satyra VII.

Custodes bonis debitorum appositi.

Speculatores Capsæ.

Capsarii.

A

Dic igitur, quid Causidicis civilia præstent
Officia, & magno comites in fasce libelli.

Et idem Satyra decima:

Quem sequitur Custos angustæ vernula capsæ.

B

Qui locus facit, ut credam verum esse, quod diximus, Custodes capsarum esse asservatores, qui si in injuncto munere haberent, videre ne collusio committeretur, Speculatores, ut est in loco Ciceronis supra allegato; si monerent prætermissorum a tergo, Monitores; si actionem etiam adjuvarent, subeundo periculi forensis aleam, Subscriptores dicebantur. Nam primariorum Actorum Inscriptio, secundariorum Subscriptio, ut alias dicemus lib. IV. cum de Accusatorum coitionibus verba faciemus. Subscriptores Reis datos non memini, sed Accusatoribus tantum, Asconius in argumento Scauranæ. Subscripserunt Triario in Scaurum Q. L. M. Fab. & Q. Pacuvii fratres cognomine Claudii. Cicero pro Fontejo, ubi præcessisset mentio de M. Pletorio primario Accusatore, subjicit: aut si non poterit, M. Fabium Subscriptorem ejus rogabimus, ut Allobrogum animos mitiget. Hos jam causæ adjunctos vocamus etiam in privatis litibus. Plini. Secundus lib. 5. ad Severum epist. 1. Post hæc ille subscripsit Centum virale judicium, mecum tamen non subscripsit. His in litibus nisi libello subscribunt omnes, qui simul petunt aut excipiunt, alias non bene reciperetur. Trajanus Cæsar ad Plinium lib. x. de Christianis loquens: Sine auctore propositi libelli, nullo crimine locum habere debent, nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est. Ex subscriptoribus unus erat, qui agebat, reliqui quasi succinebant, serviebant, lenocinabantur. Cic. in Divinat. Esto, ipse nihil est, nihil potest, at venit paratus cum Subscriptoribus exercitatis & disertis. Est tamen hoc aliquid, tametsi non est satis, omnibus rebus is, qui princeps in agendo est, ornatissimus & paratissimus esse debet. Cornelius Nepos de Pomponio Attico: neminem suo nomine neque subscribens accusavit. Rarum autem erat, ut unus Accusator sine subscriptoribus diceret: nam si sibi non apponeret Custodes aut Subscriptores, erant qui ambibant plurimi ex Causidicis, ut in aliquo nomine essent, atque ita suam industriolam populo commendarent. Idem Cicero in Divinat. In tantane vobis videor esse inopia amicorum, ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? cum paulo ante ibidem: Quartum quem sit habiturus non video, nisi quem forte ex illo grege Oratorum, qui Subscriptionem sibi postularunt, cuicunque vos delationem dedissetis. Fuit enim aliquid Coriphæis illis Oratoribus subscribere: nam cum certa spes esset victoriæ, gloriolæ pauxillum inde aucupabantur. Nonnunquam etiam partem præmii, quod victoribus lex dabat, consequen-

Subscriptores. Inscriptio. Subscriptio.

C

Adjuncti causa.

D

E

F

Præmium Accusatorum.

bantur; Asconius in Milon. Milo postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum absens damnatus est. Illa quoque lege Accusator fuit ejus Appius Claudius, & cum ei præmium lege daretur, negavit. Post paucos dies quoque Milo ad Favonium Quæstorem de sodalitiis damnatus est, accusante P. Clodio Neratio, cui præmium lege datum est. Arbitraria erant Accusatorum proœmia. Tacitus l. 16. Accusatoribus Eprio & Cossutiano quinquagies sestertium singulis, Ostorio duodecies, & quæstoria insignia tribuuntur. Et sæpissime apud eundem inveniuntur datæ ædes & prædia, & cæt. Nam libro decimo septimo sic scribitur. Nec minus præmia Delatorum invisa, quam scelera, cum alii Sacerdotia, & Consulatus ut spolia adepti, Procurationes alii & interiorem potentiam agerent. Sed præmiorum historia differetur in quartum. Porro jus subscribendi dabatur a Prætore, & Judicibus, sicut jus deferendi, accusandique, ut patet ex Ciceronis loco. Datam autem delationem fuisse, argumento maximo sunt Divinationes de Accusatoribus constituendis. Nam cum in publicis judiciis cuivis pateat deferendi jus, quia publica quæratur vindicta, ideo contentiones in translationibus, & judicii legitimi prælusionibus, qui suam delationem ablaturus sit. Cicero 3. act. in Verrem. Quod meum factum lectissimi viri, atque ornatissimi, quod in numero e vobis complures fuere, ita probaverunt, ut ei qui Quæstor istius fuisset, & ab isto læsus inimicitias justas persequeretur, non modo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, cum id postularent, facerent potestatem. Plinius lib. 3. ad Macr. Legati provinciæ Bæticæ quæsturi de Proconsulatu Cæcilii Classici Advocatum me a Senatu petierunt. Idem lib. 2. ad Arrianum, de causa Prisci: Ego & Cornelius Tacitus, adesse Provincialibus jussi, &c. Hactenus ergo personæ quædam in subselliis collocatæ, quas ideo Tullius pro Flacco Confessores Accusatorum aut Reorum vocat. Nam Patroni stantes agebant, quamvis de subselliis surgerent: ad quos antequam transeamus, quædam de Advocatis Paralipomena in Corollarii vicem adjungantur, ut sic commode locus totus concludatur. Numeraveramus inter Advocatos Laudatores, & Deprecatores, ad quæ pertinent, quæ Asconius pro Scauro scripsit. Laudaverunt Scaurum Consulares novem, quorum magna pars per tabellas laudaverunt, qui aberant, inter quos Cneus Pompejus quoque: nam quod erat Proconsul, extra urbem morabatur, unus præterea adolescens laudavit: Frater quoque ejus Faustus Cornelius Syllæ filius. Is in laudatione multa humiliter, & cum lachrymis loquutus, non minus audientes permovit, quam Scaurus ipse permoverat, ad genua Judicum, cum sententiæ ferrentur, provolutus. Idem: Bifariam se diviserunt, qui pro eo rogabant, ab uno latere Scaurus ipse, M. Glabrio sororis filius, & Paulus & Lentulus Lentuli Nigri Flaminis filius, & L. Æmilius Bucca filius, C. Memmius Fausta natus supplicaverunt. Ex altera parte Sylla Faustus frater Scauri, C. Aronius Limo, cui Fausta ante paucos menses nupserat, dimissa a Memnio, & Titus Peduceus, C. Cato & M. Alena Sportianus. Quod autem dicit Pompejum Proconsulem extra urbem moratum, id etiam est in ff. titulo de officio Proconsulis. Tranquillus in Augusto, de causa Asprenatis. Sedit in subselliis per aliquot horas, verum tacitus, & ne laudatione quidem Judiciali data. Hujusmodi potentiorum advocatio ad commendationem Reorum per D. Claudium edicto sublata est, ut est apud Impp. Diocletia. & Maximian. titul. C. Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre, proposita pœna, ipsius causæ jactura, qui in edictum commisissent. Pompejus l. lata. 1 1. Consulatu suo has peregrinas, & publicas Reorum laudationes ante sustulit, in quam tamen ipse primus commisit, 3 cum Reum Munacium Judicibus commendavit.

Arbitraria Accusatorum præmia. — *A quo dabatur jus subscribendi.* — *Divinationes in delationibus.* — *Confessores.* — *Laudatores & Deprecatores.* — *Laudatio Judicialis. Potentiorum Advocatio abrogata.*

COROLLARIUM AD CAP. IV.

1 Custodum Forensium) *Plura huc adferre possem de Custodibus, sed sufficiet Lectorem remittere ad fontem, ad Andream Tiraquel. l. 15. Connubialium suarum.*

2 Capsarii dicebantur) *Explicat Ulpianus in l. si collactaneus ff. de manu. vindict. Capsarium qui portat libros, & in hac significatione usurpatur a Sueton. in Nerone. Dicuntur & Capsarii l. 3. §. ult. de offic. Præfect. vigilum, qui mercede conducti servanda in balneis vestimenta suscipiunt, a capsis, quibus ea includebant.* (*Capsarii.*)

3 In quam primus commisit) *Hanc commendationem Cato Uticensis, qui ei judicio præerat, admotis ad aures manibus legi non est passus, auctor Plutarchus in ejus vita. Adde Valer. Maxim. lib. 6. cap. 2.* (*Cato.*)

ARGUMENTUM

CAP. V.

De Oratoribus, & Rhetoribus, eorum ortu, progressu, & differentia.

UT Cognitores cunctanter primum recepti sunt, ita iis multo serius Oratores, illos peritia forensis, & usus litium gerendarum habitu confirmatos, hos dicendi audax elegantia, tractandorumque animorum artifex lingua, eo provexit, ut necessaria eorum professio Foro videretur. Itaque ii, quorum lingua conducebatur ad explicandam Judicibus causam, eandemque persuadendam tum rationibus, tum motibus concitatis, in initio naturæ solius dotibus freti, operam quamvis rudem exigentibus præstabant, nullisque præceptis instructi, quo natura, ingeniumve duceret, sequebantur. Tandem dicendi virtutes insigniores, & motuum ciendorum schemata, paulatim adnotata sunt, & a posteris majores imitatis, in usum traducta sunt, donec tam multa observata sint, ut ex iis præcepta fierent, neque videretur bene dicere, qui contempto ritu secus diceret. Ex præceptis vero

Oratores.

tandem ars conflata est, quam Eloquentiam, Oratricem, dicendique artem Latini, Græci Rhetoricem appellavere, quæ primum contempta, damnata prohibitaque est, tam Censorio edicto quam Senatusconsulto. Hujus verba descripsit primum Sueton. in libello de claris Rhetoribus, quæ eadem Gell. 1. lib. xv. repetivit. Hæc autem sunt: C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala Coss. M. Pomponius Prætor Senatum consuluit, quod verba facta sunt de Philosophis, & Rhetoribus, de ea re Senatusconsulto ita censuerunt, ut M. Pomponius Prætor animadverteret, curaret, ut si ei e Republica fideque sua videretur, uti Romæ ne essent. Edicti vero Censorii hæc: Cn. Domitius Ænobarbus, Livius Licinius Crassus Censores ita edixerunt: Renunciatum nobis est, esse quosdam homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt, apud quos juventus in ludos conveniat, eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetores, ibi homines adolescentulos totos dies desidere. Majores nostri, quæ liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt: Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur, quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis qui eo venire consueverunt, videtur faciundum, ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere. Hactenus Edictum. Cujus sui edicti reddit rationem idem Crassus dialogo III. de Oratore: quod scilicet nihil præter impudentiam illi docuissent Rhetores, quam propagari in civitate prudente, videnteque Censore, nefas est. Vocabantur Scholastici, Rhetores isti apud Tacitum, qui lib. de Oratoribus, de istis Ludimagistris ita male scribit, ut pridem illi veteres ante sanxerant. Taciti verba sunt hæc: At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenam Scholasticorum, qui Rhetores vocantur, quos paulo ante Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse majoribus nostris ex eo manifestum est, quod M. Crasso, & Domitio Censs. claudere (ut ait Cicero) ludum impudentiæ jussi sunt, ubi hujus gentis tota professio damnatur. Idem Tacitus ibidem: Nam lucrosæ hujus, & sanguinantis Eloquentiæ usus recens, & malis moribus natus, atque, ut tu dicebas Aper, in locum teli repertus. Ubi dicendi artem non ita veterem non potuit contumeliosius tractare, & appellare, quam telum cruentum, & sanguine civium madens. Eadem fere scribit in Catone Censorio Plutarchus, ubi multa disputantur contra Græcos & Philosophos. Differre autem Oratorem & Causidicum a Rhetore docet manifeste Martial. lib. I.

Rhetorica. — *S.C. contra Rhetores.* — *Edictum* — *Rhetores* — *Ratio Edicti.* — *Scholastici.* — *Eloquentia telum cruentum.* — *Differunt Causidicus & Rhetor.*

Dum modo Causidicum, dum te modo Rhetora fingis,
Et non decernis, Taure, quid esse velis.

Poetæ certe Rhetores & Grammatici Livio & 2 Ennio antiquiores non fuerunt: Ideo professio illa, vel testibus Plutarcho, Tacito, & Suetonio, non erat admodum vetus illorum temporibus. Isti ergo Magistri scholarum Tyrones præceptis instructos, domique condocefactos ad Forum felicius ingrediendum, comparabant, ut non immerito jactetur proverbium, fieri quem Oratorem, Poetam nasci, quod Oratoria maxime præceptis, Poesis natura juvetur. Ii non tantum instituendæ juventuti, informandæque præceptis domi vacabant, sed & causas aliquando actitabant, ut C. Albutius Silus & alii. Sæpius vero Acturis in foro actiones scribebant. Cicero in Divinatione: Si mihi hodie respondere ad hæc, quæ dicam, potueris, si ab isto libro, quem tibi Magister ludi, nescio quis, ex alienis orationibus compositum dedit, uno verbo discesseris, posse te, & illi quoque judicio non deesse, & causæ, atque officio satisfacere, arbitrabor. Suet. in libro de claris Rhetoribus: Lucius Plotius Gallus, Cratino accusaturo M. Cælium de vi, Actionem scripsit, quem ob id Cælius hordearium Rhetorem, id est, inflatum, levem, & sordidum in morem hordei vocavit. Quod & Græci Rhetores factitarunt, apud quos non licebat procuratorio nomine agere. Fab. lib. II. c. XVI. Socrates inhonestam sibi credidit Orationem, quam ei Lysias reo composuerat: Et tum maxime scribere Litigatoribus, quæ illi pro seipsis dicerent, erat moris, atque ita juri, quo non licebat, pro alio agere fraus adhibebatur. Fuit tamen gens Rhetorum humilis semper, ut abierit in proverbium, quod in ore est omnium, factum esse quem de Consule Rhetorem, qui Fortunæ maleficio a summo dignitatis gradu, ad infimam vitæ conditionem deturbatus sit, quasique ad incitas redactus. Juvenal. VII.

Proverbium. — *Rhetores in foro.* — *Rhetores Acturis actiones vendebant.* — *Hordearius Rhetor.* — *Procuratores non erant in foro Græcorum.* — *Rhetor de Consule.* — *Ad incitas.*

Si Fortuna volet, fies de Rhetore Consul,
Si volet hæc eadem, fies de Consule Rhetor.

Dionysii Tyranni casum quis nescit? qui cum Syracusis exactus esset, Corinthum profugerit, ibique ludum aperuerit. Plin. lib. IV. ad Minutianum: Nunc eo decidit, ut exul de Senatore, Rhetor de Oratore fieret. Quos tibi Fortuna ludos facis? Facis ex professoribus Senatores, ex Senatoribus Professores. Ex quo apparet, quam misera sit cathedrarum conditio, quam pulvis ille ludorum obsit captantibus majora. Ita in omni genere disciplinarum actio ipsa quam cognitio feliciores sortitur successus, pinguioresque habet assertores Praxis quam Theoria. Isti Rhetores nonnunquam, more Clientium sportulas captantium, civium primariorum domos colebant, eorumque liberos erudiebant, declamantibus aderant, vitiorum admonebant, honesta servitute victum quæritantes. Juvenal. VII.

Fortunæ ludus. — *Cathedrarum conditio.* — *Praxis & Theoria. Rhetores potentiorum limina colebant.*

—— Sed vos sævas imponite leges,
Et præceptori verborum regula constet,
Ut legat historias, auctores noverit omnes
Tanquam ungues, digitosque suos, &c.

Objicit M. Cicero in Philipp. Antonio ingenti mercede domi habitum Rhetorem S. Clodium Siculum, his verbis: Tibi & loci causa magistrum suffragio tuo & Com-

petitorum tuorum Rhetorem conçessisti, ut in quem vellet diceret, salsum omnino hominem, sed materia facilis & in tuos dicere. At quanta merces Rhetori data est, audite P. C. & cognoscite Reipublicæ vulnera: duo millia jugerum campi Leontini Sexto Clodio Rhetori assignasti, & quidem immuni, ut tanta mercede nihil sapere disceres. Facit ad arguendam amplius scholarum miseriam, quod scribit Martialis I. ad Flaccum:

Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Minervæ;
Hæc sapit, hæc omnis fœnerat una Deos.
Quid possunt hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.

Et paulo post:

Romanum propius, divitiusque forum est.
Illic æra sonant, & circum pulpita nostra,
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

Ubi comparat artem dicendi orandique in foro, quam dicit esse lucrosam splendidamque, cum Rhetorica scholastica, & Poetica, & reliquis, quæ in scholis nullo pene lucro docentur. Receptum autem est, *Rhetores* ut Rhetores jam & pridem vocentur magistri, doctoresque artis dicendi, ut fuerunt primi Tisias & Corax, post eos Georgias & Isocrates, & reliqui: Oratores vero, *Oratores* qui non docerent, sed, quæ ipsi edocti essent, in actum usumque deducerent. Quanquam Cic. in Oratore ad Brutum: Rhetorem vertat eloquentem & Oratorem, qui non alio discrimine distinguuntur, quam natali, cum hic Græcis sit, ille Romanis.

COROLLARIUM AD CAP. V.

1 Gel. lib. XV.) *Ad sublevandam curiosi Lectoris investigationem Gellii locum c. 11. Noct. At. citavimus.*

2 Livio & Ennio antiquiores) *Vide Sueton. in principio libelli de Illustribus Grammaticis.*

ARGUMENTUM

CAP. VI.

De munere, & analogia Oratoris, Fori veteris majestate, & Adolescentum Accusationibus.

Orator a Patrono differt. AMplius est Oratorum munus, quam Patronorum: hi in causis agendis tantum occupabantur, illi e Foro aliquando excedunt in Rostra concionem habituri ad Populum, in Senatum sententiam dicturi, ludunt nonnunquam ad ostentationem orationes epidicticas, encomia, nænias, aliaque argumenta jucunda magis, quam seria. Quid multis? In tribus causarum generibus, Demonstrativo, Deliberativo, & Judiciali versantur, cum hi

A sese in tertio exerceant tanquam ejus septis & cancellis conclusi. Obeunt illi ad exteras gentes Legationes, in quibus, si bellum indicunt, aut inimicitias denuntiant, res repetunt Legati, & Fœciales vocantur: si pacem exposcunt, veniam orant, fœdus rogant Oratores, tanquam supplices, & amici legati dicuntur. Vergil. VII. Æneid. *Legati & Fœciales.*

B

Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni,
Centum Oratores, augusta ad mœnia regis,
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.

Q. Curtius I. lib. V. Inde triginta Oratoribus ad deprecandum, triste responsum a rege redditur, non esse veniæ locum. Idem lib. VI. Consilium Græcorum, quid fieri placeret, consulit, a quo Lacedæmonii nihil aliud, quam ut Oratores mittere ad regem liceret, precari, &c. Ab orando deprecandoque, quam analogiam puto *Analogia Oratorum.*
C consequutos, qui causarum Patronos Oratores vocarunt, quasi causa non tam rationibus persuadenda esset, quam vi orationis, & precibus artificiosis, animumque moventibus exorandi Judices, maxime Romæ, ubi non tam jurati in Justitiæ verba erant, quam Areopagitæ Athenis, *Areopagita.* aut nunc apud nos. Nam pene universum fori artificium sublatum est, relictæque solæ altercationes, quibus invicem obstreperent Rabulæ. Veneranda enim Fori veteris majestas, quam Consules, Consulares,
D Triumphales, Prætorii, Senatores, cæterique urbis Principes, eloquentissimique *Veteris Fori majestas.* Jurisconsulti, & Oratores suis actionibus augustiorem faciebant, nescio, quo pacto, paulatim imminuta, eoque redacta, ut nullis fere quam a Rabulis colatur. Quod eleganter disputatur apud Tacitum in dialogo de Oratoribus, ubi mores cum seculis mutantur, & rationes dicendi; cujus rei *Oratorum nomen quando ex foro exolevit.* etiam ibidem causa adfertur: atque eo rem devenisse dicit, ut Oratorum nomen vix in Foro retentum sit suo sæculo, sed paulatim exoleverit in Causidicos, & Advoca-
E tos, adeo ut sub Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva, Trajano Impp. vix quisquam Orator vocaretur in Foro. Verba sunt Taciti in præfatione ejus dialogi: Nostra potissimum ætas deserta, & laude orbata, vix nomen ipsum Oratoris retinet, neque enim ita appellamus, nisi antiquos: horum autem temporum diserti Causidici, & Advocati, & Patroni, & quidvis potius quam Oratores vocantur. Hactenus Tacitus. Et sane hoc nostro sæculo pauci admodum, præter Principum Legatos, &
F Christianos Ecclesiastas, dignitatem, splendoremque veterum Oratorum nostris oculis referunt. Quid dici aut cogitari potuit augustius, quam Consulem ex sella Curuli, circumstantibus Lictoribus, & Accensis in prætexta & purpura, pro Reo apud Judices surgere dicturum? At hoc fecerunt *Deceatne Magistratum causarum actio.* Hortensius, Cicero, Plinius Junior, & alii plurimi; quanquam hoc magis Forum ipsum, quam Magistratum decuerit, ut docet Plin. lib. I. ad Pomp. Falconem. Pri-

mum (inquit) quod deforme est, assurgere, cui loco cedere omnes oportet, hunc omnibus sedentibus stare, & qui jubere posset tacere quemcunque, huic silentium clepsydra indici, & quem interfari nefas esset, hunc etiam convitia audire, & si multa pateretur, inertem, si ulcisceretur, insolentem videri. Res tamen usque adeo visa est honesta, ad gloriam laudemque comparata, ut sæpissime Magistratuum purpura, in foro Soli opposita, sedentium astantiumque oculos splendore perstrinxerit. Prima inde adolescentibus primariis Romæ petebatur commendatio ad populum, ut si domi essent, meditarentur actiones, quas quum in foro exhibuissent, populo de se opinionem afferrent, se quondam maxime salutares fore Reip. cives. Itaque Crassus unum & viginti annos natus, nobilissimum hominem & eloquentissimum C. Carbonem in judicium vocavit, ut dicit de se 3. de Oratore, vel ut Corn. Tacitus scripsit in dialogo de Oratoribus, novendecim. Idem fecit adolescens Marcus ille Antonius: etiam Publii Sulpitii eloquentiam Accusatio illustravit, cum seditiosum & inutilem civem C. Carbonem in judicium vocavit. Sed cum duplex esset ratio judiciorum, nam ex Accusatione & Defensione constat, laudabilior est Defensio, & gratiosior; in adolescentibus autem Accusatio non improbatur, in quam etiam proniores erant, ut docetur II. Officiorum. Fabius lib. XII. cap. VII. eleganter. Principes in Republica viri non detrectaverunt hanc officii partem: creditique sunt etiam clari juvenes obsidem Reip. dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos, nec simultates provocare, nisi ex fiducia bonæ mentis videbantur. Idque cum ab Hortensio, Lucullis, Sulpitio, Cicerone, Cæsare, plurimis aliis, tum ab utroque Catone factum est, quem morem commendat Plutarchus ad initium Luculli sui. Cicero in Divinatione videtur triplex hominum genus, Accusationibus impediri solitum statuisse his verbis: Atque is non tam propter Verrem laborat, (de Hortensio loquens) quam quod eum minime res tota delectat: videt enim, si a pueris nobilibus, quos adhuc elusit, si a Quadruplatoribus, quos non sine causa contempsit semper, ac pro nihilo putavit, accusandi voluntas ad viros fortes, spectatosque translata sit, se in judiciis dominari non posse. En, illo in loco Adolescentes, Quadruplatores, & Viros confirmatos in Oratoria Accusationibus obeundis constituit: Alias frequentius Centumviralibus litibus, in quibus tutius, quid possent, experirentur, sese exercebant. Plin. lib. II. ad Maximum: Verum opinaris, distringor Centumviralibus causis, quæ me exercent magis, quam delectant. Sunt enim pleræque parvæ & exiles, raro incidit, vel personarum claritate, vel negotii magnitudine insignis. Ad hæc perpauci, cum quibus juvet dicere, cæteri audaces, atque adeo magna ex parte adolescentuli, obscuri, ad declamandum huc transeunt tam irreverenter, & temere, ut mihi Attilius noster expresse dixisse videatur, sic in Foro pueros a Centumviralibus causis auspicari, ut ab Ho-

Adolescentes dicendi studiosi.

Mos laudatus.

Defendere quam accusatore laudabilius.

Accusatorum triplex genus.

Adolescentes in Centumviralibus

A mero in scholis. Nam hic quoque, ut illic, primum cœpit esse, quod maximum est. At hercle ante memoriam meam (ita majores natu solent dicere) ne nobilissimis quidem adolescentulis locus erat, nisi aliquo Consulari producente, tanta veneratione pulcherrimum opus colebatur: Nunc refractis pudoris, & reverentiæ claustris, omnia patent omnibus, nec inducuntur, sed irrumpunt. Hactenus ille. Quem veterem morem de Tyrocinio interpretamur. Nam quod Quintilianus dicit, Demosthenem adhuc puerum, actiones pupillares
B habuisse, hoc ad Græcos, non Romanos mores pertinuit. Romæ enim in prætexta puerili, nemo agit in Foro Judiciali. Nam quod idem dicit, Augustum prætextatum duodecim natum annos aviam pro Rostris laudasse, & Tranquillus narrat, egisse Tiberium nono ætatis anno, id ad judicium nihil pertinet, cum ostentationis gratia sint hæ declamationes comparatæ, nec quisquam propterea de capite, aut fortunis periclitetur. Itaque pueris causæ judiciales non committebantur, cum
C pueritia pares annos numero habeat annis prætextæ; exporrigitur enim ad decimum septimum ex instituto Servii Tullii Romanorum Regis quarti, a quo ad quadragesimum sextum juventa, hinc ad rogum senectus: testis Tubero apud Gellium libro decimo capite penultimo.

Orationes ad ostentationem.

Pueritiæ anni.

Juventa Senectus

COROLLARIUM AD CAP. VI.

D 1 Q. Curtius) *Has Curtii auctoritates ab Auctore nostro insertas huc & multis in locis aliis prætermittere noluimus, licet parum ponderis ad Historiam nostram habere viderentur, cum Curtius Romanorum gesta non describat, sed Alexandri Macedonis; neque enim id ei licere putabam, qui operis incrementum, & perfectionem meditabatur.*

ARGUMENTUM

CAP. VII.

E *De Tyrocinio, depositione Prætextæ, & sumptione virilis togæ, & pompa, quæ fiebat, de contubernio adolescentum cum viris principibus, & de Prætoris edicto de postulando.*

Anno ergo decimo septimo, quo die deposita puerili prætexta toga 1 virilis sumebatur, Tyrocinium causarum agendarum in foro auspicabatur. Sic enim
F vocant ingressum illum in forensem professionem, metaphora a Castris ducta, ubi Tyrones diem sui Tyrocinii etiam habent. Fab. libro XII. Non differendum est Tyrocinium in senectutem. Dies etiam Prætextæ, quo, Tyrones forensibus sacris initiabantur Tyrocinium dicebatur. Tranquillus in Tiberio: Neronem & Drusum Patribus commendavit, diemque utriusque Tyrocinii congiario Plebi dato celebravit. Sumebatur autem toga virilis ad initium de-

Tyrocinium Fori.

Dies togæ & Tyrocinii.

cimi septimi. Idem in Augusto. Quadrimus patrem amisit, duodecimum annum agens aviam Juliam defunctam pro Concione laudavit, quadriennio post virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est. Aliquando etiam decimus septimus non expectabatur, sed citius ex permissu Principis 2 more contempto togam sumebant. Idem ibidem: Liberis Senatorum, quo celerius Reip. assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & Curiæ interesse permisit. Id fortassis sequutus est Prætor, cum in edicto suo de postulando, decem & septem annis natos ad postulandum admittit, nisi quod eos in totum vult esse completos, cum olim satis fuit attigisse, non exegisse. Mirum autem est, in Procuratore 3 & Cognitore desideratum fuisse quintum & vigesimum, ut docent Jurisconsulti. Deponebatur autem Prætexta in Capitolio, si licebat. Idem in Claudio: Togæ virilis die circa mediam noctem, sine solemni officio lectica in Capitolium delatus est. Alias alibi, & serius decimo septimo. Idem in Caligula. Transiit ad Antoniam Aviam, & undevigesimo ætatis anno accitus Capreas a Tiberio uno & eodem die togam sumpsit, barbamque posuit, sine ullo honore, qualis contigerat Tyrocinio fratrum ejus. Magnam autem fuisse pompam illius honoris credo, quod eo nomine plurimum læstati sunt Arpinates. Cicero ad Atticum l. IX. Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpinæ potissimum togam puram dedi, idque Municipibus nostris fuit gratum. Tranquillus in Nerone. Deductus est in forum Tyro, Populo Congiarium, Militi Donativum proposuit, indicta decursione. Nam deductio admodum solemnis erat, ubi non minus pompæ quam in nova nupta. Fiebat autem a primariis viris. Plinius ad Maximum: In foro ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo Consulari producente. Tranquillus in Augusto: Rursus tertium decimum Consulatum biennio post ultro petiit, ut Cajum & Lucium filios, amplissimo præditus magistratu in forum suo quemque Tyrocinio deduceret. Fiebat autem a primario parente, ut apparet ex supra allatis exemplis de Cicer. & Augusto. Idem in Tiberio: Romam reversus filium Drusum in Forum deduxit. Et quo die Julius cæsus est in Senatu, Cassii filius magna comitatus pompa post sumptam virilem togam in forum deducebatur. Plutarchus in Bruto: Convocabantur autem omnes fere amici, & Clientes, quorum frequentia honoratior erat deductionis comitatus. Plinius lib. I. ad Minutium: Nam si quem interroges, hodie quid egisti? respondet, officio virilis togæ interfui. Et aliquando eodem die, ubi initiati essent, gravissimas causas suscipiebant. Valerius libro V. M. Cotta eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus ut e Capitolio descendit, C. Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, postulavit. Hinc illud Fabianum libro duodecimo: Quem juvenem tenerisque adhuc viribus nitentem in forum deduximus, &c. Habet enim deducere tacitum pompæ incessum, quanquam producere, & inducere Plinius in ea re usurpet. Post prætextam

Prætoris edictum.

Prætexta in Capitolio deponebatur.

Pompa Tyrocinii.

Deductio in Forum.

Comitatus deductionis.

Tyrocinii die gravissimæ causæ agebantur.

Deducere

puerilem depositam dabantur in contubernium 4 viris magnis & gravibus, in quos tanquam in exemplar intuiti, Tyrocinium suum componerent, fingerentque sibi ea, quæ in reliquo vitæ cursu servarent. Tacitus in libro de Oratore: Ergo ad majores nostros juvenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis educebatur a patre, vel propinquis ad eum Oratorem, qui principem locum in civitate tenebat, hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, utque sic dixerim, pugnare in prælio disceret. Magnus ex hoc usus, multum constantiæ, plurimum judicii juvenibus statim contingebat, in media luce sedentibus, atque inter ipsa discrimina, &c. Cic. in dialogo de amicitia: Ego autem a patre ita eram deductus ad Scævolam, sumpta virili toga, ut quoad possem & liceret, a senis latere nunquam discederem. Idem secundo Officiorum: Facillime autem & in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros & sapientes viro bene consulentes Reipub. contulerunt, quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt Populo, eorum fore se similes, quos sibi delegerant ad imitandum. P. Rutilii adolescentiam ad opinionem & innocentiæ & juris scientiæ P. Mutii commendavit domus. Huc pertinet sanctissima & pulcherrima Julii Cæsaris Constitutio, qua sanxit, ne quis Senatoris filius, nisi Contubernalis aut Comes Magistratus, peregre proficisceretur, ut testis est Suetonius. Ad quem morem, ut apud virum principem aliquem, tanquam apud Pædagogum, exigerent Tyrocinium Adolescentes Romani, allusit Vergilius libro VIII. Æneæ committit in re bellica instruendum

Hunc tibi præterea spes, & solatia nostri
Pallanta adjungam, sub te tolerare magistro
Militiam, & grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Quam juventutis Pædiam, ut prudentissime institutam, quis est tam inimicus consilio & moribus bonis, qui reprehendat? quam ex parte aliqua tenemus. Adoptantur enim jam nobiles pueri in comitatum, & familiam cujusque procerum, ubi, usque dum ex ephæbis excedant, arctissimo famulitio destinentur, Pageos vulgus vocat, quod fortassis pagani sunt, rudesque morum aulicorum & castrensium, cum in aulam deducuntur. Locus est elegans & aptus ad hanc rem apud Q. Curtium lib. VIII. Alexandrinæ historiæ in hæc verba. Moris erat (ait) Principibus Macedonum, adultos liberos Regibus tradere ad munia non multum a servilibus ministeriis abhorrentia. Excubabant servatis noctium vicibus proximi foribus ædis, in qua Rex acquiescebat. Per hos pellices introducebantur alio aditu, quam quem armati obsidebant. Iidem acceptos ab Agasonibus equos, cum Rex ascensurus erat, admovebant, comitabanturque & venantem & in præ-

Contubernium Principum.

Cæsaris Constitutio.

Pagei Principum.

in præliis omnibus artibus studiorum liberalium exculti. Præcipuus honor habebatur, quod licebat sedentibus vesci cum Rege: Castigandi verberibus eos nullius potestas præter Regem erat. Hæc cohors veluti seminarium Ducum Præfectorumque apud Macedones fuit, hinc habuere posteri Reges, quorum stirpi per multas ætates Romani opes ademerunt. Sese autem adjungere alicui ad observandos ejus mores, effingendosque Latini dicunt assectari, 5 sectari, colere, quamvis in ff. assectari virginem in pessimam recipiatur partem, pro attendere virginis pudicitiam. Quintil. apud Plinium: Assectabar Domitium Afrum. Tacitus in dialogo de Oratoribus: Quos ego in judiciis non utrisque modo studiose audiebam, sed domi quoque & in publico assectabar. Quod Cic. in Orat. pro Archia dicit colere, unde & Asseclæ: Sectari etiam idem ibidem. Jam vero juvenes in ipsa incude studiorum positi, qui profectus sui causa Oratores sectabantur, non solum audire, sed etiam referre donum aliquod illustre & dignum memoria volunt. Cæterum qua ratione mores primum non receperunt ante diem togæ Tyrocinium forense, & tandem suo edicto id vetuit Prætor; eadem idem Prætor ab agendo, postulandoque mulieres removit; contra illos ætas rebus agendis inepta, contra has sexus imbecillitas: quamvis antea mores sine discrimine temere viros & mulieres admitterent, ut etiam multæ contra pudorem sexus, & decorum causas suas confidentissime perorarint. Juvenalis Satyra sexta:

Assectari.

Sectari.

Mulieres e foro remotæ.

Nulla fere causa est, in qua non fœmina litem,
Moverit, accusat Manilia, si rea non est,
Componunt ipsæ per se, formantque libellos,
Principium, atque locos Celso dictare paratæ.

Fuerunt enim quædam Androgynæ, 6 quæ animo, ingenio, viribus, cœptis, ausis viri essent, nihilque muliebre retinerent, præter sexus insigne; ut contra viri quidam ita molles, angusto, fractoque animo, ut cum nihil viri, præter virile, haberent, merito hæc audiant:

Androgynæ.

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

Et illud Ennii:

Vos etiam juvenes animum geritis muliebrem,
Illaque virgo viri.

Taceo Amazones, Camillas, Cœlias veteris memoriæ: nostræ vero, aut patrum Joannam Aurelianam & Bonam Mediolanensem: nam fori cancellos, quos mihi circumdedi, non egrediar. Sempronia mater Gracchorum eloquentissima fuit, quæ filios ad eloquentiam informavit, & erudivit. Annesia item & Hortensia Q. Hortensii filia. Sed C. Afrania posteras exclusit, cum suo impudenti latratu tribunalia omnia exerceret, hujus comploratus, projectusque pudor causam Prætoris edicto de postulando attulit, ubi C. Afrania pro Calphurnia

C. Afr.

dudum repositum est. Ita nescio quo pacto sanctissimum Pompilii Numæ circa mulieres in officio & modestia continendas institutum antiquatum abusu posterorum fuerat, ut edicto honorario revocandum fuerit. Nam adeo novum, invisumque erat mulierem in foro audire, causam coram dicere, ut idem Numa, cum hoc accidisset, Deos consuluerit, quidnam hoc portenti Romanis minaretur: auctor Plutarchus in comparatione Numæ & Lycurgi.

Numæ institutum.

COROLLARIUM AD CAP. VII.

1 Toga virilis) *Huc pertinet, quod hæc toga etiam libera dicitur apud Propertium.*

Libera toga.

Martis, & ante Deos libera sumpta toga est.

Quam etiam Liberalibus induere solebant pueri in honorem Liberi patris. i. Bacchi. Ovidius.

Restat ut inveniam, quare toga libera detur,
Luce geri pueris, candide Bacche, tua.
Et paulo post:
Sive quod es liber, vestis quoque libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter.

Cæterum nec hoc omitti debet, quod in sumptione hujus, prænomina pueris imponebantur. Auctor Q. Scævola apud Valer. in epito. lib. 10. Pueris (inquit) non prius quam togam virilem sumerent, puellis non antequam nuberent, prænomina imponi moris fuisse: Quod ex Capitolino etiam probari potest.

Pueris quando nomina imponebantur.

2 Sed citius permissu Principis) *Sic M. Antonius togam virilem sumpsit decimo quinto ætatis anno, ut auctor est Julius Capitolinus. Item Corn. Tacitus scribit, togam virilem Neroni maturatam, quo capessendæ Reipub. idoneus videretur. Sic horum exemplo, venia ætatis nunc temporis a principe impetratur: unde tit. l. 2. C. de iis qui ven. æta. imp. Sic etiam in magistratibus obeundis, quidam per populum olim solvebantur legibus annalibus, quorum exempla multa refert Cic. in 5. Antoniana. Hinc illud Scipionis dictum Ædilitatem petentis, cujus in Comitiis nullam habendam esse rationem dicebant Trib. Pleb. ob ætatis legitimæ defectum, quæ erat annorum 37. Si me (inquit) omnes Quirites Ædilem facere volunt, sat annorum habeo.*

Venia ætatis.

Solvere legibus.

3 Mirum est in Procurat. & Cognit.) *Ad rem facit l. 1. §. initium ff. de postul. l. minor. de proc. c. qui generali. §. licet eodem in 6. Cur autem sufficiat ætas minor in Patrono & Teste, quam in Procuratore ad lites, sive ad judicia, causa est, quod Procurator actione mandati tenetur, & condemnatur, quod non fit in illis.*

Curia in Procuratore major ætas requiratur.

4 Dabantur in contubernium) *De hujusmodi assectatione principum virorum, quæ fiebat ab adolescentibus, ut mores eorum formarentur, tam in sagata, quam togata militia, elegans est locus apud Plin. ep. l. 8. ad Aristonem, qui huc optime quadrat; nec aliena sunt, quæ adfert Valer. Max. l. 2. de honore impenso senibus a juvenibus,*

& de majoribus dantibus exemplum virtutis juvenibus, & quæ idem Plin. eod. lib. epist. ad Marcell.

5 Affectari, sectari) *Gell. l. 10. cap. 5. Percontabar Apollinarem Sulpitium, cum eum Romæ adolescentulus sectarer. Aliquando etiam affectari in malam partem capitur. Discrimen ponit Ulp. inter affectari, & appellare in l. item apud Labeonem §. 17. de inju. ff.*

Affectari in malam partem. Appellare Viragines.

6 Androgynæ) *Sic venuste Viraginem depingit. l. 6. c. de pudicitia Val. Max. in his verbis: Dux Romanæ pudicitiæ Lucretia, cujus virilis animus maligno errore Fortunæ muliebre corpus sortitus est. Et l. 3. de Portia Catonis filia. Sic Euripides in Oreste: o prædita animo quidem virili, corpore autem inter fœminas eximia. De Androgyno egregium est commentum apud Plat. in Convivio.*

Androgynum.

7 Pro Calphurnia) *Vide Alc. l. 2. parerg. c. 37. De mulieribus vero, quæ pro se aut aliis apud Magistratum causas egerunt Val. Max. l. 8. c. 3*

ARGUMENTUM

CAP. VIII.

Rursus de Toga, ac de habitu, & amictu Oratorum, & veterum multa: Ciceronis versiculus explicatur, & restituitur.

NUnquam ergo in Reorum periculis, contentiosoque & judiciali causarum genere prætextati dicebant Oratores, sed post diem virilis togæ togati. Hujusmodi toga pura erat, id est, nullo limbo purpureo prætexta, neque picta, ut triumphalis. Plinius Major in VIII. historiæ de C. Cæcilia: Ea primum texuit rectam tunicam, qua simul cum toga Tyrones induuntur novæque nuptæ. Itaque Toga pro Eloquentia Metonymicῶs capitur, in illo pervulgato Ciceronis versiculo:

Toga Oratorum. Toga pro Eloquentia.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Ubi Togam, & Linguam facta Syncrisi rerum Forensium, & Castrensium pro facundia dixit, quanquam melius legeretur, *concedat laurea laudi*, ut scripsit idem auctor in Pisonem; nam ita Forum Castris, & utriusque præmia conferrentur: ut enim laurea Triumphalis Imperatoribus armatis, & paludatis re bene gesta, ita laus Oratoribus togatis debetur. Haberetque versiculus lepidam antithesin, quæ amittitur si legatur, *concedat laurea linguæ*. Et sane Togam malim pro consilio 1 domestico aut otio capere, quam pro Eloquentia. Juven. Satyra VIII. de eodem loquens Cicerone:

Locus Cicer. restitutus & explicatus. Laureæ Laus. Toga pro consilio aut otio.

Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis & tituli.

Ut idem Cic. videtur interpretari 1. Officiorum. Sed si vulgatam recipiamus lectionem, cui auctoritatem dederunt invectiva Salustii in Ciceronem, & Quintilianus: 2 Si idem dicitur in priore hæmistichio, quod in posteriore, Toga pro Eloquentia & arte dicendi in Foro, accipienda erit, ut passim Imperatores utuntur in C. titul. de Ad-

A vocatis, Togatos appellantes, qui causis agendis operam locant, & maxime Impp. Theodosius & Valent. Thalassio Præfecto Prætorio per Illyricum: Iisdem (inquiunt) privilegiis, & immunitatibus potiri Togam illustrissimæ per Illyricum Præfecturæ, quibus fruitur per Orientem Prætorianæ sedis excelsæ, decernimus. Ubi Toga accipitur pro Magistratu juridicundo præsidente, & minime castrensi, aut militari. Sed sequar lectionem aliam, quam receptam facit Cicero, qui posterius illud hæmistichium, *Concedat laurea laudi*, interpretatur: nemo enim fidelior interpres, quam idem ipse, qui auctor fuit. Sic autem habet in Pisonem: At in altero (inquit) hæres, *concedat laurea laudi*. Imo me hercule habeo tibi gratiam, hærerem sane, nisi tu me expedisses: Nam cum tu timidus & tremens, tuis ipse furacissimis manibus detractam cruentis fascibus lauream, ad portam Esquilinam abjecisti, indicasti non modo amplissimæ, sed etiam minimæ laudi lauream concessisse. Quam laudem non a Foro, sed a Senatu profectam ex supplicationibus, decretis, gratiarum actionibus publicis, & cæteris magnificis Senatusconsultis, propter disjectam Catilinariorum conjurationem intelligimus. Togæ usus non proprius, verum cum reliquis communis Oratoribus, cujus tamen elegantiorem formam in illis desideramus, quam in Proletariis, cum cultus dissolutus, & neglectus supini, & torpentis animi sit argumentum. Itaque Rhetores non piget, etiam minutias præceptorum circa togam componendam, aut colligendam tradere, ut fortassis non carent omnino vitio Leptologiæ. Ut autem attingamus ex illa antiquitate, quæ omissa sunt ab his, qui rem 3 vestiariam excusserunt, Toga Tunicis superjiciebatur, ut Prætexta a Magistratibus, Chlamys a Militibus. Deducta olim fuit ad talos, etiam tempore Ciceronis, sed postea decurtata. Fab. lib. XI. Togam Veteres ad calceos usque demittebant, ut Græci pallium, idque ut fiat, qui de gestu scripserunt circa tempora illa Plotius, Nigidiusque præcipiunt. Quo magis minor Plinii Secundi docti hominis, ut in hoc utique libro pene etiam nimium curiosi, persuasionem, qui solitum id facere Ciceronem velandarum varicum gratia tradit, cum hoc amictus genus, in statuis eorum quoque, qui post Ciceronem fuerunt, appareat. Hunc Plinii librum puto esse unum volumen ex sex voluminibus, quibus tres studiosi libri constabant. Plinius Nepos de his ita lib. III. ad Macr. ubi indicem librorum ab Avunculo scriptorum enarrat: Studiosi tres in sex volumina propter amplitudinem divisi, quibus Oratorem ab incunabulis instituit, & perfecit, quem librum si teneremus, defuncti pridem hoc labore fuissemus. Fuit ille vir ita diligens, ut posteris non præberet, sed præriperet scribendi in argumento, quod attigisset, materiam. Eadem toga Veteribus strictior, & sine ullis, aut perquam brevibus sinibus, posterioribus laxior, & multitudine sinuum ambitiosior. Idem Fabius: Est aliquid in amictu, quod ipsum aliquatenus temporum conditione mutatum est: nam veteribus nulli sinus, aut perquam breves fuerunt. Ple-

Toga pro Magistratu juridicundo. Togæ usus. Rhetorum minutiæ. Toga Tunicis superimponebatur. Toga decurtata. Liber Plinii Avunculi a Fabio citatus. Toga veteribus strictior.

Toga amplior. beii & tenuiores strictioribus togis, potentiores amplioribus utebantur, quod & nostrates faciant, qui togas laxiores, & specie augustiores permittunt ditioribus; habent autem sibi togulas angustas, quibus sese constringunt & comprimunt. Horat. 1. epist. Clientibus & qui Comitum officio in deductionibus Potentiorum defungerentur, tribuit arctas togas.

—— Mecum contendere noli,
Stultitiam patiuntur opes, tibi parvula res est,
Arcta decet sanum Comitem toga, desine mecum
Certare.

Togatuli. Ideoque a togula, vocati togatuli, non togati hypocristicῶs. Martialis:

Hoc quisquam ferat, ut tibi tuorum
Sit major numerus Togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum.

Tunicata plebs. Alias plebecula tunicis solis utebatur, quod etiam nostris fit sæculis; hinc apud Horatium:

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Tacitus de Oratoribus: Quos sæpius vulgus imperitum, & tunicatus hic populus transeunteis nomine vocat, & digito demonstrat? Non fuit autem Oratorum toga succincta, sed tunica, & latus clavus, ideoque ejus amplissimi sinus in hunc, vel in illum humerum rejiciebantur, & facillime decidebant ex humeris, ut instar lænæ injecta magis esset, quam induta; ut colligi potest ex Fabio, apud quem hæc: Lænam a faucibus ac summo pectore abducere licet. Fortassis de toga accipienda erunt, nisi significetur chlamys togæ superjecta: Nam Quintiliani tempore etiam penulati dicebant Patroni. Corn. Tacitus testis in dialogo de Oratoribus, ubi non modo artus, sed & habitus veteris eloquentiæ cum recentiore comparantur: Quantum humilitatis (inquit) putamus eloquentiæ attulisse penulas istas, quibus astricti ac velut inclusi cum Judicibus fabulamur? Quem morem referre mihi videntur Sacrifici quidam Hispani, qui togæ, vel pallio circumjectam chlamydem intorquent, nisi quod suspicor veteres togis non adjecisse penulas ex quodam Gellii loco lib. 111. ubi Titus Castritius Rhetor, ad discipulos quosdam suos Senatores feriato die tunicis, & lacernis indutos, & Gallicis calceatos, ait: Equidem maluissem vos togatos esse, pigitum esse cinctos saltem esse, & penulatos. Qui locus indicat, cives etiam primarios diebus non feriatis penulis usos, non togis, temporibus Hadriani Cæsaris. Itaque nihil mirum de Oratoribus penulatis apud Tacitum, cum diebus non feriatis, sed fastis ii dicerent, cum æquales fere fuerint Tacitus & Gellius; ille sub Trajano, hic sub Hadriano. Veteres profecto Oratores diligentissimi fuerunt in cultu apto, & amictu decenti: Quidam etiam usque ad ineptias, religionemque viris indignam, accurati fuerunt in vestitus venustate, qui dum ad speculum ornantur, comuntur, annus est; ut De-

(Margin: Toga instar longæ chlamydis. — Penulati Patroni. — Sacrificuli Hispani. — Quo tempore Gellius & Tacitus.)

A mosthenes, & Q. Hortensius infames nimis accurato cultu apud æquales, & posteros, testis Gellius. 4 Decet enim hominem ut cunque esse indifferentem, neque ita anxium in nitore cultus, dandaque opera, ut dignitas quædam viros, venustas mulieres commendet. Nec minus est odiosa exquisita, & dissoluta munditia, quam agrestis & incivilis negligentia. Minutiæ Doctorum eo usque pervenerunt, ut præter amictum, de annulis & comarum perturbatione interdicta quædam sancirent, quorum pondus si quis exigeret, æque gravia reperiet cum edictis 5 Claudii de bene picandis doliis, de præsentia taxi adversus viperæ morsum, de danda venia ventris crepitibus in mensa. Olim tamen ex censu, vestitu, annulis, clientelæ comitatu, Oratorum facundia censebatur. Juvenal. Satyra septima.

(Margin: Demosthenis & Hortensii cultus. — Minutiæ Doctorum. — B — Edicta Claudii.)

—— Purpura vendit
Causidicum, vendunt Amethystina, convenit illis
Et strepitu, & facie majoris vivere census,
C *Ut redeant veteres, Ciceroni nemo ducentos*
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.

Et paulo post:

—— Ideo conducta Paulus agebat
Sardonyce, atque ideo pluris, quam Cossus agebat,
Quam Basilus: rara in tenui facundia panno.

COROLLARIUM AD CAP. VIII.

D 1 Togam malim pro consilio) *Sic Valerius l. 3. de Publio Scipione Nasica: Togæ quoque fortitudo militaribus operibus inserenda est, quia eandem laudem Foro, atque Castris meretur. Interdum pro Magistratu; Cicero: a Cæsare ipso si quæris quidnam egisset in urbe, & toga, leges multas, responderet, se & præclaras tulisse. Lucanus de eodem Cicerone,*

(Margin: Toga pro Magistratu.)

—— Cujus sub jure togaque
Pacificas sævus timuit Catilina secures.

E *Et fortassis inter ea, quæ vitam faciunt beatiorem, a Martiale refertur toga rara, quæ pro Magistratu, ni fallor, & munere publico accipitur, quanquam non ignorem, ad matutinas salutationes, quæ a Clientibus togatis fiebant circa limina potentiorum civium, etiam adaptari posse. Ut autem toga Romanorum fuit, sic pallium Græcorum. Idem Val. Max. lib. 2. c. 1. de majestate & observantia linguæ Latinæ, de Græcis & Romanis loquens: nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re, pallium togæ subjici debere, arbitrabantur.*

(Margin: Toga pro salutatione. — Pallium Græcorum.)

F 2 Quintilian.) *Lib. 11. cap. 1. Inst. Orat.*

3 Ab his qui rem vestiariam) *De re vestiaria docte scripsit Lazarus Baifius. Quod vero paulo post dicitur olim ad talos dimissam Togam, probari etiam potest ex l. Romuli.* Quisque demissam ad talos togam in urbe habeto.

(Margin: L. Romuli.)

4 Testis Gellius) *Lib. 1. c. 5. Noct. Att. Qualis autem cultus virum deceat, describit Martialis lib. 2. Epigram. ad Pannicum:*

(Margin: Cultus virilis.)

Pectere te nolim, sed nec turbare capillos,
Splendida sit nolo, sordida nolo cutis,
Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum,
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.

De cultu Oratoris vide etiam Fabium l. 11. cap. 3. Multa in hanc sententiam de cultu virili ac muliebri notatu digna vide apud Andream Tiraquel. in gloss. ad l. 3. connubialem, post cujus copiosam messem superfluum est aliquod spicilegium facere velle. Hujusmodi autem Comptulos, Cirratos & Crispatos juvenes, ut fœminas, comptos certare cum fœminis, & immundis munditiis se excolere Seneca dixit.

5 Edictis Claudii) *De hujusmodi edictis, vide Sueton. in vita ejusdem Claudii cap. 16. & 32.*

ARGUMENTUM

CAP. IX.

De Causidicis, atque iterum contra Fori Latratores, & Rixatores invehitur, quos ita suis pingit coloribus, ut facile ab Oratore internosci possint.

Oratores, Advocati Patroni, Causidici, pro iisdem Patronorum & Advocatorum munus diversum.

ORatores, Advocati, Patroni, Causidici sæpe pro iisdem, quamvis diversa analogia, atque etiam eventu, accipiuntur: Nam Oratorum & Patronorum munus honestum est, Advocatorum, & Causidicorum quæstuarium, & vænale, tanquam illeges sunt, injurii, rapaces, trahaces, pecuniarum accipitres, ut mures aliena rodentes, litium creatores & satores. Fab. l. 12. cap. 1. Non enim forensem quandam instituimus Operam, nec mercenariam vocem, nec (ut asperioribus verbis parcam) inutilem sane litium Advocatum, quem denique Causidicum vulgo vocant. Cic. 1. de Oratore ad calcem: Operarium quendam nobis, Antoni, Oratorem facis. Ibidem: Non enim Causidicum nescio quem, neque Proclamatorem, aut Rabulam hoc sermone nostro conquirimus. Advocatus nonnunquam in bonam partem. Fabius lib. 11. Eloquentiam quidem cum plenissimam adversæ partis Advocatis concederet Cicero, sibi nunquam in agendo immodice arrogavit. Rabulæ 1 autem & Causidici, qui ad ravim usque in foro, tanquam in foco Laurus virens, crepitant, alternis jurgiis convitiantur, rixantur, latrant tenso jecore, qui sonitum verborum inanem, nulla scientia, nulla sententia crocitant, quibus

Advocatus in bonam partem.

Rabulæ.

—— Immensa cavi spirant mendacia folles,
Conspuiturque sinus.

Quorum linguæ volubilitas inanis, ridenda, & puerilis est, conjunctaque cum aliquot legum rubricis, cancellis circumscribitur forensibus. Adsunt gratissimi vitilitigatoribus, & alumnis litium, qui litem movent, si vel asinus canem momorderit.

A Plinius in præfatione Naturalis Historiæ: Ergo securi etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis, & litigatoribus composuit. Quid enim aliud quam litigant, aut litem quærunt? Hos Rabulas Quintilianus Latratores vocat, libro XII. cap. IX. de convitiis loquens: Super omnia perit illa, quæ plurimum Oratori, & auctoritatis, & fidei adfert, modestia, si a viro bono in Rabulam Latratoremque convertitur. Alibi Rixatores: Impudens (ait) tumultuosa, iracunda Actio, omnibus indecora, sed ut quisque dignitate, ætate,

Latratores.

Rixatores.

B usu præcedit, magis in ea reprehendendus. Videas autem Rixatores quosdam neque Judicum reverentia, neque agendi modo, & more contineri. Et ut Cicero supra Proclamatores, ita alibi Clamatores, & Latratores, cum de Pericle ita scribit III. de Oratore: At non hunc Clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, sed, ut accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras, vir summus in maxima rerum scientia. Latrare, quod est Cynicum, quo significantissime exprimuntur rixarum prælia, coitiones convitiorum, taliones dicteriorum,

Proclamatores, Clamatores. Latrare ad clepsydram. Latrare Cynicum.

C quibus tanquam assiduis latratibus tribunalia exercentur. Idem in Divinatione de Allieno Subscriptore: In dicendo quid possit nunquam satis attendi, in clamando video eum esse bene robustum & exercitatum. Ubi officiis distinxit Rabulam, & Oratorem, quod hujus sit dicere, id est, magna graviter, mediocria temperate, humilia subtiliter, & pro decoro eloqui: Illius clamare, non ad Judicis animum, sed ad stomachum Litigatoris, ut dicit Fabius. Hujus levitas tantum ignominiæ foro inussit, quan-

Officiis distinguuntur Rabulæ & Oratores. Clamare ad stomachum Litigatoris.

D tum eidem attulit decoris Oratorum auctoritas. Illi enim debemus rem Forensem ad tantam humilitatem e summo fastigio honorum dejectam, qui tantum abest ab Oratore, quantum Sycophantæ, & Legulei a Jurisperitis, Sophistæ a Philosophis, Literatores a Literatis, Veteratores a Veteranis, Loquentia ab Eloquentia. Est enim amicus luto & sordibus, ut pro dupondio sese enecet ad ravim vociferando, natus ad imponendum imperitis, producendum improbitate, quæ certissima sunt ratione, miscendum omnia sursum, deorsum, ita ta-

Discrimen Oratoris & Rabulæ.

E men ut septis Centumviralibus non egrediatur in Fori lucem, sed omnis ejus sudor sit circa causas obolares. Nam quis hujusmodi hominibus caput, existimationem, fortunas tuendas volet committere? Itaque in privatis veteratores, in publicis nefantes, ut de Cethego loquitur in Bruto. Quanquam privatas causas apud Centumviros, gravissimi Patroni dixerunt, ut Curiana causa a summis Oratoribus in Basilica concertata est, L. scilicet Crasso, eloquentissimo, & Q. Scævola Jurisconsultissimo: Prætera causa Quintiana, Cæcinnana, Ro-

Apud Centumviros gravissimi Orator. dixerunt.

F sciana pro Comœdo privatæ sunt, actæ tamen a Cicerone. Et Plinius sæpe apud Centumviros, ut de se frequentissimus, & locupletissimus in epistolis testis est. Sed quia Orator eam de se habet conceptam opinionem, ut Eloquentiam sibi a Diis datam putet, non ad quæstum privatum, patrocinium bonorum eorum, quæ fluxa, caducaque sunt, sed ad publicam patriæ utilitatem, mavult eam ad accusationem impro-

Orator non quæstum privatum, sed publicam uti-

litatem spectat. borum, defensionem bonorum, conciones ad populum salutares, deliberationes in Senatu graves convertere, relictis litibus latrandis istis Vitilitigatoribus operariis. Neque insulse omnino disjunget Rabulam ab Oratore, si quis antiphrasticῶs definit eum esse virum malum dicendi imperitum, ut Herennius Senecio apud Plinium 2 de M. Regulo dicebat: Sunt enim illiberales, obscœni, petulantes, flagitiosi, cum vacua convitiis replent, quæ Eloquentia prorsus canina est, turpisque ex ea voluptas, & inhumana, nullique audientium bono grata, & cum ad Oratorum gratiam virtutemque aspirant, retro sublapsi in contraria procumbunt vitia. Martialis de liberto suo, libro v.

Anti-phrastica Rabulæ definitio.

Eloquentia Canina.

Lis erit, ingenti faciet convitia voce,
Esse pudor vetuit tristia verba mihi.

Oratores si quid criminis veri, cum causa exigit, objiciunt, ut Subscriptores Criticorum, & Censorum vitæ objecta accipiuntur; si idem conentur Rabulæ, non gratius audientur, quam maledicorum contumeliæ, & petulantiæ: si laudant illi jocos, urbana, ingeniosa, elegantia apophtegmata dicentur: si isti, scurrilia scommata, & illiberalia dicteria, usque adeo genium suum dissimulare non possunt, ut temere omnia miscent, & conturbant, digna atque indigna relatu vociferati, quod satis perite faciunt. Non enim hujusmodi homines suo ipsi Marte possunt cogitare, aut eloqui, ita male nati sunt, sed tum demum linguam, & caput exerunt, cum omnia in Foro tribunalia clamoribus Commilitonum fremunt: ibi enim in mediis illis rixis, & tumultibus una cum aliis collatrant, qui si soli dicturi essent, conscii suæ ignorantiæ, & infantiæ, quietius quam piscis obmutescerent, atque ex eorum grege unum Nævolum nasute exagitat Martialis hoc epigrammate:

Dum clamant omnes, loqueris tu, Nævole, semper,
Et te Patronum Causidicumque putas.
Hac ratione potest nemo non esse disertus;
Ecce tacent omnes, Nævole, dic aliquid.

Quin in convitiis ita stolidi, & inconsiderati, ut eorum petulantiam sæpissime luat Litigator. Quid enim potuit cogitari audacius, quid & Causidico, & Litigatori periculosius, quam Græculum quendam non Advocato adversæ partis, quod ferendum esset, non Judici ignobili, & proletario, sed Claudio Cæsari, in medio foro palam omnibus audientibus, & spectantibus, illudere insano isto dicterio, ϰὺ σὺ γέρων εἶ ϰὺ μώρος, id est, & tu senex es, & stultus. Tulit tamen Cæsar non æquo sed fracto potius animo, parumque generoso; nescias, fueritne Græculus insolentior, an Cæsar stolidior, qui quasi suæ potestatis non esset conscius,

Græculi insolentia & Cæsaris stoliditas reprehensa.

Tanquam dura silex, tanquam Marpesia cautes,

surdis auribus præterierit: multum dignus sane ludibriis Causidicorum, qui retinebant lacinia togæ abeuntem, nonnunquam pede compresso sistebant, faciem pugillaribus injectis perstringebant, ad omnemque occasionem stultissimo Cæsare suis ludificationibus abutebantur. Hoc enim non tam reprehendendum fuit in Claudiis Patritiis, qui usque adeo plebi erant infesti, ut sacrosanctos eos Tribunos in altercatione, & jurgio pulsare ausi sint. Nam animos illis dabat gentis nobilitas, majorum auctoritas, & stemmatum frequentia.

COROLLARIUM AD CAP. IX.

1 Rabulæ autem) *Hujusmodi Blaterones, quorum lingua tam prodiga, volubilis, infrenisque est, ut fluat semper & æstuet colluvione verborum humidorum, & lapsantium, egregie a principibus utriusque linguæ viris taxantur, apud Aul. Gell. l. 1. c. 15. Noct. Att. Eorum sermonem (inquit) bene existimatum est in ore nasci, non in pectore, quos morbus tenet loquendi, tanquam veternosum bibendi & dormiendi.* *Locutulei blaterones.*

2 Apud Plinium) *Lib. 4. epist. ad Aulum Lepidum epist. 7.*

ARGUMENTUM

CAP. X.

De Patronis & Clientibus, Clientelarum & Feudorum origine, & similitudine.

PAtroni vocabulum honestum est, & vix unquam in sinistrum sensus vel partis omen traductum, & licet auxiliatorem sonet, ut ejus opera videatur tota impendi in defensionem, patrocinium, favoremque propensum, tamen sæpe pro quocunque honestiore Causidico, & Oratore causarum, ut etiam tum nomen suum retineat, cum petit, accusat, aliis perniciem, periculumque creat sua delatione facunda. Cic. pro Quintio: Verum ita se res habet, ut ego, qui neque usu satis, & ingenio parum possum, cum Patrono disertissimo comparer. Et deinde de eodem Hortensio: Cum præsertim Q. Hortensius, qui hoc judicio partes Accusatoris obtinet, contra me dicturus sit. Dein illic Patronum eundem, & Accusatorem vocat. Ita & Advocatus temere pro Accusatore & Patrono, cum videatur accersitus ad opem, non perniciem ferendam. Plinius l. v. ad Ursum: Iterum Bythini post breve tempus a Julio Basso, etiam Rufum Varenum Proconsulem detulerunt, quem nuper adversus Bassum, Advocatum & postularunt, & acceperunt, id est, Accusatorem: Porro Patroni, ut extra forum habent Clientes & Libertos multis officiorum generibus sibi obnoxios, ita & in foro Litigatores, qui conduxerunt Advocatorum & Causidicorum operam, rectissime Patronorum suorum vocantur Clientes & Liberti, ut ista sint relativa Patronus & Cliens aut Libertus, sicut Pater & Filius, Dominus & Servus. Ausonius:

Patronus vix unquam in sinistram partem.

Patronus etiam Accusator.

Advocatus pro Accusatore.

Patroni & Clientes Fori.

—— Esto Patronus,
Et defende Reos, sed gratia rara Clientis,
Esto Cliens, gravis imperii persona Patroni.

Martial. lib. VIII.

Et causam quoties agis Clientis.

Et apud Plautum in Menæchmis, ubi Caussidicus sibi & suis objicit, quod

Res quæritur magis, quam Clientum fides.

Tacitus in dialogo de Oratoribus: Non minus rubore quam præmiis stipulabantur, ne Clientulorum potius, quam Patronorum numerarentur. Apud quem etiam Libertus dicitur Litigator forensis in eodem Dialogo: Non me fremitus Salutantium, nec anhelans Libertus excitet. Sed altius repetatur Patronorum Historia, qui aliunde in Forum deducta est. Ratio Patronatus, & Clientelæ in urbem primum a Romulo [1] invecta est diviso Populo in duos primum ordines, Plebejum & Patritium. Ut autem in census æqualitate, mutua inter cives societas, officiorumque necessariorum communicatio retineretur, instituit, liberumque fecit Plebeiis (ut quoniam paupertas male tuta esset a divitiis, semperque sibi diffidit) in fidem, clientelam, & patrocinium, cujus vellent ex Patritiis sese quasi manciparent, operas, obsequia, & omne genus officii præstando: Ita vicissim Patritii, ut tutores & vindices Clientum in fidem receptorum, nihil beneficii omitterent, ut Clientum officiis paria facerent. Itaque jus quoddam arctæ necessitudinis inter Patronos & Clientes natum, & ad posteros transmissum, cujus vestigia extant in ff. ad tit. de oper. libert. Quanquam enim omnes Clientes ex Servis non essent: fuerunt tamen omnes Liberti ex Clientela Patroni simul cum universa familia. Hujus autem instituti Romulei testis est Dionysius ab Halicarnasso lib. II. Antiquitatum: quod primum excogitatum a Romulo non credo, sed mutuatum ex vicinis populis Sabinis & Latinis, apud quos fuit & hæc Clientelæ ratio. Tranquillus in Tiberio: Patritia gens Claudia orta est ex Regillis oppido Sabinorum, inde Romam recens conditam, cum magna Clientum manu commigravit auctore Tito Tatio consorte Romuli. Et paulo post: Agrum insuper trans Anienem Clientibus, lucumque sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit. Ex quo loco videtur mihi tanquam ex vena scatere fons Feudorum nostratium: nam acceptum agrum publice verisimile est Clientibus assignasse certis portionibus æqualibus, aut inæqualibus ad libidinem, imperasseque operas, salutationes, fidem perpetuam, quam tanquam ex Sacramento deberent, & præstarent requisiti. Ita cum devictæ Provinciæ ager [2] victoribus veteranis ab Imperatore in præmium, & quasi donativum assignaretur, credo Imperatorem militibus, & rursus milites colonis, perpetuariis, emphyteucariis, & aliis pro agri portione imperasse certa offi-

Libertus, forensis litigator.

Origo Patronorum & Clientum Romanorum.

Non omnes Clientes ex servis, Liberti tamen omnes ex Clientela.

Romulus mutuatus est Clientelæ rationem a vicinis populis.

Origo Feudorum.

Assignatio agrorum.

A ciorum, quibus eos agros se Dominis acceptos ferre significarent, constituto certo jure, quod commune esset hinc inde pro ratione cujusque, in quod quasi percusso fœdere jurarent: Unde Feudum appellatum credimus, a communi vinculo, & quasi fœdere officiorum, & beneficiorum, quasi fœdus, aut quia Imper. cum Pyrrho dicebat:

Feudum a fœdere.

Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum est.

B Acceptis in deditionem eas leges victis imponebat, ut haberent illi sua, sed fidem, operam, obsequiorum omne genus promitterent, ille vicissim patrocinium & tutelam, ut vindex, susciperet. Utrum fuerit, a fœdere Feudum nomen habet, immutatumque est barbare, habetque cum Patronatu multa communia. Debet enim non minorem quam Cliens Domino Vasallus fidelitatem, debet operas, Galli *corvees* vocant: sed salutandi officium conversum esse puto in aliam servitutem, ut recognitionem dominii, & relevamentum, symbola quædam annua, ut fruges præcoces, armatos homines, & cataphractos, lanceas, corollas, & alia infinita quæ ad constitutum diem repræsentari debent, nisi pretio redimantur, & latinissime Honoraria dicerentur. Et nunc si fiat negotium Vasallo, statim adest præsto Dominus vindex, & assertor: si lis intendatur, idem in judicium subscribit frequentissime, neque se tam Dominum, quam Patronum profitetur. Ita si Vasallus Dominum percusserit, injuria affecerit, in jus vocaverit sine venia, æque capitale est, ac si Cliens vel Libertus eadem erga Patronum sit ausus experiri. Et ab hac subscriptione in judicium, qua litem Clientis suam facit Patronus, videtur derivatum in forum, ut qui alios fideliter tuerentur, Patroni vocarentur, Rei, Clientes, ut qui non minus Oratoribus suis, & Defensoribus obnoxii essent, quam Clientes Patronis. Ista enim Patronorum consuetudo comparata est a tenuibus auxilii gratia, ut si a potentioribus opprimerentur, haberent suos vindices, qui injuriam aut ulciscerentur illatam, aut inferendam propulsarent, quod ita propagatum est, ut ex Clientibus multi Patritii justos conscripsissent exercitus: Unde initium bellorum civilium, quæ non ali modo, sed excitari quidem potuissent, nisi Auctores Clientum fide, & frequentia freti animos suos sustulissent. Unde enim in tam diversa studia, factionesque cives scissi transiissent, nisi se quisque ad Patroni partes tutandas contulisset? Unde Italiæ civitates & provinciæ ipsæ diversarum partium, nisi singulæ cum Patronis conjurassent? Tranquillus in Augusto: Bononiensibus quoque publice, quod in Antoniorum Clientela antiquitus erant, gratiam fecit conjurandi cum tota Italia cum partibus suis. Idem in Tiberio: Claudius Drusus statua sibi cum diademate ad Appii Forum posita, Italiam per Clientelas occupare tentavit. Neque tantum privati, aut familiæ, aut civitates Italiæ in Clientela erant, sed etiam provinciæ suos Pa-

Feudum cum jure Patronatus multa habet communia.

Salutandi officium conversum in alias servitutes. Honoraria.

Unde derivatum Patrocinium in Forum.

civilium bellorum apud Romanos materia.

Civitates & Provinciæ in Clientelis.

tronos in Senatu habebant. Idem ibidem de Tiberio: Per Siciliam quoque & Achajam circumductus, ac Lacedæmoniis publice, qui in tutela Claudiorum erant, demandatus. Plinius lib. III. ad Macrinum: Legati rursus inducti iterum me jam præsentem postulaverunt Advocatum, implorantes fidem meam, quam essent contra Massam Bæbium experti, allegantes Patrocinii fœdus. Qui locus omnino confirmat, quæ de Feudo supra diximus, cum ejus rationem, si non speciem, saltem instar veteris Patrocinii referre diximus, deducentes a Patrocinii fœdere, & quæ forensibus Patronis accommodabimus: nam hic in Senatu petebant Advocatum in causa repetundarum eum, cum quo percusserant fœdus Patrocinii, ut is Patron. pro iis diceret, quorum Patronus esset. Ita etiam Siculi M. Cicer. in cujus tutela erant, & clientela adversus Verrem Accusatorem nacti sunt, ut is esset Orator, qui esset Patronus. Nam ita de se in prooemio Divinationis: Cum Quæstor in Sicilia fuissem, Judices, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus jucundam, diuturnamque memoriam Quæsturæ, nominisque mei relinquerem, factum est, uti cum summum in veteribus Patronis multis, tum nonnullum etiam in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Et paulo post de hoc more, ut Patroni pro Clientibus dicerent: Adductus, Judices, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine, institutoque Majorum. Rursus deinde: Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus, scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus, quorum fide atque præsidio Siculi maxime utuntur, quod omnino Marcellorum nomini tota illa provincia adjuncta est. Tacitus in Dialogo de Oratoribus: Adeo te Tragœdiæ istæ non satiant, quo minus omissis Orationum & curarum studiis omne tempus modo circa Medæam, ecce nunc circa Thyestem consumas? cum tot Amicorum causæ, tot Coloniarum, & Municipiorum Clientelæ te in Forum vocent? Quod idem apud nos factitatur in aulis Principum, Sanctioreque illo Consilio: Civitates & Provinciæ habent, cum quibus fœdus Patrocinii, aut necessitudinem hospitii inierunt, quam fovent, & conservant honorariis xeniis, quæ quotannis mittunt, ut illi vicissim apophoretorum loco opem, fidemque suam Clientibus, & Hospitibus, cum tempora desiderarent, requisiti non denegent. Alias non licuit advocare Patrocinium potentiorum per edictum Divi Claudii, quod repetitum est, & cum desuetudine quasi obsolevisset in usum revocatum per Impp. Diocl. & Max. C. ne cui liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre, & reliquæ quatuor seq. Rubricæ, quas intelligendas censeo, nisi jure Clientelæ, & fœdere Patronatus ad hoc potentiores invitentur. De Clientum Romanorum habitu, & Sportulis pauca diximus lib. I. Sed ad Patronos Forenses quid pertinent?

Patrocinii fœdus

Idem Patronus in foro, qui extra forum.

Provinciarum & Civitatum in magnis curiis Advocati & Patroni.

Patrocinium potentiorum Edicto Claudii probibitum.

COROLLARIUM AD CAP. X.

Feudorum origenes variæ ex variis auctoribus.

1 Primum a Romulo) *Hinc l. adscripta* A *eidem Romulo in vetere Jurisprudentia Pardulphi Prateii J. C.* Plebeii, quem sibi ex Patriciis Patronum volent, deligunto. *De feudorum autem antiquissima origine multa in hanc sententiam adfert D. Zazius in suis doctiss. scholiis ad l. 2. de orig. jur. & in Epitom. in usus Feudorum 1 parte: cujus conjectura desumpta videtur ex Budæi adnotatione in l. Herennius, de evict. ff. Quam multi viri docti postea secuti sunt. Alii referunt Feuda ad Militias, de quibus in jure nostro frequens fit mentio, ut Beneficia militaria, & Militiæ illæ eadem* B *sint, de quibus Haloander ad novellas Justiniani: Do. Vigilius vigilantissimus Præses, & Cancellarius, quem honoris causa nomino, ad Rub. de testam. mil. Alii a Limitrophis Romanorum fundis, qui militibus ascribebantur, ut fines Imperii Rom. tutarentur animosius, Feuda derivare conantur, de quibus vide Lælium Taurell. in libello de milit. ex casu, & Laz. lib. 1. de Repub. Rom. cap. 2. Dominus Cujacius originem deducere conatur ex moribus Populi Rom. quod appellatione Hominum (quorum* C *crebra in C. Justinian. fit mentio) Actores, Procuratores, Custodes prædiorum, Insularii, Conductores, Emphiteuticarii, Chartularii, precarii possessores, quibus possessio ad tempus, quæ postea perpetua concedi cœpit, contineantur: Unde Hominium pro eo, quod a Feudistis Homagium dicitur: Quod ex variis historiis diligenter observat, quodque verisimilitudinem accipit vel ex eo, quod adhuc, ut pleraque, a Romanis Hominium nomen retinemus, tam in re Feudali, quam Censuali. Franciscus Conanus lib. 2. Commentariorum juris civilis. cap. 9. deducit jus Feudorum a primis Gal*D*lis, pro quo facit Cæsar l. 3. 6. & 7. Commentariorum, qui de Beneficiariis, Clientibus, Solduris, seu, ut alii legunt ex Athenæo, Soldunis, Ambactis meminit. Horum doctiss. virorum pulchrum inventum, præsertim D. Zazii, & Sequacium refutat Carolus Molinæus tit. 1. in consuet. Parisien. nec longius originem deducit, quam ab ipsis Longobardis secundum communem opinionem D D. præsertim quod nullibi in jure Rom. nec apud probatos auctores Rom. historiæ Feudi aut Vasalli fit mentio. Etsi* E *vero prisca illa Clientela cum militari Beneficio magnam habeat affinitatem, tamen maximum est discrimen, quod illud Patronorum & Clientum jus sola benevolentia consistit: hoc autem Feudum, rei immobilis investitura constituitur. Quantum attinet ad donationem, & divisionem agrorum Veteranis & Emeritis ob rem bene gestam, unico verbo responderi potest, quod hujusmodi donationibus, & divisionibus directum dominium, & proprietas transferebatur. Quod diversum fit in fundo Clientelari, cujus possessio aut ususfructus perpe*F*tuus, quem utile dominium vocant, solum transit in Vasallum, & Clientulum, retento penes concedentem Patronum directo dominio, aut proprietate, atque hoc modo elevat opinionem Lucæ de Penna in l. quicunque 2. C. de omni agro des. & Gul. Bened. in repet. c. Raynutius. n. 524. cum seq. qui interpretantur in §. per traditionem. de rer. divis. stipendiaria prædia, quæ militibus dabantur, pro Feudis: Cum illo §.*

Zozius. Budæus. Haloander. Viglius. Lælius Taurel. Lazius. Cujacius. Hominium. Conanus. Carolus Molinæus. Luc. de penna. Gul. Benedict.

Neoterici.

atque toto tit. agat Justin. de acquir. rer. dom. Sunt tamen ex Neotericis, qui dicant apud Francos hunc contractum etiam usitatum ante Longobardorum adventum in Galliam, adeo illud verum semper obtinet,

Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis,

Amonii locus. Miliduνum. Clodoveus.

Freti præsertim auctoritate Amonii, qui ait lib. 1. cap. 7. Clodoveum regnum suum usque ad Sequanam, atque postmodum usque ad Ligerim fluvios ampliasse, Miliduνum castrum Aureliano cum totius Ducatu regionis jure beneficii concessisse: Nam constat Clodoveum Regem Francorum regnasse tempore Zenonis Isaurici, & Anastasii Imperatorum, atque Miliduni arcem expugnatam fuisse ab eodem Clodoveo anno salutis 498. diu antequam Longobardi in Italiam appellerent, quorum adventus fuit regno Imperatoris Justini Secundi. Unde convincitur Francos diu ante Longobardos jure beneficii, id est, Feudi usos. Atque de originibus satis. Certe non alienum a jure clientelari videtur antiquissimum jus Applicationis, de quo Cicero lib. 1. de Oratore sic habet: Quid quod item in Centumvirali judicio certatum esse accepimus? qui Romam in exilium venisset, cui Romæ exulare jus esset, si se ad aliquem tanquam Patronum applicuisset, intestatoque esset mortuus, nonne in ea causa jus Applicationis obscurum sane, & ignotum patefactum in judicio, atque illustratum est a Patrono? Terent. in Andria.

Longobardi. Jus Applicationis.

—— Tum ille egens forte applicat
Primum ad Chrysidis patrem se.

Clientes quo in gradu officiorum.

Hoc autem ab Atheniensibus ortum putat Adria. Turneb. lib. 24. cap. 32. advers. Quo autem in gradu officiorum & ordinem olim reponebantur Clientes, vide apud Gellium lib. 5. cap. 13.

Divisiones agrorum. Horatius Cocles. Mutius Scævola.

2 Ita cum devictæ Provinciæ ager) *Prædiorum militarium mentionem facit Constantin. apud Harmenopulum lib. 1. tit. 16. eaque vocat* κτήματα στρατιωτικὰ & στρατιωτικοὺς τόπους. *De divisione agrorum exempla sunt obvia apud Livium lib. 2. decadis 1. de Horatio Coclite, & C. Mutio Scævola, quibus ob egregia facinora in rempub. agri publice dati sunt. Quibus consonat quod scribit Plinius lib. de viris illustribus in M. Dentato, facit l. Lucius Titius, de Evi- ction. Proxime vero accedunt ad naturam Feudorum Parochiæ, quæ militibus dabantur a Constantino Constantii Pii filio, ut auctor est Pomponius Lætus in Compendio Rom. historiæ in ejus vita: Idem Constantinus (inquit) sanxit, ut agri, villæ, oppida, quæ ad victum Emeritorum contributa erant, ad hæredes transirent, quod ante eum fecerat Alexander Severus; si Lampridio credimus in vita ejusdem Severi.*

M. Dentatus. Parochiæ.

Feudum a fide.

3 A fœdere Feudum nomen habet) *Idem putat Zaz. ad l. 2. de Orig. juris in principio: Videtur enim Vasallus fidelitatis juramentum Domino præstando cum eo fœdus inire. c. unic. qual. Jur. debeat Vasal. Feudum tamen a fidelitate dici vel fide apparet ex c. unic. in fin. per quos fiat investit. Hinc Fidelis, Vasallus non uno in loco nominatur.*

ARGUMENTUM
CAP. XI.

De Honorariis Causidicorum, & beneficii hostimento, de SC. & l. Cintia contra Advocatorum sordes.

Operarum Forensium mercedibus Nero pretium fixit.

ANte Neronis 1 tempora arbitrariæ erant Operariorum Forensium mercedes, tanti enim quisque conducebatur, quanti ars Patrocinii & eloquentiæ esset: Sed Neronem Domitium fixisse pretium auctor est Tranquillus his verbis: Constituit ut Litigatores pro Patrociniis certam, justamque mercedem, pro Subsellis nullam omnino darent, præbente Ærario gratuita. Fabius putat gratis agendum, si suppetat res familiaris ad usus necessarios: Nam vendere operam & pretio tanti beneficii auctoritatem elevare, sordidum est, cum plæraque hoc ipso vilia videri possint, quod pretium habent. Rursus hoc in alteram versat partem, ut si res angusta domi amplius aliquid exigat, secundum omnium Philosophorum leges patiatur sibi gratiam referri, cum & Socrati collatum sit ad victum, & Zeno, Cleantes, Chrysippus mercedes a discipulis acceptaverint: Neque enim (ait) video, quæ justior acquirendi ratio, quam ex labore honestissimo, & ab his, de quibus optime meruerint, quique si nihil invicem præstant, indigni fuerint defensione, quod quidem non justum modo, sed necessarium etiam est, cum hæc ipsa opera tempusve omne alienis negotiis datum facultatem aliter acquirendi recidant: sed tum quoque tenendus modus, & plurimum refert, & a quo accipiant, & quantum, & quousque. Crimen tamen sordium abesse longissime debet, ne ex viro bono, & honesto in Rabulam avarum, & sordidum convertatur infami metamorphosi. Plin. lib. 5. ad Valerianum: Quam me juvat quod in causis agendis non modo pactione, dono, munere, verum xeniis semper abstinui. Sequutus est consilium præceptoris sui Quintiliani: Nam cum amplissimam rem familiarem haberet, gratis commodabat patrocinium, operamque suam: Quod idem suis Deus ille Medicorum Hippocrates imperabat, & jam solemniter inter cæteros Jurisjurandi Hippocratici articulos concipitur ab iis, qui gradus quem fecerunt in ea disciplina insignibus donantur, ἄνευ μισθοῦ καὶ συγγραφῆς, id est, sine mercede, & pactione, hoc est, sine mercede pacta, conventaque per Endiadin figuram usitatam: Non enim mercedis perceptio, sed depactio, aut conventio pro mercede prohibetur: Merces enim est operæ hostimentum, nemo militat suis stipendiis, ut dicit Paulus. Quod si ea sacramenti religione adstringuntur Medici, ne mercedem capiant, ne 2 cum ægris paciscantur, quanto æquiore nomine Justitiæ Satellites, & Mystes tam salutari sacramento adigi decet? Quorum professio pretio nummario æstimanda non est, ut ait Ulpian. 3. Fabius libro 12. Paciscendi quidem

An gratis agendum.

Modus in accipiendo tenendus.

Plinii integritas.

Merces operæ hostimentum.

Justitiæ Satellites. Jurisprud. pretio nummario æstimanda non est.

dem ille pyraticus mos, & imponentium periculis pretia, procul abominanda negotiatio, etiam a mediocriter improbis aberit, cum præsertim bonos homines, bonasque causas tuenti non sit metuendus ingratus, qui si futurus, malo tamen ille peccet. Nihil ergo acquirere volet Orator ultra quam satis erit, ac ne pauper quidem, tanquam mercedem accipiet, sed mutua benevolentia utetur, cum sciat se tanto plus præstitisse, quia nec vænire hoc beneficium oportet, nec perire. Unde puto factum, ut hostimentum operæ Oratoriæ non merces, aut salarium, sed honorarium vocetur, quasi quodam antidoro beneficium compensetur, non de opera satisfiat, sed honor recognoscatur. Vocatur & Palmarium, 4 non minus honesto vocabulo, quod tanquam laurea, civica, muralis, myrtea, oleagina, post victoriam demum detur. Itaque qui ante peractam litem quid petunt, committunt in leges, aut etiam paciscuntur de eo, quod post sententiam sunt consequuturi. Amittitur enim honorarii nomen, & transit in mercedem pactam, vel debitam. Quis enim hoc appellet honorarium, palmarium, xenium, quod imperatum, & stipulatum est ab eo, qui accepturus est? Honorarii ea vix est, ut animo dantis æstimetur. Jam non alio nomine dat Cliens, quam quia pactus est, de qua re apud Martialem libro VIII.

Honorarium. *Palmarium.* *De honorario nulla pactio.*

Egi, Sexte, tuam pactus duo millia causam
Misisti nummos quot mihi? mille: quid est?
Narrasti nihil, inquis, & a te perdita causa est,
Tanto plus debes, Sexte, quod erubui.

Itaque post Fabium eleganter Ulpianus lib. I. ff. de extraord. cognit. in hæc verba. Si cui cautum est honorarium, vel si quis de lite pactus est, videamus an petere possit. Et quidem de pactis ita rescriptum est ab Imperatore nostro & divo patre ejus. Litis causa malo more pecuniam tibi promissam, ipse quoque profiteris. Sed hoc ita est, si suspensa lite societatem futuri emolumenti cautio pollicetur. Si vero post causam actam cauta est, honoraria summa peti poterit usque ad probabilem quantitatem, & si nomine palmarii cautum sit, sic tamen ut computetur id, quod datum est, cum eo quod debetur, ne utrumque compositum licitam quantitatem excedat. Licita autem quantitas intelligitur, pro singulis causis usque ad centum aureos. Meminit Plinius cujusdam Senatusconsulti, quod pertinuit ad modum, pretiumque præfigendum honorariis, & sacrosancti sacramenti, quo adigebantur litigaturi, se neque dedisse, neque cavisse quicquam de mercede Patroni. Ejus hæc verba sunt ad finem lib. 5. Causa dilationis Nepos Prætor, qui legi de muneribus proposuerat breve Edictum, admonebat Accusatores, admonebat Reos, exequuturum se, quæ Senatusconsulto continerentur. Suberat Edicto Senatusconsultum hoc, omnes qui quid negotii haberent, jurare prius, quam agerent, jubebantur, nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse. His enim verbis, & mille præterea, & vænire Advocationes, & emi vetabantur, peractis tamen negotiis, permittebantur duntaxat pecuniam decem millium dari: hanc summam Tacitus denis Sestertiis æstimat: nam decem millia Sestertiorum nummum, & dena Sestertia eadem sunt, cum singula mille nummum valuerint, & nostratis nummi viginti quinque Coronatos. Itaque dena sestertia CCL. aureos efficient, quæ summa, ut maxima, constituta est honorariis Advocatorum in singulas causas. Hoc Senatusconsultum causam, & initium dedit Constitutionibus Cæsarum, & maxime Justiniani, quibus solemnibus verbis concepti dictatur formula jurisjurandi, quod a Litigantibus propter calumniam præstatur. Quæ formula omnino similis est ei, quæ per Senatusconsultum a Plinio supra memoratum concipitur, etsi juramentum propter calumniam alia capita contineat, ut disci potest ex Constitutione Justiniani, quæ inscribitur, ut litigantes jurent. Cornelius Tacitus libro undecimo Annalium ejus Senatusconsulti legem Cintiam refricantis sic meminit: Incipiente Cajo Silio Consule designato, consurgunt Patres, legemque Cintiam flagitant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat. Deinde obstrepentibus iis, quibus ea contumelia parabatur, discors Suillio Silius acriter incubuit, veterum Oratorum exempla referens, qui famam in posteros præmia Eloquentiæ cogitavissent pulcherrima, alioquin & bonarum artium principem sordidis ministeriis fœdari, nec fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quæstuum spectetur. Deinde paulo post: Talia dicente Consule parabatur sententia, quæ lege repetundarum tenerentur, cum Suillius, & cæteri circumsistunt Cæsarem anteacta deprecantes. Deinde rursus: Hæc ita haud frustra dicta Princeps ratus, capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena sestertia, quæ egressi repetundarum tenerentur. Idem libr. XIII. de Suillio: Ejus opprimendi gratia repetitum videbatur Senatusconsultum, pœnaque Cintiæ legis adversus eos, qui pretio causas oravissent. Quod Senatusconsultum factum est Consule Claudio, ut dicitur libr. XI. Idem eodem libro: Nec defuit fides, multaque arbitrio Senatus constituta sunt, ne quis ad causam orandam, mercede, vel donis emereretur. De initio principatus Neronis loquitur, quasi lex Cintia repeteretur. Ex quibus amplior explicatio haberi potest. §. illius in l. I. ff. de extraordi. cog. Nam cum nominatim legitima actio constituta non sit, ex Tacito intelligimus eos, qui sordibus majoribus centum aureis sese inficiunt, teneri repetundarum. Quod & respondet Venulejus J.C. l. eadem ff. ad l. Juliam repetundarum. Quod caput ex l. Cintia traductum quis non videt? Jam exclamare licet. O tempora! o mores! quæ nundinæ, qui conventus mercatorum depactas stipulationes frequentiores habent, quam Forum judiciale? in quibus tricliniis, aut sportulæ, aut cœnæ rectæ magis palam & crebrius dantur, quam in Forensibus Basilicis? Sed hic non ut Censores

Ulpian. responsum. *Honorarii licita quantitas.* *Litigantium juramentum.* *Pretium honorarii.* *Lex Cintia.* *Venuleii responsum.*

invectivam scribimus, sed Commentarium Miscellanearum ad idem argumentum pertinentium consuimus. Sed habemus virorum magnorum exempla, quibus sordes sæculi nostri tegamus. Objectum est M. Ciceroni a Sallustio, quod sanguine, & periculis Reorum immensas sibi comparavit opes, objecta eidem domus magnificentissima in palatio, quam una Actione pro P. Sylla nactus est; nota est non Synanche, sed Argyranche Demosthenis, & Hortensii Sphynx. Fabius lib. VI. cap. de risu. Ex historia etiam ducere urbanitatem eruditum, ut Cicero fecit, cum ei Testem in judicio Verris roganti dixisset Hortensius, non intelligo hæc ænigmata; atqui debes, inquit, cum Sphyngem domi habeas. Acceperat autem ille a Verre Sphyngem magnæ pecuniæ. Tota ista ratio quæstus forensis elegantissime tractatur a Cornelio Tacito lib. XI. supra citato, ubi longam, & eruditam in hanc rem ludit parecbasim. Ego autem statuendum idem censerem de istis honorariis forensibus, quod de xeniis Proconsulum aliquando rescripserunt Verus, & Antoninus Imperatores, ut non morose ab honorariis in totum abstinendum sit, neque etiam avare modus excedatur, ut passim & ab omnibus omnia rapiantur. Vetus verbum est, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Verba Imperatorum si quis volet, legat apud Ulpian. in l. solet. ff. de officio Proconsulis: ut habeatur ab Oratoribus, & Advocatis ratio Clientum, spectetur etiam momentum causæ, & fortunæ Litigantium, una cum consuetudine Provinciæ. Laudo morem nostratium, qui Advocatis per Judices curant certum præfigi salarium in singulas causas, ut hoc more consulatur Litigantibus, qui ideo tuti sunt a concussionibus, atque etiam Advocatis, qui honeste, & citra reprehensionem petunt merita taxari. Sunt enim Clientes ita ingrati, postquam beneficio Advocatorum litem sunt consequuti, ut vix laborum insumptorum meminerint, quos lepide Martialis chiragra laborare dicit l. I. ad Flaccum:

Magnis viris objecta sordes in judiciis.

Argyranche Demosthenis, & Hortensis Sphynx.

In honorariis idem servandus modus qui in Xeniis.

Taxatio Honorarii Advocatorum laudabilis.

Ingrati Clientes.

Litigat, & podagra Diodorus, Flacce, laborat,
Sed nil Patrono porrigit, hæc chiragra est.

Quorundam autem Causidicorum adeo miserabilis est professio, ut cum pessime audiant apud quosvis de latrociniis, & concussionibus, ut tamen domi esuriant, tenuemque adeo quæstum faciant, ut longe inferior sit patrimonio Mimorum, & Histrionum, aut etiam Aurigarum; quod notatur Satyrice a Juvenale VII. Satyra.

Quorundam Causidicorum miserabilis conditio.

—— Veram deprehendere messem
Si libet, hinc centum patrimonia Causidicorum,
Parte alia solum Russati pone Lacertæ.

Ubi fortunas unius Aurigæ audet Satyricus opponere bonis centum Causidicorum. Imo coguntur 5 nonnunquam adhuc infeliciore fato quidam Causidici pacisci cum Pragmaticis, & Formulariis, quos Procuratores vocamus, ut de mercedibus quas meruerunt partem aliquam cedant nebulonibus, quo postea ad alias causas opera eorum promoveantur, quod etiam inter alias forenses miserias numerat idem Satyricus:

Si quater egisti, si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes in fœdera Pragmaticorum.

Totaque illa Satyra nihil aliud Juvenalis quam irridet, & exagitat misellos Causidicos, qui vociferando ita vocem intendunt, ut jecoris, & pulmonis fibras sibi rumpant lucelli levissimi causa, ut non tam spectetur peritia dicentis, quam census, aut nobilitas: nam

Æmilio dabitur, quantum petit, & melius nos
Egimus, hujus enim stat currus aheneus, &c.

COROLLARIUM AD CAP. XI.

1 Ante Neronis tempora) *Tamen ex Cornelii Taciti lib. II. apparet Claudium Cæsarem, usque ad dena sestertia capiendi modum statuisse, ut etiam ex sequentibus liquet.*

Claudius Cæsar.

2 Ne cum ægris paciscantur) *Huc quadrat l. 3. de extraor. cog. ff. & c. 39. l. 2. parerg. Jur. And. Alc.*

3 Ut ait Ulpianus) *l. I. tit. de extraor. cogn. ff.*

4 Vocatur & Palmarium) *Solatium etiam dicitur in l. post duos. de advoc. diver. jud. & l. laudabile. tit. seq. C. l. pen. de præd. decur. l. 10. C. l. 3. de agen. in reb. l. 12. & aliis in locis. Accursius putat in l. providendum. C. de postul. Advocatos salaria accepisse de publico. Multa de honorariis Advocatorum vide apud And. Tiraq. de nobil. c. 29. & Andr. Alc. libr. 3. dispunct. c. 9.*

Solatium.

5 Imo coguntur nonnunquam) *Idem deplorat Joan. Imbert. lib. Instit. Forens. hancque cautionem putat adhibendam sedulo Advocato, si velit messem auream facere in solo forensi, ut Procuratores adsectetur, observet, & eorum benevolentiam promereatur. Sed quam difficile sit hoc facere viro cordato, & liberali animo, is demum testari potest, qui periculum fecit. Itaque ad vitandas, vel saltem devorandas has molestias juris Candidato consultum vellim, antequam Tyrocinium aliquod edat vel in scholis, vel foro, ut Praxim per aliquot annos delibet in contubernio horum Procuratorum, sese illis applicando, ut formulas eorum, & Judiciarium ordinem percalleat. Quod etiam ei profuerit, maxime ad legum introductionem: alioquin post Lauream & forense Tyrocinium moleste & cum rubore addiscenda sunt ab hujusmodi magistris, quæ ante nota esse poterant ac debuerant.*

Cautio pro juris Candidato.

ARGUMENTUM

CAP. XII.

De Advocatorum Subselliis, Actuariis, Orationum retractione, atque de recitatione.

Reorum Advocati parib. subselliis considebant.

CUm Accusator dicebat, adeo Reorum Confessores, Advocati temere, & paribus subselliis considebant, ut nesciretur, quisnam ex illis dicturus esset pro Reo. Nam ubi Delator dixerat, tum demum Patronus ad dicendum surgebat. Cic. pro Roscio Amerino: Peroravit aliquando, assedit, surrexi ego. Paulo ante: credo, cum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quæsisse num ille aut ille defensurus esset, de me nihil suspicatum quidem, quod antea causam nullam publicam dixerim. Porro quæ ab Agentibus memoriter dicebantur, eadem ab Actuariis 1 & Notariis excepta notis describebantur. Tranq. in Julio: Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quædam feruntur, ut pro Quintio Metello, quam non immerito Augustus existimabat magis ab Actuariis exceptam, male sequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam: qui locus induxit nobis occasionem scribendi pauca quædam de Orationibus, quas edebant Oratores. Repetendum ergo discrimen monstratum a nobis alibi 2 inter Actionem, Orationem, & Declamationem. Media in scripto constat, extremæ duæ ipso actu pereunt, nisi scripti beneficio convertantur in Orationes, quanquam Declamationes suum nomen retineant, ut Fabianæ sunt, & Senecanæ. Itaque Oratores, qui fortassis tantum in scribendo poterant, quantum agendo, quæ inter agendum dixerant, domi dispungebant & retractabant, dispunctaque & recognita in lucem emittebant. Sunt autem propria hujus industriæ vocabula dispungere, & retractare. Illud enim est recognoscere & relegere, hoc revocare ad incudem, & quasi recoquere. Plin. l. VIII. ad Senecionem: Retracto Actiunculas quasdam. Idem l. IV. ad Ursum: Habebis hanc interim epistolam, ut prodromon, expectabis Orationem plenam, onustamque, & expectabis diu; neque enim leviter & cursim de re tanta retractandum est. Verum hujusmodi recognitiones, & descriptiones Actionum varie comparabantur, alias enim plura, quam dixerant inter agendum, scribebant, alias pauciora. Plin. lib. I epist. ad Tacitum. Ego, ait Plinius, contra puto, testes sunt multæ multorum Orationes, & Ciceronis pro Murena, pro Vareno, in quibus brevis & nuda quasi subscriptio quorundam criminum solis titulis indicatur. Ex his apparet, illum permulta dixisse, & cum ederet, omisisse. Idem pro Cluentio ait, se totam causam veteri instituto solum perorasse, & pro Cornelio quatriduo egisse, ne dubitare possimus, quæ per plures dies, ut necesse erat, latius dixerat, post ea recisa, ac purgata in unum librum grandem quidem, unum tamen coarctasse. At aliud est Actio bona, aliud Oratio, quæ Plinii opinio confirmari potest eo, quod scripsit Macrob. lib. II. Saturnaliorum, M. Ciceronem joci oportunitate Reum Lucium Flaccum Judicum damnatione exemisse, qui jocus in ejus Oratione, quam jam in manibus habemus, nusquam est. Huic tamen suæ hæresi idem Plinius adversus, aliquando plura scripsit quam egit, utar enim ejus gladio ad eum jugulandum. Sic enim ait lib. IX. ad Romanum. Tertia epistola continebat esse tibi redditam Orationem pro Clario, eamque visam uberiorem, quam dicente me, audiente te fuerit. Est uberior, multa enim postea inserui. Memini & aliquando legere me apud Asconium, illam ipsam Actionem, quam Cicero pro Milone ad Judices habuit bonitate inferiorem, & magnitudine imparem ei, quam postea emisit, & ab omnibus passim teritur. Nam cum prior Actio excepta de ore dicentis per Actuarios, & imprudente Cicerone per Librarios descripta, & vulgata non satisfaceret ipsi auctori, idem argumentum domi retractavit, Orationemque prolixiorem, & perfectiorem domi composuit, & priore quasi damnata evulgavit, quæ ita accurate & ingeniose scripta est, ut multi non dubitarint dicere, victurum Ciceronem in eo judicio fuisse, si ea fuisset usus. Quin & Annius Milo damnatus, cum ei Massiliæ in Narbonensi Gallia exulanti oblata esset, perlegissetque, exclamavit, M. Tulli, si sic egisses, T. Annius Milo jam barbatos Massiliæ pisces non esitaret. Itaque pauciora dixit in Actione, quam in ipsa Oratione Cicero. Nituntur & contra Plinium, quæ ab eo cum quo pugnabat objecta sunt, Orationes optimas fuisse brevissimas, ut Lysiæ apud Græcos, Gracchorum, & Catonis Romæ: nam & eodem teste Orationes illæ optimæ, mille figuras extemporales habent, etiam in his quas tantum editas scimus, ut in Verrem, quarum Divinatio & altera Actio habitæ sunt, reliquæ tantum scriptæ, cum Hortensius patrocinium destituisset, & conscientia scelerum Verres sponte exulatum demigrasset. Et idem: Tacitus omnino videtur condemnare majorum suorum perversum judicium, qui longissimas Orationes brevioribus præferebant, ut meliores. Sic enim ait in dialogo de Oratoribus. Prior iste Populus, ut imperitus, & rudis imperitissimarum Orationum spatia, atque id ipsum laudabat, si quis diem dicendo eximeret. Ita vero longa principiorum præparatio, & narrationis alte repetita series & multarum divisionum ostentatio, & mille argumentorum genera, & quicquid aliud aridissimis Hermagoræ, & Apollodori libris præcipitur, in honore erat. Verum nihil potest definiri in alteram partem. Sunt enim quædam, quæ non nisi magna delectant, ut templa, porticus, sunt quorum minutiæ, sunt gratissimæ, ut navis, aut currus 4 Myrmecidis, gemmæ, lapilli habentur in deliciis a Magnatibus, quia ita in Orationibus fit, ut mensura, aut numero verborum non censeantur, sed inventione & eloquutione apta. Itaq; quod illic dicit, Orationem esse archetypon, & exemplar Actionis, magis probabile, & causæ suæ serviens, quam verum. Quis enim nescit Actionem ipsam quasi in Oratione repræsentari, esseque veluti Ideam quandam, quæ Oratione exprimeretur, cum & natura prior, & dignitate, ut authen-

Actuarii & Notarii.

Discrimen inter Actionem, Orationem, & Declamationem. Oratores quæ inter agendum dixerant, domi dispungebant, & retractabant.

Variæ Actionum retractationes.

Pro Plinio.

Contra Plin.

Oratio pro Milone.

Actiones in Verrem.

Archetypon Actionis.

Actio Idea orationis.

ticum descripto, & exemplum vivum pictura? Figuræ enim extemporales, quæ in mutis Orationibus, tanquam sydera elucent, quomodo apte cogitari, aut recipi possunt, nisi animus eas ad Actionem, tanquam ad Idωlon referat? Ut enim præpostere facit, qui Declamationem sui thematis exemplar dicit; Ita qui Orationem Actionis archetypon, formamque primam statuit, nisi intelligamus Orationem dici primum Oratoris fœtum, cum dicenda meditaretur, quem referebat in commentarios, aut adversaria, vel pugillaria, ne præsumpta memoriæ fiducia, frigefactæ inventionis fructus periret omnino. Sed raro hoc quisquam Orationem appellavit, sed libellum, instrumentum, formulam litis, ubi quasi summis, rudibus, & necessariis tamen lineamentis Actio futura designata erat, cum multa ex tempore dicenda essent, quæ præcogitari non poterant, ideo nec in commentarium memoriæ gratia rejici, sed de illis nulla nunc nobis mentio, neque de iis, quas Reis imperitis Rhetores componebant, sed de retractatis ab ipsis, qui eas egerant oratione perpetua, causis. Certe in iis, qui scriptas Orationes recitabant, Plinii hæresis vera esse potuit, quia Oratio Actionis exemplar esset, ubi nulla fortassis Actio, sed amisso nomine metamorphosis facta est in Recitationem, per quam universa gratia, & energia Actionis perit. Plinius lib. II. ad Cerealem: Hortaris, ut Orationem amicis pluribus recitem, faciam quod hortaris, quamvis vehementer addubitem. Neque enim me præterit, Actiones, quæ recitantur, impetum omnem, caloremque, ac prope nomen suum perdere. Et paulo post (nam quæ interjecta sunt, ad recitationem, quæ fiebat publice in Auditoriis, pertinent) Recitantium (ait) præcipua adjumenta oculi, manus præpediuntur, quo minus mirum est, si Auditorum intentio relanguescit, nullis extrinsecus aut blandimentis capta, aut aculeis excitata. Porro multi extra forum in gravissimis negotiis fecerunt, ut non ex memoria pronuntiarent, sed ex scripto recitarent, diffisi brevis, inconstantisque memoriæ infelicitate, ut mallent Actionis commodum abjicere, quam turpis titubationis, mediique silentii infamiam subire. Tranquillus in Augusto: Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Livia sua graviores, non nisi in scriptis, & in libello habebat, ne plus minusve loqueretur ex tempore. Est & aliquando in Senatu deliberatum ex libello, ubi tamen non tam Actiones quam Altercationes sunt in dicendis sententiis. Plin. libr. VI. ad Ursum de rixa quadam in Senatu mota: Nam & Celsus Nepoti ex libello respondit, & Celso Nepos ex pugillaribus. Cicero Philippica X. Hoc vero, Q. Fusi, sine offensione amicitiæ nostræ sicut tecum, aut a te dissentiens Senator quæro. Ita enim dixisti (& quidem de scripto) literas Bruti recte atque ordine scriptas videri. Quod quid est aliud, quam Bruti Librarium laudare, non Brutum? Quam consuetudinem revocarunt ad nostra sæcula magni viri, maxime Professores, ut Decla-

Recitatio.

Viri magni orationes recitarunt.

In Senatu recitatæ ex libello sententiæ a deliberantibus.

Professores.

A mationes suas prolusorias in solemnibus prælectionum auspiciis ex suggestu non memoriter pronuntient, sed ex libro lectas recitent. Quod cum faciunt, ingenue se extemporales non esse fatentur, aut maleficium infelicis memoriæ accusant publice, & condemnant. Verum Grammaticorum, Poetarum, Historicorum, Rhetorum recitatio ad exigendam populi censuram de opere aliquo recens nato instituta est. Cum enim populus sit nasutissimus, oculatissimus, auritissimus, vix quicquam in opere elabitur olidi, quod a naribus non rejiciatur, fœdi,

B quod oculi tot non detestentur, ingrati, quod ex tam multis auribus aliquæ non excipiant. Itaq; & Cæsares ipsi ejus superbam censuram subire voluerunt, & coram eo, tanquam Aristarcho, Criticoque rectissimo, palam recitarunt. Tranquil. in Domitiano: Simulavit & ipse inire modestiam, imprimisque Poeticæ studium tam insuetum antea sibi, quam postea spretum & abjectum: recitavitque etiam publice. Recitavit & frequentissime historias. In principatu (ait idem Sueton.) & scripsit plurimum, & assidue recitavit per Lectorem.

C Auditorium vero Recitantium erat in Palatio. Plinius libro I. ad Senecionem: Magnum proventum Poetarum annus hic attulit, toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. Et paulo post: At hercule memoria parentum Claudium Cæsarem ferunt, cum in Palatio spatiaretur, audissetque clamorem, causam requisisse; cumque dictum esset recitare Monatianum, subitum recitanti, inopinatumque advenisse. Sed quod ad propositum utcunque facit, Cæsares aliquando voce aliena concionabantur ad Populum, aut in

D Senatu Orationes recitabant. Tranquillus in Augusto: Pronuntiabat dulci & proprio quodam oris sono, dabatque assidue Phonasco operam, sed nonnumquam infirmitatis faucibus Præconis voce ad Populum concionatus est. Idem in Nerone: Ac post hæc tantum abfuit a remittendo laxandoque studio, ut conservandæ vocis gratia, neque milites unquam nisi absens, aut alio verba pronuntiante, appellaret, neque quicquam serio jocove egerit, nisi astante Phonasco, qui moneret, parceret arteriis,

E ac sudarium ad os applicaret. Idem ibidem: Orationes ad Senatum missas, præterito Quæstoris officio, per Consulem plerumque recitabat. Recitabant & Comœdi Comœdias, sed singuli singulas, quas Histriones gestibus mutis repræsentabant. Comœdi enim nomen commune est Histrionibus & Recensitoribus, ut Roscius ille Comœdus, Turpio Ambivius, qui quamvis nihil pronuntiarent, sed tantum gesticularentur, 5 Comœdi tamen dicebantur. Nusquam enim legitur aliquid de facundia Ro-

F scii, aut aliorum Histrionum, sed tantum de arte, & dexteritate movendorum corporum, & gesticulandi, quibus insignes erant, & Populo commendatissimi Histriones. Quod autem Recensitores, sive Recitatores, cujusmodi fuit Calliopius apud Terentium, Comœdi dicti sunt, argumenta peti possunt clarissima ex prologis Plautinarum Comœdiarum; unde colligi potest, recitatas tantum fuisse Populo Comœdias, cum interim Histriones tacerent, gestus

Recitatio in Auditoriis.

Cæsares recitarunt.

Auditorium in Palatio.

Cæsares voce aliena concionati.

Recitabant Comœdi, Histriones gesticulabantur.

tantum personarum repræsentantes, quod alibi apertius docebimus.

COROLLARIUM AD CAP. XII.

1 Ab Actuariis, & Notariis) *De his plura dicentur a nobis lib. 5. in Paralipomenis.*

2 Monstratum a nobis alibi) *Lib. 2. cap. 12.*

Cognitio Recognitio. Disputatio.

3 Retractare) *in eadem significatione causa retractari dicitur apud Ulpian. ff. de jur. fisci. Cognitionis, recognitionis, & dispunctionis meminit idem Ulpian. in l. 55. de reb. auct. jud. possid. & l. 55. de verb. significat.*

Quadrigæ & navis Myrmecidis.

4 Navis, aut currus Myrmecidis) *Hujus meminit Cic. 4. Academicarum, & Plinius l. 36. cap. 5. Hic autem quadrigas ex ebore minutas confecit, ut muscæ alis tegerentur, & navem, quam apicula pinnis absconderet. Ælian. promiscuæ historiæ l. 1. Varro l. 6. de ling. Lat.*

Histrionum muta loquacitas.

5 Nihil pronuntiarent, sed tantum gesticularentur) *Licet hoc paradoxon videtur, Histriones tantum gesticulatos, non pronuntiasse, illud tamen facile ex prologis Plauti, & Terentii in Asinaria, Pœnulo, Hecyra, & Heautontimorumeno probari potest. Mire etiam evincit, quod apud Cassiodorum legitur sub fin. lib. 4. dum Symmacho Theod. Rex theatrales ludos describit: his, inquit, addita sunt Horcistrarum (sic enim lego) loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita, quam Musa Polyhymnia reperisse narratur: ostendens homines posse, & sine oris affatu suum velle declarare. Et paulo post: Pantomimo igitur, cui a multifaria imitatione nomen est, cum primum in scenam plausib. invitatus advenerit, assistunt consoni chori, diversis organis eruditi, tunc illa sensuum manus oculis canorum carmen exponit, & per signa composita quasi quibusdam literis, edocet intuentis aspectum, in illaque leguntur apices rerum, & non scribendo facit, quod scriptura declaravit. Pronuntiabant autem Histriones interdum mimos, prologos, lepidiores sententias, & diverbia, quæ in fabula occurrebant. Valer. Max. lib. 6. c. 2. Diphilus Tragœdus cum Apollinaribus ludis inter actum ad eum versum venisset, in quo hæc sententia continetur,* Misera nostra magnus est, *directis in Pompejum Magnum manibus pronuntiavit. Quod & ex Macrob. l. 2. c. 7. Saturnaliorum palam fit, ubi de sententiis, ac dictis Laberii & Publii Mimographorum tractat, de Pilade ac Hyla Histrionibus. Cicero etiam lib. 7. epist. 1. C. Mario mirificum ludorum apparatum describit, ac narrat de Æsopo quodam Histrione, quem vox defecit, jurare cum cœpisset in illo loco,* si sciens fallo. *Polus quidam Tragœdus apud Gellium gestus, & claritudine vocis commendatur. Vide quædam apud Magnum Eras. in Dialogo de pronuntiatione.*

Gesticulatio expositionum vocalis.

Histriones quæ pronuntiarent.

A

ARGUMENTUM

CAP. XIII.

De partibus Orationis, motu, & vi eloquentiæ, statu, & habitu Reorum, Parecbasis de Spectris.

Orationis partes.

ORatorum Actiones non temere paucioribus partibus quam quatuor absolvebantur, Exordio, Narratione, B Confirmatione & Peroratione. Mediæ duæ ad docendum, extremæ ad faciendos affectus accommodatæ, quarum cum sit duplex genus, mites & vehementes, illos sibi Exordium, hos Epilogus vendicat, in quem Orator omnes Eloquentiæ suæ opes impendit. Si enim sustuleris Oratori facultatem rapiendi, convertendi sursum deorsum animos motibus violentis, quid a garrulo Dialectico differat, non video; nisi quod unus strictius, quasi argumentorum punctis, & aculeis rem tangit, alter quasi cæsim pugnat, perpetuitateque C orationis hostem impetit. Rhetorica enim pugno extenso, Dialectica contracto similis Zenoni videtur. In affectibus vero regnat Orator, quorum naturam cum a Philosophis, maxime Stoicis discat, usum tractandorum a suis habet Rhetoribus, quem explicat in iis maxime consessibus, ubi ratio aliqua humanitatis, & civilitatis habetur, ubi Judices sese homines sentiunt, neque a se humanos affectus alienos putant. Nam tristis, & rigidus ille Athenarum Areopagus, & plusquam Stoicus, magis fungos, aut saxa in subselliis D suis videtur habere, quam homines, quos vix peristaseis movent, quæ in maleficiis, quorum Areopagitæ sunt Quæstores, plurimum valent in utramque partem. Noctu enim judicant, Præconem habent assiduum, qui affectibus interdicat. Ideoque Romanorum Patronorum eloquentia, non modo necessarias ad vitam retinendam partes habet, sed & artus quosdam ad speciem tributos, quibus, tanquam toris & lacertis, Oratio stantia, rectique adversa expugnaret. Sed Eloquentiæ laudes eleE gantissime prosequitur M. Aper in Dialogo de Oratoribus apud Tacitum, cui Eloquentiæ eædem omnino ab auctoribus tribuuntur vires, quas olim Vergilius virgæ, & Caduceo Mercurii dedit l. IV. suæ Æneidos;

Discrimen Rhetoricæ & Dialecticæ.

Areopagus.

Eloquentia.

—— Hac animas ille evocat Orco
Pallantes, alias sub tristia Tartara mittit,
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat,
F *Illa fretus agit ventos, & turbida tranat*
Nubila.

Caducei Mercurii allegorica explicatio.

Quos versus allegoricos Oratoris eloquentiam significare justissime dicere possemus, ut Mercurius virga evocans Manes ab inferis, intelligatur Orator, qui sua facundia in Reatu constitutos periculo mortis liberet: alios autem sub tristia Tartara mittit, quum suis accusationibus & invectivis Reorum caput, & fortunas in periculum

trahit. Dat autem somnos, & adimit, cum Auditores vel infestos placat, & mitigat, vel benevolos concitat, & exasperat, aut parum attentos, veluti dormitantes suscitat, & erigit. Agit autem ventos sua virga, cum motus populi, & seditiones componit, aut regit, ut quondam Hercules Gallicus 1 pingebatur, catena aurea linguæ alligata circumducere populos quocunque vellet. Vis tamen Eloquentiæ non in verborum quodam impetu, & fulmine, sed in extrinsecis multis consistit, ut cum illa Phryne Rea speciosissimum corpus suum Judicibus nudavit, quo spectaculo magis commoti sunt Judices, quam Hyperidis Oratoris Actione quam admirabili. Item M. Antonius M. Aquilium defensurus, cum scissa veste cicatrices, quas sex pro patria adverso pectore suscepisset, ostendit, non Orationis habuit fiduciam, sed oculis Populi Rom. vim attulit. Et Sergius Galba, cum non solum liberos parvulos suos in concionem produxisset, sed & Galli Sulpitii filium suis manibus circumtulisset, elapsus est judicio. Ad hæc Cicero pro Flacco filium parvulum produxit flentem, & quasi deprecantem a patre condemnationis periculum. Quod caute faciendum, instruendique puelli producendi; nam sæpe elusæ sunt hujusmodi productiones, ut quidam flente puero, date, inquit, puero panem, aut alius cur cum fleret rogaretur, responderat se a Pædagogo vellicari, & alia hujusmodi affectuum ludibria: quæ observata sunt Rhetoribus, ut caverentur in posterum. Omnium autem maxime miserabilis erat Rei causam dicentis facies, habitusque corporis totus, squallor vultus, promissio barbæ, & capillorum, vestitus sordidatus, & proximorum Cognatorum, qui advocati simul pro Reo supplices erant: quod postea solis 2 parentibus, & affinitate conjunctis permissum est, & intra certum gradum. Venulejus in l. Vestem ff. de injuriis: Vestem sordidam Rei nomine in publico habere, capillumve submittere nulli licet, nisi ita conjunctus est affinitate, ut invitus in Reum testimonium 3 dicere cogi non possit. Fuerunt tamen nonnulli Romæ, qui nunquam Judicibus mutata veste supplicare sustinuerunt. Sueton. in Tiberio, de Claudiorum Patritiorum gente: Hæc Optimates Assertoresque unicos dignitatis, ac potentiæ Patriciorum habuit, atque adversus plebem adeo violentos, & contumaces, ut ne capitis quidem quisquam reus apud Populum mutare vestem, 4 aut deprecari sustinuerit. Plutarchus narrat de Milone, qui neque comam, neque vestem mutavit, cum causam diceret. Habitus hujusmodi Reorum, Reatus primum a M. Messala vocatus est, ut, quamdiu delatus sit quis, & receptus inter Reos, dicatur esse in Reatu. Martialis:

Vis eloquentiæ in extrinsecis. Phryne. Vis affectuum. Cautio in extrinseca eloquentia. Squallor Reorum. Quibus cognatis permissum est esse sordidatis. & vi in reatu habitum mutare sunt dedignati. Reatus.

Si det iniqua tibi tristem Fortuna Reatum,
Squallidus hærebo, pallidiorque Reo.

Hinc Rei diuturni, qui diu apud Ærarium pependerunt, de quibus lib. IV. dicemus fusissime. Hi, quamdiu Accusatio non abolebatur, in perpetuis Reatus sordibus erant. Tranquillus in Augusto: Diuturnorum Reorum, & ex quorum sordibus, nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit. Tantæ autem erant hæ sordes, ut sudarium album Reo objectum sit. Fabius lib. VI. cap. de Risu: Sunt quædam etiam verisimilia, unde Vatinius dixit hoc edictum: Cum Reus, agente in eum Calvo, candido frontem sudario tergeret, idque ipsum Accusator in invidiam vocaret, quamvis sim Reus, inquit, & panem candidum edo. Vestes non quotidianæ sed sordidatæ, & ad luctum comparatæ. Livius in causa Virginiæ: Venit postridie in Forum obsoleta veste. Et Cicero luxisse Senatum mutata veste in suo exilio, ubique ad fastidium usque legentium inculcat. Non tantum in luctu privato, sed etiam publico. Abiit barba Reorum in proverbium Martial. lib. II.

Rei diuturni. Sordes Reorum. Mutatio vestis. Barba Reorum.

Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba
Reorum.

Ubi autem absolutus erat Reus, tundebatur promissus capillus, barbaque ponebatur, gratiasque acturus Diis ascendebat Capitolium cum ingenti, & fastuoso comitatu Advocatorum. Idem Martialis:

Mos servatus post absolutionem Rei.

Cinctum togatis post & ante Saufellum,
Quanta reduci Regulus solet turba,
Ad alta tonsum templa cum Reum misit,
Materne cernis.

Narrat Plutarchus in Cicerone, eodem Prætore Licinium Macrum causam dicentem sperasse absolutionem Macri & aliorum commendatione, domum rediisse, squallidam barbam posuisse, candidam vestem sumpsisse, tanquam jam absolutus esset, cum tamen eodem judicio damnatus sit. Plinius lib. VII. ad Suram de puero, cui per somnum tonsi essent capilli: Nihil (inquit) notabile secutum, nisi forte, quod non fui Reus, futurus, si Domitianus, sub quo hæc acciderunt, diutius vixisset: nam in scriniis ejus datus a Caro de me libellus inventus est. Ex quo conjecturari potest, quia Reis moris est submittere capillum, recisos reorum capillos, depulsi quod imminebat periculi, signum fuisse. In qua epistola multa eleganter de spectris, 5 & nocturnis idolis disputantur: nam res valde olim, ut & nunc in nostra religione, controversa fuit: Essentne scilicet aliquid phantasmata, præditave numine aliquo, & figura: an inanes, & vanæ imagines, quas metus nobis vacuis referret. Pro altera Physicæ rationes pugnant, pro altera autem quotidiana 6 Exempla, non soli vulgo, sed magnis etiam viris observata, & literis prodita: nam præter paradigmata, quæ ibi ab auctore narrantur, Suetonius etiam in Augusto videtur meminisse; sic enim de agello, ubi Octavius natus credebatur, scribit: Huc introire nisi necessario, & caste religio est, quasi temere adeuntibus horror quidam, & metus objiciatur; sed & mox confirmat: nam cum possessor villæ novus seu forte, seu tentandi causa cubitum se eo contulisset, evenit, ut post paucissimas noctis horas exturbatus inde subita vi, & incerta, pene semiani-

Submissio capilli. Parechasis de spectris.

mis cum strato simul ante fores inveniretur. Idem Tranquillus in Caligula: Cadaver ejus clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum levi cespite obrutum est. Satis constat, prius, quam id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos. Huc concedunt & Poetæ, sed fortassis non tam Physica ratione, quam more suo sese ad vulgi persuasionem dimittentes. Vergil. IV. Æneid.

Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.

Apud Horatium Epod. V. puer quidam raptus a veneficis, & jam jam mactandus ita imprecatur.

Diris agam vos, dira detestatio
Nulla expiatur victima.
Quin ubi perire jussus expiravero,
Nocturnus occurram furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quæ vis Deorum est Manium,
Et inquietis assidens præcordiis
Favore somnos auferam.

Idem tamen Horatius alibi Manes fabulas vocat, ut cui tanquam cæteris Epicureis 7 & Atheis anima mortalis sit, umbrarumque contemptum inter cætera boni fortisque animi argumenta collocat ad fin. l. II. Epist.

Non es avarus? abi, quid cætera? num simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine, & ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?

Taceo in sacris Evangeliis locos quosdam: Existimabant se spiritum videre, & in Apostolicis actis: Angelus Petri est, qui stat pro foribus, & alios: nam pronuntiare in hanc vel illam partem, temerarium fortassis esset. Malim enim in re tam ambigua Socraticos imitari, qui a rebus dubiis assensionem cohibent, tutiorque est Academiæ aporia, quam reliquarum hæresium juratissima dogmata. *Acatalepsia Academiæ* Hoc unum scio, quædam esse, quæ nocturnis spectris imputantur, cum certissimam verissimamque 8 in Physiologia rationem habeant, ut Ephialtes, Latinis Incubus, *Incubus.* quem vulgus Calcomarem a calcandis maribus vocat. Et Lycanthropi, *Lycanthropia.* quos etiam lupos varios vocamus: Ille enim repræsentatur supine dormientibus, onerato ventriculi stomacho multis & impuris humoribus. Hi genere quodam vehementis peratræque insaniæ ex melancholia laborant, ut noctu per sepulchreta errabundi lupinis similes ululatus imitentur. Utcunque res habeat, Græci persuasionis istius causam, vera vel fictane sit, nihil moror, Phantasias, Phantasmata, Idola, Phasmata, Latini Imagines, Formas, Simulachra, Spectra, Species, Visa, Visiones, alias Lemures, Em-

A psas, Umbras, Manes etiam auctores vocant. Cujus parecbaseos brevitas nos fatigatos jam duobus libris hujus Commentarii perfectis, utcunque recreavit, animumque ad reliquum cœpti laboris percurrendum altius excitavit, tanquam ex aspero rupibus jugo, præcipitiisque proclivibus periculoso, in subjectam vallem amœnam, apricam, floridam, deliciisque voluptatum mentem fessam recreantium ditissimam succedentes, animo tantisper indulgeremus, eundemque speciosa vallis facie pasceremus: B nam jam jam in adversum montem, non minus arduum & præruptum nonnunquam nitendum est, unoque spiritu acclive, altero declive superato cacumine conficiendum.

COROLLARIUM AD CAP. XIII.

1 Hercules Gallicus) *Sub hoc nomine inscribitur Dialogus apud Lucianum: de eo etiam ludit noster Alc. in suis emblem. sub hoc elogio, Eloquentia robore præstantior.*

C 2 Quod postea solis parentibus, &c.) *Nam antea immodice fiebat: constat enim ex Ciceronis Oratione pro Reditu, & Plutarcho, Senatum, & Equestrem ordinem ad viginti millia hominum sordidatos fuisse Romæ cum ipso Cicerone.* *Sordidatorum immensus numerus.* *Quin etiam Hebræi olim cilicio & sacco cum cineribus capiti inspersis sordidabantur, quod faciebant, ut ita abjecti, & humiliati misericordiam, & opem consequerentur. Exempla sunt Danielis 9. Jonæ 3. & Hesther 4.* *Hebræi sordidati*

3 Ut invitus in Reum) *Qui sunt illi quibus invitis testimonium non denuntiatur. l. Julia Papia publicorum judiciorum cavetur l. 4. & 5. de testibus ff. De quibus consule Oldendrop. tit. de testib.* *Quibus invitis testimonium non denuntiatur.* D

4 Mutare vestem, aut deprecari) *Livius tamen l. 3. & 6. ab U. C. ait Appio Claudio in vincula ducto C. Claudium Appii fratris filium inimicum Claudiamque omnem gentem sordidatam fuisse: quod quomodo convenire possit cum hoc Suetonii loco in textu allegato non satis video. Cæterum inter illos qui in reatu sorditati non fuerunt, numerari potest P. Scip. African. de quo vide Gel. l. 3. c. 4. Noct. Att.* *Livii locus.*

E 5 De spectris & nocturnis Idolis) *Hanc parecbasin de spectris omnino decreveram tollere, quia longius petita parum, aut nihil ad rem facere videbatur: Verum interea dum cunctantior essem in diruendo (nam auctionem potius meditabar) suasu quorundam amicorum mutato consilio reliqui tanquam in Foro nostro quendam recessum locum, in quo quis animum oblectare possit: Quin etiam abusus amplitudine loci & materiæ, nescio quomodo imprudenter accessio quædam facta est, quæ omnia quidem instar sigillariorum haberi cupio.* F *Quid autem mirum, si in forum, tam varia, & peregrina ferantur? Sicut tamen hæc merx non placet, illa præterita ad alia se convertat, quandoquidem & alia supersunt: nobis autem nequaquam placet Lector, qui foro uti nescit.* *Sigillaria.*

6 Quotidiana exempla) *Multa refert Alex. ab Alex. in suis Genialibus l. 2. c. 9. & l. 4. c. 19.*

7 Ut cui tanquam Epicureis & Atheis) *Epicurei Athei.*

Cassius apud Plutarchum in Bruto, Thyciades apud Lucianum in Philopseude, Chorus apud Senec. in Troade ex sententia Democriti, & Epicuri contendunt nullos esse dæmones, aut spiritus, atque animam una cum corpore interire, in qua quidem hæresi adeo confirmatus erat idem Democrit. ut cum in tenebris per lasciviam quorundam adolescentulorum e sepulchris mortuorum noctu veluti larvis infestaretur, impavidus & semper sui similis illos statim admonuit, ut ineptire desinerent. Tantum potuit addere constantiæ semel hæc concepta opinio. Sed apagesis Atheos.

Democritus larvarum contemptor.

8 Certissimam verissimamque in Physiologia) *Præter Physicas rationes, quas adfert auctor noster de Melancholicis, multæ concurrunt imposturæ, & strophæ, quæ fiunt ab ipsis vivis sub regno tenebrarum & noctis, quas meticulosi, & parum nasuti, dum fucum non olfaciunt, spectris & mortuorum piis Manibus falso tribuunt, nec desunt etiam Curios simulantes, qui religionem superstitiosis incutiant. Hujusmodi Veteratorum exempla etiam domestica narrare possemus, sed non sunt hujus loci; qui otio abuti volunt, multa videbunt in Novellis Italicis, & Gallicis, quæ passim circumferuntur. Notior autem est Poli, & Fauni acta fabula, quam ut recenseri, aut locum indicari hic sit operæprecium. Sed ut sint spectra, & visa quædam (nam omnino negare non possumus nullas non fieri apparitiones ab utroque angelo lucis & tenebrarum) certe illud merito dubitari audio, utrum apparitiones, quæ mortuorum Manibus tribuuntur, ab ipsis animabus repræsententur: nam si præsentiam earum semper requiramus, quid de apparitionibus vivorum, quæ fiunt ipsis vivis dormientibus, aut vigilantibus maximo intervallo inter se semotis, ac ne his quidem consciis, quorum imagines repræsentantur? Qualiter Eulogio Rhetori profitenti Rhetoricam Carthagini apparuit ipse Augustinus, qui Mediolani agebat. Qua de quæstione vide August. lib. de Cura pro mortuis, & Thom. 3. part. q. 69. artic. 3. Hoc tamen admonere videtur operæprecium, quod cum apparitionibus, & visis affine, a Foro autem judiciali nequaquam alienum est, de Maleficis sive Mathematicis. Optarem equidem, ut majore cum pondere, & diligentius fierent anacrises Sagarum sive Strygum (quas vulgus a sortibus, ut puto, Sortierias vocat) neque tam faciles essent Judices ad credendum, tanquam vera, quæ quotidie de illusionibus, & præstigiis dæmonum referuntur, adeo ut confessioni delirantis anus, & male sanæ de suis epulis, choreis nocturnis, consessoribus, & concubinis, statim non adhibeant fidem. Quid enim non comminiscuntur? Quasi hæc corporaliter, & revera, non imaginarie, aut sensuum quadam fascinatione, & in spiritu fiant, ut in Concilio Acquirensi habetur, quod a Gratiano recensetur 26. q. 5. can. Episcopi. Quod si cui mirum videatur, tantos errores gigni posse ex humoris, succive pravitate, mirari desinet, postquam legerit Galen. lib. 3. de locis affect. ubi abradentis Melancholiæ miros effectus narrat. Velim etiam in aliis id genus exactius judicium adhiberi, ut non præpostere, & veluti Lesbii Fabri regulam materiæ sic ex eventu facta, sed ex causis potius effectus metirentur, atque omnia rationi & veritati exigerent. Quod si fieret, non dubito, quin multæ ad Anticyras relegarentur, aut Pæonia purgarentur potius, quam Vulcano, & flammis ultricibus expiarentur, nisi malimus ad Agnatos, & Gentiles illas reducere, ut est in proverbio. Nolim tamen aliquem existimare me Veneficarum, & Maleficarum causam, & patrocinium suscipere velle, uti quosdam ex Neotericis facere video, quas, eo ipso quod pessimam suam nocendi voluntatem exerunt, etiamsi nihil efficaciter (ut ita dicam) præstiterint, neque causa sint sæpius patrati sceleris, quod voluntate gestiunt, quia jam mala mens, malus earum animus ad actum propinquum accessit, incidere in l. Corneliam de veneficiis puto, arg. l. is qui cum telo ff. eod. atque tanto magis quod fere a fide Christiana desciverunt Apostatæ, & quod plusquam Transfugæ, cum hoste Christi, & generis humani Perduelles fœdus & pactum coeunt sese eidem mancipando, supplicio dignas existimo: sed hoc tantum obiter asscripsi illusionum dæmonis occasione, ne quis semper omnia vera & non præstigiosa earum facta dictave putet, deceptus confessione erronea,*

Strophæ. Poli fabula. Utrum apparitiones animarum sint. Anacrises Maleficarum. Melancholia Lesbii Fabri. Ad Agnatos, & Gentiles reducere.

——— Cujus velut ægri somnia vanæ
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ.

atque ut discrimen aliquod fiat, ut debet, inter lepram & lepram. Quia tamen video illud etiam inter doctos controverti, utrum Lamiæ, & Stryges ad convivia & ludum vere & realiter, an tantum in spiritu deferantur; lubet hic utrinque auctores laudare, ut curioso aliqua ex parte satisfaciam Lectori. Pro altera vide Thom. 22. q. art. 5. bona. 3. senten. dist. 29. q. 3. Sylvest. tract. de Strygib. Picum Dialogo Stryx. Paul. Ghyrland. in suo tract. de Lamiis, & Sortilegis, nec non libellum, quem vulgo Maleum maleficarum vocant. Pro secunda vide Joan. Fran. Pozinnibium in suo tract. de Lamiis. Alc. lib. 8. parerg. cap. 22. Joan. Baptist. Magiæ Naturalis lib. 2. c. 26. copiose apud Jan. Wier. de præstig. Dæmon. pro quibus facit d. c. Episcopi. ex Concilio Acquirensi, nisi quis calumniari velit. De Incubis, & Succubis licet multum disputari possit, an spiritus corporaliter cum hominibus commisceri queat, audio Theologos majorum gentium affirmativam asserere. De Metamorphosi etiam varie disputatur (adeo sunt omnia probabilia) ac de Lycanthropis, sic Joan. Bodinus in sua Methodo Histor. Olaus sæpe incredibilia narrat: sunt tamen nonnulla, quæ scriptorum, ac testium multitudine, & consensu quodammodo persuaderi possunt. Nam quæ de Nerviorum (hi nunc Livones appellantur) in lupos transfiguratione, & μετεμψυχώσει ab Herodoto, Pomponio Mela, & aliis Historicis olim pervulgata sunt, ea Juniores comprobarunt. Hoc enim Gaspar Peucerus vir magnæ eruditionis, & minime vanus, tum etiam Linguetus non minus doctrina, quam diuturna totius Europæ pe-

Utrum Stryges in corpore deferantur, an tantum in spiritu. Incubi. Succubi. Metamphosis. Joan. Bodin.

pæ peragratione clarus, se ab incolis accepisse mihi confirmavit. Quod utrum fiat occulta quadam vi Naturæ potentis, ut de Parrhasio traditur, vel ultione divina, ut de Nabuchodonosore, nondum mihi compertum est. Hactenus ille. Si autem numerandæ sint vel ponderandæ sententiæ eorum in hanc, vel illam partem descendentium, nescias ad quam partem potius accedendum sit; tanta est in hujusmodi rebus A *caligo, tanta nox mentes humanas occupat, ut veluti, qui in nube & cymmeriis tenebris versantur, palpitantes sæpius umbras captemus, quam rem ipsam & veritatem nudam teneamus. Verum in tanto opinionum Euripo satius erit ad Ecclesiæ judicium, tanquam ad sacram anchoram recurrere, ut quicquid illa statuerit, illud firmiter sit amplectendum.*

SUMMARIUM

Libri tertii.

LIBRO III. DE MAGISTRATIBUS CUM PUBLICAS, TUM PRIVATAS CAUSAS DISCEPTANTIBUS TRACTATUR.



HISTORIA FORI ROMANI.

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM CAP. I.

De Jurisdictione & Imperio, atque utriusque accommoda exempla proponit.

Ratio servati ordinis.



Foro constituto, subselliisque dispositis, auctoritas Magistratuum disceptantium causas postulabat, ut illi primi in tribunali, & subselliis collocarentur [: Atque tum, ubi consedissent, Litigantes cum suis Advocatis in adversis & inferioribus subselliis locum caperent. Quem tamen ordinem, quamvis rectiorem, & civiliorem non sumus sequuti, sed præpostere rerum serie conversa, faciliorem methodum ingressi, Magistratuum Judicumque historiam judiciorum rationi, & formulis cognatam, & affinem conjunctis libris adjunximus, ut nullo extranei sanguinis argumento hujusmodi cognatio dirimeretur, & Judices ipsos in ipsis judiciis spectaremus. Magistratuum ergo est propria Jurisdictio, id est, juris dicendi potestas (nam corrupte legitur in ff. Judicis dandi potestas) distrahendi controversias scilicet. Hanc Præfecturam 1. etiam Latini vocant, ut dicere præfecturam Plauto in Captivis, ubi Ergasilus cum domi esset relictus, eique credita penus cum esculentis omnibus, sibi hanc provinciam gratulatus, quasi usurus suo jure in annonam, ut Judices in Reos, ita loquitur:

Jurisdic. L. imperium. ff. de Jurisdict. omn. Jud. præfectura.

Nunc ibo, ut præfecturam, & jus dicam larido,
Et quæ pendent indemnatæ pernis ut auxilium feram.

Judicatus. Disquisitio.

Judicandi etiam potestas Judicatus dicitur Ciceroni 1. Philippica. Disquisitionem etiam Tranquillus vocavit in Julio: Primo Præturæ die Q. Catulum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi rogavit, rogatione promulgata, qua curationem eam in alium transferebat. Examen etiam dicitur. Ausonius: At postquam in examen Pastoris lis Dearum est deducta. Cognitio autem usitatius est pro jurisdictione, quam argui auctore laudato debeat, ita tamen sonat, ut absque imperio exerceatur. Sunt enim multi, qui cum cognoscendi, & disquirendi potestatem habeant, imperium tamen non habent, ut sunt Recuperatores, Arbitri, & etiam Judices in publicis quæ-

Examen. Cognitio.

Qui tantum jurisdictionem habeant.

A stionibus Prætore præsidente: nam ut cognoscunt, sententiamque tabella conceptam ferunt tantum, ita Prætor in iisdem judiciis nullam jurisdictionem habet, sed merum, nudumque imperium, ut numerum Judicum ineat, sortes ducat, Judices citet, contumaces mulctet, tempora clepsydrarum præscribat, Judices in consilium mittat, sortes eductas numeret, & collato numero pro majore pronuntiet, quæ plane meri sunt imperii, & a jurisdictione sejuncti. Nam si Prætor in iis cognitionem aliquam haberet, etiam juratus, ut reliqui Ju-

Prætor in publicis meris imperium habet.

B dices, sederet. Constat autem injuratos Prætores publicas quæstiones exercuisse. Cic. 2. Verrina de M. Metello: Quem ego hominem, si ejus fidei diffisus essem, Judicem non retinuissem: nunc tamen in eo sum animo, ut eo Judice, quam Prætore hanc rem transigi malim, & jurato suam quam injurato aliorum tabellas committere. Ex quibus constat, neque jurasse Prætorem, neque tabellas habuisse, itaque nec jurisdictionem, cum tamen imperium haberet, & sententiam pronuntiaret posita Prætexta. Valerius lib. IX. Consimili impetu mor-

Prætor non juratus.

Tabellas non habuit Prætor.

C tis C. Licinius Macer vir Prætorius, repetundarum reus; dum sententiæ dicerentur, in mœnianum conscendit: siquidem cum M. Ciceronem, qui id judicium cogebat, Prætextam ponentem vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed Reum periisse, nec sua bona hastæ posse subjici, ac protinus sudario, quod forte in manu tenebat, ore & faucibus suis coarctatis incluso spiritu, morte pœnam præcurrit. Itaque non ita probatur mihi hæresis eorum, qui Ulpiani verba in l. imperium. ff. de Jurisdict. omn. Jud. ita capiunt, ut omnino hæc historia intelligi non possit, ne-

D que alia infinita in Jure nostro: Ista enim, merum imperium est habere gladii potestatem, non definitio est, 2 sed paradigma, tanquam interjicienda esset particula (ut) quæ exemplorum index est: Merum imperium est, ut habere gladii potestatem: Merum enim imperium amplius, & latius est gladii potestate, cum extendatur ad ea, quæcunque citra causæ cognitionem expediuntur, quæ plurima comprehenduntur sub l. omnia quæcunque causæ. ff. de reg. Jur. Cæterum quoniam Honorariæ jurisdictionis descriptio in hac

E l. imperium. ff. de jurisdictio. omn. Jud. fundanda est, ut reliqua intelligi possint, 2

Explicatal. imperium ff. de jurisdict. omn. jud. *Dicæodotæ.* *Quid merum imperium, & unde sic dictum.*

quæ deinceps consequentur: & ex adverso, ita responsum illud ex historia pendet, ut citra eam parum commode explicari possit: Statuamus ad ejus exegesim Dicæodotarum, id est, jura reddentium officia, merum imperium, mixtum, & jurisdictionem. Merum est, quod cognoscendi, censendique potestate destitutum est, mixto inferius minusque solemne. Dictum merum quasi nudum, simplex, & purum, ut pura toga sine prætexta, aut adjunctione clavorum, & merum purumque 3 vinum sine aqua, quale imperium habent

Legati Tribunorum.

Legati Tribunorum Militum, quos Præpositos vocamus Mareschallorum, quorum interest Reos perquirere, comprehendere, peragere, & summo supplicio afficere, quæ sunt meri imperii; non tamen possunt ex novissimis Principum constitutionibus causas hujusmodi Reorum cognoscere, sed coguntur adhibere Jurisperitos, aut Magistratus proximarum civitatum in consilium, qui causas Reorum cognoscant, & jus dicant. Habent ergo ii imperium nudum sine jurisdictione. Accommodum est huic discrimini arguendo Baillivorum nostratium & Hominum Feudalium (ut vocant) ratio & officium: nam Baillivi habent nudum imperium sine ulla jurisdictione, & Homines Feudales, quos Clientes supra vocavimus, nudam habent cognitionem sine ullo imperio: Tantum enim cognoscunt de causis, & jus dicunt, sed nihil, quod pertineat ad imperium, exercent; unde non citant, non comprehendunt Reos, non in carceres conjiciunt, non supplicio afficiunt, non pignora capiunt, denique nullo modo sententiam suam exequuntur, sed pronuntiatam tradunt mandandam executioni suo Baillivo, qui tum imperium exercet: ubi clarissimum & distinctissimum est discrimen inter imperium merum, & jurisdictionem meram. Illi mandant, jus dicunt, & reddunt, iste lege agit, & exequitur mandata, causa tamen prius cognita per illos; adeo ut hic nihil aliud sit, quam merus exequutor, illi e diverso tantum cognoscunt & mandant faciendum, ut Delegati & Arbitri tantum cognoscunt, nudamque habent cognitionem:

Baillivi. & Homines Feudales

Ordinarii Iudices.

Ordinarii autem sententias Delegatorum 4 & Arbitrorum exequuntur, qua in re nudum tantum exercent imperium, ut etiam cum Delegatos committunt: quod si faciunt cum causæ cognitione, tum mixto utuntur imperio. Et multæ species negotiorum, & causarum afferri possunt ex jure, in quibus is, qui cognoscit, sententiam nec pronunciat, nec exequitur: Quod cum fit, cognitio nuda est, & qui hujusmodi simplicium Cognitorum, & Judicum sententiam exequitur, is mero tantum utitur imperio, cum cognitio, & jurisdictio præcesserit, & ab aliis discussa fuerit.

Meri, mixtique imperii & jurisdictionis exercitia

Prætor in privatis habuit mixtum imperium. Judices solam cognitionem.

Et ut ex veteri historia nostra lex explicetur, olim Prætor Romanus in privatis causis habebat mixtum imperium: De illis enim & cognoscebat, & jus, quod in illis dixerat, exequebatur: In publicis autem, & capitalibus judiciis tantum merum habebat imperium, & Judices solam cognitionem, ut prius dictum est. Et ex historia Judicum, & Prætorum, quæ infra enarrabitur, satis planum evadet: Non potest enim erudi-

A tius 5 thema istius responsi proponi, quam discrimen Prætoris, & Judicum in capitalibus causis, quod idem fere est cum illo, quod inter Baillivos, & Clien. Feudales supra posuimus. Tribuni, cum apud populum causa aliqua agitabatur, merum habebant imperium: Populus autem solam jurisdictionem, quam tabellarius punctis expediebat, sine imperio, & legis actione. Potestas pro mero imperio accipitur. Cic. in procemio pro domo sua: Quod si ullo tempore magna causa in Sacerdotum Populi Rom. judicio, & potestate versata est. En

Tribuni Plebis. Populus. *Potestas.*

B illic judicium pro disceptatione nuda, & potestatem pro mero imperio, & utroque periphrasin mixti expressit: Quod & merum, Pontificium appositive diceremus, a posse 6 & facere: Unde etymon habent Pontifices non tantum in foro collegii Sacerdotum, sed & in prophano usu & non forensi, pro quacunque auctoritate. Plaut. in Rudente:

Judicium. *Pontificium.*

— *Tune Pontifex per jurio es?*

C Gellius cap. XII. lib. I. Sunt non pauci, qui sententiam suam una in parte defixerunt, & re semel statuta deliberataque ab eo, cujus negotium id pontificiumque esset, nequaquam putaverunt contra dictum ejus faciendum. Atqui hujusmodi exemplorum facili propositione sine negotio magno intelligitur sensus istius legis, quam misere veteres perverterunt fingentes gradus in mero imperio, & mixto, arbitrati idem esse merum, quod summum, non sine magno, & pudendo errore.

Error veterum.

D PHILIPPI BRODÆI I. C. COROLLARIUM ad caput primum.

1 Præfecturam) *Quid proprie dicatur Præfectura, explicat Carolus Sigon. lib. 2. de antiquo jur. Italiæ.*

Præfectura.

2 Non definitio est) *Contra Alciat. lib. 2. Paradox. c. 7. Breviter autem dici non potest, quam varie se torquent Interpp. in definitionibus meri, & mixti imperii & jurisdictionis, ut fere sint capita, quot sensus, tot homines quot sententiæ. Multa autem in sententiam auctoris docte scripsit Joannes Gilottus in suprema Curia Parisiensi Senator eximius.*

E 3 Merum purumque vinum) *Unde Martialis quodam Epigrammate.*

Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Sic etiam interpretatur Isidorus l. 2. Etymologiarum c. 41. Nonio autem solum significat: Hinc merula dicitur quasi mera, id est, sola volans, ut ait Quintilianus l. 1. cap. 6. Ita merum jus gentium dicitur a Tryphonio in l. bona fide. ff. depositi. & merum jus l. 37. de adminiſt. Tutor. sic mera ratio, merum officium, quod Theophilus μόνον, *non ut quidam interpretantur nobile.*

Merum, solum.

F 4 Ordinarii sententias Delegatorum) *L. a Divo Pio. ff. de re Jud.*

5 Non potest enim eruditius thema istius responsi proponi) *Vernacula exempla jurisdictionis & imperii proponi possunt de Proprætoribus, Baillivo, & Præposito hujus urbis, nam hic in privatis, ille in publicis im-*

Proprætores, & Scabini urbis Duacensis.

perii exercitionem, Scabini vero utrobique jurisdictionem meram habent.

6 A posse & facere) *Huc etiam apposite, meo quidem judicio, ascribi possunt verba Plutarchi in Numa Pompil. Jam etiam Sacerdotum, quos Pontifices vocant, adscribunt ordines, & primordium Numæ, ajuntque ipsum inter eos Pontificem Maximum fuisse: Inde ducto vocabulo (ut nonnulli volunt) quod Deos curent, qui potestatem, & arbitrium habent omnium rerum. Sunt qui a dictione posse deducant exemptis quibusdam litteris præcipiente Sacerdotibus Legislatore sacrificia facere, quæ possent, nec si quod intervenerit majus impedimentum, fatigante eos maxima pars nomen omnium absurdissimum approbant, neque aliunde, quam a sacris, quæ peragebantur in pontibus sanctissimis, & Antiquissimis hoc cognomen invenisse, quorum tuendorum & reficiendorum, ut cæterorum perpetuorum, & solemnium sacrorum, ad hos Sacerdotes cura pertineat. Ad hanc postremam significationem in Pontificum nostratium nomine allusit Andreas Alciat. in l. tabernæ ff. de verbor. significat. quasi pontem faciant in vitam æternam. Idem tamen lib. 2. Parerg. c. 6. explicat Pontificium pro jure & potestate faciendi, ut Q. Scævola interpretatur Pontifices a posse & facere: Facere autem pro sacrificare apud veteres dictum est. Varro autem a ponte arbitratur.*

Pontificis nomen unde deductum. *Alciatus.* *Facere.*

ARGUMENTUM

CAP. II.

De verbis honorariis, atque primo quæ ad articulum (do) pertinent, quæ meri imperii esse ait.

Verba honoraria.

Atque ut altius ex historia res tota repetatur, Prætoris universa auctoritas tribus verbis continebatur, *Do, Dico, Addico*. Quæcunque sub primo illo comprehensa tenentur, ad merum pertinent imperium: Reliqua duo ad jurisdictionem, quæ si colligantur cum primo, ad mixtum referentur. Dare ergo actiones, & exprimere meri est imperii, omniaque Prætorum edicta, tam recentia, quam translatitia, cujusmodi sunt in ff. plurima, & illud toties repetitum, *Actionem dabo, Actionem non dabo*, ex hoc mero fonte sunt: Inde etiam Publiciana, Pauliana, Serviana, Calvisiana, Velleja, Aquilia, & reliquæ Prætoriæ actiones: adjungo etiam extraordinarias a mero Magistratus officio imploratas, quas persequutiones vocamus, utpote fideicommissorum, & si quæ sint aliæ, quæ non habent juris ordinarii exequutionem, & reliqua, quæcunque citra causæ cognitionem per libellum expediuntur. Itaque jubere cavere Prætoria stipulatione, & in possessionem mittere, imperii magis sunt, quam jurisdictionis. Est liberum Prætori dare, vel negare Ulpian. in l. si finita. §. & eleganter. ff. de damn. infect. Eleganter quæritur, si, dum Prætor de danda stipulatione deliberat, damnum contigerit, an hoc sarciri possit. Actionem dare, 1 est recipere, & admittere, non autem dictare ejus formulam, ut

Persequutiones. *Dare Actionem.*

A quidam putant: Hoc enim quondam Pontif. fuit & postea (furto Flavii Scribæ) Jurisconsulti. & Form. qui ex Commentariis Ælianis, aut Flavianis in certam verborum legem concipiebant, quæ ideo ordinariæ vocatæ, quia solemnes, certæque erant, ut vel syllabam immutare periculum esset, quod lueretur per casum a causa; quod Cicero graviter exagitat in causa Cecinnæ. Sed jam extra ordinem, & periculum jus dicitur, sublata hac verborum lubrica superstitione per desuetudinem, paulatim admissis quomodocunque conceptis actio-

Ordinariæ Actiones quare dictæ. *Formula actionum sublata.*

B nibus, & penitus exacta foro tandem per Constantinum, 2 Theodosium, & Valentinianum Cæsares: adeo ut non referat, directa an utili quis actione agat, an conveniatur, quia (inquit Paulus) in extraordinariis judiciis, ubi conceptio formularum non observatur, hæc subtilitas supervacua est. Actionem dare est, quod Plinius lib. VI. Epist. dicit cognitionem recipere: Recepta (inquit) cognitio est, fui in consilio. Tacitus libro III. Petitum a principe est, ut cognitionem reciperet. Quod faciunt nostri Prætores, cum suas commissiones de-

Cognitionem recipere.

C cernunt ad citandas partes in jus; permittere, & decernere actionem, est dare. Imp. Gordianus: 3 Post annum causa cognita eadem actio in simplum permittitur, quæ causæ cognitio eo pertinet, ut ita demum decernatur, si alia non sit, C. de his quæ metus causa fiunt. Alias etiam dabat actionum formulas, ut interdictorum, in quas sponsiones a Litigantibus committebantur, ni adversus eas factum esset. Cicer. pro Cæcinna: His rebus ita gestis P. Dolabella Prætor interdixit, ut est consue-

Sponsiones.

D tudo, de vi hominibus armatis, sine ulla exceptione, tantum ut unde dejecisset restitueret. Restituisse se dixit, sponsio facta est, hac de sponsione vobis judicandum est. Nam Recuperatores tantum de sponsionibus in edictum factis cognoscebant, cum eorum potestas illigata esset contractæ sponsioni, in cujus verba dabantur. Cic. VII. Actione in Verrem de Agyrinensibus: Quærebant quæ in verba Recuperatores daret. Respondebat, si pateret adversus edictum fecisse. Itaque nec actiones dabant, neque in jus vocabant, aut alias li-

Recuperatores.

E bere merum exercebant imperium, sicut neque jam Delegati, qui quomodo a Recuperatoribus differant, aliquando docebimus: cum illa, quæ meri sunt imperii, delegari non possunt. Non tantum actiones dabantur, sed etiam Recuperatores, quos jam Commissarios vocamus. Eadem VII. Verrina de Servilio: Cogere eum cœpit cum ageret nemo, nemo postularet, H. S. duobus millibus sponsionem facere cum Lictore suo, ni furtis quæstum faceret: Recuperatores de cohorte sua dicit se daturum, Judices etiam a Senatu, aut Popu-

Judices dare.

F lo. Plin. II. de causa Prisci: Novissime Consul designatus Julius Ferox, vir rectus, & sanctus, Mario quidem Judices dandos censuit. Quæ sane ad illud (do) referri debent, cum delegare meri sit imperii: Itaque corrupta est l. imperium: ubi definitur jurisdictio, judicis dandi licentia, cum legendum sit juris dicendi, ut ante adnotatum est: Delegatus enim non delegat. leg. final. ff. de officio ejus

Correcta l. imperii *Quæ reiiciantur.*

ad primum articulum auctoritatis honorariæ. cui mandat. Ad hunc primum auctoritatis honorariæ articulum rejiciuntur, dare bonorum possessionem, dare tutores, mittere in possessionem, manumissionibus operam auctoritatemque interponere, atque etiam adoptionibus, quæ quatenus actus sunt legitimi mero imperio, cum accedit causæ cognitio, mixto exercentur. Sed quoniam in postremis duobus Adoptione, & Manumissione obscurius latet solemnitas dandi, paucis volo ostendatur. *Adoptio & Manumissio.* Cessio quædam 4 fit in jure ejus, qui adoptatur a patre, & ejus qui manumittitur a domino, id est, quædam abdicatio & mancipatio. Gel. l. 5. c. XIX. Adoptantur cum a parente, in cujus potestate sunt, tertia mancipatione in jure ceduntur, atque ab eo, qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, vindicantur. Ita in jure cessus & a nostra familia ejectus filius per Prætorem in alterius potestatem datur, a Patre cedi, a Prætore dari dicitur. Item in Manumissione a domino ceditur, & quasi destituitur, a Prætore datur sibiipsi, ut imposterum suus sit, ut dominus tantum cedat, Prætor autem sua Vindicta det. Persius:

Vindicta postquam meus a Prætore recessi.

Aut pileo, 5 cum in tumultu statim miles conscribendus esset, neque cives sufficerent, ad pileum servi per Imperatorem vocabantur, fuit enim & illud meri imperii:

Et libertatem quam nobis pilea donant.

Verba autem, quæ Prætor concipiebat, erant: *Ajo te jure Quiritium liberum esse*: Quæ cum diceret, servum circumvertebat. Idem Persius:

—— —— Una Quiritem
Vertigo facit.

Verum solemnitas verborum sublata est l. manumissio. ff. de manum. vind. Sed quia in hujusmodi negotiis ultro citroque quasi quidam dialogismus agebatur, & interrogatione Prætoris & responsiones vel manumittendi, vel arrogandi, inde Arrogatio, *Arrogatio.* quæ species Adoptionis nomen sortita est: Est enim arrogare idem quod interrogare. Plautus in Rudente:

—— Accede dum huc, Venus hæc volo arroget te.

id est, interroget, & tibi jusjurandum concepturo voce præeat. Sed ad Adoptionis formam restitutum est vocabulum, circa quæ arrogantur, an velint fieri in potestate arrogantium. Insuper quando Prætor adjuvandi, corrigendi, supplendi juris civilis gratia propter utilitatem publicam edicta sua promulgabat, rursus in primo suæ jurisdictionis 6 capite versatur: Est enim hoc dare jura. Vergil. 1. Æneid.

Tum foribus Divæ, media testudine templi
Septa armis, solioque alte subnixa, resedit,
Jura dabat, legesque viris.

Cui adversum est petere jura, ut relativa sint, & reciproca petere, & dare jura. Curtius l. 5. Hunc exitum habuit Regia totius gentis Orientis, unde tot gentes ante jura petebant. *Petere jura.* Reddere autem & dicere jus magis ad Jurisdictionem pertinent, cum Magistratus consulti, aditique inter Litigantes privatos jus reddunt controversia definita. Plautus in Bacchid. *Reddere, & dicere jura.*

Itur illinc jure dicto.

Curtius lib. VIII. de Rege Indiæ: Cum capillum pectit, atque ornat, tunc responsa legationibus, tunc jura popularibus reddit, id est, respondet consulentibus per libellos supplices & requestas, quod non est edicere: Nam edicere non est dirimere privatorum controversias, sed publicorum jus constituere, & jura generalia sancire. *Edicere.* Quicunque ergo jus edicendi habent, mero præditi sunt, cum edicere idem sit, quod dare jura. Edicendi autem non tantum jus habent Prætores, & Ædiles Curules, sed & Tribuni Plebis. Cicero pro domo sua de Clodio Tribuno: Cum edictis tuis tabernas claudi jubebas, non vim imperitæ multitudinis, sed hominum honestorum modestiam, prudentiamque quærebas. Item & Consules. Idem ibidem de Gabinio & Pisone Coss. Duo inventi sunt, qui Senatum Tribuno furenti constrictum traderent, qui pro me P. C. deprecari, & populo supplices esse edictis, atque imperio vetarent.

Plaut. in Captivis.

Basilicas edictiones, atque imperiosas habet.

Idem ibidem:

Euge, edictiones Ædilitias hic quidem habet.

Ubi edictiones dixit pro edictis. Edictis affinia sunt Imperatorum Rescripta, quæ quanquam in certa litis specie responderentur, tamen non rei judicatæ, aut præjudicii, sed legis perpetuæ, & constitutionis principalis vim habebant, ex quibus in certas rubricas digestis Codex noster conflatus est: non enim litem cognoscebant, sed quasi de omnibus constaret, quid juris esset, in tali themate sanciebant. *Ddictiones pro edictis Rescripta.* Ideoque si de facto ambigeretur, sub conditione rescribebant, tanquam jurisdictionem ei Magistratui, qui consuluerat, permittentes, præscripta formula juris, quam in dicendo, vel abdicendo sequerentur, ut satis Rescriptorum stylus arguit, in quem concepti sunt. Plinius Secundus lib. 1. Epist. ad Trajanum: Solemne mihi est, Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius, vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Nam cum infracta esset Proconsulum, Prætorum, Præsidum, in provinciis auctoritas Cæsarum tyrannide, non ut olim libera Republica jure suo edicta proponebant, quæ vim legis haberent in iis,

quæ cauta jure nondum essent, sed rem dubiam, causæque historiam, in qua hærebant, libello ad Cæsarem referebant, quibus ex consilio Jurisconsultorum quid juris esset rescribebatur. Tryphonius in ff. de distract. pignorum: Rescriptum est ab Imperatore, libellos agente Papiniano, creditorem a debitore pignus emere posse, quia in dominio manet debitoris. Et in l. item veniunt. §. Pridie. ff. de petitio. hæredit. l. sed addes. §. fin. ff. locat. Imperator Antoninus cum Divo Severo ad libellum exceptoris rescripsit in hæc verba: Unde merito Rescripta vocantur, quæ etiam Subscriptiones. Principes enim hujusmodi libellis, & precibus privatorum subscribebant. Antoninus l. 1. C. quomodo & quand. Jud. sentent. profer. debeat, &c. Non semper (inquit) compelleris, ut adversus absentem pronunties, propter subscriptionem patris mei. Subscribebant & Cæsares sententiis capitalibus. Tranquil. in Nerone: Cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur, quam vellem, inquit, nescire literas. Porro non tantum in precibus & libellis privatorum subscribendis occupabantur Cæsares, sed etiam relationibus judicum rescribebant, unde dictæ sunt Relationes in jure nostro, quarum forma describitur in tit. de relationib. Quæ Relationes etiam dicuntur Consultationes apud Ulpian. in l. 1. ff de appellat. ut mirum mihi videatur, divisos esse in Codice nostro titulos de appellationibus, & relationibus, cum in ff. confusi sint, & commixti. Subscriptionum autem aut rescriptionum imperialium, atque etiam libellorum Imperatoribus offerri solitorum formas expressas habemus apud Plin. lib. x. Epist. Unde jam non dubito, quin Rescripta Cæsarum in Codice nostro sint integra, & perfecta, quanquam brevissimis nonnunquam contineantur: nam aliquando manca, & accisa putavi, & ex justis rescriptis detracta, propter inscriptionem l. si Barsatoram. C. de fidejus. quæ est ejusmodi: Pars epistolæ Gordiani Augusti ad Auxium. Sed fortassis tum pluribus libelli prolixioris articulis rescripserat, epistola in totidem partes fracta. Huc facit etiam legis Actio, 7 quæ meri est imperii, neque apud eos est Magistratus, qui solam cognitionem habent, cujusmodi sunt Recuperatores, Judices, Delegati, Legati Proconsulum: nam cum cognitio conclusa sit litis contestatione, & sententia, legis Actio cognitione exclusa est: Itaque lege agitur ante judicium acceptum, & post latam sententiam, cum petuntur, dantur, negantur actiones, submoventur translatione, aut alia exceptione non peremtoria. Cic. 1. de Oratore: Cum egisset lege in hæreditatem paternam testamento exhæres filius, quæsitum est de jure civili, possetne paternorum bonorum exhæres esse filius. Agere lege dixit pro intendere actionem ex capite legis duodecim tabularum, quo filius patri succedit. Valer. lib. VII. Egregia Pisonis Præfecti urbis constitutio: cum enim ad eum Terentius ex octo filiis, quos in adolescentiam perduxerat, ab uno in adoptionem dato exhæredatum se querelam detulisset, bonorum adolescentis possessionem ei dedit, hæredesque lege agere passus non est, id est, actionem proponere ex capite duodecim tabularum, quo scriptus hæres mitti debet in possessionem hæreditatis. Nam ante Prætorem constitutum omnes actiones ex quodam legis capite per Pontifices deducebantur, in quo quasi fundatæ erant: Hinc legis Actiones dictæ Pomponio Jurisconsulto. l. secunda. ff. de Origine juris: Factum est, ut in aliis actionibus lege agi deberetur, & legis actio apud eum Magistratum esset, qui actionem propositam dare vel negare poterat, ut Actio legis jam non plus mysterii habet, quam actio data a Prætore, cum commissionem adjornamenti (ut vocant) concedit: Nam post litis contestationem non actio, sed judicium vocatur, ut post sententiam, adjudicatio, id est, sententiæ exequutio. Ulpian. 8. in ff. de verb. signific. Multam dicere is potest, cui adjudicatio data est, & quæ proprie est Adjudicatio in realibus, in capitalibus est legis Actio. Valerius lib. III. Deligatis ad palum hostibus literas a P. C. nequicquam Capuanis salutares accepit: In sinistra manu enim sicut erant traditæ reposuit, ac jusso Lictore lege agere, tum demum aperuit, postquam illis obtemperari non poterat. Lege agere, quod Cicero alibi dicit facere judicatum, id est, exequi, implereque latam sententiam. Plautus in Mercatore:

Subscriptiones.

Subscribebant Cæsares sententiis capitalib.

Relationes.

Consultationes.

Legis Actio.

Quando lege agitur.

Lege agere.

Judicium Adjudicatio.

Facere judicatum.

— EUTYC. *Imo dicamus senibus leges.*
CAR. *Censeo.*
Prius habeamus quas leges teneant, contentique sint.
EUT. *Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus.*
Seu maritum, sive hercle adeo cœlibem scortarier,
Cum eo nos hic lege agamus; inscitum arbitrabimur.

Id est, pœnas legibus indictas infligemus, & legem in eum exequemur. In eo significatu capitur apud Tacitum lib. XII. Divus Augustus apud Equestres, qui Ægypto præsiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi jusserat, ac si Magistratus Rom. constituissent. Itaque mulctam vel pœnam infligere ad primum caput pertinet, quod totum in imperio est mero.

COROLLARIUM AD CAP. II.

1 Actionem dare est recipere) *Hoc etiam addendum videtur, quod hæc verba actionem dare, aut judicium dare, aut non dare, ita restringi nequaquam debeant, ut solum de Prætoris actionibus intelligantur (ut quidam putant) nam Prætor actiones tam civiles, quam suas honorarias dabat, aut negabat, quod ex Actionibus Ciceronis in Verrem manifestum fit.*

2 Exacta tandem per Constant.) *L. 1. & 2. C. de formul. & impet. act. sublat. Sed Franciscus Duaren. non uno loco docet hoc tit. non agi de sublatione impetrandæ actionis a Collegio Pontificum, ut putavit Accurs. Nam hæc ante Impp. diu exoleverat, sed illa posteriori, quæ fiebat ab ipso Prætore.*

3 Imperator Gordian.) *l. si per vim. C.*

Actionem dare

Tit. Cod. de formulis & impetrationibus actionum.

de his quae vi aut met. cauf.

4 Cessio quaedam fit in jure) *Has solemnitates in adoptionibus olim observatas sustulit Justinian. Imp. l. ult. Cod. de adopt. Alias adoptionum formas juri nostro ignotas per Arma, per Comam sive Capillos, per Sacras Preces & Baptismum enumerat Petrus Pithoeus adversar. succes. l. 1. cap. 1. Ut autem aliquid curiosae ejus diligentiae addatur a nobis, Adoptio per arma fieri intelligitur (ni fallor) in locis ab eodem allatis, & conquisitis, quando quibusdam solemnibus adhibitis Nobilis quispiam Tyrocinium Militis, Equitisque edit, accingitur, induiturque armis, & calcaribus, cervixque a Principe percutitur, & percollatur ense, quo tanquam vindicta emancipatur, & liberatur, nos* recevoir l'accolee de Chevalerie *dicimus. Per Comam vero, & Capillos, quando quis Episcopo, aut ejus Suffraganeo praesentatur, ut in Clericorum albo cooptatur, cui tunc decurtatur capitis vertex, & detunditur caesaries, nos Tonsuram inde vocamus. Per Baptisma autem sive Sacras preces notum est: nisi malumus per sacras preces intelligere impositionem illam manuum, & inunctionem sacram, quam Confirmationem vocant: nam in his omnibus fit & contrahitur quaedam consanguinitas, & filiatio inter Candidatos, & Cathecumenos, atque Praesentatores, Susceptores, & Patronos, quos idcirco Patrimos, & Compatres nominari puto in utraque militia. Alium etiam Adoptionis modum veterem adfert ex Ennio, Cascos, Alciatus libro quarto, cap. tertio, Parerg. jur. Sed non est hujus loci. Haec si quis omitti debere urgeat, dicam non indecore in Foro prostare, siquidem & in Basilicis varia & peregrina venalia erant, per me autem Sigillaria sunto. De manumissione multa habet Zazius ad l. secundum. de Origine juris. Idem Alciat. l. 239. de verborum significatione.*

Petrus Pithoeus. Adoptio per arma. L'ordre de Chevalerie. Adopt. per Comam. Per Baptisma. Per sacras preces. Cascos. Sigillaria.

5 Aut Pileo) *Egregium exemplum est apud Livium libro quarto secundi belli Punici Volonum a Gracchio manumissorum, qui pileati lana alba velatis capitibus epulati sunt: Olim tamen pileati servi vaenibant, quorum nomine venditor nil praestabat, ut est apud Gell. l. 7. cap. 4. Noct. Att. ex sententia Caelii Sabini J. C.*

Volones. Pileati servi.

6 Rursus in primo suae jurisdictionis capite versatur) *Alciat. Joan. Longoval. & Zazius putant, legis condendae aut sanciendae potestatem, neque imperii, neque ullius jurisdictionis esse, cum in ea sancienda nec partes, nec Judex, aut judicium interveniant.*

7 Legis Actio) *Quis dicatur in jure Magistratus, apud quem sit legis Actio, & quaedam ad hoc caput pertinentia, vide apud Alciatum lib. 3. cap. 2. Parerg. jur.*

Apud quem l. Actio.

8 Ulpian.) *L. aliud. §. item multam. quae est. l. 131.*

ARGUMENTUM

CAP. III.

Duo alia Praetoris verba prosequitur, quae ad jurisdictionem nudam accommodat, tum in postremo vulgatam lectionem.

HActenus paucis perstrinximus, quid haberet mysterii primum illud ex tribus honorariis vocabulis, postrema duo (dico, & abdico) ad nudam jurisdicundi licentiam omnino referuntur: Imperium enim neque in dicendo, neque in abdicendo consistit. Nam adduci non possum, ut conjungam prima duo (do, dico) ut illud 1 in rem, hoc in personam actiones complectatur. Tertium ad exequutionem pertineat, cum dare tantum energiae habeat, quantum ostendimus: dicere vero qui ad Actiones pertinet? Ubi enim Praetor promittit in edicto se actionem dicturum? Quid Praetorem dico? Quis unquam Latinus actionem dicere usurpavit? Sane dare actionem latinissimum, dicere in eodem sensu nusquam, & vix in alio. Quod si ita res habet, postrema conjungenda sunt, & primum mero imperio relinquendum, quae si legantur, ut pridem receptum a vulgo est, dico, addico, non video, quam sententiam parere possint, cum dicere sit idem, quod sententia addicere, ideoque posterius segne esset. Pompon. J. C. in Enchiridio juris: utpote cum Brutus, qui primus Romae consul fuit, vindicias secundum libertatem dixisset in persona Vindicis Vitelliorum servi, id est, adjudicasset ei libertatis possessionem, interea dum domini causam dicerent. Idem paulo ante: Initium fuisse secessionis dicitur Virginius quidam, qui cum animadvertisset Appium Claudium contra jus, quod ipse ex veteri jure in 12. tab. transtulerat, vindicias filiae suae a se abdixisse, & secundum eum, qui ab eo suppositus in servitutem petierat, dixisse. Quo in loco dicere vindicias, quid aliud est, quam adjudicare possessionem? Dicere secundum aliquem vindicias, aut alicui addicere tantum syntaxi differunt: Itaque putarem ista verba sic habenda scribendaque, do, dico, abdico, non addico, ut dico, & abdico simplicis sint jurisdictionis, ut illud adjudicare sit, hoc abjudicare, illud reddat suum cuique, hoc alienum auferat. Sed adjudicare & abjudicare magis affectus sunt priorum, ut illa ad jurisdictionem, haec ad exequutionem & imperium pertineant: Idcirco ad primum referenda, ut illic multam dicere is potest, cui adjudicatio data. l. aliud est. ff. de verb. signifi. Cicero 2. in Verrem: Nulla res tam avita, tam patria cujusquam fuit, quae non ab eo imperio istius abjudicaretur. Significantissime & aptissime imperium usurpavit, ut res prius sententia & jurisdictione abdicaretur, dehinc imperio mero abjudicaretur: Ista enim relata inter sese mutuo, ita se habent, ut causa & effectus. Leno apud Plautum in Rudente:

Dico, abdico. Dicere actionem. Quomodo legenda verba Praetoris. Abdico.

Abjudicata a me modo est Palæstra.

Et si addico legeretur, adhuc exequutio juris dicti non significaretur: nam dicere multam dicimus, quam si velimus exigere exequuturi judicatum, an hoc erit addicere? ut non possimus negare, quod addicere sæpissime significet adjudicare, ut in XII. tabulis 2 debitores creditoribus addicti, & in venditionibus addictio in diem, cum intra diem certum implendus est contractus rei traditione, & quasi in exequutionem mittendus. Ita mancam futuram Prætoris jurisdictionem, si per addictionem exequutio significetur, contendimus. *Addictio in capitalibus.* Dictum, imperatumque est alicui exilium sententiis Judicum, num Prætor, cum exequetur, addicet? Aut Triumviri, cum strangulant conjuratos, an addicunt? Quin e diverso in Capitalibus addicere jurisdictionis est, non imperii, cum quis addicitur morti sententiis Judicum. Cicero III. de officiis: Cum is qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum gratia postulasset, &c. Esset ergo exequutio sententiarum ita dividenda, ut civilis per addico, altera per do designaretur. Quod quia absurdum est, præstat simplicem jurisdictionem absolvere his duobus dico, abdico, quæ adversa omnino mero imperio, quod & potestatem vocant. Porro illa etiam Latino proprioque vocabulo diceretur Cognitio, *Cognitio.* cum qui eam habent nihil aliud ex officio quam cognoscant: Jurisdictio autem nomen sit generis. 3 Dicetur & Disceptatio, *Disceptatio.* cum Disceptator idem sit cum Cognitore, & Compositore litis. Livius libro I: Tarquinius monitus a proximis, ut purgaret se, quod id temporis venisset, disceptatorem ait se sumptum inter patrem, & filium causa reconciliandi eos in gratiam. Jus autem dicere, reddere, finis est cognitionis. *Cognitionis natura.* Cognitionis autem ejusmodi est ingenium, ut nihil a Judice præter causæ æquitatem desideret: Ita ab ipso nihil aliunde ex auctoritate & imperio admiscetur. Est enim hic mercenarium ejus officium, & constrictum in imperio, nobile, & liberum. Et qui cognitioni voluntariæ præest, partibus exigentibus necesse habet jus reddere, aut jurare sibi non liquere. *Juramentum non liquere.* Gell. cap. 11. lib. XIV. de causa dubia, in qua pronuntiare cunctabatur: ut absolverem tamen (inquit) in animum ducere non quivi, & propterea juravi mihi non liquere, atque ita judicatu illo solutus sum. *Dare voluntariæ Jurisdictionis.* Dare autem actionem, interponere sese adoptionibus, manumissionibus, nemo cogitur: Hinc illa ad Populum formula in Arrogationibus: *Velitis, jubeatis Quirites, ut L. Valerius Lucio Titio tam jure, legeque filius sit, &c.* Tranquillus in Julio de Adoptione vel potius Arrogatione Clodiana: Cicerone quondam in judicio deplorante temporum statum, P. Clodium inimicum ejus, frustra jam pridem a Patribus ad Plebem transire intentum, eodem die horaque nona traduxit. Ubi cogi non potuit superior Magistratus, vel Pontifex, ut Clodium ad Populum deduceret. *Mixtum imperium.* Si autem simul comprehendantur ista tria vocabula, prorsus mixti imperii officia referent, quod ex utroque conflatum

A est, nam quod dare possit a mero habet, quod dicere, & abdicere a jurisdictione: Est enim mixtum summa jurisdictio & plena, quæ non tantum in sententia, verum in cæteris extra ordinem postulationibus vacat. Tranquillus in Nerone: In jurisdictione, postulationibus, nisi sequenti die, & per libellos, non temere respondit. Ulpianus in l. nec quicquam. §. ubi decretum. ff. de offic. Proconsul. & Leg. Omnia, quæcunque causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt. Ubi per libellum 4 merum imperium, per causæ cognitionem mediam jurisdictionem interpretamur, per utrumque simul conjunctum, mixtum imperium.

B

COROLLARIUM AD CAP. III.

1 Ut illud in rem, hoc in personam) *Do, dico.* *Contra Alciat. in leg. pecuniæ. ff. de verb. significat. §. actiones, primum, do, ad Actiones, quibus rem dari petimus, secundum, dico, ad facta, vel rei vindicationem refert: uti etiam Joan. Gilottus lib. 2. cap. 6. de jurisdict. & imper. & Joannes Brodæus lib. 3. cap. 17. Miscellaneorum.*

C

2 Debitores creditoribus addicti) *De hac addictione Cæcilius J.C. disserit contra Phavorinum Philosophum apud A. Gellium libro 20. cap. 1. Noct. Atticarum, & nos quædam dicemus lib. quinto hujus historiæ.* *Addictio.*

3 Jurisdictio nomen sit generis) *Si enim Jurisdictionem consideremus, ut etiam imperium contineat, & sententiæ dictionem, latius patet Cognitione: nam hæc, exclusa sententiæ dictione, appellatur l. solet. de offic. Proconsul. l. cum hi. §. 10. de transact. ff. quæ & Disceptatio dicitur eadem l. circa fin. Notio tamen latissime patet, utpote quæ cognitionem, & jurisdictionem contineat. l. notionem. quæ est 99. ff. de verbor. significatione. l. ait Prætor. ff. de re judicata.* *Jurisdictio. Cognitio. Notio.*

D

4 Ubi per libellum) *Communis DD. interpretatio est hujus versiculi, quod quæ causæ cognitionem desiderant, delegari non possunt, ubi per libellum judicem delegatum intelligunt. Quod absurdum esse docet And. Alciat. l. 2. Paradox. cap. 3. interpretaturque cum Budæo pro requesta, aut libello supplice. Joan. Faber tamen §. omnium. de pœna temere litigantium, & post eum Joan. Imbertus in suis institutionibus Forens. glos. cap. 2. l. 1. intelligunt expediri per libellum, id est, per jussum, mandatum, aut commissionem in libello, & scriptis contentam, quæ accedere ad opinionem Auctoris videntur. Vide etiam hujus §. interpretationem apud Jacob. Revard. l. sing. pro tribunal. cap. 8.* *Interpretatio versic. l. 9. de offic. Proconsul. & Legat.*

E

F

AR-

ARGUMENTUM CAP. IV.

De Juris speciebus, Ciceronis Nomothesia, Prætorum Jurisdictione, Origine, Nomine, & Auctione.

HOc mixto imperio præditus insignisque est Prætor Rom. in privatis litibus, in quibus jure suo uti potest: nam cum tres essent juris Positiones, Sacrum ad Pontifices, Publicum ad Senatum Populumque Romanum, Privatum ad Prætorem, pertinuit: cujus Interpres, Custos, Administer, & Exequutor est. Auso.

Juris species.

Jus triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ
Sacrum, & Privatum, & populi commune quod usquam est.

Prætor.

Itaque M. Tullius lib. III. suæ Nomothesias, cum Prætorem juri privato præficit hoc aphorismo. *Juris Disceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, Prætor esto, is juris civilis Custos esto, huic potestati parento.* Mirari ego satis non possum, magnos hujus tempestatis viros, & imprimis eruditos, eam concepisse opinionem de legum capitibus per Aphorismos descriptis in Dialogis de legibus apud Ciceronem, ut existimarent esse 1 ex XII. tabul. Cujus erroris initium attulerunt quidam, cum temere sparsos per auctores legum Decemviralium articulos in fascem colligerent, quasi legum exoletarum elenchon nobis repræsentaturi: nam simul cum miscellaneis fragmentorum, Ciceronis leges intruserunt, decepti formularum similitudine, & verborum veterum gravitate. Et quamquam formula eadem sit, sunt enim in aphorismos & certa capita, tanquam versus, & carmina distinctæ, tamen verba non ita prisca, ut in veteribus illis sacratisque legibus: & tamen quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora, ut ipse testatur auctor II. Dialogo. Accedit quod est longe gravissimum auctoris consilium in eo libro: nam cum sex de Repub. libris formam quandam futuræ civitatis constituisset, quam rebatur ad felicitatem commodissimam, Platonem imitatus, Nomotheticen, id est, legum ferendarum rationem, & peritiam subjunxit. Itaque leges, quibus suam politiam fundaret, de suo ingenio commentus est, similes pene legibus Romanis, quoniam Romanæ Reipub. formam ex Democratia & Aristocratia conflatam maxime probaverat in libris de Repub. aliqua tamen sed pauca mutavit. Sic enim ait lib. III. Cum descriptio Magistratuum sapientissime moderatissimeque esset constituta a majoribus nostris, nihil habui sane, non modo multum, quod putarem novandum in legibus. Et libr. II. profitetur se earum auctorem. Leges (inquit) a me edentur non profectæ, nam essent infinitæ, sed ipsæ rerum summæ, ac præsentiæ. Argumento etiam locupletissimo sunt Platonica procemia, quibus non esset opus ad commendandas, vel excusandas leges, si jam pridem latæ, & observa-

Leges Ciceronis.

Ciceronis consilium in Dialogis de legibus.

A tæ fuerant. Et ut sit quædam ex XII. tabulis mutuatus, plurima tamen sunt, quæ a Platone habet, maxime in Elencho juris Pontificii lib. II. Sunt & alia lib. 3. ex jure quidem Romano, sed diu post XII. tabulas constituto, ut Aphorismus supra adductus: nam reliquos non excutiemus tanquam parergus. Hunc ergo nemo quisquam acceptum ferre potest Decemviris, invita & adversa veritatis temporumque ratione. Prætoris enim hæc occasio creandi fuit. Consules olim in Senatu, Castris, & Foro occupabantur, sed cum domo fere semper B evocarentur ad finitima bella, neque Forensibus interesse possent, detracta est iis hæc oneris pars, & novo Magistratui imposita, quem Prætorem appellaverunt, translato a Castris vocabulo ad res forenses togatasque. Olim enim Prætor exercitui præerat, unde Prætorium & Prætoriani milites. Juvenalis:

Creatio Prætoris

Prætor castrensis Magistratus.

Quid si vidisset Prætorem in curribus altis
Extantem.

C Hoc est, Imperatorem triumphantem ex curru. Posteris deinde temporibus togatus, & domesticus fuit: Itaque temere olim Consulem, 2 & Prætorem sine discrimine vocabant. Hinc nomen Prætoris in XII. tabulis pro Consule causas cognoscente de addicto debitore. *Inter eos dies trinis nundinis continuis, ad Prætorem in Comitium producito, quantæque pecuniæ judicatus erit, prædicato.* Et Cicero in Nomothesia: *Regio imperio duo sunto, iique præeundo, judicando, consulendo, Prætores, Judices, Consules appellantor.* Ubi obiter anD notanda vocabuli etymologia a præeundo. 3 Constitutus vero est anno 4 circiter LXXXII. a Decemviris. Primum unicus ex gente Patriciorum, tandem improbitate Tribunorum communicata est Prætura Plebi, primusque Q. Publius Philo ex Plebe Prætor factus. Auctor Livius lib. X. Sed cum unus non sufficeret Urbanus, aucta litium turba simul cum Populo, additus est alter, qui quia inter Peregrinos, Inquilinos, Advenas, reliquosque, qui cives non essent, jus diceret, Peregrinus vocaE tus est. Deinde bellis Punicis capta Sardinia, Sicilia, Hispania, deinde Narbonensi provincia, totidem Prætores, quot provinciæ in ditionem venerant, creati sunt, ad eas regendas. Sed l. Sempronia 5 C. Gracchus certas provincias Senatui, certas item Populo assignavit, illæ Consulares, hæ Prætoriæ vocabantur, quod quos Senatus præfecisset Proconsules essent, quos populus rogante Tribuno Prætores: idque quotannis fiebat: Cicero pro domo sua in Clodium. Tu Provincias Consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non F modo non abstulit a Senatu, sed etiam, ut necesse esset constitui per Senatum, decreta lege sanxit, eas lege Sempronia per Senatum decretas rescidisti? extra ordinem sine sorte nominatim dedisti, non Coss. sed Reipublicæ pestibus. Sortibus obveniebant Provinciæ, & iterum alteris sortibus Quæstores Magistratibus. Cicero in Divinatione: Cum cœperit commemorare Quæstoris cum Prætore necessitudinem

Prætor pro Consule.

Prætor unde dicitur.

Primus Prætor e Plebe. Urbanus.

Peregrinus. Provincialis. L. Sempronia. Provinciæ Consulares & Prætoriæ

Sortitio Provinciarum.

constitutam, morem majorum, sortis religionem, poterisne ejus orationis subire invidiam? Verum Tiberius Cæsar populo jus decernendarum Provinciarum abstulit, retulitque ad Senatum, ut Tacitus testis est. Itaque Prætores ex eo desierunt in Provincias mitti, sed Proconsules per Senatum, Præsides aut Rectores per Cæsares, data auctoritate Prætorum Præsidibus. Vopiscus in Probo Cæsare: accepto hoc Senatusconsulto secundum orationem permisit Patribus, ut ex magnorum Judicum appellationibus ipsi cognoscerent, Proconsules crearent, Legatos Consulibus, jus Prætorium Præsidibus darent, quas leges Probus ederet, Senatusconsultis propriis consecrarent. Hactenus sex Prætores, duo Urbici, quatuor Provinciales, quibus L. Cornelius Sylla quatuor addidit, deinde C. Julius Dictator duos. Suetonius in ejus vita: Prætorum, Quæstorum, Ædilium, minorum etiam Magistratuum numerum ampliavit. His Octavius quatuor adjecit. Post deinde Claudius Cæsar duos, qui, quia de fideicommissis, & legatis jus dicebant, Fideicommissarii appellati sunt. Ex quibus unum detraxit Titus, ideoque unius fit mentio l. 11. Institut. titu. de fideicom. hæred. Adjecit decimum octavum Nerva Coccejus Imperator, qui inter fiscum, & privatos jus diceret. Testis Pomponius l. 11. de origine juris. Nam antea Procuratores Cæsaris fisci causas cognoscebant. Tranquillus in Claudio. Ut rata essent, quæ Procuratores sui in judicando statuerent, precario exegit. Ex quibus constat successu temporis auctum fuisse numerum Prætorum & tempore Ciceronis duodecim fuisse. 6 Itaque versiculus ille ex ejusdem legibus, qui duci potuit a XII. tabulis, *quotcunque Senatus creverit, tot sunto?* sed utilitatem a se constitutæ Politiæ contemplatus ex moribus sui sæculi in elenchon transtulit.

Proconsules Præsides. *Explicata l. Ciceronis.*

COROLLARIUM AD CAP. IV.

1 Ut existimarent esse ex XII. tab.) *Multa in hanc sententiam contra Eguinar. Baronem scripsit Franciscus Duarenus in Apologia, quæ de jurisdict. & Imper. inscribitur.* *(Eguinarius Baro.)*

2 Temere olim Cons. & Prætorem) *Quod confirmat Livius lib. 3. ab V.C. dum refellit opinionem eorum, qui ex l. Horatia putabant Coss. sacrosanctos esse: nam his temporibus, ait Consulem nondum Judicem, sed Prætorem appellari moris fuisse.* *(Prætoris nomen.)*

3 A præeundo) *Varro, & Cicero a præeundo, quasi præitor; Livius, & Pomponius a præessendo derivant, sed discrimen leve est. Vide etiam Theophilum. §. Prætorum, de jur. natur. gent. & civili.* *(Unde dictum.)*

4 Constitutus vero anno) *Primum creatus fuit Prætor Sp. Furius Camillus M. filius L. Sextio primo ex Plebe, & L. Amilio Mamerco Coss. anno V.C. CCCLXXXVII. post latas duodecim tabulas LXXXII. annos secundum Eusebium, qui editas putat anno CCCIV. Gell. tamen l. 20. c. 1. Noct. Att. asserit latas fuisse CCC. anno ab V.C.* *(Primus Prætor.)*

5 Sed lege Sempronia) *Quot Provinciæ in ditione Populi Rom. a quibus, quove anno captæ sint, tum quæ Consulares, quæque Prætoriæ fuerint, explicat Paul. Manut. lib. de legibus.*

6 Tempore Ciceronis XII. fuisse) *De Prætorum numero varie disputatur inter doctos. Idem Paulus Manutius in Epist. ad Q. Fratrem & alio loco multis contendit, tempore Ciceronis ante Dictaturam Cæsaris solum fuisse octo Prætores. Contra vero Nicolaus Grucchius libro primo de Comitiis Rom. probare nititur decem aut plures fuisse. Penes doctum judicium esto.* *(De numero Prætorum.)*

ARGUMENTUM

CAP. V.

De Regibus, Duumviris, Tribunis, Ædilibus, & Censoribus, & de ipsorum Jurisdictione.

Ante Prætorem 1 in urbe jus primum dixerunt Reges, quorum manu utriusque juris, publici scilicet, & privati ratio gubernabatur, cum nulli omnino essent Magistratus præter Tribunum Celerum, qui Castrensis magis erat, quam Forensis: ita tamen ut regni species pura puta non esset, sed confusa cum Democratia, Populo suus honor tribueretur, curiatimque in rebus gravioribus in consilium mitteretur, ut in causa Horatii Tergemini, quam dixit pro sororis cæde; ubi a Rege Tullo, & Duumviris ad populum provocatum est novo quodam & inusitato posteris exemplo, cum potestas Regia summa sit, perduellionis tamen damnatus a Rege, & Duumviris, per populum absolutus est. Ubi annotandum, Duumviris fuisse commissam hanc capitalem causam contra eos, qui negant hujusmodi causas demandari. Jurisdictio quidem demandata est, sed non jus exequendi merumve imperium. Exactis Regibus Consules successerunt, qui vicem Regum subeuntes privatum jus per se administrarunt, publicum cum populo, & Senatu. Itaque l. Valeria, 2 ab eis qui provocaverat, virgis cædi, securique necari prohibebatur. Si quis tamen adversus eam fecisset, nihil ultra quam improbe factum adjecit, ut narrat Livius: qui mos etiam tempore Cæsarum servabatur, ut non animadverteretur in civis caput, nisi Cæsar subscripsisset, in quem populus lege Regia suam omnem potestatem transfuderat. Tranquillus in Nerone. Et cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut de more subscriberet, rogaretur, quam vellem (inquit) nescire literas. Anno decimo septimo 3 a constitutis Consulibus, Plebs in monte sacro Tribunos sibi creavit, qui & cognitionem aliquam causarum habuerunt. Dionys. Halicarnasseus: Postquam Plebeii ex sacro monte in urbem descenderunt, petierunt a Senatu, ut permitteret sibi bonos viros plebejos quotannis creare, subministrantes Tribunis omnia, quorum indigerent, judicantesque eas causas, quas eis permitterent, quos ministros Tribunorum, Collegas, Judicesque vocaverunt. Quod fortassis intelligendum est de appellationibus, 4 quæ ad Tribunos fiebant, si quis male acciperetur in Foro. Cicero pro Quintio: Negat Alphenus æquum esse Procuratorem satisdare, quod Reus satisdare non deberet, si ipse adesset. Appellantur Tribuni, quibus cum es-

Reges. Tribuni Celerum. Status Rom. Reipub. tempore Regis. Populus. Provocatio a Rege. Duumviri. Consules. L. Valeria. Subscriptio Cæsaris. Tribunorum Plebis creatio. Cognitio Tribunorum.

A set certum auxilium petitum ita disceditur, &c. Livius lib. II. Contemptim primo Marius audiebat minas Tribunitias auxilii, non pœnæ jus illi datum potestati. Gellius cap. XII. libr. XIII. de Labeone Antistio: Cum a muliere quadam Tribuni plebis adversus eum aditi, Gellianum ad eum misissent, ut veniret, & mulieri responderet. Deinde paulo post: Quærentibus nobis, quamobrem Tribuni, qui haberent summam coercendi potestatem, jus vocandi non habuerunt, illud occurrit, quod Tribuni plebis antiquitus creati videntur, non juri dicundo, nec causis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent, ut injuria, quæ coram fieret, arceretur. Hactenus ille. Jus autem dicebant in Basilica Porcia. Plutarchus in Catone Uticensi: Verum præter appellationum querelas, quas causas cognoverint, non mihi liquet, nisi animum referamus ad Ædiles plebejos, quos permissas a Tribunis causas cognoscere ex Halicarnasseo diximus. Quas autem cognoverunt, ex subselliis videndum. Gellius cap. VI. libro decimo de Claudia Appii filia: Ob hæc mulieris verba tam improba, & tam incivilia C. Fundanus, & Tib. Sempronius Ædiles plebeii multam dixerunt ei æris gravis XXV. millia. Poterant etiam iniqua pondera corrigere, mensuras minores frangere & multare.

Ubi jus dicebant.

Ædiles Plebeii.

> *Et de mensura jus dicere, vasa minora*
> *Frangere pannosus vacuis Ædilis ulubris.*

Plautus in Rudente,

> —— *Neptunus ita solet, quamvis fastidiosus*
> *Ædilis est, si quæ improbæ sunt merces, jactat omnes.*

Ædiles etiam aleæ lusibus præerant. Martial.

> *Nec timet Ædilem moto spectare fritillo,*
> *Cum videt egelidum jam prope verna latus.*

Plautus in Menæchmis, ubi Causidicus de Cliente:

> *Ita detinuit apud Ædiles præliis factis plurimis,*
> *Pessimisque dixi causam.*

Cornel. Tac. lib. II. Eodem anno gravibus Senatus decretis libido fœminarum coercita, cautumque ne quæstum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus Eques Rom. fuisset. Nam Vestilia Prætoria familia genita licentiam stupri apud Ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant. Ad quem locum facit Tranquil. in Tiber. Fœminæ famosæ, ut ad evitandas legum pœnas jure, ac dignitate matronali exolverentur, lenocinium profiteri cœperant, & ex juventute utriusque ordinis profligatissimus quisque, quo minus in opera scenæ arenæque edenda Senatusconsulto tenerentur famosam judicii notam sponte subibant. Eos easque omnes, ne refugium in tali fraude cui-

quam esset, exilio affecit. Tranquillus in Augusto: Negotium Ædilibus dedit, ne quem paterentur posthac in Foro Circove, nisi positis lacernis togatum consistere. Sed accisa est Ædilium auctoritas 5 sub Cæsaribus. Tacitus lib. VIII. Cohibita est arctius Ædilis potestas, statutumque quantum Curules, quantum Plebeii pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent. Et Coriolanus apud Plutarchum damnatus a Scinio reliquisque Tribunis est, & imperatum Ædilibus, ut de saxo eum præcipitarent. Ubi significantur Plebeii: nam Curules, cum Senatorii essent, Senatui, qui impensissime tuebatur Coriolanum, favebant: ut verum sit, Ædiles Plebejos fuisse quasi administros Tribunorum. Pomponius 6 vero J. C. etiam eos templo Cereris præfecit his verbis: Itemque ut essent, qui ædibus præessent, in quibus omnia scita Plebs deferebat, duos ex Plebe constituerunt, qui etiam Ædiles appellati sunt. Cic. l. III. de legibus legum custodiam mandat Censoribus. *Censores fide legem custodiunto, Privati ad eos acta referunto, nec eo magis lege liberi sunto.* Deinde subjicit ad finem dialogi, has leges non fuisse Rom. usitatas. Legum (inquit) custodiam nullam habemus. Itaque hæ leges sunt, quas Apparitores nostri volunt, a Librariis petimus, publicis Literis consignatam memoriam publicam nullam habemus. Græci hoc diligentius, apud quos Nomophylaces creantur. Cujus dialogi epilogus satis indicat non absolutam esse 7 Nomotheticen, sed desiderari alios dialogos, quibus jus privatum explicatum erat: quos si teneremus bona pars istius historiæ commodius enarrari potuisset, quoniam in paucis a moribus Rom. discedit Tullius. Occasio legum a Græcia allatarum Decemviros constituit, quibus exclusis rursus Coss. jus dixerunt. Sed cum improbe peterent Tribuni Consulatum Plebi communicari, Tribuni militares Consulari potestate creati sunt, tandem Prætor, & Ædiles Curules.

Accisa Ædilium potestas. *Ædiles templo Cereris præfecti.* *Censores.* *Nomophylaces.* *Nomothetice Ciceronis* *Decemviri.*

B C D

COROLLARIUM AD CAP. V.

1 Ante Prætorem) *Prætor hic generalius accipitur pro Consule & Prætore, ut supra adnotatum est capite præcedenti, imo Dictatorem comprehendit, ut in l. vetusta:* qui Prætor maxim. fit Idibus Septembris clavum pangat. *De qua Livius lib.* 7.

Prætor pro Conf. & Dictatore.

2 Itaque L. Valeria) *De legibus Valeriis infra commentabimur lib.* 5.

3 Anno XVII. a constitutis Coss.) *Prima enim secessio Plebis in sacrum montem cœpit anno CCLIX. ut ait Cicero pro Rabirio perduellionis reo, anno XVI. reges exactos, finita est autem anno CCLX. Tribunis Plebi concessis.*

Prima secessio Plebis.

E

4 De appellationibus quæ ad Tribunos fiebant) *De his quædam etiam dicemus lib.* 5.

F

5 Accisa est Ædilium auctoritas) *Aliud exemplum addi potest de Claudio Cæsare, qui coercitionem popinarum Ædilibus ademit, quod quidam Ædilis inquilinos prædiorum suorum contra vetitum cocta vendentes mulctasset, villicumque intervenientem flagellasset, ut testatur Sueton. in vita ejusdem cap. 38. nam antea Tiberius annonam Macelli Senatus arbitratu*

Clodius Ædilium potestatem minuit.

quotannis temperandam censuerat, dato Ædilibus negotio, popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sineret.

Ædilium varia munia.

6 Pomponius J.C. etiam templo Cereris) *Senatusconsulta etiam servabant, ut testatur Livius libro tertio ab V.C. & a cura ædium putat Ædiles appellatos libellus, qui de magistratibus inscribitur sub nomine Fenestellæ, quorum plura munia vide ibidem. De creatione autem Halicarnasseum libro sexto.*

Libri Ciceronis de legibus non absoluti.

7 Satis indicat non esse absolutam Nomotheticen) *Vel ex eo satis colligitur, Ciceronis libris de legibus Colophonem additum non fuisse ab ipso auctore, licet ante bellum civile scripserit, quod in albo suorum non asscribat l. 2. de Divinatione in principio, uti alios fere enumerat. Verisimile est, ita hos posthumos post mortem Ciceronis in forulis repertos & editos.*

ARGUMENTUM

CAP. VI.

De Prætoris insignibus, & ornamentis Triumphantium, ac de variis Tunicis, Curuli, & Ædilibus.

Prætoris insignia.

CÆterum ut aliquando Prætoris descriptio absolvatur, cum jus pro tribunali diceret, certa quædam & augusta insignia usurpabat, quibus persona honoraria illa Plebeiis, & cæteris admirationem pareret, ut cum bello indicto Jani portam aperiret, Quirinalem Trabeam, cinctumque Gabinum, cum triumpharet, Trabeam, Togam pictam, aliaque triumphalia. Nam & apud Poetas Reges jura daturi aliter, quam in castris, aut domi, ornantur. Vergil. VII. Æneidos:

Hoc Priami gestamen erat, cum jura vocatis
More daret populis, sceptrumque, sacerque tiaras.

Prætura Consulari dignitati proxima.

Proxima autem fuit prætura Consulari splendori, dispar fortassis solo fascium numero: nam ornamenta Regibus detracta Coss. data sunt, & tandem Prætoribus communicata. Tranquillus in Julio. Nihilominus permanere in Magistratu, & jus dicere ausus, ut competit paratos, qui vi, & per arma prohiberent, dimissis Lictoribus, abjectaque prætexta domum clam refugit, pro conditione temporum quieturus. Asconius pro Scauro: Cato Prætor judicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. In Forum quoque sic descendebat, jusque dicebat. Idque reperierat & vetere consuetudine, secundum quam & Romuli ætatis statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt togatæ sine tunicis. Et Catonem Uticensem nudis pedibus sine toga causas etiam capitales cognovisse, auctor Plutarchus in ejus vita. Quod mirum videri possit, cum inter res memoratu dignas repositum sit.

Prętexta Pretoris.

Sciendum est olim Prætores prætextatos quidem sedisse, sed cum capitalis sententia proferenda erat, prætextam deposuisse. Valerius libr. IX. de Licinio Macro causam repetundarum dicente: siquidem cum M. Ciceronem, qui id judicium cogebat, prætextam ponentem vidisset, misit ad eum, qui diceret, se non damnatum periisse, nec sua bona hastæ posse subjici. Quod a Romulo profectum existimo: nam Plutarchus in ejus vita dicit, eum posita prætexta in tunica & Trabea contra Reum in judicio capitali pronuntiasse. Itaque si Senatores, in tunica lati clavi, si Plebeii, in tunica vulgari capitis sententiam fulminabant. Fuerunt enim & Prætores ex Plebe. Livius lib. X. apud quem P. Decius Mus Consul ex plebe: Multa nobiscum decora afferimus, imo eadem quæ vos superba fecerunt. Lucius Sextius primus de Plebe Consul factus est, Claudius Licinius Stolo primus Magister Equitum. C. Martius Rutilius primus & Dictator, & Censor, Q. Publius Philo primus Prætor.

Prætexta ex Capitolio sumebatur.

Hanc vero prætextam sumebant ex Capitolio publice. Lampridius in Alexandro: Prætextam & togam pictam nusquam nisi Consul accepit, & eam quidem quam de Jovis templo alii quoque accipiebant aut Prætores, aut Consules. Alias ab Imperatoribus mittebatur per ministros. Ausonius ad Gratianum: In procinctu & maxime dimicaturus palmatæ vestis meæ ornamenta disponis feliciter, & bono omine; namque iste habitus, ut in pace Consulis est, sic in victoria Triumphantis: parum est, si qualis ad me trabea mittatur interroges, te coram promi jubes, nec satis habes, ut largitionum ministri ex more fungantur, eligis ipse de multis, & cum elegeris, munera tua verborum honore prosequeris. Palmatam (inquis) tibi misi, in qua Divus Constantinus parens noster intextus est. Deinde hæc est picta, ut dicitur, vestis, non magis auro suo, quam tuis verbis.

Picta, palmata, & triumphalis eadem.

Ergo picta, & palmata, triumphalis eadem, & auro intexta. Juvenalis.

Et latum pictæ vestis considerat aurum.

Trabea. Prętexta triumphorum.

Nam ornamenta Triumphaturorum capiebantur ex Capitolio. Hinc dicta est Tunica Jovis trabea triumphalis. Quod autem Prætexta Triumphantium fuerit, Valerius testis est libro quinto, de Scipione majore Legato fratris Asiatici. Itaque clarissimorum cognominum alterum sumpsit, alterum dedit, triumphique prætextam hujus excepit, illius tradidit. Idem libro septimo de Metello. Fortuna Consulatus decus, Imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextam largita est. Tranquillus in Tiberio: Triumphum ipse distulit mœsta civitate clade Variana, nihilominus urbem prætextatus, & laurea coronatus intravit.

Cornelii Taciti locus.

Quod plurib. exemplis firmandum fuit, quod sint, qui contendant, Triumphantes non usos prætexta ex Cornelii Taciti verbis libr. XII. Et ludicro Circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veste transvecti sunt. Spectaret populus hunc decore Imperatorio, illum puerili habitu, & perinde fortunam utriusque præsumeret. Sed quis non videt, prætextam puerilem intelligi debere? Est & quod urgere posset apud Tranquill. in Claudio: Currum ejus Messalina uxor carpento secuta est, sicut & triumphalia ornamenta

eodem bello adepti, sed cæteri pedibus, & in prætexta. Ubi fortassis prætexta non datur Triumphanti propter adversativam particulam. Florus lib. I. epitomes: Neque Tarquinius Priscus pace, quam bello promptior; duodecim namque Thusciæ populos frequentibus armis subegit, & inde Fasces, Trabeæ, Curules, Annuli, Paludamenta, Phaleræ, Prætexta: Inde quod aureo curru triumphatur quatuor equis, Togæ pictæ, Tunicæ palmatæ, omnia denique decora & insignia, quibus imperii dignitas eminet. En rursus prætexta a toga picta separatur. Sed alia fuit triumphalis, alia urbanorum Magistratuum, ut hi loci de domesticis prætextis, alii de triumphalibus intelligantur, quas easdem diximus cum pictis, palmatis, sicut tunica quædam est Laticlavii, id est, Senatoria, altera Vulgaris, tertia Triumphalis, quæ & Trabea, Tunica Jovis, Tunica palma vocatur. Curulem etiam Prætor habuit communem cum Consule, sicut & Comitia majora apud Gellium 2 Consulis Collega, de qua quia alibi commentati 3 sumus, tantum adjiciemus ex Livio lib. VII. hæc: Non patientibus tacitum Tribunis pro Consule uno plebejo tres patritios Magistratus curulibus sellis, prætextatos tanquam Coss. sedentes nobilitas sibi sumpsisset: Prætorem quidem etiam jura reddentem, & Collegam Consulibus, atque iisdem auspiciis creatum. Intelligimus autem Prætorem, & duos Ædiles Curules, qui etiam prætextati erant. Et quia ex sellis eboreis jus dicebant, Curules vocati. Hi particulam juris honorarii tractabant prodito edicto, ex quo in actionib. emptorum redhibendorum, & quanti minoris, controversias dirimebant. Cujus edicti verba extant in ff. ad tit. de ædil. edicto. Præterea annonam, ludos, & ædificia curabant. Cic. III. de legibus, *Sunto Ædiles curatores urbis, annonæ, ludorumque solemnium*. Posteri sane plebeiis, nimirum post Decemviros constituti. Sed cum eundem Magistratum in sua Nomothesia Plato instituat, putem tamen Ciceronem magis a moribus Romanorum, quam a Platone suam desumpsisse: aut Rom. Legatos ex ejusdem Philosophi libris mutuatos, cum utrique Romæ fuerint instituti ante Platonem, qui vixit circa annum ab Urbis natali quadringentesimum. Item Aphorismum de Curulibus satis indicat non esse ex XII. tabulis ratio temporum, cum Curules anno demum post 4 illas LXXXII. primum creati sint.

Prætextæ variæ. Tunicæ variæ. Curulis. Ædiles Curules. Plato quando vixit.

COROLLARIUM AD CAP. VI.

1 Dispar fortassis solo fascium numero) *Coss. enim duodecim fasces, Prætores urbani binos, Provinciales senos præferebant: de quibus latius in Paralipomenis.*

2 Apud Gellium) *Lib. 13. c. 14. ex M. Messala l. 1. de auspiciis. Adde Cicer. l. 9. ad Atticum in quadam epistola, quæ incipit: Tres epistolas.*

3 Commentati sumus) *Supra lib. 1. c. 6. nostræ historiæ.*

4 Anno demum post illas) *Anno CCCLXXXVII. fuere creati primum Ædiles Curules. Hic annus insignis novi hominis Consulatu, Prætura, Ædilitate Curuli: hos sibi Patritii quæsivere honores pro concesso Plebi altero Consulatu. Hæc Livius in initio libri VII. Primi autem Ædiles Curules fuerunt Cn. Quintius Capitolinus, & P. Cor. Scipio, sed variant auctores in computatione anni, quo editæ fuerunt XII. tabulæ. Nam Eusebius ait, latas fuisse anno ab U. C. CCCIV. Gellius autem CCC. ut supra adnotavimus.*

Fasces Coss. & Prætorum. Ædiles Curules quando primum creati. Leg. xii. tab.

ARGUMENTUM

CAP. VII.

Divisione facta judiciorum, progreditur ad eos, qui jurisdictionem habent in Quæstionibus, & quomodo Prætor in Publicis præerat.

DUplex est judiciorum ratio: quædam enim publica, alia privata sunt. De publicorum Disceptatoribus, tanquam magis seriorum 1 & graviorum, prius dicamus. Reges ergo primum, deinde populus, tandem Cæsares summum jus in publicis habuerunt. Populus cum auctior numero esset, neque Comitio, Foroque concludi facile posset, & cum multitudine judiciorum idem vix quotidie coiret ad causas publicas disceptandas suffragiis, constituit sibi Judices, qui eo munere fungerentur. Cic. VII. Act. in Verrem de sociis vexatis loquens: Ad Populum Rom. confugient? Facilis est causa Populi, legem enim causa Sociorum jussisse, & ejus legis custodes, & vindices præposuisse dicet. Idem Cic. pro Flacco: Quem alium appellem? Et paulo post: An Populum Romanum? At is quidem omnem suam potestatem de bonis tradit vobis. Judicibus loquitur. Sed quo tempore, & a quo lata sit illa lex, nusquam legere memini. Hoc unum scio, post XII. tabulas latam: nam ante eas Quæstores parricidii publicis præerant, & quorum etiam fit in XII. tabulis mentio, in quorum vicem successerunt Prætores, qui quamvis (ut docuimus) cognitionem non haberent, sed merum imperium, non Prætores (quod magis privata respicerent) sed veteri nomine 2 Quæstores vocati sunt a conquirendis maleficiis, ut putat M. Varro IV. de ling. Lat. Et quærere proprium pro præesse. Cic. pro Rabirio: Accusavi de pecuniis repetundis, Judex sedi, Prætor quæsivi. Quæsitores etiam dicti plano vocabulo. Cic. pro Fontejo: Quid mihi opus est sapiente Judice? quid æquo Quæsitore? quid Oratore non stulto? Vergil.

Quæsitor Minos urnam quatit.

Sed & inquirere pro quærere in maleficiis usurpatum est. Curtius lib. VI. De capitalibus rebus Reges vetusto more Macedonum inquirebant. Itaque Quæstiones pro publicis judiciis intelligi cœperunt, quæ olim extraordinariæ erant, cum novæ subinde delatis novis criminibus constituerentur, tandem quædam cœperunt esse perpetuæ. Cicer. in Dialogo de claris Oratoribus cum loquitur de Carbone: Hic optimus illis temporibus est habitus, eoque forum tenente plura fieri judicia cœperunt:

Judiciorum divisio. Judices quando. Quæstores parricidii. Quærere. Quæsitores. Inquirere. Quæstiones. Quæstiones ordinariæ quando.

[A] nam & quæstiones perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt, quæ ante nullæ erant. Perpetuæ, id est, ordinariæ, non autem triginta, quadraginta aut centum annorum, ut sæpe jure nostro.

Perpetuæ quæstiones.

Factæ autem sunt perpetuæ legibus latis de sicariis; de falsis, parricidio, injuriis, quas L. Cornelius Sylla promulgavit. Hinc leges Corneliæ, quibus adjunxit Pompejus de parricidiis, C. Julius de repetundis, adulteriis, majestate, vi, & vi armata, peculatu, ambitu, annona, residuis. Est & lex Flavia de plagiariis.

Nova quæstio.

[B] Si vero novum crimen & inauditum, ita ut de eo legibus cautum non esset, deferebatur, nova lege lata quæstio constituebatur, ut in causa Milonis nova lege quæstionem exercuerunt Pompejus & Cn. Domitius. Item in aliis omnino novis maleficiis. Cic. II. Philipp. Quid enim attinebat nova lege quæri de eo, quod hominem occidisset, cum esset legibus quæstio constituta?

Constituere judicium.

Dicitur etiam constituere judicium, eodem plane sensu, pro eo quod est dare actionem, & futuræ causæ processum seriemque ordinare. Fab. lib. III. Rarum est, ut in Foro [C] judicia solum propter id constituantur, sicut Divinationes, quæ fiunt de Accusatore constituendo, & nonnunquam inter Delatores, uter præmium meruerit.

Quæstionis lex.

Quomodo autem constitutionis lex conciperetur, extat apud Pædianum exemplum in Milonianam, ubi quæstioni de Clodii cæde a Senatu decretæ Cn. Domitius Quæstor præpositus est: Accusatori & Reo præstituta tempora dicendi, Testibus & suus dies dictus, numerus Judicantium finitus, &c. Hinc profectum legibus interrogare, de quo alias. Cic. pro domo sua: [D] Esto, non fuit in me pœna ulla peccati, at fuit judicii. Cujus? quis me unquam ulla lege interrogavit? quis diem dixit?

Quando extra ordinem cognoscebatur.

Si vero usque adeo immane crimen erat, ut Judicum cognitione gravius esset, tum de eo judicium non constituebatur, sed extra ordinem Senatus, vel populus cognoscebat, ut Catilinariorum conjuratio, quæ per Ciceronem Consulem ad Senatum delata, tam diligenter, & feliciter peracta, & perorata est, ut Senatusconsultum capitale decerneretur; ex quo quinque in [E] carcere strangulati, reliqui hostes patriæ judicati coacti sunt in exilio cum duce Catilina occumbere, collatis cum altero Consule C. Antonio signis. Plin. in causa Marii Prisci lib. II. Marius Priscus, accusantibus Afris, quibus Proconsul præfuit, omissa defensione Judices petiit. Ego & Cornelius Tacitus adesse Provincialibus jussi, existimavimus fidei nostræ convenire notum facere Senatui, excessisse Priscum immanitate & sævitia crimina, quibus dari Judices possent, cum ob innocentes condemnandos, interficiendos, etiam pecunias [F] accepisset. Respondit Fronto Catius, deprecatusque est, ne quid ultra repetundarum legem quæreretur.

Senatus legitimis quæstionibus non interfuit

Ex quibus notum est, Senatum legitimis quæstionibus non interfuisse, sed extraordinariis: illis autem dedisse Judices. Tranq. in Domitiano: Auctor Tribunis pleb. fuit Ædilem sordidum accusandi repetundarum, Judicesque in eum a Senatu petendi. Idem in Claudio: Negabat rem cognitionis esse, sed juris ordinarii, id est, causa cognita deliberandum esse, danda sit actio, nec ne. Quod fit in rebus recens natis & inauditis, quando ordinaria actionis forma nulla extat, & nova aliqua concipienda est rei oblatæ, & præsenti accommoda: hinc tit. in Pandect. de extraord. cognit. natus est.

Extraordinariæ quæstiones.

Atque etiam puto extra ordinem habitas, quæstiones recte vocatas, quæ videntur cognitiones majorum rerum & argumentorum solemnes, & seriæ dispunctiones, & disquisitiones apud majores Magistratus, quæ cognitiones recte dicerentur Anacrises, [B] quasi probe expensæ, & sæpius repetitæ rerum discussiones, ut Justinianus in Novellis Græcis, constitutione 142.

Anacrises.

quas etiam recte fortassis vocaremus Revisiones, cum Senatuum aresta iterum discutiuntur, & expenduntur propositis certis errorum capitibus, quod in Curiis & Parlamentis sæpissime usitatur.

Revisiones.

Verum Anacrises proprie in jure nostro, & apud Rhetores usurpantur in causis capitalibus, cum Rei legibus interrogantur, Testes audiuntur, & Reis (ut dicitur) confrontantur, vel [C] etiam cum Rei torquentur; nam totus ille capitalis discursus Anacrisis 3 vocatur: unde facere anacrisim in l. Divus. II. ff. de custod. reor. est facere processum rei accusati, quæ Latine quæstio vel inquisitio etiam recte diceretur.

Anacrisim facere.

Prætor autem hujusmodi quæstiones capitales constituebat, & exercebat sine ulla cognitione tamen, Judices autem cognoscebant tantum sine ulla judicii exercitatione, & imperii.

Causa publica dignoscatur.

Inde est, quod in veterum Oratorum Orationibus plurimis, quæ ad nos beneficio Librariorum primum, deinde Calcographorum [D] transmissæ extant, ad Judices convertatur Actio, quod quoties fit, id argumento est, causam esse publicam, Judicumque tabellis esse disceptandam.

Disceptatores.

Itaque in privatis secus appellantur Disceptatores, ut in causa Quintiana: C. Aquili, & ii qui tibi in concilio adsunt; in Cecinniana Recuperatores.

Prætor in publicis quomodo præerat. Exercere judicium

Prætor autem ita præerat, ut in legem quæstionis non juraret, neque tabellam haberet, sed in reliquis imperio uteretur, ut supra diximus. Atque dum ita Judicibus præesset in imperio Prætor, judicium exercere dicebatur. Cic. ad finem pro Ar[E]chia Poeta: Quæ de Fori judicialique consuetudine, & de hominis ingenio, & communiter de ipsius studio loquutus sum, &, Judices, spero a vobis in bonam partem accepta, ab eo, qui judicium exercet, certe scio. Ita accipitur in l. I. ff. de of. ejus cui man. est jur. Videntur errare Magistratus, qui cum publici judicii habeant exercitationem Lege, vel Senatusconsulto delegatam, veluti lege Julia de Adulteriis, & si quæ sunt similes, jurisdictionem suam mandant. Hujus rei fortissimum argumen[F]tum est, quod lege Julia de vi nominatim cavetur, ut is, cui contigerit exercitatio, possit eam, si proficiscatur, mandare.

COROLLARIUM AD CAP. VII.

Publica judicia cur privatis priora.

1 Tanquam magis seriorum & graviorum) *Præter hanc rationem ordinis, alteram superius statim in capite operis posuimus, quod etiam publica judicia præcedere debent, quia in his de criminibus agitur,*

quæ natura & tempore priora sint iis quæ in privatis tractantur; statim enim doli capaces facti prius delinquimus, quam contrahamus, testemur, & judicio sistamur: quam adfert Joan. Berberius in suo viatorio juris, quod prius de criminibus tractet, quam de contractibus, testamentis, & judiciario ordine.

Joan. Berberius.

2 Sed veteri more Quæsitores vocant) *Hoc tamen notare est operæprecium, quod Quæsitorum duo fuerunt genera, aliquando enim idem Quæsitor sive Judex quæstionis erat, & Prætor, ut in causa Cluentii, in qua Quintus Voconius idem Prætor, & Judex quæstionis fuit: Quandoque Judex quæstionis, sive Quæstor erat e Judicum numero, qui Prætor non erat, ut in judicio Oppianico Quæsitor sive Judex quæstionis fuit C. Junius (Judicem enim quæstionis & Quæsitorem vocat Cicero) Prætor autem C. Verres: Sic nequaquam semper fuit idem Prætor & Judex quæstionis, ut putavit Budæus, sed plerumque diversi. Prætor autem in iis, quæ imperii erant, fere impediebatur, veluti Judices cogere sortitionem, aut subsortitionem facere: Judex autem quæstionis circa cognitionem versabatur, non secus quam in privatis Judex a Prætore datus.*

Quæsitorum duo genera. *Prætor Judex quæstionis.*

3 Anacrisis vocatur) *Anacrisis est examinatio negotii, quæ per delati interrogationem fit. Alciatus l. 1. Parerg. cap. 6.*

Anacrisis quid.

ARGUMENTUM

CAP. VIII.

De Judicum Decuriis, & Legibus judiciariis, & quomodo variatum sit in illis.

Judices. *Decuriæ* *Centuriæ* *Centuriones.* *Decuriones.* *Decuria pro albo.* *Decuriæ quot militum capaces.*

JUdices ergo publicorum Disceptatores, non ut Centumviri ex Tribubus, sed olim quidem ex Senatorum collegio petebantur, qui in Decurias per census modum distributi vicibus judicandi munus obirent, & vicissim ab eodem vacarent. Ut enim majoribus Comitiis populus in Centurias ex censu distinctas digerebatur, ita Judices in Decurias, cum illæ inferiorum sint, hæ honestiorum, teste Asconio III. Verrina. Utrumque tamen a Castris exisse videtur, ubi Centuriones, qui centum præfecti sunt, Decuriones qui decem: & in Coloniarum deductionibus decimus quisque consilii publici gratia a Triumviris electus Decurio vocatur Pomponio in juris enchiridio: Sed & illud etiam ex decimationibus exercituum migravit. Verum quanquam Decuria proprie decadem significet, tamen sæpius pro albo quodam, & libello, ubi in varios, sed tamen certos numeros Militum & Judicum nomina referebantur, Catalogos, Matriculas, & Rotulas vocamus, & decuriatos milites, id est, relatos in numeros, immatriculatos. Cicero pro domo sua: Cum desperatis Ducibus decuriatos, & descriptos haberes exercitus perditorum. Tranquillus in Tiberio Decurias Equitum appellat, non quod decem continerent, sed numeros, album, & catalogum: nam ante Tiberium singulæ Decuriæ singula millia Equitum continebant, quæ tamen ab eodem auctæ sunt concesso jure aureorum annulorum: auctor Plinius major lib. III. Ita usurparunt Latini Centurias extra Castra Comitiis centuriatis, pro actis censualibus, ubi per Censores descriptæ classes eorum erant, qui censum parem haberent, quæ tamen modo majores, modo minores erant, ut ex descriptione classium apud Livium dici potest. Decuriæ ergo album, in quo descripta erant per classes Judicantium nomina. Tranquillus in Claudio: Cum Decurias rerum actu expungeret: de Judicibus loquens, id est, cum Judicum catalogum recenseret, ut Censores, & postea Principes populi Centurias recognoscebant. Idem in eodem: Splendidum virum, Græciæque provinciæ principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo Judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Idem in Domitiano: Equitem Rom. ob reductam in matrimonium, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit Judicum albo. Idem auctor album Citharœdorum in Nerone dixit, & apud Ciceronem II. de Oratore album Fastorum pro Ephemeride, quam Almanach vocant: Erat historia (ait ille) nihil aliud, quam annalium confectio, cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum, usque ad P. Mutium Pontificem Max. res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Max. afferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi. Et titulus lib. 50. ff. de albo Decurion. scriben. Album Senatorium dicitur. Tacitus lib. IV. Apidium Merulam, quod in acta Divi Augusti non juraverat, albo Senatorio erasit. Pictacium pro albo etiam dictum est. Lampridius in Alexandro Severo: De promovendis etiam sibi annotabat, & perlegebat cuncta Pictacia, & sic faciebat diebus pariter annotatis, & quis, & qualis esset, & quo insinuante promotus. In albo vero Judicum tot erant Decuriæ, quot classes & ordines diversi Judicantium, ut Decuria Senatorum, Decuria Equitum, Decuria Tribunorum Ærariorum. Plinius libro tertio: Decuriæ quoque ipsæ discretæ pluribus nominibus fuerunt, Tribunorum æris, Selectorum, & Judicum. Et paulo post: Divisus hic quoque ordo erat superba usurpatione nominum, cum alius se Nongentum, alius Selectum, alius Tribunum appellaret. Senatores igitur primum ante Gracchorum tempora 1 soli judicarunt, neque omnes, sed qui decuriati essent in albo, propter morum integritatem. Cicer. pro Roscio Amerino: Qui ex civitate in Senatum propter dignitatem, ex Senatu in hoc consilium propter severitatem delectis estis. C. autem Gracchus Tribunus Plebis popularis nimis, & præfracte Patribus adversus, neque rerum a fratre Tiberio tentatarum infelici exitu fractus, sed fraterni fati futurus vindex, præter leges Agrarias ei genti fatales, & Frumentarias, Judiciariam etiam tulit, qua judicandi auctoritatem, quæ ante in peculio solius Senatus fuerat, Equitibus 2 transtulit. Servilius autem Cæpio Conf. XXII. annos post legem Gracchanam dum studet conciliare ordinem Senatorium cum Equestri, aliam legem tulit de communicandis inter Senatores, & E-

Album. *Pictacium.* *Variæ Decuriæ* *Senatores.* *C. Gracchus l. judiciariam tulit.* *L. Servilia.*

quites judiciis. Sed hæc Servilia parum duravit, rediviva, & vigente iterum Gracchana: quod vel ex eo 3 manifestum, quod M. Livius Drusus XV. annis post legem *Livia.* Gracchi, qui fuit natalis Urbis DCLXII. iterum Serviliam suscitavit, judiciis utrique ordini communicatis. Verum nec hæc Livia longæva fuit: nam L. Martius Philippus Drusi inimicus eodem anno obtinuit, ut Drusi leges, tanquam contra auspicia latæ, tollerentur uno S. C. ut testatur Cicero libro III. de legibus. Anno dein elapso lex Plotia lata est, quam tulit M. *Plotia.* Plautius Sylvanus Tribun. Pleb. anno secundo belli Italici, ut singulæ tribus denos quinos crearent, qui eo anno judicarent, sic pro parte judicia cum Senatoribus & Plebe communicata sunt. Tribus & quadraginta annis post Gracchanam L. Cornelius Sylla, non minus Patribus addi- *Syllana.* ctus, quam Gracchus suæ Plebi, rursum statuit, ut soli Senatores id muneris perfungerentur: auctor Asconius. Tacitus lib. XII. de Claudio: Claudius omne jus tradidit, de quo toties seditione, aut armis certatum, cum Semproniis rogantibus Equester ordo in possessione judiciorum locaretur, aut rursum Serviliæ leges Senatui judicia redderent, Mariusque & Sylla olim de eo vel præcipue bellarent. Exactoque decennio Aurelius Cotta Prætor Sena- *Aurelia.* toribus adjecit Equites, & præter Gracchi beneficium etiam Ærarios Tribunos. Cic. in Divinatione: Populus Rom. tametsi multis incommodis, difficultatibusque affectus est, tamen nihil æque in Repub. atque illam veterem judiciorum vim, gravitatemque requirit: judiciorum desiderio Tribunitia potestas efflagitata est, judiciorum lenitate ordo alius ad res judicandas postulatur. In quem locum sic Pædianus: 4 Gracchus legem tulerat, ut Equites Roman. judicarent, judicaveruntque per annos triginta sine infamia. Post victor Sylla legem tulerat, ut Senatorius ordo judicaret, & judicavit per annos decem turpiter. Nunc Aurelius Cotta legem tulit, ut Senatores, Equites, & Tribuni Ærarii simul judicent. Et hoc est quod Cicero dicit, alium quoque ordinem ad judicandum postulari. Hæc ille. De sordibus Senato- *Senatorum sordes.* rum cum soli judicarent, Cic. secunda Verrina: Omnia non modo commemorabuntur, sed etiam expositis certis rebus agentur, quæ intra decem annos, posteaquam judicia ad Senatum translata sunt, in rebus judicandis nefarie flagitioseque facta sunt; cognoscet ex me Pop. Rom. quid sit, quamobrem cum Equester ordo judicaret annos prope quinquaginta continuos, nullo Judice Equite Romano judicante ne tenuissima quidem suspicio acceptæ pecuniæ ob rem judicandam constituta sit: quid sit, quod judiciis ad Senatorium ordinem trans- *Discrepantia temporum.* latis, &c. Quarum sordium frequentissima est mentio in Verrinis, quod occasio mutandorum Judicum in incude esset. Sed ratio temporum inter Ciceronem, & Asconium Interpretem non constat: ille enim quinquaginta, hic triginta interjectos annos numerat a Graccho ad Syllam, ut in alterius 5 codice menda suspecta sit, quæ frequens incidere solet in notas temporum, & summarum vitio Librariorum.

A In illo a Sylla ad Cottam 6 decennio habita Oratio pro Roscio Amerino, ut satis ex ea constat, & Actiones in Verrem, cum legem adhuc meditaretur Cotta, reliquæ apud Judices ex Senatoribus, Equitibus, & Tribunis conflatos peroratæ: nam nihil immutatum usque ad Julii dictaturam, cum a Foro feriari cœpisset M. Cicero, & se totum ad Philosophiam tractandam contulisset, ut in Præfationibus operum Philosophicorum satis idem auctor indicat. *Oratio pro Roscio Amerino. Actiones in Verrem.*

B

COROLLARIUM AD CAP. VIII.

1 Senatores primum, &c.) *Hoc probat Dionysius, qui judicia Patritiis a Romulo tributa esse, & Polybius, qui judicia in potestate Senatorum fuisse testatur lib.* 6.

2 Equitibus transtulit) R*ecte dicit translatam esse judicandi potestatem Equitibus, non autem communicatam Senatoribus, ut quidam putaverunt lapsi auctoritate Plutarchi, qui in vita Gracchorum ait, legem a C. Graccho latam, ut trecenti* C *Equites simul cum trecentis Senatoribus judicarent, quod ex Paterculo, Appiano, Asconio, Floro, Cicerone, & Tacito falsum deprehenditur, qui cum sint testes omni exceptione majores, unius singularisque Plutarchi fidem elevant. Allegandis autem & recitandis eorum auctoritatibus supersedemus, dum brevitati studemus, præsertim cum sciamus hunc locum diligentissime discussum a Paulo Manutio libr. suo de Legibus. Hunc tamen locum præterire intactum non potuimus, ne quis dum in* D *hunc Plutarchi locum incidit, tanquam ad scopulum impingat. Ejusdem Plutarchi lapsus in vita Fabii, & Antonii, cum denarium Roman. dragchmæ, libram minæ æquat, Budæi calculum conturbavit, & errandi causam præbuit, ut in his legibus judiciariis, ubi legem Servilii, aut Drusi pro lege Gracchi accipit, quod facile accidit homini Græco, dum in civitate, & moribus Romanis tanquam peregrinus versatur. Nonnullas alias in eundem notas vide etiam apud Joan. Bodinum in sua elegantissima, & doctissima historiæ methodo* E *cap. 4. præter quas sacrosanctam ipsius Plutarchi auctoritatem puto.* *Plutarchus reprehenditur.*

3 Quod vel ex eo manifestum fit) *Hoc etiam probari posse videtur ex eo, quod C. Norbani hominis seditiosi causa apud Equites solos agitata fuit, parvo tempore post Servilii Cæpionis Consulatum, quod ex Ciceronis 2. de Oratore palam fit, sic enim Crassus: Et animos Equitum Rom. apud quos tum causa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, a quo erant ipsi propter judicia abalienati, revocabant.* *C. Norbani causa coram Equitibus acta.*

4 Sic Pædianus) *Operæpreciúm hic etiam videtur Lectorem admonere erroris* F *Asconii, qui hic etiam in numero, & ordine legum judiciariarum fallitur, non enim post Semproniam sequuta est immediate Syllana, quod videtur innuere, sed Servilia, Livia sive Drusi, Plotia sive Sylvana inter Gracchi & Syllæ leges intervenerunt mediæ, quod patet etiam ex textu.* *Pædiani lapsus.*

5 Ut in alterius codice menda sit) *Apud Asconium legendum videtur quadraginta,*

ginta, quanquam si exactius velimus calculum subducere, a judiciaria Gracchi usque ad Syllæ legem, inveniemus tres & quadraginta annos. Sed hoc familiare ipsis auctoribus, ut pleno & perfecto numero utantur, quo citius tempus exprimant. Sic etiam apud Ciceronem quinquaginta legi potuerunt, cum hac dictione prope, quæ diminutionem & imperfectionem denotat, nec tam exactam rationem temporum habendam putant, quin plus minus interdum, imo sæpe addant aut detrahant summæ, quo facilius, & rotundiore vocabulo exprimant; quod alias etiam factum notavit idem Asconius ab ipso Cicerone in Oratione pro Cajo Rabirio, & sic conciliari Ciceronem cum Asconio puto.

Ciceronis oratio pro Roscio quando ab eo habita.

5 In illo ad Cottam decennio) *Ex Gellii 15. lib. cap. 28. apparet Ciceronem defendisse Sextum Roscium reum parricidii L. Sulla Felice, & Q. Metello Pio Coss. cum jam natus esset Cicero annos septem & viginti. Quo loci reprehenditur a Gellio Cornelius Nepos. Is autem fuit annus V. C. DCLXXIII. ipso anno videlicet quo Sulla legem tulit judiciariam. Actiones autem in Verrem habitæ sunt a Cicerone tempore, quo Aurelius Cotta l. Aurelia judicandi munus inter Senatores, Equites, & Tribunos Ærarios partitus est, Cn. Pomp. & M. Crasso Coss. Quod ex ipso Cicerone liquet, sic enim l. 5. in Verrem: Judicium de Judicibus & de te futurum est. At quo tempore futurum est? nempe, eo cum Pop. Rom. aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res judicandas requirit, ea lege de judiciis, judicibusque promulgata. Id quod Pædianus adnotavit Oratione 2. in Verrem: Cottam (inquit) Prætorem significat, qui legem promulgarat de restituendis Equestri ordini judiciis.*

Actiones in Verrem.

ARGUMENTUM

CAP. IX.

Iterum de legibus Judiciariis, & diversa Judicum nomenclatione, incremento, decremento, variatione, de vicibus Decuriarum.

Res iterum utcunque variata a Cn. Pompejo II. Consulatu. Cic. in Pisonem de lege Pompeja: Ecquid vides, ecquid sentis, lege judiciaria lata, quos posthac Judices simus habituri? non æque legetur quisquis voluerit, nec quisquis noluerit non legetur. Asconius in eandem Orationem: Legem Judiciariam ante aliquot annos, quibus temporibus Verres accusatus est a Cicerone, tulit Aurelius Cotta Prætor, qua communicata sunt judicia Senatui, Equitibus, & Tribunis Ærariis. Rursus deinde Pompejus in II. Consulatu, quo tempore Oratio in Pisonem dicta est, promulgavit, ut amplissimo ex censu, ex Centuriis aliter quam antea lecti Judices, æque tamen ex illis tribus ordinibus, res judicarent. Ex hoc census discrimine inducto, lege Pompeja profluxit (ut credo) in Decuriis Judicum confusis ex triplici collegio Senatorum, Equitum, Tribunorum, ut alii essent Selecti, alii Judices, alii Tribuni, quidam etiam Nongenti, illi a

L. Pompeja.

censu, hi ab officiis distincti. Nam Selectos vocabant eos (si quid veri mens auguratur) qui ex præscripto legis Pompejæ maximum censum in albo Centuriarum a Censoribus descripto haberent, ut fortassis id vocabuli fuerit in lege Pompeja conceptum: & puto apud Asconium pro electis selectos legendum, cum auctor ille alioqui passim sit corruptissimus. Sunt ergo Selecti, qui ad judicandum eliguntur Equites ex maximo censu: neque enim adhuc ordo Equestris natus erat, neque ei certus in censu modus constitutus per D. Augustum, quod veteres tituli satis demonstrant, *Senatus Populusque Romanus*, ubi nulla Equitum mentio, sed omnino duo ordines erant, Patritius & Plebejus. Sed inter plebejos Principes Publicani, & equites solo suo equo publico eminebant. Itaque Gracchus transtulisse dicitur ad Plebem judicia, cum Equitibus dedit. Augustus Octavius Equitibus certum censum statuit, abrogata rogatione Pompeja, quadraginta sestertia, id est, nostratis nummi decem coronatorum millia, quæ qui non habebat, in Decuriis Judicum tanquam Eques non erat. Tiberii demum principatus nono anno in civitatem venit Equester ordo, annulorumque auctoritati fama constituta est, ut est apud Plin. lib. XXXIII. c. 1. & altero capite, post Ciceronem receptum tertium civitatis membrum, scribit: Judicum appellatione (ait) separari eum ordinem, primum omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contumeliam Senatus. Mox ea debellata auctoritas nominis vario seditionum eventu, circa Publicanos substitit & aliquandiu tertiæ vires Publicani fuere. M. Cicero demum stabilivit Equestre nomen in Consulatu suo, ei Senatum concilians, ex eo se ordine profectum esse celebrans, & ei vires peculiari potestate quærens. Ab eo plane hoc tertium corpus in Repub. factum est, cœpitque adjici Senatui Populoque Rom. Equester ordo. Qua de causa etiam nunc post populum scribitur, quia novissime cœptus est adjici, quod intelligendum perfectum esse constitutionibus Augusti & Tiberii, cum ante tantum affectum esset. Itaque apud auctores ubi de Equestri ordine legitur, ante illa tempora subesse quandam prolepsim putamus anticipati temporis, ut in illo Vergiliano:

Asconius.

Equester ordo.

Publicani & Equites inter plebejos.

Census Equestris

Quando cœpit Equester ordo.

> *Italiam fato profugus, Lavinaque venit*
> *Littora.*

Nongenti autem diversi erant a Selectis. Idem Plinius: Divisus hic quoque ordo erat superba usurpatione nominum, cum alius se Nongentum, alius Selectum, alius Tribunum appellaret. Erant Nongenti, qui eligebantur ad custodienda suffragiorum scita in Comitiis: Tribuni Ærarii, qui provinciarum Quæstoribus attributam pecuniam ex Ærario numerabant apud Asconium. Quæ quamvis deduci videantur a Plinio ad Tiberium, finem tamen acceperunt dictatura Cæsaris, in qua idem Julius judicia ad duo genera Judicum redegit, Equestris ordinis, & Senatorii: Tribunos Ærarios, quod erat tertium, sustulit, auctor Tranquillus. Ergo tertiam

Nongenti

Tribuni Ærarii.

Tertia Decuria

Decuriam adjecit percusso Cæsare M. Antonius Consul ex ejusdem Cæsaris Commentariis. Cicero x. Philipp. Quid ea lege, quæ pervulgata est de tertia De curia Judicum, nonne omnes judiciariæ leges Cæsaris dissolvuntur? nisi forte si quid memoriæ causa retulit in libellum, id numerabitur in actis? Deinde paulo post conditionem, & mores allectorum in consortium judicandi describit his verbis: At quæ est ista tertia Decuria? Centurionum, inquit. Quid? isti ordini judicatus lege Julia, etiam ante Pompeja, Aurelia non patebat? Deinde: addo etiam, Judices, Manipulares ex Legione Alaudarum: quod Cicero eodem in loco graviter exagitat, & gravius quinta Philippica: Is etiam legem Judiciariam tulit homo castus, & integer, judiciorum, & juris auctor, in quo vos fefellit, Antesignanos, Manipulares, & Alaudas se Judices constituisse dicebat. At ille legit Aleatores, legit Exules, legit Græcos. O consessum Judicum præclarum, o dignitatem consilii admirandam, pavet animus apud consilium illud pro Reo dicere. Ibidem: Atque ego de notis Judicibus dixi, quos minus nostis, nolui nominare, Saltatores, Cytharistas, totum denique comessationis Antonianæ chorum in tertiam Judicum Decuriam scitote esse collectum. His tribus quartam adjunxit Octavius ex inferiori censu, quæ Ducenariorum vocaretur, judicaretque de levioribus summis, ut scribit Suetonius. Sunt autem Ducenarii Judices, ut in libro III. de Asse Budæus interpretatur, qui ducenta sestertia in censu haberent, hoc est, censum Equestrem dimidiatum, quinque millium coronatorum, cum solidus census quadringentorum esset, id est, decem millium aureorum solarium. Ad quatuor priores quintam adjecit C. Caligula. Et cum sextam adjici precarentur Equites, a Sergio Galba non obtinuerunt; auctor Tranquillus in eorum vitis. Sed quot Judices caperent singulæ I Decuriæ, vix omnino definiri potest. Certe tempore Gracchi, Equitum, sicuti antea Senatorum, Decuria trecentos habuit. Verum lapsu temporum paulatim auctæ sunt, ita tamen ut sub Augusto vix singula millia in singulis invenirentur, nondum Provinciis ad hoc munus admissis. Sed cum ex Tiberii constitutione jus aureorum annulorum ab ambitiosis affectaretur, dici non potest, quam auctus fuerit tertius ille & recens natus ordo, adeo ut quatuor non sufficientibus, Caligula quintam constituere coactus sit, tantumque natum est fastus, ut quæ sub Divo Augusto impleri non poterant Decuriæ, non caperent postea eum ordinem, passimque ad ornamenta ea etiam servitute liberati transibant, quod antea nunquam erat factum, quoniam in ferreo annulo Equites Judicesque intelligebantur: Adeoque promiscuum hoc esse cœpit, ut apud Claudium Cæsarem in censura ejus, unus ex Equitib. Flavius Proclus CCCC. ex ea causa Reos postularet. Hæc Plinius capite secundo lib. XXXIII. Decuriæ autem per vices rebus judicandis vacabant. Suetonius in Augusto: Ac plerisque judicandi munus detractantibus vix cessit, ut singulis Decuriis per vices annua vacatio esset.

Judices Manipulares. — *Octavius quartam adjecit Decuriam Ducenarii.* — *Quintam Decuriam adjecit Caligula. Decuria quot Judices continebat.* — *Auctus Equester ordo.* — *Decuriarum vices.*

A B C D E F

COROLLARIUM AD CAP. IX.

I Quot Judices singulæ caperent Decuriæ) *L. Servilia, & l. Drusi trecenti Equites, & totidem Senatores judicarunt: l. autem Plautia DXXV. fuit Judicum numerus, si pro explorato numerum triginta quinque Tribuum fuisse tunc constituamus, quod controverti potest, ut videre est apud Nicolaum Grucchium virum doctiss. l. 1. cap. 1. de Comitiis. Rursus autem l. Syllæ trecentos ex ordine Senatorio constituit: In reliquis non ita exacte constat de numero Judicum. Cum autem ætas legitima in judicandi munere constituta erat, certe res ipsa requirere videtur, ut pauca de lege Comitiali, & Annali dicamus. Ergo legitimam ætatem XXXV. annorum fuisse apparet ex Suet. loco in Augusto: Judices (inquit) a trigesimo ætatis anno elegit, id est, quinquennio maturius, quam solebat. Postea autem diminutum fuit illud tempus. Callistratus enim in l. Julia cautum esse ait, ne minorem annis viginti Compromissarium Judicem liceat eligere, l. 41. de recept. arb. Ulp. autem. l. 57. de re jud. tuetur etiam sententiam Judicis minoris XXV. annis, nisi minor decem & octo annis sit.*

L. Servilia. L. Drusi. L. Plautia. — *L. Syllana.* — *L. Annalis Judicum.*

ARGUMENTUM
CAP. X.

De judicandi necessitate, & quomodo judices hanc provinciam detrectantes cogebantur, factaque comparatione Togatæ militiæ cum Castrensi, illius tres Missiones describit.

Et quamvis honos esset in Decuriis locum habere, ita pro comite (ut fere fit in humanis rebus) onus adjunctum habet: Est enim quædam judicandi necessitas imposita Decuriatis, nihilque mirum si tantopere contenderent, ut alias haberent in eo officio Decurias molestiæ socias. Cicero in Prætura Urbana: Hoc si vobis adeo levius videtur, Judices, quod putatis onus esse grave, & incommodum judicare, intelligere debetis utrum id onus vosmetipsi rejeceritis, an quod probare populo Romano fidem vestram, & religionem non potueritis, ideo vocalis judicandi necessitas erepta sit. Aurelius I item, cum judicatum refert inter munera personalia, & civilia, judicandi appellat necessitatem. Accedit & multæ periculum, si citati non adessent. Cic. 5. Philip. Quæro igitur si Lysiades citatus Judex non responderit, excuseturque Areopagites esse, nec debere eodem tempore Romæ, & Athenis res judicare, accipietne excusationem is, qui quæstioni præerit? Idem III. Verrina: Quo quidem die primum Judices citati in hunc Reum concessistis. Si ergo non aderant, poterat Prætor multam infligere, quam opinor gravem fuisse ex Plin. epist. l. 4. ubi Senator supplex deprecatur multæ remissionem his verbis: Ecce Licinius Nepos Prætor acer, & fortis multam etiam dixit Senatori. Egit ille in Senatu causam suam, egit autem sic ut deprecaretur, remissa est multa: sed timuit, sed rogavit, sed opus venia fuit. Est autem verisimile

Judicandi necessitas Decuriatis. — *Multa Judicum.*

pignoriscapione, 2 vel multa arbitraria multatos, ut Senatores, qui ex contumacia non veniebant evocati in Curiam. Cic. I. Philip. Cum nollet venire vocatus, M. Antonius interminabatur ædium incendium aut disturbationem: ad quæ Cic. Quis unquam tanto damno Senatorem coegit? aut quid est ultra pignus, aut multam? Et sane emansoris est, aut contumacis militis citanti Imperatori non respondere, aut excusationem allegare. Prætor autem in Tribunali, tanquam in castrensi Prætorio summæ rerum præsidet, ac providet, reliqui parere habent, aut plecti: Est enim in foro togata 3 quædam militia. Itaque & apud Valer. lib. VIII. exercere stipendia forensia dicitur, regere stipendiis Eloquentiæ suffragia Judicum, vinci in ipsis Eloquentiæ castris: Qui milites habent peculium quasi castrense pari prærogativa, cum germano castrensi, ut in eo filiusfamilias jure suo utatur, tanquam re alienissima a rationibus paternis. Dimittuntur, exauctorantur, excusantur, citantur Judices more militum. Ideo & in hac militia imaginaria, quam eleganter describunt Leo, & Antoninus Impp. in l. advocati. C. de Advoc. diver. jud. qui cœperunt postea habere matriculam suam, in quam referebantur nominatim, ut iidem Impp. in l. petitionem. eo. tit. tres sunt Missionum 4 species (ut in vera) honesta, causaria, & ignominiosa. Missio ignominiosa, & quasi exauctoratio, cum quis ob delictum capite minuitur, in exilium mittitur, libertatem, vel civitatem amittit. Cic. pro domo sua, argumentatur se civitatem non amisisse ex consequentibus, quia relictus non esset in Decuriis Judicum, qui civis non est, his verbis: Quis in meum locum Judicem subdidit? Tranq. in Domitiano: Ob reductam in matrimonium, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit albo Judicum. Perinde erat deleri quem ex Decuriis, atque in recensione populi Senatorum probrosum moveri Senatu, aut equiti equum publicum adimi, vel plebejum deleto ex Centuria nomine retrudere ad Ærarios pendendum pro capite tributum: Opere enim censorio id fieri debuit ante Cæsares. Postea cœpit Cæsarum judicium non minus ad inurendam infamiæ notam vim habere, quam sanctissimæ Censorum subscriptiones. Honesta autem missio, quæ vocatio vocatur, aut libera quædam legatio, fit ob meritum aliquod. Plin. Trajano lib. x. cum citarem judices, Domine, conventum inchoaturus, Flavius Archippus vacationem petere cœpit, ut Philosophus. Fuerunt, qui dicerent non modo liberandum eum necessitate, sed omnino tollendum Judicum numero, reddendumque pœnæ, quam fractis vinculis evasisset. Ex quo loco significatur, nisi sententia damnationis in metallum, qua civitatem amiserat, obstitisset, vacationem impetraturum Philosophiæ nomine: Professores 5 enim vacationem a muneribus civilibus habent, inter quæ judicandi necessitatem numeri diximus. Sunt de ea re tit. lib. x. C. Justinian. de iis qui ætat. vel professi. sese excusant, & de professorib. & medicis. Senectus etiam excusationis legitimæ ad impetrandam vacationem causa est, si exegerit septuagesimum, propter senectutis honorem, quæ Romæ semper venerabilis fuit, 6 ut dicit Callistratus ff. de jur. immunitat. exemplo Veteranorum 7 emeritorum, qui satis spectati tandem rude donantur dimissi, aut quia cognitionibus inepti sunt, delirant, desipiunt, & repuerascunt ut plurimum. Numerus item liberorum 8 affert excusationem a civilibus muneribus. Tranquillus in Claudio: Cum Decurias Judicum rerum actu expungeret, eum, qui dissimulata vacatione, quam beneficio liberorum habebat, responderat ut cupidum judicandi dimisit. Excusatio autem temporaria est tamque diuturna, quam causa ipsa: nam imminuto legitimo numero, qui vacationem præstabunt, redeunt partes ad officium. De quo ita Callistratus J.C. Demonstratur varie, nec abscise numerum liberorum ad excusationem municipalium munerum prodesse ex rescriptis Divi Ælii Pertinacis; namque Salvio Candido in hæc verba rescripsit: Etsi non ab omnibus muneribus dimittit patrem natorum numerus, tamen quia sedecim pueros habere te per libellum significasti, non est irrationabile, ut concedamus filiorum educationi remitti tibi munera. Meretur de Republ. optime, qui plurimos ex uxore tollit liberos: & olim quidem Censores cogebant maritos jurare, uxorem habere se, liberum quærendorum gratia, ut est apud Gell. 9. Juvenal. Satyra XIV.

Gratum est, quod populo civem, Patriæque dedisti,
Si facis ut Patriæ sit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum, & rebus pacis agendis,

Honestam vacationem 10 videntur mihi habere etiam in togata militia Senatus, qui impetrarunt ab eodem liberam legationem: nam ut qui adepti sunt, titulo tenus obeunt legationes; ita judicatum exercent titulo tenus, qui honeste excusantur, incolumi nomine adhuc in Decuriis. Cicero I. de Legibus: Legationem aliquam nimirum historia postulat, aut ejusmodi quampiam cessationem liberam, atque otiosam. Nihil oneris sustinebat, qui eam obibat, sed honoratior erat ornamentis legationis: fere autem quinquennales erant. Idem ad Atticum lib. XV. Habent (ut opinor) definitum tempus lege Julia legationes liberæ, nec facile addi potest. Bella est hujus juris quinquennii licentia. Prætexebant hunc titulum, qui animi, aut negotiorum privatorum gratia procul ab urbe secedebant, ut in successu omnino honore non carerent. Tranquill. in Tiberio: Tunc honorum satietatem, & requiem laborum prætendens commeatum petiit. Deinde post: Remansit ergo Rhodi contra voluntatem, vix per matrem consequutus, ut ad velandam ignominiam quasi Legatus ab Augusto abesset. De legatione libera sine ullo munere injuncto, sine ulla cura, & procuratione loquitur. Causaria missio est, ut ex morbo maxime sontico, 12. qui ejus est ingenii, ut non sinat eum quem corripuit rebus suis superesse: Item Sacerdotio, si est ejusmodi, ut deseri sine religione non possit, & aliis causis, quarum excu-

Fori & Castrorum similitudo.
Togata militia.
peculium
Missiones Judicum.
Ignominiosa.
Honesta missio.
Professores.
Senectus
Liberi.
Honesta vacatio. Libera legatio.
Legationes quinquennales.
Causaria missio.
Sacerdotium.

sationem se accepturum Prætor edicto pollicetur ab iis, quoscunque intelligit operam dare non posse ad judicandum, ut dicit Ulpian. in l. Prætor. ff. de excusation. & vacat. mun. Accedunt ad hunc titu. tam lib. ff. ult. quam decimo. C. multi alii, qui ad hoc argumentum vacationum spectant: Ea enim causa, quæ eximit aliquem a civilibus muneribus, eadem a judicandi necessitate liberat, & qui non habet excusationem, invitus judicare cogitur, quæ duplex est: Aut enim præscribitur causa peremptoria, & perpetua, ut honestæ missiones aliquæ, quæ ex meritis conceduntur, Philosophia, Professio artium ingenuarum, Senectus, quæ æternum securos faciunt eos, qui allegant: Aut temporalis, & dilatoria, ut ex libellorum numero jus, morbus temporarius, & aliæ, quæ in iisdem titulis enumerantur fusissime: non enim est instituti præsentis consilium singula ad amussim ita exigere, ut nihil desiderari possit, & magis ad Jus civile annotamus, quam ex eo commentamur.

Excusatio duplex.

COROLLARIUM AD CAP. X.

1 Aurelius) *Arcadius l. ult. de mun. & hon. ff.*

Pignoriscapio.

2 Est autem verisimile pignoriscapione) *Adde Plutarchum in Catone minore: denuntiante Catone, ut solemne habebant, a non obtemperantibus, pignora se ab ipso capturum. Item Livium lib. 3. V. C. Posteaquam citati non conveniebant, dimissi circa domos Apparitores, simul ad pignora capienda suscitandum, num consulto detrectarent. Sic Feudorum consuetudine introductum est, ut Dominus injicere manum possit prædio clientelari, quod* sazire *dicimus, quando munus judicandi, cui obnoxium est Feudum, vel aliud justum obsequium, aut officium præstare detrectat indevotus Cliens, aut Vasallus contumax & inofficiosus.*

Sazire Feudum inofficiosi Vasalli.

Duplex militia.

3 In Foro togata quædam militia) *Sic Valer. lib. 7. c. 7. de quodam milite: depositis armis coactus est in foro togatam ingredi militiam. idem lib. 8. c. 5. Quid M. Cicero forensi militia summos honores amplissimumque dignitatis locum adeptus. Facit ad rem l. fori. & l. Advocati. ff. de advoc. diver. jud. l. unic. de castr. omnium Palatinor. pecul. l. 12. C. Et quod ait. pro Murena: Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi plenam, plenam solicitudinis, & stomachi sequutus est, jus civile didicit, multum laboravit, præsto multis fuit. Atque ut hæc urbana, aut togata, sic altera sagata, aut armata vocatur in l. 6. & 18. de re judic.*

Plures missionum species.

4 Tres sunt missionum species) *Tres hæ species missionum a Macro J. C. explicantur l. 2. de re mil. quæ habentur in l. 13. eod. tit. ff. & ab Ulp. in l. 2. de his qui not. infam. quibus quartam addit. De vacationibus militum vide Sigo. lib. 1. de antiquo jure civium Rom. cap. 15. Ignominiosæ exempla sunt egregia apud A. Hirtium de bello Africo.*

5 Professores enim vacationem habent) *Enumerat Modestinus quot quæque civitas habere possit Grammaticos, Sophistas, Rhetores, Medicos, qui vacationem munerum habeant in l. 6. de excusat. tut. l. autem seq. Ulpianus ait, constitutione Divi Pii non esse constitutum numerum Philosophorum, quia rari sunt qui philosophantur: existimo (inquit) qui divitiis superabundant, libenter præstaturos auxilium patriæ, quod si studiose contendant de re familiari, jam inde ostendent facile se non esse Philosophos. Et Papinian. l. 8. de vacat. & excus. munerum: Munera quidem corporalia Philosophis remittuntur sordida, non ea quæ sumptibus expediuntur: etenim vere philosophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendæ cupidine fictam asseverationem detegunt. Egregium exemplum extat l. 6. de muner. patrimon. l. 10. C. ubi Impp. Dioclet. & Maxim. AA. in hæc verba ad quendam Hypocritam, qui pallio & barba tenus Philosophiam profitebatur: Professio, & desiderium tuum inter se discrepant: nam cum Philosophum te esse proponas, vinceris avaritia, & rapacitate: & onera, quæ patrimonio tuo injunguntur, solus recusare conaris, quod frustra te facere cæterorum exemplo poteris edoceri. Quibus adde leg. 8. de Profess. & Med.*

Rari Philosophi.

Philosophi barba & pallio tenus.

6 Romæ semper venerabilis) *L. 6. de Jur. immunit. cui subscribit. A. Gellius l. 2. c. 16. Noct. Att. Item Ovidius Fastorum lib. 5.*

Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

7 Exemplo veteranorum) *In armata militia sufficiunt quinquaginta anni, ut ex Livii lib. 4. apparet, ubi Spurius Ligustinus veteranus, & emeritus miles ita loquitur: Viginti duo stipendia annua in exercitu emerita habeo, & major annis sum quinquaginta. Quod si mihi nec stipendia omnia emerita essent, necdum ætas vacationem daret, tamen cum quatuor milites pro me uno dare possem, æquum erat me dimitti. In togata autem gravior ætas requiritur, nempe septuaginta anni, ut ex l. unic. qui ætat. se excus. C. l. 3. de jur. immunit. l. 2. de vacat. mun. & honor. ff. videre est, ex quibus evincitur perperam legi quinquaginta quinque in l. manifesti. qui ætat. vel profess. se excus. lib. 10. C. Suetonius in Tiberio ait, quod missiones Veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans. Ut autem Veterani post viginti stipendia honestam, vel causariam missionem consequuntur, de quibus fit mentio in l. penult. C. quando provoc. non est necesse, sic Professores, qui per viginti annos continuos docuerunt, gaudent iisdem privilegiis, quibus ii, qui vicaria dignitate constituuntur. l. unic. de Profess. qui in urb. Constan. l. 3. de prox. sacr. scrini. l. 12. de qua quidem dignitate merito gloriatur Accursius.*

Emerita ætas in utraque militia.

Stipendia emerita.

8 Numerus quidem liberorum) *Utilis numerus erat quinque, ut notatur in tit. de his qui num. liber. vel paupert. se excusant. l. 3. de muner. & honor. Nepotes autem loco parentum succedentes, & in acie defuncti liberi prosunt, quia, ut ait Justinianus in §. filii autem. Inst. de excu. tut. hi, qui pro repub. ceciderunt in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur.*

Utilis numerus liberorum.

9 Callistratus J. C.) *L. 5. ff. de jur. immunit.*

10 Apud Gellium) *Lib. 4. cap. 3. Noct. Att.*

Libera legatio. 11 Honestam vacationem videntur mihi habere.) *Quæ sit libera legatio declarat Cic. lib. 3. de Legib. hujusque mentio fit in l. 4. de legation. ff. Atque idem Cicero in 1. Antoniana refert se habuisse jus liberæ legationis. Plutarchus in Gracchis refert. Senatum Scipioni Nasicæ liberam legationem in Asia decrevisse, quia invisus Plebi erat, ob mortem Tiberii Gracchi, cujus auctor fuerat. Hæc voti interdum, & nominum exigendorum ergo concedebatur, ut scribit Cic. in Oratione pro Flacco, quemadmodum Commeatus ab Imperatoribus. Legatorum autem viaticum, & honorarium appellatur Legativum l. ult. §. legati. de mun. & hon. l. 2. de legat. Lautia etiam dicuntur, quæ veteres teste Festo dautia dicebant.* *Commeatus. Legativum. Lautia.*

Morbus sonticus. 12 Morbo maxime sontico) *Quis morbus sonticus dicatur, vide in l. quæsitum de re jud. l. 113. de verb. signif. ult. de Ædilit. edict. Disserit etiam Cælius J.C. apud Gell. l. 20. c. 1. Noct. Att.*

ARGUMENTUM

CAP. XI.

A quibus Decuriæ Judicum describebantur, & ubi asservabantur, deque variis Cognitionibus, quæ fiebant a populo, Senatu, & Principe.

Censores. DEcuriæ Judicum Publicorum describebantur a Censoribus, qui capite minutos eradebant ex albo, aut demortuos, & in eorum locum alios substituebant, infames movebant, & notabant. Cic. in divinatione: Judicum culpa, atque dedecore etiam Censorum nomen, quod asperius antea videri solebat, id nunc poscitur, idque populare, & plausibile factum, nimirum ad diluendas sordes, quæ in ordinem Decuriatorum erepserant. Asservabatur autem Decuriarum album in Ærario, quod erat in æde Saturni, ut leges, senatusconsulta, acta, & reliqua memoriæ publicæ instrumenta. Cic. v. Philip. Hos ille demens Judices legisset? Horum nomina ad Ærarium detulisset? Populus autem extra ordinem cognoscebat, non quovis accusante, sed tribuno deferente, ut Cicero delatus per Clodium Pulchrum, quod commisisset in legem Valerium sumpto supplicio de conjuratis, relato falso senatusconsulto, ubi populus cognovit, latisque suffragiis Ciceronem damnavit. Judicium tamen populi juris ordinarii solemnia desiderabat, ut crimen esset, Accusator, Testis, citatio post trinundinum, quæ passim vociferatur Cicero non esse in sua causa observata, ut privilegio nefario, non judicio solemni, videatur in exilium actus. Delatio tamen extraordinaria erat, cum crimen ordinarie ad Triumviros, deinde ad Prætorem, tandem ad Judices deferendum sit. Cic. ultima Actione Verrina: Ad populum Rom. confugient? Facilis est causa populi: legem enim Sociorum causa jussisse, & ejus legis custodes, & vindices, præposuisse se dicet. Idem pro domo sua: Extra ordi- *Decuriarum album ubi erat. Cognitio populi. Delatio.*

A nem ferri nil placet Clodio. Quid de me, quod tulisse te dicis parricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti? Maxime vero tum cognoscebat populus, cum causa jure atque defensione legitima destituta, conferenda erat in solam deprecationem. Idem pro domo sua, ubi, si solemniter accusatus fuisset, dicit se veniam fuisse speraturum: Multa (ait) ad placandum, atque ad misericordiam Reis concessa sunt. Deinde; exorabilis populus, facilis suffragatio pro salute. Habuit namque populus liberam cognitionem, & *Deprecatio.*

B summam in leges, & jura, potestatem. Fabius l. VII. cap. de qualitate: In Senatu vero, & apud populum, & apud Principem, & ubicunque juris clementia est, habet locum deprecatio. Quod idem Judicibus non licebat, ut qui in legum formulam jurati erant, a qua recedere vel latum unguem religiosum fuit. Cicero pro Ligario: Causas egi multas, Cæsar, & quidem tecum, dum te in Foro tenuit ratio honorum tuorum, certe numquam hoc modo. Ignoscite Judices, erravit, lapsus *Libera cognitio. Judices.*

C est, non putavit, si unquam posthac. Fabius lib. III. de controversiis, quæ si conjunctæ sunt, sortitu cognoscendæ sunt a Prætore, quod tamen (ait) sine sorte in Principum, & Senatus cognitionibus frequens est, & Populi fuit. Horum enim trium libera fuit cognitio, maxime tamen Populi, & demum Principis. Est autem libera cognitio, nullis legibus obnoxia, & summa sine appellatione. Libera cognitio & legitima velut ex adverso pugnant. Ausonius: Hi versiculi monosyllabis terminantur, exordio tamen libero, *Legitima cognitio.*

D quanquam fine legitimo. Tranquil. in Caligula: Magistratibus liberam jurisdictionem sine sui appellatione concessit. A Judicibus ad Populum provocatio erat legibus Valeriis, aliquando ad Senatum, sed sub Nerone. Tranquillus in ejus vita: Cautum est ut omnes appellationes a Judicibus ad Senatum fierent. Ante occupatam a Cæsarib. Remp. Senatus causas non cognovit, neque de capite cujusquam civis injussu Populi censuit: Livius lib. VI. secundi belli Punici, ubi ita Regulus: Per Senatum agi de Campanis, qui cives Roma- *Provocatio ad Senatum.*

E ni sunt, injussu Populi non video posse, idque & apud majores nostros in Sutrianis factum est, cum defecissent, ut M. Antistius Trib. Pleb. prius rogationem ferret, sciretque Plebs, uti Senatui de Sutrianis sententiæ dicendæ jus esset. Itaque censeo cum Tribunis Plebis agendum esse, ut eorum unus, pluresve rogationem ferant ad Plebem, quo nobis statuendi de Campanis jus fiat. Hæc ille. Itaque Catilinariorum conjuratio per M. Tullium in Se-

F natum delata, ibidemque diligenter & feliciter acta, & perorata, cum decretum esset Senatusconsultum capitale, ex quo cum egisset Consul, & quinque in carcere strangulasset, dici non potest, quantam invidiæ molem sibi conflaverit, quod contra leges Valerias cives necati, & reliqui cum Catilina injussu populi hostes patriæ judicati, coacti sint in exilio collatis cum C. Antonio altero Consule signis occumbere. Ex illo enim nimbo orta tempestas Clodiana, quæ Consuli naufragium miserabile *Valeriæ ll. Exilium Ciceronis*

attulit: debuit enim conjuratorum causa more Rom. antequam in Senatu ageretur ad populum referri, ut in causa Sutrianorum, & Campanorum olim factum est: Nam Senatus causas non disceptavit ex officio. Cic. VII. Act. Quo confugient Socii? quem implorabunt? Qua spe denique, ut vivere velint, tenebuntur, si vos eos deseritis? Ad Senatum devenient, qui de Verre supplicium sumat? non est usitatum, non est senatorium. Adnotavimus tamen apud Plutarchum in Marcello, Senatum causam cognovisse, sententiamque pronuntiasse contra Capitolinum Collegam Marcelli, qui ejus filium turpiter affectatus, de stupro appellaverat. Officium & cura prisci Senatus sic describitur a M. Cic. III. de Legibus: Quod lex addit: *Causas populi teneto. Senatori necessarium nosse Rempublicam.* Idque late patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos socios Respublica habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, fœdere, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla majorum. Sed populi jus extinctum, Senatus mutatum, & imminutum Cæsarum tyrannide.

Senatus officium.

Lex enim Regia in Principem & Dictatorem populi potestatem universam contulit, quæ quando fuerit a lata, & a quo, & in cujus gratiam, nondum mihi constat, neque etiam paradoxi nominis ratio, quod illi impositum est, ut Regia diceretur, cum a Tarquiniis Regibus expulsis, neque agnoverit, neque receperit Regis nomen populus, sed religiosius quam a sacro abhorruerit: Dulcior namque, neque adeo detrectanda fuit servitus sub Dictatoribus, Cæsaribus, Augustis, Imperatoribus, quam sub Regibus & Dominis, usque adeo stolido populo dulcedo nominis servitutis miseræ, quam serviebat, asperitatem lenibat. Tantum semel me legisse memini lib. I. ff. 3. in Ulpiani responso in hæc verba: Quod Principi placuit, legis vigorem habet, utpote cum lege Regia, quæ de ejus imperio lata est, populus ei, & in eum omne suum jus & potestatem concessit, quæ repetuntur I. Instit. per Justinian. 4. Imperator Alexander Syrus melius & commodius legem imperii vocat in l. ex imperfecto. C. de testam. Licet (inquit) lex imperii solemnibus juris Imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium imperii est, quam legibus vivere. Utcunque res habeat, C. Julius primus dictatura perpetua confecto civili bello, nullo jure, nullo senatusconsulto, nulla lege, oppressa civium, & patriæ libertate, jus populi sibi vendicavit, ut satis ostendit nimis impie, & frequenter adversus rempub. usurpatum Euripidis distichon Jambicum in Phœnissis:

Lex Regia.

Lex imperii.

C. Julii Tyrannis.

Nam si violandum est jus, imperii gratia
Violandum est, aliis rebus pietatem colas.

Hocque jus transmisit ad posteros, ut æternum spoliatus libertate victor gentium populus, in civitate capta, tanquam in ergastulo, ut mancipium servitutem serviret Principibus, & iis aliquando ne hominibus quidem, sed monstris & belluis oris humani speciem præ se ferentibus: Senatus autem, detractis veteris majestatis ornamentis, nihil aliud videretur, quam Togatorum mancipiorum grex, ut tantum auctoritatis haberet, quantum relinqueretur ab impotente Tiranno. Itaque primum, ut dominis adularetur, criminum majestatis imminutæ cognitionem suscepit. Tranquillus in Tiberio, de convitiis jactis in Tiberium: Quondam Senatu de ejusmodi criminibus & Reis cognitionem flagitante, non tantum (inquit) otii habemus, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis, omnium inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferentur. Ibidem: Consulente Prætore an judicia majestatis agi juberet, exercendas esse leges respondit, & atrocissime exercuit: Statuæ quidem Augusti caput demserat, ut alterius imponeret; acta res in Senatu, & quia ambigebatur, per tormenta quæsitum est. Idem in Domitiano: Quosdam majestatis reos in Curiam induxerat, & cum prædixisset experturum se illa die, quam charus Senatui esset, facile perfecerat, ut etiam more majorum puniendi condemnarentur. Tacitus lib. III. ubi Tiberius de causa Pisonis: Id solum Germanico super leges præstiterimus, quod in Curia potius, quam in Foro, apud Senatum, quam apud Judices de morte ejus inquiritur: quod significatur extra ordinem. Capitolinus in M. Philosopho: Senatum multis cognitionibus, & maxime ad se pertinentibus Judicem dedit. Quoniam autem Decuriæ adhuc in usu erant, ordinaria Judicibus, extraordinaria Senatui servata sunt. Plin. lib. II. de causa Prisci: Marius Priscus accusantibus Afris, quibus Proconsul præfuit, omissa defensione Judices petiit. Ego & Corn. Tacitus adesse Provincialibus jussi, existimavimus fidei nostræ convenire, notum facere Senatui, excessisse Priscum immanitate & sævitia crimina, quibus dari Judices possent, cum ob innocentes condemnandos etiam pecunias accepisset. Respondit Fronto Catius, deprecatusque est, ne quid ultra Repetundarum legem quæreretur. Sunt & alia apud eundem causarum exempla in Senatu peroratarum. Legitimis ergo quæstionibus tantum Judices dabantur. Paulo post idem: Magna contentio, magni utrinque clamores, aliis cognitionem Senatus lege conclusam, aliis liberam solutamque dicentibus, quantum admisisset Reus, tantum vindicandum. Novissime Consul designatus Julius Ferox vir rectus & sanctus Mario Judices dandos censuit. Tranquillus in Domitiano: Auctor fuit Tribunis Plebis Ædilem sordidum Repetundarum accusandi, Judicesque in eum a Senatu petendi. Cognovit & appellationum causas, maxime sub Cæsaribus, ut ante dictum est. Hujusmodi autem coactis in Senatu judiciis Consul præerat, ut in Foro Prætor. Plinius epistola allegata proxime: Princeps præsidebat, erat enim Consul. Impetrabantur alias & a Principe Judices delegati, ut a Prætore Recuperatores. Plinius libro septimo ad Macrinum: Mater amisso filio libertos ejus, eosdem cohæredes suos, falsi, ut veneficii reos detu-

Senatus cognitio.

Senatus extraordinaria cognovit.

Legitimis quæstionibus Judices dabantur.

Senatus appellationum causas cognovit.

Judices a principe dati.

lerat ad Principem, Judicemque impetraverat Julium Servianum.

COROLLARIUM AD CAP. XI.

1 LL. Valeriæ) *D. ll. Valeriis, & Portia dicemus in Paralipomenis nostris.*

LL. Valeriæ & Portia. 2 Quæ quando fuerit lata) *Arbitror l. illam. Regiam ex ll. Curiatis fuisse a Romulo & aliis Regibus latis, quas Sextus* *L. Regia.* *Papyrius in unum contulit teste Pomponio in l. 2. de origine juris.*

3 Lib. 1. ff.) *L. 1. de constit. Princip.*

4 Per Justinianum) *§. sed quod Principi. de jur. nat. gen. & civil. Quibus addatur §. cum enim antiqua lege. l. 1. C. de vet. jur. enucleando.*

ARGUMENTUM

CAP. XII.

De Disceptatoribus, & Arbitris, Arbitrio, & Judicio.

PUblicis expeditis, proxime consequuntur privatarum litium Cognitores, qui proprie etiam Disceptatores dicuntur, sola cognitione, sententiaque contenti, ab imperio omni alieni, Fabius cap. I lib. XI. Nec eodem modo publica judi- *Disceptatores.* cia, & arbitrorum disceptationes aguntur: nam ut Orantem pro capite sollicitudo deceat, & cura, & omnes ad amplificandam orationem quasi machinæ; ita in parvis rebus judiciisque vana sunt eadem: Rideaturque merito, qui apud Disceptatorem de re levissima sedens dicturus, utatur illa Ciceronis confessione, non modo se animo commoveri, sed etiam corpore ipso perhorrescere. Livius lib. I. Tarqui- *Disceptatio Rhetorum in publicis.* nius monitus proximis ut purgaret se, quod id temporis venisset, Disceptatorem ait se sumptum inter patrem & filium, cura reconciliandi eos in gratiam moratum esse, id est, arbitrum dissidii, & domesticum compositorem. Quanquam Disceptare etiam in publicis usurpetur. Hinc Disceptatio pro summa quæstione nata ex Ratione & Firmamento, quam Judicationem vocant, dicta in Partitionibus. Cic. pro Cecinna. Quærendum magis etiam videtur, ideo quod omnia judicia, aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt, quorum alterum levius est, propterea quod Disceptatore persæpe domestico dijudicetur. Solent hic boni viri, & a forensibus molestiis alieni factitare, ut si quid cum *Arbitri.* alio controvertunt, id primum advocato Arbitrorum concilio componatur domi, antequam in judicium eatur, quod etiam a Platone imperabatur in Dialogis lib. XII. de legib. multamque infligit iis, qui arbitrio domestico morem gerere cunctantur, quam multam etsi mores imperii non admittant nisi compromissam, incivile tamen est hominem statim in jus rapere, & summo jure experiri, cum res obtineri fortassis possit amica compositione. Cic. pro Quintio: Tunc appellat ultro Nævium, ut quoniam suspicaretur aliqua de re fore controversiam, videret quamprimum, & quam minima cum molestia tota res transigeretur. Dat iste amicum M. Trebellium; nos

A communem necessarium, qui istius domi educatus erat, & quo utebatur iste plurimum, propinquum nostrum Sext. Alphenum. Res convenire nullo modo poterat, propterea quod hic mediocrem jacturam facere cupiebat, iste mediocri præda contentus non erat. Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium cœpit. Idem pro Cecinna: Placuit Cecinnæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, & de fundo Cecinnæ moribus deductio fieret. Paulo post: In-
B struxit homines inermes, qui ad constitutum experiendi juris gratia venissent. Tranquillus in Othone: Cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti adhibitus Arbiter totum agrum redemit, emancipavitque, ut jam vix ullus esset, qui non & sentiret, & prædicaret solum successionis imperii dignum. Cicer. I. de Officiis: Ne noster quidem probandus, si verum est, Q. Fabium Labeonem, sive quem alium (nihil enim præter auditum habeo) Arbitrum Nolanis & Neapolitanis de finibus a Senatu datum, cum ad locum venis-
C set, &c. Quam autem humanius sit intra privatos parietes decidere, de quo lis futura timetur, quam summo jure statim experiri, & quam tutius pro utraque parte, satis intelligetur ex comparatione judicii & arbitrii. Cic. pro Roscio Comœdo: Aliud est judicium, aliud arbitrium: Judicium est pecuniæ certæ: Arbitrium incertæ. *Judicium & Arbitrium.* Ad judicium venitur hoc modo, ut totam litem, aut obtineamus, aut amittamus. Ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum quantum postulavimus, consequamur. Ejus rei ipsa verba formu-
D læ testimonio sunt. Quid est in judicio? directum, asperum, simplex. Si peteret H-S. LIII. dari, hic nisi planum facit H-S. LIII. ad libellam sibi deberi, causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, moderatum, quanto æquius & melius, id clarius. Ille tamen confitetur plus se petere quam debeatur, sed satis superque habere dicit, quod ab Arbitrio tribuatur. Itaque alter causæ confidit, alter diffidit. Ubi *Ciceronis locus.* asyntheta sunt æquius melius, & nulla media conjunctione legenda sunt. Cicer. III. Offic. Reliquorum judiciorum hæc ver-
E ba maxime excellunt. In arbitrio rei uxoriæ, *melius*, *æquius*, in fiducia, *inter bonos bene agier*. Sunt enim hæ formulæ *Formula Judicii.* in jure dissolutæ, *ut æquum, bonum*. In actione furti, *Ope, consilio tuo furtum ajo esse factum*. In fideicommissis, *reddas, restituas*. In Legatis, *do lego*. In interdicto, *navem, ratem*. In Rogatione ad populum, *velitis, jubeatis*. Nihil est periculi in arbitrio, si quis male petat, ne causa cadat, ne litem amittat. In judicio vero ibi quamplurimum est aleæ, ut unum ex solemnibus contemsisse pene capitale sit.
F Item in arbitrio nulla infamiæ nota subitur, sed pœna, in quam, dum adiretur *Facere compromissum.* Arbiter, compromissum est, solvitur. Hinc facere compromissum, est adire Arbitrum depacta certa pœna quam contumax subiturus est. Cic. ibidem: Quæ cum ita sint quæro abs te, quid ita de hac pecunia de his ipsis H-S. LIII. de tuarum tabularum fide compromissum feceris, arbitrum sumferis, quanto æquius, melius

sit dari, repromittique si peteres. Ulpian. l. III. tit. de recept. arb. Ait Prætor, qui arbitrium pecunia compromissa recepit. Ex quo loco, & infinitis aliis eod. tit. quis dubitat male vulgo legi, & intelligi Rubricam de receptis Arbitris, quasi privatis Disceptatoribus receptis, & electis a Litigatoribus, cum legendum sit de receptis arbitriis, quia voluntariæ sint jurisdictionis. Ulpian. in ead. l. Neminem Prætor cogit arbitrium recipere, quoniam hæc res libera, & absoluta est, & extra necessitatem jurisdictionis posita: attamen ubi quis semel in se receperit arbitrium, ad curam & sollicitudinem suam hanc rem Prætor pertinere putat. Adde quod de personis, quæ recipiuntur a Partibus, non tractari argumento sit titulus sequens, Nautæ, Caupones, Stabularii, qui proxime subjunctus est, quia ad res receptas pertineret. Itaque sic Haloander ex veteri archetypo reposuit, de receptis, qui arbitrium receperunt, ut sententiam dicant, quasi posito generi de receptis, subjungatur species de receptis arbitriis, deinde altera de receptis a Cauponibus, & Stabulariis. Et quia libera voluntariaque primum est cognitio Arbitrorum, ideo arbitria honoraria dicta sunt. Cic. pro Comœdo: Perinde ac si in hanc formulam omnia legitima judicia, omnia arbitria honoraria, omnia officia domestica conclusa, & comprehensa sint. Idem pro Cecinna de generibus judiciorum. Alterum est vehementius, & quod ad graviores res pertinet, & non honorariam operam amici, sed severitatem Judicis, ac vim requirit. Et fortassis quod officium Judicis modo nobile, modo mercenarium dicimus, Latinius esset honorarium ex Cicerone, liberum & absolutum ex Ulpiano, hoc necessarium. Hæc pauca de Arbitris præmisimus, quod fere ab Arbitris ad Judices res deferatur, aut directo, aut per appellationem, quæ ratio præposuit arbitraria judiciis in Digestis; quanquam Cicero admiretur ut novum, ab Arbitro ad Judicem rem translatam pro Roscio Comœdo: De quo nomine ad Arbitrum adisti, de eo ad Judicem venisti. Cæteri cum ad Judicem causam labefactari animadvertunt, ad Arbitrum confugiunt, hic ab Arbitro ad Judicem venire ausus est. Sed Orator causæ suæ servit: tam enim ex Platone, quam exemplis supra adductis si res arbitrio definiri non poterat, ad judicium veniebatur, ut in Causa Quintiana.

Rub. de recep. arb. ff. correcta.

Honoraria arbitria.

Honorarium Jud. officium. Necessarium officium Jud.

COROLLARIUM AD CAP. XII.

1 Proprie Disceptatores) *Sic proprie Impp. Dioclet. & Max. in l. 5. de cal. C. opponunt privatas disceptationes judiciorum quæstionibus: hactenus autem de his fere, nunc de illis agit.*

Disceptationes.

ARGUMENTUM

CAP. XIII.

De Centumviris, & causis, quæ apud eos disceptabantur; de consilio, judicio, & concilio.

Si res convenire non poterat Arbitrorum disceptatione intra privatos parie- A tes, summo jure experiendum fuit, & foras ad Prætorem deportanda. Hic tum Prætor ita se gerebat, ut aut ipse cum Centumviris ordinarie cognosceret, aut in factam a partibus sponsionem Recuperatores daret, id est, lis deferebatur aut ad Ordinarios, aut ad Delegatos: Centumviri Ordinarii erant in cognitionibus Prætoriis, id est, privatis Assessores, & Consessores, ut quibus jus dicendi esset: Itaque privatæ lites, & causæ Centumvirales dictæ. Plin. l. II. Distringor Centumviralibus causis, quæ me exercent verius, quam delectant: B Sunt enim pleræque parvæ, & exiles; raro incidit, vel personarum claritate, vel negotii magnitudine insignis. Ad hoc pauci quibuscum juvat dicere, cæteri audaces, atque etiam magna ex parte adolescentuli, obscuri ad declamandum huc transeunt, tam irreverenter, & temere, ut mihi Attilius noster expresse dixisse videatur, sic in foro pueros a Centumviralibus causis auspicari, ut ab Homero in scholis. Nimirum ut similes haberent labra lactucas, tractarentque causas diobolares Causidici Dupondii. C Cur enim non sic appellemus Tyrones fori, cum olim in jure Novitios primi anni Dupondios vocarent? quos post ea Justinian. mutato nomine ludicro in splendorem nomenclationis a se Justinianeos 1 dixit. Hujusmodi vero causulas minutas Cic. pro Quintio etiam dupondii vocat. Quanquam magni quondam Oratores in iis aliquando sudarint, ut L. Crassus Orator, & Q. Scævola, in causa Curiana, Cicero, & Plin. sæpissime, ut ante annotavimus. 2. Cicer. I. de Orat. Nam volitare in Foro, hærere in jure D ac Prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de jure, & æquitate certetur, jactare se in causis Centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, fluminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium jura versentur, cum omnino quid suum, quid alienum, quare denique civis, aut peregrinus, servus, aut liber quispiam sit, ignoret, insignis est E impudentiæ. Ex quo loco, juris privati universam cognitionem penes Centumviros fuisse constat, quibus tamen Prætor præsidebat cum mixti imperii auctoritate. Plin. l. V. ad fin. Hoc facto Nepotis commotus Prætor, qui Centumviralibus præsidet, deliberaturus an sequeretur exemplum, inopinatum nobis otium dedit. Qui Consiliarii Prætoris. Est enim hoc vocabulum 3 Latinissimum, pro eo, qui in consilium adhibetur. Tranquil. in Claudio: Cognitionibus Magistratuum, ut unus e Consiliariis, frequenter interfuit. Quem F locum de Centumviris capio. Cicero II. de Natura Deor. Augures vocat Deorum Consiliarios. Idem pro domo sua de Sexto Clodio: Hoc tu Scriptore, hoc Consiliario, hoc Ministro omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum impurissimo Rempubl. perdidisti. Usurpavit & Plinius lib. 4. ad Gallum Consiliatorem pro Consiliario novo more: Ille meus (inquit) in petendis honoribus suffragator, & testis, ille in incho-

Ordinarii.

Causæ Centumvirales.

Dupondii Causidici

Justinia. Causæ minutæ.

Centumviralium cognitio.

Consiliarius.

Consiliator.

inchoandis deductor, & comes, ille in gerendis consiliator, & rector. Ausonius ad Gratianum Cæsarem. O profundi altitudo secreti! habes ergo consiliatorem, & non metuis consilium proditorum. Ideoque Centumviralis Consessus proprie consilium vocatur; Plinius lib. 6. Sedebant Judices centum & octoginta, tot enim quatuor consiliis conscribuntur. Ulpianus in l. 11. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd. Mandata jurisdictione a Præside, consilium non potest exercere is, cui mandatur. Hinc manumittere apud consilium, nam judicium frequentius est apud auctores pro publico. Valerius de Licinio Repetundarum reo: Cum M. Ciceronem qui id Judicium cogebat prætextam ponentem vidisset. Sed scio confundi sæpissime. Porro ut Decuriæ sunt honestiorum, Centuriæ inferiorum, ita consilium magnificum nomen est, concilium sordidum & abjectum. Illud enim ad Judices, Senatum, & Magistratus pertinet, ut cogere consilium, mittere in consilium, ire in consilium. Hoc ad Plebeculæ temere coactæ turbam fere refertur. Lælius Felix ad Q. Mutium apud A. 4 Gellium. Is qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubet, non Comitium sed concilium edicere debet. Sic enim legendum per *c* contra fidem multorum exemplarium. Est concilium concio Plebis coactæ Comitiis Curiatis per Tribunos & minores Magistratus, quibus jus non est advocare Patritios, sed Tributa comitia edicere solum. Livius l. II. ab urbe condita: Dimisso concilio plebis, Senatum Consules habebant. Cic. pro Domo sua de seipso loquens: Consulari homini P. Clodius eversa Repub. civitatem adimere potuit concilio advocato, conductis operis non solum gentium, sed etiam servorum Sedulio Principe, qui se illo die confirmavit Romæ non fuisse. Ubi subscribit Lælio & Gellio, usurpans in malam partem pro tumultu plebejo. Idem, in eadem Oratione de Paganis & Montanis loquens, dicit sibi in eorum conventiculis & conciliis decreta facta esse. Curtius libr. 5. de Dario, concionaturo apud exercitum, ubi gregarii simul cum illustribus convocabantur: Concilio deinde advocato, si me (inquit) cum ignavis, &c. Ut consilium partem sanissimam e plebe, concilium totam plebem dignos juxta ac indignos capiat, quod & verum, cum concalantur per Præconem aut Cornicinem. Idem lib. VI. Concilium in posterum diem remisit. De militibus loquens. Idem libr. VI. Advocato tamen consilio amicorum Nicomachum introduci jubet. Ideo dum cogitur Catholica Christianorum Ecclesia, concilium vocamus, sed quam recte? Concilium re tam seria, & consessu tam augusto sacroque indignum. Ad hæc non cepit universum populum ex Gellio, sed infimæ conditionis censusque fecem, ut idem sit concilium, 5 quod conciliabulum. Itaque imponi non potest Sacrosanctis Synodis, quibus Catholica Ecclesia, id est, universus Christianismus cogitur: nam si unius tantum provinciæ conventus peragantur, jam tum concilium nedum recte dicitur, propter rei majestatem. Est ergo concilium vocandum, cum Principes omnium ordinum totius Christianismi conve-

Consilium. *Judicium.* *Concilium.* *Gellii locus.* *Ecclesia sive Synodus perperam consilium vocatur.*

A niunt, ad componendos religionis fluctus, ubi universa Ecclesia per capita, & syndicos considet. Fortassis & Comitia Sacrosancta & Conventus rectius dicentur. Plin. l. x. ad Trajanum: cum citarem Judices, Domine, conventum inchoaturus, Flavius Archippus, &c. Quanquam Vergilius, & Ovidius concilium Deorum vocarunt;

Conventus.

Conciliumque vocat Divum pater, atque Hominum rex.

B Et sequutus est Vitruvius in præfatione suæ Architecturæ ad Augustum. Cum autem concilium cœlestium in sedibus immortalitatis cum dedicavisset, &c. Ubi fortassis & hæresim nostram tueri possumus, quod proprie & Grammatice hoc vocabulo usi sint tales auctores, ad significandum Deorum omnium gregem, qui tum convocabantur, non solum majorum gentium, quorum consessus consilium appellatus fuisset, sed etiam minorum gentium, gregariorum & Semideorum. Sunt enim, ut
C in Romana politia, in cœlo cœlestium civium plures ordines, ut habetur lib. II. de Natura Deor. apud Ciceronem, & in divinis Institutionibus Firm. Lactantii. Quia autem ad hujusmodi negotia tractanda supremi juxta ac infimi ex Diis omnes cogebantur, ideo recte concilium vocarunt auctores conventum illum promiscuum & universum. Centumviros alii vocant privatos Judices; Tranquillus in Claudio: Iis qui apud privatos Judices plus petendo formula excidissent, restituit actiones, habebantque modicam animadversionem in de-
D lictis privatis, ut furto, rapina, Aquilia, & cæteris, quæ publica non sunt. Nam quod apud Fabium 6 legitur lib. IV. capite de exordio, paradoxum mihi est, cum utique Centumviralia a publicis separat. Sic habet: Nam id sine dubio ab omnibus, & quidem optime præceptum est. Verum aliquatenus temporum conditione mutatur, quia jam quibusdam in judiciis maximeque capitalibus, ut apud Centumviros ipsi Judices exigunt solicitas, & accuratas actiones. Ubi fortassis legendum, maximeque
E capitalibus, & apud Centumviros. Alias quomodo cum ratione veterum judiciorum convenire possit non video.

Privati Judices. *Locus Fabii restitutus.*

COROLLARIUM AD CAP. XIII.

1 Justinianeos dixit) *In epist. liminari Digestorum ad Antecessores §. 2. Unde autem dicantur Dupondii explicat Alciatus libro quarto, de verb. significat. in principio.*

F 2 Ut ante adnotavimus) *l. 2. c. 9. nostræ Hist.*

3 Est enim hoc vocabulum Latinissimum) *Adde ejusdem Suetonii aliam auctoritatem in Tiberio cap. 33. Et Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat Consiliarium assidebatque mixtim vel ex adverso in parte primori. adde & l. 5. de off. Adsess. ubi Adcessores Consiliarii dicuntur ab Ulpian.*

4 Apud Gellium) *l. 15. c. 27. Noct. Att. de*

concilio autem quod in provinciis Proconsule aut Præside pro Tribunali sedente, cum viginti Recuperatoribus, aut a Prætore Romæ die aliquo Conventus, assidentibus ei quinque Senatoribus, & quinque Equitibus Romanis, lege apud Theophilum Instit. quibus ex caus. manumit. non lic. Aliam interpretationem verborum Lælii Felicis vide apud Revard. lib. singulari Protribuna. c.16. Sed utra ad mentem Gellii propius accedat, Lector judicet.

Concilium pro Comitiis & contra Livius usurpat.

5 Ut idem sit concilium quod conciliab.) *Sic Livius lib.2. concilia appellat nocturnos coitus, quos Plebs per seditionem in diversis urbis regionibus factitabat. Idem Livius tamen hoc discrimen non semper servavit, quippe concilium pro Comitiis, & Comitia pro concilio indistincte usurpat, quibus quidem Comitiis (de centuriatis autem loquitur, quæ maxime justa erant) universus populus convocabatur. Sic enim lib.3. Judicii die cum excusaretur solum vertisse exilii causa, nihilominus Virginio Comitia habente Collegæ appellati dimisere concilium. Idem alio in loco: Cum ad causam orandam venissent concilio Populi a Magistratibus dato. Idem de judicio Manlii: In Lucum Petilinum concilium Populi indictum est. Plura vide apud Nicolaum Grucchium in præfatione lib. de Comitiis. De Conciliabulo autem supra l.1. aliquid attulimus.*

Fabius & Plinius explicati & conciliati.

6 Nam quod apud Fabium lib. IV.) *Sic idem Fabius alium scrupulum ponit l.5.cap. 10. Proprium est, inquit, illud causæ quod Amphictiones judicant, ut alia apud Centumviros, alia apud Judicem privatum in iisdem quæstionibus ratio sit. Ex quo loco & superiore ejusdem posito in textu, videtur a Privatis judiciis causas Centumvirales, tanquam publicas, distinxisse. Huc pertinet etiam quod ponit Plinius li.6. epist. ad Rom. Intervenit, inquit, acribus illis, & erectis frequens necessitas computandi, ac pene calculos, tabulamque poscendi, ut repente in privati judicii formam Centumvirale vertatur. Sed ad singula responderi potest, quod privatum judicium in illis locis significet privum & veluti domesticum, ut adversetur publico in sua propria significatione, non qua publicum judicium pro capitali & criminali accipitur, ut hic sit sensus apud Plinium, tam frequens computandi & tabulas inspiciendi necessitas, ut videretur quædam domestica, & privata ratio habita potius, quam judicialis, publica, & magnifica. Ex ipsa enim epistola Plinii apparet, eum loqui de quadam oratione, quam habuit pro Accia Variola nobili, quæ ab octogenario patre intra undecim dies, postquam ille novercam Acciæ duxisset, exhæredata fuerat, quæ quidem omnino privata causa fuit. Sic etiam accipitur in loco Fabii a nobis allato, ut privatus Judex delegatum Arbitrum, aut alioqui amicabilem Compositorem significet: nam quorsum dicit in iisdem quæstionibus? Alio autem loco Fabii a Socero in textu posito (ut) particula non est exemplificativa immediate præcedentium, sed declarative stat pro (&) vel (quemadmodum) quasi dicat, in Capitalibus judiciis ipsi Judices exigunt sollicitas actiones. Hac tamen nostra divinatione nil aliorum judicio detractum velim, hoc modo tamen textus obicem tolli posse existimo.*

Privatum, Publicum.

ARGUMENTUM CAP. XIV.

Amplius de Centumviris, nominis ratione, ordine, creatione, collegio, & horum quadruplici judicio, ac de Decemviris.

Sed quoniam de ratione nominis, & ordine, ex quo sumerentur, nihil adhuc diximus, paucis expediamus ex Festo Pompejo, qui sic habet. Cum essent Romæ XXXV. tribus, quæ & Curiæ dictæ sunt, terni ex singulis tribub. sunt electi ad judicandum, qui Centumviri appellati sunt, & licet quinque amplius quam centum fuerunt, tamen, quo facilius nominarentur, Centumviri sunt dicti. Hæc ille. Hoc faciunt sæpius Latini auctores: nam in re militari prima Legionis cohors Miliaria nuncupatur, habet tamen teste Flavio Vegetio supra mille, centum, & quinque pedites, equites autem centum, triginta duos. Ita secunda Legionis cohors quingentaria eidem auctori vocatur, cum tamen contineat in numeris quingentos, & sexagenos pedites, sexagenos senos equites. Ex illo ergo Festi loco fuerunt Romæ triginta quinque tribus, quas Cicero interpretatur Curias. Ideo in Oratione pro Domo sua locus forte est corruptus, ubi loquitur de Clodii adoptione, quæ fiebat lege Curiata, id est, Curiatis, Tributisque Comitiis, Quæro (ait Cicero) si negasses, aut si tacuisses, si tantum id triginta Curiæ jussissent, num id jussum esset ratum? Legendum triginta quinque, nisi id dixerit obiter commodiore appellatione, aut sequutus vetustatem, cum ætate Romuli tantum triginta fuerunt. Idem tamen VI. Philipp. triginta quinque tribus numerat. Aspicite illam a sinistra statuam equestrem, inauratam, in qua inscriptum est, *quinque & triginta tribus Patrono Populi Romani*. Cæterum cum Curiæ & Tribus ad omnes ordines pertineant, videntur non ut Judicum Decuriæ ex certis ordinibus & collegiis, ut Patritiorum aut Equitum, aut confusis his cum illis, sed primum temere ut oblati forte per sortes essent, cooptati in eum ordinem: nam nihil de creatione legere adhuc memini, tantum ex Pompon. J. C. in juris enchiridio mihi constat, si seriem temporum ex historiæ contextu colligere licet, eorum Collegium constitutum, cum Prætores litibus definiendis impares essent, tum quod nimis multæ essent, tum quod iidem bellis distinerentur. Dionysius ab Halicarnasso adducit me, ut suspicer aliquid simile centumvirorum institutioni: narrat enim, quomodo Romulus Senatum Centumvirorum coegerit. Imperavit singulis tribubus, ut ternos eligerent, qui in sua quique tribu prudentia & generis splendore præstarent: atque ita cum tum triginta solum tribus essent, nongenti electi, quibus additi Novemviri collectis Curiarum suffragiis, & tandem unus, cui, cum foris esset Romulus, Civitas tanquam Proregi committeretur. Sed illa pertinent ad Senatum, ex quibus tamen conjicere possumus argu-

Centumviri unde. — *Cohors Miliaria.* — *Quingentaria.* — *Curia.* — *Tribus.* — *Centumviri quomodo creati.* — *Quomodo ex conjectura.*

mentum ad originem Centumvirorum deprehendendam, quæ tum fuit, cum quinque aliis tribubus aucta fuit Civitas. Fuerunt centum & quinque, rotundiore 2 tamen nomine Centumviri vocati. Deinde numerus auctus est, adeo ut sederent centum & octoginta. Plinius libr. VI. ad Romanum. Fœmina splendide nata quadruplici judicio bona repetebat. Sedebant Judices centum & octoginta, tot enim quatuor consiliis conscribuntur, id est, in singulis quadrageni quini. Erant namque quatuor Tribunalia in Basilica: in qua cognoscebant, & quadruplex consessus. Ideoque quadruplex judicium supra a Plin. dicitur. Fabius cum de Thracalo loquitur: Certe cum in Basilica Julia diceret primo Tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur. Et forte auctus est per Flavium Vespasianum numerus supra centesimum. Tranquil. in ejus vita. Litium series ubique majorem in modum excreverat, manentibus antiquis intercapedine jurisdictionis, accedentibus novis ex conditione tumultuque temporum, sorte elegit, per quos rapta bello restituerentur, quique judicia Centumviralia, quibus peragendis vix suffectura Litigatorum ætas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad brevissimum numerum. Fabius tamen, qui fuit sub Domitiano filio minore natu Vespasiani, cap. 11. libr. V. duarum hastarum tantum meminit, ubi sententia lata in uno concessu Centumvirorum, apud alterum est habitura vim præjudicii, si Reo repetito objiciatur. Et de partibus (ait) Centumviralium, quæ in duas hastas divisæ sunt. Neque video quomodo conciliari possit locus ex quinto cum loco ex duodecimo, nisi divinetur, 3 sub Domitiano scriptum fuisse quintum, neque hastas adhuc quatuor fuisse, duodecimum tum, cum duæ aliæ additæ essent. Sed idem lib. XI. repetitur. Succurret (ait) si apud alios Judices agetur, ut in secunda assertione, aut in Centumviralibus duplicibus parte victa. Hasta enim pro Judicio Centumvirali per metonymiam capitur, quia quo die litigaretur, ante subsellia hastile erigebatur, symbolon cognitionis futuræ. Valer. lib. VII. Notæ insaniæ Tuditanus testamento filium instituit hæredem, quod Titus Longus sanguine proximus hastæ judicio subvertere frustra conatus est. Pomponius l. II. de orig. juris. Cum esset necessarius Magistratus qui hastæ præesset, Centumviri litibus judicandis constituti sunt. Martial. lib. VII. de Silio:

Centum octoginta viri. *Quatuor Tribunalia Centumvirorum.* *Fabii locus.* *Hasta.*

Hunc miratur adhuc Centum gravis hasta virorum,
Hunc loquitur grato plurimus ore Cliens.

Hasta usus. Hastæ usus a Romulo profectus est, & ad posteros transmissus, ut solemnia multa tam in auctionibus, & publicis bonorum proscriptionibus, quam in foro interventu hastæ peragerentur. *Quirinus* Quirinus enim dictus est a Sabinis ab hasta: quem morem retinent, qui Decurionibus Municipiorum præsunt, Marii, & Burgimagistri vocantur, cum dici deberent Magistri Civium, ut olim Romæ. *Rabdouchi.* Hastile, id est, oblongum scipionem gestant, qui id circo Rabdouchi

A vocari possent, nisi id nominis a Græcis translatum esset in Theatrum, ubi virgula, & quasi radio, more Mathematicorum, designant ludorum apparatum, Latinis Designatores vocantur, auctor Donatus in Adelphis Terentianis. Tranquillus in Augusto: Auctor fuit, ut Centumviralem hastam, quam Quæstura functi consueverant cogere, Decemviri cogerent. Quæstoriorum non fit mentio apud Fenestellam, ejus enim sunt hæc verba: Cum bellorum munera, cæteris Magistratibus non sufficientibus, ad B Prætores deferrentur, quorum munus administratio juris præcipuum fuit, creati sunt Decemviri, qui jus in urbe dicerent, Prætorumque partes eo tempore gererent, litium judicandarum gerendarumque appellati. Ubi suspicor, corrupte legi Decemviros pro Centumviris, præterquam quod ambigitur de fide libelli, 5 qui Fenestellæ veteri Historico tribuitur, cujus meminerunt Livius & Gellius: nam Breviarium est potius Fenestellanæ historiæ, aut Miscellanea ex aliis auctoribus in idem argumentum, etiam aliquando parum fideliter C relatis. Nam plerumque ambigo de fide, & veritate, cum pugnantia aliis scribat. Prætor ergo ex his duobus locis, si Romæ erat, cogebat hastam, si non, Quæstura functi ante Augustum, post Decemviri litium. Atque ita capiendus Suetonii locus, ne si Prætor non coegisset, idem non præsedisset, quod est vanissimum: cum cogere ejus sit, cujus præsidere, utrumque meri imperii. Valerius: Cum M. Ciceronem, qui id judicium cogebat, id est, qui causæ præerat. Decemviri litium non sub Augusto recens in eam rem creati sunt, sed & D ante fuerunt. Cicero pro Cecinna: Probavi, cum Aretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta Decemviris religionem injecisset, non posse sacramentum nostrum justum judicari. Deinde paulo post: Decemviri prima actione non judicaverunt, sed postea re quæsita & deliberata sacramentum nostrum justum judicaverunt. Idem pro domo sua: Quin etiam si Decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent, tamen quotiescunque vellet quis in hoc genere se rem judicatam referre, posse voluerunt. Ex quibus constat, E Decemviros certas forte causas, ut liberales, & quibus de statu cujusque quæreretur, cognovisse: quæ ut plurimum solent decidi delato jurejurando, quoniam in facto consistant, & obscuri sint conjecturarum loci, ut hodie nostro sæculo provinciis singulis præficiuntur in eas liberales causas, Electique vocantur. Disceptant enim quis ingenuus, quis servus, quia multi sunt, qui ingenuitatem mentiuntur in fisci fraudem, ne pro capite tributum pendant, & ut Villani (sic enim vulgus vocat) F Ærarii fiant, id est, taleabiles. Vero autem simile est 6 Decemviros ex ordine Centumvirorum fuisse, eumque decimatum, id est, decimum quemque vel sorte, vel censura electum ad eas causas, sicut olim fiebat in Coloniarum deductionibus, ubi decimo quoque consilii publici gratia a Triumviris deductoribus assumpto nati sunt Decuriones Civitatum privatarum, Coloniarum, & Municipiorum; auctor Pomponius in l. Pupillus. ff. de verbo. si-

Designatores. *Quæstorii* *Historia Fenestellæ.* *Judicium cogere. Decemviri litium.* *Liberales causæ.* *Electi hujus temporis.* *Ærarii. Decemviri Decuriones Centumvirorum.*

gnifi. Videntur præterea auctionibus præfuisse. Cicer. in lege Agraria: Prædam, manubias, sectionem, castra denique Cn. Pompeii sedente Imperatore Decemviri vendent? Sic citatur a Gellio, & apud Nonium Marcellum non legitur emendate. Malim intelligere de Decemviris non litium, sed iis qui Cicerone, & Antonio Coss. magna contentione, tumultuque populari petebantur ab iis, qui restitui in integrum volebant fortunis spoliati, & gradu honorum dejecti a Sylla Dictatore, quorum meminit pluribus Plutarchus in Cicerone, & idem Cicero in legibus Agrariis contra Rullum. Petebantur autem ut Decemviri Italiam, Syriam, & quæ Pompejus adjecerat imperio, distracta in ærarium redigerent, exercitum haberent, damnarent quos vellent, Colonias deducerent. Quid multa? Rempubl. constituerent omnino ad libidinem. Magni viri in eo Collegio fuerunt. Cic. in dialog. de claris Oratoribus. Nam idem Segultus veteranus, quod & tu & Cæsar in Decemviris non essetis, utinam ne ego quidem essem. Hunc Magistratum gessit & Ovidius, ut scribit lib. III. Fastorum:

Nonius emendatus.

Magni viri in Collegio Decemvirorum.

Hanc ego militia sedem, tu pace parasti
Inter bis quinos usus honore viros.

Meminit & Plin. ad Rufum lib. v. nisi menda subsit. Sedebant Judices, Decemviri venerant, obversabantur Advocati, silentium longum, nuntius tandem a Prætore. Ubi in quibusdam legitur Centumviri, sed præstat intelligi de more pristino servatoque ab Augusto, ut Decemviri judicio interfuerunt, ut Centumvirorum Decuriones.

Locus Plinii.

COROLLARIUM AD CAP. XIV.

Tribus & Curiæ.

1 Fuerunt Romæ XXXV. Tribus, &c.) *Ex præcedente loco Festi Tribus & Curiæ pro iisdem sumuntur, quas etiam apparet fuisse quinque & triginta. Nicolaus tamen Grucchius ut diversas Tribus a Curiis, sic Tributa Comitia a Curiatis diversa fuisse asserit lib. 2. cap. 1. de Comitiis. Quod si verum est, nihil hic apud Ciceronem pro domo sua immutandum est. Quin etiam de numero Tribuum varie disputat: nam ætate Romuli, aut nullas, aut tantum tres fuisse Tribus ex Dionysio, Varrone, Plutarcho, & Livio contendit vir ille diligentissimus. Maxima autem in iis obscuritas & difficultas consistit propter Auctorum dissensionem. Vide etiam Carolum Sigonium lib. 1. cap. 3. de antiq. Jur. Civium Rom.*

Tres tribus tempore Romuli.

2 Rotundiore nomine Centumviri) *Sic septuaginta Interpretes dicti, licet septuaginta duo fuerint teste August. lib. 18. de Civitate Dei.*

3 Nisi divinetur sub Domitianum scriptum &c.) *Iterum hic alius obex ex Fabio ab Auctore proponitur, quem etiam diluere conabimur pro virili, conciliando unum locum cum aliis, hoc modo: ut Fab. c. 5. l. 2. & c. 1. l. 11. Instit. Orator. ubi hastarum Centumviralium duplicium tantum meminit, loquatur de duobus judiciis, consessibus, aut consiliis coactis. Cum autem quatuor essent Centumvirorum consilia, & tribunalia, interdum duo, aliquando plura cogebantur, atque hac ratione nunc duplex, nunc quadruplex dicitur Centumvirale. Quod manifestum fit ex præcedentibus, atque ex Plinii epist. lib. 6. ad Roman. Sequutus est varius eventus: nam duobus consiliis vicimus, totidem victi sumus. Accedit Valerius Max. lib. 7. cap. 7. de milite. Cum improbissimis hæredibus de paternis bonis contendit apud Centumviros, omnibusque non solum consiliis, sed etiam sententiis superior discessit. Facit etiam Papinia. J.C. in l. 76. de Legat. lib. 2. & Marcellus lib. 10. de inoff. testa. ff. Idem Plinius lib. 4. epist. Proxime cum ad Centumviros dixissem, subiit recordatio egisse me juvenem æque in quadruplici judicio. Processit animus, ut solet, longius: cœpi reputare, quos in hoc judicio, quos in illo socios habuissem, ex quibus videre est nunc coacta, interdum fuisse divisa Tribunalia, atque horum exemplo videmus in Curiis seu Parlamentis Galliæ plures Judicum Consessus seu Classes, quas Cameras vocant, quæ coguntur, & conjunguntur, si quando de causa ardua, & ad exemplum pertinente controversia sit. Duplices autem hastas dixit, quemadmodum Vergilius primo Æneidos duplices palmas, pro duabus conjunctis.*

Iterum Fabius explicatus & conciliatur.

Quatuor Centumvirorum judicia.

Parlamentorum vari consessus.

4 Ubi suspicor corrupte legi Decemviros) *Budæus apud Pomponium legit Centumviros. Goveanus tamen contra mavult Decemviros legere, quod putet Centumviros Magistratus non esse, sed coercerentur & cogerentur a Decemviris libr. 1. variar. lect. cap. 24. Verum nec hi Magistratus etiam sunt, si Grucchio credimus.*

Diversa lectio.

5 Ambigitur de fide libelli) *Quod hic libellus, qui nunc passim omnium manibus teritur sub nomine Fenestellæ de Magistratibus Rom. non sit illius Fenestellæ, qui vixerit tempore Tiberii, cujus meminerunt Livius, Plinius, & Gellius, vel ex eo convincitur, quod eosdem sæpissime laudat auctores, & Episcoporum, Archiepiscoporumque nostrorum mentionem facit. Suntque qui tribuant Dominico Flocco Florentino.*

Fenestella.

Dominicus Floccus.

6 Vero autem simile est Decemviros) *Confirmare opinionem Auctoris nostri videtur Ovidius l. 3. de Ponto ad Cottam:*

Decemviri.

Utque fui solitus, sedissem forsitan unus,
De centum Judex in tua verba viris.

Si conferatur cum loco 4. Fastorum in textu posito. Atque in Pisonem:

Sed trepidos ad jura decem vocat hasta virorum,
Et firmare jubet Centeno Judice causam.

Jacobus tamen Revardus, hic quondam Professor Regius, cap. 18. & 19. lib. singulari Pro tribun. putat Decemviros fuisse, quos Prætor Urbanus in consilium dieb. cognitionem adhibebat, nimirum sub Augusto decem Senatores, sub Anton. & Alex. quinque Senatores & totidem Equites Rom. quemadmodum in Provinciis extremo conventus die a Præside, aut Proconsule adhibebantur Recuperatores peregrini, de quib. Theophilus lib. 1. Institut. tit. 6. & Ulpian. in fragment. tit. 1. §. eadem lex. Tu judica Lector.

Jacobus Revardus.

Decem Senatores & Equites. Recuperatores.

ARGUMENTUM

CAP. XV.

De Recuperatoribus, quomodo, & quando dabantur, de Formulis Recuperatorii judicii, & Assertionibus.

Recuperatores. Extra ordinem a Prætore dabantur Recuperatores: Itaque ii sunt, qui alias dati, dativi, delegati, & quibuscunque in causa jurisdictio mandata est, qui & Latine *Commissarii.* Commissarii dici possunt, a quo non video cur multi superstitiose abhorreant, tanquam parum Latino: nam si mandare idem quod credere, deponere, committere, cur magis recipitur Mandatarius, quam Commissarius? Aut cur magis hoc vitatur, quam Fideicommissarius, cum plurima etiam sint in jure vocabula per eandem analogiæ formam facta, Legatarius, Donatarius, Commodatarius, Depositarius, & alia, uti *Dataria salus. Manifestarius fur.* dataria salus, 1 manifestarius fur apud Plautum. Dabantur autem in certa causarum genera, & in certam pronuntiandi formulam. Eorum munus astrictum fuisse satis arguit *Recuperatores unde dicti.* Recuperatorum nomen, quasi apud eos certetur de recuperando 2 eo, quod depositum in sponsionem erat. Ubicunque enim in litem sponsione Litigantium coibatur, recuperatorib. dandis locus erat: neque enim in solis interdictis usurpabantur, sed in mutuo, & in aliis. Cic. pro Flac. ubi Hermippus mutuum repetit a quodam veteratore, & plano vitilitigatore: Hunc æstuantem & tergiversantem (ait Cicero) judicio ille persequitur, a Recuperatoribus causa cognoscitur, qui rem contra istum minime dubiam prima actione judicaverunt. Cum judicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus est. Hæc ille. Dederat vero hos in provincia L. Flaccus Prætor. Cicero ad Quintum fratrem Proconsulem Asiæ: Sed tamen parvi refert abs te ipso jus dici æqualiter, & diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris. Recuperatores significantur, quibus civiles & pecuniariæ privatorum causæ committebantur. Plautus in Bacchidibus:

Postquam quidem Prætor Recuperatores dedit,
Damnatus demum vi coactus reddidit
Ducentos, & mille Philippum.

Capitolinus in M. Philosopho: In Senatus honorificentia multis Prætoriis, & Consularibus privatis dicenda negotia delegavit, quo magis eorum cum exercitio juris *In quam partem causæ dabantur* cresceret auctoritas. Porro non in universam actionem dabantur, sed in eam partem, quæ media est inter litis contestationem, & sententiæ exequutionem, quæ solius est jurisdictionis, reliqua imperii sunt, & ad legis actionem pertinent, ut ante diximus. Constituto itaque judicio & lite contestata per sponsionem depositæ pecuniæ, tum demum Prætor Recuperatoribus litem delegabat, sed in eam formam tantum, in quam lis erat contestata, ut eatenus pronuntiarent. Itaque eorum non

A fuit libera jurisdictio, sed sine imperio nuda, atque in formula delegationis seu commissionis, quæ vel libello concipiebatur, vel viva voce nuncupabatur, utebatur Prætor verbis litem contestantium, hoc modo in causa Cecinnæ, *Ebutius edicto unde vi tenetur?* Ebutius respondeat, *Non tenetur.* Hic lis constituitur, & disceptatio est, vel judicatio Rhetorum, an teneatur. Tum Prætor jubebat Cecinnam facere sponsionem. *Ni adversus edictum Prætoris vis facta esset*, præibatque Recuperatoribus quasi sententiam dictando. Ita: B *Ni adversus edictum unde vi vis facta sit, absolvatur Ebutius.* Et fere negative concipiebatur, aliquando etiam affirmative: *Si adversus edictum vis facta sit, condemnetur.* Utrocunque modo concepisset, cognitionem iis verbis astrictam delegabat, ut tantum pronuntiarent sic, vel non. Cic. 6. Act. in Verrem de Servilio: Jubet hominem Lilybæum vadimonium Venerio servo suo promittere, promittit. Lilybæum venitur, cogere eum cœpit, cum agere nemo postularet. H-S. duobus millibus sponsionem facere cum Lictore suo, ni furtis C quæstum faceret. Recuperatores de cohorte sua dicit se daturum. Idem Actione v. de Agyrinensibus: Quærebant, quæ in verba Recuperatores daret. Respondebat, si pateret adversus edictum fecisse. Ni & Si usitatissima sunt in formulis commissoriis seu Recuperatoriis, quia in sponsionem judicaretur. Cic. pro Cecinna ad finem narrationis: His rebus ita gestis P. Dolabella Prætor interdixit, ut est consuetudo, de vi hominib. armatis sine ulla exceptione, tantum ut, unde dejecisset, restitueret, re- D stituisse se dixit. Sponsio facta est, hac de sponsione vobis judicandum. Quæ causa apud Recuperatores perorata est. Tranquillus in Domitiano: Recuperatores ne semper persuasoriis assertionibus accommodarent, identidem admonuit. Ubi Sabellicus Antiquarius peritissimus Recuperatores interpretatur eos, qui res ad Fiscum pertinentes cum asserendi potestate requirebant, quod nullo auctore laudato ipse de suo capite fingit: nam & Recuperatores capi in eum sensum nunquam mihi aut exemplo probabit. Quid enim Recupera- E toribus cum Fisco, cum Cæsar suos haberet Procuratores, qui fortassis iidem erant cum Fiscalibus? Adde Assertiones pro vendicationibus rerum Fiscalium nusquam usurpari: ubicunque enim auctores assertionum mentionem faciunt, controversiæ de statu & causæ liberalis meminerunt. Hinc tit. l. 7. C. de assertione tollenda, est asserere, vendicare in libertatem. Terent. in Adelphis.

Jurisdictio nuda & astricta.

Præibat Recuperatoribus Prætor.

Ni & Si formulæ Recuperatorii Judicii.

Sabellicus reprehenditur.

Assertiones.

Asserere.

F *———— Ego hanc liberali assero causa manu.*

Olim ergo si quis ex servitute sese eximere vellet proclamata libertate, cogebatur sibi Assertorem apponere (quia servi in mortuis comparati agere non poterant) qui assereret eum liberum, litemque susciperet. Aut contra si quis 3 in servitutem ex libertate revocaretur, Assertore opus erat. Liberalis causa sæpius repetebatur, totidemque assertiones erant. Hinc prima, secunda,

tertia. Fab. cap. 1. lib. XI. Succurret etiam si apud alios Judices agetur, ut in secunda assertione; & in Centumviralibus judiciis duplicib. parte victa. Martialis ad Quintianum de quodam Plagiario lib. 1.

Si de servitio gravi quæruntur,
Assertor venias, satisque præstes,
Et cum se dominum vocabit ille,
Dicas esse meos, manuque missos,
Hoc si terque quaterque clamiteris,
Impones Plagiario pudorem.

Repetitiones istæ assertionum, aliæque veteres cæremoniæ per Justinianum sublatæ sunt. Sunt igitur apud Tranquillum Recuperatores dati in causas liberales & assertiones, quæ quia persuasoriæ erant, ideo sæpius iterabantur sine ulla provocatione. Ideo monet ne statim sinant sibi persuaderi hujusmodi assertiones, ne quod unus probavit, alius rescindere cogatur, non habita præjudicii reverentia. Enim vero non fuit certum, Recuperatorum collegium ut Judicum, & Centumvirorum, sed extra ordinem dabat Prætor quos volebat, ut manifestum fit ex Verrinis. Plinius lib. 3. ad Maximum: Nam ut Recuperatoriis judiciis, sic nos in iis Comitiis quasi repente apprehensi sinceri Judices fuimus. Significat nihil tale cogitantes adhiberi in Recuperatoriis: Est enim Recuperatorium interdictum unde vi, species tamen Recuperatorii judicii & actio Recuperatoria, ut in causa Cecinniana.

Locus Tranquilli explicatur.

Extra ordinem Recuperatores dabantur

Interdictum unde vi.

COROLLARIUM AD CAP. XV.

1 Salus dataria) *Plautus in Pseudolo.*

A

BAL. Eho, an non prius salutas?
SYC. Nulla est mihi salus dataria.

2 Quasi apud eos certetur de recuperando) *Cui subscribit Theophil. §. eadem. Institut. quibus ex caus. manu. non licet. Recuperatores etiam dictos Festus ait, qui inter Popu. Rom. & civitates peregrinas de rebus privatis reddendis recipiendisque cognoscebant. Recuperatorii judicii obvia sunt exempla apud probatos auctores. Antiquissimum & nobilissimum est apud Livium lib. 26. Judicum a Scipione datorum, uter prior in oppidum transcendisset, ut murali corona donaretur. Et apud eundem lib. 43. Meminit etiam Gellius.*

Recuperatores unde.

Recuperatorium judicium

B

3 Aut contra si quis ex libertate) *Exemplum est apud Livium lib. 2. U. C. de Virginia, cujus Assertor erat M. Claudius Appii Cliens.*

4 Liberalis causa sæpius repetebatur) *Hermogenianus J. C. in l. ult. de coll. deteg. ff. ait: sententiam pro ingenuitate dictam, & collusionis prætextu semel retractare permittitur. Imperator tamen Justinian. in l. 1. C. de assertione tollenda, meminit secundæ, & tertiæ repetitionum, quas abrogat, Vopiscus in Probo, tertiæ: Capitolinus in Pertinace, quartæ, & in M. Philosopho quintæ relationis meminerunt. Quod Cælius Rodiginus l. 20. c. 10. & Egnatius in Pertinace interpretantur, ut quinquies super re judicata referre possent: id quod fortassis adaptandum est in causis illis, in quibus contra libertatem pronuntiatum erat, quæ quidem semper favorabilis fuit. Alciatus tamen l. 10. Pareg. c. 22. aliter sentit, & revera aliæ relationes, aliæ repetitiones fuerunt.*

Repetitiones in causis liberalibus

C

SUMMARIUM

Libri quarti.

LIBRO IV. CAUSIS DIVISIS ET DISTINCTIS, TANDEM DE ACCUSATORIBUS, ET REIS, ATQUE DE PRAXI PUBLICORUM JUDICIORUM AGITUR.

HISTORIA FORI ROMANI

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM CAP. I.

De divisione causarum, & earum discrimine.



HACTENUS judicialis Fori Magistratus cum reliquis ejusdem loci operis descripti sunt: supersunt deinceps negotia, quæ eodem loci ab iisdem agitantur demonstranda. Et quia non temere, & sine delectu quibusvis Judicibus quævis causæ offeruntur, ponatur primum duplex earum discrimen, ut quædam publicæ sint, quædam privatæ. Differunt autem inter se multis nominibus: Publicæ enim quasi populicæ dictæ, quod olim tantum ad Populi concionem peroratæ. Aucto demum causarum, atque civium numero ad Judicum Decurias, quæ Populi muneribus judiciorum succederent, translatæ sunt; hæ autem apud Prætorem, Centumviros, Recuperatores, Arbitros, & reliquos juris privati Disceptatores controverterentur. Ita Prætoriæ causæ, & Centumvirales pro privatis dicuntur: Unde apud Gellium lex 1 Ebutia Centumviralium causarum. Ad hæc, publicæ sub dio & Jove frigido, privatæ in Basilica agebantur. Illæ subdiales, hæ Basilicanæ dici possunt, sicut lib. 1. annotavimus. Illæ legibus per populum jussis rogante Magistratu Senatorio, hæ actionibus primum per Pontifices, mox per Pragmaticos, & Prætores, editis constituuntur: quo nomine dictinctæ sunt publicæ a popularibus, quia populares, actionibus datis per Prætorem, exercentur, ut de sepulchro violato, ne quid in flumine, loco, ripave fiat, de cloacis, & reliquis, quæ ad Publici conservationem spectant. Habent tamen hoc commune, quod quemvis Accusatorem de Populo admittunt. Paul. l. 11. de popul. action. Si plures simul agant populari actione, Prætor eligat idoneiorem. Publicæ vero definiuntur, quod cuivis ex Populo exequutio earum plerumque datur: Auctor Justinia. 2 in calce Institut. Utraque ad publicam vindictam comparata. Leges autem Judiciorum enumerantur. l. 1. ff. eod. Lex Julia majestatis, Julia de adulteriis, Cornelia de sicariis & veneficiis, Pompeja de parricidiis, Julia peculatus, Cornelia de testamentis, Julia de vi publica, Julia de vi privata, Julia ambitus, Julia repetundarum, Julia de annona. Adduntur & aliæ

Causarum divisio. Causarum discrimen. Privatæ causæ. Populares. Publicæ. Publicorum judiciorum ll.

A in Institutionibus Julia de residuis, Flavia de plagiariis. Et si quod flagitium committitur, quod aliqua lege non comprehenditur, extra ordinem cognoscitur. Et tit. est in ff. de extraord. crim. Porro supra docuimus, 3 quomodo ante Syllæ dictaturam omnia criminalia judicia erant extraordinaria, nondum latis perpetuis legibus, quibus legitima judicia fierent, & in ordinem cogerentur. Nam omnia tamen judicia, in quibus crimen vertitur, publica sunt, ut furti, bonorum raptorum, Aquiliæ, & reliqua, quæ pariunt obligationes ex maleficiis, B neque omnia capitalia sunt, sed quædam sola corporis coercitione, vel multa pecuniaria vindicantur. Capitalia vero duplicia sunt, ut & caput in jure duplex est, Civile & Naturale, & duplex mortis discrimen Civilis & Naturalis. Itaque phrases illæ in Orationibus veterum, dicere causam capitis, dimicare pro capite, ad capitis imminutionem mediam, qua civitas, maximam, qua civitas & libertas amittitur, fere semper referuntur, ubi caput pro statu incolumi capitur, sicut in jure servi caput 4 non habent. C Cicero in Oratione pro Quintio locum retinere dixit, pro capitis imminutionem mediam vel maximam propulsare: Quid igitur pugnas? an quod sæpe multis locis dixisti, ne in civitate sit? ne locum suum, quem adhuc honestissime defendit, obtineat? ne numeretur inter vivos? decernat de vita & ornamentis omnibus? Quod tractum est a militibus prælium committentibus, quibus turpe loco cedere, gradum deserere, pedem referre, locum captum non posse tueri. In eadem Oratione existimationem vocat, quæ est in ornamentis, quibus civilis vita retinetur: D Dum existimatio integra est, facile consolatur honestas egestatem. Hanc definit Callistratus; 5 esse dignitatis illesæ statum, legibus, & moribus comprobatum, quæ ex delicto nostro, auctoritate legum, aut minuitur infamia, & media imminutione capitis, aut consumitur maxima, ut deportatione. Paucæ enim leges Rom. civium maleficia ultore ferro prosequuntur, sed aut relegant, deportant, in exilium mittunt, consecrant, aqua, & igni interdicunt, aut alias infamiam irrogant. Itaque nec virgis 6 cædere, E neque in crucem tollere civem Rom. usitatum est, unde & Paulus in Actis Apost. ad Cæsarem provocat, & M. Cic. gra-

Extraordinaria crimina. Capitalia. Caput. Existimatio.

vissime exaggeravit, civem Rom. vinctum, cæsum, & in crucem sublatum a Cajo Verre Prætore in Sicilia miserabili voce, *Civis Romanus sum*, toties inculcata. Accedit & aliud discrimen, quod quamvis ex publicis quædam sint pecuniaria, eo tamen a privatis distinguuntur, quod multa in publicis confiscatur, & Fisco infertur, ut litis æstimationes: In privatis Petitori adjudicitur, ut cum actiones dupli, tripli, aut quadrupli sunt persequutoriæ. Adnotabuntur deinceps a nobis in contextu Historiæ alia discrimina in solemnibus requisitis in utroque exercendo. Interim principis causarum divisionis, quam præmisimus, sic meminit Cicero pro Cecinna: Quærendum magis etiam videtur, ideo quod omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt, quorum alterum levius est, propterea quod & minus lædit, & persæpe Disceptatore domestico dijudicatur: Alterum est vehementissimum, quod & ad graviores res pertinet, & non honorariam operam amici, sed severitatem Judicis & vim requirit. Pro Rabirio, majora judicia publica appellat. Sed prius de Accusatoribus, quam de Petitoribus dicamus.

Multa in publicis Fisco infertur. Litis æstimationes.

Majora Judicia

PHILIPPI BRODÆI J. C. COROLLARIUM ad caput primum.

1 Apud Gellium) *Lib. 16. c. 10. Noct. Att. Fuit autem & alia Ebutia lex, sed nil ad Rhombum.*

2 Auctor Justinianus) *Tit. de pub. jud. §. 1.*

3 Supra docuimus) *Cap. 7. l. 3. nostræ historiæ.*

4 Servi caput non habent) *§. servus. Instit. de cap. dimid.*

5 Hanc definit Callistratus) *Lib. de extraord. cognit. ff.*

6 Nec virgis cædere, nec in crucem toll. &c.) *Post ll. Valerias, de quibus alibi commentati sumus, l. Porcia lata fuit a M. Porcio Catone, quæ pro scapulis aut tergo nominata est a Festo, & Livio, quia vetitum erat civem Rom. verberare, aut necare; sub qua quidem non comprehendebantur Perduelles, qui hostili animo adversus Rempubl. aut Principem animati sunt. l. ult. ad leg. Jul. majest. in quos more majorum Coss. animadvertebant turbulentis Reipub. temporibus, præsertim quando S. C. hoc factum esset,* Videant Coss. ne quid Respub. capiat detrimenti. *Nam tum l. Porcia dormiebat: hoc enim S. C. veluti armati Nasica & Opimius Tiberium, & Cajum Gracchos interfecerunt; Marius Saturninum & Glauciam; Cicero Lentulum, Cethegum, & alios conjuratos. Hoc enim S. C. summa rerum tribuebatur, ut testatur Plutarchus in vita Ciceronis & Pauli Æmilii. Quod etiam probat Sallustius in Catilinario: Cajo Martio & Furio Valerio Consulibus permissa est Respubl. Num unum diem postea L. Saturninum Tribun. Pleb. & Cajum Servilium Prætorem mors ac Reip. pœna remorata est? Item Cicero in l. Agraria, & oratione pro Milone. Hæc lex autem Porcia adhuc tempore Ciceronis in viridi, quod ajunt, erat. Sic enim exclamat in Verrem, qui legem*

LL. Valer. & Porcia pro tergo & scapulis. Perduelles.

S. C. quod fiebat turbulentis Reip. temporibus.

A *violaverat: O nomen dulce libertatis, o lex Porcia, legesque Semproniæ! Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Rom. ab eo, qui beneficio Pop. Rom. fasces, & secures haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? Et aliis in locis. Imperatores vero & Tyranni, cum legibus solutos sese crederent, illis neglectis pro libidine in quosvis sæviebant. Suet. in Galba: Et tutorem, quod pupillum, cui substitutus hæres erat, veneno necasset, cruce affecit, implorantique leges, & Civem Rom. se testificanti, quasi solatio, & honore aliquo pœ-* B *nam levaturus mutari, multoque præter cæteras altiorem, & dealbatam statui crucem jussit.*

Leges Semproniæ.

ARGUMENTUM

CAP. II.

De Accusatoribus, Quadruplatoribus, Sectoribus, & horum hominum grege, præmio, & eliminatione ab optimis Principibus.

C

Accusatores Romæ voluntarii erant, neque ut in Græcia publice constituti. Et cum aliud alium ferret in Reum, ut privatum odium, præmii spes, gloriæ aucupium, propinquorum vindicta, publica causa, accidebat, ut multi simul deferrent, 1 qui cum convenire non possent, ut uni accusationem cederent, sed sese quisque idoneum contenderet, res Judicum cognitione disceptabatur, deferendique jus sententia decernebatur. Hanc D controversiam de Accusatore constituendo, Divinationem appellabant, quod de futuro divinandum esset, ut est apud Gell. cap. IV. lib. X. Etenim cum omnia judicia de præteritis instituantur, & an sit, quid sit, jurene sit factum, apud Judices tantum quæratur, futurorum conjectio vatibus, auguribus, publicis religionum interpretibus, & deliberationes capiendorum consiliorum agitantibus relicta est, hæc una divinatio futuri quæstionem in forum & Judicum disquisitionem invexit. Hæc ante justum cum Reo congressum, in- E ter ipsos Delatores, instar velitationis cujusdam, concertabatur in primo limine ante ipsum causæ vestibulum. Itaque Prolusio vocatur, etiam Rhetoribus, & Prodromos, ut reliquæ translationum species in Rhetoricis. Plinius lib. IV. ad Ursum: Habetis interim epistolam meam, ut prodromon, expectabis orationem plenam, onustamque. Exemplum est in causa Verris, ubi M. Cicero prolusit ante legitimum certamen cum Q. Cæcilio. Est enim proludere ad serium prælium sese comparare, F imitarique speciem justi conflictus, ut solent, qui pilam ludunt, semel atque iterum animi gratia exercere; ne si lusum auspicarentur a seria pugna, statim membra nimia contentione, & repentina, haberent sese pejus & ineptius. Est enim periculosa metamorphosis subita & vehemens a summa quiete in acrem laborem. Itaque descendendum paulisper in certamen, non irrumpendum temere. Vergil. III. Georgic.

Accusatores.

Divinatio.

Prolusio, Prodromos.

Proludere.

Et

Et tentat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris innixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

Delatio. Publicorum ergo judiciorum exercitationes, quia communes, & expositæ omnibus civibus sunt, attulerunt ista accusationum præludia, ut cum multi delationem postularent, deferendi potestas, & subscribendi primariis Delatoribus per Judices fieret. Cicero III. Actione: Quod meum factum lectissimi, atque ornatissimi viri, quo in numero e vobis complures fuere, ita probaverunt, ut ei, qui Quæstor istius fuisset, & ab isto læsus, inimicitias justas persequeretur, non modo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, cum id postularet, facerent potestatem. Ex quo loco conjici potest, non eosdem fuisse Judices in divinatione, qui fuerunt in accusatione: sed repetitas a Quæstore sortes, sicut ex aliquot locis in eadem causa colligi potest. Quin annotat Asconius, in divinatione Judices injuratos consedisse, cum in vero judicio jurati essent. Porro tria omnino mihi fuisse videntur hominum genera hujusmodi accusationes profitentium; nobiles Adolescentes, qui a prima adolescentia, istis accusationibus vitia odisse discerent, & impetum jam conciperent æterni odii sibi quondam futuri cum perditis civibus, Quadruplatores, & diserti bonique Oratores. Cic. in Divinatione de Hortensio Verris Patrono: Videt (ait) si a Pueris nobilibus, quos adhuc elusit, si a Quadruplatoribus, quos non sine causa contempsit semper, & pro nihilo putavit, accusandi voluntas ad Viros fortes spectatosque Homines translata sit, se in judiciis dominari non posse. De nobilium Adolescentium domestica professione prius lib. II. disseruimus. 2 Proximum est, ut de Quadruplatoribus pauca dicamus, qui cum accusatoriam vitam vivant, & ad vexandos Reos præmio ducantur, latrocinium turpissimum exercent, improbamque voluptatem quærunt ex aliena calamitate, se se satiant civium suorum sanguine, oculos pascunt Reorum sordibus, ut Cassius Severus apud Fabium lib. XI. Dii boni (inquit) vivo, &, quo me vivere juvet, Aspernatem Reum video; quod tanquam non invite, sed cum voluptate Accusantis epiphonema reprehendunt multi. Quid enim crudelius, quid immanius, quam sanguinis humani flagrantissima siti ardere? At isti sanguinarii, etiam ebrii cruore, prius lassantur, quam satiantur. Ante Cæsarum tempora Quadruplatores, post Delatores cœperunt dici, qui & Græcis Sycophantæ. Sunt autem Quadruplatores, 3 qui in præmium accusationis, quartam partem bonorum damnati consequuntur, aut eorum Delatores, qui in quadruplum damnabantur, ut furti manifesti, aleæ, & pecuniæ gravioribus usuris fœneratæ, quam quibus per leges licebat; testis Pædianus. Qua forma dicta est Fabio quadrantaria Clytæmnestra, 4 quæ quadrante sui copiam faceret. Quadruplari, factitare, & profiteri quadruplaturam. Plautus in Persa:

Alii Judices in divinatione, quam in actione Judices injurati.

Accusatorum triplex genus.

Quadruplatores.

Incivile epiphonema.

Sycophanta.

Quadrantaria Clytæmnestra. Quadruplatori.

Neque quadruplari me volo: neque enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona:
Neque illi, qui faciunt, mihi placent.

De iis Plinius in Panegyrico: Ereptum alienas pecunias eunt? Perdent quas habent. Expellere penatibus gestiunt? suis exturbentur. Quanquam non semper præmium accusationis fuit quarta pars bonorum. Tranquillus in Nerone: Præmia Delatorum Papiæ legis ad quartas redegit, divisis populo viritim quadragenis nummis. De qua lege fortassis intelligitur Asconius in Milonianam: Milo postero die factus reus ambitus, apud Man. Torquatum absens damnatus est. Illa quoque lege Accusator fuit ejus Appius Claudius, & cum ei præmium lege daretur, negavit. Post paucos dies quoque Milo apud Favonium Quæstorem de sodalitiis damnatus est; accusante Publio Clodio Nerato, cui præmium lege datum est. Magni ergo viri præmium non accipiebant, ne quadruplaturam exercuisse viderentur, sed odio quodam vitiorum, aut famæ cupiditate ad dicendum descendebant. Plinius libro sexto ad Quadratum: Avidius referebat Thraseam præcipere solitum, suscipiendas esse causas, aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes. Cur amicorum? non eget interpretatione. Cur destitutas? quod in illis maxime & constantia agentis, & humanitas cerneretur. Cur pertinentes ad exemplum? quia plurimum referret, bonum, an malum ducem haberent. Ad hæc ego causarum genera, ambitiose fortasse, addam tamen claras & illustres: Æquum enim est agere nonnunquam gloriæ & famæ. Hæc Plinius: quasi reliquas Rabulis, & quæstuariis Causidicis relinqueret, ex quibus sunt Delatores, de quibus idem Plinius lib. V. ad Valerianum: Sed priusquam sententiæ dicerentur, Nigrinus Tribun. Plebis recitavit libellum disertum & gravem, quo questus est venire advocationes, venire etiam prævaricationes, in lites coiri, & gloriæ loco poni ex spoliis civium magnos, & statos reditus. Tranquillus in Tiberio: Decreta Accusatoribus præmia, nonnunquam & Testibus, nemini Delatorum fides abrogata. Criminantes etiam dicuntur. Idem in Caligula: Sæpe in cunctos pariter Senatores, ut Sejani Clientes, aut matris, aut fratrum suorum Delatores invectus est, prolatis libellis, quos crematos simulaverat, defensaque Tiberii sævitia, quasi necessaria, cum tot criminantibus credendum esset. Assidui 5 fuerunt hi Delatores Principibus (o utinam ne nunc sint) qui non modo crimina Majestatis, sed & quævis alia objicerent, modo inde rediret ad Fiscum, aut Ærarium aliquid. Sueton. in Domitiano: Nihil pensi habuit, quin prædaretur omnimoda bona virorum & mortuorum usquequaque, quodlibet, & Accusatore, & crimine corripiebantur. Satis erat objici qualecunque factum dictumque adversus Majestatem Principis. Confiscabantur alienissimæ hæreditates, vel existente uno, qui diceret se audisse ex defuncto, hæredem sibi Cæsarem esse. Idem tamen in initio Principatus justissimus fuit in Delatores. Fiscales (ait Sueto-

Præmium Accusationis Papia l.

Magni viri præmium non accipiebant.

Gloria magna Oratoris merces.

Criminantes.

Domitianus.

nius) calumnias magna calumniantium pœna repressit, ferebaturque vox ejus, Princeps, qui Delatores non castigat, irritat. Quod Domitiano gratulatur Martialis hoc Epigrammate:

Apophthegma.

Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras solicitabat opes:
Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes,
Et Delator habet, quod dabat exilium.
Exulat Ausonia profugus Delator ab urbe,
Impensis vitam principis annumeres.

Indice. Indices etiam dicuntur: Plinius in Panegyrico: Vidimus Delatorum indicum quasi grassatorum, quasi latronum, non solitudinem illi noviter, sed templum, sed forum insederant. Nulla jam testamenta secura, nullus certus status, non orbitas, non liberi proderant, auxerat hoc malum Principum avaritia. Deinde post: Et fortasse non eadem severitate Fiscum, qua Ærarium cohibes, imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo quam de publico credis. Unde indicinum præmium Indicis, ut qui aliquid invenerunt cum indicant domino, & dominus agnoscens beneficium aliquid reponit, indicinum 6 consequuti dicuntur. Apulejus lib.7. Asini aurei indicinam vocat. Ulpianus in l. falsus. §. qui alienum. ff. de furtis μήνυτρα vocat. Ex quo Plinii loco constat manubias ex proscriptionibus refectas modo in Fiscum, modo in Ærarium collatas. Hos ergo sive Quadruplatores, sive Delatores, sive Emissarios edicto gravissimo sustulit Titus Vespasianus, in cujus vita sic Tranquillus: Inter adversa temporum, & Delatores, Mandatoresque erant ex licentia veteri, hos assidue in foro flagellis & fustibus cæsos, ac novissime traductos per Amphitheatri arenam partim subjici in servos, ac vænire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi. Faciebant autem magnum quæstum calumniando Delatores, quod intelligitur ex iis quæ diximus, & ex Martiale l.11. in Vacerram.

Judicinum.

Titus Vespasianus.

Et Delator es, & Calumniator,
Et Fraudator es, & Negotiator,
Et Fellator es, & Lanista, miror
Quare non habeas Vacerra nummos.

Cicero ad Quintum fratrem Proconsulem Asiæ: Acerbissima Prætorum avaritiæ ministra calumnia. Propter Delatores ait, Calumniator enim Delator est. Ejusdem gregis sunt Sectores, qui delatorum proscriptionibus intersunt, bona distrahunt, manubiarum partem capiunt. Cic. 2. Philip. Tantus igitur te stupor oppressit, vel ut verius dicam tantus furor, ut primum cum Sector sis isto loco natus, deinde cum Pompeii Sector, non te execrandum populo Rom. non detestabilem, non omnes tibi Deos, omnes Homines, & esse inimicos, & futuros scias. Tacitus lib. 13. Ejus Accusationis auctor extitit Pætus quidam exercendis apud Ærarium sectionibus famosus. Hoc igitur Collegium, quod coivit ex his nebulonibus, Delatoribus, Quadruplatoribus, Sectoribus, Mandatoribus,

Sectores.

Boni Principes Delatores exturbarunt eliminaruntque.

A Emissariis funditus subvertit primum Divus Titus, deinde Nerva, tandem Trajanus. Plinius in Panegyrico. Ingenti quidem animo Divus Titus securitati nostræ ultionique prospexerat, ideoque numinibus æquatus est; sed quanto tu quandoque dignior cœlo, qui tot res illi adjecisti, propter quas illum Deum fecimus? Id hoc magis arduum fuit, quod Nerva Imperator te filio, te successore dignissimus, per quem magna quædam edicto Titi astruxerat, nihilque reliquisse tibi videbatur, qui tam multa excogitasti, ut si ante te nihil esset inventum. B Deinde paulo post: Quam juvat cernere Ærarium silens & quietum, & quale ante Delatores erat, nunc templum illud, nunc vere Deus, non spoliarium civium cruentarumque prædarum sævum receptaculum, ac toto in orbe terrarum adhuc locus unus, in quo, optimo Principe, boni malis impares essent, manet tamen honor legum, nihilque ex publica auctoritate convulsum, nec pœna cuiquam remissa, sed addita est ultio, solumque mutatum, quod jam non Delatores, sed leges timentur. C Quo in loco elegantissime exaggerat deportationem ad quam condemnati erant Delatores. Contigit (inquit) desuper intueri Delatorum ora supina, retortasque cervices agnoscebamus, & fruebamur, cum velut piaculares publicæ solicitudinis victimæ supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia gravioresque pœnas ducerentur. Sed paulatim renascebatur ejusmodi pestis, quæ tamen & sæpius extincta est, ut sub Antonino Pio, & Marco Philosopho Imperatoribus. Julius Capitolinus in Antonino Pio: Provinciæ sub eo D cunctæ floruerunt, Quadruplatores extincti sunt. Idem Capitolinus in Marco Philosopho: Cavit & sumptibus publicis, & calumniis Quadruplatorum intercessit, apposita falsis Delatoribus nota: Delationes, quibus Fiscus augeretur, contemsit.

Deportatio. Delatorum.

COROLLARIUM.

1 Ut multi simul deferrent) *Ad rem facit l.ult. de collus.deteg.ff. Si plures (inquit J.C.) ad collusionem detegendam pariter accedunt, causa cognita, quis debeat* E *admitti comparatis omnium moribus & ætatibus, & cujus magis interest, statui oportet. Quod iisdem fere verbis repetit Ulpian. l. 19. de accusat. & inscript. quibus convenit etiam l.2. de Popular.act. Hypothesis autem sive casus peti potest ex l. 1. §. si simul ad accusationem ff. d. l. Jul. de adult.*

Divinationes.

2 Lib.2. disseruimus) *Cap. 6. & 7. nostræ Historiæ. Quibus addatur & hoc Plutarchi in Lucullo: Id accusandi studium, vel sine privata occasione haud ignobile videba-*F*tur: quinimo plurima delectatione eos mirari laudareque juvenes consuevere, quos scelestis ac flagitiosis hominibus, ceu feris generosos catulos, acerrime cernerent incumbentes.*

3 Sunt autem Quadruplatores) *Sic Tac. l.4. Annalium: M. Lepid. Accusatoribus secundum necessitudinem legis, cætera liberis concessit. Quod & adhuc observatur in quibusdam edictis Regiis, ut Accusatoribus, & Denuntiatoribus, imo etiam Judicibus aliquota pars cedat bonorum commissorum. Cic.*

Quadruplatores.

autem in Oratione pro Roscio ait, cibaria Accusatoribus præberi solita.

4 Fabio quadrantaria Clytæmnestra) *Fab. lib.8. cap.6. circa finem ait, apud Cæcilium quandam Clytæmnestram quadrantariam in triclinio Coam in cubiculo Nolam dictam, quo nomine male audivit Clodia Metelli Celeris uxor, cujus etiam meminit Plutar. in vita Ciceronis. Interpretationem vero ænigmatis require ab Andrea Alciato lib.2. Parerg. c.12. Joanne Brodæo l.3. c.24. Miscellaneorum, Adrian. Turneb. Advers. l.3. c.19.*

Clodia Metelli uxor.

5 Assidui fuerunt hi Delatores Principibus) *Non possum mihi temperare in odium harum pestium, quas etiam grassari vidimus non ita pridem, quin illud addam ex Seneca lib.3. de benef. cap.26. Sub Tiberio Cæsare fuit accusandi frequens, & pene publica rabies, quæ omni civili bello gravius omnem togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium, nil erat tutum, omnis sæviendi placebat occasio, nec jam Reorum expectabatur eventus, cum esset unus. Cœnabat Paulus Prætorius in convivio quodam, imaginem Tiberii Cæsaris habens exculptam, eminente gemma, rem ineptissimam fecero, si nunc verba quæsiero quemadmodum dicam, matellam sumsisse. Quod factum simul & Macro ex notis illius temporis Vestigatoribus notavit. At servus ejus, cui nectebantur insidiæ, ei ebrio annulum extraxit, & cum Macro convivas testaretur admotam esse imaginem obscœnis, & jam subscriptionem componeret, ostendit in manu sua servus annulum. Quibus subscribit etiam Sueton. in Tiberio: damnato, inquit, Reo paulatim genus calumniæ eo processit, ut hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulachrum servum cæcidisse, vestem mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam latrinæ, aut lupanarii intulisse. Ex quibus apparet, quam miserum fuit vitam vivere aut protrahere sub hujusmodi Tyrannis, qui nil prius habebant, aut antiquius, quam ex civium miserorum spoliis, & fortunis ditescere, & Fisci loculos implere: quod ut citius, & liberius facerent, bonos & improbos, sontes atque insontes nullo discrimine mactabant, trucidabant. Tanta autem erat, tamque ardens sitis, tam rabida fames sanguinis, & auri, ut si toti maderent, & plenis faucibus se utroque polluerent, & ingurgitarent, tamen expleri, aut satiari nunquam possent, unicum restabat remedium huic morbo, ut ex utre Tomyridis, quo satiavit Cyrum, aut poculo liquido, quod Parthi Crasso propinarunt, biberent, quibus hic ardor restingui potuisset. Dii tales avertite pestes, ut ne nominentur quidem in Republica Christiana. Sanctius Divus Adrianus, ut ait Paulus J.C. in l.8. de bonis damnatorum, in hæc verba rescripsit: Favorabilem apud me causam liberorum Albini numerus facit, cum ampliari imperium hominum adjectione potius, quam pecuniarum copia malim. Est tit. l.11. C. de Delatoribus, ubi l.fin. ait, servum domini delatorem in exemplum omnium proditorum severissimæ sententiæ debere subjugari, etiamsi objecta probaverit, quæ interpretationem recipit ex l.53. de jud.ff.*

Accusatorum frequens. *Adrianus Imperator.* *Servus domini delator.*

A

6 Inditium consequuti dicuntur) *Facit ad rem l.Cornelia. §. ult. de injuriis. l.solent. de præscript. verb.ff. Quidam autem in d. l. falsus. legebant evangelia, sunt autem mercedes allati judicandi nuntii. Cic. ad Atticum: o suaves epistolas, quibus evangelia deberi fateor. Budæus μηνυτρα reposuit, id est, indicii præmium. Livius lib.2. Præmium Indici pecunia dici Ærario, libertas, & civitas data. Sic minitra dici possunt præmium, & honor, quibus donatur is, qui in exordio initiæ factionis studio veræ laudis accensus ipse prodiderit factionem, vel impunitas, & venia, qui usus fuerit factione, si vel sero, incognita tamen adhuc, consiliorum arcana patefecerit, in l. quisquis. §. ult. ad leg. Jul. Majest. Epinicia autem apud nos celebrantur, quando supplicationes decernuntur, & hymni decantantur publice ad agendas gratias Divis pro læto nuntio.*

Evangelia. *Epinicia.*

B

ARGUMENTUM
CAP. III.
De Prævaricatoribus, & eorum pœna.

C

Delatoribus victoribus præmium decernebatur, alias certum, ut lege Papia, & more recepto in quadruplaturis, alias arbitrarium, honorariumque, ut lege recenti quæstionis, quam Prætor ferebat, aut Senatus. Tac. lib. IIII. Quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de præmiis Accusatorum abolendis, si quis Majestatis postulatus ante perfectum judicium se ipse vita privavisset, ibaturque in eam sententiam, ni durius contraque morem suum palam pro Accusatoribus Cæsar inritas leges, Rempubl. in præcipiti conquestus esset, subverterent potius jura, quam custodes eorum amoverent. Sic Delatores genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coercitum per præmia eliciebantur. Victis autem pœna irrogabatur, ut enim odium justum vitiorum mercedem meretur, ita innocentium calumnia, aut proditio supplicium. Ideo Sycophantis, Calumniatoribus, Prævaricatoribus, Tergiversatoribus & reliquis multæ sunt constitutæ, qui quia non obtinent causam, & temere accusant, impudentis audaciæ dant pœnas. Prævaricator foris præ se fert speciem hostis, denuntiatis extremis Reo, intus vero animum habet amicissimum, & cum simulat accusationem, dissimulat subscriptionem, advocationem, patrocinium, cognitionem, quam Reo commodat, & cum tenere Reum possit & damnare, dolo patitur sibi eripi: ut in Pisonem Cicero vocat Publium Clodium Catilinæ prævaricatorem, quod eo accusante repetundarum Catilina absolutus sit. Idem fere est cum proditore, & transfuga, qui in procinctu prælioque arma abjicit, supplicesque manus tendens sese dedit, aut stationem deserit, aut in hostium partem concedit. Fab. lib. XII. cap.I. An ei, qui ad defendendas causas advocatur, non est opus fide, quem nec cupiditas corrumpat, nec gratia avertat nec metus frangat, sed proditorem, transfugam, prævaricatorem donabimus Oratoris illo sacro nomine? Qui locus non magis

Delatorum præmia. *Prævaricator.* *Transfugæ.*

D E F

de Accusatore, quam Patrono Rei capiendus est: Quicunque enim corruptus prodit causam vel Actori, vel Reo, prævaricator est, ut est apud Cic. in Partitionib. cui Ulpian. 1. subscribit lib. XLVII. ff. tit. de prævaric. Prævaricator est, quasi varicator, qui diversam partem adjuvat prodita causa sua. Quod nomen Labeo a varia certatione tractum ait: nam qui prævaricatur, ex utraque parte consistit. Fab. libr. XII. cap. IX. Afferet ad dicendum curæ semper quantum plurimum poterit, neque enim solum negligentis, sed & mali, & in suscepta causa perfidi, ac proditoris est pejus agere, quam possit: Ideoque ne suscipiendæ quidem causæ sunt plures, quam quib. se suffecturum sciat, dicet scripta quam res patietur plurima, & ut Demosth. ait, si contingit & sculpta. Plin. lib. II. ad Tacit. Prævaricatio est transire dicenda, prævaricatio etiam cursim, & breviter attingere, quæ sunt inculcanda, infigenda, & repetenda. Ex quibus satis constat, prævaricatorem eum esse, quicunque ex fide injunctum receptumque officium non implet, sed perfunctorie adhibita fraude doloque varius titubat, aut in alteram magis incumbit partem, a qua recedere deberet. Ideo milites prævaricantur, cum bellum cauponati, corrupti ab hostibus varie sese in conflictu gerunt, quos proditores transfugasque jamjam citati auctores vocant. Et in sacris Bibliis prævaricator legis homo dicitur, qui, quum ad præscriptum legis sese componere deberet, in quam jurarat, cum primum sacrosancto piacularis lavacri sacramento Christianæ militiæ nomen daret, deserto sacramento, prodito duce, corruptus diabolo dæmonum in hostium partem concedit, insignibusque primæ militiæ ornatus, nomine, cruce, & cæteris coit fœdus turpissimum cum iis, quibuscum æternum infinitumque est cum duce bellum. Translatum verbum est, aut a Castris, aut a Foro. Jurisconsulti tamen strictius hoc vocabulum coercent, ut extra Forum excurrere non possit, sed ibi tanquam in ergastulo constringatur in Accusatorum subselliis, ut cum Turpilianum Senatusconsultum interminatur pœnas Prævaricatoribus, Calumniatoribus, & Tergiversatoribus. Illic Prævaricatores sunt solum ii, qui causam adversariis suis donant, & ex parte Actoris in partem Rei cedunt. Ulpian. in l. Prævaricatores. ff. de verb. sign. vel ut Marcellus 2. alibi ad S. C. Turpilianum libr. XLVIII. ff. qui colludunt cum Reo, & translative munere accusandi defunguntur, eo quod proprias quidem probationes dissimulant, falsas vero excusationes admittunt. Est enim prævaricari vera crimina abscondere. Plin. libr. III. ad Minutianum. Est lege cautum, ut Reus ante peragatur, dehinc de Prævaricatore quæratur, quia optime ex accusatione ipsa Accusatoris fides æstimatur. De Norbano loquitur, cui objecta erat prævaricatio. Additque: objecta sunt multa, quæ magis, quam prævaricatio, nocuerunt. Tandem: damnatus, & in insulam relegatus est. Satis constat prævaricationis crimen ante accusationem objici non posse. Nam qui nondum Accusator est, quomodo prævaricabitur? Et qui

Unde prævaricator. — *Prævaricatio.* — *Milites prævaricantes.* — *Prævaricator homo Christianus.* — *S. C. Turpilianum* — *Prævaricari quid*

prævaricabantur corrupti nummis, bovem in lingua habere dicebantur. Plin. lib. XVIII. cap. III. Itaque qui multæ pendendæ metu deterriti reticerent, aut qui pecunia corrupti loqui non auderent, bovem in lingua dicebantur habere, cujus adagii mysterium explicatur ab Erasmo. Porro prævaricationis pœna ordinaria non est relegatio in insulam: nam pura non erat Norbani causa, sed conjuncta cum aliis criminibus, ut in eadem dicitur epistola. Ut ergo intelligamus pœnam constitutam, bifariam committitur, ab Accusatore, & Defensore. Uterque infamis fuit, quia perfidus, ex Prætoris edicto, *Qui in judicio publico calumniæ, prævaricationisve causa quid fecisse judicatus erit, infamia notator*, ex l. 1. ff. de iis qui not. infam. Marcellus. 3 Si is, de cujus calumnia agi prohibetur, prævaricator causa judicii publici pronuntiatus sit, infamis erit. Venulejus: 4 Accusator de prævaricatione convictus postea ex lege non accusat. Accedit infamiæ pœna extraordinaria ex æquitate Judicis statuenda, habito circumstantiarum omnium delectu. Ulpianus: 5 Advocatus non proprie prævaricator dicitur; quid ergo de eo fiet sive privato judicio, sive publico prævaricatus est, hoc est, prodiderit causam? hic extra ordinem solet puniri. Deinde sequitur: 6 Hodie iis, qui prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria. Sed modus statuendæ utcunque præscriptus ab Alexandro Severo, & patre ejus Heliogabalo: Rescripserunt enim, teste Julio Paulo, 7 in criminibus quæ extra ordinem objiciuntur, prævaricatores eadem pœna affici debere, qua tenerentur, si ipsi in legem commisissent, quia Reus propter prævaricationem absolutus est. Si crimen erat ordinarium, talione pœnæ extraordinariæ afficiebantur. Itaque nihil pœna prævaricationis a calumniæ distat, utraque infamiam & talionem irrogat, ut fere in omnibus accusationibus, quæ temere instituuntur. l. fin. C. de accus. l. fin. C. de cal. Est etiam prævaricatio 8 in privatis, ut satis indicat series titulorum in Pandectis, cum publica judicia præcedat de prævaricationibus tractatus, & apparet ex l. 1. C. de advoc. diver. jud. Non autem licet ab accusatione desistere post inscriptionem, nisi partis Reæ, & Judicis consensu, aut intra XXX. dies l. II. & l. fin. C. de abolit.

Bos in lingua. — *Prævaricationis pœna.* — *Infamia.* — *Talio debetur prævaricatoribus*

COROLLARIUM AD CAP. III.

1 Cui Ulpianus subscribit) *L. 1. Adde l. 212. de verb. sign.*
2 Ut Marcellus alibi) *L. 1. S. C. Turp. ff.*
3 Marcellus: si is qui) *Vel Macer. l. 4. de prævaric. ff.*
4 Venulejus) *L. 5. eod.*
5 Ulipianus) *d. l. 1. de prævaric.*
6 Deinde sequitur) *L. 2. de prævar. ff.*
7 Teste Julio Paulo) *L. 6. eod.*
8 Prævaricatio in privatis) *Adde l. 1. & 3. de prævaric. ff.*

ARGUMENTUM
CAP. IV.

De Tergiversatoribus, Mandatoribus, Emissariis, & aliis id genus.

ALtera est in accusando temeritas Tergiversatio. Est autem tergiversari, *[Tergiversari.]* ut Marcellus 1 docet, in universum ab accusatione desistere; quanquam aliud etiam significet, terga nimirum vertendo, more Parthorum refractarie pugnare atque in ipsa fuga victoribus resistere, ut cum victos pudet, omnino abjectis armis manus *[Proteus.]* tendere more Protei.

Omnia 2 transformant sese in miracula rerum,
Ignemque horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victi
In sese redeunt.

Cic. in Oratione pro L. Flac. de quodam, qui, quia invite solvebat debitum, omnes latebras, diverticula omnia quærebat, ut sese judicio eriperret: Hunc (ait Cicero) æstuantem, & tergiversantem judicio, ille persequitur, a Recuperatoribus causa cognoscitur. Sed in argumento Turpiliani, de quo jam mentio, iis qui judicium inchoatum deserunt, pœna destinatur: quorum impotens impudentia voluptasque ex vexatione, sordibusque civium commovit amplissimos Patres, ut decreto in posterum caverent, ne quis tam improbo exemplo negotium impune faceret bonis viris. *[S. C. Turpilianum.]* Latum ergo ad Ærarium est Turpilianum S. C. ad inhibendam istorum temeritatem, cum ante id fieret impune, nulla istis ludificationibus pœna imposita, ut post delationem Reus non peragerетur. Ideoque L. Sylla a Censorio Repetundarum accusato, Censorius ab accusatione impune destitit, ut legitur apud Plutarch. in Sylla. Plin. 3 ad Cornelianum: Deinde conversus ad nos ἐπίςασθε quid facere debeamus: Isti enim queri volunt, quod sibi licuerit non accusare. Tum ex consilii sententia jussit denuntiari hæredibus, aut agerent, aut singuli approbarent causas non agendi, alioqui se vel de ca- *[Calumniæ.]* lumnia pronuntiaturum. Hic Calumnia pro tergiversatione accipitur, nondum forte annotato discrimine, ut etiam in l. inter. ff. de publ. jud. ubi calumnia pro tergiversatione capitur. Est autem contrarium per- *[Peragere.]* agere. Plin. ibidem: Admonitus, ut perageret accusationem, peregit invitus. Et ibidem, remittere accusationem: Et cum ex hæredibus quidam quasi reverentia Eurythmi remitteret accusationem, pulcherrime dixerat, nec ille Polycletus, nec ego *[Remittere accusationem.]* Nero. Ulpian. in l. 11. ff. ad leg. Jul. de adult. Peregisse non alias quis videtur, nisi & condemnaverit. Eadem forma dicimus perrogare de aliquo, quod est expedire cogni- *[Perrogare.]* tionem & evacuare processum. Plin. lib. VI. ad Tyronem: fecit pulcherrime Cæsar, non enim de Bructiano, sed statim de Atticino perrogavit, damnatus, & in insulam relegatus. Pœna vero statuta iis, qui com-

A mitterent in S. C. erat quinque librarum auri, ut idem Marcellus docet l. 111. ff. de prævaricat. aut extraordinaria cum infamiæ nota, ut Imperator Gordianus 4 rescripsit, & excludebatur a repetendo Reo. l. cum Titia. ff. de accusat. Mandatores, & *[Mandatores.]* Emissarii hoc etiam S. C. tenentur, quod significat Marcellus 5 periphrastice his verbis: Incidit in hoc S. C. & qui Accusatorem summittit, aut qui instigat, aut qui mandat alicui, & instruit eum ad accusationem capitalem, dando probationes, allegando accusationes, & merito; nam B diffidendo crimini, quod movet, & eximendo se periculo calumniæ vel desertionis, merito calumniantis, & desistentis pœnæ subjici debuit. Hactenus de mandatoribus, quos describit tanquam subornatores Delatorum, impulsores, auctores, suasores, qui aliis negotium darent Reos peragendi; de quibus Tranq. in Tito: Inter adversa temporum, & Delatores, Mandatoresque erant ex licentia veteri; hos assidue in foro flagellis & fustibus cæsos, ac novissime traductos per Amphitheatri arenam C partim subjici in servos, ac venire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi. Curt. lib. 1. Gentis ejusdem levissimos falsis criminibus astrinxit, monitos tum demum ea deferre, cum ipse jussisset. Loquitur de quodam spadone, qui mandabat delationes insontium. *[Emissarii.]* Emissarii vero fortassis iidem sunt cum subornatis, summissis, subjectis, quasi Mandatorum ministris, id est, Mandatariis. De illis ibidem Marcellus: Tenetur Mandator S. C. nisi (ait) subornatus Accusator probaverit crimen, quod intendere suscepit, nec interest, per se D mandaverit accusationem, an per alium. Verum hunc, qui hoc ministerio usus est ad mandandam accusationem, non ex verbis, sed ex sententia S. C. puniri Papinianus rescripsit: *[Summissus. Accusator.]* Summissus enim Accusator similiter eodem S. C. plectitur, id est, propter hoc solum punitur, quod ministerium alieni timoris receperit. Idem 6 alibi: In S. C. Turpilianum incidunt, qui subjecissent Accusatores, aut subjecti postulassent, nec peregissent Reos, aut aliter quam abolitione facta destitissent, quique chirographum ob accusandum dedissent, E pactionemve aliquam interposuissent. Hoc autem verbum (peregissent) ad universos suprascriptos pertinere dicendum est. De Emissariis, sic meminit Tranquillus in Domitiano: Aretinum Clementem Consularem virum e familiaribus & emissariis suis capitis condemnaturus in eadem, vel etiam majore gratia habuit, quoad novissime simul gestanti, conspecto Delatore ejus, vis, inquit, cras hunc nequissimum servum audiamus? Non sum tamen nescius, a Pædiano dici Emissarios furtorum *[Emissarii conciliatores furtorum.]* conciliatores, & internuntios, quæ a Ma- F gistratibus committuntur. Tum demum *[Quando tergiversatur.]* autem dicuntur tergiversari, cum post inscriptionem litemque contestatam, non impetrata abolitione Reos non persequuntur. *[Denuntiatio & inscriptio.]* Hanc inscriptionem Papinianus vocat denuntiationem: Mulier (inquit) quæ falsi crimen, injuriæ proprie interpositam denuntiationem desistens omisit, ex S. C. teneri non videtur. Itaque dicti *[Nuntiatores.]* Nuntiatores, qui iidem sunt cum Indici-

bus. Julius Paulus: 8 Nuntiatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis assistere jubentur. Crimen autem tergiversationis alias vocatur desertio. Marcellus: 9 nam diffidendo crimini quod movet, & eximendo se calumniæ, vel desertionis, merito calumniantis, & desistentis pœnæ subjici debuit. Et desertores qui tergiversantur quasi Apostatæ deficiunt, pugnamque detrectant. Idem Marcellus paulo ante: Si dicatur aliquis in S. C. incidisse, Præsidis erit super ea re notio, & tamen contra desertorum S. Conf. non intervenit actio.

Apostata.

COROLLARIUM AD CAP. IV.

1 Ut Marcellus docet) *Alias inscribitur Martian. l. 1. S. C. Turpil. ff.*

2 Omnia transformant, &c.) *Versus Vergilii ex quarto Georgicon nonnihil immutati.*

3 Plinius ad Cornelianum) *Lib. 6. epistol.*

4 Gordianus rescripsit) *L. 2. C. ad S. C. Turpil.*

5 Marcellus periphrastice) *Lib. 1. 1. ad S. C. Turpil. ff. cui adde l. 5. C. de accusat.*

6 Idem alibi) *Lib. 15. ad S. C. Turpil. ff.*

7 Papinianus vocat) *L. 4. ad S. C. Turpil. ff.*

Notoria. 8 Julius Paulus) *L. 6. eod. Quæ sint notoria docet Budæus in l. ab accusatione. ff. ad S. C. Turpilian. de quibus fit mentio in l. ea quidem. C. de accusat. l. 31. de Episc. & Cler. C. Theodos.*

9 Marcellus) *d. l. 1.*

ARGUMENTUM

CAP. V.

De Calumniatoribus, & eorum pœna.

SUnt & ex eorum ordine, qui causam non obtinent, neque probe Accusatoris officio persunguntur Calumniatores, qui etiam Calumniosi dicuntur. Paul. in tit. ad Turpilianum. 1 Et in privatis, & in extraordinariis criminibus omnes calumniosi extra ordinem pro qualitate admissi plectuntur. Sunt autem ii, qui falsa crimina intendunt. Itaque qui dolo petunt quid actionibus privatis in civilibus controversiis, calumniari 2 non dicuntur, quia crimen abest, quod ut falsum imponere possunt: ita enim capiunt Jureconsulti in argumento accusationum: Alias ab iisdem pro dolo malo usurpatur, ut in Rubrica 6. lib. 25. ff. Si mulier ventris nomine in possessione calumniæ causa esse dicetur. Sed & tit. de Calumniat. lib. 3. ff. locum habet, tam in pecuniariis, quam publicis judiciis. Cicero primo Officiorum: Existunt etiam sæpe injuriæ calumnia quadam, & nimis callida, & malitiosa juris interpretatione, ut sit calumniari aliquando captare, 3 & aucupari verbum interverso germano solidoque sensu. Idem pro Cecinna: Tum aucupia verborum & literarum tendiculas in invidiam vocant, tum vociferantur ex æ-

Calumniatores Calumniosi.

Dolus.

A quo & bono, non ex callido versutoque jure rem judicari oportere, scriptum sequi calumniatoris esse, bonique Judicis voluntatem scriptoris, auctoritatemque defendere. Cæterum hic sequuti Marcellum, pro frustratoria doloque suscepta & malefundata accusatione interpretamur, quæ constituta vindicatur. Olim ante S.C.Turpilianum etiam fuit pœna talionis, ut caput habet ex XII. tabul. *Calumniator „ idem patiatur, quod Reus, si convictus „ esset.* Cicero pro domo sua: Nomen Sexti Propertii detulit, accusare alienæ damnationis scelerisque socius propter calumniæ metum non est ausus. Quod idem sanxit l. Rhemia: nam multæ leges XII. tabulis posteriores repetita continent argumenta decemviralium, ut in pœna falsi, repetundarum, &c. cum desuetudine tanquam senio, situque paulatim exolevissent, & in puteo oblivionis desuetudinisque conclusæ tandem luci redditæ sint, non quod extinctæ prorsus essent. Id quod Justinianus significanter exprimit, qui desuetudine improbatum jus remedio Imperiali a se illuminatum jactat. Talionis usus etiam pene exoleverat tempore Augusti licentia nimia Delatorum: Itaque inter alia benemerita numeratur a Tranquillo, quod diuturnorum Reorum nomina aboleverit conditione proposita, ut si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret. Quibus edicti minis quid opus fuit, si Rhemia usitabatur? Sed iterum obtinuit Delatorum gratia, ut desineret hujusmodi subscriptio in talionem. Itaque Domitianus purgaturus Reorum album, qui ante quinquennium apud Ærarium pependerant, eos liberavit, nec repeti nisi intra annum, eaque conditione permisit, ut Accusatori, qui causam non teneret, exilium pœna esset. Rursus per Titum, Nervam, Trajanum, sublatis e medio Delatoribus restituta veteri legi per Senatusconsultum Turpilianum auctoritas, pœnaque talionis: quod cum plura capita haberet, de Prævaricatoribus, & Tergiversatoribus, quod de Calumniatoribus scriptum erat, hac constitutione expressum est per Augustos Honorium 4 & Theodosium. Quisquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. Accedit talioni infamiæ nota, quæ ipso jure (ut ajunt) inuritur, ut deinceps accusare non possint. Sed in privatis aliud constitutum: nam qui illic calumniatur, violat jusjurandum, quod concepit de calumnia, solvitque impensas litis, & nonnunquam infamis est, cum olim vetere de calumnia actione in partem decimam litis Actor multaretur, ut Auctor Institu. 5 lib. 4. scribit; citra tamen talionis periculum, cum nullam pœnam a Reo exigat, qui criminatur in privatis, & pecuniariis causis. l. 1. l. in privatis. ff. ad Turpilian. Cæterum in utroque judicio post absolutum demum Reum de Accusatoris calumnia quæritur, ut etiam nunc, post sententiam latam ad principale, proceditur ad expensas: & in hac principis litis appendice de calumnia quæritur, quia ei impinguntur implendæ expensæ in privatis, in publicis pœna legitima: quamvis nonnunquam cum sententia absolutio-

Calumnia proprie.

Talio.

L. Rhemia.

Antiquata ll.

S. C. Turpilianum.

Infamia.

Calumnia in privatis.

nis adjungatur notatio calumniæ, idque officio Judicis non actione aut lege. l. 1. C. de Calumniatoribus. Marcellus in l. 1. ff. ad Turpilianum: Non utique, qui *non probat quod intendit*, calumniari videtur: nam ejus rei inquisitio arbitrio Cognoscentis committitur, quia Reo absoluto de Accusatoris incipit consilio quærere, qua mente ductus ad accusationem processit, & siquidem ejus justum errorem reperit, absolvit eum: Si vero in evidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat. Cujus loci elegantem hypothesim, seu facti speciem habet Asconius in Scauranam: Cato cum vellet de Accusatoribus in consilium mittere, multique a populo manus in Accusatores intenderent, cessit imperitæ multitudini, ac postero die in consilium de calumnia Accusatorum misit. Cajus Triarius nullam gravem sententiam habuit, Subscriptores ejus Marcus & Quintus Pacuvii fratres denas, & Lucius Marius tres graves habuerunt. Hæc ille. Quo loco mera est historia, pejus actum cum Subscriptoribus, quam cum primario Accusatore. Et dilatum in posterum judicium de calumnia contra morem receptum in d. l. 1. Quomodo sese gereret in ea quæstione Prætor, verba ejusdem Marcelli eleganter enarrant: Sitne reus calumniæ, an non, ex verbis pronunciationis manifestatur. Nam siquidem ita pronuntiaverit, *non pro-*,, *basti*, pepercit ei. Si autem pronuntia-,, verit, *Calumniatus es*, ἐσυκοφάντισας, ,, quod erat solemne (ut patet in duabus Constitut. 6 Romani Imperator. ex quibus caus. infam. irrog.) condemnavit eum; & quamvis nihil de pœna subjecerit, tamen legis potestas adversus eum exercebitur. Nam ut Papinian. respondit, facti quidem quæstio in arbitrio Judicantis est, pœnæ vero prosequutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur. Deinde quæri posset, si ita fuerit interloquutus, *L. Titius temere accusasse videtur*, an Calumniatorem pronuntiasse videatur. Et Papinianus temeritatem facilitatis viam continere, & inconsultum calorem calumniæ vitio carere, & ob id nullam pœnam subire oportere respondit. Ex quo verbo Græco, quod repositum est in lacuna pridem vacua, satis intelligitur Sycophantas 7 Græcis, esse Latinis Calumniatores, sed diversissima analogia: Illi enim a ficubus, hi a calvitio, & calvire, ut cavillari, trahunt originem nominis: A ficubus, quia ficuum furta quæ Athenis capitalia erant (auctore Festo Pompejo) deferrent: Plutarchus in libello de curiositate, & in Sylla. Sycophantari Plautus dixit in Trinumo, ubi Callicles:

Hypothesis l. 1. ad S. C. Turpilianum.

Sycophantæ Calumniatores unde. Ficuum furta Athenis capitalia. Sycophantari.

—— Satis scite & probe:
Quanquam hoc me etiam ætatis sycophantari pudet.

Et alio in loco Charmides:

Enim vero nunc Sycophantæ huic sycophantari volo.

In qua comœdia Sycophantarum sordes mire describuntur, qui ad artes nugatorias, & imposturas suas locant operas de

A Foro conducti. Plato in Dialogis de Legibus tollit hujusmodi pestes ex sua politia. Verba interpretis Ficini subjiciam: Si quis Justitiæ vires in animis Judicum evertere conetur, ac præter opportunitatem multa litigia moveat, aut moventibus adsit, agat in eum quicunque voluerit male agendi, atque inique defendendi crimine, judiciumque ejusmodi apud electos Judices agitetur. Et si damnatus fuerit, discutiatur, an avaritia, an ambitiosa quadam contentione id fecerit: Ac si contentione, certum ipsi Judices tempus præscribant, in quo neque pro se, neque pro alio certam

B dicat agatve causam. Sin autem avaritia, peregrinus quidem a regione abito, & si redierit, moriatur. Quod si ambitiosa contentione bis tale quid fecisse dicatur, idipsum supplicium subeat. Hactenus Plato. Verum jure nostris moribus recepto, omnis Accusatorum ratio, & accusatorii juris historia desuetudine antiquata, ut tantum vetus Accusator per Procuratorem Cæsaris, aut Fisci (nihil jam moror an Latine sint iidem, quia Procurator Fisci differt a Procuratore Cæsaris per l. fin. C. de Advocat. Fisci.) repræsentetur, cui temere agenti nihil nocet præterquam jurisjurandi dati

C religio: nam extra ordinem pridem cœperunt publica judicia exerceri. Itaque in capitalibus læsi Reum prosequuntur civiliter ad consequendum id quod interest. Procurator Fisci publicam exigit vindictam, ut exemplo reliqui deterreantur. Porro tenere causam (quia ad rem pertinet) dictum est a sylvis, ubi qui venantur assequuti feram, eam tenere dicuntur. Cic. pro Cecinna de causa Curiana loquens: Et hoc loco Scævolam dixisti causam apud Centumviros non tenuisse. Et supra ex

D Tranquillo: Ut Accusatori, qui causam non teneret, exilium pœna esset. Quod idem dicitur damnare Reum, quod non solius Judicis, sed illi cum Accusatore victore commune esset. Valerius 8 de Lucio Crasso Prætore in Gallia: Cum in eam Cn. Carbo, cujus patrem damnaverat, ad speculanda acta sua venisset, id est, Accusator causam obtinuerat. Cic. in eadem Oratione: Non solum egeris, verum etiam condemnaveris licet. Idem Valerius lib. 8. de Deciano: Cum Publium Furium inquinatissimæ vitæ pro Rostris accusaret, quia in

E quadam parte actionis de morte Lucii Saturnini queri ausus est, nec Reum damnavit, & insuper ei pœnas adjectas pependit. Qua in dicendi formula, inesse puto quandam temporis prolepsim, ut quia feliciter peractam accusationem sequeretur condemnatio proxime. Quo modo usus est etiam Plautus in Rudente:

Plato.

Accusatoris mos desuetudine antiquatus.

Procurator Fisci.

Tenere causam.

Damnare Reum.

F *Quis me est mortalium miserior, qui vivat alter hodie,*
Quem modo damnavit ad Recuperatores Pleusidippus?

Qui ergo causam non tenent, neque damnant, non ideo Calumniatores sunt, nisi id nominatim illis per sententiam impactum sit.

COROLLARIUM AD CAP. V.

1 Paulus ad Turpil.) *L. 3.*

2 In civilibus controversiis calumniari) *Facit l. 5. C. de calumn.*

3 Ut calumniari aliquando captare) *Sic Paul. J.C. in 19. ff. de adhib. ait, non oportere jus civile calumniari, neque verba captari, sed qua mente quid dicetur animadvertere convenire.*

Calumniari.

4 Per AA. Honor. & Theodos.) *leg. ult. C. de cal.*

5 Institut. lib. 4.) *§. hoc autem de pœna tem. lit.*

In duabus constit.) *l. 16. & 17. Vide etiam Alc. lib. dispunct. 2. c. 26.*

7 Sycophantas) *Vide eundem Alc. lib. 11. c. 4. Parerg. Jur. Cæterum moris fuit antiquitus frontem Calumniatorum cauterio inurere, ut postea omnibus noti essent. Testis locuples Cic. in Oratione pro Roscio, ubi comparat Accusatores cum anseribus, & canibus Capitolinis: Sed si (inquit) ego hos bene novi, literam illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis. Hinc est, quod Plin. in Panegyrico ait, Delatores frontem exanguem, & ferream habuisse, punctis, & notis vulneratam. Plautus & Seneca hujusmodi stigmaticos, literatos vocant. & Capitolinus scribit M. Antonium falsis Delatoribus notam apposuisse. Sed nunc exclamare libet, ubi nunc lex Rhemia, dormis? utile tamen est (ut ait Cicero) multos esse Accusatores in Republ. quibus addo & Censores, si modo ad accusandum vitiorum odio, & amore virtutis, non vindictæ zelo, spe prædæ, aut aliqua prava cupiditate ducerentur, traherentur: sic enim fieri posset, ut Cives in officio continerentur, & mali ab iniquitate desisterent. Sed de his satis. Qui plura volet de Calumniatoribus, videat Fran. Balduini libellum de famosis libellis, Lucianum Dialogo* περὶ τῆς διαβολῆς.

Calumniatorum frons inusta ferro. *Frons ferrea. Literati.*

8 Valerius) *Lib. 6. de Pudicitia.*

ARGUMENTUM

CAP. VI.

De Reis, qui causam dicere, respondere, subire judicium, & defendi dicuntur, ac de incolumibus, & integris, atque de Budæi Forensibus.

Reis adversi sunt Accusatores, ex quorum scilicet sordibus, damnatione, & calamitate voluptas, vindicta, & præmium legis captatur. Sed Accusator solum in publicis versatur: Reus autem in privatis is est, a quo petitur, ut Reus stipulandi, qui stipulatus est, Reus promittendi, qui stipulanti repromisit, de quibus titul. in ff. & C. Reus debendi, tam in realibus, quam in personalibus. Quin & is etiam dicitur Reus, paradoxo apud vulgus significatu, qui agit, ut Reus stipulandi, & Reus accusandi. Cic. II. de Oratore: Non semper fortis oratio quæritur, sed sæpe placida, submissa, lenis, quæ maxime commendat Reos. Reos autem appello, non eos modo, qui arguunt, sed omnes, quorum de re disceptatur, sic enim olim loquebantur. Idem in eod. lib. Reos appello, quorum res est. Reus respectu Actoris dicitur, collatus ad Patronum Cliens, ante ingressum litis Consultor. Hinc Reus locuples, pro instructo omni genere defensionum, & quasi invicto. Tacit. in Dialogo de Oratoribus: Si Poetica accusatur, non alium video Reum locupletiorem, id est, paratiorem ad respondendum, & præstandam eam sartam tectam. De Basso loquitur. Usitatum tamen est Reos esse, qui pro capite causam dicunt, quorum conditio, status, & qualitas, Reatus 1 vocatur Marco Messalæ, & posteris. Auctor Fabius Institutionum Oratoriarum libro octavo. Ulpianus in leg. fin. ff. ad legem Juliam Majestatis: Qui in reatu decedit, integri status decedit. Toto ergo tempore interjecto, ex eo quo inter Reos receptus est, usque dum eximatur morte, vel alia ratione, Reatus dicitur, quo dicuntur pendere Rei. Tranquillus in Domitiano: Reos, qui ante quinquennium proximum apud Ærarium pependissent, universos discrimine liberavit. Nomina ergo eorum, qui inter Reos recepti essent, ad Ærarium deferebantur, ut Judicum & reliqua acta. Idem in Nerone: Cautum ut rerum actu ab Ærario causæ ad forum, & Recuperatores transferrentur. Iidem & Rei diuturni vocantur, quorum nomen sera abolitione deletur ex albo. Idem Tranquillus in Augusto: Diuturnorum Reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud, quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit. Causam dicere proprium est Reorum, cum accusati publico judicio respondent, vel per se, vel per Patronum, etiamsi ipse non agat, aut intersit: dicere tamen causam dicitur, id est, subire judicii aleam, eventumque dubium, quod faciunt qui delati, vocatique respondent. Curtius libro sexto: Rex manum eidem inhibuit, dicendæ prius causæ debere fieri potestatem, nec aliter judicari passurum se affirmans. De Philota loquitur. Est etiam respondere Latine apud Gellium, quod comparere: Prætor M. Varroni quando citatus, neque respondit, neque excusatus est. Quod pertinet ad morem veterem, quo per Præconem 2 Rei citabantur. Tranq. in Tiberio: Citatum per Præconem in carcerem rapi jussit. Subire judicium etiam dicitur. Tacitus lib. v. Scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi judicium Consulari seni, tot Consularium parenti. Respondent ergo, subeunt judicium & causam dicunt, qui per Cognitorem defenduntur, ut qui in vincula ducti ex iisdem causam dicunt, cum absentes in carcere per alios defenduntur. Cæsar lib. I. belli Gallici: Moribus suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegerunt. Damnatum pœnam sequi oportebat, ut igni cremaretur. Die constituta causæ dictionis Orgetorix ad judicium omnem suam familiam ad hominum millia decem undique coegit. Per eos ne causam diceret se eripuit, id est, ne ad postulata cogeretur respondere. Curt. lib. VII. Sine præjudicio dicimus causam liberis corporibus, ani-

Reus. Reus stipulandi. Reus accusandi. Reus locuples. Reatus. Rei diuturni. Causam dicere. Respondere. Citati per Præconem Rei. Subire Judicium.

A animisque. Habitum etiam in quo te comitari solemus reddidisti, id est, soluti, quia vincti videntur prædamnati. Idem libr. VI. Vincti hominis, non supervacua solum, sed etiam invisa defensio est, quæ Judicem non docere videtur, sed arguere. Plautus in Truculento:

—— Reus solutus
Causam dicit.

Curt. libr. VI. Subibat animos Parmenionis quoque tanti ducis, & tam clari civis fortuna, qui modo duobus filiis Hectore, & Nicanore orbatus, cum eo quem reliquum calamitas fecerat, absens diceret causam. *Defendi.* Cum absentes causam dicunt proprie 3 defendi dicuntur. Cic. pro Quintio: Et audes, Sexte Nævi, negare absentem defensum esse Quintium, cum eum defenderit idem, qui te solebat? Ibidem: Apud Judicem causam priore loco dicat, & cum eam orarit, tum *Non adesse.* denique vocem Accusatoris audiat? Non adesse etiam dicitur pro eo, quod Vulgus dicit contumaciter sese absentare. Cicero pro domo sua: Sed si patrem tuum civem mediusfidius egregium, dissimilemque vestri, nemo unquam sanus exulem appellavit, qui cum de eo Tribunus Plebis promulgasset, adesse propter iniquitatem Cinnani illius temporis noluit, eique imperium abrogatum est. Receptum esse inter Reos, & *Incolumis.* incolumem esse, duo sunt contraria. Est enim incolumis, qui causam dicturus, in jus non citatur. Cicer. pro domo sua: Nihil erat latum de me, non adesse eram jussus, non citatus fueram, eram etiam tuo judicio civis incolumis. Idem dicitur inte- *Integer.* ger. Ibidem: In me qui profectus sum integer, absui simul cum Republica, &c. Curt. lib. X. Illi, quo facilius ab integris sumptuosos discerneret, tentari ipsos rati prolatando aliquantum extraxerant temporis. Integros dixit frugi, qui nihil æris alieni contraxerant luxu. Imperata enim erat singulis æris alieni professio. Paul. in l. 1. de pop. act. Popularis actio integræ personæ permittitur, hoc est, cui per edictum postula- *Intentatus.* re licet. Intentatus idem cum integro. Tacitus lib. V. de Coccejo Nerva J. C. Dum integer, dum intentatus honestum finem vo- *Indemnatus.* luit. Indemnatus eadem forma dicitur. Cic. pro domo sua: Quo jure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tulisti? Plaut. in Curcul.

Hoccine pacto indemnatum, atque intestatum me arripi?

Intestatum nove pro nullis testibus præsentibus convicto dixit. Accipiunt etiam intestatum pro infami, & rejecto a dictione testimonii. Intestatus vivito, pro intestabili & sacro, sacer & intestabilis esto, ut Ta- *Indefensus. Inauditus.* citus sæpe usurpat. Indefensus & inauditus etiam dicitur. Ulpianus ff. ad legem Corneliam. Inauditum filium pater occidere non potest. Tranquillus de Oratoribus: Non patiar inauditum, & indefensum sæculum nostrum hac vestra conspiratione damnari. Hinc condemnati indicta causa, & sine judicio. Cic. pro domo sua: Nego potuisse jure publico, legibus iis, quibus hæc civitas utitur, quenquam civem ulla

hujusmodi calamitate affici sine judicio. Primo de Legibus: ut Dictator qui esset, quem vellet civium indicta causa impune *Indictus.* posset occidere. Indicta causa, id est, sine judicio, non dicta causa, ut apud Vergil. lib. VII,

Nec tu carminibus nostris indictus abibis.

Sed jam ad usum veterum judiciorum, quem Praxim vocant, accedamus, & quantum per Auctores, qui jam extant, licet, B rationem methodumque, quam in exercendis judiciis, tam publicis, quam privatis Veteres sunt sequuti, describamus; qua in re præstanda fere omnis opera consumetur in explicandis certis vocabulis, quorum significatus accommodatus erat ad veterem praxim, quorum Commentarium amplum *Laus Budæi.* confecerat Gulielmus Budæus vir sine controversia ita magnus, ut aleam judiciorum, censuramque Aristarchorum nunquam vivus subierit, neque a funere æternum subiturus sit. Verum quia quasi in adversaria, C quæ adnotaverat, conjecta erant, neque morte intercepto licuerit tumultuariam miscellaneam in codices digerere, maluerunt ii, ad quos gradu proximo tantæ gloriæ redibat hæreditas, inventario rem illam intercipere, quam committere, ut candor gloriæ Budæanæ, labe & macula negligentiæ inficeretur, si inter res hæreditarias repræsentaretur. Non enim extremam manum auctor admoverat, sed rudem impolitumque lambendum aliquando sibi servabat, ut fœtus honestior ederetur, parenteque dignior. Sed Fatorum tanto beneficio no- D bis carendum est, cum nemo quisquam sit, qui descriptis lineamentis succedere ausus sit, ut Apelleæ quondam Veneri. Nos tamen tantum, quantum per angustias temporum, quibus hæc corripimus, præstare licebit, dabimus operam, ut bona pars forensium dictionum in hoc universo Commentario explicata habeatur, non ductis lineamentis ab Apelle illo penicillum comparantes, sed in alia tabula perceptam in animo Ideam expressuri.

E

COROLLARIUM AD CAP. VI.

1 Reatus) *Paul. l. post contractum de don. l. si diutino ff. de pœn. ubi Reatus accipitur pro qualitate, statu, & habitu rei, uti recte interpretatur Alc. lib. 2. parerg. ju. c. 10. ut ii sint in diutino reatu Rei pendentes, & diuturni, de quibus infra. Reatus tamen etiam pro crimine & flagitio Rei accipitur, ut idem notat Alc.* *Reatus pro qualitate. Pro crimine.*

2 Ad morem veterem, quo per Præconem) *De hoc infra dicemus lib. 5. ubi de Apparitoribus & Præcone agemus.*

F 3 Proprie defendi dicuntur) *Quid sit defendi habetur l. 2. & 5. quib. ex cau. in poss. eat.* *Defendi.*

ARGUMENTUM

CAP. VII.

Accusatorium ordinem aggreditur, ac primum de Delatoribus, Libellis, Inscriptione, Subscriptione, Relatione, Exemptione, & Abolitione Accusatorum & Reorum, nec non de Custodum appositione.

Accusatorii judicii ordo.

AC primum de publicis dicamus, ubi qui accusare volebant, sic sese gerebant, nomen Rei deferebant, diem dicebant, arcessebant, legibus interrogabant, accusabant, & demum damnabant. Rei vero delati, & citati transferebant judicium, si licebat, aut constituto judicio respondebant, Rei fiebant, causam dicebant, quorum series observanda est, ut solemnia judicii probe intelligantur. Deferre est idem quod Reum facere. Cicer. IV. Actione: Palam de sella, & tribunali pronuntiavit, si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, sese nomen ejus recepturum. Reum facere, id est, deferre nomen ejus. Plautus in Aulularia;

Deferri.

Reum facere.

> —— *Ad tres viros jam ego deferam tuum nomen.*

Martialis lib. XII. in Thelesinum;

> *Ecce reum Carus te detulit, adsit agellus,*
> *Exilii comitem quæris? agellus erat.*

Cicero pro domo sua: Nomen Sexti Propertii detulit, accusare alienæ damnationis, sceleri̇sque socius propter calumniæ metum non est ausus. Ubi delatio præcedit accusationem, ut infra docebimus. Dicimus etiam & deferre crimen, ut nomen. Idem pro Ligario: Novum crimen, C. Cæsar, & hactenus inauditum Q. Tubero heri ad te detulit. Hoc ideo, quia in libello accusatorio Rei nomen, & species criminis concipiebatur. Sed & crimen pro libello eodem accipitur, nisi fallor. Idem Cicer. in Actione quarta, de Siculis. Hoc commoti dolore postulata Consulibus, quæ non postulata, sed in istum crimina viderentur esse, ediderunt. Id est, non supplices, & queribundos, sed accusatorios libellos obtulerunt; nam & criminatione pro accusatione idem auctor pro Quintio utitur: Nos inaudita criminatione Accusatorum priore loco causam dicere intelligis. Criminari est etiam accusare. Tacitus in libro de Oratorib. ad finem. Ergo te Poetis, Messala, antiquariis criminabimur. At ego vos Rhetoribus, & Scholasticis, inquit Cicero pro domo sua. Hæc cum ita sint in re, ubi crimen est? ubi Accusator? ubi Testes? Crimen est intentio, objectioque Accusatoris, quæ libello concipitur, quæ & accusatio per abusum vocatur ad finem II Verrinæ. Hæc primæ actionis erit accusatio. Dicimus C. Verrem, cum multa libidinose, multa crudeliter in cives Romanos, atque in socios, multa in Deos Hominesque nefarie fecerit, tum præterea CCCC.

Crimen.

Criminatio.

Criminari.

Accusatio pro libello.

A sestertia ex Sicilia contra leges abstulisse. Hoc testibus, tabulis publicis, privatisque planum faciemus. Ubi quædam est formula intentionis, atque etiam libelli accusatorii, ita tamen ut desint quædam. Nam Julius Paulus ejus formulam dictat in tit. de accusation. in hæc verba: Libellorum inscriptionis conceptio talis est: Consul & dies, apud illum Prætorem vel Proconsulem Lucius Titius professus est se Mæviam lege Julia de adulteriis Ream deferre, quod dicat eam cum C. Sejo in civitate illa, domo illius, mense illo, Consulibus illis adulterium commisisse. Utique enim & locus designandus est, in quo adulterium commissum est, & persona, cum qua admissum dicitur, & mensis. Hoc enim lege Julia publicorum judiciorum cavetur, & generaliter præcipitur omnibus, qui Reum aliquem deferent. Item subscribere debet is, qui dat libellum, & reliqui Subscriptores, se professos esse. Delatio ergo inscriptionem ad talionem Rei, & criminis, & subscriptionem primarii, & cæterorum Accusatorum comprehendit simul cum professione. Professionis meminit Suetonius in Domitiano, ubi Stephanus conjuratus profitetur se Indicem conjurationis per libellum. Professus (ait) conspirationis indicium, & ob hoc admissus, legenti traditum a se libellum & attonito suffodit inguina. Ubi intelligendum est subscripsisse Stephanum se professum indicium. Et profiteri indicium apud Tacitum frequentissime legitur, maxime lib. 15. Curtius libr. 5. deferre indicium. Bessus, quanquam erat Græci sermonis ignarus, tamen stimulante conscientia indicium profecto Patronem detulisse credebat. Ut alias utebantur libellis Delatores. Plinius l. 7. ad Suram: Nihil notabile sequutum, nisi forte, quod non fui Reus, futurus, si Domitianus, sub quo hæc acciderunt, diutius vixisset. Nam in scriniis ejus datus a Caro de me libellus inventus. Ex quo intelligitur aliud esse, delatum esse, & esse Reum. Libellis autem hujusmodi crimina deferebantur. Tranquillus in Julio: Libellum insidiarum indicem ab obvio quodam porrectum libellis cæteris, quos manu sinistra tenebat, quasi mox lecturus commiscuit. Idem in Caligula: Libellum de salute sua oblatum non recipit, contendens nihil sibi admissum, cur cuiquam invisus esset, negavitque Delatoribus aures habere. Subscriptiones vero ante Delatorum, & Cæsarum tempora argumento sunt, etiam libellos accusatorios offerri solitos Prætori, aut Triumviris. Ubi enim subscripsissent? aut quæ alia vocabuli ratio in jure accusatorio? Nam subscriptiones Censorum, quid huc pertinent, aut Cæsarum, cum condemnationibus Reorum subscribebant? Idem Tranquillus in Nerone: Cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur, quam vellem, inquit, nescire literas. Alii sunt libelli I supplices, ut postulationes, postulata, desideria. Martialis libro octavo in Dentonem.

Formula libelli accusatorii.

Subscribere.

Professio.

Profiteri judicium.

Libelli delatorii.

Subscriptio Cæsarum.

Libelli supplices.

> *Sed jam supplicibus dominum lassare libellis*
> *Desine, & in patriam serus ab urbe redi.*

Tranquillus in Nerone. In jurisdictione postulationibus, nisi sequenti die, ac per libellos non temere respondit. De postulatis: Cic.4. Actione Dicit præterea testimonium tota Sicilia, quæ in communibus postulatis civitatum omnium Conss. edidit, rogare atque orare Patres Conscriptos, ut statuerent, ne absentium nomina reciperentur. De desideriis Tranquillus in Tito. In cæteris desideriis animum hominum obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret. Idem in Augusto: Promiscuis salutationibus admittebat & Plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quem joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem. Imperator Gordianus in l. si sub specie. C.de postul. Si sub specie honorarii eam quantitatem, quam desiderio complecteris, te daturum cavisti. Apertius idem Imperator in l. C. de error. Advoc. Errores (inquit) eorum, qui desideria, id est, preces scribunt, veritati præjudicium afferre non posse manifestum est. Et Rubrica de errore Advocatorum & preces seu libellos concipientium, quæ Latine usurpantur pro requestis, & remonstrationibus vulgo. Sunt & queruli libri, quos vulgus appellat Doleancias. Martial.l.8.

Postulatus. Desideria. Preces. Libri queruli.

Dante tibi turba querulos, Auguste, libellos.

Libellus ergo ab accusaturo propositus cum inscriptione eorum quæ diximus, referebatur in tabulam, quæ publice in Ærario suspendebatur, donec abolitio fieret. Cicero pro Cluentio: Hærebant in tabulis publicis Reus & Accusator. Tranquillus in Domitian. Reos, qui ante quinquennium proximum apud Ærarium pependissent, universos discrimine liberavit. Hoc erat inter Reos referre. Cic.2. Philipp. Absentem credo inter Reos relatum, absentem damnatum. Plinius in epist. lib. IX. ad Quadratum. Venio in Senatum, jus dicendi peto, dico paulisper maximo assensu, ubi cœpi crimen attingere, Reum destinare, adhuc tamen sine nomine, undique mihi reclamari, alius, sciamus quid sit, de quo extra ordinem referas, alius, quis est ante relationem Reus? alius, salvi sumus, qui supersumus. In eodem sensu recipere nomen Rei, est admittere libellum, ejusque formulam referre in tabulam publicam, ubi pendeat, dum finiatur judicium. Cicero IV. Actione. De sella atque tribunali pronuntiavit, si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere velit, sese nomen ejus recepturum. Quæ tabula cum refigitur, dicitur Reus ex Reis eripi. Tranquillus in Augusto. Unum omnino e Reorum numero, ac ne eum quidem nisi precibus eripuit, exorato coram Judicibus Accusatore, Castritium, per quem de accusatione Murenæ cognoverat. Cicero Verrina quinta: Condemnare Diodorum non audet, absentem de Reis eximit. Curtius lib.VII. de Lynceste: Quia primus Alexandrum Regem salutaverat, supplicio magis, quam crimini fuerat exemptus, id est, magis dilata causa, quam extincta. Eximere crimini, est eripere ex Reis, & abolere delationem aut crimen impactum. Substrahere etiam dicitur.

Libellus in ærario suspendebatur. Referre inter Reos. Recipere nomen Rei. Eripi Reis. Eximere crimini: Substrahere ex Reis.

Curtius l. VI. Nicomachus, quem taciturum arcana de semetipso credebat, confessus, aliis nominatis, me unum substrahebat. Hujusmodi exemptio Congedium Curiæ vocatur. Cic.4.Actione. Non ego a Vibone Velam parvo navigio inter fugitivorum, & prædonum, & tua tela venissem, quo tempore omnis illa mea festinatio fuit cum periculo capitis ob eam causam, ne tu ex Reis eximerere, si ego non adfuissem ad diem. Abolitio etiam rectissime dicitur. Tranquillus in Augusto: Diuturnorum Reorum nomina abolevit, id est, tabulam pendulam, ubi elenchus erat Reorum, refixit. Erat autem abolitio privata & publica. Publica, ut in lætitia publica, cum primum Princeps adventum honorarium celebrat in urbem aliquam, Rei ex custodiis dimittuntur, eorum nomina ex actis abolentur, cum plenissima restitutione in integrum, & pristinum statum: aut ob diem insignem, rem prospere gestam, aut aliam publicam gratulationem. 2 Privata vero abolitio fit negligentia Accusatoris non persequentis crimen, aut eodem postulante, ut aboleatur nomen, vel ex lege abolitio fit, mortuo Accusatore, vel ex justa causa impedito, quo minus agere possit. Dicit Papinianus l. aut privatim. ff. de S.C. Turpilian. & abolitionibus, aut si libelli inscriptionum legitime ordinati non fuerint. l. III. ff. de accus. Cæterum ut relationi opposita est exemptio, ita inscriptioni abolitio. Aboletur enim nominis inscriptio, quæ ad Reum pertinet. Subscriptio ad Accusatorem tantum, quæ omnino necessaria est. Trajanus Cæsar Plinio de Christianis. Sine auctore propositi libelli nullo crimine locum habere debent: nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est. A die autem delationis usque in summum diem, quo causa dicenda erat, poterat Reus ex lege apponere Custodem 3 Accusatori, qui observaret, quæ agerentur ab Actore, & quomodo accusationem instrueret, ne quid dolo, aut alia via scelerata moliretur (auctor Plutarchus in Catone Uticensi) ut vix quicquam liceret meditari ad accusationem, nisi præsente Custode.

Exemptio. Abolitio. Custodes Accusatori appositi.

COROLLARIUM AD CAP. VII.

1 Alii sunt libelli supplices) *Quando hoc capite libellorum supplicum sive requestarum, ut vocant, & rescriptorum mentio incidit, a publicis ad privata deflectendo, dum causam captamus corruptos mores nostri sæculi, qui in praxim quotidie irrepunt, corrigendi & admonendi, lubet hic deplorare merito frequentem nimium usum, aut potius abusum rescriptorum a Principe obreptorum, & subreptorum magis, quam obtentorum & impetratorum. Quotusquisque enim litigator est litem protrahere volens, qui non obtrudat facili & benigno Principi mendacia? Et hac in parte quod facile imponunt suis Clientibus Procuratores, & Pragmatici, ut etiam in re minime necessaria cumulum rescriptorum extorqueant, magno cum Litigantium dispendio, dolet Joan. Imbert. Institut. forensibus. Verum in expensis punitur temerarius, & mendax suggestor: sed operæprecium esset ad hujusmodi Vitilitiga-*

Abusus rescriptorum.

torum cohibendos cavillos quandam multam apponere ratione obreptionis, subreptionis, vel incivilitatis, pro cujuslibet articuli falsi suggestione, ex l. 5. C. si cont. jus vel utilit. eaque duplicaretur, aut augeretur arbitrarie ex circumstantiis, & frequentia abutentis gratia Principis: quemadmodum fieri audio in quibusdam appellationum causis a suprema Curia, quando evidens est calumnia. Sed certe melius res se haberent Forenses (meo quidem judicio) sed omnes prærogativæ, gratiæ, rescissiones, nullitates, compensationes, reconventiones, restitutiones in integrum, atque id genus beneficia, & remedia juris, quibus læsis, & afflictis succurri solet, a Judice ordinario ex æquitate, & juris præscripto dari & concedi possent, ut opus nequaquam esset toties oraculum Principis interpellare. Quorsum enim impetratur, quod jure communi conceditur? l. Imperator ff. de privilegiis credit. l. unic. de thesaur. lib. 10. C. Sed video quosdam sacrosanctos, qui plusquam Tribunitia potestate pollent, intercedere atque illud exclamare, res Fisci est, quam tractas, minus turgescent ejus loculi, si sigilli emolumentum decrescat, aut decedat. Quibus habeo, quod respondeam, quod augeretur publica utilitas, ob quam Principes, & Reges constituuntur, & universa spectat Politia. His etiam objici potest egregia illa analogia, & convenientia Fisci & Reipublicæ cum liene, & cæteris membris, quam proponere solebat Trajanus Nerva optimus sane Princeps, si Christianus fuisset: atque alia in hanc sententiam cumulare possem, sed sufficiat morbum, atque medicinam indicasse.

Juris remediæ ab Ordinariis concedenda.

Trajanus Nerva.

2 Aut aliam publicam gratulationem) *L. 8. & 9. ff. ad S. C. Turpilian.*

3 Ex lege custodem apponere) *De custodibus superius dictum est, l. 2. c. 4. nostræ Historiæ.*

ARGUMENTUM

CAP. VIII.

De diei actione, interrogatoriis, & litis contestatione.

Dies dictus.

DElato libello dies dicebatur, ad quem se sisteret Reus causam dicturus: Hunc statum, & constitutum Latine dici ante 1 annotavimus. Dicere ergo, prædicere, & prodere diem est adjornare. Cic. pro doma sua: In me cui dicta dies nunquam est, qui Reus non fui qui, nunquam sum a Trib. Pleb. citatus, damnati esse pœna potuit? Idem ibidem: Moderata judicia Populi sunt a majoribus constituta, primum ut ne pœna capitis cum pecunia conjungatur. Deinde ne nisi prædicta die quis accusetur, ut ter ante Magistratus accuset intermissa die, quam multam irroget, aut judicet, quarta sit accusatio trinundinum prodita die, qua judicium sit futurum. Quo ex loco clarum est, quod ut delatio diem dictam, ita diei dictio accusationem præcedebat, ita tamen ut exacto trinundino perageretur accusatio. Debuit ergo intra vigesimum septimum dies dici, neque longius Reo tergiversari licebat. Trinundini vero solemnitas maxime servabatur ad Populum, ut in legibus ferendis, primis & alteris nundinis, promulgatæ penderent in tabula, tertiis, si nemo contradiceret, in ærarium ferrentur. In Foro ad prætorem non item: itaque xxx. dies utiles dati, intra quos Accusator diem diceret, & Reus causam. Hinc illa tria de in jus vocando edicta distincta 2 spatio x. dierum, ut nundino decimus dies adjectus sit, nisi quod in nundino nonus includatur, in decimo decimus excludatur, demum peremtorium impetretur, ad quod, si non adsit Reus, tamen causa disceptabitur. 3 Prodita die qua judicium sit futurum: Nam dicere diem, non est constituere eum summum diem, quo de causa pronuntiabitur, sed eum, quo primum ad Prætorem Accusator Reum legibus interrogabat, ad quem si non aderat Accusator, Reus eximebatur ex Reis. Cicer. IV. Actione in Verr. Non ego a Vibone Veliam parvo navigio inter fugitivorum, & prædonum, & tua tela venissem, quo tempore omnis illa mea festinatio fuit, cum periculo capitis, ob eam causam, ne tu ex Reis eximerere, si ego non adfuissem ad diem. Nam prima actio, qua Reus conveniebatur, fiebat in altercationis modum per intentionem & depulsionem, Asconius in Verrinam VII. Reum fieri, est legibus interrogari; cum enim in jus ventum est, dicebat Accusator apud Prætorem Reo, *Ajo, te Siculos spoliasse*: si tacuisset, lis ei, ut victo, æstimabatur, si negasset, petebatur a Magistratu dies inquirendorum criminum, & instituebatur accusatio. Hæc Asconius: Hujus intentionis exemplum est apud Ciceronem in Divinatione. Sicilia tota, si viva voce loqueretur, hæc diceret, quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit; quod in unoquoque beneficio Senatus Populique Rom. juris habui, id mihi C. Verres, eripuisti atque abstulisti, quo nomine abs te sestertium millies ex lege repeto. Ubi legem Corneliam 4 interpretamur, quæ lata est de pecuniis repetundis ante Juliam. Ex eodem loco, quid Reum fieri, & quid legibus interrogari sit, satis constat. Cicero pro domo sua. In me, cui dies dicta nunquam est, qui Reus non fui, qui nunquam sum a Tribuno Plebis citatus, damnati pœna esse potuit? Idem ibidem: Esto, non fuit in me unquam pœna ulla peccati, at fuit judicii; cujus? quis me unquam ulla lege interrogavit? quis diem dixit? Quorum seriem si propius spectemus, diem dici post interrogationem actioni futuræ patebit, ad quam rursum Reus citabatur. Ante ergo interrogationem legibus dies dicebatur. Cicero ibid. Nihil erat latum de me, non adesse eram jussus, non citatus fueram, eram tuo judicio civis incolumis, id est, nondum Reus, nondum lege interrogatus. Ibidem. Qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus. Die accusationis rursus citabatur Reus. Idem in Divinatione. Ita Deos mihi velim propitios, ut cum illius temporis mihi venit in mentem, quo die citato Reo mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco. Enimvero interrogatio illa, quæ legibus fiebat, habet plus mysterii intus, quam præ se ferat. Nam litis contestationem in publicis continebat. Tum Reus

Trinundinum.

Trinundini solemnitas.

Edicta de in jus vocando.

Edictum peremtorium.

Dicere diem quid proprie.

Altercatio intentionis & depulsionis.

Reum fieri.

Intentio.

L. Cornelia Repetundarum.

Cicero explicatur.

Reus citatus.

Intrrogari legibus Litis contestatio.

opponere poterat exceptiones dilatorias, declinatorias, reliquasque translationes, aut peremptorie submovere, depellereque intentionem constituto judicio: Nam litis contestatio a statu Rhetorum omnino non differt, nisi quod illa forensis, hic scholasticus & declamatorius. Constat, litem contestari esse judicium accipere, & constituere: Ideo cum status Fabio, si constitutio Ciceroni in veteri Rhetorico, erit & litis contestatio. Atque ut exactius res excutiatur, quæ a Rhetoribus tam diligenter scribuntur de causarum ingressu, intentione, depulsione, id est, statu, ubi gradum figit Reus ad repugnandum, & ex horum congressu nata constitutione: Item de ratione a Reo allata, eidemque relato ab Actore firmamento, & hinc nata disceptatione, vel judicatione, quam κρινόμενον vocant, illa sane speciem prorsus eorum mihi referunt, quæ in foro ex præceptis Jurisprudentiæ observantur; ut temere & inepte quidam putent, ignorantia historiæ præcepta de minutiis istis (ut ajunt) posita esse in theoria, & subtili mentis contentione, neque in rem præsentem unquam deduci: nam quemadmodum ante litis contestationem proponuntur exceptiones dilatoriæ, declinatoriæ, temporales ad transferendum judicium: sic ex præscripto Rhetorum, & veterum Oratorum ante judicium, tanquam ante justum prælium, exercetur quædam velitatio de constituendo judicio, sitne actio illi, qui agit, aut jam ne sit, an num jam esse desierit, illane lege, hisne verbis, quæ concertantur & conficiuntur ante judicium. Vocant Rhetores præambulam hujusmodi controversiam statum translationis, ut que in Rhetoricis post translationem principes status concertantur, conjecturæ finitionis qualitatis nati ex intentione Actoris, & depulsione Rei, in quibus tota controversia constituta vertitur: hinc constitutiones staseis, vertices, & cardines causarum dicuntur. Ita in jure litis contestatio ex actione & opposita peremptoria exceptione consurgit. Ad hæc quia Reus in excipiendo agere opus habet, ut ratione aliqua exceptionem suam confirmet; hanc Rhetores vocant peculiari nomine rationem, cui Actor Firmamentum, quod Jurisperiti replicationem appellant, refert, & opponit. Rursusque ex conflictu relationis & Firmamenti, id est, Exceptionis, & Replicationis nascitur altera litis contestatio, quam Judicationem, & Disceptationem Cicero vocat, tanquam de ea demum quæstione sit disceptandum, judicandum, & pronuntiandum. Hic consistunt Rhetores, & ad hanc judicationem persuadendam omnem vim Inventionis, & Eloquutionis conferunt hinc inde, & certatim. Advocati vero & Jurisperiti non contenti his primis causarum synechis & continentibus ad Duplicationem, quæ Rei est, & Triplicationem, quæ Actoris, & rursus ad Quadruplicationem alternis ascendunt, & superius, donec ab utroque Litigante allegationibus fuerit renuntiatum. Sed tamen lis contestata est in priore conflictu, & statu, aut posteriore disceptatione: reliquæ quæstiones, quæ ex reliquis conflictionibus oriuntur, non sunt principes, nec

Status Rhetorum. *Translatio.* *Ratio. Firmamentum. Replicatio.* *Judicatio, & Disceptatio.* *Continentiæ causarum.*

Judicationes vocari possunt. Et quanquam de omnibus incidentibus, & emergentibus cognoscant Judices, tamen de Judicatione sola, in qua lis est contestata, definitive pronuntiant. Lis dicitur contestata, quia post judicium acceptum perpetua fit, ut virtus contestata pro perenni, ubi metaphora a foro est. Cic. pro Flacc. Cumque ab hac perenni, contestataque virtute majorum non modo non degeneravit L. Flaccus. Idem pro Quintio: Et audes negare, Sexte Nævi, absentem defensum esse Quintium, cum eum defenderit idem, qui te solebat, cum is judicium acciperet pro Quintio, cui tu & rem, & famam tuam commendare proficiscens, & concredere solebas? Et paulo post: Fatetur libellos Alphenum dejecisse, vadimonium promisisse, judicium quin acciperet, in ea verba, quæ Nævius edebat, non recusasse. Sed in privatis ista dicuntur, quæ per jurisjurandi, & sponsionis solemnia fiebant, ut aliquando narrabimus, ut Actio, quæ in publicis Intentio, Criminatio, Petitio, vocabulo traducto a gladiatoriis ludis, ubi petere adversarium, est intentare artificiose gladium, alter autem depellit, & eludit. Cic. in Divinatione de Hortensio: novi hominis petitiones, rationesque dicendi. Vergil.

Lis contestata quare dicitur. Virtus contestata. *Petitio.*

Malo me Galatea petit.

Arcersere, inquirere, postulare capitis ad hanc interrogationem pertinent, præceduntque accusationem. Tranq. in Julio: Mox & ipse a L. Antistio Tribu. Plebis postulatus, appellato demum collegio, obtinuit (cum Reipub. causa abesset) Reus ne fieret. Porro alias postulare judicium idem est, quod petere, ut adversarius litem contestetur. Hinc ortum a formula postulandi, quando Actor sic Reum aggrediebatur: *Quando te in jure conspicio, postulo an te auctorem facias?* Cicer. pro Quintio: Judicium postulas? non recusat. Postulare jus, est petere, ut sibi ratio & justitia fiat, ut Vulgus loquitur. Postulare autem sine epitheto, est desiderium suum, vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Ulpian. in l. 1. ff. de postu. Id jam vocabuli retinemus, ut postulent qui agunt causas, & advocant. Postulata, desideria, & requestas, eadem diximus supra.

Accersere. Inquirere. Postulare.

COROLLARIUM AD CAP. VIII.

1 Ante adnotavimus) *Supra lib. 1. c. 9. nostræ Historiæ.*

2 Distincta spatio x. dierum) *De quibus in l. 68. & duabus seq. ff. de judic. Huc quadrat illud Plutarchi in Ciceronis vita. Cum Manlius ad dicendam causam legitimum dierum tempus exposceret, unicum diem, quæ administrationi supererat, Cicero Prætor præstitit. Mos autem erat Prætorum Reis non pauciores decem diebus dare.*

3 Si non adsit Reus, tamen disceptabitur) *l. 71. & 73. de judic. ff.*

4 Ubi l. Corneliam interpretamus) *Quatuor potissimum leges de repetundis latæ*

LL. Repetundarum.

sunt, Servilia, Acilia, Cornelia, & Julia, de quibus infra quædam adnotabimus lib. 5.

De litis contestatione, quomodo & quando nunc fiat, habes C. de lit. contest. juncta authen.

ARGUMENTUM

CAP. IX.

De Inquisitione, & Legatione, ac de causa Repetundarum.

Causa Repetundarum.

INterrogatus legibus Reus, si inficiatus esset crimen, dies inquirendi a Magistratu petebantur, maxime in causa Repetundarum; ut in causa Verris, Verres primum delatus, agitata divinatio, lege interrogatio, lite contestata inquisitio, demum accusatio & damnatio. Ante ergo accusationem, & inquisitionem quædam inquiramus. Magistratus ergo, qui sese improbe gesserant in administranda Provincia, post missum successorem postulati ab iis, quos concussionibus, & latrociniis vexaverant, causam dicebant Repetundarum, ex lege Acilia, deinde Cornelia, & Julia. Sed de admissis vix constare poterat, nisi qui delationem obtineret, impetraret certos dies ad peragrandum Provinciam, in qua grassatus erat Reus, ut in omnia inquireretur. Est enim inquirere, quod vulgo dicimus facere enquestam, & informationem, colligere, & conquirere argumenta omnia inartificialia undequaque ad Reum convincendum. Hoc muneris aliquando ipsi Accusatori, non sæpe Reo dabatur, sæpius extra ordinem Commissariis. De Accusatore, Cicero in Divinatione: *Itaque cum ego diem inquirendi in Sicilia postulavissem perexiguam, invenit iste, qui sibi in Achajam biduo breviorem postularet.* Idem III. Actione: *Interposuistis Accusatorem, qui, cum ego mihi centum & decem dies in Siciliam postulassem, centum & octo sibi in Achajam postularet.* Quod extra ordinem Legatis res committeretur, ut & hodie fit Commissariis: Unde ire in commissionem, quod Latini dicunt obire Legationem. Plinius libro tertio de causa Macri, qui Proconsul erat in Africa: *Norbano tamen non ordo legum, non legationum, non inquisitionis officium præsidio fuit.* Pro eodem dixit Legationes, & Inquisitionem: & ad finem epistolæ: *Summo die Salvius Liberalis reliquos Legatos graviter increpavit, tanquam non omnes, quos mandasset Provincia, Reos peregissent.* Legatos interpretor Inquisitores, qui eligebantur a vexatis & concussis. Idem de eodem Norbano: *Homo alioqui flagitiosus, & Domitiani temporibus usus, ut multi, electusque tunc a Provincia ad inquirendum, non tanquam bonus & fidelis, sed tanquam Classici inimicus.* Quod Reo aliquando tribueretur Inquisitio, ad defensionem instruendam, idem Plinius docet ad Ursum, in causa quam egit pro Vareno Repetundarum postulato a Bythinis: *Inducti in Senatum inquisitionem postulaverunt. Tum Varenus petit, ut sibi quoque defensionis causa vocare testes liceret, recusantib. Bythinis*

Inquisitio. *Inquirere.* *Quibus Inquisitio mandabatur.* *Legatio.* *Plinius explicatus.* *Legati.* *Inquisitio Reo etiam concessa.*

A *cognitio suscepta est.* Et paulo post ibidem: *Censuit Acilius Rufus consul designatus inquisitionem Bythinis dandam, postulationem Vareni silentio præteriit.* Hæc forma negandi fuit: *Cornelius Priscus Consularis, & Actoribus quæ petebant, & Reo tribuit, vicitque numero. Impetravimus rem nec lege comprehensam, nec satis usitatam, justam tamen.* Quæ verba significant inquisitionem Reo interdictam, neque permissam. Idem lib. VI. de eodem argumento: *Scripseram tenuisse Varenum, ut sibi evocare testes liceret:*

B *quod pluribus æquum, quibusdam iniquum & quidem pertinaciter visum, maxime Licinio Nepoti, qui sequenti Senatu, cum de rebus aliis referretur, de proximo Senatusconsulto disseruit, finitamque causam retractavit. Addidit etiam petendum esse a Coss. ut referrent sub exemplo legis Ambitus de lege Repetundarum, an placeret in futurum ad eam legem adjici, ut sicut Accusatoribus inquirendi, Testibus quoque denuntiandi potestas esset ex lege, ita Reis quoque fieret. Fuerunt, quibus hæc oratio, ut sera & intem-*

C *pestiva, & præpostera, displiceret.* Meminit eodem lib. VI. ad Ursum. Tacitus l. XIII. de Suillio Repetundarum, & Cinciæ legis reo: *Mox quia inquisitionem annuam impetraverat, urbana crimina incipi, quorum obvii testes erant.* Neque a solis Magistratibus, ubi privati decessissent de Provincia, ratio magistratus gesti reposcebatur, sed & Comites ipsi, Socii & Emissarii eadem lege Julia Repetundarum causam dicebant. Marcell. l. 1. ff. ad l. Jul. Repetund. *lex Julia Repetundarum perti-*

D *net ad eas pecunias, quas quis in Magistratu, Potestate, Curatione, Legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico acceperit, vel eum qui ex cohorte cujus eorum est.* Plinius lib. III. ad Minutianum de causa Classici, qui Proconsulatu exacto in Bœtica Hispaniæ Repetundarum accusabatur. *Addiderunt* (scribit) *Bœtici, quot simul socios, ministrosque Classici detulerunt, nominatimque in eos inquisitionem postulaverunt.* Tamen ante Marcelli interpretationem nondum constabat, tenerenturne Comites Magistratuum

E lege Julia, in qua id nominatim non cavetur, sed adjectum a Marcello in d. l. 1. Plin. lib. III. ad Minutianum de sociis & ministris: *Circa Hispanum & Probum multum sudoris. Horum antequam crimina ingrederer, necessarium credidi elaborare, ut constaret ministerium crimen esse, quod nisi effecissem, frustra ministros probassem.* Et paulo post: *Hispanus, & Probus in quinquennium relegati, adeo crimen visum est, quod initio dubitabatur an crimen esset.* Ministerium ergo opera est,

F quam Comites præstant Magistratibus ad vexandos Provinciales, Græci λειτούργιον vocant, pro quo Comites tenebantur, eratque quasi appendicula litis principis. Idem Plinius lib. II. de causa Marii: *Hic finis cognitionis amplissimæ, superest tamen litergion non leve. Hostilius Firminus Legatus Marii Prisci, qui permistus causæ, graviter, vehementerque vexatus est: Nam & rationibus Martiani, & sermone, quem ille habuerat in ordine Le-*

Comites. *Cohors.* *Explicatus l. 1. ff. ad l. Jul. Repetund.* *Ministerium.* *λειτούργιον*

pticanorum, operam suam Prisco ad turpissimum ministerium commodasse, stipulatusque de Martiano quinquaginta millia denariorum probatur, &c. Idem Plinius sequenti epistola: Leitoúrgion illud, quod superest causæ Marii Prisci scripseram proxime, nescio an satis, circumcisum tamen, & adrasum est. Firminus inductus in Senatum, respondit crimini noto. Postrema ergo pars primæ legis in titulo ad l. Jul. Repetund. ad causas liturgiōn, & ministeriorum pertinet. Impensæ vero inquisitionum partim publicæ, partim privatæ fiebant. Cicero de sua inquisitione loquens III. Act. Nemini meus adventus labori aut sumptui, neque publice, neque privatim fuit. Magnæ autem erant propter ambitionem, infinitumque comitatus fastum. Idem pro Flacco de Lælio Accusatore & Inquisitore, in causa repetundarum: Qui comitatus in inquirendo? comitatum dico, imo quantus exercitus? quæ jactura? qui sumptus? quanta largitio? Comparabatur autem tantus Comitum numerus ad vim inferendam, extorquenda civitatibus psephismata, I privatis testimonia, adeo ut tandem lex data sit, de numero Comitum in inquisitione. Idem in eadem oratione: Tantum a vobis petam, Judices, ut si quid ipsi audistis in communi fama, atque sermone de vi, de manu, de armis, de copiis, memineritis, quarum rerum invidia lege hac recenti & nova certus est inquisitioni Comitum numerus constitutus. Civitatum porro elogia, & populorum psephismata, privatorum testimonia, quæ in tabulas conjecta instrumenta inquisitionis vocabantur, impetrata publice a Provinciarum concionibus juratis Romam deferebantur: & intra triduum ad Prætorem ex lege deferri debebant, atque a Judicibus obsignari. Idem in eadem Oratione: Sed fuerunt incorruptæ literæ domi, nunc vero quam habere auctoritatem, aut quam fidem possunt? Triduo lex ad Prætorem deferri, Judicum signis obsignari jubet, trigesimo die vix referuntur. Ne corrumpi facile possent, idcirco lex obsignatas in publico poni voluit. Et quia incidimus in obsignationis mentionem, annotemus morem veterem in causis Repetundarum, quem etiam in aliis servamus multis. Asconius III. Act. ad illud Ciceronis: Cum obsignandi gratia venissem: Moris fuit (inquit) ut Accusator obsignaret domum, & omnia clausa haberet ejus, quem accusaturus erat, ne qua furtorum indicia, aut in vasis, aut in signis, aut in literis constituta a Reo removerentur. Idem Asconius alibi adnotat de mense Februario. Hic est mensis, quo Senatus frequens postulatis Provinciarum audiendis datur. Forte quia tum recens decesserant ex Provincia Magistratus, missis successoribus Junuario. Itaque præsentibus Reis querimoniæ Provinciarum audiebantur commodius, & tutius propter Testes & memoriam recentiorem. Zeno tamen Imp. constituit, ut administratores Provinciarum quinquaginta diebus post Magistratum in Provincia palam manerent, ut esset cuivis potestas accusandi privatum, repetendi extortum. Constitutio extat lib. I. C. Justinianei.

Impensæ inquisitionum. *Lex de numero Comitum.* *Instrumenta inquisitionum.* *Vetus mos in crimine Repetundarum.* *Februarius.* *L. Zenonis.*

COROLLARIUM AD CAP. IX.

1 *Psephismata sunt rogationes & leges Populares, quæ Plebiscita, id est, decreta, & placita Populi dicuntur. Cic. pro Flacco: Sic sunt expressa ista præclara, quæ recitantur psephismata, non sententiis, sed auctoritatibus declarata. Psephismatum etiam meminit l. 10. epist. de Byzantinorum impendiis.* *Psephismata.*

ARGUMENTUM

CAP. X.

De variis æstimationibus litium.

SI Reus illatam intentionem non depellebat in utroque judiciorum genere, velut confesso lis æstimabatur, ut ante ex Pædiano scripsimus. Est autem litem æstimare, ut idem docet in eadem II. Act. redigere in summam pecuniam, de qua lis fuit, quæ de condemnati rebus exigeretur, & ut tota res plenius habeatur, puto fuisse triplicem litis æstimationem. Primum cum confesso, ut diximus, sine accusatione & judicio lis æstimabatur, ut in oratione pro Rabirio Posthumo, ubi Aulus Gabinius confessus est accepisse se pecuniam ob reducendum Ptolomeum in Ægyptum, & ei lis æstimata extra judicium. Itaque (inquit) nec prædes dati, nec ex ejus bonis, quanta summa litium fuisset, a Populo recipi lex æqua est. Et paulo post: Itaque in litibus inferendis adesse solebant, qui aliquid de se verebantur, & cum erant appellati, si videbatur, statim contradicere solebant. Sin ejus temporis recentem invidiam pertimerent, respondebant postea: quod cum fecissent permulti, sæpe vicerunt. Hæc ille. Gabinius ergo non responderat, & ideo lis ei æstimata sine prædibus, postea diluta tempore invidia causam dixit defendente Cicerone, absolutusque est. Hujusmodi litis æstimationem non statim sequebatur prædium exactio, aut pignoriscapio, vel bonorum distractio. Itaque si rebus integris postea Reus defenderetur, extinguebatur prorsus facta æstimatio, & hoc est, quod dicit, permulti sæpe vicerunt, quo in loco alioqui difficili nihil prorsus vidit interpres, ut & in reliqua plane Oratione cæcutit. Et quia interposita æstimatio non impediebat posteram defensionem, neque judicium, neque præjudicium erat, & rei judicatæ exceptio non opponeretur. Cic. pro Cluentio: Hic profertur id, quod judicium appellari non oportet, P. Septimio Scævolæ litem eo nomine esse æstimatam. Et paulo post: Quod cum fit, non judicia rescinduntur, sed hoc statuitur, æstimationem litium non esse judicium. Et quanquam ille locus de æstimationibus, quæ post judicium fiant, loquatur, tamen ejusdem ingenii est, ea quæ præcedit, quod ante judicium fit, & sine ulla litis contestatione. Altera erat, quæ illatio litis dicebatur, cum injuria affecti vindictam non quærebant publice, sed litem sibi æstimari postulabant, id est, multam quandam adjudicari, qua ablatum concussione, latrocinio,

Litem æstimare. *Triplex litis æstimatio.* *Pro Cluentio.* *Illatio litis.*

furto, recuperarent. Cic. pro Cluentio: In litibus æstimandis fere Judices, aut quod sibi eum, quem semel condemnaverunt, inimicum putant esse; si quæ in eum lis capitis illata est, non admittunt, aut quod se perfunctos jam esse arbitrantur cum de Reo judicarunt, negligentius attendunt cætera. Est enim inferre litem non crimen intendere, aut formulam, sed omisso capite rerum ablatarum per Reos, æstimationem persequi: quod vulgo dicimus agere civiliter, ut nunc in cædibus, cæsorum parentes litem inferunt, id est, agunt, ut lis æstimata redigatur ad recuperandum quanti sua interest. Procurator Fisci crimen intentat, vindictam persequitur, solumque caput petit. Hic, cui lis capitis æstimata, nondum est ex Reis exemptus, sed & condemnari potest: Ita contra, qui absolutus est tantum pro capite, tamen litis æstimationi obnoxius est. Sunt enim litem inferre, & litem capitis æstimare eadem, cum pœna legitima convertitur in multam, aut præ multa contemnitur. Alterum tamen alteri præjudicium non adfert, ut Accusator unus æstimationem capitis, alter caput ipsum petere possit, sicut nunc non satis est satisfecisse (ut loquimur) parti interessatæ, nisi publice abolitio impetretur: aut contra non satis est remissionem impetrasse, nisi id quod interest, solvatur; ut in causa Verris quæ æstimata est septingentis quinquaginta millibus, qua in summa putat Plutarchus prævaricatum Ciceronem, qui in Divinatione petierat millies sestertium. Hactenus duæ litium æstimationes, quæ sunt ante sententiam, prior sine lite, altera cum lite. Tertia restat, quæ appendicula est causæ principis, ut dicit pro Rabirio, cum vindicta primum lege petitur, deinde vice corollarii interesse, & litium æstimatio exigitur, quod fit in quibusdam causis, ut Repetundarum, & Concussionis, maxime si conjunctæ sint cum alio crimine. Plinius Secundus libro secundo epistolarum ad Arrianum de causa Prisci damnati Repetundarum: Cornutus Tertullus Consul designatus, vir egregius, & pro veritate firmissimus censuit septuaginta millia, quæ acceperat Marius, Ærario inferenda, Mario Urbe, Italiaque interdicendum. Ubi capitis pœna cum pecunia conjuncta est, sed conjuncta erat Marii causa, qui ob Reos judicandos, interficiendosque pecuniam acceperat. De hoc S. C. sic meminit Juvenalis Satyra I.

Inferre litem.

Litem capitis æstimare.

Appendicula causæ principis.

Locus Juvenalis.

Exul ab octava Marius bibit, & fruitur Diis
Iratis, at tu victrix Provincia ploras.

Quo redibat pecunia.

Sed videndum ad quos redibat æstimata pecunia. Ex verbis Plinii, & nasuto, mordacique Juvenalis hæmistichio ad Ærarium rediisse constat, aut ad Populum. Cic. pro Rabirio: Sunt lites æstimatæ de Gabinio, nec prædes dati, nec ex ejus bonis quanta summa litium fuisset a Populo Rom. recipi lex æqua est. Sed illic is, qui dederat, turpiter dederat, ideoque inferre litem ad repetendum non potuit. Qui autem poterant litem inferre, ad eos æstimatio redibat: Nihil enim tam natura-

A le, quam eum sequi commoda, quem sequuntur incommoda, aut nihil tam justum, quam ut spoliatus restituatur. Ideoque non immerito exagitatur a Satyrico Senatusconsultum, quo rapta a sociis Ærario illata sunt. Plin. ergo de causa Classici Repetundarum damnati lib. III. ad Maximum: Consilii nostri exitus fuit, bona Classici, quæ habuisset ante Provinciam, placuit Senatui a reliquis separari: illa filiæ, hæc spoliatis relinqui. Additum est, ut pecuniæ, quas creditoribus solverat, revocarentur. Cicero Actione ultima: B Non ex litibus tuis æstimandis pecuniam domum, sed ex tua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult reportare. Ii quorum intererat adesse debebant, ut testarentur de suis dispendiis & interesse. Cic. III. Actione: Reperietis paucos Syracusanos, qui se nunc publicæ laudationis causa venisse dicunt, & tunc participes prædæ fuisse, & nunc non ad istius laudationem, sed ad communem litium æstimationem venisse. Æstimabantur autem ex literis privatis, tabulis publicis, testimoniis, cæterisque inquisitionum C instrumentis. Cicero pro Rabirio: In litibus æstimandis nemo appellabatur, nisi Testium dictis, tabulis privatorum, & rationibus civitatum. Ex qua loquendi formula etiam constat litium æstimationem judicium non fuisse; non enim dicit, citabatur, vocabatur in jus, sed appellabatur. Idem ibidem: In litibus æstimandis adesse solebant, qui aliquid de se verebantur, & cum erant appellati, si videbatur, statim contradicere solebant. Itaque eodem judicio capitis pœna cum multa non D infligitur, propter veterem juris articulum, qui vetat ne pœna capitis cum pecunia conjungatur, ut est in Oratione pro domo sua. Asconius in II. Act. Duæ res consequebantur damnationem, una qua vel simplex, vel duplex, vel quadruplex æstimatio ducebatur: Altera erat exilii. Quod est intelligendum in simplici quæstione, non conjuncta, ubi pœna capitis cum multa conjungitur, ut ante diximus. Est alia etiam litis æstimatio nostris temporibus, cum, judicato principali (ut loquimur) procedimus pro expensis recuperan-E dis. Est enim hoc persequi litis æstimationem, ut non tantum dispendia, sed etiam impendia consequamur, quod totum est in arbitrio Cognoscentis positum. Meminit Cic. I. de Oratore de æstimatione pœnæ, quæ ad rem utcunque pertinet: Erat (inquit) Athenis Reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio & sententia cum a Judicibus daretur, interrogabatur Reus, quam quasi æstimationem commeruisse se maxime confiteretur: quod cum interrogatus Socrates esset, re-F spondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus & præmiis decoraretur, & ut ei victus quotidianus in Prytaneo præberetur, qui honos apud Græcos maximus haberetur.

Unde æstimabatur lis, Appellare.

Pœna capitis cum pecuniaria non conjungitur.

Alia litis æstimatio.

Impensæ litium.

Æstimare pœnam. Mos Atheniensium.

Socrates

AR-

ARGUMENTUM

CAP. XI.

De ordine dicendi, & quod Defensio interdum Accusationem præcedebat, de partibus Orationis; in fori veteris, & hujus sæculi mores digressio, quid sit indicasse Reum.

Defensio interdum præcedit.

SOlemnia, quæ descripta sunt, excipit tandem accusatio, & accusationem defensio. Accidit tamen nonnunquam, ut defensio præcedat iniquitate Judicis, aut accidentium maleficio, ut in causa Quintiana Cicero queritur, Reum priore loco causam dicere, & antequam Accusatoris criminationem audiverit, hac eleganti allegoria: Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum adversarius nullum jecerit: Illis autem id tempus impugnandi detur, cum & vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit: & si qua in re, id quod parati sunt facere, falsum crimen quasi venenatum aliquod telum jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit. Huc pertinet, quod Fabius scribit cap. II. lib. VII. Multis millibus versuum scio apud quosdam esse quæsitum, quomodo inveniremus, utra pars deberet prior dicere, quod in foro vel atrocitate formularum, vel modo petitionum, vel novissime sorte dijudicatur. Et paulo post: Sed in plurimis controversiis ne inveniri quidem potest, ut in illa, qui tres liberos habebat, Oratorem, Philosophum, & Medicum, testamento quatuor partes fecit, & singulis singulas dedit, unam ejus esse voluit, qui esset utilissimus civitati, contendunt quis primus dicat. Incertum est, propositio tamen certa. Item in anticatigoria, id est, accusatione mutua, ubi uterque Accusator, uterque Reus, ambigitur utri prior dicendi locus dabitur, maxime cum hoc reciprocum, & mutuum causæ genus recipitur, ut apud Populum, Principem, & Senatum, & reliquos qui religioni legum addicti non sunt: Nam apud juratos Judices non criminibus, sed innocentia morum se purgare oportet. Ulpian. in leg. is qui Reus ff. de public. judic. Cui Fabius subscribit latius rem persequutus cap. III. lib. VII. in hæc verba: Ex hoc nascitur anticategoria, utique hoc factum esse convenit, quod duo invicem objiciunt: in quo quidem genere causarum admonet Celsus in Foro fieri non posse, quod neminem ignorare arbitror. De uno enim Reo consilium cogitur, & si qui sint, qui invicem accusent, alterum judicium præferre necesse est. Apollodorus quoque anticategoriam duas esse controversias dixit, & sunt revera secundum Forense jus duæ lites. Potest tamen hoc genus in cognitionem venire Senatus, aut Principis. Conventio, reconventio, compensatio ad privata pertinent. Cæterum series naturalis est, ut Accusator prior dicat, cui respondeat deinceps rei Patronus. Utrumque olim oratione perpetua præstabatur, quæ Procemio, Narratione, Contentione, & Epilogo constaret. Adjiciebatur nonnunquam Refutatio eorum, quæ cognata cau-

Anticatigoria.

Unius causæ unum judicium.

Orationis partes. Refutatio.

A sæ non erant, sed tamen alia ratione dicenti nocitura. Interjectæ & Parecbases, quæ docentur exactius a Rhetoribus, quam a nobis in historia pingerentur. Atque utinam infantia temporum quorundam, aut fatorum malignitas veteris Fori tam pulchros mores, tam factos ad comparandam civilitatem, tam aptos ad præstanda ea, quibus solis præstamus cæteris animantibus, nobis non invidisset. Quanto melius ageretur cum legibus, quanto sanctius obirentur Justitiæ sacra a Sacerdotibus, &

Parechasis.

Vetus Forum.

B Mystis, quanto felicius exerceretur Deæ principis satellitium, si Veterum consuetudinem retineremus, quæ pridem e manibus nobis elapsa est? Nam ut taceam reliqua complorata complorandaque, atque semitam non egrediar, quid frigidius judiciis publicis? quid Accusatoribus istis Syndicis, & Procuratoribus Cæsaris accommodatius ad calumnias, prævaricationes, & tergiversationes? Nam hos nec ira, nec dolor justus, nec publica causa ad accusandum impellit, hos nec talio, nec subscriptio, nec infamia male versantes in of-

Procuratores Fisci.

C ficio deterret, nec spes præmii ad convincendum allicit: sed eosdem nummus ab officio revocat, ut quibus prævaricatio plus lucri, quam commodi adferat, qui ita languide agunt, ita frigide urgent, ita leniter pungunt, ut non perfunctoria modo accusatio, sed lusus plane videatur. Accedit his incommodis longe fortassis gravissimum, extinctum in foro dicendi artificium, nulla eloquentiæ cura, aut ratio, invectis altercationibus clamosis, receptis instrumentorum plaustris, non sine magno Reorum dispendio & juris, quæ sane ita frigent,

In corruptos judicii mores.

D ut bilem Judicum accendere adversus improbos nunquam possint, ita marcent, ut exasperare Cognoscentes nunquam possint ad audendum aliquid, quod Justitia dignum sit. Usque adeo scripta minus movent, quam audita. Quin illa intelligentiam, prudentiam disceptantium impediunt sine nervis & sanguine, id est, sine actione, pronuntiatione, & gestu. Quid enim magis salutare, quam vi Eloquentiæ Judicem raptum transferre in Justitiæ castra, eumque cogere, ut odium extremaque omnia denuntiet Deæ hostibus, reddere infestum,

Vis Eloquentiæ.

E infensumque vitiis & improbitati? Quod contingebat beneficio perpetuæ orationis, quæ impetu facto in animum audientis ad vindictam statim abripiebat, quæ igniculos sopitos excitabat ad inflammandam potestatem Judicum, quæ gladium ministrabat ad jugulandos virtutum hostes. Jam vero longis ambagibus, comperendinationibus, & dilationibus vadimoniorum decoquitur, & putret in animis Judicum voluntas animadvertendi, frigore scriptorum pene extinguitur accensa bilis in vin-

F dictam, adeo ut accusationes jam, quæ olim cotes erant pertinacium ingeniorum, argumenta odii æterni solidique adversus vitia, abierint in altercationes ridiculas, & frustratorias, chartas prævaricatorias: sed utendum temporibus, frustra lacrymæ funduntur, vincimur heu fatis. Satis sit indicasse medicinam ad curandum malum, revocationem nimirum veteris moris, ut publice quivis admittatur, ut perpetua oratione Reus peragatur, defendaturque,

Cotes pertinacium ingeniorum.

cum ad excitanda magis ingenia, detegendam ignaviam quandam tristem, & contemtricem Eloquentiæ, tum ad fideliorem juris exercitationem. Verum ut de re tota semel aliquando pronuntietur, mutantur mores agendi cum seculis, quod eleganter & graviter disputatur apud Tacit. in Dialog. de Oratoribus. Sed ad rem. Accusator si vincit damnasse Reum & peregisse dicitur, ut ante diximus. Tacit. lib. IV. Receptus est Reus neque peractus ob mortem opportunam. Dicitur etiam indicasse. Ulp. in l. indicasse. ff. de verb. sig. Indicasse Reum (inquit) est detulisse, arguisse, accusasse, & convicisse. Ubi ordo solemnium prædictorum servatus est. Plautus in Asinaria omnino ita usurpat, ut J. C. ubi senex ab uxore deprehensus in lupanari, & condemnatus rapitur domum tanquam ad supplicium. Ait enim:

Reum damnare. *Peragere.* *Indicare.*

Male cubandum est, indicatum me uxor adducit domum.

Ubi primum delatus a Parasito erat, accusatus, & convictus ab uxore: nam arguisse illud secundum ad interrogationem legibus constitutam, conflictionemque ex intentione, & depulsione referimus, ubi, quia altercamur, magis arguimus, quam accusamus. Cæterum hic indicare non in germano manet significatu, sed pinguius & plenius quid sonat, ut non deferre tantum & denuntiare, sed damnare significet, quod ita capiendum putamus, cum scilicet de præmio constituendo 1 indicanti quæritur, quod demum consequitur, qui eam dat operam, ut non denuntiet, arguat, accuset solum, sed etiam damnet, ut cum effectu verba accipiantur, & aliquem tandem exitum sortiantur, quemadmodum in l. si Barsatoram. C. de fidejuss. ubi invenire latronem, est exhibere judicio vinctum, sistere Præsidi, vel Præfecto Prætorio puniendum. Alias indicare minus est quam deferre, ut in conjuratione Catilinariorum Fulvia index fuit, Cicero autem detulit, arguit, accusavit, convicit, & damnavit. Atque ita paucis habeatur explicatum Ulpianicum responsum. Quomodo autem perpetuæ istæ Actiones in multos dies prorogarentur, tam ab Actore, quam Patrono, ante diximus, ut sæpius eadem causa tota, alias per partes a pluribus oraretur, aliquando continuis, alias interjectis diebus, quæ repeterentur, nisi nota essent ex 2 superioribus.

Explicata l. 197. ff. de ver. sign. *L. 13. C. de fidejuss.*

COROLLARIUM AD CAP. XI.

1 De præmio constituendo indicanti) *Vide leg. 3. §. ff. ad S. C. Sil. ubi legendum videtur indicasse non judicasse. De indicino superius quædam dicta sunt cap. 2. hujus lib.*

Correcta l. 3. ad S. C. Sil.

2 Ex superioribus) *Vide lib. I. cap. 12. hujus lib.*

ARGUMENTUM CAP. XII.

De Altercatione.

PErpetuas Actiones sequitur Altercatio, cujus usus ordine est ultimus, quæ sane omnino communis Rhetori cum Sophista & Dialectico. Posita enim est in sola inventione, & judicio, quibus duobus ars disserendi continetur, & absolvitur, neque illa dispositionem, aut eloquutionis ornamenta magnopere desiderat, aut circa memoriam, & pronuntiationem laborat, ut Dialecticus horum omnium securus est, contentus fine suo, quod est persuadere. Quo modo autem Dialectici de Problemate proposito interrogando & respondendo ultro citroque disputant, ita Oratores, quæ in actione perpetua circa probationes dixerunt, ea intendendo depellendoque alternis, retractant. Sed cum sint duo probationum genera, artificiales, & inartificiales, illæ continua laudis oratione explicantur, hæ altercationibus mutuis committuntur. Itaque in Testium examine pugnatur, quasi punctis, aculeis, spinis, tum in commendandis, tum in refutandis, in tabularum probatione, spectationeque, non oratione perpetua, quasi cæsim, sed mucronibus dimicatur. Hic, quæ inter agendum de argumentis extra artem sitis jactavimus, promenda præstandaque sunt. Exhibendus testis dignus eo elogio, quo affecimus nuper. Præstanda ea tabularum fides, integritas, incolumitas, quæ promissa a nobis est: In his enim regnat, dominatur totum altercandi artificium: Continuitas actionis in insitis occupatur. Cicer. II. Actione in Verrem: Fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit, in alia tempora reservemus, nunc hominem tabulis, testibus, privatis, publicisque literis, auctoritatibusque accusemus. Id est, novo more in altercationem descendamus ante ingressum deductæ actionis. Plin. in epistola ad Minutianum lib. III. Concipere animo potes, quam simus fatigati, quibus toties agendum, toties altercandum, tam multi Testes interrogandi, sublevandi, refutandi. Altercari ergo est, quod vulgo dicimus verbaliter debatuere Testes aut instrumenta, quod nonnunquam ita factitabatur, ut non idem, qui declamaverat causam, altercaretur, fastidita hac minuta opella, atque se indigna, Rabulis & aliis inferioribus Patronis rixas illas arrogans Orator relinquebat. Fab. lib. VI. de Altercatione: Videas alios plerumque judiciis privatis ad altercationes vocari, alios ad probationes, quæ si dividenda sunt officia, hoc certe magis necessarium est, pudendumque dictu, si plus litigantibus prosunt minores. Sed quia ad victoriam vel plurimum valent quidam in dicendo mediocres, hac tamen altercandi præstantia meruerunt nomen Patronorum. Cicer. in claris Oratorib. de L. Philippo: Erat imprimis (ut temporibus illis) doctrinis Græcis institutus, in altercando cum aliquo aculeo & maledicto facetus. Ibidem de Crasso: Hinc in

Altercatio. *Partes Altercationis.* *Probationum duo genera.* *Altercatio in atechnis.* *Oratio perpetua in insitis.* *Altercari quid.* *Altercatio etiam commendat Oratorem.*

A

altercando parem invenit neminem. Idem in Oratione pro L. Flacco: Ubi est igitur illa laus Oratoris, quæ vel in Accusatore antea, vel in Patrono spectari solebat? bene testem interrogavit, callide accessit, reprehendit, quo voluit adduxit, convicit, elinguem reddidit? In publicis itaque judiciis non solus ambitiosus declamandi sudor Oratores exercet, sed pugna decertatoria altercationum, ad quam certandam citantur voce Præconis, qui egerunt. Quia vero nusquam magis, quam inter altercandum, levibus & concisis dictis incalescit Orator, præcipiunt Rhetores, ne erumpat in convitia, & flagitiosa dicteria.

Citatio altercaturorum.

B

Tranquillus in Clodio: ac ne cui hæc mira sint, Litigatori Græculo vox in altercatione excidit, καὶ σὺ γέρων εἶ καὶ μωρός, tu senex es, & stultus. Fabius lib. sexto: Bonus Altercator vitio iracundiæ careat: nullus enim affectus rationi magis obstat, & fert extra causam, & plerumque deformia vitia facere, & mereri cogit, & ipsos nonnunquam Judices incitat. Melior moderatio & nonnunquam etiam patientia; & quæ sequuntur utinam audirent Rabulæ quidam, qui latratibus assiduis nostra fora exercent.

Præcepta Altercantis.

C

Aliquando sine ulla actione perpetua, tantum altercando, causas tractabant, ut Asconius narrat de L. Lucilio, & M. Licinio ambobus Consularibus, M. vero Triumphali. Hi, cum accusarent Lucium Cottam, non sunt usi oratione perpetua, sed interrogatione Testium causam peregerunt. Quod aliquando constituit Claudius Nero. Tranquillus in ejus vita: In cognoscendo morem eum tenuit, ut continuis actionibus omissis, singulatim quæque per vices ageret. Alias nonnunquam altercatio perpetuam actionem præcedit, vel ex lege quæstionis, ut in causa

Causæ sola Altercatione contentæ.

D

Milonis lex lata Cneo Domitio Quæstore, cujus inter cætera uno capite cavebatur, ut per triduum ante diem judicii Testes audirentur. Vel etiam exemplo, cum causæ utilitas id postularet. Marcus Cicero secunda actione Verrina: Faciam hoc non novum, sed ab aliis, qui cum Principes nostræ civitatis sunt, ante factum, ut Testibus utar statim. Illud a me novum, Judices, cognoscetis, quod ita Testes constituam, ut crimen totum explicem: Ubi id interrogando, argumentisque, atque oratione firmavero, tum Testes ad crimen accommodem, ut nihil inter illam usitatam

Altercatio nonnunquam Actionem perpetuam præcedit. Lex quæstionis Exemplum causæ.

E

accusationem, atque hanc novam intersit, nisi quod in illa tum, cum omnia dicta sunt, Testes dantur, hic in singulas res dabuntur, ut illis quoque eadem argumentandi facultas sit. Idem, sed apertius, pro Flacco: Ubi est igitur illa expectatio, quæ versari in judiciis solet? Nam antea cum dixerat Accusator acriter & vehementer, cumque Defensor suppliciter demisseque responderat, tertius ille erat expectatus locus Testium, qui aut sine ullo studio dicecebant, aut cum dissimulatione aliqua cupiditatis.

Confusus ordo dicendi & altercandi.

F

ARGUMENTUM

CAP. XIII.

Altercationem dividit, ac primum de ea, quæ in denunciandis, & interrogandis testimoniis consistit, Acatalepsia, & Subselliis Testium, ac de Jurejurando.

Opponuntur ex adverso Altercatio & Divinatio; hæc, ut quidam apud Pædianum dicunt, actiones eas complectitur, quæ solis argumentis, quæ arte industriaque Oratoris e locis insitis educuntur, confirmari possunt: Altercatio autem, ut diximus, in iis versatur, quæ inartificialia & foris assumta sola industria Oratoris, beneficio eloquutionis tractantur, non inveniuntur; cujusmodi species sex enumerat Fabius, 1 quem maluimus sequi, quod postremus scripserit de Rhetoricis, & de prioribus veluti judicium tulerit, habito delectu eorum, quæ optima viderentur: Eæ sunt, Præjudicia, Rumores, Tormenta, Tabulæ, Jusjurandum, Testes. Rumores, & Præjudicia magis ad continuatam dictionem pertinent: reliqua ad altercationem accommodatissima. Primum ergo de Testibus dicamus, quoniam circa eos maximus Patronorum sudor est. Testis olim Superstes, Antistes, Antistitor, Antestatus, Advocatus, quia in præsentem rem de qua testificaturus erat adducebatur, vocatus est, quasi idem sit cum eo, qui prudens, & sciens, consciusque rei, quæ geritur, præsentiam commodat: nam & pupilli, 2 aut furiosi præsentes aut Testes esse non possunt, quia rem non intelligunt magis, quam saxum aut rupes. Quod si ita habet, constat Testes oculatos esse debere, quanquam & auriti nonnunquam sint: Adnotavit enim Asconius in tertiam Verrinam apud Antiquos & de auditione testimonium dici solutum. Fabius lib. v. De auditionibus scimus non ipsos esse Testes, sed injuratorum afferre voces. Et certe si præsentes aures accommodent pro oculatis capiuntur, ut in convitiis, & exigendis iis, de quibus an dicta sint ambigitur, quæ auribus non oculis accipiuntur. Auritos autem usus recepit eos, qui de aliis audiverint, nec ipsi rei gerendæ interfuerunt, ut est in vulgato proverbio, *Pluris est oculatus Testis unus, quam auriti decem*. Plaut. in Truculento:

Divinatio.

Altercatio.

Assumti loci.

Testis.

Præsens.

Auritus Testis.

Oculatus Testis.

—— Non placet, cum illi plus laudant,
quæ audiunt,
Quam quæ vident. Pluris est oculatus
Testis unus, quam auriti
Decem. Qui audiunt, audita dicunt:
qui vident, plane sciunt.

Vis vocabuli præsentiam requirit, & sensus intentionem, quo rem accipiat, acceptamque in animum referat, ut philosophantur Physici, res a sensu perceptas tanquam per manus internuntiorum repræsentari phantasiæ, & ab ea rursus ostendi cogitationi mentis, quæ tandem ab illa in thesauro memoriæ reponuntur. Hinc etiam Arbitri dicti Testes, qui præsentes adessent rei gestæ. Plautus in Trinummo:

A

Circumspice, dum ne quis adsit Arbiter nobis.

Horatius.

Auribus meis non infideles arbitræ
Nox & Diana.

Acatalepsia Academicorum in foro.

Observatum vero antiquitus in testimoniis dicendis usitatam fuisse quandam acatalepsiam, & Academicam aporiam, ut qui testificarentur non se scire, & pro certo compertum habere pronuntiarent, sed Socratico more perceptionem certam assertionemque securam suspenderent vocabulo parum arroganti, & obstinato *arbitrari* se dicebant. Itaque Cic. in Oratione, quam pro Fontejo Repetundarum reo peroravit, cum de Testium religione multa dixisset, tandem irridet formam testimonii dicti a quodam Gallo: Credo (ait) hæc eadem Indutiomarum in testimonio timuisse, aut cogitasse, qui primum illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis, *arbitror*, quo nos etiam nunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit. Idem in Academicis: Quam rationem majorum etiam comprobat diligentia, qui primum jurare *ex sui animi sententia* quemque voluerunt, deinde teneri, *si sciens falleret*, quod inscientia multa versaretur in vita. Tum qui testimonium diceret, ut *arbitrari* se diceret; etiam quod ipse vidisset, quæque jurati Judices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut *videri* pronuntiarent. Erat & quædam in jurejurando præstando religio, ut jurati testificarentur. Hinc jusjurandum vocativum, & theses Rhetorum disputatæ pro religione & contra religionem ejusdem sacramenti. Idem Cicero in eadem pro Fontejo de M. Scauro Teste: Cujus (inquit) injurati nutu prope terrarum orbis regebatur, jurati testimonio neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum est. Ibidem de Gallis, quos ut leves gravissime exagitat, Foro usus nimirum, causæque serviens: Ab iisdem gentibus (ait) sanctis, & in testamento religiosis obsessum Capitolium est, atque ille Jupiter, cujus nomine majores nostri sanctam testimoniorum fidem esse voluerunt, &c. Significatur autem Jupiter ἐνόρχιος perjurii vindex, qui in Capitolio sibi assidentem Fidem habet, ut est in Catonis Oratione. Et meminit Ennius:

Arbitrari. — Videri factum. Jusjurandum. Testium. Theses Rhetorum. — Galli. — Jupiter ἐνόρχιος Fides.

O Fides alma, apta pinnis, & Jusjurandum
Jovis.

Isis.

Putatur etiam Isis Ægyptia perjuria ulcisci, ut apud Juvenalem Satyra XIII. ubi multa de perjurio. Ex quibus, quia sunt quidam Athei, contemnunt religionis metum, alii avaritiæ suæ sordibus postponunt Deorum iras:

Hic putat esse Deos, & pejerat, atque ita secum:
Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego nummos.
Et phthisis & vomicæ putres, & dimidium crus.
Sunt tanti?

Arcturus Atheniensium mos.

Arcturus etiam apud Plautum in prologo Rudentis perjurorum vindex est. Athenis dicturi testimonium ad aras admovebantur. Cic. pro Balbo: Athenis ajunt, quum quidam apud eos, qui sancte graviterque vixisset, & testimonium dixisset publice, & (ut mos est Græcorum) jurandi causa ad aras accederet, una voce omnes Judices, ne is juraret, reclamasse. Ex quo loco constat, post dictum testimonium demum juramento adigi solitos. Intelligitur autem tacite Xenocrates, ut ex vita ejus apud Laertium discimus. Testimonium reddebatur bifariam, aut viva voce ab ipso Teste præsente conceptum, aut tabulis scriptove mandatum, quod surdum etiam in adagione vocatur, vel mutum, ut fit in obsignandis testamentis, contractibus, inquisitionibus, & cæteris absentium depositionibus. Præsentes autem suum assignatum in foro subsellium habebant, ex quo testificaturi surgerent: Cic. pro Roscio Comœdo: Te, te, inquam, Fanni abs tuis subselliis contra te Testem suscitabo. Quod & nos ante 3 adnotavimus. Fab. l. v. Illæ vero pessimæ artes, Testem subornatum in subsellia adversarii mittere, ut inde excitatus plus noceat dicendo contra Reum, cum quo sederit. Opus altercationis in interrogandis Testibus totum consumitur id quod olim fiebat a partibus ipsis: nam & Accusator suos ipse Testes, & Patronos item suos, vicissimque alter alterius interrogabat. Unde præcepta Rhetorum de cautelis interrogationum, & legibus percontationum: neque enim, ut jam fieri solet, qui quæstioni præsidebat testimonium exigebat, quanquam testimonium denuntiaret. Est enim Testium duplex genus, teste Quintilian. voluntariorum, & eorum, quibus Judex in publicis judicis lege denuntiare solet: sicuti jusjurandum, vel est voluntarium, vel necessarium, ut non temere decurtari debeat Rubrica 11. lib. XII. ff. de jurejurando, quæ in correctioribus exemplaribus non habet reliqua, sive voluntario, sive necessario, sive judiciali. Necessarius Testis est, cui denuntiatum est testimonium, id est, qui citatus necesse habet testificari. Est enim denuntiare, 4 citare ad diem, qua dicendum est testimonium, quod facere poterant, præter ipsos Judices, & Accusatores. Plinius lib. VI. Licinius petendum censuit a Consulibus, ut referrent sub exemplo legis ambitus de lege repetundarum, an placeret in futurum ad eadem legem adjici, ut sicut Accusatoribus inquirendi, Testibusque denuntiandi potestas esset ex ea lege, ita Reis quoque fieret. Denuntiandi Testibus, id est, die dicta ad judicium evocandi testationis gratia. Probus in literis antiquis: *D. T. D. D. P. F.* id est, *duntaxat Testibus decem denuntiandi potestatem faciam*. Hinc denuntiationes pro vadimoniis, & citationibus. Cicero pro Flacco de Lælio Accu-

Duplex Testimonium. Surdum. — Subsellia Testium. — Interrogatio Testium a quibus fiebat. Præcepta Rhetorum. — Testium duplex genus. — Correcta Rubrica ff. — Necessarius Testis. Denuntiare. — Denuntiationes.

A fatore, & Inquisitore loquens: Adjunxit illa, ut eos, qui domo exire nolebant, testimonii denuntiatione deterreret, qui domi stare non poterant, largo & liberali viatico commoveret. Et qui pecuniam accipiunt ob denuntiandum testimonium concussionem committunt, atque adeo lege Cornelia tenentur. Est enim hoc vexare hominem, domo avocare, negotiis necessariis substrahere, illudere. Deferre autem aliud est, & idem quod permittere, vel exigere, ut alius juret. Ulpianus: Si Reus juraverit, nemine ei jusjurandum deferente, Prætor id jusjurandum non tuebitur, sibi enim juravit. Fabius: Is qui defert alioqui agere modeste videtur, cum litis Adversarium Judicem faciat. Et paulo post: Sed nobis adolescentibus seniores in agendo facti præcipere solebant, ne unquam jusjurandum deferremus. Delatum, qui non præstat, recusare dicitur. Fabius: 5 Is qui defert, eum, cujus cognitio est, onere liberat, qui profecto alieno jurejurando stare mavult, quam suo, quo difficilior recusatio est, nisi forte res est, quam credibile sit notam ipsi non esse. Respuere etiam dicitur. Idem Fabius: Jusjurandum Litigatores aut offerunt suum, aut non respuunt oblatum, aut ab Adversario exigunt, aut recusant, cum ab ipsis exigatur. Unde apparet, exigere, offerre, deferre eadem. Quanquam offerre nostrum sæpius dicamur. Ibidem: Offerre suum sine ulla conditione, vel ut Adversarius juret, fere improbum est. Qui vero recipit dare testimonium dicitur. Fabius: Nemo per tabulas dat testimonium, nisi sua voluntate. Dicere etiam perhibere, testificari, id est, deponere pro testimonio: nam testari aliud est:

Concussio. L. Cornelia. Deferre jusjurandum. Recusare. Respuere. Exigere, offerre. Dare Testimonium.

—— *Cœlum hoc & sydera conscia testor.*

Dicitur etiam jurisjurandi gratiam 6 facere. Plautus ad calcem Rudentis:

Jurisjurandi volo gratiam facias.

Idem:

—— GRI. *Tange aram hanc Veneris.*
LAB. *Tango.*
GRI. *Per Venerem hanc jurandum est tibi*
LAB. *Quid jurem tibi*. GR. *Quod jubeo.*
LAB. *Præi verbis quid vis, id quod domi est, nunquam ulli supplicabo.*
GRI. *Tene aram hanc*. LAB. *Teneo.*
GRI. *Dejura te mihi argentum daturum*
Eodem ipso die, viduli, ubi sis potius.
LAB. *Fiat.*
GRI. *Venus Cyrenensis Dea te testor mihi.*

Et quæ sequuntur.

COROLLARIUM AD CAP. XIII.

1 Enumerat Fabius) *Lib. 5. Institut. Orat.*

2 Præsentes aut Testes esse non possunt) *l. apud Labeonem ff. de verb. sign.*

3 Ante annotavimus) *Lib. 1. c. 7.*

4 Est enim denuntiare) *De denuntiatione testimonii vide Cujacium lib. Observ. 3. cap. 15.*

5 Fabius) *Lib. 5. cap. 6. Institut. Orat.*

6 Jurisjurandi gratiam facere) *Papirius J.C. l. 38. ad municip. usurpat pro eo, quod dispensare dicimus. Sic Tiberius (teste Suetonio) Equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit, uxorem in stupro generi deprehensam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante juraverat. Hæc autem gratia nunc a Pontificibus nostris impetrari debet. Alias remittere susceptum jusjurandum significat. Paul. in l. 6. de jurejur. ff. Labeo etiam absenti & ignoranti jurisjurandi gratiam fieri posse respondit. Sed & per epistolam gratia jurisjurandi fieri potest. l. 41. & Modestinus l. 32. Jurisjurandi gratiam facere pupillus non potest. Cæterum quando locus hic incidit de perjurii vindicibus, operæpretium adhuc videtur quædam de perjurio adferre, quia sunt, qui ex l. 2. C. de jurejur. l. adversus. ff. de except. l. ult. de in lit. juran. negent perjurium puniri jure Romano, sed tantum Deum ultorem habere, quod falsum esse convincitur ex Cicerone primum lib. 2. de Legib. qui ait, perjuris pœnam divinam exitium, humanam dedecus esse. Quod quidem dedecus interpretamur censorias notas, quibus afficiebantur perjuri, ut idem Cic. libr. de Offic. testatur, Censores nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicasse; ejusque rei exemplum extat apud A. Gell. lib. 7. cap. 18. de duobus captivis recusantibus reverti ad Hannibalem, uti jurejurando se obstrinxerant. Ad rem facit, quod Valer. refert lib. 4. c. 1. de Africano, & l. si duo. §. ult. de jurejur. l. ult. de crim. stel. ff. l. ult. ad leg. Jul. repetun. l. 2. §. ult. de indict. vid. tol. C. quibus adde c. quicunque. cum gl. 6. q. 1. l. 21. 22. de dol. ff. Quid vetat etiam citare §. 6. Constitutionum Regiarum nuperrime latarum super justitia criminali.*

Jurisjurandi gratiam facere. Perjurium in foro vindicetur. Censores.

ARGUMENTUM

CAP. XIV.

De Testium rejectione, & elevatione, Jurisjurandi variis formulis, Tormentis, ac Tabulis.

Significantissimum est in altercandi ratione percunctari, ubi non tam Testium interrogatio peragitur, quam percontatio, cum longo circuitu, alte repetitis interrogationibus diu suspenditur, cauteque circunducitur, ut inter illas ambages imprudens quædam fateatur, quæ interroganti profutura sunt, dum colliguntur in unum. Plaut. in Trinummo:

Percunctari.

—— *Cætera intus otiose percunctabor.*

Tractum est a Nautis, qui conto explorant alvei cavitatem, tentantque suspectas sibi fluminis partes. Ita Orator fidem, animique constantiam, quam attulit Testis,

circumspecte probat, cum sæpe etiam deprehendit, aut in vado hærentem, ut sine fundo fluctuantem. Fab. lib. V. Multum domi ante versandi, ac variis percontationibus, quales haberi ab Adversario possunt, explorandi sunt. Testatio etiam pro testimonio dicitur. Idem Fab. Sæpe inter se collidi solent, inde testatio, hinc Testes, locus utrinque. Rejicere Testes, refutare, refellere, reprehendere, sed mitiora sunt sublevare, elevare, quasi fidem detrahere, tracta a Zigostatis, & Libripendibus. Plin. lib. III. Toties altercandum, tam multi testes interrogandi, sublevandi, refutandi. Exarmari etiam causa dicitur, cum a subornatis Testibus expugnatur. Idem Plin. ibidem: E Testibus quidam sive iratus, quod evocatus esset invitus, sive subornatus ab aliquo Reorum, ut accusationem exarmaret, Norbanum Licinianum Legatum, & Inquisitorem Reum postulavit, tanquam in causa Castæ uxoris Classici hic prævaricaretur. Sed causæ arma non in solis Testibus posita sunt, verum in cæteris probationibus, quibus confirmatur. Quæ ideo arma dicuntur, quod iis instructa causa necessitatem quandam cognoscentibus afferat, ut pro iis judicent. Non est enim libera Judicum disceptatio, sed astricta allegatis & probatis in ordinem cogitur, quod tamen disputatur apud Gell. cap. II. lib. XIV. Et Cic. in Oratione pro Fontejo contendit pluribus, non esse tantam fidem adhibendam probationibus, ut conscientia æqui boni relicta metum religionis nobis pariat, his verbis: Quamobrem, Judices, si hoc præscriptum lege, aut officio putatis, Testibus credere, nihil est, cur alius alio Judice melior aut sapientior æstimetur: Unum est enim & simplex aurium judicium, & communiter, & promiscue stultis, ac sapientibus a natura datum. Quid est igitur ubi elucere possit prudentia? ubi discerni stultus Auditor, & credulus ab religioso, & sapiente Judice? Et reliqua, quæ eleganter disputantur in eam thesim, prope efficiunt, ut Judicum cognitio debeat esse libera, maxime cum arma, quibus cogi dicuntur ut allegata sequantur, infirma sunt, veritate inferiora, & æquitati rationique imparia. Sed locus iste ita I amplus est, ut si more Peripatetico in utramque partem declamaretur, justum librum conficeret. De jurejurando, 2 quod in foro concipitur, nihil mihi adhuc constat in quam formulam conciperetur. Justinianus primus instituit, ut per sacrosancta Evangelia juraretur, in authen. de sanct. episc. Extra forum per res sibi charissimas jurabant. Asconius apud Vergil. lib. VIII.

Testatio. *Rejicere testes.* *Sublevare.* *Exarmari.* *Arma causæ.* *Judicum cognitio an libera.* *Jurisjurandi formula varia.*

Per caput hoc juro, per quod pater ante
solebat.

Apud Ovid. de amica perjura:

Perque suos illam nuper jurasse recordor,
Perque meos oculos, & doluere mei.

Apud Martial. lib. VIII.

Non per mystica sacra Dindymenes,
Non per Nilacæ bovem juvencæ,
Nullos denique per Deos Deasque
Jurat Gellia, sed per uniones, &c.

Aliquando etiam per Deos. Hinc Jovem 3 lapidem jurare, quod qui faciebant, lapidem silicem tenebant, hæcque verba effabantur. *Si sciens fallo, tum me Diespiter salva urbe, arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Festus. Et Phavorinus apud Gell. lib. I. cap. XXI. Jovem lapidem (inquit,) quod sanctissimum jurisjurandum est habitum, paratus sum ego jurare Vergilium hoc nunquam scripsisse. Annotavit & Plutarchus in Problematibus, viros per Castorem 4 & Pollucem non jurasse, ut nec mulieres per Herculem. Jurabant ergo aut Deos, aut res charissimas. Æneas lib. IIII. apud Vergilium:

Jovem lapidem jurare. *Jusjurandum virorum & mulierum.*

Funeris heus tibi causa fui, per sydera
juro,
Per Superos.

Erant & qui jurarent genium Cæsaris. Tranq. in Julio, de columna Julio posita: Apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando distrahere perseveravit. Conceptis 5 verbis jurare, est jurare in formulam præscriptam, ab eo, qui præeundo adjurat juraturos. Curtius lib. VII. Nos propemodum tuo verberatu ei omnes te præeunte juravimus, eosdem nos inimicos, amicosque habituros, quos tu haberes. Plin. libr. X. ad Trajanum: Præiimus & Commilitonibus jusjurandum more solemni præstantibus, & Provincialibus, qui eadem certarunt pietate, jurantibus. Plato in Dialog. de Legibus constituit, ut per Jovem, Apollinem, & Themidem in foro juraretur, ratus hos Deos perjurii severos vindices. Ideoque sacramentum dictum propter sacrorum religionem testationibus interpositam. Plinius lib. X. ad Trajanum: Rogatus, Domine, a Nicæensibus publice per ea, quæ mihi & sunt, & debent esse sanctissima, id est, per æternitatem tuam, salutemque, ut preces suas ad te perferrem, fas non putavi negare. Quod attinet ad tormentorum 6 quæstiones, quanquam ad altercandi historiam pertineant, tamen quia exiguam habent rationem, subinde novis quæstionum generibus excogitatis ad exprimendam veritatem, paucis perstringemus, omissis iis quæ apud Valerium de quæstionib. & Rhetores de problematis, quæ more suo in utrunque versant latus, ut ratio causæ postulat. Libera civitate ante Cæsares nemo quæstionum tormentis subjiciebatur, nisi servus, tanta erat civium Romanorum prærogativa, quæ per Cæsares in miserabile servitium conversa est. Erat inter genera Tormentorum Culeus, Laminæ ardentes. Valer. libr. VI. de servo Antonii Oratoris: Plurimis laceratus verberibus, culeo impositus, candentibus laminis ustus, omnem vim accusatoris, custodita Rei sa-

Jurare genium Cæsaris. *Conceptis verbis jurare.* *Constitutio Platonis.* *Tormenta.* *Problemata.* *Culeus. Lamina.*

lute, subvertit. Tranq. in Domitiano: Verum aliquanto post civilis belli victoriam sævior, plerosque partis adversæ, dudum etiam latentes, conscios investigato novo quæstionis genere distorsit, immisso per obscœna igne. Idem in Tiberio de Fidiculis: Excogitaverat inter cætera genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos repente veretris deligatis, fidicularum simul & urinæ tormento distenderet. Idem in Caligula: Quin & subinde jactabat, exquisiturum semel Fidiculis de Cæsonia sua, cur tantopere diligeret. Exemplum acerbissimæ quæstionis extat apud Curt. lib. VI. sub finem exercitæ in Philotam Parmenionis filium. Quæstiones dictæ, quod tormentis veritas credatur exquiri & extundi ab invitis. Idem in Tiberio: Statuæ Augusti quidam caput demserat, ut alterius imponeret. Acta res in Senatu, &, quia ambigebatur, per tormenta quæsita est. Allusum est hic ad nomen quæstionis. Tabularum inspectio, reliquorumque ἀπεχνῶν vix ullam habet historiam, nisi quod Tabularum multa genera; ex privatis Diaria, quæ & Ephemerides, Adversaria, Codex, Commentarius, Breviarium, Pugillares, Quincuplices, Quadruplices, &c. Ex publicis Acta, Historiæ, Annales, Commentarius imperii, Breviarium imperii, quod Regestum Finantiarum vocamus, &c. sed hujus loci non sunt, quare ad alia pergamus.

Quæstiones. *Tabulæ.*

COROLLARIUM AD CAP. XIV.

1 Sed locus ita amplus est) *Hanc quæstionem disputant in contrariam partem Mart. & Joan. antiqui Glossatores, hic ex actis & probatis, ille secundum veritatem & conscientiam judicandum putat. Accurs. eos quadam distinctione conciliare nititur gl. in l. illicitas. §. veritas. de of. præsid. adde gl. in cap. 1. de of. jud. ord. extra. c. judices. cum gl. 3. qu. 7. gl. in auth. jusjurand. quod præst. ab his qui adm. accip. in verb. quod mihi visum gl. ult. c. 1. extr. de const. & in cap. 1. de sent. & re jud. in 6. Oldendorp. de formul. investig. act. in fin. Decis. 29. Guid. Pap. ait, quod inferiores judices debeant judicare secundum acta & probata, sed supremi secundum conscientiam. Pro quo stat Bart. in l. unic. ut quæ desf. advoc. C. Fel. in cap. pastoralis. de of. del. ponit septem casus, quibus Judex inferior potest judicare secundum conscientiam.*

Utrum judicandum ex actis & probatis, an potius secundum conscientiam.

2 De jurejurando, quod in Foro concipitur) *Ex l. 2. §. fin. & duabus sequen. & l. 33. de jurejurand. ff. elici posse videtur, quod jurisjurandi formulam præscribat is, qui deferebat: Jurari (inquit) oportet, ut delatum est jusjurandum. Cæterum si ego detuli, ut per Deum jurares, tu per caput tuum jurasti, vel filiorum tuorum, non erit juratum habendum jusjurandum. Quod si exegi, ut per salutem tuam jurares, & jurasti, stabitur: omne enim omnino licitum jusjurandum, per quod voluit quis sibi jurari, idoneum est, & si ex eo fuerit juratum Prætor tuebitur. Divus Pius jurejurando, quod propria superstitione juratum est, rescripsit, &c. De vario autem ac multiplici jurejurando apud diversas Gentes, & per quos Deos jurare consueverunt, vide apud Alexand. ab Alexan. lib. 5. cap. 10. De observata, custoditaque apud Romanos jurisjurandi sanctimonia, vide Aul. Gell. lib. 7. cap. 18. Noct. Att. Laberius Mimus apud eundem lib. 16. cap. 7. facere respondit jusjurandum esse emplastrum æris alieni. Basilius vero censuit nunquam esse jurandum, & Plato 12. Dialogo de Legibus turpe censuit jusjurandum exigere, & ejus usum prohibuit.*

Jusjurandum concipiebat qui deferebat. *Laberius Mimus. Basilius. Plato.*

3 Jovem lapidem jurare) *Unde Cicer. lib. 7. Epist. famil. Trebatium J.C. Epicureum factum irridet. Quomodo, inquit, tibi placebit Jovem lapidem jurare? cum scias Jovem iratum esse nemini posse? Hujus etiam formulæ meminit Plautus in Aulularia:*

Jurare Jovem lapidem.

Si te ego sciens fallo, ita me ejiciat Diespiter
Bonis, salva urbe, & arce, ut ego hunc lapidem.

4 Viros per Castorem non jurasse) *Adde Gell. lib. 11. cap. 6. Noct. Att. Sic per Junonem etiam viri, ut mulieres mediusfidius, nunquam jurabant, ut notat Turneb. Advers. lib. 3. cap. 20. Familiare autem fuit Socrati apud Platonem jusjurandum per canem & anserem.*

Viri Junonem, mulieres medius fidius non jurabant, Socratis jusjurandum.

5 Conceptis verbis jurare) *Hujus generis jusjurandum etiam erat, quod perjuratio dicitur, quando sequens cum juraret, tantum addebat, idem mihi: Cui, ut ex Sallustio in Catilina apparet, addebatur execratio: Cum ad jusjurandum (inquit) Populares sceleris sui addiceret, humani corporis sanguinem vino permixtum pateris circumtulisse, inde, cum post execrationem omnes degustassent, sicuti in solemnibus sacris fieri consuevit, dicitur aperuisse consilium suum. Exemplum est elegans apud Marcellinum lib. 12. de Militibus jurantibus in verba Juliani. Aliud militare conceptum vide apud Gellium lib. 16. cap. 4. Nunc conceptis verbis etiam omnes Magistratus, & Præfecti Jurisdictionum jurare coguntur statim in initio suscepti officii ex præscripto dictarum Constitutionum Regiarum nuperrime latarum super Justitia criminali. Formula autem desumta videtur ex auth. Jusjur. quod præst. ab iis qui adminiſt. accipiant. Sed hæc non in foro contentioso.*

Conceptis verbis jurare. *Execratio.*

6 Tormentorum quæstiones) *Fallacissimum esse quæstionis judicium vel ex eo convincitur, quod mentitur, qui pati potest, mentitur, & qui pati non potest, ille patientia, aut obstinatione superat, hic infirmitate superatur, semper anceps conjectura, quoniam vera confessis, & falsa dicentibus idem doloris finis ostenditur: quod exemplo Epigoni, & Eusebii apud Marcell. lib. 4. comprobari potest. Varia utriusque exempla sunt apud Valerium lib. 8. cap. 4. & alios Historiographos. Idem etiam Valer. cap. 3. lib. 3. miram constantiam depingit in Theodoro, in quo Hieronymus Tirannus tortorum manus frustra fatigavit, rupit, Verbera, Fidiculas la-*

Quæstio fallax judicium.

navit, solvit Eculeum, Laminas extinxit prius quam efficeret, ut tyrannicidii socios indicaret. Contra Cicero in Topicis: Quæ tormentis, verberibus, igne Rei defatigati dicunt, veritas ipsa dicere videtur. Sed quorsum verbo defatigati utitur? an quia mitius est, quam coacti? Locus itaque hic controverti potest. Horrendas quæstiones, & tormenta exercita a Valentin. Imperat. ita exacte describit idem Ammianus Marcel. l. 29. ut horror, & terror legentibus incutiatur; nam ut cætera prætereamu, quis non afficiatur vel inter legendum solum Tormentorum, & Quæstionis apparatum magnificum? Intenduntur (inquit) Eculei, expediuntur Pondera plumbea cum Fidiculis, & Verberibus, resultabant omnia truculentæ vocis horroribus, inter cathenarum sonitus, tene, claude, comprime, abde, ministris officiorum tristium clamitantibus, dein meras aperit carnificinas. Varia Tormentorum genera explicant Joan. Brodæus l. 2. cap. 9. & 10. Miscellan. & Adrian. Turneb. l. 4. c. 3. Advers. quæ propter Tyrannos utinam incognita, aut oblivione delata essent. Sed solers ad sævitiam ingenium alia nova indies fingit, atque comminiscitur, quando mors una non sufficit.

ARGUMENTUM

CAP. XV.

De Ampliationibus, comperendinationibus, & Dilationibus causarum, & earum discrimine.

Ampliatio. UBi ab utraque parte causa perorata esset, missi in consilium Judices, vel absolvebant Reum, vel damnabant, vel, si de causa non liqueret, ampliabant, quod sæpius aliquando fiebat in juris obscuritate. Valerius lib. 8. de causa Cottæ: Septies ampliata, ad ultimum octavo judicio absoluta est. Symbolon & insigne Ampliationis fuit N. L. non liquet in tabella: *Non liquet.* nam si liqueret, tabella A. absolutionis, aut C. condemnationis in urnam conjiciebatur. Cic. pro Cecinna de Fidiculano quodam: In eum quid dicam, nisi id, quod negare non possit? venisse in consilium publicæ quæstionis, cum ejus consilii Judex non esset: & in eo consilio cum causam non audisset, & potestas esset ampliandi, dixisse sibi liquere: dum incognita re judicare voluisset, maluisse condemnare, quam absolvere, cum si uno minus damnarent, condemnari Reus non posset, non ad cognoscendam, sed ad explendam damnationem præsto fuisse. Item *Areopagitæ.* Areopagitæ cum mulierem veneficii ream, justam tamen probantem ejus causam, non absolverent, quia per leges non licuit, neque nocentem damnarent, quæ digna venia fuit, ampliaverunt, & Accusatorem Accusatamque centesimo anno adesse jusserunt. Gellius 1 lib. XIIII. Ut absolverem inducere in animum non quivi, & propterea juravi mihi non liquere, atque ita judicatu illo solutus sum. Idem est etiam quod amplius pronuntiare. Cic. IIII. in Verrem: Verum, ut opinor, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur Reus,

A antea vel judicari primo poterat, vel amplius pronuntiari. In quem locum sic Asconius: Aut statim sententia dicebatur, si absolvendus esset Reus, aut amplius pronuntiabatur, nisi videretur esse damnandus cum dixisset, jus non liquet, hoc est, obscura causa est: Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cujus peroratione videbatur obscuritas, atque ita alterius tantum partis causa ampliatio concedebatur. Si ergo jubebatur in alium diem causa dilata rursus planius agi ampliatione, erat hæc species quædam dilationis, ut *Amplius pronuntiare* *Comperendinatio.*
B etiam comperendinatio, & diei diffusio diversa ab istis temporis ratione: Ampliatio enim in incertum diem & concipiendum ab eo qui judicio præerat: Comperendinatio in perendinum & tertium: Diffusio in alterum posterumque rem differebat. Apud Asconium aliud annotatur discrimen, ut ampliatione 2 altera tantum pars differatur, cujus scilicet obscura causa est: Comperendinatio autem utriusque partis & dilatio, & recitatio est. Rursus pergit idem: Comperendinatio, est secunda actio: *Diei diffusio. Discrimen inter Ampliationem, Diffusionem, & Comperendinationem.*
C Item, est ab utrisque Litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendinum diem: namque cum in rem aliquam agerent Litigatores, & pœna se Sacramenti peterent, poscebant Judicem, qui dabat trigesimum diem: quo dato, deinde inter se comperendinum diem, ut ad judicium venirent, denuntiabant. Quo cum esset ventum, antequam causa ageretur quasi per indicem rem exponebant, quod ipsum dicebatur causæ 3 conjectio, quasi causæ suæ in breve coactio. Reliqua corruptissima sunt. Verum ex verbis Asconii videor mihi pos- *Causæ conjectio. Locus Asconii corruptus. Restituta & vindicata l. 1. ff. de reg. jur.*
D se confirmare lectionem germanam, rejecta notha & supposititia in l. 1. ff. de reg. jur. ubi Paulus, vel, ut alii habent, Venulejus ex Sabini J. C. sententia definit regulam brevem esse rerum narrationem, & quasi causæ conjectionem: ubi ante legebatur conjunctionem, sed legendum conjectionem nemo jam ambigit, cum eadem pene verba sint apud Asconium: Summa enim rerum narratio explicabatur, quasi per indicem capitum præcipuorum apud tribunal. Quam causæ in breve & quasi compendium coactionem idem vo-
E cat, quod cogatur in epitomen & breviarium. Brevem narrationem Paulus & Sabinus respiciens ad veterem fori historiam, quasi causæ conjectionem dixit, significans magis ad instar esse, quam eandem, cum illa in foro, hæc extra forum esset. Quod sane convenit cum prima definitione, Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat: id est, argumentum causæ in periochem concludit, ut sunt argumenta Orationum Ciceronis ab eodem Pædiano contracta. Ita in regula, thesi, a- *Coatio causæ.*
F xiomate, pronuntiato, proloquio, principio, maxima, aphorismo, apophtegmate (nihil enim refert, quomodo appellemus, cum eandem vim pene habeant) coguntur in unum multæ species. Atque ut in summa narratione reciduntur circumstantiæ, & quasi luxuriantes rami detunduntur relicto trunco; ita in regula supersedetur particularium molesta inductione, atque enumeratione, quibus in arctas angustias verborum conjectis, id in quo

quo cognata sunt, brevissime solum videtur. Sed vinculum cognationis non est iis aut causa, ideoque addita particula similitudinis, *quasi*, ut allusio ad historiam significaretur. Alias præter Asconii sententiam possumus causæ conjectionem secus interpretari, non pro coactione, sed pro summa quadam & levi cognitione, ex qua scilicet statim, quid juris sit conjicit, & divinat Judex. Est enim & hoc conjicere causam, spectare quid juris in quæstione proposita, ut etiam Jurisconsultus in solio consultus de lite, si potest, statim ejus hypothesim refert ad aliquam sui juris regulam, ut ea conjiciat quid juris, & eventum causæ futuræ. Neque incommode aut inepte ita interpretaremur, nisi prior plus antiquitatis, & eruditionis haberet. Tamen pro posteriore fecit Gel. cap. 10. libr. v. de Protagora. Litem cum Euathlo contestatur, & cum ad Judices conjiciendæ consistendæque causæ gratia venisset, tum Protagoras sic exorsus. Ubi conjicere in eo est significatu, in quo diximus. Verum ad propositi diverticulum. Ampliationis meminit ibidem Gel. de argumento κατ' ἀντίϛροφον, & reciproce relato ab Euathlo Protagoræ. Tum Judices hoc dubiosum inexplicabileque esse, quod utrinque dicebant rati, ne sententia sua, utramcunque in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet, rem injudicatam reliquerunt, causamque in diem longissimam distulerunt. Id est, ampliaverunt, comperendinaverunt, diemque diffuderunt. Nam sæpissime ista tenui discrimine separata confunduntur ad quamcunque dilationem, vel (ut jam loquimur) procrastinationem significandam. Differre autem commune vulgatumque vocabulum. Juvenal.

Causæ conjectionis alia interpretatio. Conjicere.

Differre.

—— Differt vadimonia Prætor.

Plinius lib. I. ad Suetonium. Scribis te perterritum somnio, vereri ne quid adversi in actione patiaris, rogas ut dilationem petam & pauculos dies. Deinde ad calcem epistolæ: Nam judicium Centumvirale differri nullo modo, istud ægre quidem, sed tamen potest. Gell. c. 11. li. XIV. Sed enim ego, cum homines considerabam, alterum fidei, alterum probri plenum, spurcissimæque vitæ, ac diffamatissimæ, nequaquam adduci potui ad absolvendum. Jussi igitur diem diffundi, atque inde a subselliis pergo ire ad Phavorinum Philosophum, id est, ampliari. Idem ibidem: Atque in rerum quidem definitionibus, comperendinationibusque, & aliis quibusdam legitimis rebus ex ipsa l. Julia, &c. ubi trifariam lectio variat. Sunt enim qui legant definitionib. alii diffusionibus, ut Budæus, 4 quod recte confirmat ex Livio, alii diffisionibus ut sit diffindere diem, non diffundere, ut Politian. in Miscellan. contendit ex fide Archetypi ff. quod Florentiæ religiosissime custoditur, ubi in l. 11. tit. si quis cautionib. ita legitur. Si Judex, vel alter ex Litigatoribus morbo sontico impediatur, lex jubet diem judicii esse diffisum. Dicimus etiam proferre diem, producere, & dirimere, quod Vulgus dicit remittere ad cras, vel ad alium diem, unde dicuntur 5 Prolationes apud Plautum in Milite glorioso:

Proferre diem. Prolationes.

—— Trecentæ possunt causæ concinni.
Non domi'st, abiit ambulatum, dormit, ornatur, lavat,
Prandet, potat, occupata'st opere, non potest,
Quantumvis prolationum, dummodo, &c.

Dicitur etiam prolatare, & extrahere. Q. Curtius l. x. Ille quo facilius ab integris sumptuosos discerneret, prolatando aliquantum extraxerat temporis. Ampliationis autem etiam meminit Ausonius in epist. ad Paulum his verbis. Sensit hoc Venus de pulchritudinis plana diu ambiguo ampliata judicio. Ad quam ampliationem, ut dictum est, N. & L. quod est non liquere refertur. Cujus notæ & jurisjurandi, quod in ea concipiebatur faciunt mentionem nostræ Pandectæ libr. IV. sub tit. de recep. arbit. in l. idem Pomponius, his verbis. Proinde si forte urgeatur a Prætore ad sententiam, æquissimum erit, si juret sibi de causa nondum liquere, spatium ei ad pronuntiandum dari. Et lib. XLII. earundem Pandect. sub tit. de re jud. in l. Pompon. Paulus J. C. etiam meminit his verbis. Si uni ex pluribus Judicibus de liberali causa cognoscenti, de re non liqueat, cæteri autem consentiant: si is juraverit sibi non liquere, eo quiescente, cæteros, qui consentiunt, sententiam proferre; quia etsi dissentirent, sententia plurium obtineret.

Prolatare.

COROLLARIUM.

1 Gellius) *Cap. 2. Noct. Att.*

2 Ampliatione altera tantum pars) *Dubitat Manutius utrum hoc semper verum fuit: nam ex Livii libr. 43. probari posse videtur, quod sicut in Comperendinatione utraque pars agebat, ita in Ampliatione. Discrimen est autem aliud inter Ampliationem, & comperendinationem, quod hæc non tantum ex arbitrio judicum, ut illa, pendet, sed petente altero, aut utrisque Litigatoribus conceditur, Ampliatio vero voluntate Judicum. Mirum autem videtur, quod etiam ait Asconius, quod Ampliatio fiebat interdum in causa manifesta, cum Reus condemnandus veniret, & veluti ad excusandum dilationem condemnationis prætextum hunc, quasi non liqueret, acciperent Judices, quod etiam vix fit verisimile. Nam cum Judices in leges jurarent, proculdubio sine religione non poterant hoc symbolum N. L. apponere in causis, quibus liquido constabat Reum condemnandum. Huc accedit quod ex l. idem, de recept. arbit. & l. Pomponius. de re jud. ff. apparet, quod Judices non poterant causam ampliare, nisi prius præstito juramento sibi non liquere.*

Ampliatio. Comperendinatio.

Asconius reprehensus.

3 Dicebatur causæ conjectio) *De conjectione causæ vide Duaren. l. 1. dispunct. c. 46. Alc. l. 5. Parer. c. 1. Vide etiam Adrian. Turneb. l. 13. c. 27. Advers.*

Conjectio causæ.

4 Budæus) *Adnotat. in ff. ad l. 2. si quis caut.*

5 Unde dicuntur Prolationes) *Rerum Prolationes, & Res prolatæ dicuntur etiam vacationes, & forenses induciæ, quibus in Foro feriantur homines, ut sunt Mes-*

Res prolata.

sium, Ludorum, & Vindemiarum tempora, quando Halcedonia sunt apud forum, ut Plaut. loquitur: quod idem eleganter explicat in Capteivis sub persona Parasiti Ergasili:

Ubi res prolatæ sunt, quom rus homines eunt,
Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.
Quasi quom caletur, cocleæ in occulto latent:
Suo sibi succo vivont, ros si non cadit.

A

Item Parasiti rebus prolatis latent,
In occulto miseri victitant succo suo,
Dum ruri rurant homines, quos liguriant,
Prolatis rebus Parasiti venatici.

Rerum prolatarum sæpissime meminit Cic. Seneca de brevitate vitæ: Diripitur, inquit, ille toto foro Patronus, & magno concursu omnia ultra quam audiri potest, complet, quando, inquit, res proferentur? Et nos cætera cum rebus proferenda duximus, atque amplianda in sequentem lib.

SUMMARIUM

Libri quinti.

LIBRO V. DE PRAXI, ET FORMULA PRIVATORUM JUDICIORUM, ET QUÆ AMBORUM FERE COMMUNIA SUNT, RATIONE FERENDARUM SENTENTIARUM, SPORTULIS, APPARITORIBUS, CUSTODIIS, APPELLATIONIBUS, ET RE JUDICATA.



HISTORIA FORI ROMANI.

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM CAP. I.

De more denuntiandi litem, seu in jus vocandi, hoc est, de Vadimoniis, Attestationibus, Attestatis, Vadibus, Prædibus, & Subprædibus.



Excipiat privatorum minorumque judiciorum formula publicorum majorumque descriptionem, ut tandem finis incepto deductoque operi imponatur. *Formula Fori.* Formula ergo litium exercendarum recte dicitur, quam Stylum, & Praxim Vulgus vocat. Tacit. in lib. de Oratoribus: Transeo nunc ad formam & consuetudinem veterum judiciorum. Quæ sic deducebatur; qui actionem habebat, ex qua cum alio experiretur, hostem in jus vocaturus primum *Libellus.* e Prætore petebat, ut liceret eum, quem libello descripserat, vadari. Prætor libello subscribebat. Plautus in Aulularia de Euclione sene avarissimo loquens:

> *Pulmentum pridem ei eripuit milvus.*
> *Homo ad Prætorem plorabundus devenit:*
> *Infit ibi postulare plorans, ejulans,*
> *Ut sibi liceret milvum vadarier.*

Subscriptio Prætorii. Vadari. De subscriptione Plin. libr. I. Epist. ad Arrium. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas. Vadari autem vel convadari, est in jus citare die dicta. Horatius I. Sermonum:

> —— *Et casu tunc respondere vadato*
> *Debebat.*

Id est, Adversario, qui eum in jus vocaverat. Cic. pro Quintio: Vadari vis? promittit. In jus vocas? sequitur. Judicium po- *Vadationis executio.* stulas? non recusat. Sed hujusmodi vadatio in hunc morem expediebatur. Actor vel Petitor per se, non per Apparitorem, ut nunc, instructus libello ad hostem veniebat, advocatisque aliquot Testibus citabat die dicta, atque ut Testes meminissent facti vadimonii, illis auriculam vellebat. De *Libellus.* libello Plaut. in Curcul.

> *Ubi tu es, qui me convadatus es Veneriis vadimoniis?*
> *Ubi tu es, qui me libello Venerio citasti? ecce me sisto, ades contra:*
> *Sisto ego tibi me, & mihi contra itidem te ut sistas, suadeo.*

A De Testibus advocatis, rogatisque, quos Jurisperiti Adhibitos vocant, Livi. de Virginia, & Appii Decemviri liberto. Vocat puellam in jus auctoribus, qui aderant, ut sequeretur. Horatius Satyra IX. lib. I. *Testes advocati.*

> —— *Casu venit obvius illi*
> *Adversarius, & quo tu turpissime? magna*
> *Exclamat voce, & licet antestari? ego vero*
> *Oppono auriculam, rapit in jus, clamor utrinque,*
> B *Undique concursus.*

Ad quem locum sic Acron: Denuntiantes litem Antestatos habebant, quibus præsentibus ita conveniebant, ut aurem illis tertio vellerent. Sic Servius. Alii sic exponunt, quod Horatium interrogaverit, si testis esse peteretur, & Horatius obtulerit aurem ultro. Solebant enim Testium I aures tenere, & ita dicere: Memento quod tu mihi in illa causa testis eris, quod est antestari. Aliter olim, qui antestabantur, auriculam contingebant, tangens autem auriculam his C verbis loquebatur: Licet antestari? Si ille respondisset, licet, per injectionem manus Adversarium suum in jus trahebat. Quod si antestatus non esset, & manum injecisset, injuriæ reus constitui poterat. Plautus in Persa, leno ad Satyrionem parasitum: *Mos denuntiandi litem. Vulsio auriculæ.*

> DOR. *Nonne antestaris?*
> SAT. *Tuane ego causa carnufex*
> *Cuiquam mortali libero aureis atteram?*

Alitet antestari, est teste uti, cum judicii causa volo manum injicere. Nam hæc erat D consuetudo, si quis vadato non paruisset, ei Adversarius aliquem de præsentibus antestabatur, id est, tangebat ejus aurem, & dicebat, licetne antestari? si respondisset ille, licet, tunc injiciebat vadatus manum in eum, qui non paruisset, & trahebat in judicium. Aliter si injecisset manum, injuriarum poterat accusari. Porphyrio autem annotat, antestari esse ex XII. tabulis. Puto ego antestari dictum, quasi attestari, quod est testari, & testem facere, & antestatus forma passiva tanquam testis adhibitus. Titus *Antestari.*

A Cajus lib. I. institutionum: Quæ emancipatio seu manumissio solebat ante Præsidem fieri, modo ante Curiam facienda est, ubi quinque testes cives Romani in præsentia erant, pro illo qui libripens appellatur, id est, stateram tenens, & pro eo, qui antestatus appellabatur, alii duo, ut septem *Testes.* Testium numerus impleatur. Nam & Testes pro iis quos attestamur vocamus. Vergil.

Dum queror, & Divos, quanquam nil testibus illis
Profeci.

B Testibus, quos sum testatus. Idem VII.

Multa Deos, aurasque pater testatus inanes.

Superstites-Antistites. Antistito. Dici etiam Superstites, Antistites, Antistitores supra annotavimus, 2 sed diversa analogia, quod super, vel ante rem controversam starent. Vellebatur autem auricula veteri more, quem adhuc retinemus, dum aliquem memorem esse cupimus. Si citatus promittere vadimonium nollet, jus C erat vadato, præsentes testato de contumacia, citatum trahere in jus. Si promitteret vadimonium, & sequeretur vocantem, dicebatur vadimonio obstrictus: & cum utrinque petitum & promissum, dicitur *Factum vadimonium.* factum: Valer. de Scipione lib. III. Cum oppidum Badiam circumsederet, tribunal suum adeuntes, in ædem, quæ intra mœnia hostium erat, vadimonium in posterum diem facere jussit. Cicer. pro Quintio: Quæsivit a te statim, ut Romam rediit Quintius, quo die vadimonium factum diceres. *Promittere vadimonium.* D Qui ergo promiserat, tanquam ex sponso tenebatur, quia promisisset, & spopondisset. Huc allusisse videtur Simmachus ad Ausonium: Nemo est mortalium, quem præ te diligam, sic vadatum me honorabili amore tenuisti. Tenere vadatum dixit pro *Vadimonium quid.* obstringere. Definitur enim vadimonium sponsio ad certum diem sistendi se in judicio, vel per se, vel per Procuratorem: *Obire vadimonium. Sistere vadimonium. Gellii locus.* quam qui implebant, obire vadimonium dicebantur. Pro Quintio: Qua tibi hora vadimonium non sit obitum, eadem te hora consilium cepisse hominis propinqui fortunas evertendi. Sistere etiam vadimonium E M. Cato apud 3 Gell. lib. 2. Quid si vadimonium capite obvoluto stitisses? Ubi legendum contendit stitisses, non stetisses, quoniam sisteretur vadimonium, non staretur. *Ciceronis locus.* Apud Cic. tamen in Quintiana ubique stetisse legitur, ut illic: Veniunt frequentes, testificantur ipsi non stetisse, & se stetisse. Ubi si intelligendum est vadimonium, pro-*Stare.* culdubio stitisse legendum. Si non, optime etiam & latissime dicetur stare in judicio, id est, se exhibere, & sistere, metaphora a prœlio ducta, ubi congressuri stant F in gradu, quem ceperunt ad resistendum *Status.* hosti. Unde & appellatus status depulsio rei opposita intentioni, quod illis stet, pedemque figat restiturus, ut docet Cic. in Partitionibus. Quanquam Fabius statum appel-*Constitutio.* let quæstionem ortam ex conflictu Accusatoris & Rei, quæ a Cicerone constitutio dicitur. Stare ergo in judicio eleganter dicitur, qui responsurus, causamque dicturus adest. Horatius IX. Satyra:

—— Inteream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura.

Utrumque ergo apud Ciceronem recte Latineque legetur, neque quicquam temere videtur immutandum. Consistere etiam di- *Consistere* citur. Imp. Anton. Severo: Adversus eos, qui negotia tua gesserunt, negotiorum gestorum judicio civiliter consiste. lib. 2. C. tit. de neg. gest. 4 Præstare vadimonium. *Præstare vadimonium.* Corn. Nepos in vita Pomponii Attici: Ipsi Fulviæ, cum litibus distineretur, magnisque terroribus vexaretur, tanta diligentia officium suum præstitit, ut nullum illa præstiterit vadimonium sine Attico, ut sponsor omnium rerum fuerit. Sponsor non solum pro vade, id est, fidejussore judicio sisti, sed etiam judicatum solvi. Dicitur etiam venire ad vadimonium. Pro Quintio: *Venire.* Ad vadimonium non venerat is, qui cum tibi affinitas, societas, omnes denique causæ & necessitudines veteres intercedebant. Item occurrere ad vadimonium. Tranq. in *Occurrere ad vadimonium.* Caligula: Comprehensis meritoriis vehiculis, & pistrinensibus jumentis, panis Romæ sæpe deficiebat, & Litigatorum plerique, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent, causa cadebant. Non tantum vadimonium, sed & Litigator sistitur. Livius 5 de Cæsone: Sisti Reum, pecuniamque nisi sistatur Populo promitti pronuntiant. Juris Cæsarei Interpretes recentiores, maxime Jason lumen Insubrium, *Jason.* in l. 1. ff. si quis in jus voc. non ier. ponit differentiam inter eum, qui judicio sisti, & exhiberi vel repræsentari spoponderit, ut illud sit a litis contestatione ad sententiam, hoc ad momentum præsentiæ pertineat. Sed Latinis auctoribus nunquam mihi commentum suum probabit, quamvis in re sit crassa lataque differentia. Neque id colligi potest ex l. apud Labeonem. ff. de verb. sign. *Analogia vadimonii.* Sed vocabuli analogiam vestigemus, quam puto esse hujusmodi, ut qui in jus vocaretur, si statim non sequeretur, trahi vi, & manus injectione poterat, nisi vadem daret, qui responderet ad certam constitutamq; diem stiturum. Hinc vas non tam qui pro *Vas.* altero vadimonium promittit, quam qui alterum adfuturum spondet. Et vadari est *Vadari.* die dicta vades exigere. Et promittere vadimonium olim erat dare vades, qui fidejuberent venturum ad diem citatum. Nam ut Varroni omnino non accedam, qui va- *Varro & Valla.* dem interpretatur eum, qui pro altero promittit vadimonium, ut in causa Quintiana Alphenus, facit Laurentius Valla. Nisi intelligamus promittere vadimonium pro altero, esse promittere suo periculo, & fidejubere alterum obiturum. Quod ta- *Festus Pompejus.* men Festus Pompejus vadem intelligit sponsorem in re capitali, non est usquequaque verum, cum in privatis litibus & vades sint, & vadimonia, ut in publicis. *Vades & vadimonia etiam in privatis.* Unde tit. in ff. in jus voc. ut eant, vel satisd. Cautio autem in satisdatione duplex, datis *Cautio.* vadibus, & pignoribus. In publicis, nisi vades darent, citati in carcerem conjiciebantur. Livius lib. V. secundi Punici: Tribuni omissa multæ certatione, rei capitalis diem Posthumio dixerunt, ac ni vades daret prehendi a Viatore, atque in carcerem duci jusserunt. Posthumius vadib. datis non

affuit. Idem lib. III. ab U. C. de Cæsone: Reus (dum consulerentur Patres) retentus in publico, vades dare placuit, qui unum vadem trium millium æris obligarent, quot darentur permissum est Tribunis, decem finierunt: tot vadibus Accusator vadatus est Reum. Hic primus vades publicos dedit. Vadari ergo & vadimonium a vadibus analogiam habent, qui sistebant suo periculo Reos ad Tribunalia. Cic. III. Offic. de pari quodam amicorum ex Pythagoreorum secta: Cum is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset, vas factus est alter ejus sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset sibi ipsi. Vas in publicis, Præs in privatis. Asconius in monosyllabis: *Præs.*

Quis subit in pœnam capitali judicio? Vas.
Quis cum lis fuerit nummaria? quis dabitur? Præs.

Tamen vadimonium etiam in privatis dicitur, ergo a conjugatis etiam vas: ut idem auctor in Thalete Milesio confudit, & nullo habuit discrimine. ἐγγύα, παρὰ δ' ἄτη, ecce dicimus Latinum, id est, sponde, noxa tibi præsto est; per mille possem currere exempla, ut probem prædes vadesque pœnitudinis reos. Curtius lib. V. Prædem me (inquit Rex) accipe, neminem eorum qui sequuntur recusaturum esse, qua duces. Horatius Satyra I.

Ille datis vadibus, qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.

Vades desierunt vocari. Sed cum paulatim Vades desierunt vocari, Fidejussores dicti sunt, & Vadimonium, Sponsio, & Fidejussio. Ideo in universo civili jure, quod meminerim, vadium, aut vadimonii nulla mentio, idque ab ætate Auli Gellii, apud quem libr. XVI. cap. X. quidam J. C. de antiquorum vocabulorum significatione ita respondet: Ego vero, inquit, dicere atque interpretari hoc deberem, si jus Faunorum atque Aboriginum didicissem. Sed enim cum Proletarii, & Assidui, & Sanates, & Vades, & Subvades, & vigintiquinque asses, & taliones, furtorumque quæstiones cum lance & licio evanuerint, omnisque illa duodecim tabularum antiquitas, nisi in legis actionibus Centumviralium causarum lege Æbutia lata consopita sit, studium scientiamque ego præstare debeo juris, & legum, vocumque earum, quibus utimur. Hæc ille. Cui similes multos futuros prævideo, qui hanc nostram commentationem contemnant, quod πρὸς τὰ ἄλφιτα nihil faciat ista tam longe repetita, antiquata sæculis vocabulorum historia. Sed videant, quanti rudem antiquitatis J. C. qui hæc responderit, Gellius æstimaverit. Sed ad propositum. *Subvades. Subprædes.* Subvades eadem forma dicuntur, qua & Subprædes, sed Prædes & Subprædes publice dantur, Vades & Subvades etiam privatim, illi extra judicium aliquando, hi semper in judicio. Sunt autem fortassis Subvades & Subprædes, quos Contraplegios vocamus. M. Varro: Sponsor, Præs, & Vas neque iidem, neque res, quibus insedere similes. Itaque Præs iste est, qui a Magistratu interrogatur, in publicum ut præstet, a quo cum responderit, dicitur Præs. Vas appellatus est, qui pro altero Vadimonium promittebat. Asconius in Præturam urbanam: Prædes homines sunt Fidejussores, quorum res Bonaprædia nunc uno nomine dicuntur. Et paulo ante: Bonaprædia dicuntur bona satisdationibus obnoxia, sive sint in mancipiis, sive in pecunia numerata: Prædia vero domus & agri. Hæc autem omnia venduntur, si rationi publicæ locator sartorum tectorum non responderit. *Prædes Bonaprædia.*

PHILIPPI BRODÆI J. C. COROLLARIUM ad caput primum.

1 Solebant enim Testium aures tenere) *Plinius l. 11. c. 45. ait, quod in auricula ima est memoriæ locus, quam tangentes antestamur. Ad hunc morem vellicandæ auriculæ allusisse videtur Vergilius, dum ait:* *Ima auricula.*

——— Cynthius aurem
Vellit, & admonuit.

Vellicatio. *Cujus consuetudinis in antiquis monumentis extant vestigia, cum simbolo manus auriculam vellentis, & hac inscriptione,* memor esto. *Hinc est fortassis, quod hujusmodi Antestatos Recordes quasi memores Gallice in Praxi dicamus. Cujacius autem l. 3. Observat. cap. 16. Antestatum dici putat non Testem, aut Superstitem, sed eum qui in jus vocatur, & testato convenitur, sicut Denuntiatus dicitur, cui fit denuntiatio, nec Antestatorum attrectatam fuisse auriculam dicit, sed Testis, aut Testium. Morem autem trahendi in jus ab Atheniensibus mutuasse videntur Romani; nam operam Viatoris necessariam non fuisse testis est Demosthenes in oratione κατὰ μειδίου pluribus & elegantibus.*

2 Supra annotavimus) *Lib. 2. c. 1.*
3 Apud Gellium) *Cap. 14. Noct. Att.*
4 De negotiis gestis) *L. 9.*
5 Livius) *Lib. 3. ab U. C.*

ARGUMENTUM

CAP. II.

De dilationibus, & desertionibus Vadimoniorum, ac de Contumaciæ pœnis.

Dilatio Vadimonii. VAdimonium promissum aut differebatur, aut deserebatur, aut obibatur. Differtur Vadimonium aliquando ex partium consensu. Cicero pro Quintio: Hic cum rem Gallicanam cuperet revisere, hominem in præsentia non vadatur, ita sine vadimonio disceditur. Deinde Romæ dies triginta fere Quintius commoratur, cum cæteris quæ habebat vadimonia differt. Alias Decreto Prætorio ex magna, gravique causa, ut

Si 1 magna Asterii cecidit domus, horrida mater,
Pullati Proceres, differt vadimonia Prætor.

Dici non potest, quam copia dilationum veteris fori majestatem, auctoritatemque lacerarit, ut, si jam aspiceretur ab iis, qui eam aliquando coluerunt, vix agnosceretur: Nam præter ampliationes, comperendinationes, dierum diffisiones, quæ ad vadimonia non pertinent, dantur in vadimoniorum ratione pro consuetudine cujusque Fori alibi plures, alibi pauciores, nimis tamen liberaliter, dispendioque litigantium, Cognitorum, Advocatorumque magno lucro, ac compendio, ut qui in singulis postulationibus certam statamque mercedem accipiant.

——— Et 2 tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ, toties subsellia tantum
Sternuntur, jam facundo ponente lacernas
Cæditio, & Fusco jam micturiente, parati
Digredimur, lentaque fori pugnamus arena,
Et res atteritur longo sufflamine litis.

Missum facere vadimonium. Missum facere vadimonium est citato comparendi necessitatem remittere, & obligatione, qua ex sponsione tenebatur, liberare, ut in transactione fit. Cic. pro Quintio: Qui, quo tempore primum agere cœpit, in vadimoniis differendis tempus omne consumserit, qui postea vadimonium missum fecerit, id est, remiserit, & condonarit: Quod fit, cum non persequimur ante litem contestatam. Differebatur item vadimonium, si Judex morbo sontico correptus interesse cognitioni non posset. Ulpian. in l. 11. ff. si quis cautionibus: Ideo, inquit, lex XII. Tabularum, si Judex vel alteruter ex Litigatoribus morbo sontico impediatur, jubet diem judicii diffisum esse. Aut alter ex litigantibus Reis. Julianus in l. quæsitum est. ff. de re jud. Differebatur autem non impune, quia videbantur quæri latebræ, ne experiundi potestas esset. Contumaciæ pœna antiquissima fuit, nisi fallor, multa unius ovis. Gellius cap. 1. l. XI. M. Varro verba hæc legitima, quibus minima multa diceretur, concepit: *Contumacia pœna Ovis multæ.* M. Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem multam dico, ac nisi eo genere diceretur, negaverunt multam justam videri. *L. Aterina.* Postea Aterina constituit in oves singulas æris denos, in boves æris centum. Minima autem multa ovis est unius: Suprema autem in singulos dies duarum ovium, triginta boum, ultra quam dicere jus non est, & propterea suprema appellatur. Qui locus fortassis de contumacia capiendus erit: *Multæ maleficiorum.* Nam olim erant pro maleficio graviores multæ, apud eundem 3 de Claudia sorore illius, qui classem perdiderat, quæ ab Ædilibus multata est. Ob hæc (ait) mulieris verba tam improba, ac tam incivilia Ædiles Plebei multam dixerunt ei æris gravis vinginti quinque millia. Livius lib. 11. de Menenio Agrippa, cui dies dicta erat a Tribunis: In multa (ait) temperaverunt Tribuni, cum capitis anquisissent, duo millia æris damnato edixerunt. Sed singuli boves singulos centenos æris auferunt:

A Ita duo millia æris sunt viginti boves, & ad Budaicam æstimationem totidem aurei solati. *Bonum æstimatio.* Præterea titulus in Codice de modo multarum in contumacia intelligendus est omnino: Illic Judices infra Proconsulem ultra quadrantem auri multare vetantur: *Libra auri.* Libra 4 autem auri obrizi centum duodecim coronatis æstimatur, & quadrans paulo minus triginta aureis: Proconsul non ultra semissem auri, id est, aureos quinquaginta sex pro contumacia multabat. Nam concussiones, furta, exactiones, cum litis æstimatione pluris multantur, B ut a Præfecto Prætorio ad quinquagenas auri libras pro modo maleficii. Alias contumacia punita est 5 pignoriscapione: *Pignoriscapio.* Cic. 1. Philipp. de M. Antonio, qui interminatus fuerat se disturbaturum Ciceronis domum, quod in Senatum non venisset: Quis (inquit) unquam tanto damno Senatorem coegit? aut quid est ultra pignus aut multam? Capere ergo vel auferre pignora est, quod vulgo dicimus saisire & mittere manum super bona, aut cogere per bonorum captionem. Huic pœnæ fere C similis est bonorum possessio, quam dat *Bonorum possessio.* Prætor ei, cui desertum est vadimonium, ut in causa Quintiana, ubi Sextus Nævius missus est in possessionem bonorum Quintii, propter Quintii contumaciam deserti Vadimonii. Cicero: Ad Vadimonium non venerat is, qui cum tibi affinitas, societas, omnes denique causæ & necessitudines veteres intercedebant. Illicone ad Prætorem ire convenit? Continuone verum fuit postulare, ut ex edicto bona possidere liceret? *Verum.* Ubi verum pro æquo & justo novo modo, & magis Græco quam Latino accipitur. D Et argumentum totius Quintianæ in possessione bonorum Nævio decreta ob contumaciam versatur. Cic. ibidem in propositione contentionis: Nego fuisse cur postularet, nego ex edicto possidere potuisse, nego possedisse. *Edictum Prætoris.* Edictum pertinet ad eos, qui fraudandi causa latitarent, qui in judicio a nemine defensi sunt, qui cum omnibus creditoribus suis male agunt: Cujus extant aliquot fragmenta in eadem Oratione: *Qui fraudationis causa latitarit. Cui hæres non extabit, qui exilii causa solum verterit.* Deinde. *Qui ex edicto meo in* E *possessionem venerit, eum ita videtur in possessione esse oportere: Quod ibidem recte custodire poterit, id ibidem custodiat: quod non poterit, id auferre & abducere licebit. Dominum invitum detrudere non placet.* Deinde paulo post: Invitum de prædio detrudi vetat. Proficiscenti tibi in possessionem Prætor, ipse Sexte Nevi, palam dicit: *ita possideto, ut tecum simul possideat Quintius: Ita possideto, ut Quintio jus non auferatur.* Quæ verba cum attentius exigo, inducunt in animum morem F quendam receptum hoc seculo, qui fortassis antiquitati referri acceptus debebit: Solemus enim suspectis debitoribus & latitantibus, ut tergiversati detrectent judicium, dare Custodes Mansores, vel ut vulgo dicimus Gardomansores, qui missi in possessionem edicto, simul cum domino possident, neque ejus juri quicquam detrahunt, sed simul sunt domi quasi in possessione, ut bonorum quidam Curatores, usque ad secundum decretum. At ex veteri *Curatores bonorum Gardomansores.*

jure per triginta dies debuit quis possidere, intra quos si nemo satisdaret, poterat jure suo bona possessa proscribere, publice libellis 6 affixis venalia. Cic. ibidem: jubet P. Quintium sponsionem cum Sexto Nævio facere, si bona sua ex edicto P. Burrieni Prætoris triginta dies possessa non essent. Vehementissime porro exaggerat illic Cicero, quam miserabilis sit publica bonorum proscriptio, cum quis cum suis pene hastæ subjicitur, in saxo venditatur Præconis voce: Cujus (ait) bona venierunt, cujus non modo illæ amplissimæ fortunæ, sed etiam victus, vestitusque necessarius sub Præcone cum dedecore subjectus est, is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed si fieri potest infra mortuos etiam mandatur: & reliqua, quæ in hanc sententiam gravissime amplificat.

Calamitas proscriptionis.

COROLLARIUM AD CAP. II.

1 Magna Asterii) *Versus sunt Juvenal. Satyr. 3.*

2 Et tunc quoque) *Ejusdem Juvenal. Satyr. ult.*

3 Apud eundem) *Cap. 6. l. 10. Noct. Att.*

Libra auri & argenti.

4 Libra autem auri) *Libra auri in jure continet septuaginta duos solidos, constat ex l. quotiescunque. C. de suscept. propos. & arcar. l. 10. Libra autem argenti quinis solidis æstimatur in l. unic. C. de arg. præc. quod thesaur. infert. Demosthenes contra Evergum scribit Athenienses non majorem multam quingentis dragmis irrogare potuisse. De ratione multarum vide nonnulla apud Alex. ab Alex. genial. dier. l. 3. c. 5.*

Atheniensis.

Contumacia.

5 Alias contumacia) *De hac superius l. 3. cap. 10. quædam dicta sunt. Sed exempla huc atque illuc allata non loquuntur de illa contumaciæ pœna, quæ luebatur in judicio a Litigatoribus, sed de pignoriscapione, qua Senatores detrectantes venire & comparere in Senatum multabantur.*

Libellorum affixio.

6 Libellis affixis) *De affixione libellorum sic Seneca l. 4. de beneficiis: Spondeo (inquit) pro judicato, & suspensum amici bonis libellum dejicio, Creditoribus ejus me obligaturus: ut possim servare proscriptum ipse proscriptionis periculum subeo. Quid autem sit tabulam figere Venulejo in l. fin. ff. quod vi aut clam. vide Alciat. l. 4. c. 2. Parerg. jur. De more affigendarum tabularum alienis prædiis vide etiam Francis. Duaren. l. 2. Dispunct. cap. 4. Ac de proscribendorum bonorum ratione Jacob. Revard. lib. singul. Protribunal. cap. 3.*

ARGUMENTUM

CAP. III.

Adhuc de Vadimonii desertione, atque de prærogativa domus.

Facti, aut deserti vadimonii probatio.

SEd qui erat vadatus non ante in possessionem mittebatur, quam esset cognitum factum, desertumque vadimonium, quod probatur non actorum Commentariis, ut nunc, sed Testibus advocatis. Factum esse testificabatur Antestatus 1 cui vulsa esset auricula: Desertum ex Oratione pro Quintio cognoscetur: ibi enim

A Cicero: Tum Nævius ipse pueros circum amicos dimittit, ipse suos necessarios ab atriis Liciniis, & a faucibus Macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam sibi adsint hora secunda, postridie veniunt frequentes, testificantur ipsi non stitisse, & se stitisse, tabulæ maxime signis hominum nobilium consignantur, disceditur. Postulat a Burrieno Prætore Nævius, ut ex edicto bona possidere liceat. Postulare in hac materia est solemniter & pro tribunali petere. Ulpian. J. C. in l. dies. §. hoc autem ff. de dam. infect. Sed jam ista expediuntur fide Actuarii, & ejus, qui citavit, Accensi. Missio hujusmodi in possessionem argumentum erat, vadatum contumacem. Interdum lis 2 amittebatur. Horatius Satyra IX. lib. I. Sermonum:

Postulare

B

Ventum erat ad Vestæ quarta jam parte diei
Præterita, & casu tunc respondere vadato
Debebat, quod ni fecisset, perdere litem.

C Ibidem paulo post:

——— Dubius sum quid faciam, inquit,
Tene relinquam, an rem.

Rem pro lite dixit. Unde Reus, cujus res, id est, causa controvertitur, & actus rerum pro actis causarum apud Suetonium sæpissime. Cicero pro Roscio Comœdo: Quid ergo est? Quod & res ejus est, cujus pecunia levissima, & existimatio sanctissima fuit semper, id est, causa ejus agitatur. Ibidem; Dic nunc si potes, si res, si D causa patitur. Dicitur etiam cadere 3 causa, ut in quarto Institutionum titulo de actionibus: Si quis agens in intentione sua plus complexus fuerit, quam ad eum pertineat, causa cadebat, id est, rem amittebat, nec facile in integrum restituebatur a Prætore, nisi minor erat vigintiquinque annis. Cic. pro Comœdo: Hic si tu amplius H-S. nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti. Et paulo infra: Nisi planum facit ad libellam sibi deberi, causam perdidit. Tranq. in Caligula: Comprehensis meritoriis vehiculis, & E pistrinensibus jumentis panis sæpe Romæ deficiebat, & Litigatorum plerique, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent, causa cadebant. Idem in Claudio dixit excidere formula: Iis, qui apud privatos Judices plus petendo formula excidissent, restituit actiones. Fabius cadere formula l. III. Neque ignoro multa transferri, cum in omnibus fere causis, in quibus cecidisse quis formula dicitur, hæ sint quæstiones, an huic, an cum hoc, an F hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere. Quod ad actorem magis pertinet, qui excludebatur ab agendo, si male & extra ordinem formulam intendisset, ut in publicis judiciis, si quis libellum delatorium male concepisset, nihil agebat, nisi alio legitime facto Reum repeteret, ut in l. III. ff. de accusationibus & inscriptionibus. Idem est cum superioribus litem amittere. Cicero pro Fontejo: Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem

Res pro lite. Actus rerum.

Cadere causa.

Causam perdere.

Excidere formula.

Cadere formula.

Litem amittere.

aut obtineamus, aut amittamus. Cæterum introductam hanc possessionem bonorum suspicor adversus eos, qui domi latitarent, neque sui publice copiam facerent, abripi in jus non poterant: Est enim juris axioma, quod nemo invitus de domo extrahi debeat ad jus, etiamsi Magistratus jubeat. Titus Cajus lib. II. ff. tit. de in jus vocando. l. 18. Plerique (inquit) putaverunt nullum de domo sua in jus vocari licere, quia domus tutissimum cuique refugium, atque receptaculum sit, eique, qui inde in jus vocaretur, vim inferri videri. Deinde Julius Paulus subjicit l. XIX. Satisque pœnæ subire eum si non defendatur & latitet: Certum etenim est, quod mittitur Adversarius in possessionem bonorum ejus. Magna autem est domicilii cujusque prærogativa, tanquam templi sacrariique privati. Habent enim singulorum domus quæque suos Lares, Penates, Genios, qui focis & penetralibus præsident tutelares. Hincque est, quod prisci illi, si quando se ad bellum accenderent, hoc primum sibi proponerent, esse pro aris & focis pugnandum, ut eos ad arma impellere, non tam amor patriæ, fortunarum tutela, patrimonii possessionumque conservatio, quam quædam erga Deos publice consecratos, & suos Lares religio concepta videretur. Atque Lararium 4 magni quidem viri habuerunt, ubi privatim suos quos volebant Deos colebant, ut apud Tranq. & reliquos legimus. Atque propter hanc publice receptam de Laribus religiosam opinionem, & eam quasi ad nos transmissam fortassis observamus, ut si quis domi informis lethi modo abs trabe gulam sibi fregerit, aut alias sibi manus attulerit, ejus cadaver effosso subtus limine, aut perfosso pariete turpiter non efferatur, sed extrahatur, tanquam limen, aut fenestræ, religionis in se aliquid aut sanctimoniæ, quod resideret, haberent, quod fœdaretur contactu cadaveris impuri, si eliminaretur. Janus enim iis omnibus, quæ cardinibus vertuntur, præest, id est, januis, fenestris: Unde apud Ovid. primo Fastorum:

Prærogativa domus cujusque. — *Lares & Penates.* — *Pro aris & focis pugnare.* — *Lararium.* — *Mos in extrahendis cadaveribus eorum qui sibi mortem consciverunt.* — *Janus.*

Et jus vertendi cardinis omne meum est.

Hoc etiam Romæ servabatur, cum foras extra urbem efferrentur ad sepulchretum cadavera, curabant Pollinctores, aut Vespillones diligentissime, ne sandapila aut loculus portam, quæ sacra erat, contactu fœdaret. Cic. in Oratione pro domo sua de prærogativa domus cujusque eleganter in hæc verba: Quid est sanctius? Quid omni religione munitius? quam domus uniuscujusque civium? Hic aræ sunt, hic foci, hic Dii Penates, hic sacræ religionis cæremoniæ continentur, hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit. Enimvero bonorum possessio a Vadatore petenda fuit intra dies triginta: Alias temporis prærogativa eximebatur; intra quos si qui satisdarent, aut judicium accipere vellent tanquam Cognitores aut Procuratores, decretum Prætoris procedere non poterat. Cic. pro Quintio: Postulatus eras, quando? post triginta dies, nempe si te nihil impediret, si voluntas eadem maneret, si valeres, si deni-

Mos Rom in efferendis cadaveribus. — *Bonorum possessio.*

A que viveres. Ad hæc decretum possessionis erat voluntariæ jurisdictionis, & imperii, sed pro tribunali interponendum. Prætor (inquit Nævius) jussisset. Cui Cicer. per dialogismum & subjectionem: Opinor si vellet, si valeret, si jus diceret, si nemo recusaret, qui ex ipsius decreto & satisdaret & judicium accipere vellet. Satisdatio autem erat, factum iri judicatum, ut patet ex eadem Oratione, non judicio sisti, cum hoc ad Vades pertineret, ut diximus.

Satisdatio.

B PHILIPPI BRODÆI I. C. COROLLARIUM ad caput tertium.

1 Cui vulsa esset auricula) *Vide aliam opinionem Cujacii l. 3. Observat. c. 16. quam supra retulimus c. 1. hujus l. 5.*

2 Interdum lis amittebatur) *Si vadimonio quidem se sistebat Reus, Actor non occurrebat, eremodicium committebatur ab ipso Actore, isque litem perdebat: Nam Reo petente concedebatur Congedium Curiæ, ut dicimus in Praxi, & absolutio instantiæ, id est, causa cadebat:* C *quod ex Horatii versibus in textu citatis probari potest, si vadatum, utrique commune, pro Reo, qui vadimonio obstrictus sit, interpretemur, uti debet, licet verbum respondere non tam Actori, quam Reo, convenire videatur, siquidem hic vocanti, & interroganti respondet. Si vero Reus vadimonium desereret, non utique semper propterea litem amittebat, sed pœna in stipulatione comprehensa committebatur: nil enim aliud est, quam deserta promissio &* D *stipulatio sistendi, de qua in l. sed si quis. §. quæsitum ff. si quis caut. Quanquam hoc vocabulum deserta in eadem lege novum & insolens videatur Alciato, legatque disertа perperam. Non autem semper secundum præsentem Actorem fertur sententia, ut videre est ex l. properandum. §. cum autem de judic. C. l. & post. eod. ff. obstante etiam regula juris, Actore non probante absolvitur Reus, etiamsi nihil præstiterit. l. 73. de judic. Ex quibus apparet non idem esse desertum vadimonium quod eremodicium, ut Haloander & Budæus existimant: nam* E *deseritur vadimonium a solo Reo, nec propterea semper lis amittitur: Eremodicium autem ab utraque parte Litigantium committi potest. Neque etiam verum esse videtur, solos Actores in eremodicium incidere, cum ex d. l. properandum. §. sin autem, & seq. de judic. l. 11. & 13. ff. jud. sol. l. 31. §. litem de neg. gest. apparet, Reum etiam litem deserere, quod sonat eremodicium: quod pace docti viri dictum velim.*

Eremodicium. — *Vadatur.* — *Desertum vadimonium.* — *Discrimen eremodicii & vadimonii deserti.*

3 Causa cadere) *Sic Cicero lib. 7. Epi-* F *stolarum ad Trebatium J.C. jocatur his verbis: Quod si scribere oblitus es, minus multi jam te advocato causa cadent. Hactenus de vadimonio seu in jus vocatione, quæ antiquitus fiebat per ipsos Actores præsentibus Attestatis, unde formulæ frequentes apud Ciceronem, non apparere, non facere sui copiam in publico, evitare occursum Creditoris, agere, ne Adversarius sui copiam habeat, & similes, pro latitare, & turpiter seipsum occultare. Verum jure novo Pandectarum & Codicis solebant ad ipsius*

Causa cadere.

Tabularum & libellorum affixio. *sius latitantis domum tabulis aut libellis affixis evocari. l. 4. §. toties. de damn. infect. l. ult. §. 2. quod vi aut clam. Quin etiam evocabantur Rei denuntiationibus & literis, interdum edictis. l. 26. circa fin. de fideic. lib. l. 5. de pœnis. ff. l. 8. & 9. C. quom. & quand. jud. Trinos autem denuntiationibus, literis, aut edictis ad perficiendam contumaciam opus erat, aut uno edicto peremptorio, si res postulabat, pro tribus, in quo quidem hæc verba adjiciebantur.* Si die scripto non veneris, quasi contumax condemnaberis. *Nos in Praxi cum intimatione dicimus, quia hæc clausula vel similis intimatur, id est, insinuatur:* Sive citatus compareat, aut non, ulterius in causa procedetur, uti Judici expedire visum erit. *Quod idem fere dicitur in l. 71. de judic. ff. Post edictum peremptorium impetratum, cum dies ejus supervenerit, tunc absens citari debet, & sive responderit, sive non, agetur causa, & pronuntiabitur utique non secundum præsentem, sed interdum vel absens, si bonam causam habuit, vincet. Quod si is, qui edictum peremptorium impetravit, absit die cognitionis, is vero, adversus quem impetratum est, adsit, tum circumducendum erit edictum peremptorium, neque causa cognoscetur, neque secundum præsentem pronuntiabitur, sed instantia edicti peribit, ex integro autem litigari poterit. Circumducere autem edictum latine dicitur, quod nos in Praxi dicimus,* rabatre ou revocquer le default. *Atque tribus his modis etiam contumacia Rei perficiebatur in causis publicis, ut videre est ex d. l. absentem. ff. de pœnis. Nunc proclamationibus publicis & solemnibus, nec non programmate, & libellorum affixione, ut videre est ex §. 53. & sequenti styli criminalis nuperrime editi per Regiam & Catholicam Majestatem. Praxim, heu nimium, vidimus non ita dudum erga hujus patriæ Proceres, quorum contumacia publicatione bonorum & exilio multata est. Sed hæc fere de Contumacia, quæ fiebat in principio litis, & ante litem contestatam, instar appendicis ad oram*

Denuntiationes. Edicta. Contumacia. Peremptorium. Circumducere edictum. Proclamationes.

A *adfuimus. Post vero litis contestationem omnis terminus datus est peremptorius, ut notat Joan. Andr. in additionibus ad Speculat. in titul. de Testibus. §. nunc videndum. Probat l. 2. quom. & quan. jud. C. Porro contumacium mulctæ post litem contestatam Forclusiones dicuntur a Pragmaticis. Non ineleganter autem interpretatur Joannes Imbertus in suis Institutionibus Forensibus, quasi foro exclusiones. Sunt autem privationes & exclusiones beneficii diei, ut vocant. A sententia vero per contumaciam latam appellari non poterat, ut* B *scribit Paulus Jurisconsultus Sententiar. lib. 5. tit. 5. Adde §. 66. ejusdem styli Regii.*

Forclusiones. Verus contumax non appellat.

4 Lararium magni quidam viri habuerunt) *Notatu dignum est, quod scribit Lampridius de Alexandro Severo: Si non, inquit, cum uxore cubuisset matutinis horis in Larario suo, in quo & Divos Principes, sed optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium &, quantum scriptor temporum suorum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & hujusmodi Deos habebat, ac majorum effigies, rem divinam faciebat. Sed nihil mirum de* C *Alexandro, qui, ut idem refert, Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulachris jusserat fieri: quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed probibitus est ab his, qui consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset & templa reliqua deserenda. Plura autem habuisse Lararia Veteres olim, vel ex eo colligi potest, quod in secundo Larario Vergilii, & Cice-* D *ronis simulachra habuisse Severum ait: Unum quidem Sacrarium dicebatur, in quo heroum sanctiores animas colebant, alterum Cimeliarchium, quod Cabinetum vocant, in quo insignium virorum imagines venerabantur: Nam Capitolinus etiam refert, M. Antonium Magistrorum imagines in Larario habuisse. Sed Prætermissa aggrediamur.*

Alexander Severus. Lararia Veterum. Cimeliarchium.

PRÆTERMISSA ALIQUOT HISTORIÆ FORI ROMANI

INTERCALATA A PHILIP. BRODÆO FRANC. POLLETI GENERO.

PRÆFATIO.

Qum sive secundum tabulas, sive ab intestato, jure una cum bonis hæc hæreditas delata esset, ut hoc opus, quod affectum Socer reliquerat, ego perficerem, ne alioqui sine sacris, quod ajunt, obtigisse diceretur, equidem diu multumque deliberavi, utrum hanc adire, an repudiare satius esset: nam etsi in illo aliquid honoris positum, tamen oneris plurimum adnexum habere videbatur, cui si forte impar atque non solvendo essem, jam non meum solum, sed defuncti etiam bonum nomen in discrimen vocarem, cujus quidem defuncti intererat magis non aditam, quam accessione alterius minus idoneam hæreditatem fieri: itaque cum tutissimum putarem abstinere, nescio, quo modo, quorundam amicorum hortatu, aut potius auctoritate mutato consilio illam creverim, quod aliquid denegare piis ejus manibus, qui de me optime esset meritus, præsertim justa petentibus, & præclara cupientibus durum, atque iniquum videbatur; quod si efficere arduum, & laboriosum foret, tamen ingenuum & pietati congruum esse, illum intestatum non sinere decedere. Hæc atque alia id genus, quæ ab iis sæpius dicerentur, quorum apud me sacrosancta est auctoritas, tantum pondus habuerunt, ut Socero decursu lampada tradenti successerim, id est, Paralipomena *quædam, quæ ipse sive ampliarat, sive præventus perficere non potuerat, annectenda, & conferruminanda decreverim, quibus abrupta series* Historiæ Forensis *utcunque absolvitur. Hanc tamen adhibendam cautionem putavi, ut illa separatim nomine* Prætermissorum *ederentur, ne confusis utrinque nominibus, qui minus a nobis consequerentur, veluti bonorum separationem obtinere non habeant necesse, hæc autem tria capita, quibus de formulis actionum, & his, quæ fere fiebant in lite contestanda, huc intercalavimus, quod ad exegesim privatorum judiciorum spectare omnino videbantur. Reliqua vero, quæ amborum judiciorum fere sunt communia, infra subjungimus. Tu Lector boni consule, & pium hunc juva quantum potes.*

ARGUMENTUM
CAP. IV.

De actionum formulis, & interrogatoriis actionibus.

Formulæ actionum. Opportunus hic locus se offert de experiundi formulis, quas olim primum Pontifices solemnibus, & certis verbis concipiebant, & interrogationibus, quæ coram Prætore fiebant in privatis in constituenda actione, & lite, & quomodo in earum locum positiones, & articuli Neotericorum Pragmaticorum successerunt, quædam dicere, quæ a Socero nostro intermissa fuere. Atque ut paulo altius rem repetamus, cum superius dictum sit de vadimonii desertionibus, nunc restat dicendum, quando vadimonium obiretur a Litigatoribus. *Æditio libelli.* Si ergo die dicta uterque se sistebat coram Prætore in jus, Actor libellum proponebat, ut Reus deliberare posset, utrum cedere, an contendere ultra deberet: Edito autem libello, litigaturus Reus, si poterat ante constitutionem judicii illud transferebat, *Translationes.* actionem petitoris excludendo, propositis prius exceptionib. dilatoriis, & declinatoriis. Fabius l.3. c.6. Instit. Oratoriar. neque ignoro multa transferri, cum in omnibus fere causis, in quibus quis cecidisse formula dicitur, hæ sunt quæstiones, an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere, & si qua sint similia. Quod pluribus idem dicit Cicero in partitionibus: Atque etiam (inquit) ante judicium de constituendo ipso judicio solet esse contentio, cum aut sitne actio illi, qui agit, aut jamne sit, aut num jam esse desierit, aut illane lege, hisne verbis sit actio, quæritur. Quæ etiamsi, antequam res in judicium venit, aut concertata, aut dijudicata, aut confecta non

A sint, tamen in ipsis judiciis permagnum habent pondus, cum ita dicitur, plus petisti, sero petisti, non fuit tua petitio, non a me non hac lege, non his verbis, non hoc judicio. Idem secundo de inventione: Nam & Prætoriis exceptionibus multæ excluduntur actiones, & ita jus civile habemus constitutum, ut causa caderet is, qui non quemadmodum oporteret, egerit: quare in jure plerumque versantur, ibi enim & exceptiones postulantur & quodam modo agendi potestas datur, & omnis conceptio privatorum judiciorum constituitur. In ipsis autem B judiciis rarius incidunt. Huc pertinent illa verba in jure nostro usitata, *causa cognita actionem dare, aut denegare*. Consumtis autem in his prodromis & prolusionibus judiciorum exceptionibus dilatoriis, & declinatoriis, quas in praxi *finis de cogiè, & de non recevoir* dicimus constitutaque actione, Petitor iterum ex formula actionis Adversarium petebat: nam de omnibus fere rebus conceptæ erant formulæ. Idem Cicero pro Roscio Comœdo: Fraudabat te in societate Roscius? Sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne C quis in genere injuriæ, aut ratione actionis errare possit. Expressæ sunt enim ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria publicæ a Prætore formulæ, ad quas privata lis accommodatur. Hæc autem Actiones dicebantur. Pomponius in Enchiridio juris: harum omnium, inquit, & interpretandi scientia, & actiones apud collegium Pontificum erant, ex quibus constituebatur, quis quo anno præesset privatis. Et fere Populus annis prope centum hac consuetudine usus est. Postea cum Appius Claudius proposuisset, & ad formam redegisset has actiones, Cn. Flavius scriba ejus, libertini filius, subreptum D librum Populo tradidit, & adeo gratum id munus Populo, ut Tribunus Pleb. fieret, &

Actiones olim apud Pontifices.

Cn. Flavius corcum oculos confixit.

Senator, & Ædilis. Curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur jus Civile Flavianum, sicut ille jus civile Papirianum: Nam nec Cn. Flavius quicquam de suo adjecit libro. Augescente civitate, quia deerant quædam genera agendi, non post multum temporis spatium Sextus Ælius alias actiones composuit, & librum Populo dedit, qui appellatur jus Ælianum. Hactenus J. C. In personalibus hæc formula fere usurpabatur, *ajo te mihi dare, vel facere oportere*, quam Valerius Probus in libello de literis antiquis sic exprimit: *A. T. M. D. O.* de quibus in l. facere. l. verbum oportere, de verborum & rer. significat. Formula vindicationis erat in re mobili, qua utebatur Actor rem tangens, *H. E. R. I. Q. M. E. A. hanc ego rem jure Quiritium meam esse ajo*. Si nemo contradiceret, cessio in jure fieri dicebatur. Exceptionis vero formula erat: *At ego contra eam vendico*. Porro hæc petendæ rei immobilis usitabatur: *Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est, eum ego ex jure Quiritium meum esse ajo, ibi ego te ex jure manu consertum voco*. Exceptionis forma: *unde tu me manu consertum vocasti, inde ego te revoco*. In vindicationibus autem, liticula plerumque oriebatur super possessione, uter nimirum pendente lite possideret. Sic Asconius: Lis vindiciarum est, quum litigatur de ea re apud Prætorem, cujus incertum est, quis debeat esse possessor: & ideo qui rem tenet, satisdat de Præde litis vindiciarum adversario suo, quo illi satisfiat, nil se deterius in possessione facturum. Inde fiduciarium nomen pro fiduciaria possessione, nos *Recredentiam* vocamus, Latinius vindicias, quæ quidem viget apud nos in interdicto *Uti possidetis*, quem casum novitatis vocant Pragmatici, cujus praxis interdicta fuit per Divum Ludovicum Francorum Regem: nam interdictum *Utrobi* non usitatur apud nos. Illud autem hoc retinet antiquitatis vestigium, ut in rem præsentem eatur, atque ibidem super prædio litigioso quædam controversia super possessione disceptatur coram Regio Apparitore, qui verbo tenus, & figurative (quod ajunt) actorem in possessionem mittit. Quæ quidem festucaria possessio, & in rem præsentem disceptatio non absimilis videtur huic, quæ fiebat olim per manuum consertionem ex legibus XII. tabularum, de qua apud Gellium lib. VIII. c. 9. quo in loco versus Ennii refert & explicat:

Non ex jure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

Quos etiam refert Cic. lib. VII. epist. ad Trebatium J. C. & in oratione pro Murena, ubi nasute, & ingeniose hujusmodi verborum, non secus quam in magicis, solemnia irridet, ut ei causa cadendum foret, qui syllaba excidisset. Quod idem exagitat in oratione pro Cecinna, neque verbis ita inhærendum docet, ut propterea æquitas deseratur; nec enim sermonem quotidianum subsistere, si verba aucupemur. Interea etiam Prætor ipse eadem ridicula superstitione verborum loquebatur. Idem Cicero: Prætor interea ne pulchrum se ac beatum putaret, atque aliquid sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est, cum cæteris rebus absurdum. Tum vero nullo usu, utrisque superstitibus præsentibus, *istam viam dico, inite viam*, Præsto aderat sapiens ille, qui inire viam doceret, *redite viam*, eodem duce redibant. Hæc jam tum apud illos barbatos ridicula, credo, videbantur: homines, cum recte atque in loco constitissent, jubere abire, ut unde abiissent, eodem statim redirent, iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia: *Quando te in jure conspicio*; & hæc: *Sed anne tu dicis qui causa vindicaveris?* Quæ dum erant occulta, necessario ab iis, qui ea tenebant, petebantur, postea pervulgata, atque in manibus jactata, & excussa, inanissima prudentiæ reperta sunt, fraudis autem & stultitiæ plenissima, & cætera quæ eleganter congerit in hanc sententiam in dicta oratione pro Murena. Quod autem idem ait perpaucis & minime obscuris literis contineri, ideo est, quod singulis literis atque interpunctionibus verborum occupabantur, uti habemus adhuc apud Probum Grammaticum. Sed hujusmodi conceptiones Romæ tantum, non etiam in provinciis usitabantur: Sapiens, inquit, æstimari nemo potest in ea prudentia, quæ neque extra Romam usquam, neque Romæ reb. prolatis quicquam valet. Quinetiam in hujusmodi concertatione sæpius utrinque interrogationes fiebant, nonnunquam etiam ex parte Prætoris, ut litem tandem constitueret; ubi enim æquitas monebat, æque ab eo oportere fieri interrogationem dubium non est. Hac formula sæpius utebantur Litigatores, *quando te in jure conspicio, postulo an te facias auctorem?* Et deinceps aliæ interrogationes, si se auctorem faceret: veluti, *postulo quota ex parte auctor fias?* quanquam prior hæc interrogatio non inepte ad auctorem, quem Guarandum vocamus, qui te evictione tenebatur, referatur; qui nullo vadimonio obstrictus in jure reperiebatur: quod utcunque illa verba denotant, *quando te in jure conspicio*. Unde titulus Digestorum de interrogatoriis actionibus. Nil autem interest, neget quis, an taceat interrogatus, non obscure respondeat, ut incertum dimittat interrogatorem. Qui tacuit apud Prætorem, in ea causa est, ut instituta actione in solidum conveniatur quasi negavit: nam qui omnino non respondit, contumax est; contumaciæ autem pœnam hanc ferre debet, ut in solidum conveniatur, quemadmodum si negasset, quia Prætorem contemnere videtur: Ulp. l. XI. eodem. Ex interrogati vero responsione actio interrogatoria datur: nam ex sua responsione conveniebatur interrogatus. l. IIII. XII. XIII. & ult. d. tit. quæ & confessoria dicitur l. proinde. ad l. Aquil. In harum autem locum successerunt Positiones Neotericorum, quæ ab invicem nil aliud differunt, quam quod hæ assertive nunc, olim illæ interrogative concipiebantur: Et quæ initio interrogationes erant, post litem contestatam positiones fiunt. Neque absimiles sunt interrogationes, & responsiones utrinque, quæ post litem contestatam ad sublevandum partes litigantes probatione superflua *per credit, vel non*, ut Practici loquuntur, concipiuntur: Licet hæ positive, & enuntiative in scriptis,

Marginalia (left column): Ælianus. Actio personalis. — Vindicatio. — In jure cessio. — Exceptio. — Vindiciæ. — Fiduciæ. — Casus novitatis. — Utrobi interdictum. — Manuum consertio. — Aucupatio verborum. — Prætor.

Marginalia (right column): Actiones tantum Romæ. — Interrogatoriæ actiones. — Confessoria actio. Positiones. — Interrogationes per credit vel non.

Section letters printed between the columns, top to bottom: **A** (at "Senator"), **B** (at "T. M. D. O."), **C** (at "tu me manu consertum"), **D** (at "possessione, nos Recredentiam"), **E** (at "in rem præsentem disceptatio"), **F** (at "irridet, ut ei causa").

non interrogative redigantur, præstito prius per respondentem jurejurando, se pro rei veritate responsurum. In cæteris fere eundem effectum obtinent, atque juramentum de calumnia, quod fere in initio litis præstabatur, utrumque vero juramentum multis in locis sublatum est, propter perjurii metum, quando ex philautia fere semper plus æquo suæ causæ faveant litigantes: adeo multi sibi in animum inducunt cogi non posse, aut debere ad veritatem denudandam, & in adversariorum castra deportandam. At quanto magis hoc formidandum est in criminalibus, ubi de capite & fortunis quæstio vertitur; nam quotusquisque est, qui tum se putet religione teneri? Natura autem comparatum est, ut omnes, nescio quo modo, promptiores & paratiores simus ad excusationem & elevationem culpæ propriæ, ad accusationem & confessionem tardiores. Itaque remittendum illud juramentum de calumnia putarem, quod etiam in publicis obtinere putat glos. & DD. in l. I. C. de jur. propt. calum. & l. ult. de fide instrument. nedum illud solemne de veritate dicenda, quod præstare tenentur Rei de crimine interrogati ex statuto generali, quod in formam styli redactum est, de quo Bartol. in d. l. I. nam quorsum ille jurare cogitur, si jurejurando ipsius non statur, sed nihilominus peragitur Reus? Anne ut flagitium flagitio cumulet, & cum parricidio perjurium conjungat? quod utrum sit gravius altero disputant Theologi Summistæ. Prudens & sciens alias rationes Martini obmitto, qui contra Joan. (adeo fere hi duo semper, Sabinorum & Proculejanorum instar, diversas sectas constituunt in jure) negativam tuetur. Certe illud ponderandum est, quod nullo modo ansam pejerandi alicui porrigere debemus: adeo ut remittendum sit juramentum, & gratiam jusjurandi facere teneamur, si cui oblatum sit, nec liquido, neque ex animi sententia juraturum putemus; ad quæ notanda veniunt, quæ ex Augusto & aliis compilavit Gratianus in decret. cau. XXII. quæst. v. Sed quam longe e formulis? nequaquam tamen extra forum digressi sumus. Hoc etiam notandum est, quod hujusmodi actionum solemnitates tantum in ordinariis judiciis usitabantur. Paulus in l. antepenult. ff. de neg. gest. Nec refert an directa quis, an utili actione agat, vel conveniatur, quia in extraordinariis judiciis, ubi conceptio formularum non observatur, hæc subtilitas supervacua est. Nunc autem judicia omnia extra ordinem peraguntur, ut dicitur in principio tituli de succes. subl. & tit. de interdict. §. ult. Institut. Hinc est quod de ordine, & exitu interdictorum supervacuum est hodie dicere: nam quoties extra ordinem jus dicitur (qualia sunt hodie omnia judicia) non est necesse reddi interdictum, sed perinde judicatur sine interdictis, ac si utilis actio ex causa interdicti reddita esset. Reliquias quidem harum formularum, aut similium, quæ veluti redivivæ in judiciis obtinebant aucupatione syllabarum insidiantes suo tempore penitus eradicare destinavit Imp. Constantinus. l. I. C. de formul. & impetr. act. sublat. L. II. autem eodem Theod. & Valent. Impp. agere videntur de illa actionis sublatione, quæ fiebat ab ipso Prætore, non autem de iis impetrationibus, quæ a collegio Pontificum fiebant, ut putavit Accurs. nam hæ quidem ante hujusmodi Impp. diu antiquatæ & sublatæ erant. Porro exceptio, ut ait Ulpianus, dicta est quasi quædam exclusio, quæ interponi actioni cujusque rei solet, ad excludendum id, quod ad intentionem condemnationemve deductum est, vel (ut Paulus tit. de except.) conditio est, quæ modo eximit Reum a damnatione. Atque exceptiones aut temporales & dilatoriæ, (quæ fere translationes a Rhetoribus dicuntur) aut perpetuæ sunt, & peremptoriæ, qualis est doli mali, rei judicatæ, pacti conventi perpetui, solutionis, & si quid contra leges Senatusve consultum factum esse dicitur, quæ sub hoc tractatu continentur: Opponuntur enim, aut quia factum sit, quod fieri oportuit; aut quia factum sit, quod fieri non oportuit; aut quia factum non est, quod fieri debuerat. Sed nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversæ sint. Replicatio est contraria exceptio, quasi exceptionis exceptio: semper enim replicatio objicitur, ut exceptionem oppugnet. Illud tenendum est, omnem exceptionem vel replicationem exclusoriam esse. Exceptio Actorem excludit, replicatio Reum. Sed & contra replicationem solet dari triplicatio, & contra triplicationem rursus quadruplicatio: & deinceps multiplicantur nomina, dum aut Reus, aut Actor objicit.

Juramentum de calumnia. — *In publicis juramentum de calumnia periculosum* — *De veritate dicenda remittendum juramentum.* — *Martinus.* — *Perjurii penitus occasio amputanda.* — *Ordinaria judicia.* — *Extraordinaria nunc omnia judicia.* — *Impetrationes actionum sublatæ.* — *Exceptio quid.* — *Exceptionum divisio.* — *Replicatio.*

ARGUMENTUM

CAP. V.

De Sponsionibus, & Sacramentis, Constitutione judicii, Judicum datione a Prætore, & iis fere, quæ fiebant in contestanda lite.

IN hujusmodi commissionibus Litigatorum, quæ fiebant coram Prætore, dum petendo, intendendo, declinando, eludendo, refellendo, uterque de palmario contenderet, Prætor contestationem litis meditaretur, & constitutionem judicii moliretur, sponsiones mutuæ fiebant ab ipsis Litigantibus, quæ fere ex interrogatoriis actionibus oriebantur. Nam si petitionem inficiaretur Reus, statim ab Actore provocabatur, *quando negas, sacramento te provoco*, quod Prætor antea imperasse videtur, *Si negat, sacramento quærito*. Sin Reus non tam inficiaretur, quam exceptione, aut præscriptione submovebat, post replicationem subjiciebat Actor, *Quando ais, neque negas, sacramento quinquagenario te provoco*; aut si taceret, *Quando neque ais, neque negas, te sacramento quinquagenario provoco*. Stipulanti autem actori respondebat Reus, & vicissim Actor Reo repromittebat, quanquam interdum Reus provocabat: sæpius enim excipiendo fit Actor. De sponsione quidem Plautus in Menæchmis:

Sponsiones.

Ita detinuit apud Ædiles præliis factis
plurimis,

Pessimisque dixi causam, conditiones retuli
Tortas, confragosas: plus minus opus, quam erat, multo dixeram
Controversiam, ut sponsio fieret.

Sponsionis autem pignus, teste Isidoro lib. v. etymologiarum, sacramentum erat, hoc autem describit Festus, æs quod pœnæ nomine penditur, sive in rem agitur, sive contenditur: id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis quingentorum, inter eos, qui judicio inter se contenderent.

[Sacramentum.]

B Varro autem sic lib, IV. linguæ Latinæ: Ea pecunia, inquit, quæ in judicium venit in litibus, sacramentum a sacro dictum: nam qui petebat, & qui inficiebat, de aliis rebus uterque quinquagenos asses ad Pontificem deponebat, de aliis rebus item certum alium & legitimum numerum assium. Isidorus dictum putat sacramentum, quia violare quod quisque promittit perfidiæ est. Licet autem Varronis in lingua latina sacrosancta sit auctoritas, tamen hæc etymologia nequaquam omnino respuenda videtur; nam omne sacramentum sponsio præcedebat, quanquam non omnis sponsio sacramentum habebat: sæpius enim interveniebant sponsiones, in quibus depositio illa solemnis non fiebat, utpote nudæ, quæ verborum obligatione fiebant, vel in quibus satisdationes præstabantur, si stipulatio committeretur, ut in vadimoniis. Sacramenta Græcorum, quæ in contestanda lite deponebantur, Πρυτανεῖα dicebantur, quia in Prytaneo ponebantur. Παρακαταβολὴ autem tam sponsionem, quam sacramentum significat. Ex præcedentibus itaque constat sacramentum, sive pœnam ordinariam temerarii Litigatoris fuisse summam quinquagenorum, aut quingentorum assium, quæ in æde apud Pontificem deponebatur: In re autem tam vetusta non liquet, quod fuerit causarum discrimen, in quibus quinquaginta, & quibus quingenti asses deponi solebant. Verisimile autem fit super quolibet articulo controverso, aut inficiatione interrogationis sponsionem factam. Quanquam legitimum hunc numerum assium Litigantes sponsionibus sæpenumero excedebant: Quod ex Cic. manifestum fieri potest. Sic enim Verrina v. facta est sponsio H-S. quinque millibus. Item in oratione pro Comœdo: pecunia, inquit, certa, quæ nunc petitur per Judicem, in qua legitimæ partis sponsio facta est. Dein subjicit: Pecunia petita est certa, cum tertia parte sponsio facta est. Finita autem lite, victor depositum ex æde sacra aufferebat, qui tum justo sacramento contendisse dicebatur. Victi vero ad ærarium redibant, ut ex Varrone palam fit. Atque illud a Triumviris Capitalibus in divinos usus, & tuendis sacris civitatis applicabatur. Iique Tresviri, si forte deposita non essent, sacramenta exigebant, judicabantve. Sed lubet adferre legem tribunitiam, quæ est apud Festum lib. XVI. de ver. sig. *Quicunque Prætor posthæc factus erit, qui inter cives jus dicet, Tresviros Capitales Pop. rogato, iique Tresviri Capitales, quicunque a Pop. facti erunt, sacramenta exigunto, judicantoque, eodemque jure sunto, uti ex legibus plebeique scitis exigere, judicare esse-*

[Sponsionis & sacramenti differentia.]
[Πρυτανεῖα. Παρακαταβολὴ.]
[Justum sacramentum.]
[Triumviri capitales.]
[L. Tribunitia.]

A *que oportet*. Non absimilem & alienam a sacramento veteri consignationem pecuniæ in initio litis introductam non ita dudum vidimus in Francia edicto regio, quam convasabant mancipes ærarii & publicani exteri. Sponsionum judiciariarum infinita exempla passim reperiuntur apud auctores; v. act. in Verr. *ni Apronius dictaret*. 3. Offic. *ni vir bonus sit*. pro Cecin. *ni adversus edictum Prætoris vis facta esset*. Pro Quinctio: *ni bona sua ex edicto publico Burrieni Prætoris dies triginta possessa non essent*; & alia id genus. Sponsiones etiam ludicræ, & extra judicium in contractibus aleatoriis fiunt: licet ex l. Titia, & Cornelia vetitæ erant sponsiones, præterquam si quis luderet hasta, vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat. In aliis autem, ubi pro virtute certamen non fit, non licet, ut dicitur in l. II. & III. de aleat. ff. Insigne exemplum est apud Plinium, & Macrobium, Antonii, & Cleopatræ, ni hæc una cœna absumeret Sestertium centies. Huc etiam adferri potest illa Asclepiadis arrogans cum fortuna sponsio, si unquam invalidus esset, ne medicus crederetur. Adde nobilis scorticum nobili Philosopho, aut ejus discipulis. Valerius lib. IV. cap. III. Æque abstinentis senectæ Xenocratem accepimus, cujus opinionis non parva fides erit narratio, quæ sequitur. In pervigilio Phryne nobile scortum Athenarum juxta eum vino gravem accubuit, pignore cum quibusdam juvenibus posito, an temperantiam ejus corrumpere posset, quam nec tactu, nec sermone aspernatus, quoad voluerat in sinu suo moratam, propositi irritam dimisit; ubi legendum puto *ni* pro particula *an*, nam *si* & *ni* frequentes & quasi solemnes sunt in sponsionibus. Cæterum, ut hoc parergos notem, quando in hunc locum incidimus, & hoc caput cum præcedenti magnitudine æquandum duximus, Valerius in hoc exemplo non satis servasse decorum in Xenocrate, neque suæ causæ servisse videtur: nam dum in uno temperantiam laudat, in altero ejusdem temulentiam (quæ etiam intemperantia est) imprudenter detegit, quæ non minus philosophum dedecet, quam venerea voluptas:

[Sponsiones variæ.]
[LL. Titia & Cornelia.]
[Antonii & Cleopatræ sponsio. Asclepiadis.]
[Phryne.]
[Valerii locus emendatur.]
[Idem reprehenditur.]

E *Uno namque modo vina Venusque nocent.*

Siquidem temperantia, teste Aristotele, ut est apud Gellium cap. II. lib. XIX. & Macrobium lib. II. cap. 8. Saturnal. non minus circa voluptatum modum versatur, quæ gustu percipiuntur, quam quæ in tactu, nec ferendos esse docet idem Gellius lib. XV. cap. II. qui perperam interpretantes Platonis verba de legibus, tanquam auctore Platone, ebrietatem laudant. Quin etiam ebrietas illam continentiæ partem, quæ in domando, & restinguendo libidinis venereæ æstu consistit, multum minuit, cum plerumque hæc imbelles eviratosque reddat ebrios, & temulentos: quod inductionibus probari facile posset de multis nationibus, & gentibus, quæ cum potu indulgeant, & vino se ingurgitent, remissiores sunt ad venerem: contra, quæ vino moderate utuntur, procliviores ad eam, & salaciores

[Temperantiæ etiam in iis quæ gustu percipiuntur.]
[Ebrietas.]

Alexander vinosus. *Sophocles.*

sunt. Hinc est, quod Theophrastus refert, ut scribunt Athæneus & Plutarchus, Alexandrum parum mulierosum fuisse, quod vinosus esset. Itaque narrationem elevat, quod vino gravem addit. Quid? nonne satis erat senem dixisse? præsertim cum de Sophocle vetulo loquens, cum ab eo quæreretur, an etiamnum rebus venereis uteretur, respondisse dicat, dii meliora; libenter enim isthinc tanquam ex aliqua furiosa profugi dominatione. Quis autem senem ebrium, & vino gravem, in sinu meretriculæ stertentem, qui neque blanditiis fœmineis, & mollitiæ magis afficiatur, quam

—— *Truncus iners ficulnus, inutile lignum,*

Non statim eum exoletum, languidum, effœtum cogitet inter amplexus, & suavia suam edormisse crapulam, & hesternum despumasse falernum, ut Persius loquitur, neque expergisci potuisse a veterno, somnolentia, & gravedine, quam inducit pituita (qua maxime hæc ætas affecta gravatur) & larga meri potatio ob vapores, qui versus cerebrum ebulliunt ex repletione ventriculi. Quibus mire congruit arguta sane (meo quidem judicio) lupæ (sive hæc Phrine, sive Lais fuerit, nil moror) responsio ad Xenocratis discipulos victoriæ præmium flagitantes, de homine se cum iis, non de statua pignus posuisse: quæ contorqueri adversus Valerium potest. Mirum itaque non fuit, quod hæc non justo sacramento, quin potius alterum mirandum fuisset, si injusto discipuli contendissent. Atque ut frigidus, & maleficiatus, qui non uritur, temperans esse non potest, sic nec exhaustus, & elumbis senex (nam quid ab eo differt?) temperans dici potest, si non catuliat, cum virtus illa circa affectus, eosque graves verfetur, quos, veluti ferocientem æquum, freno regit, & moderatur: qui si nulli sint, jam temperantia neque erit. Melius quidem meo judicio Laertius in vita ejusdem Xenocratis, quem narrat verenda secasse, atque ussisse, cum affici tentigine sentiret, ut ex dolore pruritum averteret. Neque inverecundum existimo Philosopho moveri, aut effici, ut egregie ex Epicteto Stoicus disputat apud eundem Gell. lib. XIX. c. I. Et hinc est, ut puto, quod dicimus, primos motus non esse in potestate hominis. Sed nobis hic etiam temperandum fuit, vereor enim, ut tempore nostro subcisivo abusi simus, quo magis magisque abutemur, si excusationes prætexamus. Sed facile, uti spero, veniam ab eo impetrabimus, qui etiam Valerio hoc dissimulandum putabit. Nos interim hæc animi gratia lusimus, ut tædium harum formularum sublevaremus ex parte, ut Lector boni consule, pro quo vel in medio saltarem foro. Erat & alia sponsio judicialis, qua Actor repromittebat, ni vicisset, Reo decimam litis: de qua Inst. tit. de pœn. tem. litigant. §. hæc autem. & in C. Hermogenia. tit. de calum. l. judicium. Cui Justinianus novella CXII. hoc addit, ut decimæ cautio satisdationem habeat ante Reorum citationem. Ex Asconio autem apparet, quod in publicis judiciis etiam sacramento contenderent Litigantes: Atque tum lis contestata dicebatur, quanquam proprie lis contestata erat ex actionum & exceptionum mutuis objectionibus. Inter litem autem contestatam, & editam actionem permultum interest. Lis enim tunc videtur contestata (ait Imp. Sever. & Anton.) quum Judex per narrationem causam audire cœperit. Jure autem novissimo ad contestationem litis nonnulla præterea requiruntur solemnia, quæ ponuntur sub rubrica C. de litis contest. in authent. Lite autem contestata, sponsionibus rite factis, & sacramento utrinque legitime deposito, judicium petebant Litigantes, quod constituebat Prætor in litis verba, id est, statum causæ conjecturalem aut juridicialem constituebat, quod in praxi dicimus *reigler, au appointer les parties contraires, ou en droict.* Hinc toties recantatæ phrases Prætoriæ in jure, *judicium dabo, judicium non dabo*: nam has, *actionem dabo, actionem non dabo*, Actorem tantum spectasse puto, antequam in jus veniret, aut litem contestaretur. Judicium autem aut purum, aut cum exceptione ordinabatur. Cic. lib. II. de inventione: Is, qui agit, judicium purum postulat, ille, qui cum agitur, exceptionem addi ait oportere. Idem pro Cecinna: Pub. Dolabella Prætor interdixit, ut est consuetudo, de vi hominib. armatis, sine ulla exceptione, tantum, ut unde dejecisset restitueret. Constituto autem & composito judicio a Prætore in litis verba, si causa hujusmodi esset, ut de jure potius, quam de facto quæreretur, Prætor causam ad Centumviros, qui consilium ejus erat ordinarium, remittebat: quod ex I. de Oratore facile probari potest, quæ die cognitionum, quando ii sedebant, repetebatur, ut ex superioribus compertum habemus. Sin de facto quæstio versaretur, Recuperatores Judices ab eodem dabantur, præscripta judicandi formula, qua judicium constituerat, *si paret N. dare oportere*, uti fere moribus nostris observatur in rescriptis Principis, & mandatis, quib. hæc clausula inseritur, *s'il vous appert des premises*. Observabatur autem, ne is Judex daretur, quem altera pars nominatim petebat, sed de eo debebant partes convenire. Cic. pro Cluentio: Neminem voluerunt majores nostri, non modo de existimatione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima Judicem esse, nisi qui inter adversarios convenisset. Id enim, inquit Callistratus, iniqui esse exempli. Hadrianus rescripsit: nisi hoc specialiter a Principe, ad verecundiam periti Judicis respiciente, permittatur. l. XLVII. de jud. Itaque si alteruter Litigatorum nominatim aliquem peteret Judicem teste Festo l. XIV. solebat fere hac uti formula: *Si alium procas, nive eum procas*. Est autem procare poscere, cum dicitur in Judice collocando. Addicebatur autem Judex a Prætore, quando uterque consentiebant in eum. l. LXX. de jud. ff. Constituto itaque Judice, & judicio in litis verba, in perendinum diem, si Asconio credimus, ut ad Judicium, hoc est, datum Judicem veniret, utraque pars denuntiabat, & Prætor decedens ad eos, qui tribunal assistebant, hæc solemnia verba pronuntiabat, *Testes estote*. Et his verbis litem con-

Temperans circa affectus graves. *Laertius* *Primi motus.* *Sponsio decimæ litis.* *Sacramentum in publicis.* *Lis contestata.* *Judicii constitutio.* *Formulæ Prætoris* *Judicium purum aut cum exceptione.* *Centumviri de jure cognoscebant.* *Recuperatores Judices de facto.* *Procare.*

contestatio. testari Actor & Reus dicebantur, ut auctor est Festus. Denique si nihil esset, quod de facto aut jure quæreretur, Prætor suum decretum interponebat.

ARGUMENTUM

CAP. VI.

De notionibus Judicum & eorum Consilio, id est, Adsessoribus, Consiliariis, Jureconsultis, & quadruplici horum genere.

Judicium datorum notio. JUdices itaque delegati de causa perendinata cognoscebant usque ad sententiæ dictionem, quam etiam pronuntiabant prius receptis probationibus testium & instrumentorum, ita tamen, ut præscriptam a Prætore formulam, cancellosque non excederent: veluti si purum judicium erat, tantum de intentione Actoris, siquidem per rerum naturam negativa probari nequit; sin vero non purum, tum de exceptione Rei etiam, qui quodammodo excipiendo Actor fiebat, cognoscebant. Seneca lib. III. de beneficiis: Quæcunque in cognitionem cadunt, comprehendi possunt, & non dare infinitam licentiam Judici. Ideo melior videtur conditio bonæ causæ, si ad Judicem, quam ad Arbitrum mittatur: quia illum formula includit, & certos, quos non *Non fatetur qui excipit.* excedat terminos, ponit: Hujus libera, & nullis astricta vinculis religio & detrahere aliquid potest, & adjicere. Etsi autem plurimæ exceptiones tacitam confessionem habeant intentionis Actoris, veluti si quis pactum conventum, aut solutionem proponat, confiteri debitum videtur, J. C. tamen in l. IX. ait: Non utique existimatur confiteri de intentione adversarius, quo cum agitur, quia exceptione utitur. Sunt *Præjudicia.* tamen præjudicia sive ex parte Actoris, sive ex parte Rei (Nam & Ulpianus auctor est l. I. LXXIII. de act. & obligat. sub actionis nomine contineri: Quod autem sub exceptione comprehendantur, argumento est titulus Pandectarum de exception. præscrip. & præjud.) de quibus habet Judex cognoscere ante primam quæstionem, quorum fit mentio in l. 12. 13. 16. 17. 18. & 21. d. tit. de exception. Atque huc pertinent hujusmodi formulæ: *si præjudicium fundo non fiat. Si in ea re præjudicium hæreditati non fiat. Si ingenuitati præjudicium non fiat*, & si*Judicum impar numerus.* miles. Cur autem fere numero impari Recuperatores & Judices dabantur a Prætore, ratio est, quam adfert Ulpianus in l. XVII. de recept. qui arbit. & ff. quod in impari invenitur pars major, etsi dissentiant, cujus *Delecti Iudices.* arbitrio & judicio stabitur. An autem Romæ in privatis, sicuti in publicis, quoddam esset Judicum album & decuria præter Centumviros, an vero passim sine discrimine quemlibet de Populo Judicem, aut Recuperatorem dare posset Prætor, non satis compertum habeo. Ex Gellii lib. XIV. cap. II. probari posse videtur, quosdam legi solitos in Judices, qui judicia privata suscipe*Consilium Romæ.* rent: Denique quinam olim essent ii viri, qui in consilio manumissionibus adhibebantur Romæ ex lege Ælia Sentia, non satis liquet. Dion. quidem auctor est, sub Augusto decem Senatores, sub Antoninis au-

A tem & Alexandro quinque & totidem Equites in consilium adhibitos a Prætore Urbano: quod idem testatur Theophilus lib. I. tit. I. VI. Sed quid vetat appellatione De- *Decemviri.* cemvirorum intelligi, qui litibus judicandis & hastæ præerant? De quibus l. II. §. XVI. de origine jur. meminit, quos de collegio & numero Decemvirorum fuisse, atque eosdem coegisse constat ex superioribus: neque enim inculcare putavimus operæprecium, quæ lib. III. cap. XIII. a Socero & nobis ante dicta sunt, quando in B Absolutione hujus operis Cassium Seve- *Cassius Severus.* rum exoptamus accusatorem, uti factitasse Augustum, dum extrueret suum forum, refert Macrobius. In Provinciis autem consilium illud Proconsulum, & Præsidum *Peregrini Recuperatores.* consessum fuisse viginti virorum testis est ibidem Theophilus, quos peregrinos Recuperatores vocatos dicit. Ulpianus quidem *Ulpianus Paulus.* se Prætori adsedisse dicit in l. IX. §. III. ff. quod metus causa. Paulum autem Papiniano Præfecto Prætorio constat ex l. lecta. ff. si certum petatur. Prætores etiam in Pro- *Consilium Prætoris* vinciis quosdam viros consiliarios, sive asC sessores habuisse videre est ex IV. in Verrem, ubi Cicero exagitat magnopere quod idem Verres Siciliæ Prætor, sine suo consilio, & eo remoto Sopatrum condemnasset: Te tuo consilio, inquit, dimisso, viris primariis, qui in consilio C. Sacerdotis, tibique esse solebant, remotis, de re judicata judicasse, teque eum, quem C. Sacerdos adhibito consilio, causa incognita absolvisset, eundem remoto consilio, causa cognita condemnasse. In cognitionibus etiam *Amici a consiliis Judicium.* Judices illi & Recuperatores a Prætore dati amicos Jurisconsultos adhibebant, ut D patet ex Quintiana. Quoties enim C. Aquilium nominat Cicero, fere ad eos, qui in consilio ejus erant, quos advocaverat Aquilius, sermonem convertit, atque ex multis aliis locis Ciceronis probari potest. Gellius dicto capite: Tunc ibi amici mei, quos rogaveram in consilium, viri exercitati, atque in patrociniis, & operis fori celebres, semperque se circumundique distrahentibus causis festinantes, non sedendum diutius, ac nil esse dubium dicebant; quin absolvendus foret, quem accepisse pecuniam illam nulla probatione solemni doE cebatur. Sed enim ego homines cum considerabam, alterum fidei, alterum probri plenum, spurcissimæque vitæ, ac defamatissimæ, nequaquam adduci potui ad absolvendum, & infra: Sed majus ego, altiusque esse existimavi, quam quod meæ ætati, & mediocritati convenieret, ut cognovisse, & condemnasse de moribus, non de probationibus rei gestæ viderer, ut absolverem tamen inducere in animum non F quivi, & propterea juravi mihi non lique- *Juramentum non liquere.* re, atque ita judicatu illo solutus sum. Unde etiam colligere licet Judices delectos munere judicandi sese exsolvere, aut excusare haud potuisse, nisi jurarent sibi non liquere, ubi integritatem Gellii laudare possumus, religionem non item, licet ex *Gelli integritas & religio.* sententia Catonis, & Phavorini suffragio aucta, confirmataque sit, quorum auctoritatem nil moror, stante regula juris, Actore non probante absolvitur Reus, et- *Regula juris.* iam si nil præstiterit. Quod autem Neoptolemus ait apud Ennium (ut idem Gellius

non uno loco refert) philosophandum paucis; nam omnino non placet: id maxime in judiciis usu venire existimo, in quibus, ut ait Martianus, subtilitates a Judicibus non admittuntur, atque ea de causa ejusdem Catonis in Senatu sæpius sunt explosa paradoxa, quæ illæ proponebat tanquam in Stoa, aut Platonis Repub. non in fæce Romuli versatus fuisset. Sed ex diverticulo res reponatur. Officium adsessoris, sive consiliarii (nam ita vocatur adsessor. l. v. de offi. adsess. ff.) quo juris studiosi, partibus suis funguntur, in his fere causis constat, in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis. Aderant etiam Principibus, & Imperatoribus hujusmodi Jureconsulti in cognitionibus & aliis negotiis obeundis. Plinius lib. IV. epist. Interfui Principis optimi cognitioni in consilium assumtus. Idem lib. VI. ad Cornelianum. Evocatus in consilium a Cæsare nostro ad Centumcellas, hoc nomine maximam cepi voluntatem;quid enim jucundius, quam Principis justitiam, gravitatem, comitatem in secessu quoque, ubi maxime recluduntur, inspicere? Fuerunt variæ cognitiones, &c. Dein: Tum ex consilii sententia jussit denuntiare hæredibus omnibus, aut agerent, aut singuli approbarent causas non agendi, alioqui se vel de calumnia pronuntiaturum. Adrianus quidem Imperator, ut refert Spartian. in consilio habuit non amicos suos, aut comites solum, sed Jureconsultos, & præcipue Julium Celsum, & Salvium Julianum, Neratium Priscum, aliosque, quos tamen omnis Senatus probasset. Dion Cassius etiam auctor est, interdum Coss. asedisse, quoties hi judicarent, quod etiam antea facere non sunt dedignati Tiberius, & Claudius, ut testis est Sueton. Tiberius, inquit, Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium, assidebatque juxtim, vel ex adverso in parte primori. De Claudio autem: cognitionibus Magistratuum, ut unus e consiliariis, frequenter interfuit. Antonius Pius Jurisperitis usus est Salvio Valente, Volusio Metiano, Ulpio Marcello, & Jaboleno, auctor Capitolinus. Scævola vero Marco Philosopho in consilio adfuit, & sanciendis legibus.Herodianus statim in initio libri sexti de Alexandro Imperatore loquens: Sedecim, inquit, ordinis Senatorii viros ætatis gravitate, vitæque sanctimonia præcellentes adsessores principis, & consiliarios delegerunt, nihilque aut dicebatur, aut agebatur, nisi illorum accedente suffragio. Is quidem in initio sui principatus Papinianum præfecit Præfectum Prætorio, cujus munus erat libellos agere in aula Principis, ut patet ex l. XII. de distra. pign. Rescriptum est, inquit Tryphonius, ab Imperatore libellos agente Papiniano. Hi autem a consiliis Alexandri enumerantur a Lampridio, Fabius Sabinus Sabini insignis viri filius, Cato temporis sui, Domitius Ulpian. Jul. Paulus juris peritissimi, Pomponius legum peritissimus, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venulejus, Triphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus. Hi omnes juris professores discipuli fuere splendidissimi Papiniani & Alexandri Im-

Degustandæ non ingurgitandæ philosophiæ.

Adrianus.

Tiberius Claudius

Antonius.

Alexandro.

A peratoris familiares, & socii. Dein subjungit idem auctor: His tot atque aliis talibus viris, quid mali potuit cogitari, vel fieri, cum ad bonum consentirent? Si quidem, ut idem paulo ante refert ex Mario Maximo, melior & prope tutior est Respubl. in qua Princeps malus est, ea, in qua sunt amici Principis mali, quia unus malus potest a plurimis bonis corrigi, multi autem mali non possunt ab uno, quamvis bono, ulla ratione superari. Idem Lampridius: Negotia & causas prius a scriniorum principibus & doctissimis jurisperitis, & sibi

B fidelibus, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari & ad se referri præcepit: neque ullam constitutionem sacravit, sine viginti jurisperitis, & doctissimis, ac sapientibus viris, iis denique disertissimis non minus quinquaginta, ut non minus in consilio essent sententiæ, quam S. Cons. conficerent, & id quidem ita, ut iretur per sententias singulorum, ac scriberetur, quid quisque dixisset; dato tamen spatio ad disquirendum, cogitandumque, priusquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur

C de rebus ingentibus. Denique hic Ulpian. tutor, adsessor, & magister scriniorum fuit, cujus consiliis instructus, & adjutus Alexander, maximus Imperator evasit. Adsessoribus idem Alexander salaria instituit, quamvis sæpe dicebat, eos promovendos esse, qui per se Remp. gerere possent: quod etiam Plato requirere videtur dialog. II. de legibus, congruit quod ait Justin. noster novel. LXXXII. Quomodo, inquit, non maximam ea res Reip. labem inferat, si disceptandarum litium potestatem non his tradamus, qui per se sciunt, quid facto opus sit, sed

D sinamus ipsos alios quærere, a quibus liceat perdiscere, quæ in judicando eos proloqui oporteat. Sunt tamen Magistratibus interdum & sæpe publicis occupationibus impeditis necessarii hujusmodi subadjuvæ consiliarii, & adsessores: Nam etsi ipsi Magistratus per se sapiant, tamen confirmantur eorum consilia, quando sentiunt prudentibus, fideliterque suadentibus idem videri. Huc spectat illud Sapientiæ: nequaquam innitendum esse prudentiæ propriæ: Nullus enim est tam sapiens, qui non decipiatur, tam oculatus, qui non halluci-

E netur, plus autem vident oculi, quam oculus. Hinc puto prudenter a Majoribus nostris constitutum, ut in judiciis nostris consilium prudentum & peritorum adhibeamus:nam quorsum hæ formulæ pene solemnes, quæ in sententiis apponi solent? *Eu sur tout conseil & advis. avec meure deliberation de conseil,* & similes: sic enim interpretatur Accurs. hæc verba, deliberatione habita, in l. II. C. de sent. ex pericul. recit. quas formulas successisse puto in locum hujus, *de Consilii sententia*, quæ pas-

F sim apud auctores reperitur obvia, quam exprimebant antiqui D. S. C. licet multi in significatione & explicatione ultimæ literæ impegerint, propter affinitatem vocum Consulis & Consilii, interpretantes *de sententia Consulis*. Quando autem toties hoc capite Jurisconsultorum, Adsessorum, & Consiliariorum, qui in consilio a Magistratibus adhibebantur, facta est mentio, interea dum hi missi in consilium (nam eo usque progressi videmur, si quæ a Socero de al-

Salaria adsessorum instituta.

Magistratibus adsessores necessarii

Consilium prudentum.

De Consilii sententia.

de altercatione, probationibus, & elevandis, sublevandisque testimoniis in genere dicta sunt huc applicentur) cum Judicibus de summa litis deliberant, occasionem nacti arbitramur quædam de optimo genere consultorum dicere. Quatuor itaque genera ponemus, quæ refert elegantissime Joan. Bodinus advocatus in præfatione Methodi historiæ; unum in scholis eorum, qui perpetua disputatione, legum memoriam comprehensam habent, sed sine usu, & exercitatione forensi nudis hypothesibus & universalibus præceptis se potius fatigantes quam exercentes. Hi autem cum ex angulis secretisque librorum in medium jam hominum & forum, velut hi, qui ex tenebris in lucem, prodeunt, in sole caligant. Nam hoc verissime Afranius poeta, ut refert Gellius, de gignenda, comparandaque sapientia opinatus, quod eam filiam esse usus & memoriæ dixit; eo namque argumento demonstrat, qui sapiens esse rerum humanarum velit, non libris solis, neque disciplinis, sed oportere eum versari quoque, exercerique in rebus cominus noscendis periclitandisque, ea omnia acta, & eventa firmiter meminisse, & proinde sapere ex his, quæ pericula ipsa rerum docuerunt, non quæ libri tantum, aut magistri per quasdam inanitates verborum, & imaginum tanquam in mimo, aut insomnio delectaverint. Quibus convenit quod Demades Orator Reipub. gerendæ scientiam non in scholis, & otio, sed in clarissima populi luce didicisse se gloriabatur. Atque ut qui seipsos in palæstra solum exercuerunt, nullas tamen acies viderunt, nullos militiæ labores tulerunt, viso hoste attoniti stant, nec ejus aspectum ferre possunt; sic qui sine Forensi disciplina, juris scientiam adeptos se arbitrantur, proposita non otiosa quæstione, sed ex usu rerum natarum, tanquam in salebra hærent & titubant, denique dum se extricare nequeunt, quasi non liqueat, ampliant; sic usu venisse idem Bodinus refert (parcendum est manibus) ei qui in scholis Biturigum tanta cum gloria florebat, id est, strabo inter luscos, cum in forum venisset, de levissima quæstione consultus obmutuit, non sine acerba Riandi reprehensione. Stat itaque sententia cujusdam, quod leges in scholis devorantur, & deglutiuntur, in curiis & palatiis ruminantur, ac digeruntur. Alterum genus est eorum, qui diutino rerum forensium usu, paucis quibusdam præceptis, judicandi, & consulendi peritiam sibi compararunt. Sed nec hi album feriunt; nam cum, teste Galeno, judicandi instrumenta data sint ad cognitionem actionum vitæ, experientia, & ratio, quæ quidem utraque ex æquo quibusdam confecerunt ad artem, quibusdam vero alterum altero amplius, & tamen ad perfectionem alterum altero opus habet. Atque idem alibi ait: qualem facultatem ad ambulandum utrumque crus exhibet, talem in artibus habet ratio, & experientia; claudicat itaque qui in uno deficit, & altero tantum nititur. Plus tamen (si separes) ut ait Fabius, usus sine doctrina, quam citra usum doctrina valet. Quod idem comprobat Aristoteles lib. 1. metaph. dum dicit, expertos rem magis attingere, efficacioresque esse, quam eos, qui rationem artis sine experientia habent. Tum vero dignum operæpretium (ut idem Fabius) quum inter se congruunt præcepta, & experientia. Unde tertium genus oritur, duobus præcedentibus veluti felici quodam conubio junctis, cum alter usum, alter præcepta conferat: ex quo genere in causis disceptandis ac judicandis fructum percipimus uberem. Ultimum genus est omnium longe præstantissimum, sive in rebus judicandis, sive administranda Republica, eorum, quibus cum theoria & praxi Jurisprudentiæ præclararum & cognatarum philosophiæ artium accessio facta est, qui circulum scientiarum omnino absolverunt: atque ut popularis quidam meus, sed nimis humiliter pro subjecto, dicere solet, cum alii panem & obsonium habeant, hi salem & condimentum addunt, quo fit lautissimum ferculum, alioquin insipidum; ad quæ genera visus est Cicero respexisse in oratione, quam habuit pro Archia poeta statim in principio, dum ait: Si quid in me ingenii, Judices, quod sentio, quam sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum, aut si hujusmodi ratio aliqua ab optimarum artium studiis, & disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse. Hujus generis fuit is, qui, cum jus esse artem boni & æqui definit, non veretur subjungere, cujus quis nos merito Sacerdotes appellet: justitiam namque colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, illicitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu pœnarum, verum præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram, ni fallor, philosophiam non simulatam affectantes, quod vere asserere potuisset, si gentilitatis superstitione remota, Christianæ fidei sacris, & præceptis initiatus, & imbutus fuisset. Hujus generis fuere citra controversiam, & alii Jureconsulti majorum gentium, quos supra nominavimus, qui in amplissimo foro Romanæ politiæ, id est, urbis, & orbis theatro versabantur, unde tanquam e specula eminus, cominus actus humanos, & res mundanas intueri poterant, & de his periculum facere, quod ex usu foret; qui denique instructi & exculti variarum artium disciplinis ad clavum Reip. tractandum non illotis, quod ajunt, manibus accedebant, si quidem rempublicam norant, quod est Senatorium, quodque latissime patet, ut ait Cic. III. de legibus, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos socios resp. habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, fœdere, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla Majorum. Quod testantur illorum responsa omnis generis doctrinæ referta, ex quibus tanquam ex quodam promptuario abunde depromi possunt, quæ ad rem œconomicam, forensem & politicam pertinent, quæ etiam illustrata & veluti sale condita sunt sententiis & auctoritatibus philosophorum, medicorum, oratorum, poetarum. Nam Solonem, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Chrysippum, Hippocratem, Homerum, Demosthenem, Ciceronem, & alios principes viros fere nominant.

Consultorum IV. genera. Primum genus. *Secundum genus.* *Tertium genus.* *Quartum genus.* *Jureconsultorum nostrorum laus.* *Responsa prudentium omnis generis disciplinarum thesaurus.*

Ulpian. De usu vero, ut de eodem Ulpiano solum quid dicam, quem omnium fere vernarum, externarum, peregrinarum atque etiam exoticarum rerum usu, & cognitione callentissimum fuisse, vel ex eo conjicere est, quod in l. IX. de tri. vin. & oleo legat. infinita fere genera vini extranei enumerat, omnium vestium, & ornamentorum virilium, & muliebrium, internorum, & externorum species recenset in l. XXIII. & XXV. de aur. & argent. legat. L. autem XIX. XXVII. omnes auri, & argenti facti, & infecti species refert. Instrumentorum etiam urbanorum, & rusticorum in l. XII. de inst. & instit. legat. l. XVIII. locati. Esculentorum vero, & poculentorum, id est, totius rei penuariæ, tanquam Apitius, l. III. de pœnu. legat. adeo exacte omnia, ut putet quis mercaturam, agriculturam, artesque mœchanicas, vestiariam, fabrilem, culinariam exercuisse. Alios prudens & sciens obmitto. *Jureconsulti viri boni.* Quin etiam viros bonos, integros, & cordatos fuisse, neque Principibus palpum obtrusisse, vel ex Lampridii suffragio superius allato probari potest, qui etiam testatur in vita Heliogabali, Ulpianum ab eodem Heliogabalo remotum ut virum bonum. *Papiniani mors.* Papiniani vero mors ejus innocentiam & integritatem manifestam facit, quem, ut Spartian. auctor est, Antoninus Caracallus occidere jussit, quod nollet parricidium commissum ab eodem Caracallo in Senatu diluere. Si quidem, ut ille dicebat, id non tam facile excusaretur, quam committeretur, vel ut alii dicunt, quod invehere noluerit in occisum Caracalli fratrem, quum aliud parricidium putaret accusare innocentem occisum. Non est autem, quod quis objiciat eorum responsa tanquam impia contra Christianos. Nam, ut Marcellus ait, meretricem turpiter facere, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipere, cum sit meretrix. Ita accusari possunt, quia ethnici & gentiles, sic excusari, quod tales taliter contra Christianos animati fuerint. Nos tamen merito hoc unum in iis requirimus: nam præter *Philosophia Christiana.* Christianam philosophiam omnis alia fucus est. Nec ulla justitia est, quæ fundamento, qui est Christus, non innititur. Hæc habuimus de optimo genere consiliariorum dicere, quibus commissionem ædificii utcunque obstruximus: tria quæ sequuntur capita Soceri sunt, dein usque ad finem alia prosequimur prætermissa. Commissiones meras nos componere, & arenam esse sine calce dicet aliquis. Sed quid? idem objectum est Senecæ a Caligula, nos tamen tanti facere non decrevimus livorem, ut nobis sine uncto cœnandum, ut quidam ait, propterea putemus.

A

ARGUMENTUM

CAP. VII.

De Citatione, Sortitione, Rejectione, Subsortitione, & numero Judicum, qui, & quando jurati aut injurati sederent.

RUrsus ingrediamur publicorum viam, ut tandem ad destinatum finem, ubi sententiis res controversæ definiuntur, perferamur. B Ubi ergo erat judicium aliquod publicum disceptandum, diesque summa Reis dicta, Prætor ita sese componebat ad illius exercitationem, ut quia notio publicorum tota Populi esset, & non sua, Judices, quibus judicandi munus delegasse Populum supra narravimus, rem expediturus advocabat, nominatim unoquoque citato; *Citatio Judicum a Prætore.* verum ex ea tantum decuria, cujus per orbem circumactæ vices cognoscendi redierant, ex Divi Augusti præscripto, ne jam defuncti munere rursus onerarentur periculo sortitionum, & ut C suspicione studii propensioris in alteram partem liberarentur judicaturi, quos circulus ille decuriarum, non ambitus Reorum fortuitos offerebat. *Sortitio Judicum* Sed ut ex iis Decuriatis certus & necessarius efficeretur, id sortibus expediebatur in hunc modum. Citatorum nomina tabellis descripta in urnam conjiciebantur, agitata urna, tabellisque turbatis sorte trahebantur tot, quot necessarii Quæsitori videbantur. Quorum nomina sorte exiverant, causam cogituri confidebant. Sed licebat Accusatori, & D Reo rejicere quot vellent ex iis, ut suspectos, & quos libidinose pronuntiaturos timebant. *Rejectio Judicum, Sortium usus antiquissimus.* Sortium usus apud Veteres frequentissimus, & tempore belli Trajani cognitus & usitatus. Achilles enim & Hector monomachiam pugnaturi apud Homerum lib. III. Iliados in galeam sortem mittunt, uter priorem ictum infligat. Fuit & vetus magnaque religio sortium Prænestinarum, *Prænestinæ sortes, Sortes adhibitæ in decernendis Provinciis.* ut etiam inter mantices genera locum haberent, testis Cicero in Dialogo de Divinatione, & Suetonius in Tiberio. Sortes usurpatæ in Provinciis decernendis, Quæ E storibus adjungendis, unde sortium religionis mentio creberrima passim, & maxime in Verrinis. Cicero ad Q. Fratrem Asiæ Proconsulem: Quæstorem habes non tuo judicio delectum, sed eum quem sors dedit. *In legendis Vestalibus.* In legendis Vestalibus. Tranquillus in Octavio: Sacerdotum & numerum, & dignitatem, sed & commoda auxit, præcipue Vestalium, cumque in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentque multi ne filias in sortem darent, abjuravit, si cujusquam neptium suarum competeret ætas, oblaturum se fuisse eam. F In dubiis juris articulis, & nimium rigidis, *In dubiis juris articulis.* ut difficile sit flectere in hanc vel illam partem, sortes recipiuntur, ut in optione Legatorum: neque quondam Apostoli rem omnino contemserunt; nam cum penderent dubii, utrum ex duobus in locum Proditoris Judæ substituerent, placuit ut sortibus committeretur, alioqui plurimum serium negotium. Et sacerdotium sorte datum IV. Actione in Verrem his verbis:

Jubet ille sibi legem legi; recitatur, in qua scriptum erat, ut quot essent renuntiati, tot in hydriam sortes conjicerentur, cujus nomen exisset, is ut haberet sacerdotium. Ubi sortes pro tabellis, quæ sorte educebantur: nam in negotio divinatorio aliud sunt sortes sculptæ in robore literarum priscarum notis. Tranquillus in Tiberio, & Cic. II. de Divinatione. Plautus in Casina:

Sortes pro Tabellis.

—— Adsunt, quæ imperasti, omnia.
Uxor, sortes, situla, atque egomet.

Paulo post:

—— Num ista aut populna sors, aut abjegna'st tua?
CLE. *Quid tu id curas?*
CHAL. *Quia enim metuo, ne in aqua summa natet.*

Porro quod est apud Asconium, pilis inscribi Judicum nomina, corruptum est pro tabellis, aut libellis; alterum etenim reponendum est, malim autem reponi libellis propter Ciceronis locum in II. Verrina. Præclare res se habebat, libelli nominum vestrorum, consiliique hujus in manibus erant omnium, nulla nota, nullus color, nullæ sordes videbantur his sententiis allini posse. Urnam sortium in loco proxime citato Tullius retento Græco, quia de [1] Siculis mentio est, qui Græce loquebantur, hydriam vocavit. Primo de natura Deorum, & I. Rhetoric. ad Herennium situlam & sitellam, in Divinatione cistam vocat. De forma nihil mihi constat, & fortasse bene fuerit inquirere. Videtur forma fuisse [2] turriculæ, quæ pyrgos dicitur, in qua agitati taxilli subducto fundo in alveum lusorium decidebant, ne quid doli committeretur a Veteratoribus, si manu jacerentur, sed omnino alea aleam suam haberet. Ejus meminit Martialis in Apophoretis. Ita & hic, ut sortitio juste succederet, verisimile est cautelam adhibitam. Hoc cum semel & primum fieret, sortitio, vel sortitus vocabatur, unde apud Tullium ad Pontifices pro domo sua: Quid? Si etiam pluribus de rebus uno sortitu retulisti? Qui locus difficilis est, tamen nos uno sortitu, id est, semel interpretamur: nam de uno legis capite una rogatio ferenda erat, per leges Liciniam, Didiam, & Cæciliam. Vocabantur autem Judices, eductis ex urna tabellis; ad quem morem videtur allusisse Seneca in Hercule furente;

Asconii locus corruptus.
Urna.
Situla. Sitella. Cista.
Pyrgus.
Sortitus.
Ciceronis locus.

Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem,
Recipit populos urna citatos.

Et Statius in Sylvis:

—— Ibimus omnes,
Ibimus, immensis urnam quatit Æacus umbris.

Una rogatio sortitu unico absolvebatur, cum Populares & Tribunitiæ leges sortibus, id est, suffragiis in urnam conjectis, & forte eductis ferrentur. Cic. I. de natura Deorum, de lege Agraria, & auctor ad He-

Rogatio unico sortitu absolvebatur.

A renium I. & nos alias fusius enarrabimus. Neque licebat per easdem leges de rebus conjunctis, & pluribus articulis referre, ne Populus uno suffragio, & sortitu id, quod nollet, acciperet, aut id, quod vellet, repudiaret. Sorte ergo educebantur ex urna tot tabellæ, quot requirebantur ad implendum numerum a Quæstore præscriptum. Qui ut plurimum ascendebat ad septuaginta & quinque. Cicero in Pisonem: An ego expectem, dum de te septuaginta & quinque tabellæ diribeantur? Quanquam in causa Milonis Domitium Prætorem septua- B ginta & uno contentum fuisse scribat Asconius. Ita liberum fuit quotum vellet numerum præstituere, aliaque multa contra morem novare, & recipere pro auctoritate meri sui imperii. Alium numerum solemnem fuisse in Centumviralibus ante [3] annotavimus. Peracta prima sortitione, Reis licebat quot & quos vellent rejicere, & totidem in eorum locum altera sortitione, quæ subsortitio vocabatur, substituebantur, & qui rejecti non erant Pædianus selectos vocat, quamvis meo judicio melius legeretur [4] delectos, quia delectio eodem C in loco opposita est rejectioni, ut adversi sint delecti & rejecti. Nam selectorum alia ratio est in re judiciaria, ut nos ex Plinio aliquando [5] declaravimus. Admonuit me, ut mendam observarem, & locum dispungerem, quod non semel in eodem scholio repetatur. Subsortitio in alio etiam negotio usurpabatur, ut in supplendis Censitorum Decuriis. Tranquillus in Dictatore: Ac ne qui novi cœtus recensionis causa quandoque moveri possent, instituit, quotannis in demortuorum locum ex his, qui recensiti non essent, subsortitio a Prætore D fieret. Et cum Romæ plures essent Prætores præter provinciales, judiciorum publicorum exercitationes inter se [6] sortiebantur. Cicero secunda Verrina: Ecce autem illis dieb. cum Prætores designati sortirentur, & M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis quæreret, & cætera. Nonnumquam rejiciendorum Judicum numerum dictabat Prætor, ut in causa Milonis per legem a Domitio judicii illius gratia datam, quini tantum ex singulis ordinibus ab utraque parte rejici poterant. Quod si E ita est, cum essent tres Judicantium ordines, Senatorum, Equitum, & Tribunorum ex lege Aurelia, quam aliquot ante annis Aurelius Cotta Prætor tulerat, Ædile Marco Cicerone, & Cajum Verrem Repetundarum accusante, & in eo fuerint Tribuni usque ad Dictaturam Julii Cæsaris, si quini ex singulis ordinibus rejiciebantur, necesse est ab Accusatore quindecim, & a Reo totidem rejectos. Si ergo auferantur de septuaginta & uno triginta, reliqui erant quadraginta unus. Quare Asconii codex iterum corruptus est, ubi legitur quin- F quaginta & unus, pro quadraginta & uno, nisi Ærarios Tribunos ad Equites vel Senatores retruserit. Sed quod etiam animadvertendum, ut multa alia quæ rara fuerunt, in Miloniana causa non sunt tot substituti, quot rejecti sunt, cum subsortitio parem rejectis numerum substituere deberet. Celebratis ita sortitione & subsortitione, Judices in leges [7] jurabant omnes, ut obstricti sacramenti religione judicarent.

Tabellarum numerus.
Subsortitio. Asconii locus restitutus. Delecti.
Rejiciendorum numerus a Prætore dictus.
Asconii codex emendatus.
Judices in ll. jurabant.

Cum jurassent, nomina eorum in libellis & arca reponebantur, ne pro delectis Judicibus, ut fit in multitudine, aliqui suppositi, corruptique judicarent, testis Asconius. Hinc est, quod apud Ciceronem toties religionis admonentur Judices. Prætor autem solus non jurabat. Tullius II. Verrina de Q. Metello: Quem ego hominem, si ejus fidei diffisus essem, Judicem non retinuissem; nunc tamen eo animo sum, ut eo Judice, quam Prætore hanc rem transigi malim, & jurato suam, quam injurato aliorum tabellas committere. Annotant & quidam apud Asconium in Divinationem, quod in his controversiarum generibus, quæ Divinationes vocantur, Judices injurati sedeant. Veteris forma Jurisjurandi non extat, quod sciam: Verisimile est, Prætorem conceptis verbis præivisse, ut quondam Imperatores militibus, ut Pub. Cornelius Scipio suum magnificum jusjurandum ad patriæ salutem conservandam his verbis nuncupavit. Ex mei animi sententia juro, ut ego Rempub. non deseram, neque alium civem deserere patiar, si sciens fallo, tum me Jupiter Opt. Max. domum, familiam, remque meam pessimo leto afficiat. In hæc verba, L. Cecili, jures expostulo, cæterique qui adestis. Qui non juraverit, hunc in se gladium strictum esse sciat. Hæc apud Livium lib. XXII. Unde constat quid sit in verba jurare alicujus, id est, in formulam ab alio præscriptam, nuncupatamq; cujus multa sunt exempla apud Plinium Nepotem li. X. Epist. ad Trajanum. Justinianus Imperator dictavit nobis in Novella de Judicibus formam juramenti præstandi a Judicibus, & Theodosius Imperator præivit voce Præsidibus & Rectoribus Provinciarum juraturis. l. ult. C. ad l. Juliam Repetundarum.

Injurati Judices in Divinationibus.

Scipionis Jusjurandum.

COROLLARIUM AD CAP. VII.

Siculorum sermo.

1 De Siculis qui Græce loquebantur) *Hoc sermone usam olim Siciliam, qui neque Latinus esset, neque omnino Græcus, intelligi potest ex Plautinissimis verbis in Menæchmis:*

Atque adeo hoc argumentum Grecissat tamen.
Non Atticissat, verum Sicilicissitat.

Quod & annotat Antonius Muretus variarum lectionum l. 3. c. 13.

Turricula.

2 Forma fuisse turriculæ) *De turricula meminit sic Martialis in Apophoreto:*

Quærit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Sunt qui putent turriculam a fritillo nihil differre. Intus autem habebat pyrgum gradatim excavatum & exsculptum, ut agitati, concussique tali in sinuum supercilia offendentes incertius caderent, & confusi essent, unde Horatius in sermonibus mittere in pyrgum talos, cujus etiam meminit Ausonius. Triplex autem est sors, divisoria, consultoria, & divinatoria, de quibus abunde tractant Theologi scholastici, Carol. Molinæus I. parte Consuet. Paris. Andreas Tiraquel. de jure Primogeniorum quæst. 17. & I. opinione. De sortibus & sortilegii forma, quam adhibent Veneti in ferendis suffragiis, & creatione, & electione suorum Magistratuum, eleganter scribit Gaspar Contarenus quinque libris, quos de Magistratibus & Repub. Venet. edidit.

Pyrgus.

Sors Triplex.

Veneti.

3 Numerum solemnem in Centumviralibus) *Ex Plinio supra annotatum est centum & octoginta viros quatuor consiliis fuisse conscriptos, cum antea quinque tantum supra centum essent, terni ex singulis Tribubus.*

Centumviri.

4 Melius legeretur delectos) *Fuere etiam editicii Judices, quos Accusator ex omni Populo promiscue sumsit, atque edidit sine sortitione, neque ex Judicum decuriis: hos selectis sive delectis opponere videtur Cicero, in Oratione pro Plancio & Murena. De quibus plura Carolus Sigonius l. 2. c. 18. in fin. de Jure Civium Rom.*

Editicii.

Selecti.

5 Aliquando declaravimus) *Vide c. 9. l. 3.*

6 Inter se sortiebantur) *Prætor autem Urbanus non sortiebatur, cum is de nullo crimine judicaret, nec Quæsitor esset, sed tantum in privatis occupabatur, cum autem in judicium de sicariis ita multi vocarentur, ut non sufficeret, duo Prætores ad exercitationem illius constituebantur, ut ex orat. pro Cluen. patet: Populus vero de incestu, & perduellione fere quæsivit, ut idem docet Cicero.*

Jusjurandum Judicum.

Constitutiones regiæ.

7 Judices in ll. jurabant) *Ad hoc facit l. rem non novam. C. de judic. statim in princ. Vide Jacob. Revard. c. 8. l. 5. Variorum. Atque etiam nunc Judices in Principum placita jurare tenentur ex novissimis constitutionibus nuperrime editis super Justitia criminali, idque præscripta formula.*

ARGUMENTUM
CAP. VIII.

De variis modis ferendarum sententiarum, & suffragiorum a Judicibus, Populo, & Senatu.

ITa legitime delecti ad disquisitionem singulorum judiciorum, quæ lege publica continerentur, Judices (quoties enim sese nova quæstio offerebat, toties numerus, & delectus Cogniturorum ex decuriis sortibus committendus fuit) ad diem constitutum consessuri citabantur. Ita tamen ut in habendo sortibus delectu ratio 1 ætatis & annorum iniretur. Nam lege Pompeja non licuit Romæ cuiquam esse Magistratui, aut Judici, qui minor esset trigesimo, ut meminit ad Trajanum Plinius Nepos lib. X. Augustum tamen judicatum concessisse & Magistratuum munus majoribus viginti duobus, auctor est Tranquill. Verum causa perorata, quid de ea sentirent, non voce, palam singuli nuncupabant, sed tabellis in urnas conjectis, sine ullo periculo invidiæ declarabant. In Senatu non tabellis, sed viva voce, alias per discessionem 2 fiebat, unde ire in sententiam pedibus Livius l. VII. de Decio: Quibus hæc salutaria videntur, agitedum in dextram partem pedibus transite. Vopiscus in Aureliano ritus sententiæ dicendæ

Consessuri Judices citabantur.

Varii modi sententias declarandi.

A per manuum porrectionem in Senatu meminit: Deinde (ait) aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo consentientibus conditum est S. C. Ubi triplicis ritus eleganter meminit, sed manuum porrectio 3 rara apud Auctores. Itaque sententiam laturis

Ternæ tabellæ.

ternæ singulis dabantur tabellæ, una insignita impressione elementi A. quod symbolon erat absolutionis; altera duplicis elementi N. L. id est, non liquet, indicis ampliationis; tertia literæ C. id est, condemnationis, cujus loco Græci suum & infame Θ. 4 affigebant certissimum thanatȣ &

B mortis argumentum; quæ ita apud Auctores sunt frequentia & contestata, ut a locorum allegatione nil fidei aut lucis possit afferri. Tantum quod rarius est annotabo, apud Suetonium mentionem fieri duarum, absolutoriæ & condemnatoriæ, ampliatoriæ minime, sed cujusdam extraordinariæ. Ejus verba hæc sunt in Octavio: Et cum de testamento falso ageretur, omnesque signatores lege Cornelia tenerentur, non tantum duas tabellas, absolutoriam, & condemnatoriam simul cognoscentibus

C dedit, sed tertiam quoque, qua ignosceretur iis, quos fraude ad signandum, vel errore inductos constitisset. Quo in loco aliud est absolvere, aliud ignoscere: absolvuntur insontes, ignoscitur reis convictis & confessis. Ideoque absolutoriæ adjecta remissoria tabella, suppressa tamen est mentio ampliatoriæ. Ex eodem loco significatur, tabellas dari solitas ab eo, qui quæstioni præerat. Idem fecit Pompejus extra ordinem Consul in causa Milonis, qui ante judicium Judicibus tabellas dedit, auctor Asconius: cum tamen alias darentur post actiones ab utroque Oratore peroratas, pronuntiatoque illo mystico, *Dixi*, quod vice erat conclusionis & renuntiationis allegationum, cum jamjam mittendi essent in consilium Judices. Cicero pro Flacco: Cum tabella vobis dabitur, non de Flacco dabitur tantum, &c. Liberum erat Judicibus, quam vellent ex illis tribus, in urnam conjicere sine ullo invidiæ metu: erat enim ita occultum suffragium, ut nesciretur favissetne, an nocuisset Reo, ita tutum, ut abesset suspicio ambitus, aut corruptelæ. Cicero pro Rabirio Posthumo: Tabella est, quæ dat potestatem, occultat libidinem, cujus conscientia nihil est, quod quisquam timeat, si non pertimescat suam. Sed nonnunquam dolus adhibebatur, ut sciri posset, a quibus damnatus, absolutusve Reus esset: nam sequestres appositi corrumpendis Judicibus discoloribus ceris insignitas tabellas dabant, ex quibus cognoscebant, a quoque conjectam tabellam: quod fecit Hortensius in causa Verris repetundarum Rei, testis Asconius in divinationem. Erant enim tabellæ illæ ceratæ, sicuti planissime constat ex eadem divinatione, & actione IV. ubi sic Cicero; Huic judicialis tabula committetur, quam iste non modo cera, verum etiam sanguine, si liceat, notabit? Porro quot erant decuriæ in numeris judicantium, tot tabellarum genera, adeo, ut cum extraherentur, facile cognosceretur quæ decuria gravius Reum oppressisset, aut quæ tabellis salutaribus sublevasset.

Tabellæ remissoriæ.

A quibus tabellæ dabantur

Occultum suffragium.

Dolus adhibitus in cognoscendis tabellis.

Tabellæ ceratæ.

Variæ Tabellæ.

Asconius in orationem Tullianam pro Marco Scauro: Sententias tulerant Senatores duo & viginti, Equites tres & viginti, Tribuni Ærarii vigintiquinque. Ex quibus damnaverunt Senatores quatuor, Equites duo, Tribuni duo. Fuerunt ergo in ea causa tantum septuaginta tabellæ Judicum, ut satis apparet, non ratum statumque Judicantium numerum, sed tantum, quantus præscriberetur libidine Quæstoris. Ubi ergo Oratores peregissent, Prætor palam pronunciabat, *Dixerunt*, ut Judices in consilium mitterentur, id est, sese accingerent ad mittendam in urnam aliquam ex suis tabellam: nam mittere in consilium perinde est, ac calculum permittere, ac porrigere. Sed calculus magis Græcorum est, qualis usurpabatur Athenis in Ostracismis illis iniquissimis, quibus cives meritissimos, etiam ad decennium, ablegabant, pro summis beneficiis in patriam exilium reponentes: de quo est mentio in Politicis, Aristotelicis, Plutarcho in Alcibiade Aristide, Nicia, aliis Græcorum historiis. Unde Ovidius XV. Metamorph.

Dixerunt

Mittere in consilium.

Calculus.

Ostracismus.

Mos erat antiquis niveis atrisque lapillis,
His damnare Reos, illis absolvere culpa.
Tunc quoque sic lata est sententia tristis: & omnis
Calculus immitem dimittitur ater in urnam.
Quæ simul effudit numerandos versa lapillos,
Omnibus e nigro color est mutatus in album.

D Unde etiam usurpatur calculus pro sententia in l. rem non novam. de judic. & l. actor. C. de appel. Cæterum quoniam Populus, cum cognosceret, consultus a Magistratibus in publicis quæstionibus, vel sanciendis, jubendisque legibus, suffragia tabellis aliquando reddidit, fusius historiam enarremus. Illudque primum ponatur, Populum alias judicia publica omnia disceptasse, demum Judicum decuriis id negotii mandasse, nisi cum ad eundem pro-

E vocaretur legibus Valeriis. Is ergo cum sive ad Magistratus creandos, sive ad Reos judicandos, sive ad leges ferendas in comitium, vel campum advocaretur, sæpius tabellis suffragia mandavit, infixis in tabella punctis, ut tot tabellæ, quot Canditati, aut in quæstionibus quot sententiæ genera, absolutionis & condemnationis scilicet. Asconius pro M. Scauro ad Populum repetundarum delato: Absolutus est Scaurus quidem, sed ita ut a tribus Tribubus damnaretur, a triginta duabus ab-

F solveretur, & in eis pauca puncta inter damnationem & absolutionem interessent. Quo in loco male in eo exemplari, quod nactus sum, legitur triginta septem. Quis enim nescit triginta quinque Tribus fuisse? & illud Horatii:

Populus judicia publica disceptavit.

Populi suffragia

M. Scauri judicium.

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Numerus enim major punctoriam victo-

Punctoria victoria. riam asserebat in ambitu Candidatorum. Ferebantur autem suffragia (quorum Palamedes auctor perhibetur) in campo Martio, ponte tabulato extructo, in quem *Palamedes.* ascendebant singulæ per vicem Tribus, aut Centuriæ, datisque suffragiis in aliam campi partem transibant, qui locus mons citatorum vocabatur. Tranq. in Julio: Con- *Mons citatorum.* spiratum est in eum a sexaginta amplius, C. Cassio, Marcoque & Decio Bruto principibus conjurationis, qui primum cunctati, utrumne illum in campo, Tribus per Comitia vocantem ad suffragia, partibus divisis e ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent, &c. Hinc & parœmia *Proverbium.* 6. *sexagenarios de ponte dejicere*. Porro referatne suffragia voce nuncupari, aut tabella occultari, disputat plurimis, iisque elegantissimis Tull. l. III. de legibus, quia res fuit olim seditionibus Popularibus jactata, vexataque: Sunt (inquit Cicero) quatuor leges tabellariæ, quarum prima de Magistratibus mandandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto & sordido. Sequuta biennio post Cassia est de Populi judicio: ea a nobili homine lata, L. Cassio, sed (pace familiæ dixerim) dissidente a bonis, atque omnes rumusculos populari ratione aucupante. Carbonis est tertia, de jubendis legibus, ac vetandis, seditiosi atque improbi civis, cui ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit afferre. Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque judicio Cælius tabellam, doluitque quoad vixit, sed ut opprimeret Cælius Populum, nocuit & Reipublicæ. Hæc ille, & alia in idem argumentum contra tabellas ratiocinatur. Præstetne electionem fieri sorte, an suffragiis, disputatur pluribus altercationibus inter M. Eprium, & Helvidium Priscum apud Cor. Tacit. l. XX. Ordo autem Comitiorum peti potest ex Ausonio, ubi gratias agit Gratiano pro Consulatu. Cum clarissimo collega meo honore conjunctus, nuncupatione prælatus Consul ego, Imperator Auguste, munere tuo non passus septa, neque campum, non suffragia, non puncta, non loculos, qui non prensaveram manus, nec cum salutantium confusus occursu, aut sua amicis nomina non reddiderim, aut aliena imposuerim, qui Tribus non circumivi, centurias non adulavi, vocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum distributore nihil pepigi. Romanus populus, Martius campus, & Equester ordo, Rostra, Ovilia, Senatus, Curia, unus mihi Gratianus. Ibidem: Te Consulem designavi, & declaravi, & priorem nuncupavi. Quis hæc verba te docuit? Ego tam propria, & tam Latina nescivi, designavi, declaravi, & nuncupavi, non fit hoc temere, habet moras suas dispertitis gradibus tam matura cunctatio. Paulo ante dixerat de iisdem verbis Gratiani: Cujus orationis ordo lucidior? quæ doctrina tam diligens propriis Comitiorum verbis loqui, vocabulis moris antiqui nomina peregrina miscere? Ubi significatur linguæ Latinæ lapsus tempore suo. Tabellariam rem nunquam probavit Alcibiades, qui ne matri quidem permissurus erat calculos,

Utrum præstet suffragia voce an tabellis fieri. *Tabellariæ ll.* *Comitiorum ordo.* *Alcibiades.*

A ne illa errore etiam nigrum pro albo jaceret in urnam. Sed & in Senatu aliquando tabellis proditæ sententiæ tanquam in comitiis & campo, cum tamen, ex more voce palam nuncupare debeant. Plinius Nepos libro tertio ad Mesium Maximum: Meministine te sæpe legisse, quantas contentiones excitarit lex tabellaria, quantumque ipsi laboris, vel gloriæ, vel reprehensionis attulerit? At nunc in Senatu sine ulla dissensione hoc quidem, ut optimum, placuit. Omnes comitiorum die tabulas postularunt. Excesseramus sane manifestis illis apertisque suffragiis licentiam concionum. Alias tamen ut plurimum per di-B scessionem 6 Senatusconsulta expediebantur: dicebant enim primum sententiam primarii Senatores & civitatis Principes, deinde reliqui Pedarii in sellas concedebant eorum, quorum sententiam probabant. Plinius de causa Marii Prisci, in qua duo dixerant sententiam: Erant (inquit) in utraque sententia multi, fortasse etiam plures in hac vel solutiore, vel molliore: nam quidam ex illis quoque, qui Cornuto videbantur assensi, hunc, qui post censuerat, sequebantur. Sed cum fie-C ret discessio, qui fellis Consulum affuerant, in Cornuti sententiam ire cœperunt, tum illi, qui se Collegæ annumerari patiebantur, in diversum transierunt, Collega cum paucis relictus, Multum postea de impulsoribus suis, præcipue Regulo, questus est, qui se in sententia, quam ipse dictaverat, deseruerat. Hactenus Plinius. Possent & multa ex Gellio de Pedariis Senatoribus adferri, sed nos tritos locos non consectamur, rarorum amantiores, & ut claudam rationem istam tabellariam, si tabellis quid sentirent de causa, D quæ vertebatur, exprimendum erat, & literarum brevissimis notulis declarandum, quis non videt rigidam plane & absolutam fuisse sententiam quæ ferebatur, neque in ea locum aliquem fuisse æquitati, quæ ex circumstantiis negotii aliud in alio statuit? Nam cum notam & indicem condemnationis miserant, quid aliud statuebant, quam ordinariæ pœnæ subjiciebant? ut Papinianus 8 dicebat, facti quæstionem in arbitrio Judicantis, pœnæ vero persequutionem non ejus voluntati mandari, sed legis auctoritati reservari. Itaque qui gravius E commiserant in legem, non acrius puniebantur, quam qui levius, si uterque damnabatur, tanquam Athenis in Areopago judicaretur, ut apparere omnibus possit, non omnino tutam, aut cum æquitatis rationibus conjunctam rem tabellariam, quæ condemnatis temere eandem pœnam sine delectu commissorum irrogabat, quasi ex Stoicorum paradoxo omnia peccata sint æqualia, aut Areopagitarum exemplo, quid factum sit tantum cognoscendum, neque F peristasium ulla habenda ratio, ad quas tamen velut norma Lesbia sese solet epiicia tota comparare: Alio tamen nomine tuta erat hæc tabellaria ratio ferendæ sententiæ, quod tantum libertatis erat in infimo, quantum in supremo, neque in sententiam doctioris pudor imperitiores descendere cogebat, sed inscius quisque, quid alius censuisset, quid sibi videretur per tabellam declarabat.

Tabella in Senatu. *Senatusconsulta per discessionem expediebantur.* *Pedarii Senatores.* *Contra tabellariam rationem.* *Areopagus.* *Regula Lesbia. Epiicia.*

COROLLARIUM.

Plinius illustratus.

1 Ratio ætatis & annorum) *De ætate Judicum supra diximus lib. 3. cap. 9. Puto tamen Plinium hic loqui de Magistratibus Provincialibus, non Urbanis: Nam ex Suetonii loco a nobis citato probari posse videtur, trigesimum quintum annum requiri. Quoniam vero de Magistratuum munere fit mentio, operæprecium videtur addere instar superpondii ex Polybio, neminem potuisse ad Magistratum Urbanum aspirare, nisi peractis decem stipendiis militaribus: Cum autem primum militare cœperint Romani anno XVII. certe ante annos viginti septem non poterant primum Magistratum exercere. Ut autem legitima ætas requirebatur, sic ordo in adipiscendis observabatur, ut non ad fastigium honorum saltim, & omissis mediis, sed per infimos, & medios Magistratus ad supremos honores conscenderent. Prima vero dignitas Quæstura fuit, quæ anno XXVII. demum peti potuit. Tribunitia autem anno XXX. Ædilitas post annos XXXVII. Prætura XL. Deinde Consulatus culmen, & veluti quoddam honoristitium peti poterat anno XLIII. quæ ætas exacta non requirebatur, sed annum illum ingredi aut agere sufficiebat, quod quidem observabatur, nisi quis ob egregiam indolem, quæ non obscuram spem virtutis excitasset, aut propter Populi favorem, legibus solveretur & ei gratia ætatis fieret, quemadmodum in Africano, Pompejo, Octaviano, Caligula, & aliis factitatum legimus. Hoc etiam observatu dignum est, quod Magistratu Curuli gesto, non licebat eidem alium, nisi interjecto biennio, obire. Item cautum erat, ne quis eundem magistratum gereret intra decennium. Item quod nemo poterat eodem anno duos magistratus gerere. Duo Plebiscita Genutii, quibus sancitum erat, refert Livius l. 7. U. C. in fin.*

Decem stipendia. Ordo servatus in capessendis magistratibus.

Leges in obeundis magistratibus.

Discessio.

2 Alias per discessionem fiebat) *Est locus elegans de discessione in ferenda sententia in Senatu apud Plinium l. 8. Epist. ad Aristonem, qui hic adscribendus fuisset vel inserendus in textu, ut alias sæpe a nobis factitatum est dissimulanter, sed dum brevitati studemus, indicasse sufficiet.*

Χειροτονία.

3 Sed manuum porrectio rara) *Hic modus* χειροτονεία *dicebatur, atque usitabatur ab Atheniensibus in ferendis suffragiis, quanquam ad castrorum, quam fori consuetudinem propius accedere mihi videatur.*

Θ Græcorum.

4 Græci suum infame Θ) *Ad hunc morem Græcorum alludit Martialis l. 7. Epigram. ad Castricum, ubi nasute irridet quendam mucosum Quæstorem, cui condemnationis signum erat emungere styriam nasi. Sed lepidum est, lubet apponere.*

Nostri mortiferum Quæstoris, Castrice, signum,
Est operæprecium discere Theta novum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Lethalem juguli jusserat esse notam.
Turpis ab inviso pendebat styria naso,
Cum flaret madida fauce December atrox,
Collegæ tenuere manus, quid plura requiris?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

Ad quod etiam respexisse videtur Persius Satyra 4.

Et potis es vitio nigrum præfigere Theta.

Tabulæ in ferendis legibus.

Porro ut & hoc addatur, in ferendis aut recusandis legibus duæ porrigebantur tabellæ ex l. Papiria, una insignita V. R. quæ significabat approbationem, uti rogas; altera in qua A. litera depicta erat, quæ legis abrogationem, aut antiquationem denotabat. In creandis vero Magistratibus tot porrigebantur tabellæ ex l. Gabinia, quot erant Candidati, quibus inscribebatur prima litera nominis gratiosi. Aliæ autem tabellæ, quibus utebantur in judiciis, ad L. Cassiam, & Cæliam pertinent, quod ex Cicerone manifestum fieri potest. Sed nos ulterius progrediamur.

Sexagenarios de ponte dejicere.

5 Sexagenarios de ponte dejicere) *Nata autem parœmia videtur, quod ut ea fere ætate immunes erant a muneribus civilibus senes, uti supra adnotavimus, sic nec suffragia ferre debebant. Exploratissimum (inquit Festus) illud causæ est, quo tempore primum per pontem cœperunt Comitiis suffragium ferre, juniores conclamavere, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, quia nullo munere publico fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illis deligerent imperium. Cicero pro Roscio Amerino: Habeo etiam dicere, quæ contra morem majorum minorem annis sexaginta de ponte in Tyberim dejecerit. Ovidius l. 5. Fastorum:*

Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitasse senes.

Pedaria sententia.

6 Ut plurimum per discessionem) *De pedaria sententia extat Laberia mimus:*

Caput sine lingua pedaria sententia est.

Plura habet Gellius Noctium Atticarum libri 3. cap. 18. ubi de pedariis Senatoribus, & Equitibus disserit, unde originem vocis, & significationis Pedaneorum, qui ad humiliora negotia disceptanda delegabantur, conjicere licet, in Rubrica Cod. de pedaneis Judicibus, quanquam hæc vox barbara eidem Gellio videatur. Consule Andream Alciatum l. 1. c. 41. parergωn juris.

8 Papinianus) *L. 2. ad Senatusconsultum Turpilianum.*

ARGUMENTUM

CAP. IX.

De Corruptione, & Corruptoribus Judicum.

VErum quoniam Judices, ne recti stent in Subselliis, ne quod dictat Justitia, sequantur, expugnantur nummis, inclinantur precibus, pervertuntur odio, amore vincuntur, pauca de re nummaria, quæ harum pestium, ut maxima, ita periculosissima est, dicamus.

Sententia libidinosa. Sententia ergo, quæ non a juris præscripto, & æquitatis fontibus hausta est, sed ab hepate, ubi domicilium est omnium affectionum earum, quæ ad concupiscentiam referuntur, ut avaritia, amor, studium, aut a corde, ubi sedes iræ accenso in altero ventriculo sanguine, petita, proprio Latinoque vocabulo libidinosa 1 dicitur. Cicero pro domo sua: Itane vero? Quod in imperita multitudine est vitiosissimum, varietas, & inconstantia, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio, hoc tu ad hos transferas, quos ab inconstantia gravitas, a libidinosa sententia certum & definitum jus religionum, vetustas exemplorum, auctoritas literarum monumentorumque deterret? Ibi elegans est anthitesis, cum adversa sint ex *Ex jure sententia ferre.* jure ferre sententiam, & ex libidine, id est, studio quodam & cupidine, ut dicuntur Testes studio, & cupide testificari, cum non rogati statim adsunt, offeruntque o- *Libido.* peram testimonii: Est enim eo in loco libido genus earum affectionum, quæ stantes rectosque nos Judices dejiciunt, cum non rationem sequuti, sed animi morbis morem gerentes, non quod decet, sed quod lu- *Sordes Judicum.* bet, amplectimur. Itaque ambitus sordesque Judicum ad libidinem referuntur tanquam ad genus, cum avaritia species sit libidinis, ut in illo vulgato, quod Maroni vendicatur:

Sperne lucrum, vexat mentes vesana libido.

Neque enim ad solam nequitiam, id est, Veneris nimium, lascivumque pruritum pertinet. Libidinosa est ergo eorum sententia, qui nummo sese locant, aut ven- *Sordidi.* dunt, qui sordidi dicuntur. Suetonius in Domitiano. Auctor fuit & Tribunis Plebis Ædilem sordidum Repetundarum accusandi, Judicesque in causa a Senatu pe- *Nummarii.* tendi. Hos etiam nummarios Latini vocant. Cicero pro Cluentio: Varia Judicum genera, nummarii pauci, sed omnes irati. Tranquillus in Domitiano: Nummarios Judices cum suo quemque consilio *Nummati.* notavit. Et fortassis nummatos etiam recte diceremus. Horatius:

Et bene nummatum decorat Suadela Venusque.

Cur enim a nummariis nummatos non inflectamus? Cum eandem analogiam Cice- *Ærati.* ro sit sequutus, cum pro Ærariis Tribunis æratos ironice dixit, id est, emtos aut conductos, vel potius obæratos, & ære alieno plurimo nexos. Sic enim ad Atticum 3 de illis Tribunis Ærariis, qui in aliquo judicio judicaverant, scribit: Nunquam turpior in ludo talario consessus fuit, maculosi Senatores, nudi Equites, Tribuni non tam Ærarii, ut appellantur, quam Ærati. Idem ad eundem de eodem judicio, quo P. Claudius Pulcher, delatus incesti, & violatorum Bonæ Deæ sacrorum, Judices corrupit: Clavus per unum servum, & quidem ex gladiatorio ludo, confecit to- *Noctes mulierum mercedis loco.* tum negotium, accersivit ad se, promisit, intercessit, dedit. Jam vero (o dii boni) rem perditam, etiam noctes certarum mu-

A lierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis Judicib. pro mercedis cumulo fuerunt. Ita summo dissensu bonorum, pleno foro servorum, vigintiquinque Judices ita fortes tum fuerunt, ut summo proposito periculo, vel perire maluerint, quam perdere omnia. Triginta & unus fuerunt, quos fames magis, quam fama commovit. Ad quem locum facit Valerius Maximus, qui has noctes matronarum magno sumtu emtas, & Judicibus mercedis loco erogatas auctor est. Hujusmodi judicium Cicero ad eundem Atticum em- *Emtum constupratum Judicium.*
B tum, constupratumque dicit. Afflicta Republica (inquit) emto, constupratoque judicio. Alibi idem vocat redemptionem, *Conductio, & redemtio Judicii.* & conductionem judicii, secunda Actione in Verrem, de infamibus Senatorum Judicum sordibus: Redemptio est hujus judicii facta gravi pecunia, mansit in conditione atque pacto usque ad eum finem, dum Judices rejecti sunt. Posteaquam rejectio Judicum facta est, quod & in sortitione istius spem fortuna Populi Romani, & in rejiciendis Judicibus mea diligentia istorum impudentiam vicerat, renuntiata
C est tota conductio. Porro qui proxenetæ, & artifices istarum nundinationum, quorum sollicitationibus & operis Judices ita suas quisque tabellas cauponarentur, Se- *Sequestres & Interpretes judiciorum.* questres, & Interpretes judiciorum vocabantur. Idem ibidem: Qui aut deponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut Sequestres, aut Interpretes Judicii corrumpendi solent esse, quique ad hanc rem, aut potentiam, aut impudentiam suam professi sunt, abstineant in hoc judicio manus, animosque ab hoc scelere nefario.
D Idem lib. x. Epistol. ad Atticum: Utor in hac adjutoribus, & interpretibus, fratre meo, & Laterensi, & Furnio nostro. Ausonius ad Gratianum Cæsarem, cujus beneficio erat Consul: Nihil (inquit) cum Sequestre deposui, cum Distributore nihil pepigi. Pro Divisore dixit in comitiis, id est, non corrupi quemquam. Interpretem in hunc sensum significantissime accepit Vergil. l. 4. Æneid. ubi Dido:

E *Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,*
Tuque harum Interpres curarum & conscia Juno,

Interpretem pro mediatrice, & proxeneta, sive auctore matrimonii. Est enim Ju- *Juno matrimoniorum Interpres.* no matrimoniorum conciliatrix, cujus ductu hæ curæ nuptiarum contractæ erant: Unde & pronuba Juno dicitur. Item Liv. lib. 11. U. C. de Agrippa: huic interpreti, arbitroque concordiæ civium, legato Patrum ad Plebem, reductori Plebis Romanæ in urbem sumptus funeri defuit. In eo-
F dem lib. Vergilius:

——— Et Jove missus ab alto
Interpres Divum fert horrida jussa per auras.

De Sequestre Plautus in Mercatore:

Imo sic Sequestre mihi data est.

Idem in Milite:

Quæ

Quæ tibi conditio nova, & luculenta fertur per me Interpretem.

Sequestres. Cur autem Sequestres vocantur, & qui sunt, conjectura assequuti videmur, ut ii essent Sequestres, pecuniæ depactæ cum Judicibus Custodes & Depositarii: Illi enim Sequestres sunt, apud quos custodiæ causa res deponitur. Julian. in l. interesse. ff. de acquir. possess. Modestinus 4 tamen ad rem controversam tantum refert. Sequester (ait) dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt, dictus ab eo, quod 5 occurrenti, aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur, ut Depositarii nomen videatur catholicoteron, quam Sequestris, qui Litigiosorum tantum est Depositarius. *Depositarius.* Cæterum in ambitus negotio, ubi controversi non sunt nummi, etiam usurpatur, ut aliud significet, quam etymologiæ nota indicet, ut in possessione, quæ etiam est mobilium, & aliquando ἀσωματῶν, cum tamen sonet etymon ad ea pertinere, in quibus pedem figimus & ponimus. Ita κατοχὴ Grecorum eorum est proprie, quæ manu tractantur, prehenduntur que, traducitur nihilominus ad res solo hærentes. Non lubet cumulum exemplorum aggerere, in quibus mentitur etymologia, tam in Jure, quam reliquis artibus, ut paradoxon justissime videri possit, eam toties in mendaciis deprehensam veriloquium translatam a Marco Cicerone. *Etymologia mendax.* Pecunia ergo, qua ambitus conficiebatur, aliquando ad Sequestres deponebatur, ut tutior esset ipsis Judicibus, cum eam nulla actione a Reis petere potuissent. *Deponere.* Deponere est Sequestris committere, vulgo dicimus consignare in manu tertii, quod fortassis ad Divisores pertinuit, ut in campo & comitiis. *Divisores.* Tranquillus de patre Augusti: ut miror hunc quoque a nonnullis Argentarium, atque etiam inter Divisores, Operasque campestres proditum. Eorundem fuit & polliceri, quod in Comitiis dicebant, pronuntiare in Tribus nummos. *Polliceri.* Nam polliceri accommodatissimum est redemptionibus suffragiorum, aut tabellarum exprimendis: & pollicitatio opera est, quam emtor præstat in licendo, quasi porro licitatio, 6 & ante contractum facta, ut solent coitiones in licendo hinc inde retardare, quæ cum fieret in nundinis tabellarum, appositissime pollicendi vocabulo, conductionum, & emtionum proprio, est usus Cicero. *Pollicitatio.* Reliqua duo recipere & accipere ad Judices ipsos nummarios, & venales referri debent. *Recipere.* Recipiunt qui ante judicium, quos sibi repræsentari pacti, stipulatique sunt, nummos accipiunt. Qui autem non ex contractu, vel conventione de pretio tabellæ inita, sed statim oblatos capiunt, accipere dicuntur. *Accipere.* Interpretes judicii corrumpendi sunt operæ illæ, quæ interveniunt corruptionis perficiendæ gratia, id est, Proxenetæ, qui rem istam procurant: *Proxeneta.* Res enim bene ut plurimum succedit, cum primum agitur muneribus, tum demum accedit vis eloquentiæ, sed non minor pecuniæ, quam eloquentiæ tyrannis, utraque enim virgæ 7 Mercurianæ instar. *Pecuniæ & eloquentiæ vis.* Est enim spes victoriæ summa, cum argenteis hastis pugnatur, juxta vetus 8 oraculum. *Vetus oraculum.* Qui vendunt 9 suffragia, dicuntur fabas edere, cum ex fabis lucrum quæritant. *Fabas edere.* Olim enim etiam fabis ferebantur suffragia, non solis tabellis aut calculis. Unde illud *Fabas ne edito*, &, *A fabis abstine*, quod inter Pytagorea symbola numeratur, id est, ne te corrumpi sinas: quanquam & aliter a nonnullis interpretatur. Cæterum quotusquisque est, qui non flectatur nummis? adeo verum est vetus illud verbum, *Virtutem & sapientiam vincunt testudines*, id est, nummi testudinis imagine insigniti, quorum usus erat in Peloponneso, ut auctor est Pollux. *Testudines.*

COROLLARIUM AD CAP. VIII.

1 Libidinosa dicitur) *Exemplum libidinosæ sententiæ notum est ex Livio Appii Claudii Decemviri, qui vindicias contra libertatem adjudicavit Clienti suo contra Virginiam.* *Libidinosa sententia.*

2 Itaque ambitus sordesque) *Ambitiosorum decretorum meminit J.C. in l. servo. §. cum Prætor. ad S.C. Treb. l. 3. de minor. l. ambitiosa. ff. de decr. ab ord. fac. l. 3. de of. procon. Suetonius in Domitiano: Ambitiosas Centumvirorum sententias restituit. Vide Revard. lib. 5. Variorum c. 6. Avaritiam autem sordes vocant J.CC. in l. si per imprudentiam de evict. l. 47. de minor. ff. l. 3. §. nunc. de suspect. tut. l. 3. §. 1. l. 9. §. ult. de recept. qui arbit. & aliis in locis.* *Ambitiosa decreta.*

3 Ad Atticum) *Lib. 1. epist. Quæris ex me.*

4 Modestinus) *L. 109. ff. de ver. & rer. sign.*

5 Ab eo quod occurrenti) *Publius Lavinius de sordidis verbis apud Gellium scribit sculnam vulgo dici, quasi seculnam, quem qui elegantius loquuntur (inquit) Sequestrem appellant, utrumque vocabulum a sequendo factum est, quod ejus, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur, &c. Conjungi potest l. proprie, & l. licet. de ver. & rer. sign.* *Sculna.*

6 Quasi licitatio porro) *Alciat. a posse & licere derivat. Vide cap. 1. lib. 1. Parerg. jur.* *Pollicitatio.*

7 Utraque enim virgæ Mercurianæ instar) *Hæc Caduceum dicitur, cujus vires describit Vergilius lib. 4. Æneid.* *Caduceum.*

—— Hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit.

Supra c. 13. lib. 1. nostræ historiæ allegorice ad Oratoris facundiam & eloquentiam referuntur. Hic autem non inepte de auri potentia Polletus noster interpretatur, ad quam etiam torqueri potest illud Homeri. *Auri potentia.*

Corripuit virgam, qua mulcet lumina somno,
Quorumcunque velit, solvit quoque lumina somno.

Ad quæ egregie ludit Horatius lib. III. Carminum Ode 16.

Aurum per medios ire Satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo.

8 Juxta vetus oraculum) *Apollinis Pythii ad Philippum consultorem:*

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις.

Argenteis pugna telis, & omnia vinces.

Apophtegma. *Huc etiam pertinet Apophtegma ejusdem Philippi, de quo Cic. lib. I. ad Atticum, epist. II. circa fin. Omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modo asellus onustus auro ascendere posset.*

Fumos vendere. Thurinus. 9 Qui vendunt suffragia) *Huc etiam ad suffragiorum, vel sententiarum corruptionem pertinet illud, fumum vendere. Ac famosum exemplum venditoris Thurini, qui etiam fumo necatus est. Nos vulgo dicimus, dare aquam benedictam Curiæ. Sed nunc quam multi sunt Thurini? utinam revivisceret Alexander. Possemus & alia cumulare de suffragiorum ratione & corruptione, deque operis campestribus. Sed malumus curiosum lectorem ad Nicol. Grucchium remittere, qui docte & copiose hæc complexus est libr. I. de Comitiis, post cujus diligentiam supervacuum esset, velle aliquid addere. De ordine autem antiquorum Comitiorum vide Plin. epistol. l. 3. ad Mesium Maximum.* *Nicol. Grucchius.*

PRÆTERMISSA

ALIA HISTORIÆ

Fori Rom. quibus series continuatur, & perficitur per Philip. Broidæum Polleti Generum.

ARGUMENTUM

CAP. X.

De corruptione judiciorum & comitiorum, munerum captatoribus, & legibus Repetundarum.

Operis continuatio. SEd heus iterum tela retexenda, quæ hic omnino abruta fuit una cum Soceri vita; neque enim sufficiunt, quæ modo annectendo interseruimus stamina, quin nobis persequenda est series Forensis, quam Divis bene juvantibus sic continuabimus, donec judiciarium ordinem usque ad umbilicum perduxerimus. *Prætermissa.* Cum autem non pauca restent de sportulis, Apparitoribus, sententiis Judicum, & Magistratuum, appellationibus, & re judicata, amborum judiciorum fere communia dicemus: quæ ferme singula justum singularemque tractatum desiderant, ut hæc defunctorie, & dicis causa (quod ajunt) attingi non debeant, quæque præter eruditionem hominis non mediocrem, & assiduam, diuturnamque lectionem optimorum auctorum, legationem aliquam postulant, aut hujusmodi quampiam cessationem liberam, & otiosam. *Excusatio Auctoris.* Verum ut de eruditione taceam, quam sentio, quam sit in me exigua, ita negotiis cum publicis, tum privatis semper districti fuimus, ut serio huic FORO vacare nequequam licuerit, cui tantum temporis, & laboris subcisivi tribuimus, quantum ab alio contentioso, veluti A indicto justitio, rebusque prolatis, relictum est. Quo fit ut veniam, seu excusationem mereamur, si hæc digne, & pro decoro non excoluimus, præsertim quando hæc provincia a nobis non tam sponte suscepta, quam jure delata videatur, quanquam pie potius amplexati sumus, quam temere ambivimus, & captavimus. Ut ergo hæc cum præcedentibus connectamus, veluti retro actis, & erramentis causæ (ut Pragmatici nostri loquuntur) resumtis, adhuc de corruptione Judicum hoc capite, quod instar Corollarii sit ad præcedens, pauca dicemus. B Hoc totum igitur negotium corrumpendorum Judicum jure primum divino damnatum est; nam inter cæteras Pentateuchi leges dictatum est a Deo opt. max. hoc caput in Deuteronomio: *Judices & Magistratus constitues in omnibus portis tuis, ut judicent Pop. justo judicio, nec in alteram declinent, non accipies personam, neque munera, quia munera excoculant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Quod idem ante repetitum est Exodi XXIII. post cap. XVIII. II. Paralip. cap. XIX. Proverb. XVII. & Psal. XXV. *Munera.* C Est & ad hanc pestem avertendam in foro aphorismus cruentissimus in legibus Decemviralibus: *Judicem, Arbitrumve jure datum, qui ob rem judicandum pecuniam accepisse convictus sit, capite punito.* Et Cicero in Nomothesia, *Donum ne capiunto.* Et cum lex Decemviralis paulatim desuetudine obsolesceret, de repetundis leges latæ sunt: nam trecentesimo fere post duodecim latas L. Piso, & Cæcilius Trib. Pleb. rogationem eodem anno tulerunt. *LL. repetundarum.* Dein Servilia lata est, cui successit Acilia, quæ fere idem argumen- D tum repetivit, cujus meminit Cicero actione in Verrem II. Hanc tulit M. Acilius Glabrio, adeo strictam ut nulla comperendinatio concederetur, deinde Cornelia a Cornelio Sylla, postremo Julia lata a Julio Cæsare. Posterior autem fere proximam superiorem abrogavit, & pœnam auxit. Cic. II. Officiorum: Nondum, inquit, centum & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a Lucio Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset. At vero postea tot leges, proximæque duriores, tot rei, tot damnati, &c. Ideo legem Aciliam idem Cicero E mitissimam respectu posteriorum, Asconius autem contemplatione priorum severissimam vocat. Amplissima autem fuit lex Julia repetundarum, cujus capita per jus nostrum dispersa sunt, multa congessit Paulus Manutius: *Capital. Juliæ.* nam fere repetebantur pecuniæ, quas quis in Magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico cepisset, vel aliquis ex cohorte ipsius; ut Urbani Magistratus ab omni sorde abstinerent, neve plus doni, munerisve in anno acciperent, quam quod esset aureorum centum, F neve quis ob Judicem, Arbitrumve dandum, mutandum, inhibendumve ut judicaret, neve ob hominem in vincula condemnandum, absolvendum, ob litem æstimandam, judiciumve capitis faciendum aut non faciendum aliquid accipiat, quæ etiam ad Provinciales referuntur. Item ne quis ob negotium faciendum, vel non faciendum per calumniam pecuniam acciperet. Cautum præterea, ne provinciæ Præsidum

avaritia premerentur, aut exhaurirentur, ne illi qui provincias regebant, quive circa eos erant, negotiarentur, nec mutuam pecuniam darent, fœnusque exercerent. Sed nec uxorem ducere ex illa provincia, cui præerat, ortam, oriundam, vel domicilium habentem poterat, nec filio uxorem talem ducenti consentire, ne iis in liberos Populos jus de pecuniis creditis dicere liceret. Item ne quis de Provincia exiret, aut exercitum inde sua auctoritate deduceret, bellum sua sponte gereret, in regnum alienum injussu Populi aut Senatus accederet, ut libertas sociis ac præmia ob merita in Remp. data integra essent. Nec cuiquam aurum coronarium imperare aut accipere liceret, nisi cui decretus esset a Senatu triumphus. Nec dona Quæstores acciperent, aut xenia. Ut Rectores Provinciarum, priusquam decederent, rationes apud duas civitates deponerent. Ne Prætor aut Proconsul legatum suum ante se de Provincia dimitteret: quod Ulpian. in l. x. de off. Proconf. refert. Item sancitum, & statutum est eadem lege, quid iisdem in Provincias euntibus & redeuntibus a Sociis Pop.Rom. liceret accipere, & cætera, quæ in jure nostro obvia sunt. Huc spectat etiam Plebiscitum, cujus Modestinus J.C. meminit tit. de off. Præs. ff. Plebiscito, inquit, continetur, ne quis Præsidum munus donumve caperet, nisi esculentum, poculentumve, quod intra dies proximos prodigatur. Sed quod mandatis continetur, ne donum, vel munus qui in alio erit officio, accipiat, ematve quid, nisi victus quotidiani causa, ad xeniola non pertinet, sed ad ea quæ edulium excedunt usum. Sed nec xenia producenda sunt ad munerum qualitatem; nec vero in totum xeniis abstinere debebit Proconsul, sed modum adjicere, ut neque morose in totum abstineat, neque avare modum xeniorum excedat. Quam rem Divus Severus & Antoninus elegantissime epistola sunt moderati, cujus epistolæ hæc verba sunt. Quantum ad xenia pertinet, audi quid sentimus. Vetus proverbium est, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε οὔτε παρὰ παντῶν: nam valde in humanum est a nemine accipere: sed passim vilissimum est, & omnia avarissimum. Quin etiam idem permisit postea suis Delegatis Pontifex, c. statutum. §. insuper. de rescrip. extra, ut esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, acciperent. Unde multi visceripetæ & cupedivori suas sordes tuentur, qui nisi ferina aut cupediis ad jus reddendum invitentur, provocentur, cunctantiores sunt ipso Cunctatore Fabio. Ubi autem Litigantes visceratione fecerint, & libellum ferentarium dederint (ut Plautus loquitur) ex foro cupediario, & venali in judiciale transferentes, tandem aliquando sinunt de jure se orari, vel de injuria exorari, quando in delictis connivent, aut dissimulant, contra Marci Catonis præceptum committentes, qui dicebat Judicem nec de obtinendo jure orari, nec de injuria exorari oportere. Quin sunt aliqui tam religiosi (si divis placet) ut eundem libellum ferentarium iterum ad forum cupediarium referant, unde primo a Cliente allatus erat: nam cum ita avare sordidi, &

Plebiscitum. *Xenia.* *Delegati* *Judices donivori* *Catonis præceptum.* *Sordidi.*

Supplem. Tom. I.

sordide avari sint, ut his vesci nec possint, nec audeant, ut etiam interim sumtibus parcant, quos in condiendis, & apparandis hujusmodi facere oporteret, dona & xenia revendunt, eaque in crumena, quam in ventris ingluvie habere malunt. In quo dubitari potest, utrum magis certent de damno vitando, an de lucro captando, ad utrumque certe meo judicio ingeniosiores. Interim cum hi gulosi non sint, Catones, Areopagitas, Eacos, Rhadamantosque simulant. Ad hanc etiam pestem averruncandam e comitiis (nam hac donorum & munerum largitione non minus Populi suffragia, quam judicia corrumpebantur, ut ex capite præcedenti apparet) aliquando ex Senatus decreto secretum judicium fiebat, quod tacitum vocabatur, quo vel ambitus damnabantur Candidati, vel ut ratio eorum in comitiis nulla haberetur, quod largitione, & contra majorum morem petiisse viderentur. Cicero ad Atticum: Senatus decrevit, ut tacitum judicium ante comitia fieret; ab his consiliis, quæ erant omnibus sortita in singulos candidatos, magnus tremor Candidatorum. Et III. Officiorum: Quamvis demersæ sunt leges alicujus opibus, quamvis tremefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquando aut judiciis tacitis, aut occultis de honore suffragiis. Nec absimile fortassis etiam fuit Senatusconsultum tacitum in turbulentis Reip. temporibus, quale factum meminit contra Maximinum Julius Capitolinus in Gordianis, in quo non Scribæ, non servi publici, non censuales intererant, Senatores excipiebant, & servorum publicorum officia complebant, quod idem pluribus explicat. Huic malo etiam adferre remedium conatus est suis novissimis constitutionibus super justitia criminali Philippus Hispaniarum Rex, statim in principio, adhibita jusjurandi formula, quam jurare tenentur omnes Magistratus antequam magistratum adeant, quæ desumta videtur ex auth. jusjurandum quod præst. ab his qui administ. accip. constitutione IX. Adde constit. CXXIV. de litigat. & sport. Quam si jurare liquido & ex animi sententia possent qui ad munera publica evehuntur, Doroducos aulicos ad incitas redactos videremus, melius etiam Respub. constitueretur. Sed quid prosunt vanæ sine moribus leges? Pulchre etiam Justinianus in Auth. de Judicibus ait, Judices debere aurum despicere, puras manus Deo, Imperatori, & legi debere præstare. Quam puritatem etiam requirit in Consiliario auth. de mand. Princip. Cæterum ut hoc obiter notem, varia sunt munerum genera. Aliud enim est munus ab obsequio, quæ indebita est servitus, aliud a manu pecunia est, tertium a lingua favor, & suffragium, quæ refert eleganter B. Gregorius, & Gratianus in Decret. I. quæst. I. Hinc Esaias Propheta dicit beatum, qui excutit manus suas ab omni munere. Quin non solum manibus, sed etiam oculis Judices abstinere debent. Ideo est quod olim Thebis Judicum imagines visebantur absque manibus, & summi Judicis oculi connivent; quia Justitia nec muneribus capitur, nec hominum vultu flectitur. Huc etiam non male quadrat apophtegma illud, quod ad-

Secretum judicium. *S.C. tacitum.* *Constitutiones Philippi Hispaniarum Regis.* *Justinianus.* *Varia munerum genera.* *Esaias.* *Judicum manus præcisæ.* *Apophtegma.*

fert Cic. I. Officiorum, de Pericle, qui Sophoclem Collegam, quod ad conspectum formosi pueri prætereuntis exclamasset, o pulchrum puerum, Pericles his verbis increpavit. At enim Prætorem, Sophocle, decet, non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. Porro diuturnam non fore licentiam, & dominationem eorum, qui ex libidine moderantur, ex Valerio concludimus. Ii (inquit) demum penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile steterit, ubi minimum virium, Veneris, pecuniæque cupido sibi vindicaverit: nam quo istæ generis humani pestes penetraverint, ibi injuria dominatur, infamia flagrat.

Pestes generis humani.

ARGUMENTUM
CAP. XI.

De Sportulis Judicum & Apparitorum.

VErum enim vero quia Judicum, Adsessorum, & Officialium forensium laboribus, industria, solertia, studio ac vigiliis negotia tractantur, ac deciduntur, æquum fuit semper eos aliquo etiam beneficio, & veluti hostimento pensare: nam quis vellet tantas molestias devorare, tot labores & sudores exantlare (qui si usquam, certe in mola & pistrino forensi præsto sunt maximi) nisi aliquo proposito præmio & parata mercede? dignus enim est ea operarius. Ac quum supra a Socero de salariis ac solatiis Advocatorum dictum sit, quædam etiam hic de honorariis Judicum & Apparitorum dicenda videntur, quæ sportulæ dictæ sunt ab asportando fortasse, ut Marcellus refert, aut, ut alii volunt, a Sparto herba, unde contexti erant calati; in quibus, sive nummi, sive obsonia portabantur. Nam Asconius putat, sportas, sportulas, & sportellas nummorum esse receptacula, & sicuti fiscus a fiscis & fiscellis dictus est, sic hujusmodi stipes & nummi sportularum nomen retinuerunt. Interdum dapes, & cœnarum obsonia mittebantur. Suetonius in Domitiano: Septimontiali sacrorum die Senatui, Equitique pannariis plebeiis sportellis cum obsonio distributis. Unde & a Græcis δεῖπνον ἐν σπυρίσι, id est, cœna in calato. Et fortasse ad differentiam hujusmodi cœnarum, quæ ultro citroque missitabantur, hoc est, sportularum, cœnæ rectæ dictæ sunt aliæ, quibus accumbebatur & cœnabatur, quasi revera & proprie cœnæ exhiberentur, non asportarentur. Quanquam non ignorem rectam pro lauta & opipara, quibus symbolum forte non dabatur, accipi. Suetonius in Vespasiano: Sed & convivabatur assidue, ac sæpius recte ac dapsile, ut Macellarios adjuvaret. Sic enim & recte vivere pro laute, & rectum apparatum pro splendido dixit Seneca. Cum autem cœnæ rectæ fere a Magnatibus celebrarentur, sportularum usus parcis & tenuioribus relictus est, atque in his, & illis variatum est pro Cæsarum libidine. Nam cum Nero sumtibus modum adhibere vellet, publicas cœnas ad sportulas redegit. Domitianus autem multa in conviviorum usu novavit, sportulas publicas sustulit, renovata cœ-

Merces operæ hostimentum.

Sportulæ.

Cœnæ rectæ.

A narum rectarum consuetudine: testatur Tranquillus in vita utriusque. Hinc est, quod Martialis, qui sub eodem Domitiano vixit, in quodam epigram. ait:

Petita est sportula, cœna data est.

Atque ut hæc ad nostros mores, & tempora accommodem, quod sane, quoties res ita fert, facio sæpe, ac lubens, eadem plane analogia Species vernacule dicimus honoraria illa, quæ Judicibus post sententiam a partibus dantur, quæ etiam sportularum vicem obtinent. Solent enim qui

Espices.

B in causa superiores & potiores fuerunt, & secundum quos lis adjudicata fuit, Judicibus, quo signum animi non ingrati præberent, aromata quædam saccaro condita offerre, quæ Gallice *Espices & Dragees* dicimus. Aliquando fercula mellita, unde Placentarum nomen etiam nunc apud nostros Pragmaticos usurpatur pro convivio illo sive recta cœna, quam celebrat victor post triumphum civiliter gratus; neque enim ad id tenetur, sed mera liberalitate invitatur, quanquam fere videmus hujusmodi,

Placenta.

C quæ ex civilitate & honestate (ut ipsi dicunt) fiunt, postea in consuetudinem introducta de necessitate requiri, adeo ut nisi a parco & illiberali omitti posse videantur, quod sæpe fit cum plebeculæ & tenuiorum non exiguo dispendio: adeo hujusmodi initia sunt semper periculosa, quæ in exemplum & consequentiam trahuntur. Sic etiam hujusmodi aromata & species, quæ cum saccaro, & nectare a Candidatis laureæ in symposio, quod Banquetum vocant, Professoribus, Asseclis, & Comiti-

Symposia Syndicæ.

D bus in tyrociniis & licentiis dantur, sportulæ dici possunt. Sicuti alia convivia, quæ rum etiam, atque in Doctorum festivitatibus celebrantur, cœnæ rectæ dici possunt. Ejusdem generis sunt, quæ pro introitu aut exitu (bene venutas & valetum vocant) persolvuntur, sive hæc in obsoniis, sive pecunia diribeantur, ut in l. v. §. ult. de donat. inter vir. & uxor. Plinius epist. l. x. ad Trajanum. Lex Pompeja (inquit) Domine, qua Bythini & Pontici utuntur, eos qui in bulen a Censoribus leguntur dare pecuniam non jubet: sed iis quod indul-

E gentia tua a quibusdam civitatibus super legitimum numerum adjicere permisit, & singula millia denariorum & bina intulerunt. Quod postea ab ipso Trajano Honorarium Decurionatus vocatur. Ex quibus apparet, quam fuerunt Romani de Provincialium suorum moribus formandis solliciti, præsertim ex paulo post sequentibus, ubi iterum de divisione hujusmodi sportularum agit. Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, vel opus publicum dedicant, solent totam bulen, atque etiam ex Plebe non exiguum numerum

Honorarium.

F vocare, binosque denarios vel singulos dare, quod an celebrandum, & quatenus putes, rogo scribas. Ipse enim, sicut arbitror, non imprudenter, præsertim ex solemnibus causis concedendum jussi invitationes; ita vereor ne ii, qui mille homines, interdum etiam plures vocant, modum excedere, & in speciem diamones incidere videantur. Rescriptum autem Trajani brevitati studentes omisimus. Sed merito in

Phratriæ. Phratriis sive Confratriis verendum est, ubi Epulones & Coepulones societatem coeunt, ventri & genio indulgentes pollucibiliter: nam quis Saliares eorum cœnas non damnet, quæ contra leges sumptuarias peccant, & annonæ caritatem invehunt? Quis autem hujusmodi commessationes Deo Divisque gratas putet, qui ubique nos ad sobrietatem verbo & exemplo monent? Nil fallacius, ut inquit Livius de abolitione Bacchanaliorum, quam prava religio, ubi Deorum numen prætenditur, celerius subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini juris aliquid mixtum violemus. Sed hæc odiosiora sunt Duroniis. Neque etiam hujus loci sunt sportulæ Salutatorum, Clientum, quas ex Martiale centum quadrantes valuisse, hoc est, decem stuferos, sive asses Turonenses primo lib. a Socero annotatum est. Unde verisimile est, sportularum nomen ad forum delatum. Vigilantissimus quidem princeps Justinianus, ut obviam iret Judicum sordibus & Apparitorum concussionibus, eorum sportulas ad certam quantitatem redegit, quam impune excedere non licuit: nam pœna tripli & quadrupli contra transgressores constituta est in §. tripli. Instit. de act. & auth. de litig. t. & sport. Verum hæc sportularum taxatio majorum incuria non extat. Nam licet titulus sit lib. III. C. de sportulis, tamen ne gry quidem addidit Tribonianus; crebra tamen hujus constitutionis fit mentio a Justiniano pluribus in locis, ut in Authent. ut Judices sine suffrag. jud. §. volumus, ut Litigant. jur. §. & hoc. ut differ. Jud. §. ult. de Jud. §. nullo quidem. Porro in §. ne autem. d. authent. de Jud. constituit Justinianus suos Pedaneos accipere posse ab utraque parte duos aureos in contestatione, & totidem in fine negotii, in litibus transcendentibus quantitatem aureorum centum. Certa item summa nomine sportularum ab eodem statuitur in favorem Ecclesiastarum, aut hi tantum ad numerationem quatuor siliquarum, id est, novem solidorum, aut quatuor denariorum teneantur, auth. sed hodie. de sanctiss. Episcop. C. junct. auth. §. sportularum. Sunt & aliæ personæ privilegio gaudentes minorum sportularum, quæ ab Accursio enumerantur in gloss. d. §. nullo quidem. de Judicib. Græcis quidem Πρυτανεῖα instar sportularum erant, quæ ab utroque Litigantium in contestanda lite deponebantur in Prytaneo. Ex his Athenis conficiebantur honoraria Judicum, & salaria aliarum operarum forensium. Romæ vero (ut supra a nobis ex Varrone demonstratum est) qui judicio vicerat, suum sacramentum auferebat, victi ad ærarium redibat, atque in usus divinos convertebatur: quanquam sunt qui dicant, etiam in mercedes Justitiæ ministrorum conflatas. Memini me legere apud Suetonium, Caligulam pro litibus atque judiciis undecunque conceptis quadragesimam summæ, de qua litigaretur, impositam, nec sine pœna donare, aut componere potuisse. Apud nos quidem arbitrariæ sunt sportulæ Judicum, quæ pro examine litis, quando Judices in consilium missi judicialem aleam jaciunt, ab iisdem pensiculate moderantur pro laboris & temporis insumti, actorum, libellorum, & instrumentorum magnitudine, juris ambiguitate, causæ momento, denique personarum qualitate, nec non pro fori consuetudine. Porro in Gallia pluribus arestis statutum & sancitum audivimus, ut δικαστικὸν illud, sive sportularum judicialium summa apponatur ab Actuario super plica sententiæ, ut Judices illi Pedanei & Subalterni modum in taxatione non ita facile excedant. Cætera autem salaria Judicum, Apparitorum, Scribarum, Notariorum, & aliorum forensium, certa constituta sunt ex præscripto cujuslibet fori & consuetudine loci. Bonifacius autem Pontifex suis Delegatis prohibet aliquid accipere judiciorum causa, nisi viatici nomine, si quando extra domicilium proficisci contigerit. c. statutum. §. insuper. de resc. lib. VI. c. cum ab omni. de vita & hon. cler. ext. Nec licet Judici vendere justum judicium, etiamsi liceat Advocato vendere justum patrocinium, & Jurisconsulto rectum consilium, ut ait Augustinus. Verum excusari potest, quod non ob justitiam administrandam, sed pro laboris recognitione, uti pro administratione sacrorum, non sordide sportulas offerri, & accipi videmus: nam alias simoniæ labes in Basilicis, id est, templis & judiciis grassaretur. An autem Ordinario, cui diaria de publico deputata sunt, liceat exigere sportulas, disputant gloss. & DD. Verum hæc disputatio intempestiva, ingrataque foret, quando videmus omnes sine discrimine accipere. Alexander quidem Severus, ut refert Lampridius, Judices cum promoveret, exemplo Veterum, ut Cicero docet, & argento, & necessariis instruebat, ita ut Præsides Provinciarum argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos, &, si uxores non haberent, singulas concubinas, quod sine his esse non possent: reddituri, deposita administratione, mulas, mulos, equos, muliones, & cocos, cætera sibi habituri si bene egissent, in quadruplum reddituri, si male. Idem etiam Assessoribus salaria instituit.

Sportulæ Salutatorum. *Sportularum taxatio.* *Pedaneorum Sportulæ.* *Quadragesima. Arbitraria sportula.* *Jure Canonico prohibitæ sportulæ.* *Justum judicium vendere non licet.* *Alexander Severus Judicibus & Assessoribus salaria instituit.*

ARGUMENTUM

CAP. XII.

De Apparitoribus, Scribis, Notariis, Amanuensibus, qui scriptum facerent.

Consequens esse videtur, ut de Apparitoribus quædam etiam addamus, qui ultro sese offerunt, quorum ministerium & opera, cum in toto ordine fere judiciario omnibus Magistratibus necessaria sit, tamen in executione sententiarum (de qua modo dicturi sumus) maxime elucet, siquidem inutilis & supervacaneus esset hic processus, & res judicata, nisi essent, qui judicatum facerent, refractarios, & contumaces parere cogerent, atque in publicis lege agerent. Apparitoris itaque nomen generale videtur, a parendo vel apparendo dictum, quod omnibus mini-

ſtris commune eſt, de quibus omnibus ordine dicemus. Ac primum quidem de Scribis, qui honeſtioris ordinis, quam cæteri, fuere, horum enim ordinem honeſtum alibi vocat Cicero: Qui fere tamen, ut cæteri Apparitores, ex Libertis, & Libertinis Magiſtratuum, quibus apparebant erant. Atque munus & officium Scribarum fuit, ut rationes publicas in tabellas referrent, leges & acta in commentarios redigerent, unde etiam Commentarienſes dicuntur in l. XLV. §. quoties. de jure fiſci. Denominationem vero ſortiebantur plerunque a Magiſtratu, cui apparebant. Inde Quæſtorii, Ædilitii, Prætorii dicti ſunt a Quæſtoribus, Ædilibus, Prætoribus lecti. Atque tanta copia excreverunt Romæ, ut in decurias etiam cogerentur: nam Suetonius teſtis eſt a decuriis corpus Druſi ſuſceptum, & in urbem devectum. Plutarchus quidem teſtis eſt, Catonem, quum Quæſturam iniiſſet, Miniſtros & Scribas coercuiſſe, qui publicas tabulas, legeſque tractantes, cum adoleſcentes nacti eſſent, quibus Magiſtratibus apparerent, quod ii propter inſcitiam magiſtris egerent, poteſtate non cedebant, ſed ipſi erant Magiſtratus: eos vero Apparitorum loco, ut erant, tractavit, cum alios fraudis, alios inſcitiæ inſimularet. Cumque illi auxilio Collegarum Catonis uſi reſiſterent, Cato primum damnatum defraudata hæreditate ab ærario expulit, alterum de inertia poſtulavit. Sed nunc quam operæpretium eſſet, ut reviviſceret idem alter, qui Scribas, Actuarios, Notarios, & id genus homines fragili calamo victum quæritantes in ordinem redigeret, faſtum & arrogantiam eorum reprimendo, atque illos ut mercenarios, ſiquidem tales ſunt, tractando, quando præ ſe omnes contemnant: nam ſi quis eorum opella indigeat, Deus bone, quos ronchos, & faſtus tolerare, & muſſitare oportet: nam ſi vel gry, ſtatim

——— Turgeſſit vitrea bilis,
Finditur, Arcadiæ pecuaria rudere dicas,

Addam & quæ ſequuntur ex eodem Perſio, quando etiam non male conveniunt.

Jam liber, & bicolor poſitis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodoſaque venit arundo.
Tum queritur craſſus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infuſa vaneſcat ſæphia lympha,
Dilutas queritur geminet quod fiſtula guttas.

Adeo ſemper formulæ illæ & clauſulæ inflatos & faſtuoſos homines reddunt, ut mirandum non ſit, quod facinus illud Cn. Flavii Scribæ, quando cornicum oculos confixerit, id eſt, actiones evulgaverit, tam gratum fuerit Populo, ut ædilitate, & tribunitia poteſtate eum donaverit, ſiquidem ſuperbiam eorum, penes quos erant, amplius ferre non poterat. Ex his autem quæ de eodem refert Livius lib. IX. U. C. apparet Scribarum munus in pretio non fuiſſe, quippe quod mercenarium fuit. Invenio (inquit ille) in quibuſdam annalibus, cum appareret Ædilibus, fierique ſe pro Tribuno Ædilem videret, neque ejus accipi nomen, quod ſcriptum faceret, tabulam poſuiſſe, & juraſſe ſe ſcriptum non facturum, quem aliquanto antea deſiiſſe ſcriptum facere arguit Macer Licinius. Idem teſtatur Æmilius Probus in vita Eumenis. Sed fortaſſis hic Flavius non tam Scriba aut Actuarius publicus, quam privatus Amanuenſis Appii Claudii fuit, quem Clericum aut a ſecretis Secretarium vulgo dicimus, qualis fuit Tyro libertus Ciceronis. A graphio autem ſtylo Graphiarii noſtrates Actuarii vocati ſunt, quorum munus eſt, ut commentarios, & regeſta, quæ acta & placita Curiæ, Judicum decreta, ſententias, areſta, libellos, pacta, contractus privatarum partium ab aliis Subnotariis & ſubadjuvis redacta, continent, edicta & conſtitutiones Principum etiam in ſcriptis redigant, denique omne fori inſtrumentum tanquam in officina & archivo penes ſe habeant. Atque cum ſuperiorum temporum incuria, aut potius avaritia factum eſſet, ut hujuſmodi Scribarum officia, ut alia multa, in foro venirent, aut locarentur: nam fere mancipes & vectigales publicani erant, unde multi abuſus, compoſitiones, concuſſiones, & pyraticæ exactiones fiebant in popello. Quid enim mirum, ſi is, qui care emit, carius revendat? ut dicere ſolebat Alexander Imperator Rom. Tandem Catholici Regis noſtri providenti edicto cautum eſt, ut hujuſmodi forenſis ſymonia, aut civile ſacrilegium eliminaretur: neque poſthac publicorum officiorum aliquis emtor, aut conductor exiſteret. Quid enim pernicioſius Reip. quam hujuſmodi publicorum officiorum & munerum nundinatio, aut cauponatio? Sed quam difficile eſt eradicare pravam conſuetudinem, quæ ſemel late radices egit: Vereor enim, ne res rurſus ad ingenium redeat, dum nimium exinaniri fiſcos metuunt, nulla interim habita privatarum fiſcellarum ratione. Satius quidem & tutius videbatur meo judicio non moviſſe camarinam, aut potius intactum ulcus reliquiſſe, quam emplaſtro compoſito neglecta medicina denudaſſe chironium. Sed hæc in ſcrobe muſſitanda ſunt. Fuere qui inter dicendum Oratorum & Patronorum actiones exciperent. Suetonius in Julio: Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quædam feruntur, ut pro Quinto Metello, quam non immerito Auguſtus exiſtimat magis ab Actuariis exceptam male ſubſequentibus verba dicentis, quam ab ipſo editam. Quin etiam in provinciis hujuſmodi Scribæ & Notarii aderant, qui Præſidum acta notis exciperent, teſtatur Modeſtin. in l. XXXII. ex quibus cau. major. A notis autem hujuſmodi Exceptores Notarii dicti ſunt, qui compendio quorundam punctorum, ſignorum & minutarum figurarum verba aut vim ſyllabarum comprehendebant, ut ex Plutarcho in Catone Minore demonſtrari poteſt, & ex Prudentio, qui de Caſſiano martyre ſic habet:

Scribæ. — *Commentarienſes* — *Cato Scribas in ordinem redegit.* — *Scriptitantium faſtus.* — *Scribarum munus ſordidum.* — *Amanuenſis.* — *Graphiarii.* — *Contra officiorum publicorum emtores & venditores.* — *Symonia forenſis.* — *Actuarii* — *Notarii.*

Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus,
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.
Fictis notare verba signis imbuens.

Nam ex l. VI. §. ult. de bon. possess. ff. constat notas non esse literas, quod etiam manifestum fit ex l. XL. de mil. test. l. I. §. ludi. de extraord. cogn. Quibus notis adhuc in quibusdam Jurisconsulti utuntur, ut ff. ∬. & similibus, quibus etiam in hoc opere usi sumus: neque enim receptam immutare volumus consuetudinem, & si alia symbola ab aliis usurpari videamus: nam quosdam ex Neotericis π. aliquos D. loco autem §. ϑ. usurpare videmus: per me autem sunt omnia protinus alba, dummodo nota sint legentibus: nam ut ait Paulus l. XXXVII. ff. de obligat. & act. non figura literarum, sed oratione quam exprimunt, obligamur, quatenus placuit non minus valere quod scriptura, quam quod vocibus lingua figuratis significaretur. Justinianus tamen Imperator l. II. ∬. eadem. de vet. jur. enucl. ubi de conformatione Digestorum agit, sub pœna falsitatis prohibet jus nostrum, atque leges per signorum auctoritates conscribere: *Signa.* Omnia enim, id est, & nomina Prudentum, & titulos, & librorum numeros per consequentiam literarum vult, non per signa manifestari. Sic etiam olim, ut etiam nunc, plerunque pondera, mensuræ & summæ notis pingebantur. Suetonius in Galba: Quia vero notata non perscripta summa erat, &c. Ulpianus in l. IX. §. I. de hæred. instit. si quis pro centum ducenta per notam scripsisset. *Apophtegma.* Quam autem illud periculosum sit vel ex eo apophtegmate colligere est, quod refert Macrobius Saturnaliorum lib. II. de jocis Augusti, his verbis: Solebat Licinius Libertus ejus inchoanti opera Patrono magnas pecunias conferre, quem morem sequutus, centum promisit per libellum, in quo virgulæ superductæ pars ultra pecuniæ defectionem protendebatur, vacante infra loco. Cæsar occasione usus, priori alterum centies sua manu junxit, spatio diligenter expleto, & affectata literæ similitudine, geminatamque accepit summam, dissimulante Liberto; qui postea cœpto alio opere, leniter factum suum Cæsari objecit, libello tali dato: Confero tibi, Domine, ad novi operis impensam, quod videbitur. Itaque consultius facerent Notarii nostri, si numerorum summas per verba & literas, non per cifras, aliave signa notarent in instrumentis, nec toties suum, &c. ponerent, quæ sæpius falsitatis ansam præbent Veteratoribus. Sueton. in Tito: E pluribus comperi notis quoque excipere velocissime solitum, cum Amanuensibus suis per ludum jocumque certantem, imitari chirographa quæcunque vidisset, ac profiteri sæpe maximum falsarium esse potuisse. Ex quibus ad satietatem apparet diversa esse notis & literis pingere: Varronis tamen hæc superaddatur auctoritas. In foliis palmæ interdum notis, interdum sermonibus scribebat. *Exceptores velocissimi.* Velocissime autem hujusmodi notis excipi poterat quælibet oratio, quamvis cursim, & sine ulla intermissione diceretur. Senec. lib. epist. XIV.

A Quid loquar verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus sequitur. Hujusmodi Exceptores pro tablinis sedentes in Curiis parlamentorum tanta articulorum dextræ velocitate valentes, aliquando vidimus, ut sæpius non immerito miraremur, quomodo Cancellariorum, Advocatorum sermones, Judicum decreta celeri calamo excipere poterant, qui etiam, ni fallor, cum antiquis notariis certare possent, de quibus Martialis in Apophor.

B *Currant verba licet, manus est velocior illis,*
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Qualem describit Ausonius in epist. sectione III.

Puer notarum præpetum, &c.

Sunt qui putant, istam per notas scribendi rationem a Cicerone primum institutam. C Plutarchus quidem auctor est, Catonis orationem Notariorum beneficio extare, quos velocissimos Scribas in Curia disposuisset, ut Senatorum sententias notis exciperent. *Primus quis notas invenit.* Eusebius vero ait, Tyronem Ciceronis libertum notarum usum invenisse. Dion ad Mœcenatem refert. Varii autem modi scribendi usitabantur olim, uti etiam nunc. *Varii scribendi modi.* Nota est ex Gellio Laconica Scytala, nota sunt pugillaria Asdrubalis, atque Histiei. Verum quod adnotavit de Cæsaris notis, non satis explicavit, ideoque nos ex Tranquillo noctium tenebras illustremus. Si qua D (inquit) occultius perferenda erant per notas, scripsit Julius Cæsar, id est, structo literarum ordine, ut nullum verbum effici posset, quæ si quis investigare, & persequi vellet, quartam elementorum literam, id est, D. pro A. & perinde reliquas commutet. Octavius quidem Augustus (inquit) quoties per notam scripsit B. pro A. & C. pro B. ac deinceps eadem ratione sequentes literas posuit, pro X. autem duplex A. Cujus scriptionis meminit etiam Cicero libro III ad Atticum. Consentientibus autem & consciis caracterum facile E est aliis ignotam scribendi rationem adinvenire; aliam ab ea, quam invenit Tritemius Abbas, ignotissimam vide apud Joannem Brodæum lib. IV. cap. IX. Miscellaneorum: *Tritemius.* possem & alia commenta, quibus proditores usos audivimus, in medium adferre, sed nostri instituti non est hic poligraphiam instituere. *Secretarii Secretum.* Postea etiam Secretarii dicti sunt a secreto sive secretario, quod locus erat cancellis septus, in quo Judices causas examinabant, cujus fit mentio in l. nullum. C. de Testibus. Secretarii F autem in l. ult. C. ubi Senatores. l. III. de offic. diverf. Jud. Inde etiam ab iisdem cancellis Cancellarii dici cœperunt, non, ut quidam putant, a cancellando, id est, *Cancellarii.* actis cancellatim lineis perstringendo, quorum meminit Justinian. in tit. de assess. & domest. Vopiscus etiam in Carino. Declinante autem imperio Rom. ita auctum est illud officium ab Imperatoribus, ut ad dignitatis supremæ culmen elatum sit, ut patet ex Cassiodori lib. XI. variorum, ubi de

Joanne Cancellario honorifice loquitur, uti etiam nunc illa dignitas inter palatinas apex sit honorum, & veluti animi ambientis honoristitium: nam ut Mimographus ait:

Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Consistes ægre, & citius quam ascendas cades.

Honorificum apud Græcos Scribarum munus. Eumenes Curdian. Archigrammatei. Scriba Principum.

Apud Græcos vero Scribarum munus in maximo honore fuit, ut idem Probus auctor est. Testis etiam Eumenes ille Cardianus Scriba Philippi & Alexandri Regum Macedoniæ, qui inter primores Græciæ excelluit. Alias Archigrammatei & Primicerii, & Magistri libellorum dicti. Sed de Ministris & Apparitoribus Judicum sermo esse debuit, non de Magistratibus Principum: nam fere fit, ut quæ in aliis obscura & vilia sint munia, in Principum aulis splendida & conspicua habeantur. Itaque cum inter ministros, servosque publicos recenseri potuerint Scribæ, & Notarii, extra ordinem nunc debent, qui Principi sunt a secretis, cum dignitate illius illustrentur, ut notat And. Tiraquel. de nobilitate c. XXX. artic. VIII. & IX. Quis enim ad solem accedens, lumine non irradiatur, quantumvis obscurus? Porro Scribas & Notarios semper commendavit memoria, scientia, & celeritas, ut testis est Cicero in oratione pro Pub. Sylla. Sed ad alios properandum. Nam hujus seriei quædam est concatenatio, ut uno moto multi sequantur annuli.

ARGUMENTUM

CAP. XIII.

De Accenso, Præcone, Interpretibus, Viatoribus, Lictoribus, & Statoribus.

Rogitabit quispiam quam in hoc veluti peregrinatur foro, quænam sit reliqua turba cum suo apparatu, quæ toties ultro citroque obviam facta est: admirationem autem inducunt conspicuæ fasces, & secures obligatæ, quæ supereminent, & splendore oculorum aciem perstringunt, stuporem vero tubæ & vocis clangor, spiculorum, gladiorum, & clavium strepitus, quibus aures tinniunt. Cui ut satisfaciam, veluti in ordinem redegimus Accensos, Præcones, Interpretes, Viatores, Lictores, Custodes, nam si qui præterea in hac turba permixti sunt, obscuri sunt nominis. Ac primum de Accensis, quia proximi sese offerunt, dicamus.

Accensus

Accensi ergo teste Varrone v. de lingua Latina, ab acciendo, id est, vocando dicti sunt. In Commentariis Coss. scriptum sic inveni: Calphurni voca in licium omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites ite ad concionem huc ad Judices. Deinde Consul loquitur ad exercitum: impero qua convenitur ad comitia centuriata. Quare hic Accenso, ille Præconi dicit: hæc est causa. In aliquot rebus item ut Præco Accensus acciebat, a quo accensus quoque dictus. Idem jussu Prætoris clamabat esse tertiam, meridiem,

A & horam nonam. Idem Varro Accensum solitum ciere Boetia ostendit hoc versu:

Ubi primum Accensus clamarit meridiem.

Hoc idem Cosconius scribit, in actionibus Prætorem Accensum solitum tum esse jubere, ubi ei videbatur horam esse tertiam, inclamare horam esse tertiam, itemque meridiem, & horam nonam. Plinius l. VII. c. VIII. Post aliquot annos adjectus & meridies Accenso Consulum id pronuntiante,
B cum a Curia inter Rostra & Græcostasim prospexisset talem solem. Accensus testibus Nonio & Asconio, ordinis nomen est in militia ut dicitur Princeps vel Commentariensis, aut Cornicularius, qui post Rorarios collocabatur, ut ex Livii l. VIII. apparet, & ex hoc versu in Frivolaria:

Ubi Rorarii milites sunt? en sunt; ubi Accensi?
Ecce.

C Qui levis armaturæ milites erant. Dicuntur etiam qui in locum demortuorum militum sufficiebantur, sed hi ad militiam togatam non pertinent. Accensi itaque forenses ex liberis solum fiebant. Cic. ad Q. fratrem Asiæ Proconsulem: Accensus eo etiam numero, quo eum Majores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris aut muneris non temere, nisi Libertis deferebant, quibus illi quidem non multo secus quam servis imperabant. Accensum autem habuere Coss. Decemviri, Prætores, Proconsules, & Præsides,
D hic autem ex more antiquorum præibat, quando Lictores sequerentur Magistratum cui apparebant. Suetonius in Julio: Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense fasces non haberet, Accensus ante eum iret, Lictores pone sequerentur. Livius lib. II. Eo die penes Præfectum juris fasces duodecim erant, Collegis novem, singuli Accensi apparebant. Sed alius verbis Plauti evocandus est:

Exurge Præco, fac populo audientiam.

E

Præco.

Nam & hic aciebat. Idem Varro lib. v. Ubi noctu in templum censura auspicatur, atque de cœlo nuntiatum erit, Præconi sic imperato, ut viros vocet. Quod bonum, fortunatum, felixque salutareque fiet Pop. Rom. Quiritum, Reique pub. Populique Rom. Quiritum, mihique, collegæque meo, fidei, Magistratuique nostro omnes Quirites, pedites armatos, privatosque, curatores omnium Tribuum, si quis pro se sine altero dari rationem volet, voca inlicium huc ad me. Præco in templo primum
F vocat, postea de mœris item vocat. Dion. Nicæus in Adrian. Cum olim quædam per vim, & superbe in ludo armorum peterent, nil eis distribuit, imo vero jussit illud Domitiani pronuntiari, *Silete*, quod verbum minime prolatum est: nam Præco manum continuo sustulit, ita eo signo, quod fieri solet, eos quiescere fecit, atque tacere; quare, inquit, non opus est ut ex præcepto sileant, qui jam tacuere,

hoc enim vult Princeps, neque tamen ideo iratus est Præconi, imo vero majore in honore habuit, quod gravitatem mandati non exposuisset. Item Populum, & Tribus ad Comitia, Patres ad Senatum vocabat. Livius. Posteaquam audita in foro vox est Præconis Patres ad Decemviros vocantis. Quin etiam in judiciis Reos, id est, Litigantes facit l. Divus. de restit. in integr. l. & post edictum. de jud. ff. Fabius lib. VI. c. V. Institution. Orator. In publicis certe judiciis vox illa Præconis, præter Patronos ipsum, qui egerit, citat. Item Asconius tertia Actione in Verrem: Apud Veteres & Judices, & Rei, & Accusatores citabantur a Præcone Prætorio. Fuere enim varii Præcones, qui variis Magistratibus apparebant. Imo etiam testes citabat. Cic. IV. in Verrem: Iste Testes citari jubet, dicit unus & alter breviter, nihil interrogatur, Præco dixisse pronuntiabat. Quod etiam manifestum fit ex Apulej. lib. I. Floridorum. Plutarchus autem in Gracchorum vita testatur, quod si quis capitali judicio accersebatur, & non veniret ad se defendendum, tum eum domi ante januam consistens Præco citabat. In publicis etiam, idem Magistratus mandato Lictorem lege agere jubebat. Livius lib. XXV. Fulvius Præconi imperavit, ut Lictorem lege agere juberet. Denique hic totus vocalis erat, ideoque a præcinendo, quod ante vel fortiter canat secundum Priscinianum dictus Præco. Hinc etiam Candidatos suis nominibus appellabat, leges subjiciente Scriba Populo recitabat, in certaminibus nomen victoris exprimebat. Vergil. V. Æneid.

Interpretes.

Victorem Æneas Præconis voce Cloanthum
Declarat.

In actionibus publicis res quæ sub hasta venibant (sive ut DD. loquuntur ad incantum) proclamabat, & præmia, ut inquit Cicero, conficiebat. Hujus ministerio vocis omnes fere Magistratus utebantur: nam & Principes etiam per eum ad Populum sæpius loquuti sunt. Quin etiam cum Regem sacrorum Flaminesque non liceret videre feriis opus fieri, per Præconem denuntiabant, ne quid tale ageretur. Porro alii in aream fori descendunt, Interpretes, qui Magistratibus suis lingua etiam apparent: nam horum opella egebant Romani ad Populorum externorum, & gentium barbararum sermonem interpretandum sive legationem, sive magistratum ipsi obirent. Tanta autem fuit linguæ Latinæ observantia, & majestas, testis Valerius lib. II. cap. I. ut ne Græcis unquam nisi Latine responsa darent. Quin etiam ipsa linguæ volubilitate excussa per Interpretem loqui cogebant non in urbe tantum, sed etiam Græcia & Asia, quo Latine vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Cicer. Verrina V. Aulus Valentius est in Sicilia Interpres, quo iste Interprete non ad linguam Græcam, sed ad furta & flagitia uti solebat. Sed Viatores a via, unde accersebant, dicti sunt. Cic. de Senectute: A villa in Senatum accersebantur Curius & cæteri senes, ex quo, qui eos accersebant, Viatores nominati. Columella in præfatione lib.

Viatores.

I. Illis temporibus Proceres in agris morabantur, & quum consilium publicum desiderabatur, a villis accersebantur in Senatum, ex quo, qui eos accersebant, Viatores nominati sunt. Viatorem autem habebant Tribuni, & cæteri Magistratus, qui præhensionem habebant. Varro apud Gellium: In Magistratu habent vocationem, alii præhensionem, alii neutrum. Vocationem ut Coss. & cæteri qui habent imperium, præhensionem ut Tribuni Plebis, & alii qui habent Viatorem, neque præhensionem, neque vocationem, ut Quæstores & cæteri, qui neque Lictorem habent, neque Viatorem. Livius lib. II. Ardens ira Tribunus Viatorem mittit ad Consulem, Consul Lictorem ad Tribunum. Coss. autem etiam Viatorem habuere. Idem lib. XXIII. Consul Viatorem misit, qui patri nuntiaret, ut sine Lictoribus ad Consulem veniret. Valgius Rufus apud Gellium cap. III. lib. XII. ait ex collegio Viatorum, qui officium ligandi haberet, Lictorem appellatum, quod cum Magistratus Populi Rom. virgis quempiam verberari jussissent, crura ejus & manus ligari, vincirique a Viatore solita sint: uriturque ad eam rem testimonio M. Tullii, verbaque ejus refert ex oratione, quæ dicta est pro C. Rabirio: *Lictor (inquit) colliga manus*. Sed Tyro Tullius M. Ciceronis libertus Lictorem vel a lino vel a licio dictum scripsit: Licio enim tranverso, quod linium appellatur, qui Magistratibus (inquit) ministrabant cincti erant. Si quis autem putet propterea probabilius esse quod dixit Tyro, quando syllaba prima in lictore, sicut in licio producta est, & in eo verbo quod est ligo correpta est, nihil ad rem istam pertinet; nam sic a ligando lictor, ut a legendo lector, & a vincendo victor, productis quæ corripiebantur vocalibus, dicta sunt. Quando autem, & quomodo instituti sic Livius lib. I. Cum cætero habitu se augustiorem, tum maxime Lictoribus duodecim sumtis fecit: alii a numero avium, quæ augurio regnum portenderant, eum sequutum numerum putant. Me haud pœnitet eorum sententiæ esse, quibus & Apparitores, & hoc genus ab Hetruscis finitimis, unde sella Curulis, unde toga Prætexta sumta est, numerum quoque ipsum ductum placet, & ita habuisse Hetruscos, quod ex duodecim populis communiter Rege creato singuli Populi Lictores dederint. De Romulo hactenus Livius: Macrobius autem lib. I. cap. VI. Saturnalior. Lictores & hujusmodi ornamenta refert ad Tullum Hostilium, quem nonnulli purpuratum cum Lictoribus in publicum prodiisse ferunt. Exactis Regibus nihilominus tamen Lictores insigne Regium Coss. retinuerunt. Idem Livius lib. II. Omnia jura, omnia insignia, primi Coss. retinuere, id modo cautum est, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior concedente Collega fasces habuit, qui non acrior vindex libertatis fuerat, quam deinde custos. Imo etiam Decemviri. Idem lib. III. Initio Magistratus primum honoris diem denuntiatione ingentis terroris insignem fecere: Nam cum priores Decemviri servassent, ut unus fasces haberet, & hoc insigne Regium in orbem suam cujusque

Lictor.

Origo Lictorum.

vicem per omnes iret, subito omnes duodenis fascibus prodiere. Centum viginti Lictores forum impleverant, & cum fascibus secures illigatæ præferebantur. Obligatæ autem erant hujusmodi fasces cum securibus, ut interea, dum dissolverentur, mora quadam Magistratuum iræ deferberent, ut auctor est Plutarchus. Jussi autem Lictores fasces & secures quas præferebant, solvebant, & expediebant, atque virgis primum, dein securi percutiebant. Livius l. II. Coss. spoliare hominem, & virgas expediri jubet. Et paulo post: Quo ferocius exclamitabat, eo infestius circumscindere vestem, & spoliare Lictor, &c. Hinc illa horrendi carminis verba a Cicerone, & aliis recantata: *I Lictor, colliga manus, viro forti adde virgas, lege age*. Unde non ineptus videbitur meo indicio, qui Valgii & Tyronis Tullii relicta etymologia, Lictorem interpretetur quasi legis actorem. Lictorum etiam munus fuit populum atque turbam submovere, ad quod eleganter alludere visus est poeta Lyricus l. II. Carminum.

Cur obligatæ fasces.

Lictor quasi legis actor.

Non enim gazæ, neque Consularis
Submovet Lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Duodeni itaque Lictores Regi, Interregi, & Consuli, Dictatori quatuor & viginti apparuere. Prætores autem urbani binos, Provinciales autem & Proconsules senos habuere: quod manifestum fit ex l. XIV. de offic. Proconsul. Paulo Æmilio in Prætura privilegio honoris duodecim Lictores apparuerunt, ut Consularem potestatem in provincia haberet. In urbe Consulibus, & Prætoribus jus non erat cum securibus fasces præferri, sed tantum fasces: Quippe suprema potestas, & jus de nece civis Consuli intra pomœrium non concedebatur, cum autem foris esset, secures & fasces præferebantur. Quoties vero occurrebat minor Magistratus majori, ut indicaret honorem deferri majori potestati & imperio, Lictores summittebant. Porro qui urbanis Romæ apparebant Magistratibus ex Plebe Rom. erant. Livius lib. II. Quatuor & viginti Lictores apparere Coss. eo ipsos Plebis homines nihil contemptius, neque infirmius, si sint, qui contemnant. Magistratibus vero peregre proficiscentibus, atque in provinciis agentibus quondam Brutiani apparebant, quod (ut testis est Gellius libr. X. cap. III. Noct. Att.) cum Brutii primum totius Italiæ populi ad Hannibalem defecissent, idque Romani ægerrime tulissent, Brutios ignominiæ causa, nec milites scribebant, nec pro sociis habebant, sed Magistratibus in provincias euntibus parere, & præministrare servorum vicem jusserunt. Hinc illud affectu plenum ex oratione M. Catonis: Jussit vestimenta detrahi, atque flagro cædi, Decemviros Brutiani verberavere, videre multi mortales. Quinetiam, si minutiora persequi velimus, ex Livio observare licet, Lictores Magistratus, quibus apparebant, domum deduxisse, & januam virga percussisse, sic enim habet lib. VI. Forte ita incidit, ut in Servii Sulpitii Tribuni Militum domo sorores Fabiæ, cum inter se, ut fit, sermonibus tempus tererent, Lictor Sulpitii, cum is se domum reciperet, forem, ut mos, virga percuteret; cum ad id moris insueta expavisset minor Fabia, &c. Quam consuetudinem adhuc servant in hac urbe Scabinorum Rabdouchi: in ipso vestibulo antequam domum ingrediantur aliquem citaturi, radio fores percutiunt. Interdum tamen Magistratus ob personæ claritatem, & dignitatem virga fores percuti vetabant, sicuti legimus factitatum a Pompejo Magno in domo Possidonii summi sapientiæ professoris, cui etiam fasces summisit. Ex eodem grege Apparitorum fuere Statores, dicti a sistendo, vel a stando. Cic. lib. II. Epist. Ad te Statores meos, & Lictores cum literis mitterem. Idem lib. IX. Præsto mihi fuit Stator ejus cum literis, quibus ne venirem, denuntiabat. Horum etiam mentio fit in l. I. C. de cust. reor. l. IV. de off. Proconsf. ff. Nemo Proconsulum Statores suos habere potest, sed vice eorum milites ministerio in provinciis funguntur. Ubi Ulpianus visus est respexisse ad constitutionem Alexandri Imperatoris: nam is, ut testis est Lampridius, prohibuit, ne ante Tribunos, aut Duces Apparitores irent. Apparitores, inquit, nullos esse passus est Tribunis, aut Ducibus, milites anteire voluit, jussitque, ut ante Tribunum quatuor milites ambularent, ante Ducem sex, ante Legatum decem, hique ad domos suas reciperentur. Quanquam alii pro Statoribus Stratores legant, de quibus est etiam rub. lic. XII. C. Postea autem numerosam fuisse apparitionem Proconsulum vel ex eo constat, quod quadringenti numerantur in l. II. C. de apparit. Proconsul. Et Comitibus Orientis sexcenti assignati sunt: de Comit. Orient. l. XII. quanquam hæc numerosa videri non potest, si majestatem imperii & fines ditionum spectemus. Horum omnium, id est, Accensorum, Præconum, Viatorum, Lictorum, & Statorum, officiis & muniis nostri fere defunguntur Ministri, quos a serviendo & servando Servientes dicimus.

Lictores ex plebe.

Brutiani

Lictores januam pulsabant

Rabdouchi.

Statores.

Constitutio Alexandri.

Stratores. Numerosa apparitio.

Servientes.

ARGUMENTUM

CAP. XIV.

De Carnifice, Triumviris Capitalibus, & Custodiis.

PRoperantibus nobis, & collimantibus ad propositum finem, velut in portu navigantibus remora objicitur Carnifex, quem fere omiseramus, quia insolens forum Rom. frequentat, hic tamen sine elogio præteriri, non vult, ideoque hoc cap. præcedentibus annectendum putavimus, quo una de carceribus, eorum Custodibus & apparatu hujusmodi tristium ministrorum, qui inter se affines sunt, quia horum usus in publicis necessarius est, expediemus. Ex Cic. oratione pro C. Rabirio perduellionis reo colligi potest, Carnificem, nec civem, nec domicilium in urbe habuisse: Sed moreretur, inquit, acerbissima morte millies Gracchus, quam in ejus concione Carnifex consisteret, quem non modo foro, sed etiam cœlo hoc, ac spi-

Carnifex

ritu Censoriæ leges, ac urbis domicilio carere voluerunt. Putabant enim Populi Rom. coronam, & liberam civitatem pollui præsentia & contagione ejusdem. Idem Cicero paulo ante: Uter nostrum tandem Labiene, popularis est? Tune qui civibus Rom. in concione ipsa Carnificem, qui vincula adhiberi putas oportere? qui in campo Martio comitiis centuriatis auspicato in loco crucem ad civium supplicium constitui & defigi jubes? an ego qui funestari concionem contagione Carnificis veto, qui expiandum forum Pop. Rom. ab illis nefariis sceleris vestigiis esse dico? qui castam concionem, sanctum campum, inviolatum corpus omnium civium Rom. integrum jus libertatis defendo servari oportere? Sed cum ex superioribus patet, Lictores non solum ligasse, sed virgis, sed securi percussisse, quid a Carnifice differant, non satis video: sin autem in ordinem, & album Carnificum eos redigamus, quomodo subsistet, quod Lictores urbanos ex plebe homines fuisse, atque ubique in foro & concione Magistratibus apparuisse diximus, cum Ciceronis loco, qui Carnificem ex foro, urbe, concione sustulit? Itaque suspicamur in re dubia Lictores tantum in cives Rom. lege egisse, perduellesque virgis & securi more majorum percussisse, Carnifices vero crucifixisse, strangulasse, gulam fregisse, & alia supplicia servis, peregrinis, & iis, qui cives non erant, irrogasse: Raro enim aut nunquam ultimo supplicio afficiebantur cives Rom. prohibentibus legibus Valeriis, & Semproniis, sub quib. tamen non comprehendebantur perduelles, in quos more majorum animadvertebatur. Cic. VII. act. Facinus est vinciri civem Rom. scelus verberari, prope parricidium necari, quid dicam in crucem tollere? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Idem Cic. in Rabiriana veluti per anthitesim comparat Carnificem cum Lictore: Porcia lex, inquit, libertatem civium Lictori eripuit, Labienus homo popularis Carnifici tradidit. Item Livius lib. III. V. C. ubi Decemvir ille perpetuus bonus tergo, sanguini civium infestus, virgas & secures omnibus minitans, Deorum hominumque contemtor, Carnificibus non Lictoribus stipatus. Idem Cic. VII. Verrina: Aderat Janitor Carceris, Carnifex Prætoris, mors terrorque sociorum & civium Lictor. Quibus etiam manifestum fit, Carnificem carceris custodem nequaquam fuisse Romæ, ut quidam vir doctus putavit: nam si legibus Censoriis, ut ait Cic. urbis domicilio carere debuit, quomodo custodiam carceris habuit, qui in urbe fuit? Expedit autem, ut ait Philos. VI. Polyt. ut diversus sit qui custodit ab eo qui animadvertit in Reos. Pomponius in l. II. de origin. jur. ait Triumviros Capitales constitutos, qui carceris custodiam haberent, ut quum animadverti oporteret, interventu eorum fieret. Neque absimiles fuere Undecimviris Atheniensibus, qui etiam cognoscebant teste Asconio apud columnam Mæniam de servorum & infimæ conditionis hominum criminibus. Verisimile est autem Triumviros capitales carnificinæ præfuisse, atque sub se Carnifices, Lorarios, Lanios, tintinaculos viros, & ejusdem ordinis lixas habuisse, cum eorum instrumento. Sallustius: Triumviros, quæ supplicium postulat, parare jubet. Atque apud eundem legimus Ciceronem supplicium de Lentulo, & Cethego sumsisse horum Triumvirorum Capitalium interventu. Et quoties apud auctores legitur morte aut supplicio affecisse, ita intelligendum est, quasi interventu eorum lege actum sit, ut exempli causa apud Valerium lib. 8. cap. IV. ubi dicit Alexandrum servum a Triumviro in crucem actum, sic interpretor, id est, interveniente & præsente, atque etiam lege agere jubente Triumviro. Sunt qui putent Carnifices, cum Reos ad supplicium ducebant servos & peregrinos, tintinabula gestasse ad convocandam plebem, vel submovendam fortasse, ne contaminarentur. Hinc tintinaculi viri. Plautus in Truculento:

Lictores & Carnifices quid differant. *Cives Romani raro ultimo supplicio affecti.* *Triumviri Capitales.* *Tintinabula.* *Tintinaculi viri.*

Lanios accersam duos cum tintinabulis.

Iterum:

Non ego bilingues vos necem, nisi ad tintinaculos
Vultis vos educi viros.

Licet nonnulli a sonitu qui per onomatopœiam tax dicitur, vel tinnitu flagrorum dici malint, quales nominare possemus quosdam, qui religionis ergo vicatim se flagellant in profestis & pridianis parascheves, qui etiam tintinabula gestant. Porro carceres dicti sunt a coercendo, pro quo facit l. aut damnum §. solent. ff. de pœn. Inde hippodromi locus carceres etiam nominatur. Varro lib. IV. Carcer a coercendo, quod exire prohibet. Est autem locus in carcere, quod Tullianum appellatur, cujus faciem horribilem describit Sallustius in Conjurat. Catilin. Idem Varro: in hoc pars quæ sub terra Tullianum ideo additum a Tullo Rege, quod Syracusis, ubi simili de causa custodiuntur, vocantur Latomiæ, & de Latomia translatum, quod hic quoque lapidicinæ fuerunt. Livius lib. I. Carcer ad terrorem crescentis audaciæ media urbe imminens foro ædificatur. Idem lib. XLII. de Latomiis: Triumviri Latomiarum intentiorem custodiam habere jussi. Latomiæ autem teste Asconio lapidicinæ dicuntur loca scissis lapidibus exsecta, de quibus sæpius meminit Plautus in Captivis, quas Lapidicinas & Latomias lapidarias vocat:

Carceres. *Tullianum.* *Latomiæ.*

Inde ibis porro in Latomias lapidarias.

Et alio loco:

In lapidicinas compeditum condidi.

Et infra:

Vidi ego multa sæpe picta, quæ sub Acheronte fierent

Cruciamenta: verum enimvero nullus adæque'st Acherons,
Atque ubi ego fui in lapidicinis.

Seneca: neque quenquam decipiat nomen Latumiarum, minime lauta res est. Julius Obsequens prodigii loco refert, quod Sergio Galba & M. Scauro Coss. in Latomiis homo ab homine adesus sit. Harum etiam fit mentio in lib. IX. ex quib. caus. ma. & l. I. §. ult. de Aleat. Hujusmodi carceres olim extructos Syracusis a Dionysio Tyranno testatur Cic. VII. Verrina: Latomias Syracusanas omnes audistis, plerique nostis, opus est ingens, magnificum Regum ac Tyrannorum, totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso, & multorum operis penitus exciso, nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, &c. Et infra Carcer ille, qui a crudelissimo Tyranno Dionysio factus Syracusis, quæ Latomiæ vocantur, in istius imperio domicilium Romanorum fuit. In has quondam detrusus fuit Philoxenus nobilis poeta, quod schedia ab ipso Dionysio composita contra veritatem, assentatorum more laudare noluisset. Cujus carceris pædore & squalore labefactari non potuit ejus animus constanter rigidus: nam cum ex Latumiis extracto in lucem iterum aliæ gerræ & Siculæ nugæ proponerentur laudandæ ab eodem Tyrrano, indigne ferens exclamavit, Πέμψον εἰς τὰς λατομίας, id est, mitte me in Latumias. Fœditatem hujus carceris ita depingit Thucydides lib. VII. extremo, hoc modo: eos, qui in Latumiis erant, Syracusani primum duriter & acerbe tractabant; quum enim in loco illo concavo frequentes essent, primum quidem sol & æstus eos offendebant, quod locus apertus esset, & sine tecto, noctes autem insequentes, quæ autumnales erant & frigidæ, nova, & contraria ratione propter mutationem morbos inducebant. Eo accedebat, quod propter loci angustias ibidem omnia facere, & naturæ necessitati parere cogebantur. Quin etiam cadavera eorum, qui aut ex vulneribus, aut propter illam mutationem, aut simili quapiam de causa mortem obierant, simul congesta & coacervata erant. Ex quo quidem odoris intolerabilis fœditas consequebatur. Robur vero auctore Festo fuit, quo præcipitabatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur. Livius lib. XXXVIII. At enim, quod ex bonis redigi non possit, ex corpore & tergo per vexationem & contumelias L. Scipionis petituros inimicos, ut in carcere inter fures nocturnos & latrones vir clarissimus includatur, & in robore, & tenebris expiret, deinde nudus ante carcerem projiciatur. Valerius lib. VI. ait, familiares Gracchorum de robore præcipitatos. Plautus in Curculione:

—— At ego vos ambo in robusto carcere,
Ut pereatis.

Apulejus apologia secunda etiam meminit: O subtilitas digna carcere & robore. Arcas autem robusteias dici puto, quæ contignatione roborum fiebant, ab arcendo dictæ. Cicero pro Milone: Subito arrepti in quæstionem, tamen separantur a cæteris, & in arcas conjiciuntur, ne quis cum his colloqui possit. Neque absimilia esse puto septa illa, quæ trabium cancellis roborantur, quæ vernacule *Geolas*, Latine Roboria dicere possemus. Ejus generis sunt, quæ a J.C. l. VII. depositi malæ mansiones appellantur, nisi equuleum malumus interpretari. Codex autem robusteius, aut, uti legendum existimo, caudex, truncus est, ad quem alligabantur noxii & servi. Plau. in Pœnulo:

—— Ego jam detrudam ad molas,
Inde porro ad puteum, atque robustum codicem.

Propertius:

Codicis immundi vincula sentit anus.

Quin etiam inter vincula numerari potest numella, qua collum insertum firmiter comprehenditur, quasi nulla, abundante litera m, a nuo, quod nuere faciat, quantumvis duras & rigidas cervices, quibus succollatur. Quale genus vinculi Græcis fuisse videtur κύφων, quales sunt & cippi, quibus crura & brachia noxiorum captivorum colligantur, unde Cipparii custodes denominantur. Prudens omitto alia vinculorum, nervorum, & compedum genera, quibus corporis membra præpediuntur non solum, sed etiam arrogantes & contumaces spiritus deprimuntur, & franguntur, de quibus Plautus in Asinaria:

Adversorum stimulos, laminas, crucesque, compedesque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias.

Gemoniæ autem scalæ in Aventino erant, ad quas corpora damnatorum impacto unco trahebantur. Tacitus: Tunc confossum, collaceratum, & abscisso capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt. Gradus Gemonii etiam dicuntur. Plinius lib. VIII. cap. XL. scribit canem a corpore servi non recessisse abjecto in gradibus Gemonii. Horum frequens fit mentio apud Valerium, & alios auctores. An autem sic denominati sint ab ipso conditore & extructore, vel potius a gemitu & gemendo, non satis liquet. Verum custodia varie accipitur: nam sæpius ipsos carceratos denotat. Suetonius in Tiberio: In recognoscendis custodiis precanti cuidam respondit, nondum tecum in gratiam redii. Et custodiarum seriem recognoscens nullius inspecto elogio stans tantummodo intra porticum a calvo ad calvum duci imperavit. Et Jurisconsulti in l. solent. de off. Proconsul. & legat. & tit. de custodia & exhib. reor. ff. pluribus in locis. Interdum pro custodiendi actu & carceribus ponitur, ut in rubrica de custod. reor. l. I. ff. eodem: De custodia reorum Proconsul æstimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, an fidejussorib. committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis quod objicitur qualitate, vel propter honorem, vel propter am-

plissimas facultates, vel pro innocentia personæ. l. II. de custod. reor. C. l. I. de effract. ff. Columella lib. I. Nam illa solennia sunt omnibus circumspectis, ut ergastuli mancipia recognoscant, ut explorent, an diligenter vincta sint, an ipsæ sedes custodiæ satis tutæ munitæque sint. Et Cicero in Verrinis sæpius hoc modo usurpat. Aliquando etiam custodia, pro custode accipitur, Tibullus:

Custos.

Sed pretium si grande feras, custodia victa est.

Ut etiam in l. XX. C. de pœnis. Custos vero carceris etiam Commentariensis dicitur, quod in commentarium custodias redigat. Cic. VII. Verrina: Cedo rationem carceris, quæ diligentissime conficitur, quo quisque die datus in custodiam, quo mortuus, quo necatus sit. Ex l. ult. ff. de custod. & exhib. reorum. apparet illum cogi singulis mensibus de personis reorum, & numero, de varietate delictorum, de clausorum ordinibus, & ætate vinctorum ad Judicem referre debere. Unde desumptus est articulus VII. Ordinationum sive Instructionum pro carcerum custodibus, nuperrime latarum. Sed periculum custodiarum subibant custodes. l. ad Commentariensem. C. de custod. reor. l. miles. ff. eod. Etsi autem carceres ad continendos homines, ut supra dictum est, non ad pœnam & supplicium parati esse debeant, interdum tamen ad castigationem delinquentium constituti videntur. Cic. II. Catil. Sentiet in hac urbe esse carcerem, quem vindicem nefariorum scelerum Majores nostri esse voluerunt. In foro quidem Ecclesiastico carcer ille pœnalis est, cum quis ad perpetuos carceres condemnatur, macerandus pane doloris, & aqua tristitiæ, cap. forus. ext. de verb. significat. cap. quamvis. de pœnis lib. VI. quæ quidem pœna morti sæpius æquiparatur, imo quavis morte gravior, nisi quibus illud Euripidis in Iphigenia placet magis:

Commentariensis.

Carcer pœnalis.

Euripides.

Aspectus hujus lucis est mortalibus
Dulcissimus. Verum profunda manium
Haud ullus est, qui concupiscat cernere:
Neque mente sana, quisquis exoptat mori:
Male vivere autem satius est, ac mori bene.

Perpetui carceres.

Jure autem civili perpetui carceres prohibiti sunt, & ignoti l. aut damnum. §. solent. l. mandatis. ff. de pœnis l. incredibile. C. eodem. Quamquam & recensere possemus exempla damnatorum ad perpetua vincula, ut apud Valerium lib. VI. cap. III. de Cajo Vatieno, qui publicatis bonis ad æterna vincula damnatus est, quod sibi sinistræ manus digitos absciderat, ne bello Italico militaret. Adde C. Cornelii Primipili l. Scantinia damnati aliud exemplum, qui in carcere mori coactus est, apud eundem l. VI. c. I. Prudens item prætereo, quæ refert Suetonius in vita Tiberii, qui magnam partem Plebis ac Decurionum in perpetua vincula conjecit, quo citius me his expediam. Sunt etiam carceres hostium ac prædonum, de quibus fit mentio in l. succurritur. ff. ex quibus causis majores. Alia etiam genera refert Baldus in authent. si captivi. C. de Episcop. & Cleric. & Bartholo. Chassaneus in consuetud. Burgund. Privati autem carceres adeo severe prohibentur, ut plectatur ultimo supplicio, qui iis utitur. l. I. de privat. carcer. C. Verum quia abunde de custodiis tractatur in constitutionibus nuperrime editis super justitia criminali, quæ ex jure desumtæ sunt, non putavimus inculcanda, sed a carceribus ad metas tandem veniendum, quod faciemus, si hoc unum addiderimus ex Plinio: In quibusdam provinciis moris fuisse, ut per servos publicos rei custodirentur. Sic enim libro decimo Trajanus in hæc verba rescripsit: Perseveremus in ea consuetudine, quæ isti provinciæ est, ut per publicos servos custodiantur.

Carceres hostium.

Privati carceres.

Servi publici custodes.

ARGUMENTUM

CAP. XV.

De sententiis, earum conceptione & pronuntiatione.

Expeditis & in ordinem redactis Apparitoribus, restat de pronuntiatione sententiæ, & re judicata dicere, ut tandem circulum judiciarium expediamus. Ex superioribus constat, Judices in majoribus judiciis non dixisse aut pronuntiasse sententiam, sed mutis tabellis clam declarasse: Prætorem autem mero functum imperio ex tabellarum majore numero sententiam pronuntiandam collegisse. Numerabantur siquidem tabellæ, nec sententiæ ponderabantur, nec aliud in publico consilio fieri potest, ut ait Plinius lib. II. epist. ad Arrianum, in quo nihil est tam inæquale quam æqualitas ipsa: nam cum sit impar prudenti, par omnium jus est. Prætor itaque sententiam ex tabellis absolutoriis aut condemnatoriis conjectam pronuntiabat absolutoriam, aut condemnatoriam, prius tamen præposita Prætexta. Valerius lib. IX. Siquidem cum M. Ciceronem, qui id judicium cogebat, prætextam ponentem vidisset, id est, ad effandam, fulminandamque sententiam capitalem, & definitive pronuntiandam. Interdum etiam Quæsitor & Judex quæstionis. Plinius cap. XIII. lib. XIV. Cn. Domitius Judex pronuntiavit mulierem videri plus vini bibisse, quam valetudinis causa, viro insciente, ac dote multavit. Notanda autem hic venit Aporia usitata more Academicorum in sententia: non enim fecisse pronuntiabatur (quis enim alieni facti ita certus esse potest?) sed videri fecisse, quasi id Actoris probationibus, signis, conjecturis, argumentis validioribus, quam Rei tribuerentur, quum in allegata & probata pronuntietur: non enim quid factum spectatur, sed quid probatum, ut ex regula juris, Actore non probante absolvitur Reus: quod plane Academiæ proprium, & olim a Socrate usurpatum, ut testes sunt Platonici dialogi, ubi non quid sit vestigatur, sed quid dicatur, quomodove firmetur. Idem faciebant Pyrrhonii: nam inter hos & Academicos quid, &

Judices publicis non pronuntiabant.

Prætor sententiam capitalem concipiebat & pronuntiabat.

Aporia Rom. in ferendis sententiis videri.

Socrates.

Pyrrhonii.

quantum intersit vetus est quæstio a multis scriptoribus Græcis agitata. Utrique enim σκεπτικοὶ, ἐφεκτικοὶ, ἀπορητικοὶ dicuntur, quoniam utrique nihil affirmant, nihilque comprehendi putant de quibus cap. v. lib. XI. Gellius. Cic. in Academicis quæstionibus, de Socraticis, qui rerum comprehensionem negabant: Quam rationem (inquit) majorum etiam comprobat diligentia, qui primum jurare *ex sui animi sententia* quemque voluerunt, deinde teneri *si sciens falleret*, quod inscientia multa versaretur in vita. Tum qui testimonium diceret, ut *arbitrari* se diceret, etiam quod ipse vidisset: quæque jurati Judices cognovissent, ea non ut esse facta, sed ut *videri* pronuntiarent. Ex quo habent Romani instituti sui originem, agnoscunt & alterius in testificando. Ad rem facit, quod idem scripsit VI. Verrina: O præclarum Imperatorem, comprehendi jussit, quis non pertimescat causam dicere dominis, quid servis tam formidolosum fecisse videri pronuntiavit. Tacitus lib. XIV. Pronuntiemus ultro dominum cæsum videri. Valerius lib. II. At is inquit, jure eum cæsum videri. Vestigia sunt in l. I. §. quæri posset. ad S. C. Turp. lib. XX. de his qui notant. infam. l. XXI. §. I. de recep. ar. ff. Sic Ulp. in l. I. de just. & jur. ut invidiam amoliretur, vel Academicum agens, veram, inquit, ni fallor, philosophiam, non simulatam, affectantes. In privatis autem sententias suas pronuntiabant Judices. Julian. tit. de judic. de qua re cognoverit Judex, pronuntiare quoque cogendus erit, Paulus respondit. Judices a præside dati solent etiam in tempus successorum ejus durare, & cogi pronuntiare, easque sententias servari in eundem sensum etiam Scævola respondit. Hac autem usos formula, *si quid mei judicii est*, idem Cic. lib. II. de finibus auctor est: Privatorum litium Judices sumus: nihil enim possumus judicare, nisi quod est nostri judicii: in quo frustra solent addere, cum sententiam pronuntiant, *si quid mei judicii est*. Si enim non fuit eorum judicii, nihilo magis hoc non addito, illud est judicatum, quod judicat sensus. Ad quam formulam idem visus est mihi alludere in oratione illa pro Archia poeta statim in principio: Si quid est in me ingenii, Judices, quod sentio, quam sit exiguum. Notandum est etiam quod scribit Dionysius lib. VII. lege cautum fuisse, ut æqualitate suffragiorum Reus absolveretur. Exemplum in Mario Plutarchi: veruntamen (inquit) quanquam primis diebus multum fuisset in judicio jactatus Marius, atque infestis usus Judicibus; postremo tamen præter expectationem æquantibus sententiis est absolutus. Unde in usu proverbium *Æquales calculi*. Paul. l. XXXVIII. de re jud. inter partes numero Judices si dissonæ sententiæ proferantur, in liberalibus quidem causis, secundum quod a divo Pio constitutum est, pro libertate statutum obtinet. In aliis autem causis, pro Reo: quod & in judiciis publicis obtinere oportet. Cur autem paribus Reus absolvatur, ratio est, quod naturalis favor est pro laborantibus & reis, nec ampliabatur. Cujus favoris alias adfert rationes Aristoteles

Arbitrari.

Privatorum Judices.

Formula.

Proverbium.

in Problematis, quod in potestate Actoris sit, experiri velit, nec ne, non item in Rei. Præterea Reus metu damnationis præsumitur multa omisisse de necessariis, quod accidit graviter commotis, ut sibi excidant. Denique quod præstet nocentem absolvere, quam innocentem damnare, ut habetur in l. absentem. ff. de pœnis. Ex quibus lumen accipit l. favorabiliores. ff. de reg. jur. Recitabantur autem sententiæ a Prætoribus Romæ, aut a Præsidibus in provinciis clare & articulate, ut melius intelligerentur. Apulejus Floridorum lib. I. Enimvero ipse Proconsul moderata voce rarenter & sedens loquitur, & plerunque de tabella legit. Huc pertinet insulsa & inconsulta, sed tali Judice digna sententia Claudii Cæsaris, quam ex libello recitavit. Verba Suetonii adscribam: De quodam negotio ita ex tabella pronuntiasse creditur, secundum eos se sentire, qui vera proposuissent. Nam pro eodem libellum & tabulam accipi puto: quod ex collatione Poncii Diaconi in vita Cypriani manifestum fiet, si cum Augustini loco in sermone, quem habuit de eodem Martyre, conferatur. Hic autem sic habet. Cum Galerius Maximus decretum ex libello recitasset, *in Tascium Cyprianum gladio animadverti placet*, respondit ille, *Deo gratias*. Ille autem: Sententia ex tabula recitata est ita: *Tascius Cyprianus gladio feriatur*. Ex quibus etiam patet, quanta brevitate uterentur Romani in ferendis sententiis, si modo hæc integra, nec accisa sint. Quod vero necesse non fuerit olim Judices ex scriptis pronuntiare, facit ut credam tit. XLIV. libr. VII. C. ubi demum statuitur abs Valent. & Galien. Impp. sententias definitivas in scriptis redigendas, & pronuntiandas esse a Judicibus ex breviculo, seu potius periculo: nam & hoc postremum jam pridem in hac significatione repositum est contra restitutiones Alciati & Budæi. Porro cum ex eod. tit. cogantur ipsi Judices suas sententias pronuntiare, excipitur eminentissimus Præfectus Prætorio, & alii illustres Judices, qui per officium & eos qui ministerium suum illis accommodant, recitare suas sententias definitivas poterant. l. II. d. tit. de sent. ex peric. recit. neque enim in alio, aut aliis excipiuntur, nisi quod possint suas sententias per alios recitare. Ad instar autem illustrium personarum eadem prærogativa gaudent Episcopi propter dignitatem, uti statuit Bonifacius VIII. Rom. Pont. in c. ult. de sent. & re jud. Nunc passim autem sententiæ lectitandæ pedaneis Actuariis & Scribis proponuntur. Cæterum & ipsos Præsidentes Parlamentorum in Galliis sua pronuntiasse aresta sæpius & libenter audivimus in pridianis solemnium festorum: Nam tum si quæ sint magni momenti, & ad exemplum pertinentia, fere deductis mediis, & causæ meritis allegatis & probatis utrinque, tandem pro altera parte pronuntiant. Duo etiam capitalia præcipue in memoria habeo ob celebritatem, quæ audire memini a D. Mansencallo primo Præside Tholosano. Unum contra Malrasium Præsidem Collegam Repetundarum & peculatus reum, qui cingulo, & insignibus militiæ togatæ exau-

L. 168. de reg. jur. explicata. Pronuntiatio.

Ridicula Claudii Cæsaris sententia.

Libellus. Tabula.

De sententiis ex periculo recitandis.

Præsidentes Galliæ.

Duo aresta celebria.

A ctoratus fuit. Alterum contra Arnoldum Tylium, qui instar Protei alienum vultum indutus, ita effigiare poterat personam & mores Martini Guerræ, quem mentiebatur, ut diu pro eo sit habitus & creditus ab uxore & consanguineis ejusdem. Et quum secreta genialis thori panderet, & multa quorum conscius esse poterat solus maritus, diu velut alter Plautinus Amphitruo cum Alcmena cubuerit. Quæ idem Mansencallus memoriter & cum flumine eloquentiæ pronuntiabat: Nam nequaquam astringi se putant, ut ex periculo B recitent. Quæ tanto libentius refrico, quod omnibus fori Candidatis consultum velim, ut si quando detur & concessum sit, hujusmodi curias & conventus frequententent, & in iisdem viros celebres assectentur, quia ex his non minorem fructum reportabunt, quam ex quibusdam prælectionibus.

Latine sententia ferebatur.

Latine vero sententia ferebatur a Magistratibus Rom. tam Romæ, quam in Provinciis. Livius lib. XLV. Assuetis regio imperio, tamen novam formam terribilem præbuit tribunal, summotior aditus, Præco, Accensus, insueta omnia oculis, au- C ribusque, quæ vel socios, nedum hostes terrere possent. Silentio per Præconem facto Paulus Latine, quæ Senatui, quæ sibi ex consilii sententia visa essent, pronuntiavit, &c. Triphonius l. XLVIII. de re jud. Decreta a Prætoribus Latine interponi debent. Unde Tiberius Imperator, ut Suetonius testis est in ejus vita, quendam albo Judicum erasisse dicitur, quod Latine nesciret. Ipse autem Tiberius, quanquam alias promtus & facilis Græci sermonis, non tamen usquequaque usus est, D abstinuitque maxime in Senatu, adeo quidem, ut monopolium nominaturus veniam prius postularit, quod sibi verbo peregrino utendum esset, atque etiam in quodam decreto Patrum quum ἔμβλημα recitaretur, commutandam censuerit vocem, & pro peregrina nostratem requirendam, aut si non reperiretur, pluribus & per ambitum verborum rem enuntiandam. Militem quoque Græce testimonium interrogatum nisi Latine respondere vetuit. Sed de Romanis rerum dominis ita mirum non est: Consentaneum enim semper visum E fuit, victos & subditos, non modo in legibus, verum in moribus, & sermone, sese componere ad victorum imitationem. Quoties item Deus populum suum ulcisci voluit, confusionem linguarum immisit, ut habetur Genes. XI. & Jerem. V. Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabitis linguam: quod antea inter cæteras maledictiones Deut. XXVIII. comminatum fuit non servantibus Dei F præcepta: Quas utinam Deus avertat a nobis. Mirum vero est maxime, quod in Curiis quibusdam observatur, ut non solum decreta, sed judicialia acta omnia Latine celebrentur.

Edictum Francisci Valesii.

Quod non ita pridem usitabatur apud suprema Tribunalia Parlamentorum Galliæ: nam anno M. D. XXXIX. demum edicto Francisci Regis statutum est, ut omnes non modo sententiæ, sed & contractus, testamenta, & actus legitimi vernacule interponerentur:

Expedit vernacule causas agere.

Et recte quidem meo judicio; nam non fit sine dispendio & maximo incommodo plebeculæ & litigantium, qui Latine non norunt, quibus facile Pragmatici os sublinunt. Tolerabilius quidem foret, si ob linguæ præstantiam atque ejusdem puritatem amplecterentur, sed tantum abest ut Latine, quum Latinogallice, aut potius neutrum Hybridæ loquantur, quin etiam utrunque pervertant. Certe idiotismus (quæ præcipua & peculiaris eorum est dialectos) plane Prævaricatoribus aptissimus videtur.

Arcadii & Honorii constitutio.

Postea Arcad. & Honor. Impp. edicta & sententias tam Græce, quam Latine proferre Proconsules passi sunt. l. XII. de sent. & interl. omn. jud.

Actiones Græcæ.

Nam translato Byzantium imperio non minor Imperatoribus cura propagandæ linguæ Græcæ, quam Latinæ, fuit. Legimus tamen tempore Ciceronis Romæ actitatas etiam actiones Græce. Valer. lib. II. de C. Mario. Quis ergo huic consuetudini, qua nunc Græcis actionibus aures curiæ exsurdantur, januam patefecit? ut opinor, Molo Rhetor, qui studia M. Ciceronis acuit: eum namque ante omnes exterarum gentium in Senatu sine Interprete auditum constat. Sic etiam Claudius, teste Suetonio, linguæ Græcæ adeo studiosus fuit, ut in Senatu legatis perpetua actione responderit.

Sedentes.

Pro tribunali autem sedendo ferenda fuit sententia, ita ut sententia a stante lata nullius sit momenti. Rationem pete a Socero lib. I. Historiæ, ubi de sessionibus Judicum quædam dicta sunt. Sed hæc in ordinariis, nam causæ summariæ de plano, & levato velo (ut Impp. Honor. & Theodos. loquuntur) expediri poterant. Quin etiam sententiæ, ut Senatusconsulta, noctu latæ non valent. Sed quia superius etiam quædam dicta sunt, hic inculcare non putavimus operæprecium: neque enim decrevimus persequi sententias ipso jure nullas. Hoc tamen addemus, de unoquoque negotio præsentibus omnibus, quos causa contingit, judicari oportere, aliter enim judicatum tantum inter præsentes tenet. l. XLVII. de re jud.

ARGUMENTUM

CAP. XVI.

Quod sententia mutari nequeat, & de provocatione.

Sententia mutari non potest.

SEntentia vero prolata instar oraculi nullo modo mutari poterat. Apulejus lib. I. Floridorum: Proconsulis autem tabella sententia est, quæ semel lecta, neque augeri litera una, neque minui potest. Hinc est quod Cic. III. actione in Verrem criminose objicit, quod sua decreta subinde mutaret. Judex enim postquam semel sententiam dixit, postea judex esse desinit, & hoc jure utimur, ut Judex, qui semel vel pluris, vel minoris condemnavit, amplius corrigere suam sententiam non possit: semel enim seu male, seu bene officio functus est. l. judex. l. quum quærebatur. ff. de re jud. Paulus etiam in l. acta. eodem ait, de amplianda vel minuenda pœna damnatorum post sententiam dictam, sine principali auctoritate nil esse statuendum: addatur l. moris. §. iste fere. l.

Divi. ff. de pœn. Item Diocl. & Maxim. Impp. eodem. Pœnam sua dictam sententia Præsidi Provinciæ revocare non licet. Huc etiam pertinet apophtegma, quod refert Plutarchus de Philippo Macedonum Rege, qui cum dormitabundus condemnasset Machetem, isque appellasset Philippum vigilantem, & attentum, rursus cognita causa, judicata quidem non rescidit, sed pecuniam, in quam Machetem condemnaverat, ipse persolvit. Idem fere narrat Valer. libr. VI. cap. II. de quadam muliere, quæ a Philippo eodem temulento immerenter damnata: Provocarem, inquit, ad Philippum, sed sobrium. Verum aliter, quæ sequuntur: excussit crapulam oscitanti, ac præsentia animi ebrium resipiscere, causaque diligentius inspecta, justiorem ferre sententiam coegit. Ecce novo exemplo, & novo jure dicit sententiam correxisse. Sed hujusmodi appellationes aliquando recipiuntur, & causa iterum retractatur, nisi malimus eas supplicationes potius, quam appellationes nominare, cum hæ ad superiorem, illæ ad eundem Judicem semper fiant: quales etiam nominare possumus, quas aliquando interponi audivimus a rege male informato ad regem melius informandum. Porro & siquidem rescindere suam sententiam præcedentem Judex non possit, reliqua tamen, quæ ad consequentiam quidem jam statutorum pertinent, priori tamen sententiæ desunt, circa condemnandum reum, vel absolvendum debere supplere, scilicet eodem die, Paulus respondit tit. de re jud. Macer l. IV. de appella. Ab executore sententiæ appellare non licet: sed ab eo, qui sententiam male interpretari dicitur, appellari licet: Si tamen is interpretandi potestatem habuit, velut Præses Provinciæ aut Procurator Cæsaris, ita tamen, ut in causis appellationis reddendis hoc solum quæratur, an jure interpretatum sit, idque etiam Divus Antoninus rescripsit. Vidimus tamen post sententiam capitalem, asperiorem aliam in jam condemnatum ferri ab iisdem Judicibus, verum novo quodam judicio id fiebat, emergentibus post latam sententiam in publicum novis flagitiis, & criminibus, quæ ante abscondita & ignota erant. Extat etiam rescriptum regium ad quosdam Judices, quo præcipitur mutata sententia severius animadverti in hæreticos, si rursus hæresim, quam dissimulabant, amplexentur. Sed hæc odiosiora fortassis sunt. Itaque ad alia pergamus. Ergo contra sententiam latam restabat provocationis remedium. Nam nisi intra biduum in propria causa, in aliena autem intra triduum appellaretur, sententia transibat in rem judicatam, ut videre est ex l. I. §. biduum. quand. appel. ff. l. eos. §. sin autem. de appellat. C. nam ex jure antiquo quodnam aliud fuerit tempus appellandi constitutum, legere non memini. Novissime autem intra decem dies continuos appellatio interponi debet, authentic. hodie. C. de appellationib. Prima quidem appellatio a Duumviris ad Populum ab Horatio, qui sororem necaverat, interposita fuit, quum Tullus Rex Duumviros, qui Horatio Perduellionem judicarent, secundum legem

Sententia interdum mutari potest.

Provocatio.

Duumviros.

A fecisset. Lex horrendi carminis est apud Livium libr. I. V. C. *Duumviri perduellionem judicent: si a Duumviris provocarit, provocatione certato, si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito: verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Sed hoc raro, & inusitato cæteris exemplo factum est a Tullo Hostilio, credo, ut invidiam tam tristis ingratique judicii ad Populum non subiret, vel auctor non esset subvertendi judicii, si absolvisset: quod innuit idem Livius. Itaque post longam deliberationem, ut ait Dionysius, visum est factu optimum eam cognitionem referre ad Populum: nam cum Populus omnem suam potestatem lege Regia in eum contulisset, quorsum ad Populum provocatio? Stultum est, inquit Ulpianus in l. I. a quibus appell. non lic. illud admonere, a Principe appellare fas non esse, cum ipse sit qui provocetur. Statim vero a regifugio lata est lex a Valerio Publicola de provocatione adversus Magistratus ad Populum, auctor idem Livius libro secundo. Anno autem trecentesimo quarto a Lucio Valerio repetita est, quum paulo ante sublata fuisset a Decemviris appellatio: nam & his sine provocatione jus summum datum erat, ut auctor est Pomponius l. II. de orig. jur. Livius: Legem de provocatione unicum præsidium libertatis Decemvirali potestate eversam Coss. non restituunt modo, sed etiam in posterum muniunt, sanciendo nova lege, ne quis ullum Magistratum sine provocatione crearet, qui creasset, eum jus, fasque esset occidi, neve ea cædes capitalis noxæ haberetur. Anno dein CDLIII. quinquagesimo tertio rursus ab eadem familia Valeria perlata fuit. Livius l. X. Eodem anno M. Valerius Cons. de provocatione legem tulit diligentius sanctam. Tertium ea tum post Reges exactos lata est, semper ab eadem familia. Causam renovandæ sæpius haud aliam fuisse reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas Plebis, poterant. Portia tamen lex sola pro tergo civium lata videtur, quod ea gravi pœna, si quis verberasset, necassetve civem Rom. sanxit: Valeria lex cum eum, qui provocasset, virgis cædi securique necari vetuisset, si quis adversus eam fecisset, nil ultra quam improbe factum adjecit. Id (qui tum hominum pudor erat) visum credo vinculum satis validum legis. Notatu tamen dignum est hujusmodi provocationem vires suas extendere intra urbem, & extra usque ad primum lapidem, id est, ut nunc loquimur, intra urbem & banleucam. Quod ut manifestum fiat, lubet Livii verba in medium producere: Sic autem habet l. III. Igitur Tribuni, ut impediendæ rei nulla spes erat, de proferendo exercitu agere, eo magis quod & Augures jussos adesse ad Regium lacum fama excierat, locumque inaugurari, ubi auspicato cum Populo agi posset: ut quicquid Romæ vi Tribunitia rogatum esset, id Comitiis ibi abrogaretur, omnes id jussuros, quod Coss. vellent, neque enim provocationem esse longius ab urbe mille passuum: & Tribunos, si eo veniant, in alia turba Quiritum subjectos fore Consulari imperio. Legimus tamen a Provincialibus Prætoribus ad Tribunos appella-

LL. Val.

l. Portia.

Provocatio ad mille passus.

Appellatio ad Tribunos

B C D E F

A pellatum. Plutarchus quidem in vita Cæsaris testis est, P. Antonium cum causam diceret in Macedonia accusantibus Græcis Marco Lucullo Prætore, ad Tribunos provocasse Romam. Item & Lucius Scipio damnatus ad Tribunos provocavit. Idem in Catone Censorio. Jus autem dicebant in Basilica Portia, auctore eodem Plutarcho in Catone Uticensi. In urbe etiam iidem appellabantur, ut intercederent, ne dies aut actio diceretur, atque auxilio essent oppressis. Tacitus lib. XIV. Annalium. Tum primum ea lex revocata credebatur, quæ haud perinde exitium Antistio, quam Imperatori gloriam quæsivit, ut condemnatus a
B Senatu intercessione Tribunitia morti eximeretur. Livius libr. II. Volero appellat Tribunos, cum auxilio nemo esset, &c. Idem lib. III. de Appio Claudio Decemviro. Quod si indicta causa in vincula ducatur, iterum se Tribunos appellare, &c. Quo in loco Tribunitium auxilium, & provocationem duas arces libertatis tuendæ vocat. Florus autem lib. LV. epitom. Livii: Matienus quidem apud Tribunum Pleb. accusatus, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatus sub furca diu virgis cæsus est, & sestertio nummo veniit. Apud
C Gellium lib. IV. c. XIV. extat decretum contra A. Hostilium Ædilem, qui Manuliæ meretrici diem dixerat ad Populum, quod de ambulacro Manuliæ noctu lapide ictus esset, & ne cum Populo Ædilis ageret, intercesserunt Tribuni. Hanc provocationem Plebis ad Tribunos sustulit Sylla, quam Pompejus iterum lege lata restituit. Verum enimvero provocationis legibus Valeriis, & Porcia, quæ pro libertate, tergo, & scapulis latæ erant, teneri se non existimabant Consules, & Magistratus turbulentis Reipub. temporibus: nam quis non putet a-
D liam gubernandi navis rationem esse in tempestate, aliam secundo vento? Certe cum S.C. factum erat, *Videant Coss. ne quid Resp. detrimenti capiat*, omnis potestas tribuebatur, tumque in seditiosos & perduelles nulla reverentia & religione legum de provocatione, quibus exolutos sese credebant, animadvertebant. Hac enim particula rerum summa tribuebatur, ut testatur Plutarchus in vita Ciceronis, & Pauli Æmilii, cujus hæc verba sunt. Senatusconsulto summa rerum Coss. datur, *ne quid detrimenti Resp. caperet*. Quo uno
E versiculo satis armati. Quod non crebrius a Senatu agi solitum, quam cum ingentis metus, & periculi discrimen Reip. immineret. Cic. in Miloniana: Quanquam quis hoc credat, Cn. Pompejum, cum Senatus ei commiserit, ne quid detrimenti Resp. caperet. Quo uno versiculo satis armati semper Coss fuerunt. Idem in Oratione legis Agrariæ I. Omnes, qui se salvos volunt, sequentur auctoritatem Consulis soluti a cupiditatibus, liberi a delictis, cauti in periculis,
F non timidi in contentionibus. Ejusdem efficaciæ S. C. commemorat, sed aliis verbis, in Rabyriana. Fit S. C. inquit, ut C. Marius, L. Valerius Coss. adhiberent Tribunos Plebis, & Prætores, quos eis videretur, operamque darent, ut imperium Populi Romani, majestasque conservaretur. Tunc enim permissa potius, quam commissa videbatur Resp. Quin etiam exceptio-

Provocationi interdum non cedebatur.

Senatusconsultum.

Dictator sine provocatione

Supplem. Tom. I.

nem patiebantur leges Valeriæ in Dictatore, quæ sine provocatione creabatur regia potestate. Nam cum idem dicebatur solum in periculosis Reipublicæ temporibus, suarum partium esse putabat, videre ne Reipublicæ salus in discrimen veniret, & ut imperium Populi Romani majestasque sarta tecta essent. Livius libr. IV. Tunc Quintius Coss. immerito increpari ait, qui constricti legibus de provocatione ad dissolvendum imperium latis, nequaquam tantum vitium in Magistratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent, opus esse non forti solum viro, sed etiam libero, exolutoque legum vinculis. Itaque se Dictatorem L. Quintium dicturum, ibi animum parem tantæ potestati esse. Hanc potestatem alibi Dictatorium fulmen vocat, & ejus edicta pro numine observanda dicit. Memini tamen me legere apud eundem lib. VIII. M. Fabium patrem Q. Fabii Magistri Equitum a Papyrio Dictatore damnati, quod injussu ejusdem pugnasset, a Dictatore Populum appellasse. A Judicibus etiam ad Populum provocatio fiebat. Suetonius in Julio: Sorte Judex in Reum dictus, tam cupide condemnavit, ut ad Populum provocanti, nil æque, ac Judicis acerbitas profuerit.

Provocatio a Judicibus ad Populum.

ARGUMENTUM

CAP. XVII.

De appellatiome rursus, supplicatione, restitutione in integrum, & deprecatione.

OCcupata tandem Repub. a Cæsaribus appellationes fiebant ad ipsum Principem, a quo jus appellandi non erat. Ulpianus lib. I. a quib. appell. non licet. Stultum est admonere a Principe appellare fas non esse, cum ipse sit qui provocetur. Verum appellationes delegabat. Suetonius in Octavio: Appellationes quotannis urbanorum quidem Litigatorum Prætori delegabat urbano: at Provincialium Consularib. viris, quos singulos cujusque provinciæ negotiis præposuisset. Sub Nerone vero cautum est, ut omnes appellationes a Judicibus ad Senatum fierent: auctor Suetonius. Corn. Tacitus: Auxit Patrum honorem statuendo, ut qui a privatis Judicibus ad Senatum provocassent, ejusdem pecuniæ periculum facerent, cujus hi, qui Imperatores appellavere: nam antea id vacuum solutumque pœna fuerat; quænam autem hæc fuerit multa, non liquet. Caligula autem Magistratibus liberam jurisdictionem & sine sui appellatione concessit, ut idem Suetonius scribit in vita ejusdem. Sed a Senatu ad Principem non fuit jus appellandi, testis Ulpianus in d. l. I. a quibus appell. non lic. Quin etiam legimus apud Tacitum, Procuratores Cæsaris liberam cognitionem habuisse, nec ab iisdem appellari potuisse. Eodem anno (inquit lib. XII.) sæpius audita vox Principis, parem vim rerum habendam a Procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse judicasset, ac ne fortuito prolapsus videretur, Senatus quoque consulto cautum plenius quam antea, & uberius. Nam Divus

Appellationes ad Principem.

Appellationes a Judicibus ad Senatum

Libera cognitio.

Procuratores Cæsaris.

Augustus apud Equestres, qui Ægypto præsiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi jusserat ac si Magistratus Romani constituissent: mox alias per provincias, & in urbe pleraque concessa sunt, quæ olim Prætoribus noscebantur. Claudius omne jus tradidit, de quo toties seditione, aut armis certatum, cum Equester ordo Semproniis rogationibus in possessione judiciorum locaretur, &c. Quæ Suetonius levius perstrinxit in vita ejusdem Claudii. Ut rata essent, inquit, quæ Procuratores sui in judicando statuerent, precario exegit. Quod fortassis intelligendum est de iis Procuratoribus, qui vice Præsidum fungebantur, qualis fuit Pontius Pilatus: nam & hic Tiberii Procurator fuit in Palæstina, ut refert Lucas Evangelista cap. III. & Tacitus de Christianis loquens: Auctor (inquit) nominis ejus Christus Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus. Alioquin non valet sententia Procuratoris Cæsaris, qui nullam jurisdictionem habuit. l. IV. l. XXIII. de appell. l. II. de pœn. l. I. C. de pedan. Jud. l. IV. ad l. Flaviam de Plag. Idem Tacitus ait, Claudium etiam libertos quos rei familiari præfecerat, sibi & legibus æquasse. Postea sub Cæsaribus tandem urbica præfectura ad tantum dignitatis fastigium evecta est, ut ad eam ab omnibus dignitatibus, & potestatibus appellationes fierent. auctor Flavius Vopiscus in vita Floriani Imperatoris. Quod etiam confirmari videtur in l. XVII. de appell. C. ubi dicitur, quod a Prætoribus jus esset appellandi Urbis Præfectum, si conjungatur cum lege XXIII. eod. ubi enumerantur plures provinciæ, a quibus ad Præfectum urbis appellatur, Probus autem Imperator permisit Patribus, ut ex magnorum Judicum appellationibus ipsi cognoscerent, ut idem Vopiscus testis est in vita Probi. A Præfecto autem urbis appellari non poterat. l. unic. de off. Præfect. urb. ff. Sicuti nec a Præfectis Prætoriorum. l. XIX. de appell. Quorum sententiæ aresta dici possunt. Supplicari tamen intra biennium potest. l. unic. de sentent. Præfect. Prætor. Unde originem revisionum & retractationum, quas erroris juris propositiones vocant, derivare possumus, ad quas tum demum recurritur, cum propter dignitatem & auctoritatem Magistratus appellationi locus non est. Supplicatio tamen sententiæ exequutionem non impedit, sicut appellatio. Si tamen intra decem dies offeratur Præfectis, vel eorum Consiliariis post sententiam, non aliter sententia exequutioni mandabitur, nisi victrix pars dignam fidejussionem præbuerit restituendi cum legitimis augmentis, quantum fuerit condemnatio, si legitima retractatione sententia resolvatur: alias si post decem dies, cautio præstanda non est, causa tamen retractatur, modo intra biennium Principi supplicatum fuerit proposito libello auth. quæ supplicatio. C. de precib. Imp. off. Tertium remedium contra jam latam sententiam est restitutio in integrum, quæ ex causa intra quadriennium peti debet, ut dicitur in l. ult. de temp. in integ. rest. C. quam etiam præstant Præfecti Urbis & Prætorii, quamvis appellari ab his non possit. Hæc idcirco tam varie, quia appellatio iniquitatis sententiæ querelam, in integrum vero restitutio erroris proprii veniæ petitionem, vel adversarii circumventionis allegationem continet, ut habetur in l. XVII. de minorib. ff. Ex quibus facile est animadvertere differentias inter appellationem, supplicationem, & restitutionem in integrum. Deprecatio vero, quæ apud Populum aut Principem fit, naturam sapit restitutionis in integrum, licet sæpius ante sententiam usitetur. Interdum Imperator ita solet Judicem dare, ne liceret ab eo provocare, ut scio sæpissime a Divo Marco Judices datos. Dato Judice a Magistratibus Populi Rom. cujuscunque ordinis, quamvis ex auctoritate Principis, licet nominatim Judicem declarantis, dederint, ipsi tamen Magistratus appellabantur. Quod autem dicitur, eum appellari, qui dedit, sic accipiendum est, ut & successor ejus possit appellari, ut dicitur tit. quis a quo appell. ff. Cæterum pauca de nostris moribus dicenda occurrunt, siquidem quoties occasio datur, abusus forenses notare, & indicare polliciti sumus. Admonendum itaque videtur esse operæpretium in hoc Belgio, ut tot appellationum instantiæ, litium alumnæ resecarentur in causis privatis, & pecuniariis: nam etsi appellandi usus necessarius omnino sit, qui iniquitatem Judicantium, vel imperitiam corrigat, licet nonnunquam bene latas sententias in pejus reformet; neque enim utique melius pronuntiat, qui novissimus sententiam laturus est, ut ait Ulp. in l. I. ff. de appell. tamen ex juris præscripto temperandus est, ne videlicet in eadem causa liceat tertio appellare: præsertim quando videamus quosdam jurifugas, & juremoras (nam quid vetat sic eos appellare, composito vocabulo ex jure, & remora, quos vitilitigatores ex vitiis & litibus Cato vocat) ut plerumque ad appellationes recurrant, tanquam ad sacram anchoram, non tam spe victoriæ, atque ut læsis sibi auxilium adferatur, quam ut solutionem, aut judicatum facere diffugiant. Sunt enim quidam adeo obstinate & præfracte pervicaces Litigatores, ut vinci nolint, nec possint, quibus si liceret, ab ipso Rhadamanto appellarent. Interea

Res tamen atteritur longo sufflamine litis,

dum illi dolos nectunt, moras concinnant, subterfugia & diverticula captant. Atque cum in eadem causa sæpius ac sæpius possint appellare, magnus abit annus Platonicus. Ita coguntur partes fractæ potius, quam victæ, litis atque moræ tædio, aut potius pecuniarum, quam æquitatis inopia laborantes, litem deserere, aut pacisci cum talibus nebulonibus, magno fortunarum suarum, & vitæ dispendio. Nam quis hujusmodi ærumnas, aut molestias quas litigator devorare cogitur, magno non redimat? Adeo misera est conditio, ut interdum, imo sæpius, majus compendium reportet, si omnia computentur, qui tempestive liti cessit, & juri, quam si sæculari potiretur victoria, tot animi & corporis anxietatibus parta. Quod nasute notat Martial. lib. VII. in Gargilianum.

Marginalia: Procuratores vice Præsidum Pilatus. — Liberti Cæsaris. Præfectus urbis. — Patris. — Aresta. — Supplicatio. — Restitutio in integrum. — Deprecatio. — Appellationes litium alumnæ. — Juremora.

A B C D E F

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane foris.
Ah miser, & demens, viginti litigat annis
Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

Tertio appellans non exaudiendus. Quibus obviam iretur, si tertio appellantes non admitterentur, vel si post primam sententiam, quando nec multa temeræ appellationis deterret, damnati cogerentur judicatum solvere, saltem præstita idonea cautione a victore restituturum se, si in appellationis causa succubuerit, isque tandem classicum & triumphum caneret, qui duas sententias pro se haberet. Nam quis appellationum modus, si post tres sententias liceat adhuc victo, & prostrato resurgere, & aleam experiri? *Provocatio in publicis admittenda.* Contra (malum) cum in causis pecuniariis licitum est lites immortales appellitando protrahere, gravius peccatur, quod in magnis judiciis (sic enim publica vocat Cicero) quibus de capite & fortunis agitur, in hac tota provincia nullum damnatis appellandi subsidium restat, sed nulla appellationis reverentia habita in condemnatum lege agitur. At quam vilis est omnis æstimatio pecuniæ cum hominis vita, quæ semel amissa sarciri & recuperari nullo modo potest? Quod si hoc etiam leve ducitur, vel moveat, quod hic, de cujus capite, & fortunis anquiritur, ad imaginem & similitudinem Dei omnipotentis factus sit, & pro quo non sit dedignatus Christus idem Salvator, & Dominus guttatim sanguinem fundere. Audiamus quid dicat primus Apostolorum: Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. Quod si impares putamus pedaneos Judices, ut in causis dupondiis, & diobolaribus sine provocatione judicent, quanto æquius est in capitalibus & sanguinariis causis appellationem statuere? Aut si in his pares esse putamus, cur æque non in illis? Itaque in utrisque statuendam, sic tamen temperandam putarem, ne tertio exaudiretur appellans: Neque enim privatis auferre provocationem decet, sed multo satius in publicis admittere necessarium est. Nam ut inscitia & imperitia tam juris, quam facti in humanis regnat, sic libido in judiciis sæpius dominatur. An vero (si Divis placet) credimus olim omnes mortuos falsos & corruptos Testes ac Judices, quasi renasci denuo, & reviviscere non possint? Quasi vero non possumus hic exempla commemorare? Quid autem dicemus de colonis & agricolis, *Rustici Judices in municipiis.* qui in præfecturis & municipiis Decuriones Scabini, & Judices constituuntur, aut de Hominibus clientelaribus, quibus sine delectu cum prædio judicandi munus, & gladii potestas obvenit? Fateor quidem rusticam illam simplicitatem non ita facile corrumpi posse, sed homines bardi, stupidi, & imperiti, atque ad stivam nati, neque jus, neque æquum sciunt; itaque facile errore, & ignorantia seducuntur. Verum in consilium Jureconsultos & pe-

A ritiores adhibent. Sed nec hoc satis, ut appellans non audiatur. Quod si quis ita moribus introductum dicat, in capitalibus provocare non licere, quo facilius, & citius crimina puniantur, quod interest Reipublicæ, illico exaudiet rescriptum Trajani optimi sane Principis: Satius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari; nam iis, qui fisci sumptibus parcendum ex hac causa putant, abunde responsum ex superioribus existimo. *Trajani dictum.* Non sum tamen nescius quorundam nefariorum hominum appellationes non recipi. l. 11. C. quor. app. non recip. sed hoc in convictis & confessis statuitur: *Quorum appellationes non recipiuntur.* B nam si convictus non sit reus, aut etiam testibus productis, instrumentisque prolatis, aliisque argumentis præstitis, si sententia contra eum lata sit, & ipse, qui condemnatus est, aut minime voce sua confessus sit, aut formidine tormentorum territus, aliquid contra se dixerit, provocandi licentia ei non denegatur. *Confessi.* Major autem semper fuit habita ratio confessorum, quam convictorum solum: nam confessus, ut ait Paulus J. C. pro judicato est; qui C quodammodo sua sententia damnatur, quanquam in criminalibus sententia etiam requiratur. l. si confessus. ff. de cust. & exhi. reor. Idem etiam constat ex eo, quod refert Suet. de Octavio: Manifesti, inquit, parricidii reum, ne culeo insueretur, quod non nisi confessi afficiebantur hac pœna, ita fertur interrogasse: Certe patrem tuum non occidisti. Hinc quibusdam in locis in hac inferiori provincia morem observatum audio, quem improbare nunquam non possum, *Improbata quorumdam consuetudo.* quod in reum quantumvis convictum D lege non agant, nisi ore proprio is se commisisse crimen agnoscat, & confiteatur, quod ut extorqueant, tormentis exquisitis & quæstionibus repetitis agunt. Reperiuntur tamen ita constantes, & patientes, aut potius perdurantes, & pervicaces, ut nulla vi cogi possint, ita offirmarunt os, ut contra stimulos calces: quemadmodum legimus de Alexandro servo Fannii, *Alexander servus.* cum in hanc suspicionem venisset C. Flacci Equitis Rom. occisi, septies tortus pernegavit, nihilominus tamen, si Valerio credimus, perinde atque confessus damnatus, & in E crucem actus est. Quod maxime mirandum, & Rom. Judicibus indignum videtur. Nam si is convictus fuerit testibus, aut aliis argumentis, quorsum necesse fuit miserum tot quæstionibus ampliare, quasi non liqueret? Sin minus convictus, quomodo jure de eo sumtum est supplicium, qui pernegavit? Singulare fortassis etiam fuerit, quod idem refert libr. VI. de Scantinio Capitolino Tribuno Pleb. qui uno teste, quem de stupro appellaverat, damnatus est, & de Cn. Sergio Silo, cujus affe- F ctus punitus est. Sed ad propositum revermur. *Cuilibet nomine condemnati in publicis provocare licet.* Tanta est ergo humanitatis ratio in causa sanguinis, ut cuilibet, & cujus nihil intersit, in publicis liceat appellare, ne quis tædio vitæ affectus perire festinet. l. non tantum ff. l. addictos. C. de appel. l. 11. §. ult. ff. quand. appel. sit. Sed meliora speramus: *Constitutiones Regiæ.* Qua de re nec quidem levem concepimus spem ex Regiis constitutionibus, quæ super publicis quæstionibus nuper latæ sunt, nam §. 78. super hoc appellatio-

num negatio reformationem aliquam propediem nobis pollicetur. Item constitutiones, quæ de recipiendis, nec ne, appellationibus loquuntur, ut nil novi fiat, locum non habent in eorum personis, quos damnatos statim puniri publice interest, ut sunt insignes latrones, vel seditionum concitatores, vel duces factionum, ut habetur in l. XVI. de appel. ff. Porro ab interlocutoria sententia leges civiles appellare non permittunt, nisi tale gravamen inferatur, quod per appellationem a sententia definitiva resarciri non possit: nam tum admittitur appellatio, sicuti indiscriminatim jus pontificium Romanum provocationem recipit. A sententia quoque per contumaciam lata appellare non licuit. Quin etiam in civilibus non appellatur de momentanea possessione. l. unic. si de mom. poss. act. fuer. C. Item si fisci vel Principis debitor aperte atque manifeste convictus fuerit. l. abstinendum. l. fin. C. quor. ap. non recip. Ex his autem, quæ Ulpianus ait, nonnunquam sententias bene latas in pejus reformari, neque semper melius pronuntiari ab eo, qui novissimus fert sententiam, licet colligere humanam infirmitatem, & quam sint hominum judicia incerta, uti experientia docet quotidiana, ut quis merito exclamare possit:

——— *O quantum est in rebus inane.*

Tam autem inique comparatum est, ut sæpius summum jus summa sit injuria, adeo difficile est verum a falso, rectum a pravo, æquum ab iniquo discernere. Non lubet autem hic contraria, & ex diametro veluti pugnantia judicia recensere: Unum hoc exemplum memorabile Juliani Taboetii, quod refert Joan. Papon. compilator arestorum lib. XIX. tit. VIII. indicasse sufficiet, ubi diversas sententias duorum Parlamentorum licet animadvertere super iisdem actis, & probatis. Quod idem sæpius accidere videmus in supplicationibus, quæ intra biennium post aresta offeruntur, quas revisiones vocant. Itaque, ut tandem hunc locum concludamus, hominum judicio lubrica & erroris plena esse dicimus, quando Astræa ad superos demigravit, Veritas autem in puteum oblivionis demersa est, Ignorantia & error tyrannidem occupant. Sapientia autem divina, quum omnia scrutetur & videat, vere & incorrupte judicat.

Taboetius.

Deus justus judex

ARGUMENTUM

CAP. XVIII.

De executione rei judicatæ.

Executio.

Sententia itaque quæ in rem judicatam transierat, vel quæ submota appellatione confirmata erat, exequutioni mandabatur: nam quid amplius restabat, quam judicatum facere? Criminalem quidem sæpius exequebantur Triumviri Capitales, quibus id muneris injungebatur. Valer. Max. Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam, necandam tradidit. Nam quum animadverti oporteret, interventu eorum fiebat teste Pompon. J.C. de orig. jur. Idem Valer. libr. VIII. cap. IV. Fannii servus Alexander perinde atque confessus, a Judicibus damnatus a L. Calphurnio Triumviro in crucem actus est. Quod non ita rigide interpretandum est, uti supra admonuimus, quasi Triumvir necaverit mulierem, aut servum propria manu in crucem egerit, sed hoc præsente & jubente actum sit. Prius autem non animadvertebatur in Reos a Spiculatore, quam lege agere jussus esset. Seneca: Ascendit Prætor tribunal, noxiæ post terga ligantur, adhibentur deinde legitima verba, canitur ex altera parte classicum. Suet. & Tacit. auctores sunt, quod pœna damnatorum in decimum diem protraheretur ex S. C. Tiberiano: Cum Senatusconsulto (inquit ille) actum esset, ut pœna damnatorum in decimum semper diem differretur, forte accidit, ut quorundam supplicii dies is esset, quo nuntiatum de Tiberio erat. Quin extat etiam sub titulo de pœn. C. Impp. Grat. Valen. & Theodos. rescriptum (quod auctore divo Ambrosio factum testatur ecclesiasticæ historiæ lib. VII. Sozomenus) in hæc verba: Si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causæ intuitu jusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per triginta dies super statu eorum sors & fortuna suspensa sit. Qui dies XXX. justi dici possunt exemplo eorum, qui ex legib. XII. Tab. in civilibus confessis, aut condemnatis dabantur, de quib. quædam statim dicemus, verum l. cum reis. quam antea tulerat Constantinus, ait, quod in homicidii crimine, & aliis detectis gravioribus causis ultio non sit differenda. Sæpius etiam in longum tempus pœna damnatorum differtur, ut in his qui ad bestias damnabantur. Sæpe etiam ideo servari solent post damnationem, ut ex his in alios quæstio habeatur. l. qui ultimo. ff. de pœn. Apud nos quidem observatur, ut sententia criminalis executioni mandetur intra diei civilis spatium, ut sancitum est in §. XLVII. styli generalis super publicis judiciis. Interdum etiam differtur executio, quando condemnati dicunt se habere, quod Principi referant salutis ipsius causa. Suet. in Vitellio: ab iis extractus e latebra, sciscitantes quisnam esset (nam ignorabatur) & ubi esse Vitellium sciret, mendacio elusit. Deinde agnitus rogare non destitit, quasi quædam de salute Vespasiani dicturus, ut custodiretur interim, vel in carcere. Ulpian. tit. de pœn. Sunt plerique Præsidum tam timidi, ut etiam post sententiam de eo dictam, pœnam sustineant, nec quicquam audeant: Alii omnino non patiuntur quicquam tale allegantes, nonnulli neque semper, neque nonnunquam remittunt, sed inquirunt quid sit, quod allegare Principi velit, quodque pro salute ejus habeat dicere, post quæ aut sustinent, aut non sustinent, quod videtur habere mediam rationem. Cæterum, ut mea fert opinio, prorsus eos non debuisse, postea quam semel damnati sunt, audiri quicquid allegent. Quis enim dubitat pœnæ eluden-

Triumviri capitales.

S.C. Tiberii.

Pœna damnatorum prorogata.

Utrum audiendi condemnati qui dicunt se habere quæ referant de salute Principis

dæ causa ad hæc eos decurrere, magisque esse puniendos, qui tam diu conticuerunt, quod pro salute Principis se habere jactant? nec enim debebant tam magnam rem tam diu reticere. Hactenus Ulpianus. Expedit tamen nonnunquam audire & inquirere si quid sit, quod salutem Principis & Reip. spectat. Quod si fecisset Carolus Dux Burgundiæ (ut etiam externa misceamus, quæ tamen nostratia dicere possumus) in persona cujusdam Cifronii, in quem præpropere, & festinanter nimis lege agi jubet, dum hic de salute ipsius referre cupit, melius actum fuisset cum ipso Duce, si Cominæo credimus, qui historiam refert li.VII.commentariorum. Quin etiam Magistratus Pop. Rom. Judicum a se datorum, vel Arbitrorum sententiam exequebantur, qui eos dederant. Sententiam Romæ dictam etiam in Provinciis poterant Præsides, si jussi fuerant, ad finem prosequi, ut rescriptum est a Divo Pio, & dicitur in l.XV. de re jud. Itaque Prætor in privatis sententiam Arbitrorum, Recuperatorum, Centumvirorum & Judicum, a se datorum exequebatur. Atque in privatis quidem judicis tempus faciendi judicati mensis est unius ex l.XII. Tab.conquirendæ pecuniæ causa, quam dissolverent condemnati. Sic enim verba legis habent. *Æris confessi, rebusque jure judicatis XXX. dies justi sunto, post dein manus injectio esto, in jus ducito ni judicatum faxit.* Et cætera quæ apud Gellium Cæcilius J. C. de nexis, addictione, servitute, & sectione disserit. Verum crudelis illa dissectio membrorum nunquam usitata fuit: dissectum enim esse neminem neque legi, neque audivi, quoniam, ut idem ait, sævitia ista pœnæ contemni non quita est. Nexorum autem origo nec ex decemviralibus petenda est, nam ex Livii li.2. hoc antea usitatum fuisse apparet.Et civitas secum ipsa discors intestino inter Patres Plebemque flagrabat odio, maxime propter nexos ob æs alienum fremebant, ne foris pro imperio & libertate dimicantes, domi a civibus captos esse, & oppressos, tutioremque in bello, quam in pace, & inter hostes, quam inter cives libertatem Plebis esse, invidiamque eam sua sponte gliscentem insignis unius calamitas incendit; magnus natu quidam cum omnium Majorum suorum insignibus se in forum projecit. Obsita erat squallore vestis,fœdior corporis habitus pallore ac macie peremti. Ad hoc promissa barba, & capilli efferaverant speciem oris; noscitur tamen in tanta deformitate, & ordines duxisse ajebant, aliaque militiæ decora vulgo miserantes eum jactabant. Ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices adverso pectore ostendebat. Sciscitantibus unde ille habitus, unde deformitas, cum circumfusa turba esset, prope in concionis modum, Sabino bello, ait, se militantem, quia propter populationes agri, non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse, id cumulatum usuris, primo se agro paterno, avitoque exuisse, deinde fortunis aliis, postremo velut tabem pervenisse ad corpus, ductum se a creditore non in servitium, sed in ergastulum & carnificinam esse. Inde ostentare tergum fœdum recentibus vestigiis verberum. Ad hæc visa, auditaque clamor ingens oritur; non jam foro se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit. Nexu vincti,solutique se undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem, nullo loco deest voluntarius seditionis comes. Servilius autem Consul tunc edixit, ne quis civem Rom. vinctum aut clausum teneret, quo minus ei nominis edendi apud Coss.potestas fieret, ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret, aut venderet, liberos nepotesque ejus moraretur. Idem l.VII. Non eadem domi quæ militiæ fortuna erat Pleb. Rom. nam etsi unciario fœnore facta levata usura erat, sorte ipsa obruebantur inopes, nexumque inibant. Lucio Papyrio Mugilano & Petilio Balbo tertium Coss. anno V. C. CCCCXXVIII. post latas autem XII. Tabul. CXXV. quod antea in militibus, jus illud nexorum etiam in cæteris abrogatum fuit. Dein lib. VIII. Eodem anno Pleb. Rom. velut aliud initium libertatis factum est, quod necti desierunt. Mutatum autem jus ob unius fœneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem. Lucius Papyrius is fuit, cui cum S. Publius ob æs alienum paternum nexum dedisset, quem ætas formaque ad misericordiam elicere poterant, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt, & florem ætatis ejus fructum adventitium crediti ratus, primo pellicere adolescentem sermone incesti est conatus, deinde posteaquam aspernabantur flagitium aures, minis territare, atque identidem admonere fortunæ. Postremo cum ingenuitatis magis quam præsentis conditionis memorem videret, nudari jubet verberaque adferri, quibus laceratus juvenis cum se in publicum proripuisset, libidinem, crudelitatemque conquerens fœneratoris, ingens vis hominum tum ætatis miseratione, atque indignitate injuriæ accensa, tum suæ conditionis liberumque suorum respectu in forum atque agmine facto, ad curiam concurrit. Et cum Coss. tumultu repentino coacti Senatum vocarent, introeuntibus in curiam Partibus laceratum juvenis tergum procumbentis ad singulorum pedes ostendebant. Victum eo die ob impotentem injuriam unius ingens vinculum fidei, jussique Coss. ferre ad Pop. ne quis qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus, aut nervo teneretur. Pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Itaque nexi soluti, cautumque in posterum, ne necterentur. Aliud exemplum legitur apud Valer. lib. VI.c.I. de T. Veturio filii Veturii. Et licet nexus ille debitorum sæpius ac sæpius prohibitus fuerit, ex Gellio tamen apparet, additionem & nexum adhuc suo tempore viguisse, ita tamen ut ne venum amplius peregre debitores mitterentur, nec lectioni, & pœnæ capitali amplius locus esset. Contius autem observat ex Tertulliano, pœnam capitis & dissectionem in bonorum proscriptionem commutatam. Puto tamen ob rem judicatam debitorem ipsum condemnatum capi & incarcerari semper potuisse, si modo prævia bonorum excussio ab ipso creditore facta esset. Quam quidem corporis

Carolus Dux Burgundiæ.

Philip. Cominæus.

Qui sententiam mandatorum exequebantur.

Tempus faciendi judicati.

Addict. & dissectio.

Nexi.

Fœneratorum libido.

Nexi soluti.

Bonorum proscriptio.

detentionem & nexum condemnatus vitare solum potest miserabili bonorum cessione, ut ex l. 1. C. qui bon. ced. poss. apparet. Constantinus autem in l. 11. de exact. trib. lib. x. C. carcerem, plumbatarumque verbera, aut pondera prohibuit, ac tantum voluit contumaces, & qui hac indulgentia abuterentur, contineri aperta & libera, & in usu hominum instituta custodia militari. Impp. etiam Diocl. & Max. l. xii. C. de act. & ob. gliscente audacia creditorum, ob æs alienum servire creditoribus prohibuerunt. Quod olim apud Hebræos etiam permissum fuit, ut videre est lib. iv. c. iv. Regum. Occurrit etiam nexorum non absimilis consuetudo, quæ hic & multis in locis inolevit, ut quilibet creditor possit in jus sistere sive arrestare, ut vocant, personam sui debitoris, qui nisi pecuniam, quam exigit, nonnunquam calumniator numeret in promtu, vel obsignet, aut alioqui de judicato solvendo idonee caverit, miser in vincula publica conjicitur consumendus pædore & squallore carceris. Quæ quidem arrestatio sive nexus introductus primum videtur propter latitantes & fugitivos debitores, qui in fraudem creditorum sui copiam non faciebant ex l. x. §. si debitorem. ff. quæ in frau. cre. tamen indiscriminatim usitatur contra quoslibet sive cives, sive peregrinos ante condemnationem præviam, & neglecto excussionis bonorum, & alio quovis ordine juris. Hujus generis etiam sunt sazimenta, in quibus ab executione incipitur contra. l. 1. C. de exe. rei judic. Nimis propere, inquit Imperator, Judex pignora Marcellæ capi ac distrahi jussit ante rem judicatam. Prius est ergo, ut servato ordine, actionem adversus eam dirigas, & causa cognita sententiam excipias. Sunt tamen quædam instrumenta apud nos, garentigionata vocant, quæ promptam & paratam habent executionem non secus ac res judicata, in quibus confessus pro judicato est, qui quodammodo sua sententia damnatur: de quibus confessis intelligitur l. Decemviralis, ni fallor, *æris confessi*, *&c.* modo attulimus, quibus justi etiam impertiebantur dies ad solvendum; quæ induciæ postea constitutionibus Imperatorum auctæ sunt ad duos menses. l. 1. C. Theod. de usur. rei jud. Novissime autem Justinianus l. 2. eo. tit. quatuor menses indulsit, post quos incipiebat currere centesima, cum duplex olim occurrisset post duos menses. Alciat. tamen l. 1. cap. 32. Parerg. jur. putat creditorem non idcirco cogi debere expectare quatuor mensium lapsum antequam exequi possit rem judicatam, sed penes eum electionem esse, utrum velit rem judicatam statim exequi, an lapsa quadrimestri die centesimas usuras exigere. Verum hoc (pace ipsius dixerim) nunquam relatum, nec usquam receptum puto. Contrarium autem deciditur in l. 7. ff. de re jud. & l. fi. C. de usur. ubi hujusmodi quadrumestre tempus inducias vocat Justinian. Perperam etiam & improprie usus videtur idem Alciatus verbo convenire post rem judicatam. Sed qui pro tribunali cognoscit, non semper tempus judicati servat, sed nonnunquam arctat, nonnunquam prorogat pro causæ qualitate, & quantitate, vel personarum obsequio, vel contumacia: sed perraro intra

Cessio bonorum. — *Arrestatio.* — *Sazimenta.* — *Instrumenta garentigionata.* — *Confessi.* — *Alciatus reprehensus.*

A statutum tempus sententiæ exequuntur. l. 2. & 31. de rei jud. ff. Similiter dubium expeditur, quod de facto aliquando nobis propositum fuit, utrum intra dies appellandi gratia constitutos (nam præter eos judicati & confessi hic justos alios non habent) possit sententia mandari executioni. Quanquam errant in praxi non incelebres Advocati, qui putarent exequi sententiam posse, sic tamen ut postea interveniente appellatione a condemnato, revocari debeat executio, expensis nimium festinantis creditoris. Porro de ordine executionis, & quomodo

B procedendum sit ad captionem & distractionem rerum mobilium, dein soli pignorum, ac postremo jurium tractatur in l. a divo Pio. ff. de re jud.

Ordo executionis.

ARGUMENTUM

CAP. XIX.

De variis suppliciis & pœnarum generibus, & quæ fere in animadversionibus Reorum observabant Rom.

C Suppliciorum & pœnarum multa sunt genera, quæ aut vitam adimant, aut servitutem injungant, aut civitatem auferant, aut exilium, aut coercitium corporis, aut damnum cum infamia, aut dignitatis aliquam depositionem, aut alicujus actus prohibitionem contineant: quæ ab Ulpiano de Jureconsultis enumerantur tit. de pœn. Plura etiam occurrunt inter legendum historias. Porro quæstiones publicorum criminum ita moderabantur Romani, ut pœnam capitis cum pecuniaria non conjungerent.

D Cic. pro domo sua: Moderata populi judicia sunt a Majoribus constituta, primum ut ne pœna capitis cum pecunia conjungatur. Atque etiam in infligendis pœnis moderatiores erant; argumento est, quod in dicenda multa cautum fuit, ne quis bovem priusquam ovem nominaret, ac de modo multarum, & suprema multa, quæ supra a Socero allata sunt, non videtur hic operæprecium inculcare. In sumendis suppliciis etiam clementiores erant: nam præter virgas, secures & laqueum in ultimis suppliciis vix aliis utebantur. Successit dein lex

E Porcia, quæ pro tergo & scapulis dicta est, quod virgis cedere civem Rom. vetaret. Cic. vii. act. in Verrem: Facinus est vinciri civem Roman. scelus verberari, prope parricidium necari. Quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Idem exclamat: o nomen dulce libertatis, o lex Porcia, legesque Semproniæ. De quibus alibi commentati sumus. Nonnunquam inedia affecisse, & de saxo præcipitasse legimus. Peculiaris autem pœna fuit Vestalium, ut si

F quandoque incestum commisissent, vivæ defoderentur. Pœna parricidii more Majorum hæc instituta est (refert Modestinus) ut parricida virgis sanguineis verberatus culeo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, deinde in mare profundum culeus jactetur, hoc ita si mare proximum sit, alioquin bestiis objicitur secundum Divi Hadriani constitutionem. Primum & ultimum refert lib. 1. Livius apud antiquos Romanos supplicium Mætii Suffetii exem-

Varia suppliciorum genera. — *Pœna capitis cum pecunia non conjungebatur.* — *Rom. in sumendis suppliciis moderatio.* — *L. Porcia.* — *Vestales incestuosæ. Parricidæ.* — *Metii Suffetii supplicium.*

pli parum memoris legum humanarum, qui quod pactum, atque condictum cum Rege Pop. Rom. perfide ruperat, binis quadrigis vinctus in diversa nitentibus, laceratus est, novum atque asperum supplicium quis negat? sed quid elegantissimus poeta dicat, vide:

—— At tu dictis Albane maneres.

In aliis gloriari licet, ut ait idem Livius, nulli gentium mitiores placuisse pœnas. Postea Cæsares alia excogitarunt supplicia. Lubens autem prætereo exquisita tormenta, quæ Tiberio, Caligulæ, Neroni, Domitiano inventoribus tribuit Sueto. quos decuit Phalaridis more suum commentum primos experiri. Quam autem solertes & ingeniosi Tyranni fuere in exquirendis pœnis contra Christiani nominis professores & martyres, quis nescit? Plena est tota historia Ecclesiastica, ut necesse non sit magnopere prophani auctoris Taciti locum in medium adferre lib. xv. annalium: Primo correpti, inquit, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Ea pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, aut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Indignum sane fuit sub Domitiano, quod refert Eusebius, Christianos, quo magis aliis noti & invisi essent, literatos, stigmaticos, signatos illa parte quæ ad similitudinem cœlestis pulchritudinis figurata est, & mutilatos cernere, velut

Tyranni

Christianorum supplicia.

—— Deiphobum lacerum crudeliter ora,
Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

Quid referam avulsiones, excoriationes, sectiones, viscerationes, exenterationes, fractiones, punctiones, sacrificationes, lentas ustiones, palorum trajectiones, & similia,

Quorum animus meminisse horret, luctuque refugit.

Expedit etiam fortassis de tauro Phalaridis, & Mezentii fœdo connubio omnino tacuisse, præsertim quando externa sunt. Quis autem vere Romanus oculos non avertat, uti factum refert idem Livius in supplicio Suffetii: nam ab eo alienum non est quod diasphendonem Plutarchus vocat, quando duarum arborum vi inflexis cacuminibus alligatur pedibus & manibus discerpendus: at hoc commentum Aureliano Imperatori placuit, quo utebatur in adulteros. Hoc affectum memorat Plutarchus Bessum ab Alexandro Magno quod Darium interfecisset, quod etiam renovatum est apud Allobroges nostra vel patrum memoria, testatur Langueus in sua arte militari. Lampridius autem de Macrino non absimile Mezentii supplicio retulit, milites ancillæ pudorem depravasse, suspectos bubus apertis inseri jussisse: quod supplicium latius explicat Apulejus in suo Asino. Idem Opilius adulterii reos semper vivos simul incendit. Hanc autem vivi cremationem non fuisse antiquis Romanis usitatam palam fit ex Callistrato, qui l. capitalium. ff. de pœn. sic habet: Item vivi crematio summi supplicii appellatione merito continetur, tamen eo quod postea id genus pœnæ adinventum est, posterius primo visum est. Verum enimvero indies crescentibus malis exaggerari etiam pœnæ debuerunt, quorundam enim perditorum & profligatorum hominum mala, dira, horrida, nefanda quæ patrantur scelera, cum simplici morte expiari non possint, cogunt Principes, & Judices excogitare nova & inaudita tormentorum genera: neque enim iisdem hostiis semper litandum, sed majoribus victimis pro noxiis majoribus parentandum est; nam cum peccata æqualia Stoicorum more haud putemus, certe nec correctiones æquales irrogari, sed pro modo flagitii retaliari debent. Evenit (inquit J. C.) ut eadem scelera in quibusdam provinciis gravius plectantur, & ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimium multis personis grassantibus exemplo opus sit. Ita membrorum illa confractio, & impositio rotæ ex Germania allata, qua primum ante annos octoginta ob scelus nefandum quidam Petrus nomine affectus est, nunc in famosos latrones passim usitatur. Puto tamen antiquis fuisse penitus incognitum hoc supplicii genus: nam quod rotæ tormenti meminit Aristophanes in Pluto, puto ad rotulam sive molendinum, quo fidiculæ extenduntur in quæstionibus, ut veritas habeatur, pertinere, nisi velimus ad molam pistrinensem referre. Legimus etiam nostra memoria miris cruciatibus lancinatum Joannem Leidensem Anabaptistarum Monasteriensium regem cum suis pseudoprophetis Cniperdolingo & Crechtingo. Videre etiam potuimus nuper multis in locis forcipe, pice, & flammis ardentibus excarnificatos plures Barrabas. Certe illud perspiciendum est judicanti, ut egregie philosophatur Martianus J. C. ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam causa deposcit; nec enim severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat. Plane in levioribus causis proniores ad lenitatem Judices esse debent, in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Cum vero aut facta puniantur, ut furta, cædesque, aut dicta, ut convitia, & infidæ advocationes, aut scripta, ut falsa, & famosi libelli, aut consilia, ut conjurationes, & latronum conscientia, quosque alios juvisse sceleris est instar, hæc quatuor genera consideranda sunt VII. modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu, quæ latius explicat Claudius Saturninus tit. de pœn. Refert etiam in omnibus delictis consulto quid admittitur, an casu: hæc enim distinctio pœnam aut justam eligere debet, aut temperamentum admittere, ut ait Ulpian. quibus Martianus addit impetum. Semper autem majores in omni supplicio severius servos, quam liberos,

Diasphendon.

Crematio.

Rota.

Joan. Leyden.

Circumstantiæ.

famosos, quam integræ famæ homines puniverunt. Plato in Gorgia duplicem puniendorum peccatorum ponit, unam delinquentis, alteram aliorum causam. Prima quis plectitur, ut sapiat, & ad frugem redeat. Secunda est ratio vindictæ propter exemplum, ut pœna unius terror sit multorum. Tertiam addit Taurus Philosophus apud Gell. l. VI. c. XIV. τιμωρίαν. cum dignitas auctoritasque ejus, in quem peccatum est, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemtum ejus pariat, & honorem minuat. Quando igitur aut spes, ut is qui peccavit citra pœnam ipse se ultro corriget, aut spes contra nulla est, emendari eum posse, & corrigi, aut jacturam dignitatis ejus, in quem peccatum est, metui non est necesse, aut non id peccatum est, cujus exemplo necessario metu sanciendum sit: tum quicquid ita delictum est, non sane dignum imponendæ pœnæ studium visum est. Præterea antiquitus condemnatis ad mortem ipsam pœnam evadere dabatur, si in exilium voluntarium concederent, ut testatur Polybius lib. VI. histor. cujus tempore judicia publica penes ipsum populum fuere. Illis (inquit) qui morti adjudicantur, quando condemnantur, pro ipsorum consuetudine potestatem faciunt palam liberandi, etiamsi adhuc unius Tribus desideretur suffragium ex illis, qui judicium confirmant, quo voluntarium damnatur effugium. Est autem fugientibus securitas & in Neapolitanorum, & Prænestinorum, & Tyburum civitate, ac reliquis fœdere conjunctis. Cæsar apud Sallust. in conjuratione Catilinæ: aliæ leges condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti jubent. Quod idem innuit pluribus paulo infra. Neque etiam tum exilium supplicium fuit, ut ex Cic. pro Cecinna videre est: Exilium, inquit, non supplicium est, sed perfugium, portusque supplicii: nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est, sedem, ac locum mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud cæteras civitates, maleficium ullum exilio multatum. Sed cum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quæ sunt legibus constituta, confugiunt quasi ad aram, ad exilium, qui si in civitate legis vim subire velint, non prius civitatem quam vitam amitterent, quia nolunt, non adimitur iis civitas, sed ab iis relinquitur, atque deponitur, &c. Quoties itaque apud antiquos dicitur sententia, aut lege exilium irrogari, intelligendum est de interdictione aquæ & ignis, quæ in consequentiam exilium continebat: nam cum interdicti tectis, & elementorum usu privarentur, necesse habebant, si vivere vellent, solum vertere, itaque licet non verbis, re tamen exules erant; Cic. in oratione pro domo sua: Qui erant rerum capitalium condemnati non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli causa venerant. Id autem ut esset faciendum, non ademtione civitatis, sed tecti, & aquæ & ignis interdictione faciebant. Ad Herennium lib. II. Perinde quasi id fuisset in controversia, quo illi nomine appellarentur a Pop. Rom. aut perinde quasi non omnes, quibus aqua & igni interdictum est, exules appellentur. Postea vero exilii pœna irrogari cœpit. Est autem triplex teste eodem Martiano tit. de interd. releg. & deport. aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga, ut omnium locorum interdicatur præter certum locum, aut insulæ vinculum, id est, relegatio in insulam. Ostracismus & Petalismus ad historiam Græcam pertinent. Hoc adscribam, quod ad mores nostros pertinet, videri expedire Reipublicæ, ut rari sint exules. Apud Laert. quidem lib. I. memini me legere, Solonem illum, qui unus ex VII. Græciæ sapientib. fuit, Periandro Tyranno scripsisse: Si tyrannidi omnino insistendum censeat, ut neminem extorrem agat. Quis enim nescit totidem hostes, inimicos & perduelles habituram Remp. quot exules & bannitos? Nam cum male animati erga eam sint, ulcisci acceptam quam putant injuriam meditantur, vel cum de relictis sedibus, aris, focis, & lare cogitant, quæ bona gratia recuperari posse diffidunt, quando aperto Marte non licet, sæpius ad dolos, & malas artes se convertunt, & si hac non succedat, rursum alia aggrediuntur via, illud sibi proponentes, *flectere si nequeo Superos Acheronta movebo*. Tum contra patriam impie conspirant, cum hostibus fœdus, & pactum coeunt, arcana produnt, consilia communicant, nullum non movent lapidem, denique belli sunt auctores, & duces. An non hoc satis experti sumus nostro magno malo, ut etiam alia exempla commemorare habeamus necesse? Nam quis unquam tot, tantaque parricidia, stupra, sacrilegia, furta, latrocinia patrari, piraticam etiam fieri & exerceri meminit, atque hac nostra tempestate? quæ fere tribuuntur proscriptorum, & extorrum multitudini. Quod si non propria salus, at certe vicinorum incolumitas movere debet, quorum etiam non parva ratio habenda est. Nam præter charitatis vinculum, nostra quoque interest, ut & hi boni, & tuti sint, alioquin multa nobis imminent propter vicinum malum. Cum autem exules, & extorres comitetur paupertas, ignominia, & contemtus, fere fit, ut desperati, quando res eorum ad Triarios rediit, expilent, furentur, latrocinentur, parati extrema agere, & pati. Vicinam urbem nominare possem, alias florentem, & valentem, quam, quod asylum & receptaculum hujusmodi erronum, & extorrum fuit, hæc colluvies velut redundantis & æstuantis sentinæ perdidit. Consultius itaque foret meo quidem judicio, ut errones, validiores mendicantes, & id genus hominum mendicabulæ, ut Plautus vocat, in aliquod opus publicum damnarentur, quando remiges non semper in usu sunt. Quid autem vetat nunc metallicam, calceariam, lapidariam, sulphurariam, & similes, uti olim, exercere per servos publicos? Quod si fieret, melius cum Repub. ageretur. Alc. quidem in l. 103. de verb. sig. ff. ait, legumlatores recentiores ab antiquis superari, quod nunc passim quoslibet maleficos ultimo supplicio afficiunt, qui si in opus publicum damnarentur, utiles Reip. essent, atque

Puniendorum delictorum tres causæ.

Exilium.

Interdictio aquæ & ignis.

Exilium multiplex

Ostracismus. Petalismus. Contra exilii pœnam.

Errones potius damnandi in opus publicum

Alciatus

atque perpetuam pœnam subirent. Quod mihi quidem dignum semper observatu visum est erga fures, qui nunc passim veluti rediviva Draconis lege ex consuetudine in crucem aguntur, obtinente mediusfidius M. Catonis dicterio, fures privatorum furtorum in nervo atque compedibus ætatem agunt, fures publici in auro atque purpura. Porro damnationem ad transtra sive remos, ut de ea aliquid etiam dicam, quando hujus incidenter mentio facta est, Romanis non fuisse incognitam, vel ex Appiano, Suetonio, & Valerio probari posse existimo, atque de hac pœna omnino intelligi debere puto, quod hic lib.9.ait, quendam, quod se filium Octaviæ sororis Augusti mentiebatur, imperio Augusti remo publicæ triremis affixum. Suet. autem refert, eundem Octavium viginti servorum millia manumissa ad remum dedisse propter bellum Siculum. Polyb. etiam lib.x. historiarum auctor est, Scipionem ex captivis Carchedonensium robustiores, & vegetiores elegisse, & ad supplementum suæ classis junxisse, proposita libertate, si Carthaginenses vincerent. Sunt & alia supplicia citra mortem non vulgaria. Suet. in Caligula. Alterum, qui se periturum ea de causa voverat, cunctantem pueris tradidit verberatum infulatumque votum reposcentes per vicos agerent, donec præcipitaretur de aggere. Spartianus in Adriano: decoctores bonorum suorum, si suæ auctoritatis essent, catamidiari in amphiteatro & dimitti jussit. Accesserunt decalvatio capillorum, & vestium decurtatio, inscalatio, & aliæ id genus pœnæ, quæ etiam huc usque apud nos ignominiæ causa celebrantur. Ex Sueton. constat, quod damnatis ad mortem capilli a capite in occipitium reducebantur, ac manus post terga religabantur, ac vestis scindebatur, aut lacerabatur; sic enim de Vitellio Imperatore de summa dejecto: Religatis post terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa seminudus in forum tractus est inter magna rerum & verborum ludibria per totum viæ sacræ spatium reducta coma a capite, ceu noxii solent, atque etiam mento mucrone gladii subjecto, ut visendam præberet faciem, neve submitteret. Nunc etiam cæsaries reorum ab ipso Carnifice ante supplicium detonditur, ne sylva capillorum, quæ fere custodiis in carceris squallore & pædore alitur, & crescit, aciem gladii retundat, aut alioquin officiat in animadversione. Sed prolixum esset minutiora persequi. Silentio tamen præterire non possum Romanorum superstitionem, qui piaculum, & nefas esse ducebant, virginem strangulari; indignum autem est relatu tortores & carnifices priusquam fauces premerent, florem virgineum fœde, irato veluti Genio & Hymene, delibasse, carpsisse, vitiasse. Sueton. in Tiberio: Viginti uno die abjecti, tractique, inter eos pueri & fœminæ, immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ. Tacitus lib.V. Tradunt ejus temporis Auctores, quia triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum juxta compressam, exin oblisis faucibus id ætatis cor-

Fures. — *Catonis dictum.* — *Transtra sive remi.* — *Reductio Capillo.* — *Virginem non strangulabant Rom.*

[A] pora in Gemonias abjecta. Corpora quidem animadversorum, uti testantur Jureconsulti tit. de cad. punit. quibuslibet petentibus ad sepulturam danda sunt, non autem aliter sepeliuntur, quam fuerit permissum, & nonnunquam non permittitur, maxime majestatis causa damnatorum. Apud nos quidem nunc hoc rarius conceditur ex regiis constitutionibus. Eorum quoque corpora, qui exurendi damnantur, peti possunt, scilicet ut ossa & cineres collecta sepulturæ tradi possint. Si quis in insulam [B] deportatus, aut relegatus fuerit, pœna etiam post mortem manet, nec licet eum inde transferre alicubi, & sepelire inconsulto Principe, ut sæpissime Sever. & Anton. rescripserunt, & multis petentibus hoc ipsum indulserunt. Hinc est, quod Scipio in exilio voluntario moriens noluerit suas reliquias Romam deportari, sed suo sibi voluit asscribi tumulo, *Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes*. Solebant etiam Romani, dum supplicium de aliquo sumerent, aut per Præconem voce, aut per ἐπιγραφὴν, vel inscriptionem, crimen, ob quod plecte[C]batur reus, exprimere, ut omnibus innotesceret. De Præcone exempla obvia. Lampridius in Alexandro Severo: Clamabat, inquit, sæpius, quod a quibusdam sive Judæis, sive Christianis audiverat, & tenebat, idque per Præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Item de Thurino: *Fumo punitur, qui vendidit fumum*. Spartianus etiam scribit, quendam fustibus cæsum, sub hoc Præconis elogio: *Legatum Pop.Rom. homo plebejus temere amplecti noli*. Exemplum est etiam in l. XVI. ex [D] quib. cau. infam. irrog. De titulo vero & superindictione exemplum est in l. si Domino. §. ult. ff. de jurejur. Item apud Suetonium in Caligula: Romæ publico epulo servum ob detractam legis argenteam laminam carnifici confestim tradidit, ut manibus abscissis, atque ante pectus a collo pendentibus præcedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Item in Domitiano: Patremfamilias, quod Trachem Mirmilloni parem, Munerario imparem dixerat, de[E]tractum e spectaculis in arenam canibus objecit, cum hoc titulo: *Impie loquutus est Parmularius*. Notus est titulus magnificus, & triumphalis per Pontium Pilatum Tiberii Procuratorem, & Præsidem in Judæa affixus ligno CRUCIS, unde nostra pependit SALUS, sub qua felici arbore hic conquiescamus, interea laborem nostrum subcisivum remittentes.

Corpora punitorum. — *Crimen damnatorum dupliciter exprimebant Rom. Præco.* — *Titulus.*

Potuit fortasse, ac debuit hæc superficies altius ac latius extrui pro soli & jactorum fundamentorum decoro, si talem architectum invenisset, qui demortuo suc[F]cedere potuisset. Sed nobis hanc appendicem instar tecti tumultuarii potius, quam fastigii, aut coronidis apposuisse in præsentiarum satis erit, neque enim luminibus aliorum ambitiose obstruere studemus. Quod si officium opellamque nostram non ingratam animadverterimus, opus exornare, & excolere, majoraque tentabimus, illo semper juvante, cui honor & gloria in perpetuum.

FINIS.

M. ANTONII MAJORAGII DE SENATU ROMANO LIBELLUS.

FRANCISCUS MOSCHENIUS
Studiosis Antiquitatis,



Rimus Comes Amicus meus Lucubrationem ad me attulit Majoragii propinqui sui, Libellum scilicet de Senatu Romano. Vir sane bonus & doctus cupit prodesse studiosis antiquitatis, & satisfacere officio propinquitatis. Post mortem Majoragii diu jacuit Libellus in tenebris, qui nunc opera Primi prodit in lucem, conspectumque studiosorum, typis excusus a nobis libenter, & diligenter, quod multa contineat scitu dignissima, & quod præseferat observantiam in Senatum grata memoria vel eorum qui decesserunt, vel eorum qui adhuc pulcherrime sedent in Ordine Amplissimo, qui semper floruit omni genere laudis. Valete.



AMPLISSIMO, ET INTEGERRIMO

SENATUS MEDIOLANENSIS

PRÆSIDI,

PAULO ORIGONIO

CÆTERISQUE SAPIENTISSIMIS PATRIBUS CONSCRIPTIS

M. ANTONIUS MAJORAGIUS

S. P. D.



Um multis aliis in rebus Deo Opt. Max. Civitatem hanc nostram Mediolanensem esse gratissimam & carissimam intelligere possumus, Amplissime Præses, & Clarissimi Patres Con. tum in hac una tam aperte, ut oculis ipsis cernere videamur, quod nobis, & optimum Principem Ferrandum Gonzagam jampridem tradiderit, & te, Senatus nostri Princeps integerrime, Paule Origoni, vosque, prudentissimi, ac sapientissimi Patres, summæ Reipublicæ nostræ præesse voluerit: ut, & vos omnia justissime gubernando, & ille clementissime Civibus imperando, totam Rempublicam in tranquilissimo statu conservetis. Quod enim præstabilius, aut pulchrius ab immortali Deo munus alicui Civitati præstari potest, quam & clementissimus Princeps, & justissimus senatus? quid contra magis horribile, aut pertimescendum, quam Tyrannicus Dominatus, & publicum sibi, Tyrannoque subserviens consilium? Terribiles omnino sunt illæ vatis Hebræi minæ, quibus Populo suo Judæo prædicit futurum, ut Deus auferat ab eo senem principem, & consiliarium sapientem. ET DABO (inquit) PUEROS PRINCIPES EORUM; ET EFFOEMINATI DOMINABUNTUR EIS. At huic nostræ Civitati, quæ re vera, & religiosissima est, & Christianæ Legis amantissima, & ab omni pravitatis, atque hæreseos errore purissima, rerum omnium conditor, & gubernator Deus, & æquissimos rectores, & optimum conservatorem infinita sua bonitate, providentiaque largitus est: ut omnis Reipub. nostræ dignitas, omnium Civium salus, vita, libertas, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ Patres, fidei potestatique Principis commissa divinitus, salva, & incolumia quam diutissime conserventur. Hunc ego nostræ Civitatis tam florentem, & tranquillum statum complures jam annos diligenter intuitus, incredibili cum jucunditate cœpi vetera monumenta, tum ex memoria studiorum recentium meorum, tum ex libris repetere, non alia de causa, nisi ut attentissima cura observarem vestigia quædam Romæ Veteris esse in Civitate nostra, senatum scilicet, in quo sapientiam, æquitatem, justitiam, continentiam sane parem reperire possem: at religionem, & pietatem multo majorem, quoniam Romani illi veritatis luce carebant, neque verum Deum agnoscebant, falsa inducit religione plurimos in errores, & ineptias frequentissime labebantur, quas hoc loco referre nihil prorsus attinet. At vo-

Esaiæ cap. 3.

bis, Patres Con. primum adest ipsa Religionis Christianę purissima veritas; quam omni reverentia pie sanctèque colitis, ut non ad ambitionem, & gloriam, quod plerique Romani solebant, omnia referatis, sed ad eam spem, quam firmissimam habetis, omnibus, qui patriam suam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in cœlo, ac definitum locum, ubi beati ævo sempiterno perfruantur; deinde juris civilis, & pontificii omnes estis prudentissimi, quod totum ad ęquitatem, & mansuetudinem christianam traducitis, ut non magis juris quam divinę justitię consulti esse videamini. Tum ita severe, continenter, integre vitam agitis; ut tantum vitę exemplo Civibus vestris prodesse studeatis, quantum Rempublicam bene gerendo quotidie prodestis. Quod si mihi sine suspicione assentationis, cujus vos estis plane hostes, dicere aliquid liberius liceret; qui esset iste campus, per quem vos laudando libentissime excurrerem? auderem ego te, Paule Origoni, cum quovis illius Romani Senatus Principe, vigilantia, consilio, integritate conferre sine invidia. Quis in Republica Romana Francisco Tabernę magno Caroli V. Imperatoris (ut appellant) Cancellario par unquam fuit, aut esse potuit? Quis Francisci Crassi Magistratus Præsidis prudentiam, fidem, industriam ullo tempore unquam adæquavit? Quem celeritate mentis, facultate judicandi Baptistę Schitio parem fuisse dicemus? Quis innocentia, temperantia, humanitate Vicentio Falcutio similis juventus est? Quid de Joanne Varaonio, Alexandro Vicecomite, Petro Mariano, Baptista Rainoldo, Paulo Bercio, Baptista Pectio, Danesio Philedonio, Antonio Caimo commemorem? non ne tales sunt omnes, ut cum Valeriis, Juniis, Cæciliis, Scipionibus, Claudiis, Paulis, Læliis, Flaminiis, cæterisque Romanorum prętantissimis Senatoribus meritissimo sint conferendi? Jam vero de Sacris Antistitibus, qui in gravissimo, sanctissimoque senatu nostro dignissimum locum obtinent, nihil est quod dubitemus, quin, & religione, & fide, & sanctitate multo sint Romanis superiores. Itaque nefas esse censerem Romanorum aliquem, aut cum Archiepiscopo nostro Mediolanensi Joanni Angelo Arcimboldio, qui jam plurimos annos, etiam antequam in Archiepiscopali dignitate collocatus esset, primum post Principem Senatus in curia locum tenuit, aut cum Joanne Simoneta Laudis Pompejæ Episcopo comparare, aut cum Philippo Castellioneo summæ venerationis Antistite, jurisqueconsulto peritissimo, aut denique cum Francisco Casato Præsule religiosissimo, qui omnes sanctissimi sacrorum Antistites in Senatu nostro cum quadam incredibili majestate consident. Quamvis enim etiam in Romano Senatu quidam essent Antistites sacrorum, & Pontifices, qui summam obtinerent dignitatem, tamen quia falsam Religionem colebant, nullo modo sunt cum nostris Antistitibus conferendi. Quid? Equites nostri qui locum habent in Senatu, nonne vel ea de causa Romanis Equitibus anteponendi sunt, quod senatoriam dignitatem obtinent, quam Romani Equites non habebant? vel quod ab Imperatore propter egregias, & singulares virtutes suas hoc honore donantur, quod nonnisi summis, & clarissimis viris accidere potest? Hæc atque hujus generis alia plurima cum ipse mecum diu cogitassem, & verissima esse cognovissem, putavi rem non injucundam, neque inutilem me vobis, Patres Con., facturum fuisse, si, cum per amæna veterum scriptorum viridaria flosculos undique carpens, atque delibans evagarer, ex Auctoribus tum Latinis tum Græcis, quicquid de Senatu Romano dignum memoria comperissem, omni cura, atque

diligentia collegissem, & adhibitis aliquibus oratoriis ornamentis, ad certum ordinem capitum redigissem, vobesque, pro mea perpetua in amplissimum istum ordinem observantia, concinne formatum munusculum obtulissem; quod cum non invita penitus Minerva, neque Musis improbantibus effecisse mihi videar, hoc tempore vobis illud offerre, dedicare, & sub amplissimi, florentissimique nominis vestri tutela, & clientela apparere volui, non quod tam leviculum munus omnium gravissima auctoritate vestra dignum existimem, quæ nonnisi animi recreandi gratia, cum a maximis occupationibus respirare conceditur, potest ad res tam humiles atque demissas tandem aliquando respicere; sed primo ut animum meum ad laudem, & dignitatem vestram, quæ jam usque adeo longe lateque diffusa est, ut augeri nullo modo possit, prædicandam, & celebrandam, quasi lætitia quadam exultantem intelligatis. Vobis enim omnia me debere, quæ possum, atque etiam, quæ non possum, libentissime fateor, & agnosco: deinde ut antiquorum morem & consuetudinem intuentes, quo tempore vobis a publicis negotiis animum relaxare licuerit, vehementius in sinu vestro gaudeatis; cum vos tanto superiores veteribus illis omnium sermone celebratis Patribus Romanis esse conspiciatis. Accipe igitur, excellentissime Senatus Princeps, Paule Origoni, Patriæ nostræ maximum decus, & singulare ornamentum, accipite sanctissimi Patres Con. nostræ Civitatis florentissima lumina benignis (ut soletis) cultibus, quod ingenii mei tenuitas animo reverenti vobis offert. Neque ad opusculi parvitatem, sed ad propensæ voluntatis erga vestri Ordinis sempiternam gloriam meæ magnitudinem quæso respicite; nam quo animo vobis hoc Levidense Munusculum offero, eodem etiam, si mihi facultas concederetur, longe majora, & quidem libentius, atque promptius offeram. Illud sane vos certum, atque exploratum habere velim, me omnino pari veneratione sapientissimum istum Ordinem vestrum prosequi, atque illos, qui jam in cœlo, mortali conditione liberati, beatissimam Deorum vitam sunt adepti. Valete.

CAPITUM TABULA.

M. ANTONII MAJORAGII DE SENATU ROMANO LIBELLUS.

CAPUT I.

De Origine Senatus Romani.



Magnum ingenium Romuli Urbis Romanæ parentis, & conditoris, magnaque sapientia plurimis quidem in rebus, & iis maximis atque præstantissimis, tum mentis acumen prope divinum apparuit; sed in eo præcipue summa, atque incredibilis ejus virtus emicuit, quod cum Urbem eam felicissimis auspiciis condidisset, quæ postea longissimo tempore pene totius Orbis terrarum domina atque regina fuit; & hac etiam ætate Christianæ Religionis, ac Sanctitatis jure optimo principatum, & domicilium obtinet, parum putavit esse, finitimos populos debellare, multasque nationes in potestatem atque ditionem suam redigere, nisi eas etiam, & stabili imperio cum securitate regeret, & sapienti consilio in fide contineret. Quare (T. Liv. lib. 1.) posteaquam Urbe condita vires ad propulsandos hostes, & gerenda bella satis jam amplas acquisivisse sibi visus est, delectu militum, ac sociorum omnium suorum habitu, quos & longo rerum usu, & vitæ integritate, & præstanti sapientia cæteris antecellere cognovit, ex eorum numero centum Senatores elegit, (Donys. lib. 2.) quibus præter egregiam, & singularem virtutem essent etiam viventes filii, mediocres opes, & spectata nobilitas. Hos belli vacationem habere, domi sedulo esse, Deis Immortalibus sacrificia peragere, magistratus gerere, jus dicere, publica negocia administrare voluit. (T. Liv. lib. 1.) Centum vero tantum ad summum Populi Romani consilium Senatores instituit, vel quod eum numerum ad Civitatis administrationem, & ad Reipublicæ gubernacula tenenda sufficere existimavit; vel quod eo tempore centum soli sunt inventi, qui tanta prudentia rationeque præcellerent, ut illud onus gubernandæ Civitatis humeris suis commode sustinere posse viderentur. Seniores autem potissimum, (Cic. de senect.) ut provectioris jam ætatis homines, ad hæc officia delegit, vel ad Reipublicæ Lacedæmoniorum exemplum, quæ jam eo tempore maxime florebat, apud quos ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam appellantur, senes, in quibus summum inesse consilium existimant; vel quod ipse per se ut erat vir acutissimus, (Job cap. 15.) & alta quidem mente præditus, hoc etiam præter cætera cognovit, quod ille sapiens Caldæus multo ante prædixerat, in senibus præcipuam esse sapientiam, & in multo tempore prudentiam. (De Senect.) Res enim magnæ (sicut ait orator) consilio, auctoritate, sententia geruntur, quibus senectus augeri solet. (L. semper ff. de jur. jun.) Hac de causa semper in Civitate Romana (sicuti Callistratus Jurisconsultus auctor est) senectus ipsa venerabilis fuit. *Majores enim (inquit) nostri pene eumdem honorem senibus, quem magistratibus tribuebant.* (Lib. 2. de inst. antiq.) Quin etiam (ut Valerius scribit) juventus ita cumulatum, & circumspectum honorem senectuti reddebat, tanquam majores natu communes essent omnium adolescentium Patres. Quæ res non tantum Romæ, sed in multis etiam aliis bene constitutis Urbibus observari diligentissime solebat. Unde Lysander Lacedæmonius (Cic. de Senec.) senectutis honestissimum esse domicilium Lacedæmoniorum Urbem prædicabat; nusquam enim tantum tribuebatur ætati, nusquam erat senectus honoratior. (Lib. 5. de vita Ap.) Philostratus auctor est, olim apud Gades templum senectuti tanquam Deæ fuisse dedicatum; quin Hebræorum ille celeberrimus, (Leviti. cap. 19.) ac nobilissimus Legumlator Moses suis in Legibus etiam illud instituit, ut senioribus juniores assurgerent, & eos tanquam Parentes honorarent. His igitur de causis impulsus vir fortissimus, & sapientissimus Romulus ordinem amplissimum ex senioribus Reipublicæ gubernandæ gratia constituit, & propter reverentiam, quæ illi ætati tunc habebatur, Patres appellavit, (Fast. lib. 5.) quod Ovidius in fastis ita cecinit:

Magna fuit capitis quondam reverentia cani;
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Martis opus juvenes animosaque bella gerebant,
Et pro Diis aderant in statione suis.
Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,
Consilio Patriæ sæpe ferebat opem.
Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen & ætatis mite senatus habet.
Jura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est ætas, unde petatur honor.
Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere? censuram longa senecta dabat.
Romulus hoc vidit, selectaque corpora Patres
Dixit, ad hos urbis summa relata novæ est.

Dionys. lib. 2. Fuit autem a Romulo Senatus hoc modo constitutus. Primum ipsemet unum omnium optimum virum ex omni numero, cui maxime confidebat, & cujus integritatem ac sapientiam plane perspectam, & cognitam habebat, sibi Vicarium elegit; qui, cum ipse foris bella gereret, urbana domi negocia curaret, & omnibus, qui in Urbe remanerent, præesset, atque imperaret, quem postea Senatus Principem nominavit. Deinde cum universum Populum tres in partes distribuisset, quæ ab ipsa divisione Tribus appellatæ sunt, & unamquamque Tribum in decem Curias iterum divisisset, ex singulis Tribubus ternos primarios viros, qui & matura essent ætate, & filios haberent, & cæteris nobilitate, atque sapientia præstarent, seligendos curavit, atque hos illi Principi, quem antea delegerat, ex Tribubus electos associavit, ut omnes jam denarium numerum efficerent. Postea vero jussit, ut singulæ Curiæ ternos ex senioribus, quibus essent filii, suffragiis omnium approbatos eligerent, & eorum ad se nomina deferrent, quod ubi maxima cum diligentia factum fuisset, centenarius Patrum numerus expletus, atque perfectus est. Hac ratione Senatu constituto Romulus inferioris Ordinis homines, & plebejos centum illis Patribus commendavit, ut eorum curam ac tutelam, non secus, ac parentes filiorum solent, humaniter, & benigne susciperent. Ipsis vero Plebeiis concessit, ut ex Patribus quem quisque vellet, sibi defensorem adoptaret, qui causas suas cognosceret, & se absentem tueretur, ac defenderet, ne fortasse tenuiores homines litibus, & controversiis ab opere suo rustico distraherentur. Qua de causa defensores postea Patroni sunt a Patribus nominati, & defensiones Patrocinia dicta. Tantam deinceps auctoritatem Ordo Senatorius obtinuit, ut neque Romulus ipse, neque cæteri, qui Romulum subsecuti sunt, Romanorum Reges quicquam, quod paulo majoris esse momenti videretur, sine Senatus consilio gererent. Mortuo namque Romulo, cum nullus esset legitimus Regni Successor, propterea quod nullum filium Romulus reliquerat, Senatores ipsi Reip. gubernationem ita inter se partiti sunt: cum enim centum essent (ut supra *T. Liv. lib. 1.* demonstravimus) decem fecere Decurias ut per quinque dies decem imperitarent, & eorum unus cum Insignibus Imperii, & Lictoribus præcederet, quinque vero dierum spacio finiretur Imperium; atque ita per omnes Senatores quasi in orbem circumiret. Annuum (inquit Livius) *intervallum Regni fuit, id ab re quod nunc quoque tenet nomen, Interregnum appellatum.* Quo quidem tempore clementer, & juste Civitatem administrantes, maximam apud Populum Romanum gratiam, & benevolentiam acquisiverunt; atque eo magis quod amplam, & liberam Populo Plebique potestatem fecerunt, ut sibi quem idoneum existimarent sine ullo timore aut dubitatione regem cooptarent, publicoque decreto constituerunt, ut quem Populus Regem jussisset, is demum ratus, ac firmus haberetur, si Patres auctores facti fuissent; quod quidem summæ auctoritatis initium, ita fixum ac stabile deinceps fuit, ut quandiu Romana Respublica floruit in Legibus Magistratibusque rogandis, ac demandandis, perpetuo diligentissime fuerit observatum. Quamvis enim Populus, in quo plenissima potestas, & summa Imperii majestas esse dicebatur, aliquid fieri jussisset, id tamen nequaquam prius ratum habebatur, quam gravissima Senatus auctoritas intercessisset. Postea sub Numa Pompilio, qui Romulo successit in Regnum, summam Senatus dignitatem suam obtinuit. Rex enim omnium religiosissimus, nihil penitus inconsulto Senatu, quem publici consilii dominum esse intelligebat, & volebat, sibi agendum unquam censuit. Tullus deinde Hostilius cum Albanos in potestatem suam devictos redegisset, & Urbem ipsam Albam funditus evertisset, Principes Albanorum (ut auctor est Livius) in Patres legit, ut ea quoque pars Republicæ cresceret; *Lib. 1.* Tullios igitur, Servilios, Quintios, Geganios, Curiatios, Clælios Patribus adjunxit, templumque ordini ab se aucto curiam fecit, quæ Hostilia fuit appellata. Mansit hic numerus Senatorum, ut uno tempore centum non amplius essent, usque ad Tarquinii Prisci dominationem. Nam qui ex Albanis ab Hostilio fuerunt additi, tantum in demortuorum locum succedebant. Tarquinius autem Priscus cum regnum primo ambitiose quæsivisset, deinde ingenti comitate benignitateque confirmasset, augendæ Reipublicæ cupidissimus alios centum Senatores constituit, qui deinde minorum gentium Patres vocati fuerunt; quæ factio haud dubia regis fuit, cujus beneficio in Curiam venerat. Ex eo tempore ducenti fuere Senatores, qui deinde sub Tarquinio Superbo graviter afflicti, variasque passi calamitates, ob Regis crudelitatem, & superbiam, plerique non tantum auctoritatem, sed etiam vitam amiserunt; donec tandem prudentissimo constantissimoque L. Junii Bruti consilio Regibus exactis Ordo Senatorius non tantum pristinam dignitatem recuperavit, sed etiam longe majorem auctoritatem consequtus est. Expulso enim virtute Bruti Tarquinio Superbo, cognatisque illius omnibus, Populum Romanum novæ libertatis avidum jurejurando Brutus adegit, neminem Romæ passuros regnare. Deinde quo plus virium in Senatu etiam Ordinis frequentia faceret, cædibus Regis diminutum Patrum numerum primoribus equestris gradus electis ad trecentorum summam explevit: factumque inde tradunt, ut in Senatu vocarentur, qui Patres quique conscripti essent; conscriptos enim novos Senatores appellabant. Id mirum dictu, quantum profuerit ad concordiam Civitatis jungendosque Patribus Plebis animos. Hæc igitur origo Senatus Romani fuit, hoc incrementum, hæc perfectio, ut primo centum a Romulo constituti fuerint, qui Majorum gentium Patres postea vocarentur; deinde centum alios Tarquinius Priscus adjunxerit, quos Minorum gentium Patres appellarunt; postremo L. Brutus, vel ejus collega Valerius cognomento Publicola, sicuti Plutarchus existimat, ita numerum ampliarit, ut trecenti deinceps in Curia considerent. Sed quos Brutus elegit, plerique Conscriptos vocitarunt; qui tamen etiam Minorum gentium Patres dicti fue-

Lib. II. runt. Quod his verbis Cor. Tacitus indicat: *paucis jam reliquarum familiarum, quas Romulus Majorum, & L. Brutus Minorum Gentium appellaverant*. Cur autem Plutarchus contra T. Livii, Dionysii Halicarnassæi, Cor. Taciti, multorumque aliorum sententiam, non L. Bruto laudem hanc ampliati Ordinis Senatorii, sed P. Valerio tribuerit, haud sane facile explicuerim, nisi fortasse Valerium, quem ornandum susceperat, etiam collegæ gloria voluit honestare.

CAP. II.

De Nomine Senatus.

Nominis autem ratio plana est, atque manifesta; neque enim hac in re Bartolo jureconsultorum quasi Coryphæo credendum est, qui Senatum ab assentiendo nimis absurde censuit appellatum, cum apertissime Cicero de Senectute scribat, summum consilium a senibus usque a principio conditæ urbis Senatum fuisse nominatum: *Quemadmodum* (inquit) *apud Lacedæmonios, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam appellantur Senes*. Erat enim olim Lacædemone consilium publicum ex triginta viris constitutum, quæ Gerusia dicebatur, quod in eo senes tantum consederent: nam apud eos geron senem significat. Ad id consilium illi tantum admitti solebant, qui auctoritate, fide, religione cæteris omnibus antestarent, & annum jam sexagesimum excessissent, quod Demosthenis interpres Ulpianus ait, & Aristoteles in libris de Repub. tradit hoc summæ virtutis apud Lacedæmonios fuisse præmium. (Arist. Polit. 2.) Plutarchus in Lycurgo scribit, hoc ex omnibus humanis certaminibus maximum apud Lacedæmonios, & maxime expetendum fuisse, quoniam Seniores inter se summis viribus pro ea dignitate contendebant, & qui omnium optimus, & continentissimus fuisset a Populo judicatus, is quasi totius vitæ suæ palmam, & maximæ virtutis insignia consecutus, in demortui locum succedebat. Eodem fere modo Athenis Areopagitarum Senatus tantum ex iis constituebatur, qui per omnes dignitatis gradus in Atheniensium Republica, atque integre se gerentes ad senilem ætatem sine reprehensione pervenissent. Plutarchus igitur in Romulo cum Cicerone sentit, qui senatores ab ætate senili denominatos fuisse scribit; idem primo libro T. Livius, & in secundo de antiquitatibus Romanorum Dionysius Halicarnassæus, & Eutropius, cujus etiam verba libuit adscribere; sic enim ait ubi de Romulo verba facit: *Centum ex senioribus legit, quorum consilio omnia egit, quos Senatores propter senectutem, patres ob similitudinem curæ nominavit*. Huc accedit Ovidii testimonium, qui Fastorum lib. 5. sic ait:

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen & ætatis mite Senatus habet.

Veteres enim Latini, sicut scribit Dionysius, optimos quosque viros appellare senes consueverant, quod prudentia senectutis esse propria videatur. (Lib. 2.) Patres autem tribus de causis dictos fuisse reperio; primo propter honorem, ac dignitatem, qua reliquis antecellebant, hoc enim nomen Patris olim honoris, ac reverentiæ fuisse declarant non tantum summi Poetæ Homerus, & Virgilius, apud quos frequentissime viri præstantes, & Heroes, & ipsi etiam Dei, Patres appellantur, sed etiam Oratores, Historici, & Jurisconsulti. Sic Alexander Severus Imperator Ulpianum Jurisconsultum honoris, & amplitudinis gratia Patrem suum appellat, (Lex divi C. locat.) & magnus ille nostræ Religionis præco Joannes Christi legatus Patres eos vocat, ad quos scribit, non alia de causa, ficuti Hieronymus Dalmata censet, nisi ut eos veneretur. (Ep. 2. in in Esajam cap. 3. L. ult. C. de cedendo De Litigio.) Testatur hoc etiam Purpuratus Jurisconsultus, & locus est apertissimus in Authenticis, ubi hoc idem declaratur. Jam vero notissima, & vulgatissima est historia de M. Tullio Cicerone, qui cum a conjuratione Catilinæ Romanam Rempublicam liberasset, ex Senatusconsulto, & publico decreto Pater Patriæ primus omnium fuit appellatus, de qua re ita Juvenalis:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. (Satyra 8.)

Huc allusisse videtur etiam Horatius tertio Carminum cum ita inquit,

Si quæret Pater Urbium
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam.

Secundo Patres dicti sunt eo, quod viventes filios haberent; primis enim illis temporibus, etiam si quis vir fuisset egregius, & probitate præstans, tamen nisi filios haberet, Senator esse non poterat: volebant enim Romani veteres huic etiam rei cives operam dare, ut filios quamplurimos generarent, & eos honestissime educarent; unde lex erat in duodecim tabulis, quæ cælibes esse prohiberet: atque hoc erat censorium officium, ut ii punirentur, qui uxorem ducere, & filios procreare noluissent. Camillus, & Posthumius Censores, ut Valerius scribit, æra pœnæ nomine eos, (Lib. 2. cap. 4.) qui ad senectutem cælibes pervenerant, in ærarium deferre jusserunt: qui vero civis Romanus tres filios masculos viventes haberet, onerum immunitate donabatur; (Inst. tit. de excus. tut.) quod Jus trium liberum, vel trium natorum vulgo dicebatur. Hoc autem jus trium liberum Imperatores nonnunquam etiam non habentibus tres filios indulgebant. Quare Martialis ad Domitianum scribens hoc ab eo jus ita postulat;

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut esse trium.

Aristoteles lib. de Rep. secundo docet, hanc legem etiam apud Lacedæmonios fuisse, (Lib. 2.) sic enim scribit: *Cum enim cuperet is, qui leges Spartanis dedit, quamplurimos Spartanos esse cives, adhortatus est ut*

quam maximum liberorum numerum procrearent; est enim apud eos lex, eum qui tres filios suscepisset, præsidii, & stationis, qui quatuor, omnium munerum vacationem habere. Tertio vocati sunt Patres, ut Dionysius scribit, eo quod essent nobiles, & a claris orti parentibus, quod ad imitationem Atheniensium a Romulo fuisse factum idem Dionysius existimat; nam apud Athenienses, qui cæteris nobilitate præstarent Eupatridæ vocabantur, quasi boni patres, vel potius a bonis patribus geniti: Quod etiam Plutarchus in Problematibus affirmat. Hac ratione patricii postea dicti sunt omnes, qui a Patribus, & Senatoribus illis primis originem duxerunt, quod patrem ciere, hoc est cum honore appellare possent. Sic enim apud T. Livium P. Decius Mus loquitur: *An unquam fando audivistis, patricios primo esse factos, non de Cœlo demissos? sed qui patrem ciere, avumque possent, idest nibil aliud quam ingenuos? consulem jam patrem ciere possum, avumque jam poterit filius meus*. Nobiles igitur Romani, qui ab antiquis Senatoribus essent oriundi, Patricii dicebantur, etiam si nondum in senatu cooptati fuissent. Quare Suetonius in Augusto sic ait: *Quanquam Patricius, nondum Senator*. Senatores enim, ut ait Ulpianus, accipiendum est eos esse, qui a Patriciis, & Consularibus usque ad omnes illustres viros descendunt, quia & hi soli in Senatu dicere sententiam possunt. Sed illud advertendum est, non omnes Senatores, aut Senatorum filios in numero Patriciorum fuisse, nisi qui, vel ab illis antiquis Senatoribus, quos primo Romulus, deinde Tarquinius Priscus, tum L. Brutus elegit, originem ducebant, vel qui a Principibus, & Imperatoribus propter egregia merita, aut propter gratiam in patriciorum numerum traducti fuissent; quod aperte Cor. Tacitus, de Claudio Imperatore verba faciens, ita ostendit: *Iisem diebus in numerum patriciorum ascivit Cæsar vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant*. Sed duo fuisse Patriciorum genera constat; qui enim ab illis patribus, quos primo Romulus instituit, orti erant, Patricii majorum Gentium vocabantur, & longe cæteris nobiliores esse censebantur. Qui vero nati erant ab iis senatoribus, quos Tarquinius Priscus, & L. Brutus elegerant, minorum Gentium patricii vocati sunt, & minus nobiles existimabantur. Cicero in epistolis ad Papyrium scribens, ita inquit; *Sed tamen, mi Pæte, qui tibi venit in mentem negare, Papyrium quenquam unquam nisi plebejum fuisse? fuerunt enim patricii minorum Gentium, quorum Princeps L. Papyrius Mugillanus*. Primo Tusculanarum Quæstionum libro Cicero hæc nomina etiam ad Deos transtulit: minorum enim Gentium Deos vocat, qui semper celestes habiti sunt, & selecti Dei nuncupati. Sicuti M. Varro contra, minorum Gentium Deos appellat, qui adscriptitii sunt, & ex hominibus in Deorum numerum allecti. Cleanthem autem in Lucullo Cicero majorum Gentium Stoicum vocat; quasi primarium, & Stoicorum nobilissimum. Quatuor porro ge-

Lib. 2.

Lib. 10.

F. Nupto ff. de Sena.

Lib. 11.

Lib. 9.

A nera Senatorum fuisse comperimus, Patricios, Conscriptos, Allectos, & Pedarios. Patricii vocabantur omnes, vel majorum, vel minorum Gentium, qui post L. Bruti institutionem a Senatoribus patricii generis oriebantur. Conscripti dicti sunt illi, qui Consulum, Censorumve decretis in Senatu essent scriptis notati; quæ appellatio principium habuit ab ipso Junio Bruto, qui cum Senatorum numerum augere statuit, non solum patricios elegit, sed etiam ex equestri ordine quos virtute ac nobilitate reliquis præstare intellexit, B atque eos conscriptos patres, quasi una cum patriciis in Senatorum albo scriptos nominavit; ex quo tempore Patrum conscriptorum appellatio, sicut antea diximus, locum habere cœpit. *Allecti dicebantur*, inquit Festus, *qui propter inopiam ex Equestri Ordine in Senatum assumpti fuissent*: fiebat enim interdum, ut, vel propter hominum penuriam, cum bellorum cædibus exinanita esset Respublica, vel propter favorem & gratiam, non tantum ex Equestri Ordine, quem Alexander Se- C verus ajebat Senatus esse seminarium, sed etiam ex Libertino genere, vel ex novis civibus aliqui in Senatum allegerentur, qui ideo vocabantur allecti, & in conscriptorum numero ponebantur. Plutarchus enim in problematibus ita scribit: *Cur Senatores alios Patres conscriptos, alios tantum Patres appellabant? An eos, quos ab initio Romulus delegerat, Patres, ac Patricios nominabant, quasi bonis parentibus natos, reliquos deinde ex Plebe electos, & adscriptos in Senatum conscriptos vocitarunt?* Pedarii dicti sunt, qui non habe- D bant sententiæ dictionem in Senatu, sed in aliorum sententiam pedibus ibant: de quibus infra suo loco plura dicemus. Inter Senatorias Personas etiam uxores Senatorum numerantur, sed filiæ, nisi Senatori nupserint, nequaquam clarissimæ, aut Senatoriæ dici solent. Tamdiu igitur fæmina dici clarissima poterit, ut scribit Ulpianus, quandiu Senatori nupta fuerit, vel viro clarissimo, vel ab eo separata alii dignitatis inferioris non nupserit.

L. Femina ff. de Sena.

E

CAP. III.

De numero Senatorum.

QUot autem numero Senatores uno tempore solerent esse usque ad Junii Bruti ætatem, ex iis quæ dicta sunt, intelligi facile potest. Nam ab ipso Romulo ad Tarquinium Priscum tantummodo centum erant, neque quisquam addi solebat, aut eligi nisi in demortuorum locum. Tarquinius vero sicuti supra demonstratum est, centum alios addidit, ut F essent omnes postea ducenti: quem numerum Junius Brutus, vel (ut Plutarchus sentit) ejus collega P. Valerius, exactis Regibus ampliavit. Centum enim & sexaginta quattuor eis, qui ex cædibus Tarquinii Superbi superstites erant, adjunxit; atque ita Senatorum numerus ad trecentos pervenit. Longo deinde tempore plures trecentis non fuerunt, at sæpe numero pauciores, cum aliqui quotannis morerentur. Sed quinto quoque anno censores legere

Senatum instituerunt, & in locum demortuorum alios ad trecentorum summam electos adjungere. Qua de causa Hebræus ille scriptor, ita de Romanis inquit; *Et quia Curiam fecerunt sibi, & quotidie consultant trecenti viri*. Postea vero multorum ambitione, qui plurimum in Rep. poterant, quales erant belli Duces, & Imperatores, qui vel strenuis viris, vel amicis suis gratificantes plures in Senatum cooptari procurabant, usque eo Senatorum numerus auctus est, ut nunquam certus esse posset. Nam M. Tullius in ea Oratione, quam post reditum suum habuit in Senatu, sic ait. *Quo quidem die, cum quadringenti decem Senatores essent, Magistratusque omnes adessent, dissensit unus*. Et primo ad Atticum libro: *Homines*, ait, *ad quindecim Curioni nullum Senatusconsultum facienti assenserunt, facile ex altera parte quadringenti affuerunt*. At vero Julius Cæsar, devicto Pompejo, & occupata Republica, tam multos in Senatum legisse dicitur, ut non tantum Orchestram in Theatro, qui locus erat Senatorum proprius, sed etiam quatuordecim primos Ordines, in quibus Equites sedere consueverant, pene replerent. Multos enim etiam ignobiles viros, quorum fortissima opera usus in bello fuerat, remunerandi gratia, Ordine amplissimo cohonestare voluit. Post Cæsaris mortem, cum variis, & turbulentis calamitatibus afflicta diu fuisset Romana Respublica, & longo tempore civilia atque intestina bella viguissent, plurimi etiam indignissimi per civitatis principes in Senatorium Ordinem pervenerunt; usque adeo, ut Triumviratu constituto, quamvis magna Senatorum multitudo partim in civilibus bellis occidisset, partim Triumvirorum Antonii, Lepidi, atque Octavii proscriptione crudelissime trucidata fuisset, tamen etiam supra mille superstites evaserint. Verum Augustus Cæsar postquam devictis adversariis Imperium suum stabilivit, & a bellis conquievit, huic rei tam necessariæ mentem adjecit, & rejectis indignis atque sordidis hominibus Senatorii Ordinis sentinam exhausit. De qua re Suetonius ita scribit; *Senatorum affluentem numerum, deformi, & incondita turba, erant enim supra mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam, & præmium allecti, quos abortivos vulgus vocabat, ad modum pristinum, & splendorem redegit*.

Macab. 1

CAP. IV.

De ætate Senatoria.

DE Senatorum ætate sic accepimus: Non potuisse olim quemquam Senatorem fieri, ut scilicet in Senatu sententiam diceret, nisi qui jam senior esset, hoc est, qui annum quintum, & quadragesimum attigisset. Putabant enim veteres, hanc ætatem maxime aptam esse consiliis, quod tunc juvenilis calor jam deferbuisset, & animus vigorem suum explicare facile posset. Nam una cum ætate consilium etiam, & prudentia crescere existimatur. Quod ita Lucretius Poeta sane quam eruditus attestatur;

Inde ubi robustis adolevit viribus ætas
Consilium quoque majus, & auctior est animi vis. Lib. 3.

Hac de causa scientiarum pater Homerus ait, seniorum munus esse consilium, & ejus æmulator Virgilius in consiliis dandis fere seniores introduxit, ut in quinto Æneidis: Lib. 4. Iliad.

Tum Senior Nantes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit multaque insignem reddidit arte,
Hæc responsa dabat: ——

Atque ut magis hanc rem confirmaret, non ita multo post facit Anchisem Æneæ sic in somnis præcipientem:

Consiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat Senior. ——

Plutarchus in opere, quo disputat, an seniori sit administranda Respublica, dicit eam Civitatem diutissime conservari, in qua consilia senum, & juvenum lanceæ præcellunt. Euripides in Menalippo sicuti Stobeus citat, ita scripsit:

Dictum est vetustum, facta juvenum, cæterum
Magis valent consilia natu grandium.

Docet Æschines in oratione, quam habuit contra Ctesiphontem, apud Athenienses eam fuisse consuetudinem, ut in publicis consiliis, cum factum esset silentium, ita præco clamaret: Quis vestrum ex iis, qui annum quinquagesimum excesserunt, sententiam dicere paratus est? quo ex loco intelligitur, ante quinquagesimum annum in Atheniensium Rep. non licuisse fieri publici consilii auctorem. Vim enim ingenii, & acumen mentis ad nonum & quadragesimum usque annum crescere, testis & Aristoteles, quo tempore maturitas est consilii. Verum, ut dixi, Romani seniorem ætatem ab anno quadragesimo quinto incipiebant: totam enim ætatem hominis ita veteres, ut auctor est M. Varro, distinguebant, ut sex ejus partes efficerent, quas ex annis quindecim singulas constare volebant. Qui igitur in prima ætate constituti essent, usque ad annum decimum quintum, pueri vocabantur; deinde ad trigesimum usque adolescentes erant; tum ad quadragesimum quintum juvenes dicebantur; quod ætate illa maxime viribus, ac virtute bellica Rempublicam juvare possent; deinde ad sexagesimum usque seniores appellabantur, quæ jam ætas matura, & perfecta credebatur, & ad consulendum maxime præter cæteras idonea: quocirca eo tempore qui Senatores erant, pignoribus, & multa cogebantur in Senatum venire, deque Reip. administratione sententiam dicere. Nam post annum sexagesimum non amplius Seniores, sed jam senes vocabantur in Senatum, sed arbitrio suo poterant, vel abesse, vel venire. Lex enim, ut ait Cælius, a quinquagesimo anno militem non

Lib. 2. Reth.

Lib. 11. cap. 1.

legit, a sexagesimo Senatorem non citat. Senectus ad quintum, & septuagesimum annum extendebatur: ultra hanc ætatem ad finem usque vitæ decrepiti vocabantur. Cum igitur ex Romanorum distinctione, nam alii aliter eas distribuunt, sex homini ætates habeantur; ineunte demum quarta ætate, quæ a quinto, & quadragesimo anno incipiebat, ad Senatorium Ordinem, qui digni habiti fuissent, admittebantur; qua de causa dixit Ennius:

Moribus antiquis res stat Romana, virisque.

Quem Ennii versum Cicero tertio de Republica, sicuti Augustinus scribit, tantopere miratur, ut vel brevitate, vel veritate tanquam ex oraculo sibi quoddam effatum videri dicat. Homines enim tantum antiqua virtute, ac fide solebant olim in Senatum legi, & quamvis post annum sexagesimum Senatores in Curiam venire non compellentur, suam tamen dignitatem, atque auctoritatem ad finem usque vitæ retinebant, & Senatoriis muneribus, atque immunitatibus fruebantur, nisi fortasse propter delictum aliquod a Senatu rejecti fuissent. Atque hæc etiam ætas, de qua loquimur, Consularis erat. Romanorum enim legibus ante quintum, & quadragesimum annum Consul fieri nemo poterat. Quod si quisquam ante illud tempus consulatum adeptus est, is a legibus prius absolutus fuit, quamvis Cicero quinta Philippica duos annos huic ætati consulari videatur adimere, cum ita inquit: *Quid Macedo Alexander, cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tertio, & trigesimo anno mortem obiit?* Quæ est ætas nostris legibus decem annis minor quam Consularis. Paulatim deinde Romæ cœpit etiam Junioribus Curia patere, ut qui tanto honore digni viderentur, post annum trigesimum in Senatorum collegium cooptarentur. Quod ita Cicero quarta in Verrem Actione significat, ubi de Halesinis verba facit: *cum haberent inter se controversias de Senatu cooptando, leges a Senatu nostro petiverunt, decrevit Senatus honorifico Senatusconsulto, ut his C. Claudius, Appii filius, Pulcher Prætor de Senatu cooptando leges conscriberet. C. Claudius adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum sententia leges Halesinis dedit: in quibus multa sanxit. De ætate hominum, ne quis minor triginta annis natus; de quæstu, quem qui fecisset, ne legeretur; de censu, de cæteris rebus.* Et paulo post: *Agrigentini de Senatu cooptando Scipionis leges antiquas habent, in quibus eadem illa sancta sunt.* Judices autem non poterant esse, nisi quinque & triginta annos nati essent, quod in Augusto Suetonius ostendit, cum ait, Augustum Judices ab anno 30. allegisse, idest, inquit, *quinquennio maturius quam solebant.* Atque initio quidem nullæ erant leges de ætate Senatoria constitutæ; tantum ea consuetudo servabatur a Romulo tradita, ut soli Seniores post annum quintum, & quadragesimum, ut antea diximus, in Senatum legerentur, donec a L. Julio Tribuno Plebis Lex annalis lata est, quot annos nati quique Magi-

T. Livius lib. 40.

stratum peterent caperentque; unde cognomen familiæ inditum est, ut Annales appellarentur. Ad hanc legem respexit Ovidius, cum Fastorum lib. quinto sic ait:

Jura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est ætas, unde petatur honor.

Eadem Lex etiam annaria dicebatur (ut auctor est Festus) ante hanc legem frequenter etiam Juvenes, in quibus maxima virtus enituisset, Populo Romano concedente, Consulatum, & reliquos Magistratus assequebantur. Quod Cicero quinta Philippica sic affirmat: *Itaque majores nostri veteres illi admodum antiqui leges annales non habebant, quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales; ita sæpe magna indoles virtutis, priusquam Reip. prodesse potuisset, extincta fuit. At vero apud antiquos Rulli, Decii, Corvini, multique alii, recentiore autem memoria superior Africanus, T. Flaminius admodum adolescentes Consules facti, tantas res gesserunt, ut Populi Romani imperium auxerint, nomen ornarint.* Illam autem fuisse olim consuetudinem legimus, ut plerique Senatores filios suos adhuc prætextatos, & parvulos secum in Senatum adducerent, & omnibus Decretis, ac Senatusconsultis præsentes esse concederent; ut a teneris annis, quibus rationibus esset administranda Resp. perdiscerent. Verum ea consuetudo postea fuit immutata. Res enim quædam accidit lepida, ac festiva, quam M. Cato retulit in oratione, qua usus est ad milites contra Galbam, ut primo libro Gellius in hunc fere modum recitat: *Mos* (inquit) *antea Senatoribus fuit, in Curiam cum prætextatis filiis introire. Tamen cum in Senatu res major quædam consultata, eaq; in diem posterum prolata esset, placuit ut eam rem, super qua tractavissent, ne quis enuntiaret, priusquam decreta fuisset. Mater Papyrii pueri, qui cum parente suo Senatore in Curia fuerat, percunctata est filium, quidnam eo die patres egissent in Senatu. Puer respondit, non esse fas illud enunciare; Mulier fit audiendi cupidior. Silentium pueri vehementius, & violentius expugnare contendit. Tum puer urgente matre lepidi, atque festivi mendacii consilium capit. Actum in Senatu fuisse dixit, utrum utilius, & magis e Republica esse videretur, unus ne vir duas uxores haberet, an una mulier apud duos viros nupta esset. Hoc illa postquam audivit, domo festinanter egreditur, ad reliquas matronas accedit, & cum eis rem auditam communicat. Ad Senatum postridie matronarum ingens caterva cum multis precibus, & lacrymis advolat, & cunctæ pariter obsecrantes orant, ut una potius duos maritos habeat, quam unus duas uxores. Senatores dum in Curiam ingrederentur, quæ esset illa mulierum intemperies, & quid sibi vellet ea postulatio, mirabantur. Puer Papyrius in medium progressus, quid ex se mater audire institisset, & quid ipse commentus matri dixisset, remque omnem perinde, ut gesta fuerat, exponit. Senatus universus pueri fidem, atque ingenium exosculatur,*

facit, uti postea pueri cum patribus in Curiam ne introeant, nisi ille unus Papyrius. Atque huic puero deinceps honoris gratia Prætextato cognomentum fuit, ob tacendi loquendique in ætate prætextata prudentiam. Nemo igitur post illa puer Curiam ingrediebatur, neque quisquam Senator esse poterat, nisi qui in ætate legitima constitutus, vel Curulem Magistratum cœpisset, vel Edilis, vel Tribunus, vel Prætor, vel Quæstor fuisset, vel qui ex Hoste Romano spolia reportasset, vel qui coronam civicam accepisset. Quod si quis unum aliquod, aut plura ex his honorum insignibus adeptus fuisset, interdum etiam ante legitimum ætatis annum Senatorium Ordinem assequebatur. Multi etiam ob egregiam nobilitatem, & virtutem legibus soluti ante ætatem in Senatum veniebant, quamvis Curulem Magistratum non gessissent. Illud præterea dignum animadversione mihi visum est, imperium, aut exercitum nemini prius dari solitum, quam in albo Senatorum adscriptus esset, nisi fortasse solutus legibus fuisset, quod in oratione pro lege Manilia Cicero verbis illis ostendit. Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti cujus ætas a Senatorio gradu longe abesset, Imperium, atque exercitum dari? Cornelius Tacitus quinto decimo libro sic ait; *Et Vivianus Annius gener Corbulonis nondum senatoria ætate, sed pro legato quintæ legionis impositus.* Quamvis autem multi Senatores essent juniores, tamen ex eis pauci sententiam dicebant, quoniam ut quisque erat natu maximus, ita primus a Consulibus, vel a Prætoribus, vel ab eis, qui Senatum coegerant, Sententiam rogabatur. Atque ita deinceps legitimo quodam ordine Seniores loquebantur, ut vel nunquam vel certe rarissime Juniorum sententiæ locus relinqueretur, sed ii, vel verbo assentiebantur, vel pedibus in Majorum sententiam discedebant.

CAP. V.

De habitu atque vestitu Senatorum.

ET quoniam sapientes illi Romani Patres id esse verissimum præclare intelligebant, quod græco versu jampridem testatum fuerat, magnificum habitum, atque vestitum sæpe numero magnam hominibus auctoritatem adjungere, voluerunt etiam egregio, atque notabilis corporis cultu a cæteris hominibus Romanis, hoc est ab Equitibus, & Plebeiis discriminari, & aliquibus præcipuis insignibus ante alios eminere; quamvis enim Pacis tempore Cives omnes Romani cujusque generis oblonga, & ad talos usque demissa toga uterentur, unde Virgilius ita cecinit;

Romanos rerum dominos gentemque togatam:

Alius tamen erat Senatorum Habitus, atque Vestitus, alius Equitum, alius Plebejorum. Senatores enim, & Patricii purpuratis vestibus induebantur, neque cuiquam Romæ licebat in purpura conspici, nisi vel Senator esset, vel Senatoris filius, vel in aliquo nobili Magistratu constitutus. Hac de causa Plinius ait, purpura curiam ab equite distingui; tantæ enim æstimationis olim purpura fuit, ut auro preciosior haberetur, & Reges tantum, ac ditissimi homines illa uterentur, ideo Virgilius in Georgicis ait;

Illum non populi fasces non purpura regum
Flexit.

Et in quarto Æneidos de Regina Didone verba faciens inquit:

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Hinc Romani Imperatores purpureum gestare paludamentum consueverant, quod Plutarchus in M. Crasso testatur: tradit Athæneus apud Colophonios olim ad mille viros in purpurea veste conspici solitos, quod eo tempore perquam rarum erat in ipsis Regibus. Romæ sane Magistratus omnes purpureis vestibus induebantur, præter Tribunos Plebis; cujus rei causam quærit Plutarchus in Problematibus; unde pro ipso magistratu purpura ponitur. Martialis:

Purpura te felix, te colit omnis honos.

Romanis autem Equitibus & annulis aureis, & cæteris ornamentis ex auro concessum erat uti, sed purpuram induere nemini licebat, nisi postquam vel magistratum esset adeptus, vel in Senatorum numero conscriptus fuisset. Vestis igitur senatoria Latus clavus dicebatur, quæ non toga ut plerique opinantur, sed tunica prætexta erat, hoc est quæ purpuram quaque versus circumtextam habebat, & erat longior ac latior vulgaribus tunicis, cui toga talaris superinduebatur. Hæc in priori parte a collo ad umbilicum usque lata quædam, & rotunda signa ex purpura, & auro facta continebat, quæ a figura, quam habebant, clavi lati dicebantur. Unde vestis nomen habuit, ut Latusclavus vocaretur. Sunt qui putent, totam hanc Senatoriam Vestem quibusdam purpureis nodis, qui capitis clavorum instar haberent, distingui solitam, eo fere modo, quo nostro tempore, quæ Damascena vestis dicitur, quosdam flores, & varias picturas præsefert; quoniam ita M. Varro lib. de Analogia secundo scriptum reliquit: *Si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis, utraque pars in suo genere caret analogia.* Sed ego quovis pignore contenderim, clavos illos latos in senatoria veste tantum in pectore fuisse collocatos, cum præsertim hoc Horatius aperte significare videatur, cum ita inquit,

Et latum demisit pectore clavum.

Nam locus ille Varronis de parte superiori Tunicæ, atque inferiori potest intelligi, ut scilicet analogia non possit aliter servari, nisi & superiores, & inferiores clavi in tunica, vel omnes angusti, vel omnes lati sint. Hæc eadem tunica palmata vocabatur a latitudine clavorum (ut auctor est Festus) qui fere palmæ orbem æquarent: non autem, ut Budæus censet, quod

arborem palmam inscriptam, ac pictam haberet. Hoc enim non in tunicis palmatis, ac latis clavis, sed in togis triumphalibus fieri consueverat, quæ ideo togæ pictæ vocitabantur. T. Livius libro decimo: *Quos* (inquit) *vos sellis curulibus Toga Prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureaque honoratis*. Græci tunicam hanc palmatam sive latum clavum platysemon appellabant, quasi latis signis, aut clavis distinctam; atque hæc laticlavi perpetuo gestandi auctoritas, inter primas dignitates habebatur, ut Herodianus auctor est. Quin etiam sæpenumero latus clavus pro senatoria dignitate ponitur, sicuti jus annuli aurei pro Equestri ordine. Plinius in epistolis: *Ego Sexto latum clavum a Cæsare nostro, ego quæsturam impetravi*. Hæc vero tunica in luctu publico deponebatur. T. Livius ubi de Caudina clade verba facit, ita inquit: *Laticlavi, annuli aurei positi, pene exercitu ipso mœstior civitas esse*. Quod autem Latus clavus esset tunica, non toga, declarat aperte Plinius cum ita scribit: *Annuli distinxere alterum Ordinem a Plebe, ut semel cœperunt esse celebres, sicut tunica ab annulis Senatum tantum*. Quanquam, & hoc sero, vulgoque purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones, sicut patrem L. Ælii Stilonis, Præconini ob id cognominati; quibus ex Plinii verbis intelligitur, primo fuisse promiscuum tunicæ prætextæ usum, postea successu temporis institutis ac legibus proprium senatorum esse factum, additis etiam latis illis clavis, a quibus Laticlavia tunica fuit appellata. Scribit enim Valerius, a P. Scipione Numidam juvenem quemdam sororis Massanissæ filium Laticlavia tunica, cæterisque rebus donatum ad avunculum Massanissam fuisse remissum. Quod vero legimus aliquando Senatores non tantum latoclavo, sed etiam toga prætexta uti solitos, id advertendum est, eo tantum tempore hoc eis licuisse, cum aliquem gererent Magistratum. Unde Cicero pro domo sua dixit videre prætextatos inimicos, id est in magistratu constitutos; & post reditum in Senatu: *Consul* (inquit) *unguentis oblitus, cum Toga prætexta*. Et septima in Verrem Actione, ostendit ædiles togam prætextam, & Sellam curulem habuisse. T. Livius lib. septimo: *pro uno consule plebejo, tres* (inquit) *patricios Magistratus curulibus sellis prætextatos tanquam consules sedentes nobilitatem sibi sumpsisse*. Fiebant etiam chlamydes purpura prætextæ, quibus in bello præcipue utebantur, quod indicat Virgilius in quinto, cum ita inquit:

Lib. 3. | Lib. 9. | Lib. 33. cap. 1.

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibæa cucurrit.

Illud ex antiquis Scriptoribus planum, atque perspicuum est, omnes pueros patricios, & puellas senatorum filias togæ prætextæ usum habuisse, quam anno decimo septimo pueri deponebant, cum virilem togam sumerent; puellæ vero cum nuberent. Cicero tertia in Verrem actione de pupillo Junio sic ait; *Neque te tam commovebat, quod ille cum toga prætexta, quam quod sine bulla venerat*. Et in eadem oratione de puella; *Eripies igitur pupillæ togam prætextam, detrahes ornamenta non solum fortunæ, sed etiam ingenuitatis?* Volebant enim Romani Senatores filios suos, & filias in vestitu majestatem quamdam præ se ferre, & ipso rubore purpuræ pudorem ingenuitatis ostendere, cum interim ipsi tunicas tantum prætextas haberent, nisi cum aliquem magistratum gererent; tunc enim (ut antea diximus) Togam etiam prætextam sumebant, & sellam curulem habebant, & cætera Magistratus insignia. Nam quinque generibus hominum apud Romanos purpuram olim fuisse concessam legimus primo ipsis Magistratibus, deinde pueris, tum Senatoribus, quarto Sacerdotibus in Sacrificiis peragendis, postremo Triumphantibus. Quod Plinius his verbis perspicue declarat: *Huic fasces securesque Romanæ viam faciunt, idemque pro majestate pueritiæ est, distinguit ab equite curiam, Diis advocatur placandis, omnemque vestem illuminat, in triumphali miscetur auro*. Quin etiam viri clarissimi rebusque gestis insignes ac nobilitati cum purpuratis vestibus ad sepulturam deferebantur; & ipsæ etiam vestes cum eorum corporibus cremabantur. L. Valerius apud T. Livium contra legem Oppiam verba faciens ita inquit; *Purpura viri utemur, prætextati in Magistratibus, in Sacerdotiis, liberi nostri prætextis purpura togis utentur, magistratibus in coloniis, municipiisque, hic Romæ infimo genere magistris vicorum togæ prætextæ habendæ jus permittemus, nec ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui, fœminis duntaxat purpuræ usu interdicemus?* ad hanc consuetudinem respexisse Virgilius in sexto videtur, cum de Miseno mortuo sic ait; Lib. 34.

Purpureasque super vestes velamina nota
Conjiciunt.

Neque illud prætermittendum esse mihi videtur, tantam olim Togæ Prætextæ fuisse venerationem, ut Prætores ipsi, cæterique magistratus, cum rerum capitalium judices essent, & in aliquem reum tristiorem sententiam essent pronuntiaturi, non prius ad condemnationem accederent, quam Togam Prætextam exuissent. Quamobrem ipsi reo judicem rerum capitalium Togam Prætextam deponentem videre, maxime horribile, ac pertimescendum erat. Togam præterea pictam, & Scipionem Eburneum olim Senatoribus, qui res egregias gessissent, tanquam egregia munera concessa fuisse observavimus. Quod lib. quarto Cor. Tacitus ita significat: *Missusque est e Senatoribus, qui Scipionem eburneum, Togam Pictam antiqua patrum munera daret, Regemque & socium atque amicum appellaret*. Erat autem Toga Picta eadem quæ Purpurea, ut recte Baifius sensit. T. Livius; *dona* (inquit) *ampla data, quæ ferrent Regi, vasa aurea argenteaque, togaque purpurea, & toga prætexta*. Cicero secunda Philippica: *Sedebat in Rostris collega tuus, amictus Toga Pur-*

Sex. Pomp. | Lib. 1. belli Maced.

Purpurea, in Sella aurea coronatus. Hæc eadem erat Toga Triumphalis: quæ ideo Picta dicebatur, quod ex auro & purpura esset intexta. Quare Plinius dixit, purpuram in triumphali auro misceri. [Lib. 9. cap. 36.] Triumphantium autem Imperatorum quæ essent ornamenta, docet his verbis T. Livius: [Lib. 30.] *Ibi Massanissam primum Regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli eburnea, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. Addit verbis honorem, neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse*. Jam vero Senatores omnes, atque Patricii Lunatis calceis utebantur, hoc est lunæ signum in calceis habebant. Atque hoc præter cætera præcipuum erat nobilitatis indicium; quod Juvenalis de Quintiliano verba faciens illis versibus ostendit;

[satyra 7]
Felix, & sapiens, & nobilis, & generosus,
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Cicero quendam Asinium in Philippicis irridet, atque exagitat, quod mentita nobilitate lunatos calceos sumpsisset, & in Senatum sua ipsius auctoritate venisset; sic enim ait: *Est etiam Asinius quidam Senator voluntarius lectus ipse a se, apertam curiam vidit post Cæsaris mortem, mutavit calceos. Pater conscriptus repente factus est*. Videntur autem hoc Romani, sicut alia pleraque, ab externis Gentibus ornamenti genus accepisse. Quandoquidem mirificus ille vates Hebræus Esaias nobilibus fœminis minatur fore, ut eis Deus ornamenta calceorum, & lunulas auferat. Antiqui Romani hoc genus calceorum Mulleos appellabant (ut Festus auctor est) quibus Reges Albanorum primi, deinde Romæ Patricii usi sunt. Marcus Cato in Originibus tradit, initio calceos Mulleos iis tantum, qui Magistratum Curulem cepissent, fuisse concessos. Plutarchus in Problematibus quærit causam, cur apud Romanos, qui nobilitate cæteris præstare viderentur, Lunulas in calceis gestarent; & quatuor satis verisimiles affert rationes. Prima est, quod existimarent fortes, & præstantes viros post hanc vitam in Cælum redire, & in luna domicilium statuere, atque ita lunam sub pedibus habere, ut ille Virgilianus Daphnis, de quo ita Menalcas pastor:

Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes, & sydera Daphnis.

Altera, quod eo signo se vetustissimos esse declararent, & ab Arcadibus natos, qui Evandro duce in Italiam venerunt. Ipsi vero Arcades ante Lunam se ortos fuisse gloriabantur, ut Ovidius primo Fastorum libro sic affirmat:

Orta prior Luna, de se si creditur ipsi,
A magno tellus Arcade nomen habet.

Tertia ratio est, quod homines elato animo, & superbo vellent eo signo rerum humanarum mutabilitatis, & inconstantiæ monere. Sicut enim Luna primum in lucem ex obscuritate prodit, & paulatim progrediens toto orbe splendorem accipit; deinde ab illa claritate rursus ad tenebras redit; ita nullus est tantus in homine splendor, quin extingui facile possit. Quarta quod obedientiæ modestiæque signum id esset, ut majoribus obtemperare, & imperium æquo animo ferre condiscerent, quemadmodum Luna superiori, & meliori obsequitur, & solem (ut Parmenides ait) semper intuetur.

CAP. VI.

De filiis Senatorum.

Filii Senatorum omnes jure ipso Senatores erant, etiam si nondum in Senatu sederent, neque sententiam dicerent. Hæc enim nonnisi cum ad legitimam ætatem pervenissent, assequi poterant. Quod si quis ex Ordine Senatorio sibi filium adoptasset ex inferiori ordine, filius ille adoptivus senatorius, & patricius, qualis erat is, qui adoptabat, efficiebatur; qui vero patricius se in adoptionem plebejo homini dedisset, senatoriam dignitatem amittebat; ut P. Clodius Ciceronis inimicus cum esset patricius, quo Tribunus Plebis fieri posset, se homini plebejo adoptandum dedit. Verum postea fuit institutum, ut adoptio dignitatem non adimeret. Sic enim Paulus Jurisconsultus ait; [L. Senatoris 2. ff. de Sena.] *Non amittitur senatoria dignitas adoptione inferioris dignitatis*. Quare Senatoris filius sive naturalis sit, sive legitimus, ac adoptivus, dignitatem habet Senatoriam, non autem emancipatus. Nam emancipatio dignitatem adimit. Ulpianus Jurisconsultus ita scribit: [L. eadem L. Senatoris. 1. ff. de Sena.] *Senatoris filium accipere debemus, non tantum eum, qui naturalis est, verum adoptivum quoque; neque intererit a quo vel qualiter adoptatus fuerit, nec interest, an in senatoria dignitate constitutus eum susceperit, an ante dignitatem Senatoriam, quin etiam posthumus filius Senator est. Neque enim mors patris concepto jam filio, quamvis nondum in lucem edito, debet obesse. Verum, qui concipitur, & nascitur eo tempore, quo jam pater a Senatu rejectus est, ille nequaquam Senatoris filius dici potest.* [L. Emancipatum de Sena.] *Si quis vero conceptus antea fuisset, quam pater Senatu removeretur, is omnino senatoriam dignitatem obtinet. Qui senatorem avum habuerit, etiamsi concipiatur post amotum a Senatu patrem, tamen Senatoris nepos dicitur, ut avi potius ei dignitas prosit, quam obsit casus patris*. At vero puerorum mobilium, & Patriciorum insignia hæc erant, Toga Prætexta, & Bulla Aurea; de Prætexta superiori capite verba fecimus. Bulla vero quoddam erat ornamentum ex auro, quod cordis formam ac similitudinem habebat. Nunc ingenui pueri collo suspensam ante pectus gestabunt, quod ita Propertius Elegiarum lib. 4. indicat:

Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo.

De hac ita Macrobius Saturnalium primo scribit: *Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent*. Togam quoque prætextam his additam, ut ex purpuræ rubore, ingenuitatis pudore regerentur. Sed initio Prætextam, & Bullam puerilis ætas non habebat. Erat enim Prætexta Magistratuum habitus, & Aurea Bulla Triumphantium, quam in triumpho præ se gerebant inclusis intra eam remediis, quæ contra invidiam putabant esse valentissima. Verum Tarquinius Priscus filium suum annos quatordecim natum, quod hostem manu percusserat, & pro concione laudavit, & Bulla Aurea, Prætextaque donavit. Voluit enim puerum ultra annos fortem, præmiis virtutis, & honoris insignire. Hinc deducta est consuetudo, ut Toga Prætexta, & Bulla, boni ominis gratia, pueris nobilibus concederetur, ut virtutem ei similem acquirerent, quam is habuit puer, cui a teneris annis munera ista cesserunt. Hac de causa Bullati vocabantur pueri Patricii, quod Bullis essent ornati. Juvenalis:

Si damnosa senem juvat alea, ludit, & hæres
Bullatus.

Cum autem ad decimumseptimum annum pervenissent, Bullam Deis domesticis ac laribus suspendebant atque dicabant. Persius:

Bullaque succinctis laribus donata pependit.

Et posita prætexta, togam Virilem magna cum amicorum celebritate sumebant. Fuit etiam vetus institutum (ut Valerius scribit) ut adolescentes senatorum filii primo flore ætatis parentes, & necessarios suos in vestibulo Curiæ operirent; illosque senatu egressos domum reducerent, & comitarentur. Augustus Cæsar (sicuti Tranquillus est auctor) ut Senatorum Liberi Senatui celerius assuescerent, Juvenibus post Virilem togam protinus Latum clavum dedit, & Curiæ admisit. Idem Tranquillus ostendit, anno ætatis decimo sexto Virilem Togam Romanos juvenes sumere solitos, cum ita scribit in Augusto: *Duodecimum annum agens Aviam Juliam defunctam pro concione laudavit, quadriennio post Virili Toga sumpta*.

CAP. VII.

De Senatorum Censu.

QUoniam autem sæpius apud antiquos authores de Senatorio Censu mentionem fieri legimus; hac etiam de re sunt a nobis aliqua verba facienda. Sciendum est igitur, priscis illis temporibus, quibus unica virtus in honore, ac precio fuit, non ad divitias & opes, sed ad vitæ integritatem, & sapientiam in legendis Senatoribus, & honoribus, ac magistratibus demandandis, Romanos respice-

A re solitos fuisse: quippe cum nemini paupertas opprobrium, aut dedecus esset; omnesque tam Patricii, quam Plebeii agriculturam exercerent, & rebus rusticis, atque pascendis pecoribus operam darent, unde sic ait Ovidius:

Jura dabat populis posito modo Prætor aratro,
Pascebatque suas ipse Senator oves.

Et Cicero de senectute sic ait: *A villa in Senatum accersebantur & Curius & cæteri senes, ex quo, qui eos accersebant, viatores nominati sunt*. Hinc non sine causa
B Virgilius ad ea tempora respiciens, ubi de Evandro loquitur, pauperem Senatum appellavit:

Una omnes juvenum primi, pauperque Senatus.

Quin plerique Senatores, & Consulares, & Triumphales, cum civitatem atque ærarium manubiis ex hoste devicto reportatis magnopere dictavissent, in tanta ipsi
C paupertate vivebant, ut, cum ad vitæ finem pervenissent, ne tantum quidem æris relinquerent, unde funeri sumptus suppeditaretur. Volebant enim ipsam Remp. esse quam ditissimam, quoniam plenum ærarium, & ad subsidia belli, & ad ornamenta pacis plurimum valere intelligebant. Ipsi vero ex suis rebus gestis nihil aliud quam honorem, & gloriam requirebant: quam eo majorem fore putabant, si privata paupertate clare testarentur, non se ad propriam utilitatem, sed commune
D bonum mentis oculos habere semper intentos. Postea vero tota ratio fuit immutata; nam post illa tempora cum opes Romanæ majorem in modum auctæ fuissent, non tantum Senatores, sed etiam Equites Romani ex Censu, & divitiis æstimari cœperunt, omnisque dignitas, & magistratus opulentis tantum hominibus demandari. Qua de causa clamat Ovidius:

In precio precium nunc est, dat census honores.
Census amicitias, pauper ubique jacet.
E
Et Plinius: *Postquam* (inquit) *Senator censu legi cœptus, judex fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare, quam census, pessum iere vitæ precia*. Ac Censum quidem Civium Romanorum, rem (ut inquit T. Livius) Saluberrimam tanto futuro imperio Servius Tullius Rex instituit, & omnes cives pro facultatibus suis in quinque Classes distribuit, sed non ea de causa, ut qui majorem censum haberent, honores, & magistratus obtinerent, ve-
F rum ut ditiores onera Reip. sustinerent. Longo deinde post tempore, cum maxime ampliatum esset Romanum imperium, devicto Annibale, & superata Africa, atque Asia, multique novi cives ad hanc Senatoriam dignitatem aspirarent; institutum est ab ipso Senatu, ut ne quis deinceps in Senatorium Ordinem cooptaretur, nisi qui Romanus Eques antea factus fuisset, & censum equestrem duplicasset. Equester

vero census quadringenta millia sestertiorum continebat, quæ summa si ad nostri temporis pecuniam, & rationem reducatur, decem aureorum millia conficit. Sestertius enim numus quarta denarii pars erat, denarius autem argenti drachmam unam pendebat. Itaque denarii decem centussem explebant, qui drachmas decem argenti valebat, quanti aureus noster æstimatur, quo fit ut in singulis aureis nostris, quadraginta sestertii Romani contineantur. Hac ratione Romani equites ex reddi- tu semissis usuræ, qua tunc fere passim utebantur, singulis annis viginti quatuor sestertiorum millia recipiebant ex suo censu, qui sexcenti sunt aurei nostræ pecuniæ. Nam semissis usura centesimæ dimidia pars erat, porro centesima usura singulis mensibus ex centum sestertiis unum exigebat, unde etiam nomen habuit, ut centesima vocaretur, vel quia centum mensibus sortem æquaret. Hæc igitur in annos singulos ex centum sestertiis duodecim recipiebat. Sed impium habebatur, & inhumanum usura centesima fœnerari, semisse utebantur. Quod si quis minorem quadringentis sestertiis censum habuisset, Eques Romanus fieri nullo modo poterat. Juvenalis satyra decima quarta:

Sume duos equites, fac tertia quadraginta,

Hoc est (ut Budæus interpretatur) opta tibi duplicem triplicemque censum equestrem; nam ex Equestri Ordine gradus & transitus erat ad Senatorium. Quamobrem Alexander Severus Imperator dicere solebat, Equestrem Ordinem Senatorum esse seminarium. At si quis equestrem censum imminuisset, is dignitatem etiam equestrem amittebat. Senatorius vero census (ut initio dixi) duplo major erat, quam equester. Itaque octingenta millia sestertiorum continebat, hoc est viginti millia nostrorum aureorum, ut redditus annuus mille & ducentos aureos æquaret ex semisse usura, ut antea demonstravimus; neque quisquam minore censu tueri Senatorium Ordinem poterat. Quod in Epistolis ad Valerium scribens Cicero sic ostendit: *Hoc autem tempore eum Cæsar in Senatum legit, quem Ordinem ille ista possessione amissa tueri vix potest.* At vero postea Cæsar Augustus neminem posse fieri Senatorem constituit, nisi qui triplo majorem equestri censum haberet, quod ita Suetonius affirmat; *Senatorium censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies sextertium taxavit, supplevitque non habentibus:* quibus verbis ostenditur maxima Cæsaris Augusti in Senatum munificentia, qui plurimos Senatores, ut major esset eorum dignitas, propriis pecuniis ditaverit.

CAP. VIII.

De Pedariis Senatoribus.

ERant quidam inter Senatores, qui Pedarii vocabantur, propterea quod eis in Senatu, neque sententiam dicere, neque verba facere licebat; sed tantum in aliorum sententiam pedibus ibant. Cum enim ea, quæ ab aliis dicta fuerant, comprobare vellent, e loco suo surgebant, & ad eam partem accedebant, ubi sedebat ille, cujus sententiam approbarent; & qui ita faciebant, ire pedibus in sententiam dicebantur. Cicero primo ad Atticum libro: *Est illud senatusconsultum summa Pedariorum voluntate, nullius nostrum auctoritate factum;* Et sequenti epistola: *Raptim in eam sententiam Pedarii cucurrerunt.* Hac de causa Lucilius Poeta facetissimus hoc genus senatorum, ut Festus auctor est, Agipedes vocavit, quasi agentes pedibus. Et quamvis universi Senatores, etiam qui sententiæ dictionem habebant, cum per discessionem Senatusconsulta fiebant, pedibus sententiam ferrent, tamen ii soli Pedarii vocabantur, quibus in Senatu sententiam dicere non licebat. Horum duo genera fuisse comperimus, unum eorum, qui lecti quidem erant in senatum, sed nondum Curulem aliquem Magistratum gesserant; alterum eorum, qui gesserant quidem Curulem Magistratum, sed nondum a censoribus in Senatum lecti erant, qui adhuc equites vocabantur. Hujus generis utriusque homines in Senatum veniebant quidem, verum sententiæ dictionem non habebant. Itaque Pedarii Senatores appellabantur, cæterosque tantum audiebant, ipsi nihil dicebant; donec illis a Censoribus, vel Consulibus sententiæ dicendæ potestas concessa fuisset. Hac de causa Laberius poeta in quodam Mimo suo ita scriptum reliquit: *Caput sine lingua pedaria sententia est.* Hanc rem totam A. Gellius libro tertio sic explicat. *Atqui hæc etiam vocabuli istius ratio dicitur, quam C. Bassus in commentariis suis scriptum reliquit. Senatores enim dicit in veterum ætate, qui Curulem Magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in Curiam vehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur. Sed eos Senatores, qui Magistratum Curulem nondum cœperant, pedibus itavisse in Curiam. Propterea Senatores nondum majoribus honoribus functos Pedarios nominatos.* M. autem Varro Satyra Menippea, Equites quosdam dicit Pedarios appellatos: videturque eos significare, qui nondum a Censoribus in Senatum lecti Senatores quidem non erant, sed quia honoribus Populi usi quidem erant in Senatum veniebant, & sententiæ jus habebant, non quidem dicendæ, sed ferendæ. Nam (inquit Gellius) *Curulibus Magistratibus functi, qui nondum a Censoribus in Senatum lecti erant, Senatores non erant, quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed quas principes dixerant, in eas discedebant. Hoc significabat* (inquit) *edictum, quo nunc quoque Consules, cum Senatores in Curiam vocant, servandæ consuetudinis causa translatitio utuntur. Verba edicti hæc sunt; Senatores quibusque in senatu sententiam dicere licet.*

CAP. IX.

De Dignitate Senatoria.

SEd quis illius antiqui Senatus Romani majestatem, atque amplitudinem satis digna oratione, non dicam exornare, sed enarrare possit? quam sapientissimus ille vir Cyneas Thessallus memoriæ præstantia nobilis, Pyrrhi Epirotarum Regis Legatus, cum Romam Regis sui jussu venisset, tantopere admiratus est, ut postea cum ad Pyrrhum reversus fuisset, ei plenus adhuc admiratione dixerit, non se Romæ, sicut in cæteris civitatibus, Senatum vidisse, sed consilium quoddam & confessum magnificentissimorum Regum. Cujus vocem T. Livius libro nono cum de Alexandro magno loqueretur, sic imitatus expressit; *victus esset consiliis unius juvenis Senatus ille, ne singulos nominem, quem, qui ex Regibus constare dixit, unus veram speciem Romani Senatus cepit.*

Lib. 2.

Memoriæ proditum est, Gallos tunc maxime barbaros homines, quo tempore devictis ad Alliam fluvium Romanis Urbem ingressi sunt, & Senatores primarios, qui se morti pro Patria devoverant, honorum ac virtutis insignibus ornatos in medio ædium eburneis sellis sedere conspexerunt, tanta admiratione fuisse affectos, ut eos non aliter atque Deorum simulacra augustissima quasi attoniti fixis oculis intuerentur; de qua re T. Livius ita scribit; *Adeo haud secus quam venerabundi intuebantur in ædium vestibulis sedentes viros præter ornatum habitumque humano augustiorem, majestate etiam, quam vultus, gravitasque oris præseferebat, simillimos Diis, ad eos velut simulacra versi cum starent. M. Papyrius unus ex his dicitur Gallo barbam suam, ut tunc omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram movisse, atque ab eo initium cædis ortum, cæteros in sedibus suis trucidatos.* Non igitur mirum, si Reges olim Romani non sua, sed ut Dionysius scribit, Senatus consilia sequebantur. Hic enim ordo mentis salutisque publicæ Princeps, & publici consilii dominus semper fuit existimatus, & a primis illis temporibus, cum regio dominatu Roma teneretur, & perpetuo deinceps sub Consulibus, Dictatoribus, Imperatoribus quicunque senatoriam dignitatem assecutus est, ab omnibus Civitatis oneribus, tributis, & vilioribus officiis immunis fuit. Honorius & Arcadius Imperatores quemlibet Senatorem corporis sui partem esse censuerunt, ut in eorum Rescripto ad Eutrochium aperte declaratur. Fenestella de senatoria dignitate scriptum ita reliquit; *Penes senatores adeo semper summa Reip. innixa est, ut ne Reges quidem, aut Consules, aut Dictatores, aut alius quispiam Magistratus inconsulto senatu quicquam moliretur; adeo ut cum Tarquinius Superbus pleraque præter senatus auctoritatem decerneret, tum demum amisso regio nomine Tyrannus appellaretur.* Merito igitur poetarum princeps Virgilius, qui semper ad Romanos respicit, etiam si aliud agere videatur, sanctum appellat Senatum, cum ita inquit:

L. Senatorum, & l. Homo. C. de dignit. 12.

L. quisquis, C. ad l. Jul. Majest.

A *Jura magistratusque legunt, sanctumque senatum.*

Merito Claudianus censet Romam ideo floruisse, quia claro Senatu cincta, & munita consiliis optimis regeretur; sic enim ait:

Floreat, & claro cingatur Roma senatu.

Merito amplissimus Ordo, & Orbis terrarum sanctissimum gravissimumque consilium vocitabatur, ut de Provinciis Consularibus Cicero: *Reduxit me cum illo in gratiam Ordo amplissimus.* Et in Catilinam ait: *In hoc Orbis terrarum sanctissimo gravissimoque consilio.* Nihil enim per se Populus Romanus, quamvis maximam habere libertatem videbatur, statuere, aut confirmare poterat, nisi ejus rei patres auctores fierent. Ex quo factum est, ut auctoritas proprie Senatorum, majestas vero Populi Romani diceretur, quod in Philippicis ita Cicero demonstrat; *Omnes ad auctoritatem hujus Ordinis majestatemque Populi Romani defendendam conspirasse videantur.* Hinc imminutæ auctoritatis crimen in eos, qui Senatum offendissent, & læsæ vel imminutæ majestatis, qui contra Populum Romanum aliquid moliti fuissent, vel contra Principem, atque Imperatorem, qui in populi Romani locum successit. Quot autem, & quanta essent Senatorii Ordinis ornamenta, quibus immensam quamdam dignitatem præseferebat, pro A. Cluentio Cicero sic ostendit; *Senatorem hoc queri non posse, propterea quod ea conditione proposita petere cœpisset, quodque permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset, locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen, & gratia, Toga prætexta, Sella curulis, Insignia, Fasces, Exercitus, Imperia, Provinciæ.* Quamvis enim singuli Senatores hæc omnia non haberent, nemo tamen ea consequi poterat, nisi Senator antea factus fuisset. Siquidem auctoritas Senatus (ait Cicero) decus, honestatem, laudem, dignitatem desiderat. Illa vero tria, quæ Suetonius in Augusto commemorat, omnium Senatorum erant communia, insigne vestis, jus spectandi in Orchestra, & publice epulandi facultas. Omnes enim Senatores eam Tunicam gestabant, quæ Latusclavus vocabatur, ut antea demonstravimus. Orchestra vero locus erat in Theatri medio, scenæ vicinus, in quo Senatorum, & Magistratuum erant loca ad spectandum designata, quæ sic appellabatur, quod in ea saltationes fieri consuevissent, quibus Senatores, & reliqui spectatores oblectarentur. Neque cuiquam omnino licebat in Orchestra sedere, nisi aut Senator esset, aut Senatoris filius. Quod tamen honoris gratia Senatores ipsi nonnullis externis hominibus aliquando concedebant. Legimus enim interdum Legatis exterarum Nationum fuisse permissum, ut cum Senatoribus in Orchestra publicos ludos spectare possent. Post Orchestram ordines, & gradus erant paulatim ascendentes in Theatro, in quibus promiscua Plebejorum multitudo spectandi gratia sedebat. Sed postea Lex ab Othone Roscio lata fuit, qua cavebatur, ut in primis quatuordecim ordi-

nibus Equites tantum considerent. Præterea jus epulandi publice soli Senatores habebant. Erant enim sodalitates quædam, & convivia, quæ in honorem Deorum Immortalium statis temporibus publice fiebant, in quibus solis Senatoribus accumbere licebat; omnes autem in Togis Candidis accumbebant. His sodalitatibus apud Ciceronem Cato se mirifice delectari solitum tradit. Memoriæ proditum est, P. Scipionem Africanum superiorem, cum longo tempore cum Tib. Graccho inimicitias exercuisset, tandem in Capitolio cum Senatus frequens ad Jovis epulum convenisset, auctoribus Patribus Conscriptis eas deposuisse; neque tantum fuisse conciliatum, sed etiam filiam suam Corneliam statim ibidem præsente Senatu Graccho despondisse. Suetonius in Augusto scribit, ipsum Augustum nonnullis Senatoribus, quos a Senatu removerat, servasse tamen insigne vestis, & spectandi in Orchestra, epulandique publice jus. Cicero verbis atrocissimis Vatinium insectatur, quod in epulo Q. Arrii cum Toga Pulla accubuisset, cum cæteri omnes essent albati. Vescebantur autem in Templis, hoc est in eisdem locis, ubi etiam Senatus habebatur; nam Equites, & Plebeii si quando publice epulabantur, ut in triumphis, in supplicationibus, in funeribus fieri consueverat, ii non in curia, aut loco per augures consecrato, quemadmodum Senatores, sed in profanis locis accumbebant. Hoc igitur etiam senatoriæ dignitatis proprium erat, ut in Templis epulandi publice jus haberent. Augustus Cæsar tanta in Senatu observantia semper usus fuit, ut quoties in Curiam ingrederetur singulos nominatim sedentes salutaret, & cum discederet, nullo se movente singulis vale diceret. Adrianus Imper. cum Libertum suum, quem valde amabat, inter duos Senatores medium ambulantem vidisset, unum ex Satellitibus suis misit, qui illi colaphum incuteret, & admoneret, ne se parem illis esse crederet, quorum adhuc servus esse posset. Alexander Severus, præter cætera ornamenta, Rhedis etiam argenteis, & Vehiculis auratis Senatoribus uti concessit. Id etiam observavimus, quod ad rem propositam magnopere facit, cum ad exteras Nationes aliquis Romanus Senator olim accederet, etiam si nullum gereret Magistratum, tamen summo cum honore passim hospitio publico suscipi consuevisse; qua de causa Cicero graviter in judicio conqueritur, quod Mamertina Civitas, cum in Siciliam contra Verrem, cui Mamertini erant amicissimi, inquirendi gratia accessisset, non se publico hospicio suscepisset. *Ecqua civitas est* (inquit) *non modo in Provinciis nostris, verum in ultimis Nationibus, aut tam potens, aut tam libera, aut etiam tam immanis, ac barbara? Rex denique ecquis est, qui Senatorem Populi Romani tecto, ac domo non invitet? qui honos non homini solum habetur, sed primum populo Romano, cujus beneficio nos in hunc Ordinem venimus, deinde Ordinis auctoritati, quæ nisi gravis erit apud socios, atque exteras Nationes, ubi erit imperii nomen, & dignitas? Mamertini me publice non invitaverunt; me cum dico, leve est, Senatorem Pop. Rom. si non invitaverunt, honorem debitum detraxerunt non homini, sed Ordini: nam ipsi Tullio patebat domus locupletissima, & amplissima Cn. Pompeii Basilici, quo etiam, si esset invitatus a vobis, tamen divertisset; erat etiam Percenniorum, qui nunc item Pompeii sunt, domus honestissima, quo L. frater meus summa illorum voluntate divertit. Senator Populi Romani, quod in vobis fuit, in vestro oppido jacuit, & pernoctavit in publico. Nulla hoc alia Civitas unquam commisit.* Hæc ibi Cicero. Quantam igitur eam dignitatem fuisse putandum est, quam non solum Populus Romanus, sed etiam reliquæ Civitates, Reges, Populi, Nationes majorem in modum observabant, & admirabantur? & quam, si qua Civitas non publice venerata fuisset, magnum admisisse flagitium existimabatur?

De Senect. — Val. Max l. 4. cap. 2

A B C D E F

CAP. X.

De Gentilitate Senatorum.

CUm igitur ex antiqua consuetudine tanta esset Ordinis Senatorii dignitas, ut jam a nobis explicatum est, & nobilibus tantum ac bonis viris Curia pateret, factum est, ut apud Romanos olim soli Patricii, quique natalium splendore senatoriam dignitatem assequi poterant, gentem obtinere gloriarentur; reliqui autem omnes non Gentem, sed Stirpem habere dicerentur. Sic enim apud T. Livium P. Decius de Patriciis loquens ait: *Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos Gentem habere.* Quibus verbis intelligitur; Gentiles proprie dictos ipsos inter se Patricios, quæ appellatio hoc etiam tempore in usu est; nam Gentiles Homines vulgari lingua nostra vocantur, qui a claris Majoribus, & nobili familia nati sunt. Quod etiam in Gallica lingua servari Budæus annotavit. Quod si quis ignobilis esset, is olim sine Gente esse dicebatur, unde Horatius ita inquit;

Qui quamvis perjurus erit, sine gente cruentus
Sanguine fraterno,

Cicero pro Domo sua P. Clodium insectatur, quod cum Patricius esset, homini plebejo se in adoptionem dedisset, ut Tribunus plebis fieri posset: *Perturbatis* (inquit) *sacris, contaminatis gentibus, & quas deseruisti, & quas polluisti.* Ait enim a Clodio Gentes contaminatas, fuisse, quas deseruerat, & polluerat, cum in plebejam familiam per adoptionem transivisset, quæ Gentem non habebat, sed stirpem tantum. Gentiles igitur inter se vocabantur Patricii, qui ex eadem essent Gente atque Familia, & qui eodem agnomine uterentur, ut Cornelii inter se, Fabii, Valerii, Tullii, qui deinde prænominibus distinguebantur. Nam in Topicis ita Cicero Gentiles definit ex Mutii sententia: *Gentiles sunt, qui eodem inter se nomine sunt, & qui ab ingenuis oriundi sunt, & quorum Majorum nemo servitutem servivit, & qui capite minuti non sunt.* Merito ergo (inquit Alciatus) quidam interpretantur Gentiles clarioris familiæ agnatos; quin idem Cicero primo de Orato-

re, Gentem in Patriciis esse, in Plebeiis Stirpem aperte demonstrat, cum ita inquit, *Quid? qua de re inter Marcellos & Claudios Patricios centum viri judicarunt, cum Marcelli ab Liberti filio Stirpe, Claudii Patricii ejusdem hominis hæreditatem Gente ad se rediisse dicerent? Nonne in ea causa fuit oratoribus de toto Stirpis & Gentilitatis jure dicendum? Existimant autem, Patricios illud jus habuisse, ut cum aliqua caduca esset hæreditas excluso ærario cujuslibet cognominis sui bona Gentilicio Jure ad se traherent.* Ex quo facile potest intelligi, quæ essent Hæreditates Gentilitiæ, quibus (ut Suetonius scribit) Cæsarem Sylla multavit. Nam in duodecim Tabulis ea Lex erat, si Paterfamilias intestatus moritur, familia pecuniaque ejus Agnatorum Gentiliumque esto. Nihil autem ad sanguinis vinculum Gentilitas pertinebat, sed tantum ad nobilitatem & familiam; nam quicumque, exempli gratia, ex Fabiorum Gente fuissent, inter se Gentiles dicebantur, etiam si nullo vel cognationis, vel affinitatis sanguine conjungerentur. Unde Cicero, primo Tusculanarum Quæstionum libro, Servium Tullium Romanorum Regem Gentilem suum appellat, quod eodem nomine vocaretur; perinde quasi Tulliorum familia, ex qua natus erat ipse Cicero, Gentilis ac Patricia fuisset. Primo igitur in ipsa Romana Civitate Gentiles tantum inter se Patricii, Senatorumque filii vocabantur. Postea vero extra Civitatem Gentiles etiam alia significatione præsertim in jure civili dici cœpti sunt illi, qui Romano Imperio subjecti non essent, quia non lege civili, sed jure Gentium viverent. In sacris autem literis Gentiles vocantur, qui Christianæ Legi non parent, qui etiam Pagani nominantur, propterea quod non sint Christi Milites. Nam in civili jure Pagani dici solent ii, qui non militant, sed in pagis ac villis res suas agunt.

CAP. XI.

De Potestate atque auctoritate Senatus.

MAximam vero semper fuisse Romani Senatus potestatem atque auctoritatem, nemini profecto dubium esse potest, cum statim ab initio Romulus (ut
Lib. 2. Dionysius scribit) posteaquam senatum ex centum illis Patribus constituisset, in eorum potestate esse voluerit, ut omni de re, de qua Rex ipse retulisset, inter se consultarent, & quod eorum plurimis visum fuisset, id etiam Rex ipse sequeretur. Quod non in Civitatis administratione, sed in iis etiam, quæ ad Belli gerendi rationem pertinerent, diligenter observari voluit. Itaque juris omnis publici potestas, atque auctoritas, deinde penes Senatum semper fuit. Quamvis enim Populus Romanus, aut Tribuni Plebis aliquid forte decernerent, & leges aliquas ferrent, non tamen illæ prius unquam ratæ habebantur, quam Senatus approbasset. Quin etiam ultra publici juris administrationem illa quatuor omnium gravissima atque maxima semper ita Senatus propria fuerunt, ut numquam Populus aut Tribuni Plebis eis intercedere, vel adimere Senatui conati fuerint. Primum ut Legati ex hu-

A jus unius Ordinis auctoritate legerentur, qui vel pacis essent interpretes, vel belli nuncii, vel Reipublicæ curatores, vel provincialium munerum ministri, vel denique rerum omnium, quas Senatus ipse decrevisset, libere legationes obirent. Alterum, ut quibuscunque vellet Provincias administrandas demandaret, quæ tamen Senatoribus tantum ipsis decerni solebant, sive consulares essent, sive prætoriæ: nam ita Romani veteres provincias distinxerant, ut ex eis aliæ consulares vel proconsulares, aliæ prætoriæ, vel proprætoriæ dicerentur. Et
B consulares quidem vel proconsulares illæ Provinciæ vocabantur, quæ tantum a Consulibus vel Proconsulibus administrari solebant, qualis fuit Macedonia, Syria, Gallia; de quibus extat adhuc luculentissima Ciceronis Oratio habita in Senatu, quæ de Provinciis Consularibus inscribitur. Prætoriæ vero vel Proprætoriæ dicebantur illæ Provinciæ, quas Prætores, vel Proprætores administrabant, qualis Sicilia fuit, & Sardinia, & Hispaniæ, & aliæ nonnullæ. Senatus igitur hanc potestatem habe-
C bat, ut has omnes Provincias etiam injussu Populi decerneret, & Consulibus atque Prætoribus in Provincias exeuntibus Legatos & Quæstores daret. Quod si forte multi Senatores atque Magistratus eandem Provinciam peterent, sortes ducebantur, ne cuiquam fieri videretur injuria, si alter ei præferretur. Atque ita quæ cuique Provincia sorte obtigisset, eam administrabat. Sæpe etiam Senatus jussu Consules ita Provincias sortiebantur, ut quot essent decernendæ singulæ suo ordine proponerentur; de-
D inde omnium Consularium, si Consulares essent Provinciæ, vel Prætoriorum, si Prætoriæ, in urnam nomina conjicerent, & cujus nomen primum exisset, ille in Provinciam primo loco propositam mitteretur, cujus secundum, in secundam, atque ita deinceps. Itaque multi sæpe etiam inviti, quorum sortes exissent, in Provincias ire cogebantur, nisi forte Senatus aliter censuisset. De hac re Cicero primo ad Atticum libro ita scribit: *Senatus decrevit, ut Consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, Legati cum*
E *auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ Civitates, darent operam, ne hæ cum Helvetiis se jungerent. Legati sunt Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, &* τὸ ἐπὶ φακῦ μύρον, *Lentulus Clodiæ filius: atque hoc loco illud non queo præterire, quod, cum de Consularibus mea prima sors exisset, una voce Senatus frequens retinendum me in Urbe censuit. Hoc idem post me Pompejo accidit, ut nos duo quasi pignora Reipublicæ retineri videremur.* Tertium, ut Imperator ad Bella gerenda, quos idoneos esse censeret, eos deligeret, atque etiam extra ordinem in Provincias mitteret, nisi forte Se-
F natorum inter se sententiæ discreparent; tunc enim ad Populum provocabant, & quem Populus aliquo Tribuno Plebis legem ac rogationem ferente Imperatorem depoposcisset, eum Senatus dabat & auctoritate sua confirmabat: quod satis constat ex lege Manilii, quam Cicero politissima illa Oratione, qua Cn. Pompeii laudes amplexus est, Populo Romano suasit, ut Pompejus ad bellum contra Mithridatem geren-

dum mitteretur. Quartum, ut ærarii dispensationem haberet, & pecunias publicas, prout Reipublicæ necessitas postulare videretur, arbitrio suo erogaret. Itaque Senatus & stipendia Militibus, ut viatica Legatis, & Imperatoribus sumptus ex ærario depromebat; nam Quæstores & Urbani & Provinciales pecuniæ publicæ rationes ad Senatum referebant, & vectigalia Provinciarum, pecuniasque ex manubiis in ærarium deferri curabant. Erat autem Romanum ærarium in arce munitissima Capitolii, in æde Saturni constitutum; ubi non tantum pecuniæ publicæ, sed etiam leges & senatusconsulta, & acta omnia publica diligentissime servabantur. Ædem enim Saturni potissimum ad hæc officia delegerant, quoniam Saturni tempore nullam in hominibus neque avaritiam, neque improbitatem fuisse memoriæ proditum est. In ejusdem Templi parte intima alterum erat ærarium, quod sanctius dicebatur: in eo magna pecuniæ vis prorsus intacta (quod ait Livius) ad ultimos Reipublicæ casus custodiebatur. Hæc omnia Cicero breviter attingit in ea Oratione, quam in Vatinium habuit; qui Senatus potestatem & auctoritatem labefactare conatus fuerat; sic enim ait: *Ne hæc quidem Senatui relinquebas, quæ nemo unquam ademit, ut Legati ex ejus Ordinis auctoritate legerentur? adeo ne tibi sordidum consilium publicum visum est? adeo afflictus Senatus, ut non nuncios Pacis ac Belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis Senatus more majorum deligere posset? eripueras Senatui Provinciæ decernendæ potestatem, Imperatoris deligendi judicium, Ærarii dispensationem, quæ nunquam sibi Populus Romanus appetivit, qui nunquam ante summi consilii gubernationem auferre conatus est.* Ex his intelligi facile potest, quanta esset, & quam longe lateque pateret Senatus auctoritas. Nihil enim omnino, quod alicujus esse momenti videretur in Republica, sine auctoritate Senatus agi poterat: & siquid esset actum, ab ipso Senatu rescindebatur. Sed quamvis tam ingens esset hujus Ordinis potestas, nihil tamen de Civibus Romanis injussu Populi decernere poterat, quod ita Livius attestatur, ubi Attilium Regulum loquentem facit: *Per Senatum agi de Campanis, qui Cives Romani sunt, injussu Populi non video posse.*

Lib. 27. — Decad. 3. lib. 6.

CAP. XII.

De Principe Senatus.

HUjus tam venerandi Consilii Princeps non perpetuus aliquis erat, sed quinto quoque anno per Censores unus eligebatur e Senatorum numero, qui jam amplissimis honoribus, & rerum gestarum gloria magnopere floruisset, atque omnium justissimus & optimus haberetur. Qualem te, Princeps integerrime, sanctissimeque Paule Origoni, Civitas nostra jure optimo veneratur, hoc saltem uno Romana Civitate felicior, quod nequaquam eo timore premitur, ut post quintum annum, sicut apud Romanos fieri consueverat, ab isto Principatu removearis; sed te certum ac

A stabilem Senatus nostri Principem, & Patronum suum, quoad tibi vita suppeditabit, maximo cum gaudio, & animi jucunditate videbit. Faxit Deus Opt. Max. ut longissimo tempore Patria nostra tua ista incredibili bonitate sapientiaque perfruatur. Verum de Senatus Romani Principis dignitate Plutarchus in P. Scipione Africano superiore scribit in hunc modum: *Principem Senatus Africanum legerunt, quod honoris genus iis tantum deferri consuevit, qui auctoritatem & gloriam maximis in Rempublicam meritis præstantissimisque rebus gestis esset antea consecutus.* B Neminem autem in Senatus Principis locum eligi solitum accepimus, nisi qui vel ex censoriis Viris natu maximus esset, vel qui, cum esset Consularis aut Triumphalis, Senatui Populoque Romano gratissimus esse censeretur. Quod vero Censorum hoc officium ac munus esset, ut Senatus Principem eligerent, T. Livius Decadis tertiæ Libro nono perspicue docet his verbis: *Censores interim Romæ M. Livius, & C. Claudius Senatum recitaverunt, Princeps eorum delectus M. Fabius Maximus.* C Interdum etiam honoris & amplitudinis gratia idem Vir, si se optime gessisset, iterum & tertium, & sæpius a Censoribus, cum lustrum conderetur, in Senatus principatu confirmabatur; quod idem Livius ita declarat: *Censores T. Quintius Flaminius, & M. Claudius Marcellus Senatum perlegerunt, Princeps in Senatu tertium lectus P. Scipio Africanus.* Plutarchus in Paulo Æmilio scribit, a Paulo Æmilio Censore Principem in Senatu lectum fuisse M. Æmilium Lepidum, qui quater antea jam Senatus Princeps fuerat. D Hoc tamen rarissime contigebat, & pauci (sicut ait Virgilius)

Decad. lib. 8.

—— quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus
Diis geniti potuere.

Quanti enim viri est, ei præesse Consilio, quod omnium sanctissimum gravissimumque, & revera sit, & ab omnibus habeatur? cum enim Senatus auctoritas Principibus etiam ipsis & Regibus, atque Imperatoribus, quid agendum, quid fugiendum sit, E sapientissime justissimeque præscribat, quis non illum hominem tanquam numen aliquod veneretur, qui principem in Senatu locum obtineat? Quo magis atque magis ipse mecum tuam sæpius, Paule Origoni, singularem ac prope divinam mentis altitudinem admiror, qui in hoc Senatu nostro Mediolanensi, qui licet Imperii amplitudine veteri illi Romano Senatui cedat, fide tamen, & religione, & justitia, & æquitate, & clementia, cæterisque virtutibus omnibus longe superior atque præstantior est, tanto cum omnium assensu & approbatione, F Caroli Quinti Imperatoris electione, votis omnibus & Civium nostrorum & Senatorum suffragantibus, Principatum assecutus es. In quo tam æqua lance cuncta dispensas, ut æquitatis & sapientiæ tuæ nostris oculis quotidie nova lux oboriatur. Sed ad Romanos redeo. Plinius unam Fabiorum familiam præter cæteras admiratur, in qua, quod nulli unquam antea contigerat, tres continui Principes Senatus fuerunt, M. Fa-

bius Ambustus, Fabius Rutilianus filius, Q. Fabius Gurges nepos.

CAP. XIII.

De Officio Senatus.

COgnita Senatus auctoritate atque potestate, nihil negotii est ejusdem etiam officium cognoscere, quod erat præcipuum in constituendo jure communi statuque Civitatis, in Provinciis decernendis, in eligendis Imperatoribus, in mandandis Exercitibus, in Legationibus mittendis & admittendis, in Legibus ferendis & abrogandis, in Fœderibus faciendis, si quid agendum esset de Bello, si quid de Pace, sententiam ferre, supplicationes decernere, Triumphos concedere vel denegare, consilio denique ac sapientia Rempublicam universam regere atque gubernare: nihil enim penitus in administranda Republica gerendoque Imperio nisi Patrum auctoritate, & Senatusconsulto decerni poterat. Itaque Cicero bonum Senatorem publici consilii auctorem & moderatorem jure optimo vocat. Idem Cicero tertio de Legibus libro tres leges ponit, quæ ad officium boni Senatoris pertinent: *Is ordo* (inquit) *vitio vacato, cæteris specimen esto, causas Populi teneto. Cum enim primum omni vitio carere Senatorem Lex jubeat, ne veniet quidem* (ait) *in eum ordinem quisquam vitii particeps.* Nam apud veteres Romanos erat ea severitas, ut etiam minima quæque vitia castigarent. Quod si quispiam Senator vel exigua flagitii suspicione contaminatus esse videretur, eum Censores, cum lustrum conderent, & Senatum perlegerent, a Senatu rejiciebant. Volebant enim (ut lex præcipit) Senatorium Ordinem probitatis & continentiæ cæteris universis civibus specimen & exemplar esse: ut enim cupiditatibus Principum, & vitiis infici solet tota Civitas, sic emendari, & corrigi continentia. Quare perniciosius de Republica merentur vitiosi Principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: nam qualescumque summi Civitatis viri sunt, talis etiam Civitas esse solet: & quæcumque mutatio morum in Principibus existit, eadem in Populo fere subsequitur; verum enim illud est, quod Juvenalis ait:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Hoc igitur inter officia Senatoris primum esse Lex jubet, ut diligentissime caveat, ne vitam suam aliquo vitio commaculet, sed omni penitus criminis suspicione careat. Alterum ut cæteris civibus probitatis & integritatis specimen sit, & ita se publice gerat, ut ne minimam quidem exemplo suo peccandi civibus occasionem præbeat. Tertium, ut causas Populi teneat. *Est enim* (ait Cicero) *Senatori necessarium nosse Rempublicam, idque late patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos socios habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, fœdere, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla majorum, quod genus omne scientiæ diligentia memoriæ conservatur, sine quo paratus esse Senator nullo modo potest.*

CAP. XIV.

De Ratione legendi Senatus.

SEd jam quærendum hoc loco mihi videtur, quinam essent apud Romanos, qui jus & facultatem haberent Senatores eligendi; principio quidem Reges ipsi Senatum legebant, deinde Regibus exactis Consules, tum hoc munus & officium ad Censores delatum est, qui quinto quoque anno & eos, quos tanto honore dignos esse judicarent, in Senatum admitterent, & eos, qui aliquid offendissent, a Senatu rejicerent. Interdum tamen etiam Dictatorem & Triumviros legendi Senatus gratia creatos legimus. Ac primo quidem Cives tantum Romanos summa dignitate præditos, & amplis honoribus functos vel a Censoribus, vel a Dictatore, vel a Triumviris, qui jus legendi Senatus haberent, eligi solitos invenimus, deinde per favorem & gratiam ex Equestri Ordine minus etiam digni, tum plebeii homines, qui gratiosi essent, & plurimum opibus valerent, habita Census ratione, sæpe lecti fuerunt. T. Livius auctor est, luctu publico testatam Appii censuræ indignitatem, qui Libertinos homines in Senatum allegerat. (Lib. 93.) Successu deinde temporis etiam exteræ Nationes jura Senatorum in Urbe cœperunt adipisci. Ac primi omnium Ædui Gallorum Populi, qui se fratres Romanorum esse prædicabant, quod a Trojanis originem ducerent, quemadmodum etiam Romani, in Senatum admissi sunt, tum ex aliis etiam Nationibus plurimi. Sed illud tamen semper observatum est, ut, qui in Senatum legebantur, prius Equites essent Romani, & aliquos in Urbe Magistratus gessissent. T. Livius Decadis tertiæ libro secundo scribit, octoginta Senatores, aut qui eos Magistratus gessisset, unde in Senatum legi deberent, cum sua voluntate milites in legionibus facti essent, in Cannensi prælio fuisse interfectos. Idem Livius postea tertio libro ejusdem Decadis morem & consuetudinem legendi Senatus egregie describit, cum ait, Patres post Cannensem cladem, solitudinem curiæ paucitatemque convenientium ad publicum consilium respexisse, quare *Dictatorem* (inquit) *qui Censor ante fuisset, vetustissimusque ex his, qui viverent, censoriis esset, creari placuit, qui Senatum legeret, accirique C. Terentium Consulem ad Dictatorem dicendum jusserunt, qui cum ex Apulia, relicto ibi præsidio, magnis itineribus Romam rediisset, nocte proxima (ut mos erat) M. Fabium Buteonem ex Senatusconsulto sine Magistro Equitum Dictatorem in sex menses dixit. Is ubi cum lictoribus in Rostra ascendit, recitato vetere Senatu, inde primum ad demortuorum locum legit, qui post L. Æmilium, & C. Flaminium Censores curulem magistratum cepissent, necdum in Senatum lecti essent, ut quisque eorum Senator primum creatus erat; tum legit, qui Ædiles, Tribuni, Prætores, Quæstoresve fuerant, tum ex iis, qui spolia ex Romano Hoste domi ha-*

mi haberent, aut civicam coronam accepissent. Ita centum septuaginta septem cum ingenti approbatione omnium in Senatum lectis, extemplo se Magistratu abdicavit. In his illud præter cætera animadversione dignum est, Senatores multo ante creari solitos, quam in Senatum legerentur. At vero postquam oppressa libertas Romana fuit, ipsi Cæsares, quos volebant, in Senatum legebant, & Augustus quidem Cæsar (ut antea demonstravimus) ad pristinum splendorem Senatum revocavit, sed deinde subsequentes Imperatores pro libidine sua nihili senatoriam majestatem facientes, iterum Ordinem sanctissimum inquinarunt; donec Vespasianus aliquod huic tanto malo remedium attulit. Nam (ut Suetonius scribit) *amplissimum Ordinem exhaustum varia cæde, & veteri negligentia contaminatum purgavit, & honestissimo quoque Italicorum, & Provincialium allecto supplevit.* Adrianus Imperator nonnisi spectata virtute atque nobilitate viros unquam in Senatum legit, & cum Arcennium ex Præfecto Prætorii Senatorem faceret, dixit se nihil amplius aut majus habere, quod in eum conferret.

CAP. XV.

De Habendo vel cogendo Senatu.

NUnc videndum est, qui congregandi Senatus, & consulendi potestatem haberent. Neque enim cujuslibet Magistratus hoc erat officium: neque perpetuo facile Senatus haberi poterat. M. Varro in literis, quas ad Oppianum dedit, quæ sunt in libro Epistolicarum Quæstionum quarto (sicuti Gellius testatur) primum ponit, qui fuerint, per quos more Majorum Senatus haberi soleret, eosque nominat, Dictatores, Consules, Prætores, Tribunos plebis, Interregem, Præfectum urbis, neque alii, præter hos, jus fuisse dicit facere Senatusconsultum: quotiesque usu venisset, ut omnes isti magistratus eodem tempore Romæ essent, tum quo supra ordine scripti sunt, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum Senatum consulendi jus fuisse. Addit deinde extraordinario jure Tribunos quoque militares, qui pro Consulibus fuissent, item Decemviros, quibus Imperium consulare tum esset; item Triumviros Reipublicæ constituendæ gratia creatos jus consulendi Senatum habuisse. Cicero tertio de Legibus libro Senatori tria fuisse jussa scribit: primum ut vocatus adesset, nam gravitatem res habet, cum frequens ordo est: alterum ut loco sententiam diceret, hoc est cum rogatus esset ab eo, qui consulendi potestatem haberet: tertium, ut modo uteretur in dicendo, ne esset infinitus: nam brevitas non modo Senatoris, sed etiam Oratoris magna laus est in sententia. Ponit etiam ibidem hanc legem: *Senatori qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto:* Pignus enim capiebatur, & multa irrogabatur Senatori, qui, quo tempore debebat, in Senatum non venisset. Cicero prima Philippica: *Quid erat causæ, cur in Senatum hesterno die tam acerbe cogerer? solus ne aberam? an non sæpe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, ut etiam ægrotos deferri oporteret?* item: *Quis autem unquam tanto damno Senatorem coegit? aut quid est ultra pignus aut multam?* Sed tamen qui sexagesimum annum excessissent Senatores, inviti ut venirent, cogi non poterant: quamvis boni Senatoris semper habitum fuerit in Senatum frequenter venire. Legimus Catones ambos, quamvis valde senes essent, tamen in Senatum assidue venire solitos. Duabus autem de causis cogi non poterant Senatores ad veniendum, si noluissent; primo cum de triumpho alicui concedendo vel denegando tractaretur; deinde cum supplicatio decernenda esset, quod prima Philippica Cicero sic innuit: *De supplicationibus referebatur, quo in genere Senatores deesse non solent; coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum de honore agitur, gratia, quod idem fit, cum de triumpho refertur.* Verum præter cæteros ordinarios Magistratus, Consules potissimum cogendi Senatum, & eidem imperandi ut veniret, aut ne discederet, facultatem habebant, quod tertiæ Decadis quinto libro sic T. Livius ostendit: *Adeoque in apparatum ejus belli civitas intenta erat, ut P. Cornelius Consul ediceret, qui Senatores essent, quibusque in Senatu sententiam dicere liceret, quique in Magistratu essent, ne quis eorum longius ab Urbe Roma abiret, quam unde eo die redire posset.* De Tribunis plebis dubitatum est, an Senatum congregandi jus haberent, & M. Varro, atque Antistius Labeo non habere censuerunt; quamvis enim præhensionem haberent, vocationem tamen non habuisse existimant; sed usus & consuetudo Romanorum aliter obtinuit. Nam sæpe legimus etiam a Tribunis plebis Senatum fuisse congregatum. Cicero scribens ad Trebonium Epistolarum libro decimo sic ait: *Nam cum Senatum ad XIII. Cal. Jan. Tribuni Plebis vocavissent, deque alia re referrent, totam Rempublicam sum complexus.* Diebus vero festis, & comitialibus, & ludis publicis Senatus cogi non solebat; sic enim ad Quintum Fratrem Cicero scribit: *Consecuti sunt dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat.* Quoties autem Senatus habebatur, vel legitimus vel indictus dicebatur, ut Julius Capitolinus in Gordianis: *Non legitimo* (inquit) *sed indicto Senatus die Consul jam domi conventus.* Suetonius in Augusto: *Sanxit ne plusquam bis in mense legitimus Senatus ageretur Calendis & Idibus.* Spartianus in Adriano: *Senatui legitimo, cum in urbe esset, vel juxta urbem, semper interfuit.* Indictus Senatus vel edictus tunc vocabatur, cum propter occurrentia negocia præter consuetudinem indicebatur, ut Suetonius in Cæsare: *Postquam Senatus Idibus Martiis in Pompeii curiam edictus est.* Qui vero Senatum habiturus esset, prius hostiam immolare, auspiciumque capere consueverat. Augustus Cæsar instituit, ut quisque Senator, cum in Curiam ingressus fuisset, antequam consideret, thure ac mero supplicaret apud aram ejus Dei, in cujus Templo Senatus haberetur.

CAP. XVI.

De loco habendi Senatus.

At vero quo major esset in decernendis rebus sanctitas atque religio, tantum in locis per augures constitutis, quæ Templa vocabantur, haberi Senatus poterat. Sic enim quasi in conspectu Deorum Immortalium constituti Senatores, cum sententias dicerent, majori cum reverentia, quid agendum esset in Republica, sine ulla fraude aut malitia proferebant. Is autem locus quicumque fuisset, in quo Senatus habebatur, a publicarum rerum cura Curia vocabatur. Cicero libro de Finibus tertio, de M. Catone posteriore verba faciens, ait, eum scientiæ tam avidum fuisse, ut etiam in ipsa Curia legere soleret, dum Senatus cogeretur. Multas autem Curias, in quibus haberetur Senatus, Romæ fuisse legimus: nam in Curia etiam Hostilia, Pompeja, Julia, cum essent antea loca profana, Templa fuerunt ab Auguribus constituta, ut in eis Senatusconsulta justa, ac legitima fieri possent. Non tamen omnes ædes sacræ Templa dicebantur, ut M. Varro testatur, sed tantum illæ, quæ per Augures essent auspicato consecratæ. Variis autem in Templis congregari Senatus consueverat, quod ex Antiquis Scriptoribus haud difficulter intelligi potest, ut in Capitolio, in æde Jovis Statoris, in æde Castoris, in Apollinis æde, in æde Telluris, in æde Concordiæ, in æde Bellonæ, & denique in ædibus omnibus augurato conditis, quæ Templa dicebantur. Cicero pro P. Sylla: *Cum in Capitolium nos Senatum convocavissemus.* Idem in Catone majore: *Senatum in ædem Jovis Statoris vocavi, rem omnem ad Patres conscriptos retuli.* Idem tertia in Verrem Actione: *ausum esse in æde Castoris, celeberrimo, clarissimoque monimento, quod Templum in oculis, quotidianoque aspectu Populi Romani est positum, quo sæpenumero Senatus convocatur, quo maximarum rerum frequentissime quotidie advocationes fiunt, in eo loco, in sermone hominum audaciæ suæ monimentum æternum relinquere.* Cœlius libro Epistolarum octavo: *Sed cum Senatus habitus esset ad Apollinis.* Idem: *in æde Apollinis scribendo affuerunt.* Cicero prima Philippica: *unum illum diem, quo in æde Telluris Senatus fuit.* Lampridius: *cum Senatus frequens in Curiam, hoc est in ædem Concordiæ, Templum inauguratum convenisset.* In æde vero Bellonæ extra Urbem Senatus cogebatur, cum de triumpho aliquo esset agendum, aut cum exterarum Gentium Legati essent audiendi, quos in Urbem ingredi nolebant. T. Livius Decadis quintæ libro quinto sic ait: *M. Popilius Consul Romam rediit Senatusque extemplo in ædem Bellonæ est vocatus.* Senaculum etiam dicebatur locus, ubi Senatus haberetur, & olim apud Romanos tria tantum fuere Senacula, sicuti Festus tradit; postea diversis temporibus variis in locis (ut diximus) Senaculum fuit institutum. Proprius tamen Curiæ locus, ubi frequentius quam in aliis Senatus congregabatur, erat

A ædes Concordiæ inter Capitolium & Forum. Ibi Consules cum Senatoribus de Republica frequentissime deliberare consueverant: atque ædem Concordiæ potissimum delegerant, ut ostenderent nihil seditiose, nihil turbulente agendum esse in Senatu, sed omnia tranquille, quiete, & concordibus animis, quæ Reipublicæ profutura viderentur esse statuenda. Qua de causa Cicero tertia Philippica vehementer & acriter M. Antonium insectatur his verbis: *Senatum stipaverit armatis, armatos in cella Concordiæ, cum Senatum haberet, incluserit.* Et in secunda Philippica: *Cum inter subsellia nostra versentur armati, cum in hac cella Concordiæ (o Dii immortales) in qua me Consule salutares sententiæ dictæ sunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati stent.* Hanc cellam Concordiæ, quæ curia frequentior erat, Cicero pro Milone vocat templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo Populo Romano concessam uni ordini. Frequenter etiam in Capitolio Senatus habebatur, in æde Jovis Optimi Maximi, qui Capitolinus appellabatur. Cicero in Lucullo: *cum Carneades, & Stoicus Diogenes ad Senatum in Capitolio starent.* In summa, quamvis variis in locis cogeretur Senatus, nusquam tamen nisi in locis augurato conditis, hoc est in Templis, ut initio diximus, eum haberi licebat; nisi fortasse prodigium aliquod accidisset. Nam (ut ait Plinius) *Est frequens in prodigiis priscorum bovem locutum, quo nunciato Senatum sub divo haberi solitum.* *Lib. 8. cap. 45.*

(B, C, D)

CAP. XVII.

De Tempore habendi Senatus.

Quid? quod aliquid nocturno tempore decernere nefas esse judicabant? volebant enim quicquid ageretur ab hoc amplissimo sanctissimoque Ordine, id orto jam sole, & clara luce fieri, sine ulla fraudis, aut doli suspicione, sine timore, sine odio aut benevolentia, libere, securoque animo, quod e Republica videretur esse, constituere. Neque ullas omnino suis sententiis, & Senatusconsultis latebras quærere. Quamobrem quod ante solis exortum, aut post ejus occasum a Senatu decretum fuisset, id M. Varro nullius fuisse ponderis, nullius auctoritatis ac momenti scribit; atque hoc Censorum munus fuisse, ut diligentissime viderent, per quos, & quo tempore factum esset Senatusconsultum: ut nullum omnino ratum esse paterentur, nisi quod ab iis esset factum, qui potestatem haberent, & eo tempore, quo leges & instituta Romanorum fieri permittebant. Itaque neque festis diebus, neque comitialibus, neque ludis publicis, quicquam agi per Senatum fas habebatur, sed tantum diebus festis, quibus etiam lege agere concedebatur, nisi forte res aliqua gravior accidisset; tunc enim insolitis etiam & vetitis diebus convocabatur Senatus, quod ita M. Cælius indicat Epistolarum libro octavo ad Cicero- *A. Gellius lib. 14. cap. 7*

(E, F)

nem; *De Consularibus Provinciis ad Senatum referrent, neve quid prius ex Cal. Mart. neve quid conjunctum de ea re referretur a Consulibus: utique ejus rei causa per dies comitiales Senatum haberent, Senatusque consultum facerent*. Nam cum gravius etiam & atrocius aliquod delictum commissum fuisset, fas esse censebant, diebus etiam festis judicia exercere, & extra ordinem quærere, quod ostendit Cicero pro M. Cœlio statim in Orationis principio, cum ita inquit: *Si quis, judices, forte nunc adsit ignarus legum, judiciorum, consuetudinis nostræ, miretur profecto quæ sit tanta atrocitas hujusce causæ, quod diebus festis, ludisque publicis, omnibus negotiis forensibus intermissis, unum hoc judicium exerceatur; nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur, ut eo neglecto Civitas stare non possit. Idem cum audiat esse legem, quæ de seditiosis consceleratisque Civibus, qui armati Senatum obsederint, Magistratibus vim attulerint, Rempublicam oppugnarint, quotidie quæri jubeat, legem non improbet*, & reliqua: Vacabat præterea Senatus ab Idibus sext. per tres fere menses ad Novembrem usque mensem, quod ostendit Suetonius in Augusto.

CAP. XVIII.

De rogandis sententiis.

QUI Senatum congregabant, iidem etiam de rebus, quæ ad Senatum referrentur, sententias rogare solebant. Sed mos rogandi sententiam non semper unus atque idem fuit. Verum pro eorum arbitrio, qui coegissent, consulendi gratia Senatores frequenter variari solitus est. Atque ab initio quidem fuit ea consuetudo, ut qui priores in Senatum a Censoribus lecti fuissent, ii priore etiam loco rogati sententiam dicerent. Interdum ætatis ratio habita fuit, ut quo quisque natu grandior esset, eo prior sententiam rogaretur: quod libro de Senectute Cicero testatur. Sæpe etiam qui designati Consules erant, primi rogabantur, quod Sallustius in Catilinæ conjuratione sic ostendit: *Tunc D. Junius Syllanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore Consul designatus erat*. Usu deinde factum est, ut in arbitrio Consulis esset, quem primum rogare vellet, quem secundum, quem tertium: non tamen alium quam Consularem Virum primo loco rogari fas esse censebant. C. Cæsar in Consulatu, quem cum Bibulo gessit, tres extra ordinem rogasse dicitur, M. Crassum, Cn. Pompejum, & M. Catonem; sed postquam filiam suam in matrimonium Pompejo dedit, eum deinde semper primo loco rogare cœpit, cum antea M. Crassum rogare consuevisset. Idem Cæsar Consul (ut Attejus Capito scriptum reliquit) M. Catonem sententiam rogavit; Cato rem, quæ consulebatur, quoniam non e Republica videbatur, perfici nolebat; ejus rei gratia ducendæ, longa Oratione utebatur eximebatque dicendo diem. Erat enim jus Senatori, ut sententiam rogatus, diceret ante quicquid vellet de alia re, & quoad vellet; Cæsar Consul viato-

A rem vocavit, eumque, cum finem non faceret, prehendi loquentem & in carcerem duci jussit; Senatus consurrexit, & prosequebatur Catonem in carcerem. Hac invidia facta Cæsar destitit, & mitti Catonem jussit. Dionysius Halicarnassæus libro septimo tradit, morem fuisse Romanis, ut Senatores natu maximi primo loco sententiam dicerent; deinde qui media ætate essent; postremo juvenes. Hanc autem consuetudinem, ut seniores priore loco verba facerent, antiquissimam fuisse declarat Homerus cum multis aliis in locis, tum

B Odysseæ libro secundo, ubi de Sene quodam Ægyptio sic ait, ut nos vertimus:

Ante alios cœpit sic fari Ægyptius heros
Qui tum curvus erat senio, tum plurima norat.

Cicero primo libro ad Atticum subirasci videtur, quod a M. Pisone Consule primus ipse non esset rogatus sententiam; sic enim ait: *Primum igitur scito, primum me non esse rogatum sententiam, præpositumque esse nobis pacificatorem Allobrogum, idque admurmurante Senatu, ne-*

C *que me invito esse factum. Sum enim & ab observando homine perverso liber, & ad dignitatem in Republica retinendam contra illius voluntatem solutus; & ille secundus in dicendo locus habet auctoritatem pene Principis, & voluntatem non nimis devinctam beneficio Consulis*. T. Livius primo libro ponit formam interrogandi Senatum de Bello faciendo, qua prisci Romani utebantur, ubi loquitur de Anco Martio Romanorum Rege; sic enim ait: *Confestim Rex ex his ferme verbis Patres*

D *consulebat. Quarum rerum, litium, causarum conduxit Pater patratus Populi Romani Quiritium Patri patrato priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, quas res nec dederunt, nec solverunt, nec fecerunt quas res dari, fieri, solvi oportuit, dic* (inquit ei, quem primum sententiam rogabat) *quid censes?* tum ille: *Puro pioque duello quærendas censeo, itaque consentio, consciscoque. Inde ordine alii rogabantur: quandoque pars major eorum, qui aderant, in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitum*.

E Neque illud mihi prætermittendum esse videtur, quod quicumque rogatus sententiam fuisset, quamvis summæ auctoritatis vir esset, atque amplissimis honoribus functus, nunquam tamen sedens loquebatur, sed exsurgebat, & stando sententiam dicebat; cum vero sermonem suum absolvisset, tunc iterum in loco suo considebat. M. Antonius libro de Oratore secundo: *in quo* (inquit) *mirari soleo, non equidem istos, qui nullam huic rei operam dederunt, sed hominem in primis disertum at-*

F *que eruditum Philippum, qui ita solet ad dicendum surgere, ut quod primum verbum habiturus sit, nesciat*. Pro A. Cluentio: *hic ego cum ad respondendum surrexi, qua cura, Dii immortales, qua solicitudine animi, quo timore?* Virgilius de Drance libro decimo:

Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras.

Ovidius ad hunc morem respexit decimo

tertio Metamorphosis, ubi judicium armorum Achillis describit:

Consedere duces & vulgi stante corona
Surgit ad hos dominus clypei septemplicis Ajax.

Homerus in Heroum conciliis ipsos etiam Reges, cum sententiam dicturi sunt, aliis sedentibus surgentes facit, & perpetuo stantes dum loquuntur; ut primo Iliadis Agamemnonem amplissimum Regem ait in Græcorum Concilio surrexisse, ut contra Chalcantem diceret; & postea Nestorem sapientissimum senem eodem modo surrexisse, ut inter Achillem & Agamemnonem litem componeret. Sic igitur etiam Romani Patres, quamvis essent Consulares, & Triumphales, rogati sententiam surgebant, & stantes orationem habebant; quod si quis forte non rogatus, aliquid in Senatu dicere voluisset, prius eum a Consule, vel ab eo, qui Senatum coegerat, veniam petere oportebat. Quæ tamen non concedebatur, nisi postquam rogati essent illi, qui priorem dicendi locum haberent. Nam primus locus sententiæ dicendæ consularis erat, secundus prætorius, tertius ædilitius, quartus quæstorius. Itaque primum rogabantur illi qui Consules fuissent, deinde qui Prætores, tum qui Ædiles, atque ita deinceps. Cicero quinta Philippica sic decernit: *Ob eas causas Senatui placere C. Cæsarem C. F. Pont. propr. Senatorem esse, sententiam loco prætorio dicere.*

CAP. XIX.

De Sententia dividenda.

QUotiescunque Senator aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complecteretur (ut ait Asconius) si non omnes hæ res probarentur, postulari solebat, ut sententia divideretur, idest ut de singulis rebus seorsum referretur, quo pars una, si visum fuisset, repudiaretur, altera reciperetur. Cicero pro Milone: *Quod si per furiosum illum Tribunum Senatui, quod sentiebat, perficere licuisset, novam quæstionem nunc nullam haberemus; decernebat enim ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quæreretur. Divisa sententia est, postulante nescio quo; nihil enim necesse est, me omnium flagitia proferre, sic reliqua auctoritas Senatus empta intercessione sublata est.* Quibus verbis intelligitur, id quod decernebat Senatus de P. Clodii cæde, duas res complexurum fuisse, unam ut quæreretur veteribus legibus, alteram ut extra ordinem. Atque ita fuisse divisum, ut prior pars repudiaretur, id est, ut non quæreretur veteribus legibus, sed nova quæstio fieret; altera pars reciperetur, hoc est ut extra ordinem quæreretur. Plinius in Epistolis: *illud etiam mihi permirum videbatur, eum quidem qui libertos relegandos, servos supplicio afficiendos censuisset, coactum esse dividere sententiam:* hoc est, ut seorsum de libertis, & seorsum de servis referret. Cicero primo Epistolarum: *Postulatum est, ut Bibuli sententia divideretur, quatenus de religione dicebat; ei rei, quia jam obsisti non poterat, Bibulo*

A *assensum est; de tribus Legatis, frequentes ierunt in alia omnia.* Nam sententia Bibuli Senatoris duas res complectebatur: unam ut Rex Ægypti Ptolemæus in regnum suum sine exercitu reduceretur, quod ex libris sybillinis præcipi videbatur: alterum ut tres Legati Regem reducerent. Postulatum igitur est, ut ea sententia divideretur: atque ita in priori parte sententiæ (inquit Cicero) Bibulo assensum est, quia cum religione conveniebat, quæ tollebat exercitum: & hæc res frequenti Senatui placebat. In altera parte eadem B Bibuli sententia fuit improbata; quia Senatui non placuit, ut tres Legati Regem reducerent. Nam quoties alicui rei Senatus non assentiebatur, dicebatur Ire in alia omnia; ut Epistolarum libro decimo ad Plancum scribens Cicero: *Eum Senatus reliquit, & in alia omnia discessit.* Publicus enim Minister, cum per discessionem Senatusconsultum erat faciendum, ita Senatui voce præibat: Qui hoc censetis illuc transite, qui alia omnia, in hanc partem. Dicebat autem in alia omnia, potius quam in contraria, boni ominis causa, ut Festus C auctor est, cujus sunt hæc verba: *Qui hoc censetis illuc transite, qui alia omnia in hanc partem; his verbis præit ominis videlicet causa, ne dicat, qui non censetis.* Inde factum est, ut ire in alia omnia, idem significet quod dissentire, & alicujus sententiam improbare. Quod præter Ciceronem etiam A. Hirtius circa finem octavi libri de Bello Gallico sic usurpat: *Discessionem faciente Marcello, Senatus frequens in alia omnia transiit;* hoc est alia potius omnia probavit, quam quæ Marcel- D lus volebat.

CAP. XX.

De Senatusconsultis.

SEd nullum unquam majus ingeniorum theatrum fuisse certum atque exploratum est, quam antiquus ille Senatus Romanus fuerit; ubi de maximis & gravissimis rebus, non ad unius tantum Urbis, aut Regionis administrationem pertinentibus, sed ad totius pene terrarum Or- E bis frequenter agebatur. Ibi mentis acumen, & ingenii præstantia maxime lucebat, ibi sententiam rogatorum in respondendo ac decernendo perspicue prudentia sapientiaque videbatur; ibi tanquam in speculo quodam lucidissimo cujusque mens, animus, voluntas, cupiditas aperte conspiciebatur. Liberum enim erat & concessum omnibus suo loco, quid de Republica sentirent, etiam contra omnium aliorum sententias enunciare. Multi etiam eam ha- F bebant potestatem, ut intercederent, ne Senatusconsulta fierent. Quare, quæ tandem Senatusconsulta perscribebantur, & asservabantur, ea non aliter atque sacrosanctæ Leges habebantur. Tribus autem modis observavimus Senatusconsulta confirmari, atque approbari solita; hoc est, vel per sententiæ dictionem, vel per discessionem, vel per manus porrectionem, quod Vopiscus de Aureliano loquens ita ostendit: *Deinde aliis manum porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus,*

plerisque verbo consentientibus, conditum est Senatusconsultum. Illud etiam sæpe fieri solebat, ut cum de re aliqua gravissima Senatus erat futurus, multi Senatores domi sententias suas scriberent, quas deinde in Senatu de scripto recitarent. Quod Cicero libro Epistolarum decimo scribens ad Plancum ita confirmat: *Id ex ipso Senatusconsulto poteris cognoscere; ita enim est perscriptum, ut a me de scripto dicta sententia est, quam Senatus frequens secutus est summo studio*. Nonnumquam etiam semel facta, & confirmata Senatusconsulta delebantur, & abrogabantur, quæ quidem abrogatio dicebatur Inductio Senatusconsulti, propterea quod, inducto in ceram aut membranam stylo, deleretur. Cicero primo ad Atticum libro: *inducendi Senatusconsulti maturitas nondum est: quod neque sunt qui quærantur; & multi partium malevolentia, partim opinione æquitatis delectantur*. Suetonius in Cæsare: *amplissimis verbis collaudatum integrum restituit, inducto priori decreto*. Sic etiam inducere locationem, pro eo, quod est delere, veteres dicebant. Cicero ad Atticum primo libro: *Asiani, qui de Censoribus conduxerunt, questi sunt in Senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse, ut induceretur locatio, postulaverunt*. M. Varro scribit, Senatusconsulta fieri duobus modis, aut per discessionem si consentiretur, aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas: singulos autem (ait) debere consuli gradatim. Quo ex Varronis loco apparet tertius ille modus, manum porrigendi, de quo Vopiscus ait, post ipsius Varronis tempora per consuetudinem in Senatum fuisse introductum. Suetonius in Tiberio sic ait: *Cum Senatusconsultum per discessionem forte fieret, transeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, secutus est nemo*. Julius Capitolinus auctor est, uno die duo Senatusconsulta perscribi non licuisse. Varro (ut ait Gellius) de intercessionibus scripsit, dixitque intercedendi, ne Senatusconsultum fieret, jus iis solis fuisse, qui essent eadem potestate, qua ii, qui Senatusconsultum facere vellent, majoresve essent. Apud antiquos etiam Tribuni plebis intercedendi jus habebant, ne Senatusconsulta præscriberentur, quamvis in Senatum introire non possent; de qua re Valerius Maximus ita scribit: *Tribunis plebis intrare in Curiam non licebat, ante valvas autem positis subselliis decreta patrum attentissima cura examinabant, ut si qua ex iis improbassent, rata esse non sinerent*. Itaque veteribus Senatusconsultis T. littera subscribi solebat, eaque nota significabatur, illa Tribunos quoque censuisse. Lex etiam erat a Cornelio quodam lata, quæ ideo Cornelia dicebatur, qua Senatusconsultum fieri vetabatur, ut quis a Senatu legibus solveretur (ut Asconius scribit) nisi ducenti Senatores affuissent. Atque initio quidem omnia Senatusconsulta Consulum arbitrio vel supprimebantur, vel enunciabantur. Sed postea L. Valerius & M. Horatius Consules instituerunt, ut cum primum essent facta atque confirmata Senatusconsulta, confestim in ædem Cereris ad Ædiles plebejos deferrentur, nec amplius essent in Senatus potestate, quam rem T. Livius ita scribit: *Institutum etiam ab iisdem Consulibus, ut Senatusconsulta in ædem Cereris ad Ædiles plebis deferrentur, quæ ante arbitrio Consulum supprimebantur, vitiabanturque*. Lib. 3. Successu deinde temporis constitutum est, ut ad ærarium Senatusconsulta deportarentur, & ibi servarentur, ubi etiam leges, & acta omnia publica diligenter asservabantur. Cicero quinta Philippica: *Senatusconsulta tanquam facta ad ærarium referebantur*. Suetonius in Augusto ita scribit: *Auctor est Julius Marathus, ante paucos quam nasceretur menses prodigium Romæ factum publice, quo denunciabatur Regem Populo Romano naturam parturire, Senatum exterritum censuisse, nequis eo anno genitus educaretur: eos, qui gravidas uxores haberent, quod ad se quisque spem traheret, curasse, ne Senatusconsultum ad ærarium referretur*. Fuerunt etiam quædam Senatusconsulta, quæ tacita vocabantur, ut Julius Capitolinus in Gordianis ait: Ea fiebant remotis omnibus ministris & personis, quæ non essent senatoriæ: atque ipsimet suis manibus Senatores ea perscribebant, & custodiebant. Quæ vero forma dicendi, & qui modus in perscribendis Senatusconsultis observari soleret, ostendit in Philippicis ipse Cicero, ubi nonnulla ponit Senatusconsultorum exempla, quorum e numero tria mihi libet hoc loco adscribere, quoniam antiquitatis miram præ se majestatem ferunt, & veterem consuetudinem decernendi continent. Duo sunt in quinta Philippica, quorum unum ita perscriptum est. *Cum a M. Lepido Imperat. Pontif. Maxim. sæpenumero Respublica & bene & feliciter gesta sit; Populus Romanus intellexerit ei dominatum regium maxime displicere, cumque ejus opera, virtute, consilio, singularique clementia & mansuetudine bellum acerbissimum civile sit restinctum, Sextusque Pompejus Cn. Filius Magnus hujus Ordinis auctoritate ab armis discesserit, & a M. Lepido Imp. Pont. Max. summa Senatus Populique Romani voluntate Civitati restitutus sit, ita decretum est: Senatum Populumque Romanum pro maximis plurimisque in Rempublicam M. Lepidi meritis magnam spem in ejus virtute, auctoritate, felicitate reponere ocii, pacis, concordiæ, libertatis: ejusque in Rempublicam meritorum Senatum Populumque Romanum memorem fore, eique statuam equestrem inauratam in Rostris, aut quo alio loco in foro vellet, e Senatus sententia statui placere*. Alterum ita: *Quod C. Cæsar G. F. Pont. Propr. summo Reipublicæ tempore milites veteranos ad libertatem Populi Romani cohortatus sit, eosque conscripserit, quodque Legio Martia, quartaque summo studio, optimoque in Rempublicam consensu C. Cæsare duce & auctore Rempublicam, libertatem Populi Romani defendant, defenderint, & quod C. Cæsar Propr. Galliæ Provinciæ cum exercitu præsidio profectus sit, equites, sagittarios, elephantos in suam Populique Romani potestatem redegerit, difficillimoque Reipublicæ tempore saluti, dignitatique*

Populi Romani subvenerit, ob eas causas ita decretum est, Senatui placere C. Cæsarem C. F. Pont. Propr. Senatorem esse, sententiamque loco prætorio dicere, ejusque rationem, quæcumque appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, si anno superiore Quæstor fuisset. Tertium longe pulcherrimum in nona Philippica de Ser. Sulpitio, ita perscriptum est: *Cum Ser. Sulpitius Q. F. Lemonia Rufus, difficillimo Reipublicæ tempore, gravi, periculosoque morbo affectus auctoritatem Senatus, salutemque Populi Romani vitæ suæ præposuerit, contraque vim gravitatemque morbi contenderit, ut ad castra Antonii, quo Senatus eum miserat, perveniret, isque cum jam prope castra venisset, vi morbi oppressus vitam amiserit, in maximo Reipublicæ munere; ejusque mors consentanea vitæ fuerit sanctissime honestissimeque actæ, in qua sæpe magno usui Reipublicæ Ser. Sulpitus & privatus & in Magistratibus fuerit; cum talis vir ob Rempublicam in legatione mortem obierit, ita decretum est: Senatui placere Servio Sulpitio statuam pedestrem æneam in Rostris statui, circumque eam statuam locum gladiatoribus ludisque liberos posterosque ejus quoquoversus pedes quinque habere, quod is ob Rempublicam mortem obierit, eamque causam in basi inscribi; utique C. Pansa, A. Hirtius Consules, alter, ambove si eis videbitur, Quæstoribus urbanis imperent, ut eam basim statuamque faciendam, & in Rostris statuendam locent, quantique locarint, tantam pecuniam redemptori solvendam attribuendamque curent: cumque antea Senatus auctoritatem in virorum fortium funeribus ornamentisque ostenderit, placere, eum quam amplissime supremo die suo efferri: & cum Ser. Sulpitius Q. F. Lemonia Rufus ita de Republica meritus sit, ut his ornamentis decorari debeat, Senatum censere, atque e Republica existimare, Ædiles Curules edictum, quod de funeribus habeant Ser. Sulpitii Q. F. Lemonia Rufi funeri mittere, utique locum sepulchro in Campo Exquilino C. Pansa Consul, seu quo in loco videtur, pedes triginta quoquoversus assignet, quo Ser. Sulpitius inferatur: quod sepulchrum ipsius, liberorum, posterorumque ejus sit, uti quod optimo jure sepulchrum publice datum est.*

CAP. XXI.

De Judiciis.

De Judiciis non est, quod hoc loco multa disseramus, tum quia non semper Senatus propria fuerunt, licet initio soli Senatores judicarent; nam postea cum Equitibus Romanis, & Tribunis Ærariis communicata est judicandi potestas; tum quia seorsum in alio volumine de illis copiosius tractare constituimus. Illud igitur tantum in præsentia dicam, apud Romanos duo fuisse Judiciorum genera, quorum alterum publicum dicebatur, alterum privatum. Et privata quidem Judicia certam formulam habebant, atque apud centumviros agitabantur, unde etiam centumviralia dicta sunt. Cum enim essent Romæ triginta quinque tribus, terni ex singulis Tribubus erant electi ad judicium rerum privatarum, qui licet quinque plures centum essent, tamen ut facilius nominarentur, centumviri sunt appellati, & causæ, quas tractabant, centumvirales nominatæ, de quibus primo de Oratore multa Cicero. Et Centumviri quidem hasta in foro posita judicabant. Id erat, signum fastorum dierum, ut qui hastam in foro positam viderent, ii scirent eo die centumviralia judicia exerceri. Publica vero judicia apud concilium judicum fiebant, quos Prætor, vel qui judicio præerat ex equestri & senatorio Ordine sortiebatur, & si qui forte vel a reo vel ab accusatore rejecti fuissent, idem Prætor alios iterum in rejectorum locum subortiebatur, donec justus ac legitimus numerus constitueretur. Atque hi proprio nomine Judices dicti, & in decurias distributi erant, omnesque trigesimum quintum annum excedebant; neque enim ante illam ætatem cuiquam licebat Judicem fieri. Hæc autem publica judicia fere de maleficiis constituebantur, ut Actiones in Verrem Repetundarum, pro Milone de cæde, pro C. Rabirio perduellionis reo, atque ita de aliis. Ipsis vero Judicibus singulis, antequam in concilium irent, tria sigilla dabantur, quorum in primo insculpta erat litera salutaris A. quæ erat absolutionis nota: in altero litera tristis C. quæ condemnationis signum erat: in tertio duæ literæ N. L. quæ significabant non liquere, atque hæc erat nota ampliationis. Judices igitur cum accusatores & patronos audivissent, poterant arbitrio suo vel absolvere, vel condemnare, vel reum comperendinare. Nam tabellæ ceratæ circumferebantur, ut in eis judices sigillis datis, quas vellent literas imprimerent. Postea vero signa illa tabulis impressa numerabantur; quod si plures fuissent absolutionis notæ quam condemnationis, statim reus absolvebatur, & contra si literæ tristes numero vicissent, condemnabatur. Cicero pro Milone: *Quod nisi vidisset posse absolvi eum, qui fateretur, cum videret nos fateri, nec quæri unquam jussisset, nec nobis tam salutarem hanc in judicando literam, quam illam tristem dedisset.* Solebant etiam antiquo tempore Judices in judicando calculos in urnam conjicere; nam singulis judicibus duo calculi dabantur, alter candidus, alter vero niger; & candido quidem absolvebant, nigro autem condemnabant, quod Ovidius libro Metamorphosis decimo quinto sic ait:

Mos erat antiquis niveis, atrisque lapillis
His damnare reos, illis absolvere culpa.
Tum quoque sic lata est sententia tristis, & omnis
Calculus immitem demittitur ater in urnam.

Alcibiades cum judicium subterfugeret, dixit, se ne matri quidem confidere velle, ne forte per errorem calculum nigrum, pro candido in urnam conjiceret. Pythagoras ajebat ea, quæ candido colore sunt, ad naturam boni pertinere, quæ nigro ad mali naturam, unde quæ felicia sunt, candida, atque alba dicuntur. Verum (ut

initio dixi) de Judiciis alias plura. Nunc illud etiam mihi tanquam corollarium quoddam adjiciendum videtur, quod est maxime memorabile, & Senatoribus atque Judicibus summa cum diligentia advertendum. Nam Thebani Senatum ita pingere consueverant, ut gravissimos quosdam homines, & aspectu venerabiles formarent, qui in hemicyclis sedentes ante altaria Deorum Immortalium positi essent, nullasque omnino manus haberent; in quorum medio sederet etiam ipse Princeps oculis captus atque cæcus. Quam optimi Senatus descriptionem ac picturam Alciatus noster in Emblematis suis ad hunc modum interpretatur.

Effigies manibus truncæ ante altaria Divum
Hic resident, quarum lumine capta prior.
Signa potestatis summæ, sanctique Senatus
Thebanis fuerant ista reperta Viris.
Cur resident? quia mente graves decet esse quieta
Juridicos, animo nec variare levi.
Cur sine sunt manibus? capiant ne xenia, nec se
Pollicitis flecti, muneribusve sinant.
Cæcus at est princeps, quod solis auribus, absque
Affectu constans jussa Senatus agit.

CAP. XXII.

De Nota Censoria contra Senatores.

Senatorium Ordinem omni penitus vitio vacare, neque tantum gravioribus & atroci pœna dignis criminibus, sed his etiam levioribus & vulgo fere concessis carere oportere veteres Romani censuerunt. Itaque cum intelligerent maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem, voluerunt Censores, qui moribus erant præpositi, non minorem in Senatores, quam in alios Cives Romanos potestatem habere; & gravius etiam peccantem Senatorem, quam Equitem aut Plebejum castigare. Nam propter leviusculum etiam peccatum Censores e Senatu quemvis magnum Senatorem ejiciebant. Siquidem Fabricius Censor (ut scribit Livius) P. Cornelium Ruffinum Consularem Senatu movit, non alia de causa, nisi quod decem argenti pondo facti haberet. Erat autem censura (ut Plutarchus ait) omnium Magistratuum maximæ reverentiæ, plurimæque potestatis, cum in aliis rebus, tum maxime ad morum emendationem. Nam a Senatu (inquit) removere immeritos potest, legere Principem, equos auferre, notare infamia, censum agere, lustrum condere. Asconius Pedianus in Divinatione Ciceronis contra Verrem sic ait: *Regendis moribus Civitatis Censores quinto quoque anno creari solebant, hi prorsus Cives sic notabant, ut qui Senator esset, ejiceretur Senatu; qui Eques Romanus, equum publicum perderet, qui Plebejus, in Ceritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, scilicet ad hoc ut esset Civis, sed tantummodo ut capite suo tributi nomine æra penderet.*

Lib. 14.

M. Paulo Æmilio.

A Cum igitur Censores Senatum legerent, quod quinto quoque anno fieri solebat (ut supra demonstravimus) semper fere aliquos a Senatu rejiciebant. Nam M. Porcius, & L. Valerius Censores (ut ait Livius) in legendo Senatu septem Senatores moverunt, ex quibus unum insignem & nobilitate & honoribus L Quintum Flaminium Consularem, quod scorti suasione hominem Placentinum securi percussisset. *Patrum memoria* (inquit) *institutum fertur, ut Censores motis e Senatu adscriberent notas.* Cn. Lentulus, & L. Gellius Censores B asperam censuram egerunt, quatuor & sexaginta Senatu motis. Cicero pro Domo suo ita inquit: *C. Attinius Patrum memoria bona Q. Metelli, qui eum ex Senatu Censor rejecerat, avi tui, Q. Metelle, & tui, P. Servili, & proavi tui, L. Scipio, consecravit foculo posito in Rostris adhibitoque tibicine.* Cassius Longinus non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem a Senatu motus nec restitutus est, judicare, vel testimonium dicere: quia Lex Julia Repetundarum hæc fieri vetat.

Lib. 29.

L. 2. ff. de Sen.

C

CAP. XXIII.

De Senatu muliebri.

Nullum est monstri genus, quod non longa ætas aliquando protulerit; quamvis enim apud Romanos antiquis legibus cautum fuerit, ut fœminæ semper ab omnibus officiis civilibus removerentur, & neque judicare, neque Magistratum ullum gerere, nec in Senatum venire possent; tandem improbissimus omnium D Principum & effœminatissimus Heliogabalus Varius, quo die primum Senatum habuit, matrem suam Symiamiram in Senatu sedere, & sententiam dicere voluit. Quæ deinde semper vocata ad Consulum subsellia Senatusconsultis omnibus interfuit, & sententiam consulari loco dixit. Atque hic solus Imperatorum fuit, sub quo mulier loco viri Senatum ingressa est. Nam Mesæ etiam Variæ Aviæ suæ concessit, ut in Senatu sederet, Patres Con. consuleret, sententiam diceret, cæteraque omnium Senatorum munia obiret. Quin etiam idem He- E liogabalus in Colle Quirinali Senaculum muliebre fecit, idest Mulierum Senatum, quo in loco Matronarum conventus antea fuerat solemnibus tantum & sacris diebus. In eo Senatu Symiamira Princeps Heliogabali mater una cum filio multa ridicula de Legibus Matronarum Senatusconsulta fecit, ut quo vestitu quæque mulier uteretur, quæ cui cederet, quæ ad cujus osculum veniret, quæ pilento uti deberet, quæ equo veheretur, quæ asino, quæ carpento mularum, quæ boum, & cui argentea esset, F aut eburnea sella, quæ aurum, vel gemmas in calceamentis haberet: multaque hujus generis muliebria decreta. Sed hæc (ut dixi) ridicula fuerunt. Illa vero perniciosissima, quod impudicissima mulier, & digna filio, omnium hominum spurcissimo, frequens in Senatum virorum veniebat, & arbitrio suo plurima statuebat, & vitæ necisque potestatem in omnes Romanos Cives habebat, multosque vel levissima de causa necandos trucidandosque denota-

bat. Verum tandem una cum impurissimo filio trucidata pœnas debitas luit. Post cujus mortem ante omnia cautum est, ne ulla unquam mulier Senatum ingrederetur, sicuti neque antea consueverat. Quamvis apud exteras nationes legimus, interdum etiam fœminas publicis consiliis interesse solitas. Tradunt enim, Xersem Persarum Regem sæpe Artemisiam Cariæ Reginam in consilium admisisse, & ejus sententiam secutum fuisse. Lacedæmonii publicis consiliis fœminas admittebant, & earum arbitrio plurima statuebant. Germani fœminarum olim consilio regebantur, quas non aliter atque Deas colebant. Galli in fœdere, quod cum Annibale percusserunt, id in primis cautum esse voluerunt, ut si qua lis aut contentio Carthaginensi homini cum Gallo intercederet, ejus rei judicium penes Gallicas mulieres esset. Sed multo sapientius Romani, propter naturæ imbecillitatem, & imperfectionem, nihil omnino fœminas tractare aut agere voluerunt, quod ad Rempublicam pertinere videretur, atque ideo illas ab omnibus civilibus officiis penitus removendas esse censuerunt.

CAP. XXIV.

De Senatu Dimittendo.

Qui cogendi Senatum potestatem habebant, iidem etiam pro arbitrio suo dimittebant; sicut etiam ille, qui judicium exercebat, ut primo de Oratore L. Crassus: *Adolescentulus* (inquit) *sic initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simul ac me fractum ac debilitatum metu viderit.* Consules igitur, si aderant, vel Prætores, qui absentibus Consulibus more Majorum Consulare Imperium obtinebant, cum Senatum dimittere vellent (ut Julius Capitolinus auctor est) ita præfari solebant: Nihil jam vos moramur, Patres Conscripti; quibus verbis adeundi quo vellent, Senatoribus facultatem dabant, atque ita Senatus missus vel dimissus dicebatur, ut ad Quintum fratrem Cicero; *Sed fecit humaniter Licinius, quod ad me misso Senatu vesperi venit.* Et primo Epistolarum: *Hac controversia usque ad noctem ducta, Senatus est dimissus.* Hic vero discessus Senatus vocabatur, ut Cicero: *Tum in ipsum discessum Senatus incidisse credo meas litteras.* Sed jam tempus est, ut etiam nos Senatum illum veterem missum faciamus. Quandoquidem eum satis diu tenuerimus, & multa de illo verba fecerimus. Nihil igitur jam vos moramur, o Romani Patres; ite quo vos vestra virtus, ac fortuna deduxit: nam longe felicioribus auspiciis hoc tempore, multoque puriori fide, religione, sanctitate, Senatus hic noster Mediolanensis justitiam exercet, æquitatem tuetur, in commune bonum consulit; ita bonitate sua clementiam temperat, ut debitæ severitatis non obliviscatur; ita prudenter ac sapienter Rempublicam administrat, ut omnibus, summis, mediis, infimis sint omnia grata quæ facit. Non igitur mirum, si hujus Ordinis gravitas, constantia, fides, præstantia, in Republica tuenda cura, atque prudentia omnium mortalium fama celebrantur. Nihil est enim tam arduum atque difficile, quod non hic Ordo vere sanctissimus atque optimus & consilio regat, & integritate tueatur, & virtute conficiat. Quod ut huic Patriæ nostræ ac Civitati Mediolanensi proprium atque perpetuum sit, communis salutis, dignitatis, honoris, utilitatis causa Deum Immortalem animo demisso atque humili rogamus & obsecramus.

FINIS.

SENA-

SENATUSCONSULTI
DE
BACCHANALIBUS
Sive æneæ vetustæ Tabulæ
MUSEI CÆSAREI VINDOBONENSIS
EXPLICATIO
AUCTORE
MATTHÆO ÆGYPTIO.

IMP. CAES. CAROLO VI.
LEOPOLDI F. FERDIN. N. FERDIN. PRON.
DOMITORI GENTIVM BARBARARVM
RESTITVTORI ORBIS ROMANI
VICTORI AC TRIVMPHATORI S. AVG.
HISPAN. NEAPOLIS AC SICILIAE REGI
CATH. PIO. FELICI
ANTIQVITATVM PRAECIPVE ROMANARVM
PRO SVO IVRE EXIMIO CVLTORI
EXPLICATIONEM VETERIS
S.C. DE BACCHANALIBVS
AVGVSTIS EIVS AVSPICIIS LVCVBRATAM
DEDICAT DICAT CONSECRATQVE
MATTHAEVS AEGYPTIVS
D. N. M. Q. E.

AD LECTOREM
PRÆFATIO.



Quum anno superioris sæculi XL. Job. Baptista Cigala, *Tirioli in Brutiis dominus, ædes sibi prætorias a fundamentis excitaret, forte accidit ut inter fodiendum plurima antiquitatis vestigia, columnarum scapi, integri, fracti, bases, zophori, & epistylia egererentur, ex quibus non leve indicium subortum est, fuisse ibi oppidum haud incelebre. Quum vero ambigeretur, an rudera illa ad excisam aliquam Græcorum urbem, an ad Romanorum coloniam pertinerent; commodum reperta est ænea tabula, quaquaversum fere pedalis, in qua Latinis literis, rudibus tamen, incisum erat Senatusconsultum, quod Romæ de Bacchanalibus coercendis factum est: quæ tabula licet præter spem longissimam tulerit ætatem, fractam nihilominus vel antiquitus fuisse, ac novo fuso ære consolidatam, (sive ferruminatam, ut loquuntur JCti) certissimis indiciis etiamnum apparet. Lapideum præterea sarcophagum detectum narrant, & cadaver hominis miræ proceritatis, qualia gigantum fuisse perhibentur; cujus dentes molares duo, qui apud rusticos quosdam adhuc superarant, tandem Romam ad Christinam Svecorum Reginam, hujusmodi rerum apprime studiosam, allati fuere. Fides sit penes auctores: non enim me latet, quam male propter hujusmodi dentes, ac ossa, apud Criticos audierit Fazellus* (a). *Magna in eo sarcophago bituminis copia, quo, veluti pice, usi sunt loci incolæ; donec eam fuisse Ægyptiacam cadaveris condituram, quum eximii medici ac philosophi Thomæ Cornelii Consentini judicio, tum curandorum vulnerum præsenti vi sero Neapoli compertum est. Quamquam quid vetat dicere, non multum a vero aberratum esse? Nam ex picea quoque cedriam fieri solitam scribunt* (b); *& cedriam condiendis cadaveribus apud veteres usurpatam, tam certo scimus, quam quod maxime.*

Meliore quodam fato ænea tabula rusticorum manus evasit, & a domino, bonarum literarum, ac præsertim vetustatis amantissimo, inter κειμήλια *servata est. Hanc junior Job. Baptista, illius nepos, Tirioli Princeps, bonis & ipse literis haud leviter imbutus, cupientibus summis quandoque viris constantissime pernegavit: exscribendi tantum potestatem, quibuscumque vellent, humanissime semper fecit. Exscripsi ego ante annos* XXX. *vix dum hoc genere studiorum initiatus: exscripsit, ut alios inferioris notæ prætercam, Jacobus Tollius (tametsi non adamussim), a quo Batavi typographi accepere, & ope artis chalcographicæ libris M. Tullii Ciceronis præfixere. Exscripsit vir Clar. Carolus Majellus, Neapolitani Seminarii, sub Archiepiscopo Cardinali Cantelmo, studiis Præfectus, nunc Archiepiscopus Emesenus. Ab Augustino Scilla, pictore Messanensi, accepit Raphael Fabrettus, ediditque Inscriptionum cap.* VI. *nec ipse satis diligenter. Ex Fabretto nu-*

(a) *Theodor. Ryckius. orat. de Gigantibus.* (b) *lib. 3. de admira. oper. antiquor. præstantia cap. 13.*

per exscripsit Clar. Scipio Maffæus (a), *& aliquot conjecturis illustravit. Longe a vero abest, quod Scilla Fabretto narravit, altam esse tabulam pedem unum, latam pedem unum & semis; quum vix sicilico altitudinem superet latitudo, ut ex nostra figura, ad unguem expressa, patet. Illud notandum fuerat, quod linea* V. *vitio fabri ærarii legitur* VTR A, *interjecto quadratæ literæ spatio, pro* VERBA, *ut sensus proculdubio postulat: linea* VI. *post vocem* ADESSENT, *relictam fuisse ab eodem fabro, nulla prorsus necessitate ad id cogente, lacunam, deinde has literas incisas* A RES: *quæ lacuna facillime suppletur, sic:* QUOM EA, *ut ex inferioribus liquido constat. Linea quoque* XI. XII. *&* XIII. *deesse fragmentum ad instar fere trianguli, quod & nos, quum tabulæ ipsius fragmenta, non recte adhærentia, componeremus, supplevimus; nam fuso stanno vacuum illud complanavimus, & paucas literas in id incidi curavimus, quas tabula ipsa incidendas apertissime significabat.*

Tandem hoc insigne, & nullo non pretio æstimabile eruditæ antiquitatis monumentum clariss. eques Pius Nicolaus Garellius, Cæs. Majestatis CAROLI VI. *semper Augusti medicus primarius, ac bibliothecæ Præfectus, pro suo erga optimum Principem bonasque artes studio, effecit ut a privatis ad Augusteos lares transferretur: operam suam commodante amplissimo Præside Cajetano Argentio, qui facili negotio abs memorato Tirioli Principe, viro spectatæ erga* CÆSAREM *fidei, statim obtinuit.*

Habes, candide Lector, æneæ tabulæ historiam: nunc quæ me caussæ ad scribendum impulerint, paucis accipe. Quum idem Princeps meam sciscitaretur sententiam, ecquid de exornanda tabula, ad CÆSAREM *quamprimum mittenda, videretur; forte imprudenti mihi excidit, jampridem a me quædam pauca, quum juvenili ocio fruerer, fuisse ad eam rem in adversariis adnotata: quod si tantum temporis publica Civitatis nostræ negocia largirentur, quantum ad ea in manus resumenda, & Senatusconsultum illustrandum usui foret, gratissimum laborem lubenti animo a me susceptum iri. Excidit id, inquam. Atqui diebus sane pauculis post arcessit me clar. Præses, rogat, instat, urget, quidquid commentatus essem in lucem proferrem: gratissimum id Reip. literariæ, &, quod caput rei esset, clementissimo* CÆSARI *in primis futurum. Ego vero, intermissa jamdiu hujusmodi studia caussari: tanti non esse quæ olim adnotaveram, ut sapientissimi Principis oculis subjicerentur: confusa omnia difficillime in unum veluti corpus coalitura: in summa temporis inopia, & paucos inter libros, & adhuc imbecilla per morbum regium valetudine, qui fieri posse, ut argumentum multiplex, varium, non obvium, tractarem cum dignitate? Quid opus est verbis? Pervicit tandem auctoritas doctissimi viri, quæ semper apud me plurimum valuit: manus continuo ad rem: excerpta ex optimis auctoribus consarcinare, paginas opplere; mox stilum vertere, & quæ paulo ante probaveram rejicere, per semestre fere spatium, non sine animi anxietate, perrexi. Neque enim, dum hoc saxum verso, a reliquis insuavibus negociis mihi licuit feriari; & satis, pro viribus, properanti quotidie stimuli addebantur: quod quum per se molestum est, tum mihi præsertim, qui sive natura, sive fato quodam, omnia incœpta abrumpente, magnus cunctator sum. Ante omnia Livii de Bacchanalibus verba proposui, eaque illustranda duxi: erat enim enarranda eorum historia,*

(a) *Hist. Art. diplomaticæ. pag.* 125.

ne quid cupidum lectorem moraretur: & ridiculus sane fuissem, nec tota curandus Anticyra, si aliis quam Livii verbis latine, perspicue, eleganter, copiose, ac denique cum dignitate dicere suscepissem. Itaque singillatim observationes, quæ justi commentarii loco esse possunt, adjeci, ut viam ad Senatusconsultum intelligendum, quocumque tandem modo possem, ac pro mearum virium exiguitate, complanarem. Qua quidem in re coactus sum salebrosam penitioris vetustatis insistere viam; in eruendis originibus, vel ipsis Græcis Latinisque auctoribus parum compertis, successu nec admodum felici, insudare; arcana Cereris, atque adeo Isidis, Bacchi, Osiridis, Attidis investigare; discrimen inter Dionysia, Mysteria, Thesmophoria, Cerealia, Eleusinia statuere; insanos denique lymphaticosque ritus, immo obscœna quædam in medium afferre, quæ ad Bacchi fœdissimum cultum pertinebant: quum ut unusquisque intelligeret, merito Bacchanalia fuisse abolita, quando nihil fuit ad corrumpendos bonos mores aptius; tum ut serio cogitemus, quibus in tenebris, quove in cœno Idololatræ versarentur; ac tandem veræ Religionis lucem, ac præstantiam, & beneficia a CHRISTO, *Deo & Servatore nostro, in genus humanum collata, non sine grati animi affectu perpendamus. Ignoscat igitur pudicus lector, & labores meos æqui bonique consulat rogo, si quædam silenda, sed Bacchanalibus arctissime conjuncta, enuntiavi: nam sic instruendus erat, ut ex iis, quæ semota omni verecundia propalam fiebant, quantum in abdito parcitum pudori fuerit, secum facile reputaret. Postremo ipsum Senatusconsultum per partes exposui, notis, ut plurimum, ad rem Grammaticam pertinentibus: præcipua enim in eo legendo tyronibus difficultas oritur ex orthographia. Quæ omnia an ex sententia successerint, tuum, Lector benevole, judicium esto: immo, quando aliter fieri non potest, nec malevolorum refugio; dum ne ante decernant, quam ab ovo usque ad mala, ut vetus habet proverbium, & meum propositum, & rationem rerum tractandarum cognoverint. Vale Neap. Kal. Nov. MDCCXXVII.*

T. LIVII PATAVINI DE BACCHANALIBUS VERBA

Ex Decadis IV. *libro* IX.


Nsequens annus Sp. Postumium Albinum, & Q. Marcium Philippum Coss. ab exercitu, bellorumque & provinciarum cura ad intestinæ conjurationis vindictam avertit: *& inferius*: Coss. ambobus quæstio de clandestinis conjurationibus decreta est:
❧ GRÆCUS ignobilis in Etruriam primum venit, I.
nulla cum arte earum, quas multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditissima omnium gens invexit: sacrificulus, & vates: nec is qui aperta religione propalam, & quæstum, & disciplinam profitendo, animos errore * imbueret, sed occultorum antistes sacrorum. Initia erant, quæ primo paucis tradita sunt; deinde vulgari cœpta per
viros mulieresque: ❧ ADDITÆ voluptates religioni vini, & e- II.
pularum, quo plurium animi illicerentur. quum vinum animos, & nox, & misti feminis mares, ætatis teneræ majoribus, discrimen omne pudoris extinxissent; corruptelæ primum omnis generis fieri cœptæ, quum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet: Nec unum genus noxæ, stupra promiscua ingenuorum feminarumque erant; sed falsi testes, falsa signa, testimoniaque, & indicia ex eadem officina exibant: Venena indidem, intestinæque cædes: ita ut ne corpora quidem interdum ad sepulturam extarent. multa dolo, pleraque per vim
audebantur. Occulebat vim, quod ❧ PRÆ ululatibus, tympa- III.
norumque, & cymbalorum strepitu nulla vox quiritantium inter stupra & cædes exaudiri poterat. Hujus mali labes ex Etruria Romam, veluti contagione morbi, penetravit: primo urbis magnitudo capacior, patientiorque talium malorum ea celavit: tandem indicium hoc maxime modo ad Postumium Consulem pervenit: P. Æbutius, cujus pater publico equo stipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis deinde tutoribus, sub tutela Duroniæ matris, & vitrici T. Sempronii Rutili educatus fuerat: & mater dedita viro erat: & vitricus, quia tutelam ita gesserat, ut rationem reddere non posset, aut tolli pupillum, aut obnoxium sibi vinculo aliquo fieri cupiebat. via una corruptelæ Bacchanalia erant. Mater adolescentulum appellat, se pro ægroto vovisse, ubi primum convaluisset, Bacchis eum se initiaturam. damnatam voti Deum benignitate exsolvere id velle. X. dierum castimonia opus esse: decimo die cœnatum, deinde pure lautum in sacrarium dedu-
cturam. ❧ SCORTUM nobile libertina Hispala Fecenia, non V.
digna quæstu, cui ancillula assueverat, etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur; huic consuetudo juxta vicinitatem cum Æbutio fuit, minime adolescentis aut rei, aut

* alii legunt *horrore*, sed perperam.

famæ damnosa . ultro enim amatus , appetitusque erat ; & maligne omnia præbentibus suis , meretriculæ munificentia sustinebatur. quin eo processerat , consuetudine capta , ut post patroni mortem, quia in nullius manu erat , tutore a tribunis , & prætore petito , quum testamentum faceret , unum Æbutium institueret heredem . Hæc amoris pignora quum essent , nec quicquam secretum alter ab altero haberent , per jocum adolescens vetat eam mirari , si per aliquot noctes secubuisset . Religionis se causa , ut voto pro valetudine sua facto liberetur , Bacchis initiari velle . Id ubi mulier audivit , perturbata , Dii meliora , inquit . mori & sibi , & illi satius esse , quam id faceret . & in caput eorum detestari minas , periculaque , qui id suasissent . Admiratus quum verba , tum perturbationem tantam adolescens , parcere execrationibus jubet ; matrem id sibi , assentiente vitrico , imperasse . Vitricus ergo , inquit , tuus (matrem enim insimulare forsitan fas non sit) pudicitiam , famam , spem , vitamque tuam perditum ire hoc facto properat ? Eo magis mirabundo , quærentique quid rei esset,

V. PACEM veniamque precata Deorum Dearumque , si coacta caritate ejus , silenda enuntiasset ; ancillam se ait , dominæ comitem , id sacrarium intrasse , liberam nunquam eo accessisse : scire corruptelarum omnis generis eam officinam esse ; & jam biennio constare neminem initiatum ibi majorem annis XX. Ut quisque introductus sit , velut victimam tradi sacerdotibus . eos deducere in locum , qui circumsonet ululatibus, cantuque symphoniæ , & cymbalorum , & tympanorum pulsu , ne vox quiritantis , quum per vim stuprum inferatur , exaudiri possit . Orare deinde atque obsecrare , ut eam rem quocunque discuteret modo , nec se eo præcipitaret , ubi omnia infanda patienda primum , deinde facienda essent : neque ante dimisit eum , quam fidem dedit adolescens , ab his sacris se temperaturum . Posteaquam domum venit , & mater mentionem intulit , quid eo die , quid deinceps ceteris , quæ ad sacra pertinerent , faciendum esset , negat eorum se quicquam facturum , nec initiari sibi in animo esse . Aderat sermoni vitricus. Confestim mulier exclamat : Hispalæ concubitu carere eum decem noctes non posse : illius excetræ delinimentis & venenis imbutum, nec parentis , nec vitrici , nec Deorum verecundiam habere ; jurgantes hinc mater , hinc vitricus cum quatuor eum servis domo exegerunt . Adolescens inde ad Æbutiam se amitam contulit , causamque ei , cur esset a matre ejectus , narravit ; deinde ex auctoritate ejus postero die ad Cos. Postumium , arbitris remotis , rem detulit . Consul , post diem tertium ad se jussum redire , dimisit . Ipse Sulpiciam , gravem feminam , socrum suam percunctatus est , ecquam anum Æbutiam ex Aventino nosset : quum ea nosse probam , & antiqui moris feminam respondisset ; opus esse sibi ea conventa dixit ; mitteret nuntium ad eam ut veniret . Æbutia accita ad Sulpiciam venit : & Consul paulo post , velut forte intervenisset , sermonem de Æbutio fratris ejus filio infert . Lacrimæ mulieri obortæ , & miserari casum adolescentis cœpit , qui spoliatus fortunis a quibus minime oporteret , apud se tunc esset , ejectus a matre , quod probus adolescens (Dii propitii essent) obscœnis , ut fama esset , sacris initiari nollet . Satis de Æbutio exploratum ratus Consul , non vanum auctorem esse, dimissa Æbutia, socrum rogat ut Hispalam indidem ex Aventino libertinam, non ignotam viciniæ, arcesseret ad sese: eam quoque esse, quæ percunctari vellet. Ad cujus nuntium perturbata Hispala , quod ad tam nobilem & gravem feminam ignara causæ arcesseretur ; posteaquam licto-

res in vestibulo , turbamque consularem , & Consulem ipsum con-
spexit , prope exanimata est . In interiorem partem ædium abdu-
ctam , socru adhibita , Consul , si vera dicere inducere in ani-
mum posset , negat perturbari debere : fidem vel a Sulpicia , tali
femina , vel ab se acciperet : ✤ EXPROMERET sibi quæ in luco VI.
Similæ Bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri . Hoc ubi au-
divit , tantus pavor tremorque omnium membrorum mulierem ce-
pit , ut diu hiscere non posset . tandem confirmata , puellam ad-
modum se ancillam initiatam cum domina ait . aliquot annis , ex
quo manumissa sit , nihil quid ibi fiat , scire . Jam idipsum Con-
sul laudare , quod initiatam se non inficiaretur . Sed & cetera ea-
dem fide exprimeret . Neganti ultra quicquam scire , non ean-
dem , dicere , si coarguatur ab alio , ac per se fatenti veniam aut
gratiam fore : eum sibi omnia exposuisse , qui ab illa audisset .
Mulier haud dubie , id quod erat , Æbutium indicem arcani ra-
ta esse , ad pedes Sulpiciæ procidit ; & eam primo orare cœpit ,
ne mulieris libertinæ cum amatore sermonem in rem , non seriam
modo , sed capitalem etiam verti vellet . Se terrendi ejus causa ,
non quod sciret quicquam , ea locutam esse . Hic Postumius ac-
census ira , tum quoque , ait , eam cum Æbutio se amatore ca-
villari credere , non in domo gravissimæ feminæ , & cum Consu-
le loqui : & Sulpicia attollere paventem , simul illam adhortari ,
simul iram generi lenire . Tandem confirmata , multum incusata
perfidia Æbutii , qui optimi in eo ipso meriti talem gratiam re-
tulisset ; magnum sibi metum Deorum , quorum occulta initia e-
nunciaret , majorem multo dixit hominum esse , qui se indicem
manibus suis discerpturi essent . Itaque hoc se Sulpiciam , hoc Con-
sulem orare, ut se extra Italiam aliquo amandarent, ubi reliquum
vitæ degere tuto posset . Bono animo esse jubere eam Consul , &
sibi curæ fore dicere , ut Romæ tuto habitaret . ✤ Tum His- VII.
pala originem sacrorum expromit . Primo sacrarium id feminarum
fuisse , nec quemquam virum eo admitti solitum . tres in anno sta-
tos dies habuisse , quibus interdiu Bacchis initiarentur . Sacerdo-
tes invicem matronas creari solitas. ✤ Pacullam Miniam Cam- VIII.
panam sacerdotem omnia tanquam Deum monitu immutasse : nam
& viros eam primum suos filios initiasse , Minium , & Heren-
nium Cerrinios , & nocturnum sacrum ex diurno , & pro tribus
in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse . ex
quo in promiscuo sacra sint , & permisti viri feminis , & noctis
licentia accesserit , nihil ibi facinoris , nihil flagitii prætermissum.
✤ PLURA virorum inter sese , quam feminarum esse stupra . Si IX.
qui minus patientes dedecoris sint , & pigriores ad facinus , pro
victimis immolari : nihil nefas ducere . ✤ Hanc summam in- X.
ter eos religionem esse . viros velut mente capta cum jactatione
fanatica corporis vaticinari , ✤ MATRONAS Baccharum habitu XI.
crinibus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tyberim , de-
missasque in aquam faces , quia vivum sulphur cum calce insit ,
integra flamma efferre . Raptos a Diis homines dici , quos ma-
chinæ illigatos ex conspectu in abditos specus abripiant . eos
esse qui aut conjurare , aut sociari facinoribus , aut stuprum pa-
ti noluerint . Multitudinem ingentem , alterum jam prope
populum esse : in his nobiles quosdam viros , feminasque . Bien-
nio proximo institutum esse , ne quis major XX. annis initiare-
tur . Captari ætates & erroris , & stupri patientes . Peracto in-
dicio , advoluta rursus genibus , preces easdem , ut se ablega-

ret, repetivit. Conſul rogat ſocrum, ut aliquam partem ædium vacuam faceret, quo Hiſpala immigraret. Cœnaculum ſuper ædes datum eſt, ſcalis ferentibus in publicum obſeratis, aditu in ædes verſo: res omnes Feceniæ extemplo translatæ, & familia arceſſita. &
XII. Æbutius migrare ad Conſulis clientem juſſus. ❦ ITA quum indices ambo in poteſtate eſſent, rem ad Senatum Poſtumius defert. Omnibus ordine expoſitis, quæ delata primo, quæ deinde ab ſe inquiſita forent, patres pavor ingens cepit; quum publico nomine, ne quid eæ conjurationes cœtuſque nocturni fraudis occultæ, aut periculi importarent; tum privatim ſuorum quiſque vicem, ne quis
XIII. affinis ei noxæ eſſet. ❦ CENSUIT autem Senatus, gratias Con-
XIV. ſuli agendas, quod eam rem, & cum ſingulari cura, & *ſine ullo tumultu* inveſtigaſſet. ❦ QUÆSTIONEM deinde de Bacchanalibus ſacriſque nocturnis extra ordinem Conſulibus mandat. Indicibus
XV. Æbutio, ac Feceniæ ne fraudi ea res ſit, curare, & alios ❦ INDICES præmiis invitare jubet. Sacerdotes eorum ſacrorum, ſeu viri, ſeu feminæ eſſent, non Romæ modo, ſed per omnia fora, & conciliabula conquiri, ut in Conſulum poteſtate eſſent: Edici præterea in urbe Roma, & per totam Italiam edicta mitti, *ne quis, qui Bacchis initiatus eſſet, coiſſe, aut conveniſſe cauſa ſacrorum velit,*
XVI. *neu quid talis rei divinæ feciſſe*. ❦ ANTE omnia ut quæſtio de his habeatur, qui coierint, conjuraverintve, quo ſtuprum, flagitium-
XVII. ve inferretur. Hæc Senatus decrevit. ❦ CONSULES Ædilibus curulibus imperarunt, ut ſacerdotes ejus ſacri omnes conquirerent, comprehenſoſque libero conclavi ad quæſtionem ſervarent. ❦
XVIII. ÆDILES plebis videre, ne qua ſacra in operto fierent. ❦ TRI-
XIX. UMVIRIS capitalib. mandatum eſt, ut vigilias diſponerent per urbem, ſervarentque, ne qui nocturni cœtus fierent; utque ab in-
XX. cendiis caveretur ❦ ADIUTORES triumviris quinqueviri uti cis Tyberim ſuæ quiſque regionis ædificiis præeſſent. Ad hæc officia di-
XXI. miſſis magiſtratibus ❦ CONSULES in roſtra aſcenderunt, & con-
XXII. cione advocata ❦ QUUM ſolemne carmen precationis, quod præfari priuſquam populum alloquantur magiſtratus ſolent, peregiſſet Conſul, ita cœpit. Nulli unquam concioni, Quirites, tam non ſolum apta, ſed etiam neceſſaria hæc ſolemnis Deorum compreca-
XXIII. tio fuit, quæ vos admoneret; ❦ HOS eſſe Deos, quos colere, venerari, precarique majores veſtri inſtituiſſent; non illos qui pravis & externis religionibus captas mentes, velut furialibus ſtimulis, ad omne ſcelus & ad omnem libidinem agerent. Equidem nec quid taceam, nec quatenus proloquar, invenio. Si aliquid ignorabitis, ne locum negligentiæ dem; ſi omnia nudavero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor. Quidquid dixero, minus quam pro atrocitate, & magnitudine rei dictum ſcitote eſſe. ut ad cavendum ſatis ſit, dabitur opera a nobis. Bacchanalia tota jampridem Italia, & nunc per urbem etiam multis locis eſſe, non fama modo accepiſſe vos, ſed crepitibus etiam, ululatibuſque nocturnis, qui perſonant tota urbe certum habeo; ceterum, quæ ea res ſit, ignorare: alios Deorum aliquem cultum, alios conceſſum ludum & laſciviam eſſe, credere; & qualecumque ſit, ad paucos pertinere. Quod ad multitudinem eorum attinet, ſi dixero multa millia hominum eſſe, illico neceſſe eſt exterreamini; niſi adjunxero, qui, qualeſque ſint. Primum igitur mulierum magna pars eſt, & is fons mali hujuſce fuit. Deinde ſimillimi feminis mares ſtuprati, & conſtupratores, fanatici vigiles, vino, ſtrepi-
XXIV. tibus, clamoribuſque nocturnis attoniti. ❦ NULLAS adhuc vi-

res conjuratio, ceterum incrementum ingens virium habet, quod in dies plures fiunt. ❧ MAJORES vestri ne vos quidem, nisi quum aut vexillo in arce posito comitiorum caussa exercitus editus * esset, aut plebi concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, forte temere coire voluerunt; & ubicumque multitudo esset, ibi & legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse. Quales primum nocturnos cœtus, deinde promiscuos mulierum ac virorum esse creditis? Si quibus ætatibus initientur mares sciatis, non misereat vos eorum solum, sed etiam pudeat. ❧ HOC sacramento initiatos juvenes milites faciendos censetis, Quirites? iis, ex obscœno sacrario deductis, arma committenda? hi, cooperti stupris, suis, alienisque, pro pudicitia conjugum ac liberorum vestrorum ferro decernent? Minus tamen esset, si flagitiis tantum effeminati forent (ipsorum id magna ex parte dedecus erat) a facinoribus manus, mentem a fraudibus abstinuissent. Nunquam tantum malum in republica fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens: quidquid his annis libidine, quidquid fraude, quidquid scelere peccatum est, ex illo uno sacrario scitote ortum esse. nec dum omnia, in quæ conjuraverunt, edita facinora habent: adhuc privatis noxiis, quia nondum ad remp. opprimendam satis virium est, conjuratio sese impia tenet. crescit & serpit quotidie malum: jam majus est, quam ut capere id privata fortuna possit: ad summam reip. spectat. Nisi præcaveritis *, Quirites, jam huic diurnæ, legitime ab consule vocatæ, par nocturna concio esse poterit. Nunc illi vos singuli universos concionantes timent ❧ JAM, ubi vos dilapsi domos & in rura vestra eritis, illi coierint, consultabunt de sua salute simul, ac vestra pernicie: tum singulis vobis universi timendi erunt. Optare igitur unusquisque vestrum debet, ut bona mens suis omnibus fuerit. Si quem libido, si furor in illum gurgitem abripuit, illorum eum, cum quibus in omne flagitium, & facinus conjuravit, non suum judicet. Ne quis etiam errore labatur, vestrum quoque non sum securus. ❧ NIHIL enim in speciem fallacius est, quam prava religio. Ubi Deorum numen prætenditur sceleribus, subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini juris aliquid immistum violemus. ❧ HAC vos religione innumerabilia decreta pontificum, senatusconsulta, aruspicum denique responsa liberant. Quoties hoc patrum avorumque ætate negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent? sacrificulos, vatesque foro, circo, urbe prohiberent? Vaticinos libros conquirerent, comburerentque: ❧ OMNEM disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano abolerent? Judicabant enim prudentissimi viri omnis divini humanique juris, nihil æque dissolvendæ religionis esse, quam ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur. Hæc vobis prædicenda ratus sum, ne qua superstitio agitaret animos vestros, quum *demolientes nos Bacchanalia*, discutientes nefarios cœtus cerneretis. Omnia Diis propitiis, volentibusque ea faciemus. qui, quia suum numen sceleribus, libidinibusque contaminari indigne ferebant, ex occultis ea tenebris in lucem extraxerunt; nec patefieri, ut impunita essent, sed ut vindicarentur, & opprimerentur, voluerunt. Senatus quæstionem extra ordinem de ea re mihi, collegæque meo mandavit; nos quæ ipsis nobis agenda sunt impigre exequemur: vigiliarum nocturna-

Margin: XXV. (beside "in dies plures fiunt . MAJORES"), XXVI. (beside "HOC sacramento"), XXVII. (beside "JAM"), XXVIII. (beside "NIHIL"), XXIX. (beside "HAC"), XXX. (beside "OMNEM")

* al. legunt *eductus*. * al. *præcavetis*.

rum curam per urbem minoribus magistratibus mandavimus. Vos
quoque æquum est, quæ vestra munia sunt, quo quisque loco positus erit, quod imperabitur impigre præstare, & dare operam,
XXXI. NE quid fraude noxiorum periculi, ac tumultus oriatur. Recitari deinde senatusconsulta jusserunt, *indicique præmium* proposuerunt; si quis quem ad se deduxisset, nomenve absentis detulisset. qui nominatus profugisset, diem certam se finituros, ad quam, nisi citatus respondisset, absens damnaretur. Si quis eorum, qui tum extra terram Italiam essent, nominaretur, ei laxiorem diem daturos, si venire ad causam dicendam vellet. Edixerunt deinde, ne quis quid fugæ causa vendidisse, neve emisse vellet; ne quis reciperet, celaret, ope ulla juvaret fugientes. Concione dimissa, terror magnus urbe tota fuit; nec mœnibus se tantum urbis, aut finibus Romanis continuit; sed passim per totam Italiam literis hospitum de senatusconsulto, & concione, & edicto consulum acceptis, trepidari cœptum est. Multi ea nocte, quæ diem insecuta est, quo in concione res palam facta est, custodiis circa portas positis, fugientes a Triumviris comprehensi, & reducti sunt; multorum nomina delata; quidam ex iis viri, feminæque mortem sibi consciverunt. Conjurasse supra VII. millia
XXXII. virorum ac mulierum dicebantur. CAPITA autem conjurationis constabat esse, M. & L. Catinios de plebe Romana, & Faliscum L. Opiternium, & Minium Cerrinium Campanum. ab his omnia facinora, & flagitia orta; eos maximos sacerdotes, conditoresque ejus sacri esse. data opera est, ut primo quoque
XXXIII. tempore comprehenderentur. ADDUCTI ad Coss. fassique de se nullam moram judicio fecerunt. Ceterum tanta fuga ex urbe
XXXIV. facta erat, ut quia MULTIS actiones, & res peribant, cogerentur prætores T. Mænius & M. Licinius per Senatum res in diem tricesimum differre, donec quæstiones a Coss. perficerentur. Eadem solitudo, quia Romæ non respondebant, nec inveniebantur, quorum nomina delata erant, coegit Consules circa fora proficisci, ibique quærere, & judicia exercere. Qui tantum initiati erant, & ex carmine sacro, præeunte verba sacerdote, precationes fecerant, in quibus nefanda conjuratio in omne facinus ac libidinem continebatur; nec earum rerum ullam, in quas jurejurando obligati erant, in se, aut alios admiserant, eos in vinculis relinquebant. qui stupris, aut cædibus violati erant, qui falsis testimoniis, signis adulterinis, subjectione testamentorum, fraudibus aliis contaminati, eos capitali pœna afficiebant. plures necati, quam in vincula conjecti sunt. magna vis in utraque
XXXV. causa virorum mulierumque fuit. MULIERES damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in privato animadverterent in eas. Si nemo erat idoneus supplicii exactor,
XXXVI. in publico animadvertebatur. DATUM deinde Coss. negotium est, ut omnia Bacchanalia, Romæ primum, deinde per totam Italiam diruerent: extra quam si qua ibi vetusta ara, aut signum consecratum esset. in reliquum deinde SCto cautum est, ne qua Bacchanalia Romæ, neve in Italia essent. si quis tale sacrum solemne & necessarium duceret, nec sine religione & piaculo se id omittere posse, apud Prætorem urbanum profiteretur; Prætor Senatum consuleret. Si ei permissum esset, QUUM in Senatu
XXXVII. centum non minus essent, ita id sacrum faceret, *dum ne plus quinque* sacrificio interessent; neu qua pecunia communis, neu quis
XXXVIII. magister sacrorum, aut sacerdos esset. ALIUD deinde huic conjunctum, referente Q. Marcio Cos. S. C. factum est, ut de

iis, quos pro indicibus Coss. habuisent, integra res ad Senatum referretur, quum Sp. Postumius quæstionibus perfectis Romam redisset. Minium Cerrinium Campanum Ardeam in vincula mittendum, censuerunt; magistratibusque Ardeatium prædicendum, ut intensiore eum custodia asservarent, non solum ne effugeret, sed ne mortis consciscendæ locum haberet. Sp. Postumius aliquanto post Romam venit: eo referente de P. Æbutii, & Hispalæ Feceniæ præmio, quod eorum opera indicata Bacchanalia essent, S. C. factum est, ut singulis his centena millia æris Quæstores urbani ex ærario darent: ❧ utique Cos. cum Tribunis plebis ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, ut P. Æbutio emerita stipendia essent, ne invitus militaret, neve Censor ei equum publicum assignaret: ❧ utique Feceniæ Hispalæ datio, deminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset: ❧ utique ei ingenuo nubere liceret; neu quid ei, qui eam duxisset, ob id fraudi, ignominiæve esset. utique Consules, Prætoresque, qui nunc essent, quive postea futuri essent, curarent ne quid ei mulieri injuriæ fieret, utique tuto esset. Id Senatum velle, & æquum censere ut ita fieret. Ea omnia lata ad plebem, factaque sunt ex SCto, & de ceterorum indicum impunitate, præmiisque Consulibus permissum est.

XXXIX. XL. XLI.



SENATUSCONSULTI DE BACCHANALIBUS EX T. LIVII VERBIS EXPLICATIO.



CONSULIBUS Sp. Postumio Albino, Q. Marcio Philippo, Anno Urbis DLXVII. ante Christum natum CLXXXVI. quæstio a Senatu mandata est de Bacchanalibus, & clandestinis conjurationibus, sacrisque nocturnis, quæ tunc primum Romæ non incœpta, sed detecta sunt. Jamdiu enim ea GRÆCUS quidam, adeo IGNO-
I BILIS, ut ejus nomen a Livio fuerit ignoratum, in Etruriam invexerat; unde Romam. Suspicabar aliquando, hominem ex Magna nostra Græcia originem duxisse; ut ibi potissimum publice figendum fuerit Senatusconsultum, unde prima fluxerat mali contages. Sed quo minus huic sententiæ acquiescam, vetat *Clemens Alexandrinus* (*a*), qui diserte inquit: Καβείρους δὲ τοὺς Κορύβαντας καλοῦντες, καὶ τελετὴν Καβειρικὴν καταγγέλλουσιν. αὐτὼ γὰρ δὴ τούτω τὼ ἀδελφοκτόνω, τὴν κίστην ἀνελομένω, ἐν ᾗ τὸ τοῦ Διονύσου αἰδοῖον ἀπέκειτο εἰς Τυρρηνίαν κατήγαγον. *Cabeiros autem dum Corybantas appellant, mortem quoque Cabiricam annunciant. Hi enim duo fratricidæ quum cistam sustulissent, in qua repositum erat pudendum Dionysi, eam vexerunt in Etruriam.* A Græcis igitur transmarinis, sive Lydis, sive Phrygibus Corybantibus fœdissimæ superstitionis initium.

Quid si Etruriam Campaniam nostram intelligamus, ab Oscis habitatam, origine Tyrrhenis, neque admodum a Magna Græcia dissitam? Polybius enim (*b*) memoriæ prodidit, a Tyrrhenis (qui Tusci, & Etrusci a Romanis nuncupati sunt) campos circa Nolam, & Capuam, Phlegræos dictos, quondam possessos esse. Nolam ipsam, & Capuam a Tuscis conditas tradit Vellejus (*c*). Puteolos quoque Tyrrhenorum civitatem vocari a Pausania, inquit Theodorus Ryckius (*d*): sed nihil aliud in Pausaniæ *Messeniacis* invenio, circa finem, quam Puteolanos esse maris Tyrrheni accolas, quod nemo negaverit. Quo minus tamen sub Tyrrhenorum ditione eos fuisse affirmem, facit Dionysius, qui scribit (*e*), Etruscos, qui circa Jonium sinum habitabant, a Gallis expulsos, Olympiade sexagesimaquarta, Cumas, Græcam urbem in Opicis, irrito conatu evertere aggressos: suppetias enim cognatis Etruscis opportune tulissent proximi Cumis Puteolani: quod scribere historicus non omisisset.

a *in protreptico pag.* 12. b *lib.* II. c *lib.* I. *cap.* VII. *Plutarch. in Annibale*, *Strab. lib.* V. d *dissert. de prim. Italiæ colonis*. e *lib.* VII.

A Præterea fuere Lacones origine Phœnices, & Hebræorum cognati, ut peculiari Dissertatione ostendit *Stephanus Morinus* (*a*), & ex libris Macchabæorum satis constat (*b*). Phœnices vero inter præcipuos Bacchi & Cereris cultores (*c*) numerantur: immo & ipsi Hebræi, qui Gentium aliquando ritu Priapo, sub nomine *Miphlezeth*, rem divinam fecere (*d*) sive *Beelphegor*, uti ad Oseam (*e*) Divus Hieronymus adnotavit, apud *Eliam Schedium* (*f*): licet alii de Astarte, alii de Mithra exponant. Certe de cultu, quem Judæi Baccho exhibere putabantur, plura in *Symposiacis* scripsit Plutarchus (*g*). Laconum in Italia co-
B loni plurimi fuere, etiam ante Trojæ excidium (*h*). *Saturnus*, inquit Firmicus (*i*), *regno timens devorat filios. Hic, Creta fugiens, in Italia a Spartanis absconditur*. Justinus *lib.*XX. *cap.* I. *Quid Tarentini? quos Lacedæmone profectos, spuriosque vocatos accepimus*: cujus appellationis rationem pluribus narrat Strabo (*k*): De Tarento item Hesychius: Τάρας, πόλις Ἰταλίας. ἀπὸ Τάραντος, τοῦ Ποσειδῶνος. ἔστι δὲ Λακώνων ἀποικος. *Tarentum urbs Italiæ a Neptuni filio, cui nomen Taras. Est autem Laconum colonia*. De Crotoniatis, & Locrensibus Epizephyriis Pausa-
C nias in Laconicis: Καὶ ἀποικίαν τε ἐς Ἰταλίαν Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰς Κρότωνα ἔστειλαν, καὶ ἀποικίαν ἐς Λοκροὺς, τοὺς πρὸς ἄκρᾳ Ζεφυρίῳ. *Et Crotona in Italiam Lacedæmonii coloniam deduxerunt, & alteram Locros ad Zephyrium Promontorium*. Hinc, ad ostentandam Laconicam originem, pro Græcorum K Phœnicium Ϙ Koph Crotoniatæ in nummis usurparunt, ϘΡΟ, ut in nonnullis Cæsaææ gazæ cernere licet, & doctissimus Spreanhemius (*l*) adnotavit. Quod facit, ut facile mihi persuadeam, eadem forma allatum esse e Phœnicia a Cadmo, & Græcis cum aliis literis traditum.
D Cum Laconibus diu versati Tyrrheni Taygetum montem, & loca circa Tænarum, coloniamque Lacedæmoniorum Lemnum habitarunt. Thucydides (*m*): τῆς δὲ Λῆμνόν ποτε καὶ Ἀθήνας Τυρσηνῶν οἰκησάντων. *Ex illis Tyrrhenis, qui Lemnum, & Athenas quondam incoluerunt*. Immo utramque insulam & Lemnum, & Imbrum (teste (*n*) Plutarcho), ubi sacra Samothracia, sive Cabeirica maximo in honore sunt habita, ut dicetur infe-

a Quidquid contra dicat Jan. Parrhasius *ad lib.* III. *Claud. de raptu Proserp.* citatus a Dempstero *lib.* IV. *Etruriæ Reg. cap.*CII., nam mihi non est ad manus. b *lib.*
E I.*cap.*XII. c *Meuris. Lacon. lib.* II. *c.*XIII. d I.*Reg.cap.* XV.13. e *cap.*XIX. f *De Diis Germanis cap.*IV. g *lib.* IV.*q.*5. h *Dionys.lib.*II., *Plutarch. in Numa*. i *de errore profanar. Relig.* k *lib.*VI.*pag.*278., *Heraclid.de Politiis* περὶ λακεδαιμονίων *in fine*. l *de usu, & præstantia diss.*II. m *lib.*IV. n *quæst.Græc.*XXI., *& de virt.mulier.c.*VIII.

serius: quo factum proculdubio est ut Phoenicum Ægyptiorumque religiones, ac præcipue Bacchi cultum Tyrrheni addiscerent; a quibus tandem Bacchanalia, Dionysia, Corybantiaca, sive quocumque tandem appelles nomine, fœda illa mysteria Etruscis Campanis tradita sunt, unde ad Romanos; qui omnes sacrificandi ritus, ceremonias, haruspicinam ab Etruscis, &, quod magis ad rem facit, ab Oscis (*a*) didicerunt. Ad hæc, Romæ prima Bacchanaliorum antistes Paculla Minia Campana, ut diserte inquit Livius. Nil igitur vetat dicere, ex Etruria Cistiberina ea sacra Romam penetrasse. Quod si Etrusci Umbris finitimi eadem sibi vindicent, per nos quidem licebit. Et sane nullibi gentium frequentiora Bacchantium monimenta videas; uti ex elucubratissimis Additamentis ad *Dempsteri Etruriam Regalem*, itemque ex libro Inscriptionum *Etruriæ*, quem nuper edidit Clar. vir Antonius Franciscus Gorius, liquido constat.

A Corybantibus, & Cabiris inquit *Clemens Alexandrinus* fuisse hujusmodi sacra Italiæ tradita. De Cabiris itaque, & Corybantibus operæ pretium erit aliquandiu disserere; tametsi rem densissimis involutam tenebris, ipsisque veteribus non satis perspectam video. Corybantas dictos quidam putant a Corybanto, Jasii, vel Jasionis & Idææ filio, qui simul cum Dardano ejus fratre sacra Matris Deum e Thracia in Phrygiam detulit, teste Diodoro. Hunc Jasionem Marcianus Heracleota in Periegesi (apud Lucam Holstenium *in notis & castigationibus ad Stephani Gentilia, in voce* Σαμοθράκη) fulmine ictum & extinctum scribit:

Ων τὸν μὲν Ιασίωνα συμβέβημά τι
Πράξαι περὶ Δήμητρος λέγουσ' ἄγαλμα, καὶ
Πληγῇ κεραυνωθέντα δαιμονίᾳ κτανεῖν.
Quorum quidem Jasionem piaculum quoddam
Fecisse circa Cereris ajunt simulacrum, &
Ictu fulminis percussum divino obiisse.

Verum alii apud *Clementem Alexandrinum* narrant, non a Dardano, sed ab Eetione quodam tradita fuisse Samothracibus Orgia: alii a Mida Phryge, qui ab Odryso didicerat: alii ex Ægypto in Græciam translata a Melampode, Amythaonis filio: quod & Herodotus tradit (*b*).

Ad Corybantas, in sacris Bacchi & Cybeles, quod attinet, inquit *Hyginus Fab.* CXXXIX. Jovem, recens natum, a Junone sorore futuraque conjuge (*c*) in Cretam insulam fuisse delatum, ne a Saturno patre devoraretur (negat id Jovis periculum *Aristides hymno in Jovem*). Ibi Adamanteam nutricem (Adrastæam, immo Amaltheam ex *Heinsio* corrigit *Th. Munckerus*) puerum in cunis ita ex arbore suspendisse, ut neque cælo, neque terra, neque mari inveniretur; & ne pueri vagitus exaudiretur, impuberes convocasse, eisque clypeola & hastas dedisse, & jussisse eos circum arborem crepare. Hos autem Græce Curetas dictos, aliis Corybantas, & Lares. Didymus, teste Lactantio (*d*), tradidit, Jovem puerum caprino lacte nutritum ab Amalthea, & Melissa, filiabus Melissei Cretensium Regis, qui *primus Diis sacrificavit, & ritus novos, sacrorumque pompam introduxit*. Verum Apollonius *lib.* I. ait, Curetibus traditum fuisse puerum nutriendum, quem Adrastæa, & Idæa, Melissei filiæ,

A lacte capræ Amaltheæ aluerunt. Alibi Lactantius (*a*) Curetas scribit Jovis fuisse filios, quem in Cretæ urbe Gnosso sepelierunt. Alibi Sallustium Philosophum adducit (*b*), Curetas sic dictos autumantem, *quia principes intelligendi divina fuerunt*.

Curetas eosdem fuisse ac Corybantes nonnulli tradiderunt, ut auctor est Servius (*c*). Ipse tamen (*d*) manifeste separat, quum de Jove puero verba faciens, ait: *quem Ops, Saturni uxor, Curetibus, Corybantibus, & Idæis dactylis custodiendum dedit in monte Cretæ*: Scylio nimirum. Stephanus Byzantinus: Σκύλλιον, ὄρος Κρήτης.
B οἱ παροικοῦντες, Σκύλλιοι. Σκύλλιος γὰρ ὁ Ζεὺς αὐτοῦ τιμᾶται, ἔνθα φασὶν ἀποθέσθαι τοὺς Κουρῆτας, μετὰ τῶν Κορυβάντων, τὸν Δία. (sic lego cum magno Salmasio *Exercit. in Solinum* (*e*), vel invitis M. SS. qui habent Σκυλλήτιον ο. κ. ο. π. Σκυλλαῖοι, & in fine μετὰ τῶν Σπαρτιατῶν) *Scyllium mons Cretæ. qui accolunt Scyllii. Scyllius enim Juppiter ibi colitur: ubi ajunt Curetas cum Corybantibus Jovem deposuisse*. Separantur etiam ab Ovidio (*f*).

Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes:
C *Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.* (*g*)

Sed apertius Lucianus περὶ ὀρχήσεως: πρῶτον δέ φασι Ῥέαν ἡσθεῖσαν τῇ τέχνῃ, ἐν Φρυγίᾳ μὲν, τοὺς Κορύβαντας, ἐν Κρήτῃ δὲ, τοὺς Κουρῆτας ὀρχεῖσθαι κελεῦσαι. καὶ οὐ τὰ μέτρια ὤνατο τῆς τέχνης αὐτῶν. οἱ γὰρ περιορχούμενοι, διεσώσαντο αὐτῇ τὸν Δία, ὥστε καὶ σῶστρα εἰκότως ἂν ὁ Ζεὺς ὀφείλειν ὁμολογοίη αὐτοῖς, ἐκφυγὼν διὰ τὴν αὐτῶν ὄρχησιν τοὺς πατρῴους ὀδόντας, ἐν ὅπλοις δὲ αὐτῶν ἡ ὄρχησις ἦν, τὰ ξίφη μεταξὺ κροτούντων πρὸς τὰς ἀσπίδας, καὶ πηδώντων ἔνθεόν τι, καὶ πολεμικόν. *Primum autem dicunt, Rheam;*
D *hac arte delectatam, in Phrygia quidem Corybantas, in Creta vero Curetas saltare jussisse. Neque parum ars eorum illi profuit: quippe circumsaltantes servarunt illi Jovem, ita ut ipsis mercedem salutis debere se Juppiter confiteatur; siquidem per saltationem illorum paternos dentes effugit. Saltabant autem armati, & gladios ad scuta collidebant interim, & furibundum, bellicumque quiddam saliebant*. Hinc Curetes chorus Matris Deum audiunt apud Aristidem (*h*): Καὶ τοὺς Κουρήτων χοροὺς περὶ τὴν τοῦ Διὸς μητέρα. Magis separantur a Tzetze in Lycophronem: οἱ μὲν Κουρῆτες Δαναΐδος νύμ-
E φης Κρήασης καὶ Ἀπόλλωνος παῖδες, οἱ δὲ Κορύβαντες Θαλείας καὶ Ἀπόλλωνος. Quantum igitur distat Phrygia a Creta insula, quantum filii Danaes a Thaliæ filiis, tantum Corybantes a Curetibus distant.

Ex Pausania nihil certi eruas: vult enim videri sacris Cereris initiatus, & loquitur per ambages, parum cetera sibi constans, veluti religione, immo magis pudore impeditus: & forte ab Atheniensibus metuebat, qui Diagoram impietatis damnaverant, quod Eleusinia, & Cabirorum
F mysteria publicasset, teste Athenagora (*i*). Cabiros tamen homines fuisse, non obscure innuit in Boeoticis: *Qui vero sint Cabiri* (inquit) *& quo*

a *Voss. lib.* I. *de orig. & progr. Idol. cap.* 18. b *lib.* II. *cap.* XLIX. c Hanc uno partu cum Jove ab Opi editam tradit Ennius apud Lactantium *lib.* I. *cap.* IV. d *lib.* I. *cap.* 22.

a *eod. lib.* I. *de falsa relig. cap.* XI. *Vide eundem de Corybantibus loquentem cap.* 13. b *lib.* I. *cap.* XXI. c *ad* III. *Æneid. v.* 104. d *ad* IV. *Georg. v.* 153. e *pag.* 169. *quam citat Holstenius in not. pag.* 300. f IV. *Fastor. v.* 209. 210. *Vide de Corybantibus, Gallis, Curetibus, & Matre Magna Lucretium lib.* II. *v.* 598. 658. g Curetis sedentis figuram, sinistra clypeolum, dextra sudem gestantis, ex Musæo Cæsareo damus ad calcem operis. h *Aristid. orat. in Smyrnam.* i *In legatione pro Christianis.*

ritu ipsis, & Magnæ Matri sacra fiant, reticenti mihi ab iis hominibus, quos hæc audiendi studium tenet, esto venia. Hoc unum nulla me prohibet religio vel in vulgus efferre, tale fuisse sacrorum initium, cujusmodi a Thebanis traditur. Civitatem enim quondam in hoc loco, & HOMINES *fuisse memorant, qui Cabiri sunt nominati. Eorum uni Prometheo, ejusque filio Ætneo, hospitibus suis, Cererem depositi nescio quid commisisse. Quidquid enim illud fuerit, & quid in ea re fieri contigerit, literis mandare fas mihi non duxi. Initia certe fuere Cabireis Cereris donum. Quo tempore autem Argivorum exercitus, qui sunt Epigoni, idest posteri voce Græca appellati, Thebas expugnarunt, ejectis e sedibus suis Cabireis, intermissa per aliquod tempus initia fuerunt; donec Pelarge, Potnei filia, cum Isthmiade viro suo, mysteriorum ritum restituit: extra fines tamen, in eum locum qui est Alexiares dictus, initia Pelarge transtulit. Quum interea Telondes, & qui reliqui fuerunt de Cabirorum gente, in Cabiream terram rediissent; Pelarge ipsi ex Dodones responso, & alii sunt honores decreti, & ut fœta hostia ei fieret, institutum. Cabirorum religiones qui violassent, inexpiabilis sceleris pœnam effugere non potuisse, certissimis rerum eventis compertum est.* In Phocicis vero, præter alia, hæc habet: *Initia celebrant Amphissenses, quæ Anactum, idest præsidum puerorum appellant. Quinam sint Anactes pueri, variant hominum opiniones. Alii Castores, Curetes alii: qui plus intelligendo se assecutos putant, Cabiros esse censent.* Pergamenorum terram esse Cabiris sacram, inquit in *Atticis*. In *Messeniacis* vero, esse Messene Curetum ædem, in qua cujusvis generis animalia immolabantur.

Julianus Imp. oratione v. Rheæ datos satellites, & custodes, inquit, Corybantas; quos vocat *tria præstantium, secundum Deos, generum subsistentia principia*; inque eorum numerum refert Solem: *Κορύβας μὲν ὁ μέγας ἥλιος, ὁ σύνθρονος τῇ μητρί. Corybas, magnus ille Sol, Deorum matris assessor.*

Strabo lib. x. (*a*) Geographiæ copiose, si quisquam alius, de his disserit: utinam dilucide. Curetas, e Phrygia in Cretam missos a Rhea, dictos putat quasi Jovis curatores, vel quia Jovi ministraverint, vel quia Jovis κουροτροφίαν sint operati. Græcos uno vocabulo Deæ Phrygiæ ministros, & famulos Curetas appellare, quasi alteros Satyros, & Corybantas. Omnia enim Græcis & Phrygibus esse communia in cultu Liberi, & Cereris. Hinc Baccho adfuisse Satyros, quos Curetas nominabant, adolescentes, armisonam quandam cum saltibus agilitatem edentes, proferentesque de Jovis origine fabulam. Scepsii sententia eosdem esse Curetas, & Corybantas, qui in Matris Deum sacrificiis armati saltantes, casti, & pueri sunt assumpti: ideo appellari Corybantes, quia Κορύπτοντες βαίνοιεν, id est *cum saltatione incederent*. Item Curetas, Ætoliam habitantes, longa muliebri stola indutos, & comta cæsarie decoros, in pugna tamen invictos adversus Leonidam se præstitisse. Vero igitur esse simile, armiferam saltationem ab iis inventam: ac propterea ubicumque hujusmodi saltationi juvenes milites darent operam, *Curetas* nuncupatos, uti & tibicines Phrygas χαλκάσπιδας *aere scutatos*. Quædam sacrificia tam apud Græcos, quam apud Barbaros cum afflatu Numinis fieri σὺν ἐνθουσιασμῷ; quædam sine aliqua adspiratione. Item quædam cum musica, quædam sine musica. Itaque cum afflatu, & musica, & choreis fieri Orgia, Bacchanalia, & sacra Liberi, & Apollinis, & Hecates, & Musarum. Curetas, & Corybantas dici Hecates ministros apud Stesimbrotum Thasium. Universos in hoc convenire, quod tradant, esse quosdam spiritibus afflatos, & Bacchicos, inque armorum agitatione tumultuosa, & cum strepitu, & fragore, cymbalisque, ac tympanis, atque tibiis, vociferationibusque stupefacientes, inque ministrorum habitu publica modo quodam sacra facientes, Cereris quidem antistites esse tediferos; Liberi vero asseclas Silenos, Satyros, Bacchas, Lenas, Thyas, Mimallonas, Naidas, Nymphas, Tityros.

Præterea quorumdam sententia eosdem esse Curetas, Corybantas, Cabiros, Idæos Dactylos, Telchinas; aliorum tamen paululum differre. Dæmonas, Deorumque ministros esse Curetas; immo Deos lusores, & saltatores dici. Telchinas in Rhodo novem fuisse, Rheæ comites, qui in Cretam ad Jovis curam adhibiti, unde Curetes. Horum unum Corybantem, sacerdotem, & Pydnæ urbis conditorem. Vulgatum a Prasiis, Corybantas esse Dæmonas, Minervæ, & Solis, vel Saturni filios, vel Jovis & Calliopes; eosdemque esse Cabiros, qui transierunt in Samothraciam, quæ ante Melita. Dictos Cabiros, auctore Stesimbroto Thasio, a Cabiro monte in Berecynthia, regione Phrygiæ. Primos sub Idæ montis radicibus habitatores rem divinam fecisse Matri Deum, cui sacra omnia circa montem extrema. Horum quinque fratres ferrum, & arma fabricasse, habuisseque sorores totidem: nomen itaque factum a dactylis, sive digitis. Ab aliis auctoribus memoriæ proditum esse, Curetas, & Corybantas ab Idæis dactylis prognatos: primumque in Creta genitos viros centum, Idæos Dactylos nuncupatos, a quibus deinceps Curetes novem: rursum horum singulos genuisse decem, ex quo Idæos dactylos nominavere. Quibusdam dici Idæ indigenas, quibusdam inquilinos; omnes magos & incantatores; &, circa Deorum Matrem sedulos, affines Idæ domos tenuisse. Præcipuos inter eos nominari *Salaminum, Damnanæum, Herculem, & Acmonem*. Ex Acusilao Argivo perhibet, Cabeiram & Vulcanum genuisse Camillum: hunc Cabiros tres, e quibus nymphæ Caberides. Ex Pherecyde vero, Apollinem & Rhytiam genuisse Corybantas novem, qui Samothraciam incoluere. Ex Cabeira, Protei filia, & Vulcano natos Cabiros tres, nymphasque totidem, & utrisque templa fuisse dicata, præsertim in Lemno, & Imbro. Eorum tamen nomina mystica esse. Sane Herodotus Vulcani & Cabirorum fana apud Memphim a Cambyse deleta fuisse memorat; & templum esse Corybantium in Hamaxitia ora, juxta Sminthium.

Atqui alii ita animum induxerunt, ut crederent, teste *Munckero ad Hyginum*, Corybantas principio fuisse quinque & viginti, vel, ut aliis placuit, LII. quorum XXXII. ἀριστεροὶ nuncupati, venefici, ceteri δεξιοὶ, qui veneficia dissolvere poterant. Curetes ἡμίθεοι (ut habent veteres Glossæ) δαίμονες, iidemque *Lares, Genii*, Romanis *Indigites*; habenturque numero tres, *Damnanæus, Acmon, & Celmon*, vel Celmis, ut est apud Diomedem Grammaticum *libro* I. Telchinas invidos dæmonas vocat Joh. Tzetzes *chiliad.* XIII. 447. quos inter numerat *Ætæum, Megalesium, Ormenum, Lycum, Menonem, Niconem*. Homines, aspectu solo fascinantes & maleficos alii existimant, inter quos Ovidius (*a*)

a *pag.* 472. 473. *&* 474. *Edit. Paris.* 1620.

a VIII. *Metam. v.* 365.

Phœbeamque Rhodon, & Jalysios Telchinas,
Quorum oculos, ipso vitiantes omnia visu,
Juppiter exosus, fraternis subdidit undis.

Jalysus urbs in Rhodo insula, a Jalyso heroe dicta; unde Rhodii Jalysii dicuntur a Dionys. Geogr. (*a*).

——————— ἄντα δὲ πέζης

Αἰγυπτίης Ῥόδος ἐςὶν Ἰηλυσίων πέδων ἀνδρῶν.

——————— *ex adverso autem oræ*

Ægyptiæ Rhodus est, Jalysiorum hominum.

Telchinas, qui Rhodum tenuerunt, fascinatores, & præstigiatores fuisse memoriæ proditum est. βασκάνους φασὶ καὶ γόητας, inquit Str. *l.* XIV. (*b*) Nomen inditum a Phœnicibus docet Bochartus (*c*), nam *talchus* est incantator, a verbo *lachas*, *incantare*.

Hercul. inter Idæos dactylos recenset etiam Pausan. in Arcad. *Ante Cereris pedes Hercules collocatus est magnitudine cubitali. Hunc Herculem unum de iis fuisse, qui sunt Idæi Dactyli nuncupati, versibus mandavit Onomacritus.* Et in Bœoticis: *In ea, quæ ad mare spectat, Mycalessi parte est Cereris Mycalessiæ fanum. Occludi illud singulis noctibus, & aperiri ab Hercule putant. Herculem vero ipsum de iis unum esse, qui sunt Idæi Dactyli appellati.* Hercules igitur faber ferrarius: dactyli enim Idæi primi ferrum cudere a Deum Matre in Ida monte edocti sunt. Ex eorumdem numero Priapus apud Lucianum περὶ ὀρχήσεως: Βιθυνὸς δὲ μῦθος καὶ ἔτος, οὐ πάνυ τῶν Ἰταλιωτικῶν ἀλλότριος, ὁ τὸν Πρίαπον δαίμονα πολεμιςὴν, τῶν Τιτάνων οἶμαι ἕνα, ἢ τῶν Ἰδαίων δακτύλων, τοῦτο ἔργον πεπονημένον, τὸ ἐνόπλια παιδεύειν, παραλαβόντα παρὰ τῆς Ἥρας τὸν Ἄρη, παῖδα μὲν ἔτι, σκληρὸν δὲ, καὶ πέρα τοῦ μετρίου ἀνδρικὸν, μὴ πρότερον ὁπλομαχεῖν διδάξαι πρὶν τέλειον ὀρχιςὴν ἀπεργάσασθαι. *Neque hæc Bithyna fabula multum ab instituto Italorum abhorret, quæ perhibet Priapum bellatorem dæmonem, unum opinor ex Titanibus, aut Dactylis Idæis, id opus exercentibus, nempe armatæ saltationis ludum, ac meditationem, Martem a Junone acceptum, adhuc puerum, sed durum, ac præter modum virilem, non prius armis depugnare docuisse, quam perfectum saltatorem reddidisset.*

Hos omnes non abs Rhea edoctos artem ferrariam, sed Vulcani stirpe satos, ejusdemque Rheæ propinquos, narrat Eusebius Pamphyli (*d*). Inquit enim, ex Vulcano, quem Damichium dixere Phœnices, genitos fuisse *Misor* & *Sydyc*. Misoris filium *Taautum*, qui Ægyptiis *Thot*, Alexandrinis *Thoyth*, Græcis *Hermes*. Ex Sydyc natos Dioscuros, seu Cabiros, seu Corybantas, seu Samothracas, ἐκ δὲ τοῦ Συδὺκ Διόσκουροι, ἢ Κάβειροι, ἢ Κορύβαντες, ἢ Σαμόθρᾳκες. Inde natum Cælum, qui ex Terra sorore genuit *Saturnum*, *Betylum*, *Dagonem*, sive *Sito*. Ex his *Proserpinam*, & *Minervam*. Certe inter Cabiros Dioscuri etiam ab Aristide reponuntur (*e*); ait enim: μυηθῆναι δὲ ξένων πρώτους Ἡρακλέα καὶ Διοσκούρους, *primos autem hospitum Herculem, ac Dioscuros initiatos fuisse*. Uti inter Deos Magnos Dioscuri, Castor, & Pollux in Inscriptione latina apud *Pitiscum*, in voce *Liberi*, CASTORI ET POLLVCI DIS MAGNIS SVLPITIA Q. SVLPITI F. VOTVM OB FILIVM SALVTI RESTITVTVM. Atqui quando Corybantes, Curetes, Idæi Dactyli, Telchines sunt ex dæmonum genere, vel ἡμίθεοι, Rheæ asseclæ, Jovis nutricii, custodes, magistri, novem, vel decem, iidemque fatidici (*f*); multum a Cabiris differre necesse est; siquidem Cabiros censeas inter Deos Magnos, quorum administer Mercurius, Etrusca lingua *Casmilus* (*g*), quique dicebantur Latinis *Divipotes*, & Samothrace θεοὶ δυνατοί. Scaliger sane (*h*) & Casaubonus (*i*),

a *v.*504.505 b *pag.*653.654. c Cit. a Gulielm. Hill. *com ad Dion.p.*201. d *Præpar.Ev.lib.*1. e *orat.Eleusin.* f *Suid. in* Κουρήτων σῶμα. g *Macr.lib.*VIII.*c.*7. *Varro lib.* VI. *de LL. Serv.ad* XI. *Æneid.* h *ad Varron. de LL.* i *ad Strab.lib.* X.

A Cabiros dictos putant a *Cabir*, quod Hebræa, & Phœnicia lingua *potentem* significat.

De sacris Samothraciis verba faciens Scholiastes Apollonii (*a*) Μυοῦνται δὲ ἐν τῇ Σαμοθρᾴκῃ τοῖς Καβείροις, ὧν Μνασέας φησὶ καὶ τὰ ὀνόματα. Τέσσαρες δ' εἰσὶ τὸν ἀριθμόν· Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος. Ἀξίερος μὲν οὖν ἐςὶν ἡ Δημήτηρ· Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη· Ἀξιόκερσος δὲ ὁ ᾅδης. ὁ δὲ προςιθέμενος τέταρτος κάσμιλος ὁ Ἑρμῆς ἐςὶν ὡς ἱςορεῖ Διονυσόδωρος: *In Samothracia autem initiantur Cabeiris, quorum nomina tradit Mnaseas. Quatuor sunt numero. Axieros, Axiokersa, Axiokersus. Axieros nimirum est Ceres, Axiokersa autem Proserpina,* B *Axiokersos Pluto. Quartusque qui additur Casmilus est Mercurius, ut narrat Dionysidorus* (*b*). Recte igitur quidam existimarunt, nihil aliud in Orphicis carminibus significare Samothraciæ mysteria, quam frugum inventionem & seminum fœcunditatem. Audiamus de iisdem sacris Macrobium (*c*) *Varro* (inquit) *rerum humanarum* II. *Dardanum refert Deos Penates ex Samothracia in Phrygiam, & Æneam ex Phrygia in Italiam detulisse. Qui sint autem Dii Penates, in libro quidem memorato Varro non exprimit. Sed qui diligentius eruunt veritatem, Penates esse dixerunt, per quos* C *penitus spiramus &c.* Et inf. *Cassius vero Hemina dicit, Samothracas Deos, eosdemque Romanorum Penates, proprie dici* Θεοὺς μεγάλους, Θεοὺς χρηςοὺς, Θεοὺς δυνατούς. *Noster hæc sciens,*

Cum sociis, natoq; Penatibus, & magnis Diis (*d*).

Sed & idem Varro *libro* IV. *de Lingua Latina* hæc inquit. *Principes Dei Cælum, & Terra. Hi Dei iidem, qui in Ægypto Serapis & Isis, & St Harpocrates digito significat, qui sunt Taautes, & Astarte apud Phœnicas: ut iidem principes in Latio Saturnus, & Ops. Terra enim, & Cælum, ut Samothracum initia docent, sunt Dei Magni, & hi, quos dixi multis nominibus. Nam neque quas* D *Ambracia* (Samothracia legit Lipsius, & merito (*e*)) *ante portas statuit duas viriles species ahenas, Dei magni; neque, ut vulgus putat, hi Samothraces Dii Castor & Pollux, sed hi mas & femina, & hi, quos augurum libri scriptos habent, sic:* DIVIPOTES, *& sunt pro illeis, qui in Samothracia* δυνατοὶ Θεοί. Aliter Plutarchus in Camillo: *Sunt qui fabulentur, Deos ex Samothracia, quum Trojam conderet, attulisse eo Dardanum, atque sacrasse, sacraque, & ceremonias iis instituisse. Æneam inde, capta Troja, clam sublata servasse, dum in Italia consedit. Qui vero majorem habere se hujus rei notitiam jactant, duo ajunt illic repo-* E *sita dolia esse, apertum alterum, atque inane; alterum plenum, & consignatum; solarum utrumque sanctissimarum harum Virginum* (sc. Vestalium) *permissum oculis.* Dissentit ab utroque Pausanias in Achaicis, *Ilio capto* (inquit) *in divisione prædæ, Eurypilo, Evemonis filio, arca obtigit, in qua inclusum fuerat Liberi patris signum, quod a Vulcano fabricatum putabant, dono vero a Jove Dardano datum. De ea arca duplex sermo proditur. Alii enim ab Ænea, in fugam se conji-* F *ciente, relictam; alii a Cassandra dedita opera abjectam dixere; quum sciret illa, magno Græcorum alicui, qui eam forte substulisset, malo futuram.* Accedunt hæc aliquantulum ad ea, quæ Clemens Alexandrinus tradit, de cista cum Dionysi pudendis in Etruriam a Coribantibus allata, sed mirum quantum illi recedant a Macrobii & Varronis sententia, qui Cabiros *Deos magnos* & *Divipotes* putant. Non enim Bacchus inter Deos Magnos, sed inter homines heroas numeratur a Lu-

a *ad lib.* I. *vers.* 917. b Nomina hæc quatuor Phœnicia esse docet Bochartus *lib.* I. *Chanaan c.* XII. c *Saturn.* III. *cap.* IV. d *Virg.* III. *Æneid.* e *ad* 2. *Annal. Taciti.*

Luciano, quos *Indigetes*, & *adſcriptitios* dicebant Latini. Καὶ ὐδεὶς (ait ille in Jove Tragœdo) ἄνθρωπος πάρεστιν ἐν τῷ συλλόγῳ ἔξω Ἡρακλέους, ϗ Διονύσου, ϗ Γανυμήδους, ϗ Ἀσκληπιοῦ, τῶν παρεγγράπτων τούτων. *Nec homo quiſquam in cœtu adeſt, præter Herculem, Bacchum, Ganymedem, Æſculapium, adſcriptitios iſtos.* Inter adſcriptitios etiam a Tullio, de legibus II. *Divos & ollos qui cæleſtes ſemper habiti, colunto; & ollos, quos endo cælo merita vocaverint, Herculem, Liberum, Caſtorem, Pollucem, Quirinum* (*a*). Inter adſcriptitios, ſed tamen ſelectos, quos perperam cum *Diis Conſentibus* confundit Voſſius (*b*), merito taxatus a Sauberto *de ſacrific. Vet.* Inter bonos etiam genios, mediam habentes naturam, Iſidem & Oſirim ponit Plutarchus (*c*). Neque ſemper inter Deos Magnos Cabiri apud Græcos veteres. Adponam Euſtathii verba ad Dionyſii Periegeſim: Σάμος Θρακία ἥτις Καβείρων εἶχεν ἱερὰ, οἳ ϗ Κορύβαντες ἐλέγοντο. *Samothracia, ubi Cabirorum ſacra, qui & Corybantes.* Item Ἡ δὲ Ἴμβρος Θρακικὴ μὲν

a *Vide Lactantium lib.* I. *cap.* XV. b *De Theolog. Gent. lib.* 9. c *de Iſid. & Oſirid. & lib. de oracul. defect.*

A ἐστὶ νῆσος, ἱερὰ Καβείρων ϗ αὐτή. ὄνομα δὲ δαιμονίων Κάβειροι. *Eſt autem Imbrus Thraciæ inſula, & ipſa Cabiris ſacra. Nomen dæmonibus Cabiri.* Nempe quia Vulcani filii ſunt habiti; & quum Lemni, tum Imbri præcipuum ſtudium ars ferraria. Hinc etiam Cabirorum capita cum malleis cernuntur in nummis Theſſalonicenſium apud Patinum (*a*).

Haud mirum igitur ſi parum in hac re ſibi conſtet inter recentiores *Henricus Kippingius* (*b*): quod cætera vitium eſt ei familiare. Principio enim inter *Indigetes*, & *Semones* ponit *Cabiros* & *Curetas*; *Herculem*, nimirum, *Caſtorem*, *Pollu-*
B *cem*, *Æſculapium*, *Quirinum*, *Ganymedem*. Deinde n. VIII. inquit, eos fuiſſe ex hominum genere, nomenque ex Hebræo fonte ipſis inditum, fortitudinem, & robur ſignificans; immo e Phœnicum lingua, ut placuit Samueli Bocharto, & Joſepho Scaligero. (*c*) Mox tamen affert Venetam Inſcriptionem, ubi diſerte Cabiri ſunt Dioſcuri, iidemque Dii Magni (*d*).

a *Numiſmat. Imp. pag.* 290. 291. b *Antiqu. Roman. lib.* I. *cap.* III. c *Conjectan. ad Varron. de L.L. pag.* & 120. d *apud Gruter. pag.* CCCXIX. I.

ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ	Hoc eſt	*Gajus Gaj F.*
ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΙΕ		*Acharnenſis ſa-*
ΡΕΥΣ ΓΕΝΟΜΕ		*cerdos crea-*
ΝΟΣ ΘΕΩΝ ΜΕ		*tus Deorum ma-*
ΓΑΛΩΝ ΔΙΟΣ		*gnorum Dioſ-*
ΚΟΡΩΝ ΚΑΒΕΙΡΩΝ		*curorum Cabirorum*
ΕΝ ΤΩΙ ΕΠΙ ΔΙΟ		*eo qui fuit Dio-*
ΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΜΕ		*nyſii poſt*
ΤΑ ΛΥΚΙΣΚΟΝ ΑΡ		*Lyciſcum Archon-*
ΧΟΝΤΟΣ ΕΝΙΑΥ		*tis an-*
ΤΩΙ ΙΔΡΙΣΑΤΟ.		*no poſuit*

Quantum vero a Diis Magnis, & Conſentibus diſtent homines, & ſemidei heroes, ſive Dii adſcriptitii, nemo eſt qui neſciat, vel ipſo auctore Kippingio (*a*). Neque tanti facere oportet unam, aut alteram Inſcriptionem, ut caſtra Varronis, Romanorum doctiſſimi, deſerantur (*b*).

Erant (ut obiter hoc moneam) ſacra Samothracia expiatoria, ut enim inquit Plutarchus in *Apophtegmat. Laconic. Antalcidas in Samothrace quum ſacris initiaretur, quærenti ſacrificulo, ecquid in vita flagitii perpetraſſet: ſi quid, ait, tale egi, norunt ipſi Dii.* Plurimumque valere ad arcenda pericula vulgo fuit perſuaſum. Suidas in ἀλλ' εἴ τις ὑμῶν, inquit Ἐν Σαμοθράκῃ ἦσαν τελεταί τινες, ἃς ἐδόκουν τελεῖσθαι πρὸς ἀλεξιφάρμακον κινδύνων τινῶν. ἦν δὲ ἐκεῖσε ϗ τὰ τῶν Κορυβάντων μυστήρια, καὶ τὰ τῆς Ἑκάτης. *In Samothracia fuerunt initia quædam, quæ ad certa pericula propulſanda conferre putabantur. Ibidem & Corybantum myſteria, & Hecates &c.* De purgationibus, & Taurobolio plura inferius.

Nihil igitur certi ex antiquorum ſcriptis eruas de Cabirorum, Curetum, atque Corybantum natura. Nimirum hoc inſitum eſt fabulis vitium, aut raro, aut nunquam ſibi ipſis conſtare. Id modo certum eſt, longe diſtare ſacra Samothracia, & Deos Penates, ab Ænea in Italiam advectos, a ſacris Bacchi, quæ Corybantes Etruſcis tradidere, ut Clemens Alexandrinus *in protreptico* ſcripſit: nam hos Corybantas puros putos fuiſſe homines, Rheæ, & Baccho initiatos, nullus dubito; & ex eorum quidem fanaticorum genere, de quibus Aretæus medicus ſcripſit, libro περὶ χρονίου παθῶν, apud Hieronymum Mercurialem (*c*) in hæc ver-

a *lib.* I. *cap.* I. b Dioſcuros plures, primo, ſecundo, ac tertio Jove natos, narrat Tullius III. *de natur. Deor.* c *Variar. lect. lib.* III. *cap.* XV.

ba: *Sunt qui membra ſibi ipſis amputant, tanquam Diis propriis, & repetentibus gratam rem pia cogitatione facturi. Atque inſania hujuſmodi in opinione dumtaxat collocatur, quum in reliquis temperate, ac prudenter degant. Excitantur vero tibia, animive oblectatione, aut temulentia, aut adſtantium cohortationibus. Manat hujuſcemodi furor a Deorum afflatu. Quod ſi incolumes deſi-*
C *ſtant, bono, & pacato animo ſunt, tanquam Dii initiati: at decolores, macilenti, & præ vulnerum doloribus infirmi longo tempore remanent.* Fere eadem narrantur de Sacerdotibus *Deæ Syriæ ab Apulejo* (*a*). Vates enim ſe ſimulantes, omne genus ſycophantias, indomitamque ac fœdam libidinem exercebant. De ſemper triſtibus etiam, & taciturnis, vulgo jactatum legimus apud Suidam: Βακχῆς τρόπον *in Bacchæ morem*.

Nunc de morte Cabirica, & fratricidis, & quid habeant affine cum Baccho Corybantes, & Cereris myſtæ, diſpiciamus. Ait Clemens Alexandrinus (*b*), Bacchi myſteria eſſe plane inhumana; quem, quum adhuc eſſet puer, armiſono motu Curetibus choream ducentibus, dolo autem ſub-
D euntibus Titanibus, puerilibus quibuſdam ludis deceptum Titanes diſcerpſere: atque eo reſpicere Orphei Thracii illa:

Κῶνος, ϗ ῥόμβος, ϗ παίγνια καμπεσίγυια
Μῆλά τε χρύσια καλὰ παρ' Ἑσπερίδων.
Pinea nux, trochus, & qui flectunt membra, moventque
Ludi, & quæ Heſperides miſerunt aurea mala.

Minervam, quæ Dionyſi cor ſubſtulit, appella-

a *lib.* VIII. *Metam.* b *Protrept.*

tam Palladem, ἀπὸ τοῦ πάλλειν a *vibrando*, seu *torquendo*, eo quod cor vibret, ac torqueat: Titanas, qua lebete, qua veru Bacchi membra coxisse: Jovem eos fulmine prostrasse, & Bacchi membra Apollini sepelienda tradidisse; a quo delata in Parnassum: Corybantas, quum tertium fratrem occidissent, caput mortui, purpura contextum, & coronatum, in clypeo aureo ad radices Olympi montis sepeliisse: Itaque hæc mysteria non esse nisi cædes, & sepulcra: Horum sacerdotes, *Anactotelestas* vocatos, prohibere apium cum totis radicibus in mensa apponere, putantes ex Corybantico sanguine enatum esse apium: Sic mulieres, quum Rheæ sacra faciunt, a mali Punici granorum esu abstinere, existimantes ex guttis sanguinis Dionysi germinasse Punica mala (*a*): Dionysum vocari *Attin*, ut qui sit privatus pudendis: In mysticis cistis fuisse sesamides, pyramides, lanam bene laboratam, libaque multis distincta umbilicis, salis pugillos, draconem orgium Bacchi Bassarei; item mala Punica, corda, ferulas, hederas, placentas, & papavera: In arcanis Themidis esse origanum, lucernam, ensem, pectinem muliebrem, quem honeste, & mystice licebat dicere pudendum muliebre. De Dionyso puero, a Titanibus discerpto, fere eadem habet *Arnobius lib.* v. *Ut occupatus puerilibus ludis, distractus a Titanibus Liber sit; ut ab iisdem membratim sectus, atque in ollulas conjectus, ut coqueretur.* Homeri etiam Scholiastes tradit (*b*) palpitans Dionysi cor παλλομένην τὴν καρδίαν a Minerva Jovi allatum esse (*c*) unde *Pallas* est appellata.

Ut omnia recte intelligantur, a capite arcessenda est Bacchi mythologia. Tres Dionysi a Philostrato memorantur, in vita Apollonii: Thebanus, Indicus, Assyrius. Quinque a Tullio (*d*): Primus e Jove & Proserpina natus, quod confirmat Orpheus. II. Nilo, qui *Nysam* dicitur interemisse. III. Caprio patre, Rex Asiæ, cui fiebant Sabazia sacra. IV. Jove, & Luna genitus, cui sacra Orphica. V. Niso, & Thyone, a quo Trieterides constitutæ putantur. Tres a Diodoro (*e*) ex Græcorum sententia, *quorum*, inquit, *monstra narrationum faciunt, ut difficile sit Bacchi generationem, resque gestas diserte explicare*. Primus, ac vetustissimus natione Indus, qui primus racemos torcularibus pressit; ficus, & alias arbores majorum fructuum coluit, & culturæ modum cum aliis communicavit. Hinc *Lenæus* dictus, quasi torcularius: item *catapogon*, idest barbatus, quod barbam nutrire Indis in more positum sit. Alter Bacchus ex *Jove & Proserpina*, sive *Cerere* natus, primus ad aratra boves junxit, quum manibus hominum prius terra exerceretur; & alia ad agriculturam pertinentia commentus est: quibus beneficiis mortales devincti eum consecrarunt; ac imaginibus cornua addiderunt, ut aratri inventionem indicarent. Tertius Bacchus *Thebanus Bœotius*, ex *Jove & Semele*, Cadmi filia, natus. Hæc quum suasu Junonis zelotypæ, unam ex ejus familiaribus se simulantis, a Jove impetrasset, ut qua specie cum Junone congrediebatur, ad se veniret; tonitru, ac fulmine exanimata abortum fecit. Juppiter infantem, confestim exceptum, femori suo insuit; & post debitum incrementum enixus, Nysam Arabiæ deportavit (*f*). * (Hujus nominis urbes novem recenset Stephanus Byzantinus; & ex septima, quæ est apud Indos, Νυσήϊον *Nisejum* vocat Aristophanes Dionysum *Ranis v.* 217. (*g*)

a *Idem habent Julianus orat.* V. *& Porphyrius de abstin. animal. lib.* IV. b *ad Iliad. A.* 200. c *Vide* Hyginum *Fab.* CLV. *&* CLXI. d *Cic.* III. *de nat. Deor.* e *lib.* III. *cap.* 62. f *Vide* Aristidem *oratione in Bacchum*. g Videsis doctissimum Scholiastem ad *vers.* 218.

Nummos ΝΥΣΑΕΩΝ, cum raptu Proserpinæ, ad Nysam Cariæ pertinere scribit laudatus (*a*) Spanhemius)* quem puerum a Nymphis educatum, Dionysum dixere. Hic fertur primam ætatem choreis, ac thyasis feminarum, ac omne genus voluptatibus, ludisque indulsisse. Postea, coacto mulierum exercitu, quibus pro hasta thyrsus esset, orbem terrarum victoriis peragrasse: ritus & mysteria cum piis tantum communicasse; ludos musicos instituisse; lites gentium diremisse; pacem & concordiam sanxisse. Paucos, qui libidinis caussa mulieres circunduci, & stupra ab illo doceri calumniabantur, pœnas pro meritis dedisse: quorum nobilissimi perhibentur *Pentheus* Græcus, *Myrrhanus* Indorum Rex, & *Lycurgus* Thracius. Hic *Mænadas* noctu invadere, & Bacchum cum universis comitibus trucidare statuerat. Baccho indicium, factum abs *Tharopo* quodam indigena, saluti fuit: clam enim ad exercitum in adversam litoris partem ipse aufugit, relictis Mænadibus, quæ omnes a Lycurgo cæsæ sunt. Victus tandem Lycurgus, regno, & vita exquisitis cruciatuum generibus exutus est: Tharopus regno donatus, & initiorum ritus, sive orgia edoctus. A Tharopo Oeagrus filius regnum, & mysteria accepit; ab Oeagro Orpheus, qui multa pro suo ingenio, ac eruditione in mysteriis immutavit, quæ primus in Græciam induxit (*b*). Inde sacra Orphica nomen habuere. Huc facit illud Pomponii Melæ de Thracia (*c*): *Montes interior attollit Hæmon, & Rhodopem, & Orbelon, sacris Liberi patris, & cœtu Mænadum, Orpheo primum initiante, celebratos*. Hinc in nummis Thraciearum coloniarum Bacchus cernitur cum cantharo, hedera coronatus, & cum racemo, ut laudatus Spanhemius adnotavit (*d*).

Bacchum a *Titanibus* discerptum, & in ollas conjectum commode refert idem Diodorus ad vinum: nam a terræ cultoribus fit vindemia, & vinum decoquitur; deinde Ceres mater, sive tellus vitem, post vindemiam, & putationem, ad pristinum fertilitatis vigorem reducit. *Bimatrem* vero, quod vites primum e terra nascuntur, incrementumque accipiunt; deinde fructum protrudunt, racemosque ad maturitatem perducunt: vel bis e Jove natum dici, quod in Deucalionis diluvio, cum aliis fructibus periisse existimatus, denuo postea regerminaverit. *Semelejum Bacchum* dilaniatum, mortuumque resurrexisse, & in cælum ascendisse, nihil aliud esse inquit *Justinus Martyr dialogo cum Tryphone Judæo*, nisi imitationem quandam prædictionis Jacobi Patriarchæ, a Mose descriptæ: sed nihil tale *cap.* XLIX. *Genes.* reperio.

A Platone in *Cratylo* Dionysus dicitur διδοὺς τὸν οἶνον *vini dator* quasi Διδοίνυσος joco quodam cognominatus. Phurnutus *de natura Deorum* (*e*) ipsum vinum interpretatur Διόνυσον, sive Διόνυξον, quasi aperiat nos; sive διάνυσον, quasi suaviter in nos transeat, jucundeque illabatur; aut δίαλυσον literarum conversione α in ο, & λ in ν. idest quasi nos solvat παρὰ τὸ λύω. Ad vinum etiam refert quæ de duplici Bacchi ortu in fabulis scripta reperiuntur. Juventam, & senectam Baccho convenire, quod vinum omni ætati sit accommodatum; hircum Baccho immolari, quasi vinearum, & ficuum hostem; vel quod ipse Bacchus sit hircus, sive propensus in venerem. Dementiæ, & furoris symbolum esse Satyros, Liberi asseclas, ab oris canino rictu: quod traditum etiam ab Æliano (*f*). Σκιρτοὶ quoque vocati sunt Satyri ἀπὸ τοῦ σκαίρειν a saltando, & tripudiando (*g*); ut Tityri a lasci-

a *Diss.* IV. b *Lactantius lib.* I. *c.* XXII. c *Mela de situ orbis lib.* II. *cap.* 2. d *Dissert.* IV. *de usu, & præstantia veterum.* e *c.* XXX. f *Var. Histor. lib.* III. *cap.* 40. g *Phurnutus cap.* 27.

vis procacibusque saltationibus, & Sileni ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, quod conviciis obvios quosque proscinderent (*a*).

A

Ex Ægyptiorum vero sententia idem Diodorus tradit (*b*) *Solem*, vel, juxta alios, *Vulcanum*, primum in Ægypto regnasse; alterum Saturnum. Ex Saturno, & Rhea sorore natos Osirim, & Isidem, vel, ut alii affirmabant, Jovem & Junonem. Ex his natos quinque, *Osirim*, *Isidem*, *Typhonem*, *Apollinem*, & *Venerem*. Osirim esse Bacchum, qui ducta sorore Cerere, sive Iside, inventisque frugibus, effecit, ne se mutuo homines devorarent. Condidit hic in Ægypto Thebas, sive Diospolim, urbem centum portarum. Profecturus cum exercitu, reliquit Isidi consiliarium *Mercurium*; Herculem vero, genere propinquum, armis præfecit. Commilitones habuit liberos, *Anubim*, canina tectum pelle, *Macedonem* lupina: quamobrem hæ bestiæ religiose ab Ægyptiis colebantur. Vovit cæsariem alere usque dum rediret. Pana adscivit in itinere socium (*c*) & in Æthiopia Satyros, ad saltationem, & tripudia proclives (dicuntur hi Bacchi ministri etiam a Luciano (*d*) οἱ Διονύσου θεράποντες οἱ Σάτυροι). Interemto Lycurgo, Thracum tyranno, Macedonem Macedoniæ Regem dedit, Triptolemo agriculturam in Atticam Regionem demandavit. Defunctum Osirim Isis, & Mercurius divinis honoribus dignaverunt. Ejus interitum sacerdotes olim in arcanis habuere, sed postea in vulgus omnia edita sunt. Nimirum, Osirim, juste in Ægypto regnantem, a Typhone fratre, homine fero ac violento, interfectum, & in XXVI. frusta dissectum esse. Unicuique facinoris socio unum ex iis frustis tributum, ut omnes eodem piaculo innecterentur, essentque in Regni defensione Typhoni adjutores. Ea omnia Isidem reperisse, pudendis solummodo demtis; quod nemo sociorum Typhonis ea recipere voluisset, & in fluvium abjecta essent; quæ nihilominus divinis honoribus affecta sunt, & jussu Isidis ceremoniis sacrificiisque mirum in modum culta. Idcirco Græcos, postquam sacrorum Bacchicorum ritus, & orgiorum solemnitates ab Ægyptiis accepere, membrum id in mysteriis, initiationibus, & sacrificiis, *Phallii* Dei nomine honorasse. Diodorum exscripsit fere Eusebius Pamphyli (*e*).

Plutarchus (*f*) Isidem a scientia nuncupatam dicit; eique inimicum Typhonem fratrem (cui nomen a fastu) quod fastus, & error adversentur sacræ doctrinæ. De Rhea hanc fabulam narrat: eam occulte rem habuisse cum *Saturno*: Solem tunc imprecatum, ut neque in mense, neque in anno pareret: *Mercurium* quoque, amore captum, cum Rhea coiisse; deinde, victorem in ludo cum Luna, eidem ademisse septuagesimam cujusque diei partem; indeque confecisse quinque dies adjectitios præter 360. His natales Deorum festos agi. nam prima die natus est Osiris, auditaque vox, *natum esse Dominum omnium rerum*. Ab hoc, qui Græcis idem ac *Dionysus*, Ægyptii ad meliorem vitæ cultum traducti sunt. Secunda die natus est *Arueris*, quem vocant *Apollinem*, & *Horum seniorem* (aliis *Seth*), filius Solis. Tertia die *Typho*, filius Saturni, natus latere ictu perrupto. Quarta Isis in Panygris, filia Mercurii (vel Promethei) quæ nupsit Osiridi, sive Libero. Ægyptii ex his natum asserebant *Horum* seniorem,

a *Ælianus loc. cit.* b *lib.* I. *cap.* 21. & *lib.* IV. *capp.* 6. & 15. c Idem narrat Aristides *oratione in Bacchum*. d *Lucian.* περὶ ὀρχ. e *lib.* II. *Præpar. Evang.* f *Plutarch. de Iside*, & *Osiride*.

Græci *Apollinem*. Quinta die *Nephtys*, quæ & *Finis*, *Venus*, *Victoria*, Saturni itidem filia, quæ nupsit fratri Typhoni. Isidem exponi, idem Plutarchus perhibet, terram Nilo fœcundatam; sed, juxta Antimachum Euboeensem, & Heraclidem Ponticum, Isidem quidem esse Proserpinam, Serapim vero Plutonem: Osirim, secundum quosdam, esse Dionysum adoptatum a Jove, quod ei suppetias tulisset adversus *Apopim*, Solis fratrem: cum Nephty, Typhonis uxore, per errorem coiisse; indeque natum *Anubim*, a matre expositum metu mariti, ab Iside tamen repertum, canibus indagantibus, ac educatum; unde

B

canino capite fingitur, & custos Deorum, ut sunt canes hominum: Ægyptios Isidem exponere quod supra terram, Nephtym quod infra, Anubim horizontem, & veluti Græcorum Hecatem, numen terrestre simul & cæleste. (Diodorus tamen (*a*) ait, *Anubim* canino capite fingi, quod canis usui sit venationi, & custodiæ, ut fuit Anubis Isidi, & Osiridi; vel quod canes duces fuissent Isidi, Osirim investiganti). Præterea Typhonem, propter Isidis continentiam, nihil fuisse ausum absente Osiride; verum ei redeunti insidias struxisse, adscitis in societatem sceleris LXXII. viris, & conatum adjuvante Asone, Regina Æthiopiæ. Nam

C

corpus Osiridis clam metitus, ad ejus magnitudinem arcam ornatissimam apparavit: instructo deinde convivio, arcam convivarum oculis subjecit, eique pollicitus est se daturum, qui inclusus quantitatem arcæ adæquaret. Quum igitur omnes præ desiderio periculum fecissent, soli Osiridi arca quadravit. Tum conjurati operculum externe clavis, internæ liquido plumbo obfirmarunt, ad Nilum detulerunt, & in mare per Taniticum ostium demiserunt. Re comperta, Isis cincinnorum unum eo loci deposuit, vestemque sumsit lugubrem, ubi urbs condita est, *Coptos* dicta a privatione. Post-

D

quam rescivit, arcam ad Byblum pervenisse, ibi se contulit & ad fontem lacrymans sedit; ancillasque Reginæ allocuta, in eorum crines odorem ambrosiæ spiravit. Accita igitur, & puerulo nutrix data, quem Rex *Malcander* ex *Astarte* Regina susceperat (aliis dicta *Saosis*, *Nemanum*, vel *Minervia*) digitum ei pro mamma in os indebat, noctu mortales corporis partes amburebat. Tandem arcam recuperavit, eamque, profectura ad Horum filium visendum, extra conspectum hominum deposuit. Interea Typho, quum ad Lunam venaretur, incidit forte in arcam, & agnitum cadaver in XIV. partes dissecuit (quod eo pertinere

E

arbitrabantur Ægyptii, quod totidem diebus a plenilunio ad novilunium deficiat Luna, cujus natura per Osirim repræsentatur) quapropter reversa Isis paludes papyraceo lembo pernavigavit, frustaque conquisivit, & reperit; præter solum penem, qui a *squamo*, *phagro*, & *oxyryncho* piscibus erosus fuerat. Itaque ejus loco ligneum *phallum* consecravit, quo deinceps in sacris usi sunt Ægyptii. Hæc habet Diodorus. Alii narrant, Typhonem ab Horo bello captum, ab Iside solutum ac missum fuisse; quamobrem regio eam ornatu spoliavit Horus, indigneque habuit; contra Mercurius galea ex bovis capite exornavit.

F

Sed apud Lucianum legas, cornua Isidis capiti affingi, quod eadem sit Io, jussu Jovis a Mercurio in Ægyptum abducta (*b*). Et ex his satis intelligimus, qui fuerint Corybantes fratricidæ, & quæ mors Cabirica, de quibus allato Clementis Alexandrini loco.

a *Diodor. lib.* I. *cap.* 27. b *dial. Jovis* & *Merc.*

Est etiam in fabulis, Isidem cum Osiride jam mortuo coiisse; indeque natum *Harpocratem* exterricineum, & membris inferioribus debilem; sed præsidem, & correctorem recentis, & imperfectæ hominum de Diis sententiæ. Itaque digitum ori impositum tenere, argumentum taciturnitatis, & silentii. Mense *Mesore* offerentes ei legumina dicebant; *lingua est fortuna, lingua Genius* (*a*).

Ad significandum Isidis luctum, quum alios tetricos ritus ejus sacerdotes exercebant, tum bovem auratum (*Apim*, animatam *Osiridis* imaginem) post solstitium, quum nox incipit fieri longior, nigro byssino amictu per quatriduum continuum ostentabant. A XVII. mensis die quattuor lugebantur. I. *Nilus decrescens*. II. *Septentrionales flatus* ab Austris extingui. III. *Diem* fieri *nocte minorem*. IV. quod a *stirpibus folia deciderent*, & facies terræ nudaretur. Nona mensis die ad mare descendebant cum *sacra cista*, in qua erat *aurea arcula*. In hanc aquam potabilem infundebant, & clamor ab adstantibus tollebatur, quod Osiris esset inventus. Exinde tellurem frugiferam aqua permiscebant; additisque aromatibus, & sumtuosis suffimentis, luniformem imagunculam effingebant, amiciebant, & ornabant, significantes Deos hosce ab ipsis haberi *naturam terræ, & aquæ* (*b*).

Osirim, *Liberum*, *Hammonem*, *Apollinem*, *Solem*, unum idemque esse Numen, contendit Macrobius (*c*). Apollinem dici quum est in hemisphærio diurno, Liberum quum in nocturno: & forte in eorum fuit sententia, qui *Liberum* putarunt esse Siculum nomen τὸ λιβρὸν, idem quod σκοτεινὸν, & filium *noctis*, & *Erebi* (*d*). Sic Venerem dici Lunam quum supera, Proserpinam quum infera. Sane Liberi simulacra partim puerili ætate fingebantur, partim juvenili: unde Tibullus *libro* I. *Eleg.* 3.

Solis æterna est Phœbo, Bacchoque juventas,
Nam decet intonsus crinis utrumque Deum.

Et *Ovid. Metam. libro* IV. *v.* 17.

—— Tibi enim inconsumta juventas,
Tu puer æternus, tu formosissimus ——.

Et I. *de arte vers.* 289.

Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuisti
Cum timuit thyrsos India victa tuos!

Item barbata, ac virili, ac tandem senili specie. Puerili ætate significabatur Sol in hyemali solstitio, ob dierum brevitatem; juvenis accedente vere; vir barbatus circa æstivum solstitium; ac tandem, decrescentibus diebus, videbatur ad senium vergere, & calvus fingebatur; quod autumno arboribus deciderent comæ (*e*). *Phœbum* diserte posuit Virgilius pro Baccho, X. *Æneid. vers.* 315.

Inde Lycam ferit, exemtum jam matre peremta
En tibi, Phœbe, sacrum ——

Nam Libero sacri habebantur quicumque exsecto matris utero nascerentur (*Cæsones* Latinis dicti

a *Plutarchus de Isid. & Osiride*. b *Idem Plutarchus de Iside, & Osiride*. c *Libro* I. *Saturnal. cap.* XVIII. Vide *eundem cap.* XX. & XXI. & *Ulpian. ad Demost. orat. de Corona*. d *Heinsius in Crepundiis Silianis pag.* 4. Sed Hebræam esse vocem, docet Bochartus *Geograph. Sacr. part.* II. *cap.* XXVIII. e *Macrob. lib.* I. *cap.* XVIII.

A (*a*)) ut Bacchus ipse natus perhibetur in fabulis, exsecta matre Semele. Contra Liberum pro Sole, Cererem pro Luna, ut *Georgicorum* I.

—— Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres ——

Ægre tamen ferebant Ægyptii, ut Diodorus ait *in prima historia*, suum *Osirim* a Græcis *Dionysum* haberi, sive *Liberum Thebanum*, Jovis, & Semeles filium: longe enim antiquiorem illum prædicabant, nec immerito. Vossius serio existi- B mat (*b*), Osirim esse *Noachum*, vini inventorem, *natum*, ut ceteri nascuntur homines, *renatum ex Arca* post diluvium (*c*). Quæ sententia jampridem in animo *Johannis Tzetzæ* (*d*) penitus insedit. Inquit enim de *Mercurio*, & *Osiride*

Κατὰ Ινδὲς δὲ διόνυσος, δεῦνος ἢ ἄναξ νύσης
Νῶε μετὰ ἑβραίες ——
Juxta Indos Dionysus, rex atque princeps Nysæ,
Noe vero secundum Hebræos ——

C Nam indi Δεῦνον Regem vocabant, ut ex Etymologico magno adnotavit Maussacus *Dissert. in Harpocration.*

Nec obscure Diodorus ad *diluvium Deucalionis* refert duplicem Bacchi Semelei nativitatem, ut supra dictum est. Ad adumbrandam *Chami* historiam (inquit *Vossius*) qui Noachi patris ebrii verenda vidit, & risit, *phallos* in Osiridis sacris locum sibi vendicasse; vel ad significandum quod Osiris pater haberetur omnium Ægyptiorum. Pluribus præterea argumentis ostendere nititur (*e*) *Cham* esse *Hammonem*, *Mitsraim* Chami filium esse *Osirim*, Thebano Dionysio mille annis poste- D riorem. Sed eundem fuisse reputatum ob sacrorum similitudinem, quæ Orpheus, ab Ægyptiis accepta, transtulit ad Thraces, unde ad Thebanos. Hinc fabula, Orpheum a Bacchantibus discerptum: *Isidem*, Osiridis sororem, & conjugem, appellatam a Græcis *Cererem*, frumenti, hordei, cæterarumque frugum inventricem. Itaque promiscua fuisse sacra Cereris, & Liberi.

Antiquissimus ferebatur Dionysus, Jove & Proserpina natus. *Traditur quoque* (inquit Diodorus in IV.) *& alter multo prior ætate fuisse Dionysus, quem ferunt ex Jove & Proserpina natum, a nonnullis dictum Sabazium; cujus genus, sacra,* E *honores propter pudorem nocturna, occultaque agunt. Hic dicitur propter ingenii acumen primus boves ad jugum junxisse, eorumque opera jacta semina frugem reddidisse, qua ex re illum cum cornibus finxerunt.*

Sane dictus est Bacchus Ταυρόμορφος *Tauriformis*, Ταυρόκεφαλος *Taurino capite*, Ταυροκέρος *Taurinis cornibus*, & ab Orpheo Ταυρομέτωπος, *Taurina fronte*; immo a Lycophrone (*f*) Ταῦρος. Propertius *Eleg.* XVII. *lib.* III.

Quod superest vitæ per te & tua cornua vivam.

F Ovidius *Epist. Laodamiæ vers.* 33.

Ut quas pampinea tetigisse bicorniger hasta
Creditur ——

& *primo de Arte vers.* 232.

a *Plin. lib.* VII. *cap.* IX. b *lib.* I. *cap.* 19. *de orig. Idolol.* c Vide Kippingium *lib.* I. *Antiqu. Roman. cap.* I. d *Chiliad.* V. 26. *vers.* 790. e *lib.* I. *cap.* 30. f *Cassandra vers.* 209. Vide Bochartum *Geograph. Sacr. cap.* XXVIII. *part.* II.

Purpureus Bacchi cornua pressit Amor.

Tibullus *libro* II. *Eleg.* I.

Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat ——

Notissimus est hymnus, quem in Elide mulieres Baccho accinebant, de quo Plutarchus: Ελθεῖν ἥρω Διόνυσε ἅλιον ἐς ναὸν ἁγνὸν, σὺν χαρίτεσσιν ἐς ναὸν τῷ βοέῳ ποδὶ θύων. εἶτα δὶς ἐπᾴδουσιν, Αξιε ταῦρε. *Veni heros Bacche in Sacrum fanum maritimum, cum Gratiis in templum bubulo pede ruens: deinde bis accinunt: digne taure* (*a*). An quia bovigena, & taurus? an quia magnis oculis? an quia *bubulus* pro magno? an quia pes bovis innocuus, cornua damnosa? an quia Deus ille arationis inventor? Forte etiam quia Bacchi, & Apidis sacra eodem ritu peragebantur: vel quia Hammonis filius, auctore Diodoro: vel quia homines fiunt a vino feroces, ut tauri. Athenæus *libr.* II. *cap.* VII. ἀπὸ τοῦ κατὰ μέθην ἢ καταστήματος, καὶ ταύρῳ παρεικάζουσιν τὸν Διόνυσον, καὶ παρδάλει, διὰ τὸ πρὸς βίαν τρεπέσθαι τοὺς ἐξοινωθέντας. *Bacchum porro veteres pro ebriorum statu ac moribus, quoniam ad violentiam temulentos vinum concitat, nunc cum tauro comparant, nunc cum panthera.* Et inferius: Εἰσὶ δ᾽ οἳ καὶ θυμικοὶ γίνονται. τοιοῦτος δ᾽ ὁ ταῦρος. Εὐριπίδης (*b*)

Ταῦροι δ᾽ ὑβρισταὶ κεἰς κέρας θυμούμενοι

διὰ δὲ τὸ μάχιμον, καὶ θηριώδεις ἔνιοι γίνονται. ὅθεν καὶ τὸ παρδαλῶδες. *Sunt enim violenti quidem iracundi. Taurus ejusmodi est. Euripides.*

Tauri vero feroces, & ob iram cornu minaces. Quidam ob pugnacem audaciam efferantur; quod pantherarum naturæ convenit. Bacchum tauriformem fingi putat, quod antiqui cornibus pro poculis usi sunt. Hinc cornigerum dicit Bacchum Nicander *vers.* τῶν *alexipharmacῶn*

Σιληνοὶ κεραοῖο διωνύσοιο τιθηνοί
Sileni, cornuti Bacchi nutritores.

ubi vetus Scholiastes in eandem, quam diximus, sententiam adnotavit: Κεραοῖο, ὅτι οἱ ἀρχαῖοι κέρασιν ἐχρῶντο ἐν τῇ πόσει ἀντὶ τῶν ποτηρίων, ὅθεν καὶ τὸ κεράσαι εἴρηται· ἢ διὰ τὸ ταυρωτικὸν τῶν πινόντων, τουτέστι τὴν ἀπὸ τοῦ οἴνου ἰσχὺν ὡς κέρατα ἐχόντων· ταυρόκερως γὰρ ὁ Διόνυσος. *Cornuti, quod veteres in bibendo cornibus pro poculis utebantur, unde,* κεράσαι, *miscere dicitur: an quod bibentes impetu, ut tauri, feruntur, nempe vim vini ut cornua habentes. Ipse Dionysus tauri cornua habet.* Hujusce moris meminit, & vetus Homeri Scholiastes (*c*): πρὸ τοῦ γὰρ εὑρεθῆναι τὴν τῶν ποτηρίων χρῆσιν, κέρασιν ἔπινον. *Antequam enim poculorum usus esset inventus, in cornibus bibebant.* Sic emendat eximius Spanhemius (*d*) pro εἰς κέρας ἔπινον, quod ait esse etiam a Cupero animadversum. Sic in Etymologico M.S. apud Marquardum Gudium: Κεράσαι· τὸ πάλαι γὰρ κέρατι ἔπινον, ὅθεν καὶ ἡμεῖς τὸ αὐτὸ ποιοῦμεν. *Olim enim in cornibus bibebant, unde & nos idem facimus.* Jure igitur Nonnus Panopolita in Dionysiacis dat Baccho cornu pro poculo.

Λαιῇ κέρας μὲν εἶχε βεβρισμένον ἡδέος οἴνου.
Læva autem manu cornu tenebat onustum dulci vino.

a *quæst. Græc.* XXXV. *pag.* 299. *edit. Francof.* MDCXX.
b *locus est Bacchis vers.* 742. c *ad Iliad.* Θ. *v.* 189.
d *De usu & præstant. vet. numism. dissert.* VII. ubi male excusum, *ad Iliad. N.*

A Hinc Pincernæ Ταῦροι dicti apud Ephesios. Hesychius Ταῦροι, οἱ παρ᾽ Εφεσίοις οἰνοχόοι. Magis tamen illud probandum videtur, Bacchi cornua Solis radios significare (*a*): unde merito *aurea* dicuntur Sidonio Apollinari, *Carm.* XXII. *vers.* 26.

—— *caput aurea rumpunt*
Cornua, & indigenam jaculantur fulminis ignem.

Ipsum Bacchum χρυσόκερων vocat vetus Epigramma (*b*). Item *Horatius lib.* II. *Od.* XIX.

B *Te vidit insons Cerberus aureo*
Cornu decorum ——

Totus tauriformis cultus a Cyzicenis. Athenæus (*c*): Κυζίκῳ δὲ καὶ ταυρόμορφος ἵδρυται. *Cyzici tauriformis etiam statuitur.* Et festum ibi Ταυροχολία. Hesychius: Ταυροχολία ἑορτὴ ἐν Κυζίκῳ. Hinc sacerdos Liberi passim dicitur *Archibuculus*: ut in veteri Inscriptione apud Gruterum *pag.* XXVII. 4.

Tauriformis etiam, præter faciem, Dionysus ille, quem, *Hebona* cognominatum, majores nostri coluere, si Macrobio fides (*d*). Immo omnes
C fere Oscorum Civitates Etruscæ originis, ut Campanorum, Atellanorum, Nolanorum, Puteolanorum, Calenorum, Suessanorum, quod eorum nummi testantur (*e*): insuper & Calatinorum. Vetus lapis Calatiæ, ut accepi a Carolo Marrocco Calatino, viro antiquitatum quondam amantissimo.

ΗΒΩΝΗ, ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ,
ΘΕΩ,
ΤΑΓΜΑ ΚΑΙ ΛΕΩΣ ΚΑΛΑΤΙΝΟΣ

Hoc est

D *Hebonæ præsentissimo*
Deo
Ordo & Populus Calatinus

Neque prætermittendum est, male a Macrobio, citato capite, scribi *Ebona* sine adspiratione, & quasi recto casu dicatur *Ebona*: liquet enim ex nostra Calatina inscriptione, quæ ΗΒΩΝΗ tertio casu habet, rectum esse Ηβώνης, quæ vox adspiranda est, ab Ηβη pupes; quod *pubescens* est humana illa, bovis facies in nummis expressa; & alioquin Bacchus est perpetuo juvenis, ut supra
E ex Tibullo, & Ovidio monuimus. Alii certe Minotaurum significari existimant, propter faciem barbatam; quæ tamen Baccho etiam convenit. Nil igitur mirum, si Bacchum cornutum cernimus etiam in nummis Megarensium in Sicilia; uti & Demetrium Poliorcetem, qui Athenis initiatus est; & in nummis Agyrineorum Bacchum unicornem, quod testatur doctissimus Spanhemius (*f*). Eadem cornua taurina appicta visuntur Cereri, sive Liberæ in nummis Panormi, cujus simulacrum Βούκερων Ægyptii coluere (*g*), uti & Græci: nam galeam Isidi, quæ Ægyptia Ceres est, e bovis capite a Mercurio datam fabulantur (*h*), eidemque
F consecratas boves feminas tradit Herodotus apud Athenagoram *Legatione pro Christianis*: unde factum ut Ægyptii nonnisi boves mares, ac vitulos immolarent. Hinc *puella bovinis cornibus* dicta

a *Macrob. Saturnal. lib.* I. *cap.* XXI. b *Anthol. lib.* I. 38. c *lib.* XI. d *lib.* I. *cap.* 18. e *apud Anton. Augustinum Dial.* V. f *citata dissert.* VII. g *Herodot. lib.* II. h *Plutarch. de Iside & Osiride, Lactant. lib.* I. *cap.* II. *Epiphanius in Anchorato cap.* VI.

est

est ab Æschylo in Prometheo (*a*). Cornu apud Orientales accipitur sæpissime pro corona, potentia, & splendore, ut passim in sacris literis (*b*)

Hic idem Dionysus dictus est Ζαγρεὺς. Pindari Scholiast. ad *Isthmion. Od.* VIII. ὁ ἐκ Περσεφόνης γεγονὼς Ζαγρεὺς Διόνυσος. *Ex Proserpina genitus Zagreus Dionysus* (*c*). Itemque Sabazius, ut ex allato Diodori loco fit manifestum; quod confirmat Eusebius (*d*) Τὸν ὑπό τινων Σαβάσιον ὀνομαζόμενον, ἐκ Διὸς καὶ Περσεφόνης γενόμενον. Sic dictus a Sabis Thraciæ populis, ut vult Eustathius ad Dionysii Periegesim. Consonat Scholiastes Aristophanis ad Vespas (*e*): *Σαβάζιον δὲ τὸν Διόνυσον οἱ Θρᾶκες καλοῦσι· καὶ Σαβοὺς τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν*: qui tamen *ad Aves* (*f*) hoc tribuit Phrygibus *παίζει πρὸς τὸ ὄνομα· ἐπεὶ οἱ Φρύγες τὸν Σαβάζιον τιμῶσι. alludit ad nomen, quoniam Phryges Sabazium colunt.* Certe *Strabo libro* x. tradit, Sabazia sacra a Phrygibus in Thraciam delata; & in Græciam barbarum illud Bacchantium epiphonema: εὐοῖ, σαβοῖ, ὕης, ἄττης καὶ ἄττης ὕης, *Evoe, Saboe, Hyes, Attes, Attes Hyes*, de quo Demosthenes *orat. de corona*. Inde ab εὐοῖ dicti *Evantes* Bacchantes. *Virg. Æneidos* VI. *vers.* 517.

> *Illa, chorum simulans, evantes orgia circum*
> *Ducebat Phrygias* ——

Idem *Scholiastes* originem deducit ab εὐάζειν, quod Barbari σαβάζειν efferebant: nec aliter Suidas (*g*), licet Mnaseas Patarensis apud eundem (*h*) Bacchi filium putaverit esse Sabazium. Pro Sabazio quidam dixere *Sabadium*, & *Sebadium*, nam Z & Δ μεταστρέφουσι, ut ait Plato in Cratylo (*i*). Conjicit Seldenus, cognomentum hoc ad Gentes pervenisse a Jehovah Sebaoth (*k*); neque dissentit Vossius (*l*), aliique, quos procul a vero aberrare putat Kippingius (*m*), oblitus forsitan eorum, quæ de Adonide, a Judæis post festum *Tabernaculorum* culto, suspicatur Plutarchus *symposiacῶν* IV. (*n*).

Huc facit quod tradit Epiphanius (*o*), *Eva* sine adspiratione apud Hebræos significare *mulierem*, cum adspiratione *serpentem*. In sacris autem & initiis Jovis Sabazii aureus serpens initiatis mittebatur in sinum. Arnobius (*p*): *Ipsa sacra, & ritus initiationis ipsius, quibus Sebadius nomen est, testimonio esse poterunt veritati, in quibus aureus coluber in sinum demittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus.* Firmicus item Maternus: *Sabazium*, inquit, *colentes Jovem anguem, quum initiantur, per sinus ducunt.* Ejus rei originem tradit Clemens Alexandrinus (*q*): inquit enim, Jovem, qui Proserpinam ex Cerere genuerat, cum eadem Proserpina coiisse: Πατὴρ καὶ φθορεὺς Κόρης ὁ Ζεύς· *καὶ μίγνυται δράκων γενόμενος· ὃς ἦν, ἐλεγχθείς. Σαβαζίων γοῦν μυστηρίων σύμβολον τοῖς μυουμένοις, ὁ διὰ κόλπου Θεός· δράκων δέ ἐστιν οὗτος, διελκόμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων· ἔλεγχος ἀκρασίας Διός. κύει καὶ ἡ Φερεφάττα παῖδα ταυρόμορφον. Pater & corruptor puellæ Juppiter, & coit factus Draco, convictus quisnam esset. Sabaziorum certe mysteriorum signum est iis qui initiantur, Deus qui sinum pervadit. Est autem is draco, qui extrahitur a sinu eorum qui initiantur, evidens argumentum Jovis incontinentiæ: parit autem Proserpina quoque filium taurina specie.* Hinc orta est fabula, Bacchis esse serpentes mansuetos, qui genas lamberent, ut videre est apud Euripidem *Bacchis vers.* 697. Ex earum numero fuit Olympias Alexandri Macedonis mater, de qua Plutarchus (*a*): *Olympias autem præ cæteris motum lymphaticum æmulans, & fanaticum peragens ritum, horridiore spectaculo serpentes mansuefactos trahebat thyasis ingentes, qui ex hedera subinde, & mysticis cunis obiter prorepentes, thyrsosque & coronas circumjecti percellebant viros* (*b*): quo facit serpens cista prosiliens in Alexandri Magni nummo apud Carolum Patinum, *Numism. Imper. medii & minimi moduli pag.* 13. Itaque in cistis, quæ orgia, & pompam Bacchicam comitabantur, serpentes erant, ut recte monuit Sponius (*c*): de quibus Catullus *Epithalamio*:

> *Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis;*
> *Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.*

& Valerius Flaccus *Argon.* II.

> —— *æraque circum*
> *Tympanaque, & plenas tacita formidine cistas.*

Eas qui ferebant mistæ, & interpretes *Orpheotelestæ* appellabantur, ut docet Casaubonus (*d*). Forte etiam propter Erichthonii anguis fabulam, de qua videndus Hyginus; nam, teste Diodoro (*e*), Erechtheus ex Ægypto adveniens Athenas, cum magna frumenti copia, in Eleusine Cereris initia docuit. Valerius auctor est (*f*), C. Cornelium Hispallum Prætorem peregrinum A. U. DCXIV. Coss. M. Pompilio Lænate, Cn. Calpurnio, domos suas repetere coegisse eos, *qui, Sabazii Jovis cultu simulato, mores Romanorum inficere conati sunt.* Sed, ut Pighius recte adnotavit, Domitiani temporibus Sabazia primum recepta sunt, & pulvinaria extructa, cum hujusmodi titulis

IOVI SABAZIO Q. NVNNIVS ALEXANDER V. S. L. M.	Q. NVNNIVS ALEXANDER DONVM DEDIT IOVI SABAZIO

Hunc eundem Bacchum *Jacchum* dixere a verbo ἰαχῶ *clamo*: immo ab Jah, sive Ἰάω, uno ex Dei optimi maximi nominibus, quod in amuletis Gnosticorum, & Basilidianorum fere semper cum nomine *Sabaoth* sculptum legitur. Videsis superstitiosorum ejusmodi sigillorum farraginem apud *Athanasium Kircherium* in sua *Arithmologia*, *Sponium*, aliosque. Nec ulli dubium, quin Gnosticorum deliramenta, nocturna pervigilia, stupra, cædes, affinia fuerint Bacchanalibus, de quibus in S. C. nostro fit sermo (*g*).

Veteres ab hujusmodi Baccho, cognomento Ἰάω, expectabant animæ ab omni reatu expurgationem (*h*). Ideo in sacris Bacchi *mystica vannus*, (μυστικὰ λίκνα Plutarcho (*i*)), cujus est mentio apud *Virgilium* (*k*), ad quem Servius Honoratus adnotavit: *Mystica Jacchi ideo ait, quod Liberi Patris sacra ad purgationem animæ pertinebant; & sic homines ejus mysteriis purgabantur, sicut vannis frumenta purgantur.* Et infra. *Nam idem est Liber pater, in cujus mysteriis vannus est, quia ut diximus animas purgat.* Idcirco initia (inquit

a *vers.* 565. b *Spanhem. dissert.* VII. c Vide *Etymolog. Magnum.* d *Præpar. Evang. lib.* II. e *vers.* IX. f *vers.* 874. g *in* Σαβάζιος. h *in* Σάβοι. i Vide Gyrald. *syntagm.* VIII. *de Dis Gent.* k *Prolegom. de Dis Syr. cap.* III. l *cit. lib.* I. *de orig. Idol. cap.* XXX. Vide Holsten. *in not. & castigat. ad Stephanum in* Σάβοι. m *Antiquit. lib.* I. *cap.* 2. §. VI. n *qu.* V. *pag.* 670. o *advers. hæres.* 3. *Clem. Alex. Protrept. pag.* 9. p *lib.* V. q *in Protrept.*

a *in Alexandro.* b Vide Lucian. *in Psedomante.* c *Miscellan. antiq. sect.* II. *art.* III. d *ad Athen. lib.* V. *cap.* 7. e *lib.* I. *cap.* 19. f *lib.* III. *cap.* 3. g Vide Michaelem Psellum *de operat. Dæmon.* Theodoritum *hæret. fabular.* I. h *Voss. de orig. Idol. lib.* I. *cap.* 30. i *in Alexandro.* k *Georgic.* I. *vers.* 166.

Voſſius) dicta τελεταὶ, quod initium ſint vitæ melioris, & vitæ hujus finis, & perfectio; quod nequit fieri niſi anima purificetur. Qui in Bacchi pompa vannos geſtabant λικνοφόροι dicebantur, inter quos ait fuiſſe Æſchinem Demoſthenes (*a*). Purgationis etiam ſymbolum fuit ventilabrum. Tres enim erant in Gentilium ſacris animæ purgationes; aere, aqua, & igni. Ventilabrum, & vannus in ſacris Liberi ad aera pertinent, uti & oſcilla, ſive imagunculæ fictiles, προσωπεια (*b*) *Virgil.* VI. *Æneid. verſ.* 740.

—— aliæ pen duntur inanes,
Suſpenſæ ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Ubi ſervius: *In omnibus ſacris tres ſunt iſtæ purgationes: nam aut teda purgantur, & ſulphure* (ecce ſulphuratas bacchantium tedas apud Livium) *aut aqua abluuntur* (ideo decurrebant ad Tiberim) *aut aere ventilantur, quod erat in ſacris Liberi.* Hoc eſt quod ait *Virgilius Georgicorum* II. *v.* 388. ubi de Liberalibus eſt ſermo.

Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.

Cur mollia? non igitur fictilia tantum, ſed lintea, bombycina, aut ex alia molli materia, præter lanam, quam in ſacris adhibere nefas fuit. Nec enim ſolum imagunculæ fuere infantibus ad luſum præbitæ, ſed & aliæ ſerio ſuſpenſæ, de quibus Varro apud Servium (*c*) *Suſpendioſis* (inquit) *quibus juſta fieri fas non ſit, ſuſpenſis oſcillis, veluti per imitationem mortis parentari.* Athenis, in memoriam Erigones Icari filiæ, quæ laqueo vitam finivit, oſcillationis feſtum inſtitutum. Heſychius in αἰώρα (ab Αἰωρέω *ſurſum tollo*): Αἰώρα ἑορτὴ Ἀθήνησιν ..... ἐπὶ ἠεγόνῃ ἀλήτιδι τῇ Ἰκάρȣ. *Hyginus fab.* CXXX. originem rei narrat, quam paucis expedire lubet. Icarus & Erigone Liberum hoſpitio excipiunt; utre vini donantur. Paſtores ab Icaro inebriati conciderunt; itaque quum primum convaluere, datum ſibi malum medicamentum rati, Icarum fuſtibus interfecerunt. Erigone, re comperta, laqueo ſe ſuſpendit. Iratus Liber furorem in Athenienſium filias immiſit, ut ipſæ quoque ſuſpendio vitam finirent. Conſulto oraculo, Athenienſes de paſtoribus ſupplicium ſumſerunt, & Erigone feſtum oſcillationis, peſtilentiæ cauſſa inſtituerunt. Quid fuerit *oſcillatio*, docet idem *Hyginus* (*d*), ubi de Athenienſibus verba faciens, inquit: *Qui, quod ea ſe ſuſpenderat, inſtituerunt uti, tabula interpoſita pendente, funibus ſe jactarent, ut qui pendens vento movetur: quod ſacrificium ſolemne inſtituerunt. Itaque, & privatim, & publice faciunt, & id Aletidas appellant.* Ludicrum igitur non fuit Athenis oſcillorum, ſeu imagunculárum (oſcillum ab os, ςομάτιον, προσωπεῖον (*e*)) ſuſpenſarum, ſed vivorum, qui jactabantur, ut nunc pueri noſtri faciunt. Idem factitatum Romæ per ſex Latinarum feriarum dies, in memoriam, & imaginem vitæ humanæ, in qua altiſſima dejiciuntur, infima in altum efferuntur (*f*). Liberalibus *oſcilla*, id eſt imagunculæ, ut in allato Virgilii loco; phallicæ tamen, ut quibuſdam placet, teſte in Adſariis Hadriano Turnebo (*a*), immo Ariſtophane *Acharn. Act.* II. *ſc.* I. *verſ.* 7. & 26.

Græci ad Bacchum Semeles filium (quem Bœotium fuiſſe negat Euſebius (*b*)) ut omnia, ita & purgationes referebant. Non obſcure *Euripides in Bacchis verſ.* 73.

Ὦ μάκαρ, ὅςις εὐδαίμων τελετὰς θεῶν
Εἰδὼς, βιοτὰν ἁγιςεύει,
Καὶ θιασεύεται ψυχὰν
Ἐν ὄρεσι βακχεύων
Ὁσίοισι καθαρμοῖς
O felix quicumque beatus ſacra Deorum
Sciens, purificat vitam,
Et conſecrat animam,
In montibus bacchans
Sacris purgationibus.

& ſequenti *ſtropha* II. *verſ.* 113. & 114.

—— ἀμφὶ δὲ νάρθηκας ὑβριςὰς
Ὁσιȣ̃σθε. ——
—— circum autem ferulas contumelioſas
Sanctificemini. ——

Ferulas, inquit, contumelioſas. Nam, quum Liber animadverteret, facilem eſſe gradum ab ebrietate ad rixas (quod exemplo Lapitharum & Centaurorum oſtendit etiam Horatius *libro* I. *Ode* XVIII.) fuſtes aſſeclis ſuis interdixit, juſſitque ferulas geſtare, quibus pulſare quidem poſſent, interficere vero non poſſent (*c*). Hinc frequens ferularum mentio ubicumque de Bacchis fit ſermo apud veteres. Bacchi potentiam per eas ſignificari, inquit Ariſtides (*d*): Καὶ τὴν γε ῥᾳςώνην τȣ̃ κράτȣς νάρθηκές τε ἀντὶ δόρατος, καὶ νεβρὶς ἀντὶ λεοντῆς αὐτῷ πεποιημένα, καὶ κύλιξ ἀντὶ ἀσπίδος κοίλης. *Potentem vero facilitatem tum ferulæ pro haſtis ſumtæ, tum hinulea pellis pro leonina, tum etiam ſcyphus pro clypeo demonſtrat.* Auctore tamen Phurnuto (*e*), ferula per articulorum nodoſam obliquitatem ſignificat ebriorum loquacitatem quaſi articulatam eſſe; ipſoſque titubantes hinc inde vacillare, & nihilominus eſſe celeres, portatuque faciles. Dictæ ſunt forſan ab Euripide *contumelioſæ*, quod gratiſſimum pabulum ſunt aſinis, ceteris jumentis venenum (*f*). Aſinos vero ſacros eſſe Baccho notiſſimum eſt (*g*), vel quia faſcinoſi, vel quia Veſtam, cui dormienti Priapus inſidiabatur, excitaverunt (*h*); vel quia Naupliis rationem monſtraverunt putandæ vitis, ut auctor eſt Pauſanias (*i*): vel quia alatus aſinus Vulcanum reduxit in cœlum; qua fabula ſignificatur, ejus talem eſſe vim, ut ſtupidos, aſinoſque alatos faciat, ac ſolertes (*k*). In Bacchi templis in Sicilia aſininum caput viſebatur, ad quod jurabant mulieres adulterii ſuſpectæ (*l*). Coptitæ in Ægypto ignominioſe tractabant rufos, aſinumque de præcipitio dejiciebant, quod rufus, & aſinino colore fuit Typho, a quo Oſirim interemptum, & in fruſta diſſectum putabant (*m*).

Scyphus pro clypeo, κύλιξ ἀντὶ ἀσπίδος fuit Baccho, ut ait Ariſtides, loco ſuperius allato. Sic *ſcutellam* dici a *ſcuto*, auctor eſt Diomedes Grammaticus *in primo*. Nempe adeo magnus erat Bacchi ſcyphus, ſive cantharus, ut eo pro clypeo uti poſſet. Clypeum Minervæ vocabat Vitellius Imp. im-

a *Orat. de corona pag.* 516. *edit. Francof.* 1604. *in fol.*
b Vide Macrob. *lib.* I. *Saturn. cap.* VII. *& cap.* XI.
c *ad Virg.* XII. *v.* 603. d *Aſtronomicῶn lib.* II. *cap.* IV.
e *Salmaſ. ad Tertullian. de Pallio cap.* II. f *Turnebus Adverſar. lib.* VII. *cap.* XX.

a *loco citato*. b *Præparat. Evang. lib.* II. c *Gyrald. Syntagm.* VIII. *Plutarch. Sympoſ.* VII. *qu.* X. d *Orat. in Bacchum.* e *De natura Deor. cap.* 30. f *Plin. lib.* XX. *cap.* 22. *& lib.* XXIV. *cap.* 1. g *Phurnut. loc. cit.* h *Lactant. lib.* I. *cap.* XXI. i *in Corinthiacis.* k *Ariſtides orat. in Bacchum.* l *Stephanus Morinus diſſert. de Cognat. Lacedæm. & Hebr.* m *Plut. de Iſide, & Oſiride.*

manem patinam a se dedicatam (*a*). C. Marius post victoriam Cimbricam cantharis Liberi patris potavit (*b*): non iis, ut puto, qui ob cælaturæ argumentum Dionysiaci vocabantur, sed magnis illis, qui Sileno, Bacchi nutricio, a Poeta tribuuntur (*c*).

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Inter præcipua Bacchi pocula erant cotyli (omne concavum antiqui *κοτύλην* (*d*) appellabant): Pollux (*e*): *ἔστι δέ τι ὁ κότυλος διονυσιακὸν ἔκπωμα, ὥσπερ καὶ ὁ κοτυλίσκος*. *Est insuper & cotylus Bacchi proprium poculum, sicuti & cotyliscus.* Athenæus (*f*): *κοτυλίσκος δὲ καλεῖται ὁ ἱερὸς τοῦ Διονύσου κρατηρίσκος*. Hinc Philonidem quendam propter vinolentiam cotylam nuncupatum, narrat *Dionysius Halicarn. in excerptis de legationibus.* (*g*) Ex cotylorum genere putat Stephanus Pighius (*h*) esse illud vas, quod in æde maxima Neapoli visitur, in Sancti Baptismatis fontem conversum (*i*), ex basalte lapide durissimo, ansas quod habuit geminas, & larvas Mænadum, hederaceis coronis redimitas, alternasque Corybantum, ac thyrsos breviores in pineas nuces fastigiatos, tæniisque revinctos. Sed fallitur: nam diserte Athenæus inquit, cotylos unam tantum ansam habuisse: *τὰ μόνωτα ποτήρια κότυλοι*. Quin, ex ejusdem Athenæi sententia, dicendum esset *phiala*, nam hæc patula, lebeti similis, & ex utraque parte aurita: quo faciunt illa Aristotelis (*k*): *ὁμοίως ἔχει φιάλη πρὸς Διόνυσον, καὶ ἀσπὶς πρὸς Ἄρην. ἐρεῖ τοίνυν καὶ τὴν ἀσπίδα φιάλην Ἄρεως, καὶ τὴν φιάλην ἀσπίδα Διονύσου*. *Similiter se habet phiala ad Bacchum & clypeus ad Martem. Dicet ergo clypeum phialam Martis, & phialam clypeum Bacchi.* Ad hæc, vasa hujusmodi immania heroibus dicabantur, quibus navigiorum loco fuisse finxit antiquitas. Sic Solis phiala, a Nereo impetrata, Hercules ad Erytheam navigavit (*l*).

Osirim, Isidis fratrem & conjugem, ajunt esse *Adonim*, sive *Thamuz*, eumdemque Dionysum, & Bacchum, quod cum iis, quæ de Osiride superius enarrata sunt, non bene convenit. Adonim esse Thamuz, fatetur Auctor Chronici Alexandrini: *Θαμοὺζ ὅπερ ἑρμηνεύεται Ἄδωνις*: *Thamuz, qui interpretatur Adonis*. D. Hieronymus *Commentar.* III. *ad Ezechielem*, scribit, Adonim fuisse ab apro interfectum mense Julio, indeque *Thamuz* nuncupatum (*m*). Ceterum Phœnicibus *Adonis* Dominus. Hesychius: *Ἄδωνις δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων*, *Adonis Phœnicibus est Dominus*: ex Hebræa scilicet voce *Adon*. Inde Laconibus, origine Phœnicibus, Adonis dictus *Κιρίς*. Idem Hesychius: *Κιρὶς, Ἄδωνις, Λάκωνες*: & alibi ait: *Κύρις ὁ Ἄδωνις*. *Κύρις* enim, vel *Κύριος* idem quod *Adon* (*n*). Ipsius Bacchi nomen originem redolere Phœniciam, inquit Stephanus Morinus (*o*) a *Bacha, flere*. Immo Hesychius: *Βάκχον κλαυθμὸν, Φοίνικες*: *Bacchum fletum dicunt Phœnices.* Adonis corrupte est *Attis*, idemque Attis Dionysus Clementi Alexandrino, *ut qui sit privatus pudendis* (*p*), quæ nempe Corybantes Etruscis tradidere.

Attin Lydum fuisse tradit Lucianus (*q*) a Rhea adamatum, & castratum, vitam virilem agere desiisse, vestemque muliebrem induisse, & sic sacra Rheæ per orbem terrarum fecisse, quibus postea Phryges, Lydi, Samothraces operati sunt. Tatianus Assyrius Oratione adversus Græcos: *Ῥέαν μὲν γὰρ, ἣν οἱ ἀπὸ τῶν Φρυγίων ὀρῶν Κυβέλην φασὶν ἀποτμήσεις αἰδοίων νενομοθέτηκε, διὰ τὸν ἐρώμενον ταύτης Ἄττιν*. *Rhea enim, quam in Phrygiis montibus Cybelem vocant, pudendorum exsectionem, propter Attin, amatum ei puerum, instituisse fertur.* Lactantius (*a*) inquit: *Deum mater & amavit formosum adolescentem, & eundem cum pellice deprehensum, exsectis virilibus, semivirum reddidit; & ideo nunc sacra ejus a Gallis sacerdotibus celebrantur.* Pausanias (*b*) tamen ex Hermasianacte, Elegorum scriptore, inquit, Attin fuisse Celei Phrygiæ Regis filium, ad sobolem suscipiendam inutilem: adolescentem in Lydiam migrasse, ibique Magnæ Matris ceremonias docuisse: tanto in honore a Dea habitum, ut Juppiter zelotypus immanem aprum in Lydorum segetes immiserit, a quo Attis est interemtus: ideo Gallos, Pessinuntis incolas, sue abstinere. Alii apud eundem Pausaniam aliter fabulantur; & fœda quædam de Adgistis ex Jove ortu, de Sangarii amnis filia, ex amygdalo prægnante, deque furore Attidi immisso, narrant; quæ ab Arnobio etiam, paucis mutatis, recitantur (*c*).

Julianus Imp. (*d*) nihilo meliora in medium adducit. Rheam, Attidis amore captam, stellatum ejus capiti pileum imposuisse, *καὶ τὸν ἀστερωτὸν ἐπιθεῖναι πῖλον*; mandasseque ut se tantum coleret: Attidem nihilominus cum nympha consuevisse: Rheæ fieri cum sanctitate, quia castus fuit ejus amor: *ταύτην δὴ τὴν Θεὸν οὖσαν, καὶ πρόνοιαν, ἔρως μὲν ἐπῆλθεν ἀπαθὴς Ἄττιδος*. *Hanc itaque Deam, quæ & providentia dicitur, castus quidam citra passionem Attidis amor invasit.* Salse tamen a Luciano (*e*) deridetur Dea, quod anus pueros adamaret, & zelotypa esset, & Attin leonibus vectaret. Impudica perhibetur a Diodoro (*f*), cui, homini Siculo, & Agyrinæo, de rebus Cereris disserenti, credendum est: habent enim Agyrinæorum nummi Cererem bicornem. Narrat itaque Diodorus, ex Meone Lydiæ Rege, & Dindyma natam prolem feminei sexus: Hanc, in Cybelo monte expositam, a pardalibus, admotis uberibus, fuisse nutritam; donec mulieres quædam, rei novitatem admiratæ, infantem sustulerunt, cui a Cybele monte nomen indiderunt: Adultam, quum ex pulchritudine, tum ex ingenii vi, magicis curationibus, cymbalorum, tympanorumque inventione ingentem sibi gloriam comparasse; captam nihilominus amore Attidis adolescentis, & voti compotem factam, uterum gestasse: Sub idem tempus a parentibus agnitam, & in regiam fuisse perductam; sed cognito stupro, & Attin, & nutrices interfectas: Cybelem fato adolescentis percussam, ac furore correptam in agros abiisse, ibique solam, sparsis capillis, ululatu, & tympani strepitu universam complevisse regionem: Ejus misertum Marsyam, castum ceteroqui virum, comitem se illi adjunxisse itineris ad Bacchum, in Nysa urbe degentem: Ibi Apollinem invenisse, cithara, abs Mercurio inventa, mirum in modum ludentem: initoque artis musicæ certamine, Marsyam victum, & adhuc vivum pelle exutum: deinde Apollinem, cithara, tibiisque in Bacchi antro depositis, ad hyperboreos usque, Cybelæ, cujus amore flagrabat, comitem se præbuisse: quum vero Phrygia morbo & sterilitate premeretur, consultum oraculum

a *Sueton. in Vitellio cap.* XIII. b *Plin. lib.* XXXIII. *cap.* XI. *Valer. lib.* III. *cap.* VI. c *Virg. Ecloga* VI. *vers.* 17. d *Athen. lib.* XI. *cap.* VIII. *Scholiast. Homer. ad Iliad.* Ψ. *v.* 34. e *lib.* VI. *cap.* XVI. f *citato loco.* g *cap.* IV. *pag.* 143. h *Mythol. in anni partes.* i Ejus figuram damus ad calcem operis. k *Poetices cap.* XXI. l *Athen. lib.* XI. *cap.* V. *ex Panyasi lib.* I. *hist. Herculis.* m Vide Schedium *de Diis Germanis cap.* 4. n Vide Bochartum *Geograph. sacr. lib.* II. *cap.* XI. o *De cognat. Lacædem. & Hebr.* p *In protrep.* q *De Dea Syria.*

a *lib.* I. *cap.* 17. b *In Achaicis.* c *lib.* V. *advers. Gentes.* d *Orat.* V. e *περὶ θυσιῶν.* f *lib.* 3. *cap.* 58.

respondisse: Attim sepeliendum, & Cybelem pro Dea coli oportere: sed quum nihil de cadavere reliquum esset, Phryges, confecto adolescentis simulacro, quod ululatu, gemitibus, aliisque ad funus accommodatis prosequuti sunt, furias mitigasse, Cybelemque, adjuvante rege Mida, divinis honoribus cumulasse; simulacroque Deæ pardales, ac leones adjunxisse, quod ab his enutrita putabatur. Hæc, ex Phrygum, Atlantiique Oceani accolis, Diodorus.

Idcirco leonibus insidentem Cybelem inducit Sophocles (*a*) λεόντων ταυροκτόνων ἔφεδρον. *Valerius Flaccus* (*b*):

Adsuetum Phrygias dominam vectare per urbes,
Oppressit jaculo redeuntem ad frena leonem.

Passim veteres nummi eam exhibent curru a leonibus vectam, vel sedentem inter duos leones, vel cum leone ad pedes. Leonum quadriga vehitur Sabina Augusta in nummo maximi moduli, cujus in adversa area Hadrianus, apud Vaillantium (*c*). Idem Faustinæ senioris habet nummum, cum Epigraphe: MATRI DEUM SALUTARI; & Faustinæ junioris cum appellatione MATRIS MAGNÆ.

In nummis Cyzicenorum, in honorem ejusdem Faustinæ junioris cusis, cernuntur dracones alati ad Cereris tediferæ currum juncti; quod fertilis glebæ sunt symbolum. Frequenter id occurrit in nummis, & ad fabulam Triptolemi spectat, de qua Ovidius (*d*)

—— geminos Dea fertilis angues
Curribus admovit, frenisque coercuit ora:
Et medium cæli, terræque per aera vecta est:
Atque levem currum Tritonida misit in arcem
Triptolemo; partemque rudi data semina jussit
Spargere humo ——

Vulgo creditum est, Adonim ab apro fuisse extinctum, ut ex Pausania diximus; ideoque a Venere (quæ modo Ceres, modo Libera dicta est (*e*) quotannis lugebatur. *Bion Epitaphio Adonidis in fine*.

Λῆγε γόων, Κυθέρεια, τοσήμερον ἴσχεο κόμμων
Δεῖ σε πάλιν κλαῦσαι, πάλιν εἰς ἔτος ἄλλο δακρῦσαι,
Parce Venus lacrymis: festis lux ista negetur,
Post flebis, luctusque novum renovabis in annum.

Atque in rei memoriam (inquit Lucianus (*f*) *singulis annis mulieres Bybli verberantur, & lamentantur, ritusque sacros peragunt, magnique luctus per regionem ipsis indicuntur. Et postquam verberandi & plorandi finis factus est, primum quidem Adonidi tanquam defuncto inferias agunt. Postea vero altero die eum vivere fabulantur, & in aerem mittunt, & capita detondent, ut Ægyptii quum mortuus est Apis. Quæcumque autem mulieres tonderi nolunt, talem pœnam exolvunt. Diem unum ad quæstum corpore faciendum prostant. Forum autem illud solis peregrinis exhibetur: & quod inde mercedis auferunt, hoc Veneri in sacrificium datur*. Idem ait, caput papyraceum quotannis ex Ægypto ope ventorum Byblum deferri, septem diebus, quantum spatii ex illa in hanc est, enatans: insuper fluvium quendam, cui nomen Adonis ex Libano monte in mare deferri, & quotannis cruore infici, tempusque lugendi Byblicis indicare: & vulgo dici, Adonim hisce diebus in Libano sauciari, unde in aquam delatus sanguis fluvii colorem mutet: revera tamen non sanguinem esse, sed Libani terram admodum flavam, quam, minio simillimam, venti vehementes diebus illis exorientes in fluvium deferunt. Alii tradunt, non caput papyraceum, sed epistolam ab Alexandrinis, postquam festum Αδωνιασμῦ celebratum esset, junco illigatam, quotannis mari committi solitam, quæ Byblum deferebatur, inventumque Adonim nuntiabat. Expectasse illam mulieres sorte electas, quæ ululatum, Adone reperto, vertebant in lætitiam (*a*). Contra Bybliorum nonnulli dicebant, apud se humatum Osirim Ægyptium, luctusque, & ritus non Adonidi, sed Osiridi omnes fieri: οὐκ ἐς τὸν Ἄδωνιν ἀλλ᾽ ἐς τὸν Ὄσιριν πάντα ὀργιάζεσθαι (*b*). Ex eorum igitur sententia alius fuit Osiris, alius Adonis. Neque aliter Plutarchus loco superius allato. Sic Theophilus Patriarcha Antiochenus ad Autolycum *libro* 1. ubi initiationes Osiridi quotannis fieri scribit: οὗ καὶ κατ᾽ ἔτος γίνονται τελεταὶ ὡς ἀπολλυμένου, καὶ εὑρισκομένου, καὶ κατὰ μέλος ζητουμένου· οὔτε γὰρ εἰ ἀπόλλυται νοεῖται, οὔτε εἰ εὑρίσκεται δείκνυται. τί δέ μοι λέγειν Ἄττιν ἀποκοπτόμενον; &c. *In hujus honorem quotannis initiationes fiunt, ut qui perierit, & iterum inveniatur, dum cantu quæritur. Nec an interierit intelligitur, nec si inveniatur ostenditur. Quid dicam Attim castratum?* His consona habet Lactantius (*c*). *Isidis Ægyptia sacra sunt, quatenus filium parvulum vel perdiderit, vel invenerit. Nam primo sacerdotes ejus diglabrato corpore sua pectora tundunt, lamentantur, sicut ipsa, quum perdidit, fuerat. Deinde puer producitur quasi inventus, & in lætitiam luctus ille mutatur. Ideo Lucanus*

—— nunquamque satis quæsitus Osiris.

Semper enim perdunt, & semper inveniunt. Hinc Juvenalis *Satyra* VIII. *v.* 29. & 30.

Exclamare libet populus quod clamat Osiri
Invento ——

Exclamabant forte, ut olim Isis, teste Athenagora, *Legatione pro Christianis*, εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν: *Invenimus, gaudemus*.

Dionysum certe, id est Solem, significabant Phœnices: quia Sol videtur esse apud Proserpinam postquam ingressus est signa hemisphærii inferioris, diesque effecit breviores. Apro hyems significatur, quod hyemali fructu, glande, pascatur aper, gaudeatque locis lutosis, ac pruina contectis, ut inquit Plutarchus *Symposiac.* IV. *quæst.* 5. (*d*). Itaque est hyems *veluti vulnus Solis*, id est Adonidis (*e*). Est etiam in fabulis, Adonim ab inferis revocatum Veneris voluntate (*f*); quo Sol significatur, quum redit ad signa hemisphærii superioris: quamobrem *Hilaria* fuere instituta ad VIII. Cal. Aprilis (*g*) *Propter vernalem faciem terræ* (inquit August. (*h*)) *quæ ceteris temporibus est pulchrior, Porphyrius, Philosophus nobilis, Attin flores significare perhibuit; & ideo abscissum, quia flos decidit ante fructum*. Non

a *In Philoctete vers.* 400. 405. & 407. *Lucian. de Dea Syria*. b *Argonaut. lib.* 3. *v.* 23. -- 24. c *In nummis Musei de Camps*. d *Metam.* X. *vers.* 642. - 647. e *August. de Civit. Dei lib.* 7. f *De Dea Syria*.

a *Procopius Gazæus comment. in Esajam. D. Cyrill. tom.* II. *apud Eliam Schedium de Diis Germanis cap.* IV. b *Luc. loc. cit.* c *lib.* I. *c.* XXXI. d *pag.* 671. e *Macrob. lib.* I. *Saturnal. cap.* 21. f *Hygin. fab.* CCLI. g *Macrob. loc. cit.* h *De Civit. Dei lib.* VII. *cap.* 25.

ergo ipſum hominem qui vocatus eſt Attis, ſed virilia ejus flori comparaverunt; ipſa quippe illo vivente deciderant: immo vero deciderunt, neque decerpta, ſed plane diſcerpta ſunt; nec illo flore amiſſo quiſquam poſtea fructus, ſed poſtea ſterilitas conſecuta eſt. Quoniam vero Sol eſt mentium dominus, ſive arbiter, ideo Attis dictus eſt Μηνοτύραννος; ut in veteri Inſcriptione apud Claudium Salmaſium (*a*)

MATRI DEVM MAGNAE
IDAEAE SVMMAE PA-
RENTI HERMAE ET ATTIDI
MENOTYRANNO INVICTO

Corrupte ſemel & iterum legitur MINOTAVRO in uno atque altero lapide apud Gruterum XXVIII. 6. Videndus Reineſius *claſ.* I. 39. qui non recte putat in lapide Romano legendum eſſe non *Hermæ*, ſed *Hertæ*. Cur vero? quia *Herta* dicebatur Mater Magna apud Germanos (immo *Hertum* habet Tacitus *de moribus Germanorum* (*b*)), quaſi vero non Romæ eſſet lapis, ſed ad ripas Rheni, vel Iſtri. Alii contendunt, Attin fuiſſe paſtorem ex Peſſinunte, Phrygiæ oppido, qui quum promiſſam Deæ caſtitatem non ſervaſſet, furore correptus, ſiliceo cultro ſe ipſum caſtravit. Catullus *verſ.* 5.

Divellit ille acuto ſibi pondera ſilice.

Tertullianus Apologetico (*c*) *Vidimus aliquando caſtratum Attin illum Deum ex Peſſinunte.* Hunc igitur imitabantur Galli ſacerdotes Iſiaci, ſeipſos caſtrantes (*d*); hunc Corybantes, & fanatici, ſive lymphatici illi, de quibus Aretæus medicus apud Hieronymum Mercurialem, cujus verba ſupra retulimus. Ovidius *Faſtorum* IV. —223.

—— unde venit, dixi, ſua membra ſecandi
Impetus? ut tacui, Pieris orſa loqui.
Phryx puer in ſylvis facie ſpectabilis altis
Turrigeram caſto vinxit amore Deam.
Hunc ſibi ſervari voluit, ſua templa tueri,
Et dixit, ſemper fac puer eſſe velis.
Ille fidem juſſis dedit; &, ſi mentiar, inquit,
Ultima, quam fallam, ſit Venus illa mihi.
Fallit: & in nympha Sagaritide deſinit eſſe
Quod fuit: huic pœnas exigit ira Deæ.
Naida vulneribus ſuccidit in arbore factis,
Illa perit: fatum Naidis arbor erat.
Hic furit: &, credens thalami procumbere tectum,
Effugit, & curſu Dindyma ſumma petit.
Et modo, tolle faces, remove modo verbera, clamat,
Sæpe Palæſtinas jurat adeſſe Deas.
Ille etiam ſaxo corpus laniavit acuto,
Longaque in immundo pulvere tracta coma eſt.
Voxque fuit, Merui: meritas dum ſanguine pœnas:
Ah pereant partes, quæ nocuere mihi.
Ah pereant. dicebat adhuc: onus inguinis aufert,
Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viri.
Venit in exemplum furor hinc, molleſque miniſtri
Cædunt jactatis vilia membra comis.

Huc faciunt illa Luciani *Dialogo Veneris & Cupidinis*, ubi Rheam inducit Attidis peremti amore ejulantem, junctis ad currum leonibus vectam, perque Idam oberrantem: Οἱ Κορύβαντες δὲ, (Rheæ ſive ſocii, ſive miniſtri) ὁ μὲν αὐτῶν, τέμνεται ξίφει τὸν πῆχυν. ὁ δὲ, ἀνεὶς τὴν κόμην, ἵεται μεμηνὼς διὰ τῶν ὀρῶν. ὁ δὲ, αὐλεῖ τῷ κέρατι. ὁ δὲ, ἐπιβομβεῖ τῷ τυμπάνῳ, ἢ ἐπικτυπεῖ τῷ κυμβάλῳ. καὶ ὅλως, θόρυβος καὶ μανία τὰ ἐν τῇ Ἴδῃ ἅπαντά ἐστι. *Corybantum vero, alius ſuum ipſe penem enſe reſecat, alius demiſſa coma per montes fertur inſanus, alius cornu canit, alius tympano ſtrepitum facit, alius cymbalum pulſat. Breviter, omnis undique Ida tumultus atque inſaniæ plena eſt.* Quomodo quotannis adoleſcens aliquis ſe caſtraret, ut fieret *Gallus*, docet idem Lucianus in eo, quem de Dea Syria ſcripſit libello: *abjectis veſtibus magno clamore in medium prodit, atque enſem diſtringit .... quo protinus accepto, ſemetipſum caſtrat, curritque per urbem, & manibus portat ea quæ reſecuit. In quamcumque autem domum ea projicit, inde femineam veſtem, & muliebrem ornatum accipit.* Hinc Juvenalis *Satyr.* 2. *verſ.* 115.—116.

—— Phrygio quos tempus erat jam
More ſupervacuam cultris abſcindere carnem.

Cultris, non teſta, ut *Satyra* VI. *v.* 511. — 514.

—— ecce furentis
Bellonæ, Matriſque Deum chorus intrat, & ingens
Semivir, obſcœno facies reverenda minori,
Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta.

Lactantius *cap.* XXI. *libro* I. *Non minoris inſaniæ judicanda ſunt publica illa ſacra; quorum alia ſunt Matris Deum, in quibus homines ſuis ipſi virilibus litant; amputato enim ſexu, nec viros ſe, nec feminas faciunt.* Ab hujuſmodi tamen exſectione abſtinebant Rheæ ſacerdotes Athenis. Julianus Imp. *Orat.* V. *Ut hic membrum genitale præciditur, ſic apud Athenienſes, qui arcana illa tractant, caſtiſſime degunt, tum eorum Antiſtes hierophanta ab omni generatione prorſus abſtinet.*

Hæc omnia ſi ad amuſſim hiſtoricam expendamus, inveniemus (*a*) Apim Ægyptium, ob mutatum in tyrannidem regnum inviſum ſuis, abs Telxione, & Thelchine ex inſidiis oppreſſum, *nulla relicta ſobole*, ac deinceps divinis honoribus conſecratum; quin & Io, ſive Iſidem, Inachi Argivorum Regis filiam, pro Dea habitam (*b*). Inde Titanum ortam fabulam, qui Dionyſum diſcerpſerint. Pudenda in flumen abjecta, uti & Adonidis voluntaria exſectio, nihil aliud ſignificant, quam Oſirim nulla relicta ſobole e vivis ſublatum. Aper eſt Typho, vir truculentus & ferus. Ab inferis revocatus dicitur Adonis, quod Iſidis ſtudio divinis honoribus affectus eſt. Hinc ſacra, & myſteria Dionyſi, Adonidis, Attidis, Bacchi, Cereris, Matris Magnæ, Matris Deum, Iſidis, Berecynthiæ, Cybeles; & myſtæ Cabeiri, Corybantes, Gallii, Iſiaci, Bacchantes, Lenæ, Thyiades, Mænades, Mimallones in promiſcuo: ut infra etiam oſtendetur.

II. Additæ (*inquit Livius*) voluptates religioni, vini, & epularum, quo plurium animi illicerentur.

a *De Civit. Dei lib.* VII. *cap.* 25. b *Ad Lamprid. Elagab. fol.* 181. *Reineſ. claſſ.* I. 39. c *cap.* XL. d *cap.* XV.

a *Petav. lib.* I. *Rationar. ex Euſebio de Præpar. Evang. & Auguſt. de Civit. Dei.* b *Lactantius de falſa Religione c.* XI.

A Religio animos plurimum percellit, voluptas allicit. Plautus in Mercatore (*a*):

Voluptas est malorum esca, quod ea non minus homines
Quam hamo capiuntur pisces ——

Solemne id fuit Romanis, populos per luxum & voluptates enervare. Tacitus in vita Agricolæ: *Paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus & balnea, & conviviorum elegantiam; idque apud imperitos humanitas vocabatur, quum pars servitutis esset.* Ad rem nostram Valerius B (*b*): *Proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam venerem esse consuevit.*

Cum vinum animos, & nox &c.

Tacitus XIII. *Annal. Dissimulationem nox & lascivia exemerat.* Juvenalis apposite de Bacchantibus *Satyra* VI. *vers.* 314. — 319.

Nota Bonæ secreta Deæ, cum tibia lumbos
Incitat, & cornu pariter, vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant, ululante Priapo,
Mænades: o quantus tunc illis mentibus ardor
C *Concubitus! quæ vox saltante libidine, quantus*
Ille meri veteris per crura madentia torrens!

III. Præ ululatibus, tympanorumque, & cymbalorum strepitu, nullam vocem quiritantium inter stupra, & cædes exaudiri potuisse.

Ululatus proprie ad Bacchantes pertinent. Bacchus enim apud Euripidem *Bacchis vers.* 23. & 24.

Πρώτας δὲ Θήβας τῆσδε γῆς Ἑλλωίδος
D Ἀνωλόλυξα ——
Primas vero Thebas hujus terræ Græcanicæ
Ululatu complevi ——

Et ad Cybeles Corybantes, & Gallos, Gallasque. Catullus *de Aty v.* 19. — 24.

—— Simul ite sequimini
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora Deæ,
Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx, curvo grave calamo,
Ubi capita Mænades, ubi jaciunt hederigeræ,
E *Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant.*

Erant cymbala musicum instrumentum ex ære, duobus concavis hemisphæriis constans (*c*), quæ concussa & quassata tinnitum edebant, & ad significandos ebriorum tumultus commodissime usurpabantur (*d*). Haud absimilibus crepitaculis nunc utuntur Orientales, Arabice .... *snuge*. Eorum fit mentio passim apud veteres. Ovidius IV. *Fastorum vers.* 181. — 184.

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.
F *Ibunt semimares, & inania tympana tundent,*
Aeraque tinnitus aere repulsa dabant.

Virgilius III. *Æneidos vers.* 111. — 113.

Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus: hinc fida silentia sacris,
Et juncti currum dominæ subiere leones.

Epiphanius (*a*) *In adytis fiunt fœdissima: mulierum denudationes, tympana, placentæ, rhombus, calathus, lana confecta, & cymbalum, & cyceon potus in phiala præparatus.* Consonant quæ superius attulimus ex Clemente Alexandrino. Propertius *Elegia ad Bacchum* (*b*)

Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ,
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero juxta dea magna Cybelle
Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.

Turrigero capite, vel quia Cybele, Rhea, Ops est Terra; vel quia primam turribus urbes muniisse creditum est. Ovidius (*c*)

At cur turrifera caput est onerata corona?
An primis turres urbibus illa dedit?

Nec unquam ejus sacra a sacris Bacchi sejuncta, ut ex Strabone, aliisque superius allatis fit manifestum: *Est apud Anthedonios*, inquit Pausanias in Boeoticis, *medio maxime urbis loco Cabirorum templum, & ab eo proxime abest sacer Cereri lucus, cum Proserpinæ æde. Signum Deæ e candido marmore. Liberi vero patris templum, cum simulacro fecerunt ante urbis mœnia.* Vides sacra Cabirorum Samothracia, Cerealia, Dionysiaca ab erudito Topographo fere conjuncta. Clarius Euripides *Bacchis vers.* 78. — 82.

Τά τε ματρὸς μεγάλας
Οργια Κυβέλας θεμιστεύων,
Ανὰ θύρσον τε τινάσσων,
Κισσῷ τε στεφανωθῆς
Διόνυσον θεραπεύει.
Et Matris Magnæ
Orgia Cybeles colens,
Thyrsumque quatiens,
Et hedera coronatus
Dionysium colit.

Orgia propria Cybeles: sunt enim dicta ἀπὸ τῆς ὀργῆς, ab ejus ira in Jovem, ut ait Clemens Alexandrinus (*d*), ubi mysteria deducit ἀπὸ τοῦ μύσους, ab *execratione*, & abominatione, quæ accidit circa Jovem, vel μυστήρια quasi μυθήρια. Sic Cybele non a Cybelis montibus, ut placet Scholiastæ Aristophanis ad *Aves vers.* 877. & Suidæ in Κυβέλη, quibusdam videtur dicta, sed a capitis rotatione, ἀπὸ τοῦ κύβεσθαι τὴν κεφαλὴν, vel quod agit homines in furorem, ut innuere videtur Festus (*e*), & Servius ad X. Virgilii v. 254.

Tam Phrygum, quam Bacchantium chori mitra caput cingebant, eamque sub mento ligabant, ne decideret, si quando ob vinum nutarent (*f*). Propertius (*g*)

Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi,
Furabor Phœbi, si modo plectra dabis.

quia Bacchus θηλυμίτρης, *muliebri mitra revinctus*, ut loquitur Lucianus *dialogo Junonis & Jovis.* Sic quum apud Euripidem Pentheus Bacchan-

a *Actu* V. *Sc.* 3. *in princ.* b *Libro* II. *cap.* I. c *ut apud Spon. miscell. erud. antiq. sect.* I. *art.* 6. & in Elegantissima Bacchi tabula marmorea in ædibus Farnesianis Romæ; cujus exemplum a clarissimo (eheu) Francisco Blanchinio acceptum, in æs incidi curavi ad exornandam libri frontem. d *Phurnut. de nat. Deor. cap.* 30.

a *lib.* III. *de fide Cathol. Eccles.* b *lib.* III. *Eleg.* 17. c IV. *Fastor. vers.* 229. — 230. *Lucian. de Dea Syria.* d *in Protrept. pag.* 10. *edit.* 1688. e *V. Cybele.* f *Euseb. præpar. lib.* II. g *lib.* IV. *Eleg.* 2.

tium in morem esset ornandus, nuncii monitu sumendi erant (*a*)

Πέπλοι ποδήρεις, ἐπὶ κάρα δ᾽ ἔςαι μίτρα.
Pepli talares, & supra caput erit mitra.

Pepli talares: nam Bacchus muliebri ac delicato corpore pingebatur, teste Origene contra Celsum. *Dicunt enim* (ait Isidorus (*b*)) *mulieres ei attributas, & vinum, propter excitandam libidinem. Unde & frons ejus pampino cingitur.* Ovidius (*c*)

Virginea puerum ducit per litora forma.

Quidni igitur muliebri amictus veste? Hinc Tibullus (*d*)

Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.

Statius I. *Achilleidos vers.* 262. — 263.

Si decet aurata Bacchum vestigia palla
Verrere ——

Bacchicorum igitur, ϗ ὀργιαζόντων fuit muliebris vestis serica, & purpurea, syrma, & crocota dicta, vel *Bassara* a Bassara loco Lydiæ, uti ex Porphyrione ad Horatium adnotavit doctissimus Salmasius (*e*). Meursius tamen ad Lycophronem(*f*) tradit, per Βασσάραν intelligi tam vulpem, quam meretricem: nam Βασσάρα, sive Βάσσαρις Thracum lingua est vulpes, ut docet vetus interpres Persii *Satyra* I. apud eundem Meursium. Hesychius: Βάσσαρις ἀλώπηξ. & paullo ante: Βασσάραι χιτῶνες, ὓς ἐφόρυν αἱ Θράκιαι Βάκχαι, *Bassaræ dicuntur tunicæ, quas ferebant Thraciæ Bacchæ*; inde Bacchas dictas *Bassaridas*, quia vulpinis pellibus succingebantur. Potius dixerim quia meretrices. Aliam nominis rationem, neque improbabilem adducit Phurnutus (*g*); Picam esse garrulam avem, Baccho consecratam, & Βασσαρ-ραίαν dictam, ἀπὸ τῦ Βάζειν, a garriendo, & εἰραφιώτην, quod rixas, & contentiones pariat; quæ optime in Bacchantes quadrant; nam temulenti principio loquaces, deinde rixantur.

Bacchantes præterea cothurnati. Virgilius (*b*)

—— *nudataque mustis*
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.

Nam cothurnatus Bacchus, cui dicata Tragœdia ut Apollini comœdia (*i*): & tunc sine syrmate, aut crocota talari (*k*). Æschylus apud Pausaniam (*l*) de se scriptum reliquit: Puero sibi, dum uvas in agro custodiret, dormienti Bacchum imperasse, ut tragœdiam scriberet; seque, quum primum illuxisset, dicto audientem periclitatum, quid in ea re posset; omniaque se minimo negotio consecutum. Diserte Demosthenes *oratione de corona* (*m*) conjungit Bacchanalia, sive Dionysia majora, & novas tragœdias: ϗ ἀναγορεῦσαι ἐν τῷ θεάτρῳ, Διονυσίοις τοῖς μεγάλοις, τραγῳδοῖς καινοῖς· & Aristophanes in *Ranis* inducit Bacchum judicem datum apud inferos inter Æschylum, & Euripidem, Tragicos Poetas. Fulvius vero Ursinus ad nummum v. Familiæ Vibiæ, inquit, fuisse comœdias Baccho sacras, ex Scholiaste forte Aristophanis ad *Ranas vers.* 406. cujus verba sunt: τῷ δὲ Διονύσῳ αἱ κωμῳδίαι ἀνάκεινται. At tigris, quæ in nummo illo visitur nihil (quod est notandum) cum comœdia commune habet, nec larva ibi comica signatur, sed solidum caput hominis recisum. Vide varias de hac re Scriptorum sententias apud Th. Dempsterum *Etruriæ Regalis lib.* III. *cap.* XI. & LXXI. Erat cothurnus calceamenti genus utrique conveniens pedi: ὑπόδημα ἀμφοτροδέξιον, ut ait Suidas in Κόθορνος. Hinc Theramenes, apud Xenophontem τῶν Ἑλληνικῶν *lib.* II. quod nunc oligarchiæ, nunc populi imperio Athenis faveret, *Cothurnus* appellatus: & ut ait Aristophanis Scholiastes ad *Ranas vers.* 546. ἐπειδὴ ϗ ὁ κόθορνος ἀνδράσι ϗ γυναιξὶ πρὸς τὰς ὑποδήσεις ἁρμόττει, *quoniam cothurnus calceamenti genus est, tam viris, quam mulieribus aptum*: unde proverbium, *cothurno versatilior*. Ligneum eum fuisse, indicat Justinus Martyr Epistola ad Zenam, & Serenum: καθάπερ ὁ λίαν μεγαλοφώνως τὸν Ὀρέςην ὑποκρινόμενος, φοβερὸς εἶναι ϗ μέγας παρὰ τοῖς ἀνοήτοις διὰ τῶν ξυλίνων ποδῶν, καὶ κοιλίας ἐπιπλάςυ, καὶ ςολῆς ἀλλοκότυ, ϗ προσώπυ τερατώδυς ὑπείληπται. *Quemadmodum qui clamore ingenti Orestem persona referens, terribilis, & magnus ab insipientibus esse putatur propter pedes ligneos, & ventrem factitium, & vestem peregrinam, & faciem monstrosam.* Tragicum igitur calceamentum ligneum, ut necesse quidem fuit hominibus, magnos, & insigni proceritate Heroas statura, & gressu imitari conantibus. Pulchre deridet Hercules Bacchum cothurnatum apud Aristophanem *in Ranis* (*a*), quod clavam, & leoninam pellem sibi sumserat.

Ἀλλ᾽ ὐχ᾽ οἷός τ᾽ εἰμι ἀποσοβῆσαι τὸν γέλων
Ὁρῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην
Τίς ὁ νῦς; τί κόθορνος ϗ ῥόπαλον ξυνηλθέτην,
Ποῖ γῆς ἀπεδήμεις; ——

Non possum continere risum, quando ita
Leoninam crocoto inductam conspicor.
Quid hoc animi? quid clavæ cothurno erat
Commercii? quo terrarum tendis; ——

Hinc simulacrum Jovis amicitiarum præsidis, a Polycleto Argivo factum, simile dicitur Libero patri a Pausania (*b*). *Nam ei cothurni pro calceamentis sunt, & altera poculum, thyrsum altera tenet.* Sic cothurnis usus est M. Antonius, quum Liberum patrem se ferret; unde Bacchus *benignus* ac *blandus* ab Ephesiis appellatus est, teste Plutarcho in ejus vita. Quin etiam, ut memoriæ prodidit M. Annæus Seneca (*c*): *occurrerunt venienti ei Athenienses cum conjugibus, & liberis, &* Διόνυσον *salutaverunt.* Vellejus *libro* II. *Quum ante Liberum patrem appellari se jussisset, quum redimitus hedera, coronaque velatus aurea, & thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru, veluti Liber pater vectus esset Alexandriæ.* Mirum certe nisi habuit aut tigridis, pantheræve pellem, aut saltem hinnuleam, νεβρίδα, præcipuum Bacchi insigne. Euripides apud Aristophanem *Ranis vers.* 1242. — 1244.

Διόνυσος, ὃς θύρσοισι καὶ νεβρῶν δοραῖς
Καθαπτὸς ἐν πεύκαισι Παρνασσὸν κάτα
Πηδῷ χορεύων. ——
Dionysus, hasta, & hinnulorum pellibus
Qui cinctus, in piceis, jugum Parnasseum
Saltu pererrat. ——

a *vers.* 831. b *lib.* VII. *cap.* 2. c *Metam.* III. *vers.* 607. d *lib.* I. *Eleg.* 7. e *ad Tertullian. de Pallio cap.* 5. f *pag.* 342. *edit. Elzevir. in* 8. 1597. g *De natur. Deorum cap.* 30. h *Georg.* II. *in princ.* i Non obscure id docet Plutarchus *Symposiacῶn libro* V. *qu.* II. ubi certamen Tragicum in Pythiis ludis adscititium vocat. k *Turneb. advers. lib.* XXV. *cap. ult.* l *in Atticis.* m *pag.* 320. *edit. Aurel. Allobr.* 1687.

a *Act.* I. *sc.* II. b *In Arcadicis.* c *Suasor.* I.

Nebride maculosa, inquit Diodorus in primo, significari astrorum varietatem. Hinc nebride usi bacchantes, quia Bacchus est Sol. Statius II. *Thebaidos vers.* 664.

> *Nebridas, & fragiles thyrsos portare putastis*
> *Imbellem ad sonitum* ——

Et in Euripidis *Bacchis vers.* 833. nuncius jubet Pentheum ferre —

> Θύρσον τε χειρὶ, καὶ νεβροῦ στικτὸν δέρας.
> *Thyrsum manibus, & maculosam hinnuli pellem.*

Nil frequentius apud Poetas. Pantheræ, pardi, tigrides, lynces Baccho addicebantur, ad significandam Solis velocitatem; vel quia vulgo creditus est tigride vectus in Indiam. Hinc frequens in gemmis Bacchus visitur, dextera thyrsum, sinistra cantharum tenens, & eum effundens in pantheram: ajunt enim pantheras vino delectari. Oppianus (*a*):

> *Pantheras etiam dona Bacchi capiunt.*

Vide Philostratum *Imag. lib.* 5. Spanhem. *dissert.* III. Vaillantium de Seleucidarum Imperio (*b*) *in Antiocho Epiphane Dionysio*. Hinc in nummis Tyanensium Antinous, veluti Bacchus, trigidi insidens, & thyrsum gerens: & Osiris cum Iside biga tigridum vectus in nummo L. Septimii Severi, & Juliæ Domnæ Augustæ, a Seleuciis cusis, apud Sponium (*c*). Horatius *lib.* III. *Ode* III.

> *Hac te merentem, Bacche pater, tuæ*
> *Vexere tigres, indocili jugum*
> *Collo trahentes.*

Et Martialis (*d*):

> *Nam cum captivos ageret sub curribus Indos,*
> *Contentus gemina tigride Bacchus erat.*

Alii nummi exhibent Bacchum & Isidem curru vectos a centauris; qui Bacchi comites temulenti, ac feri; immo milites apud Nonnum in Dionysiacis (*e*). Unde centaurus sagittarius in nummo Prusiæ Regis Bithyniæ sub effigie Bacchi, cujus mentio, ex Museo Mediceo, fit a doctissimo Spanhemio (*f*), uti & bigæ centaurorum, quorum alter tibiam inflat, in nummo Faustinæ junioris, a Nicæensibus cuso. Idem vir clarissimus aliam bigam memorat centaurorum utriusque sexus, trahentium Bacchum & Ariadnem, in nummo Juliæ, uxoris Severi, apud Seguinum: aliumque item Nicæensium, in quo sedentes in thensa Bacchum & Isidem duo centauri trahunt; e quibus prior tibiam inflat, alterius tergo Cupido insidet (*g*) Euripides *Iphigenia in Aulide vers.* 1060.—1061. in nuptiis Pelei & Thetidos agmen centaurorum venisse dicit

> —— Ἐπὶ δαῖτα τῶν θεῶν,
> Κρατῆρά τε Βάκχου.
> —— *ad convivium Deorum,*
> *Et craterem Bacchi.*

Chiron, unus ex centauris, silvestria afferens dona inducitur a Catullo ad easdem nuptias, ubi Parcæ vaticinatæ sunt, Achillem ex Thetide o-

a *De venat.* IV. b *pag.* 484. c *sect.* II. *art.* II. d *lib.* VIII. *ep.* 26. e *lib.* XXVII. *vers.* 31. f *Dissert.* V. g *Spanhem. Dissert.* V.

A riturum, & Trojam eversurum. In nummis itidem Pergamenorum Centauri δᾳδοῦχοι (*a*).

Thyrsus fuit levis hasta, cujus mucronem hedera lambebat; sive ad significandam hederæ vim, quæ homines vino calentes sedat, sive quod ebrios vincire tanquam furiosos oporteat, ne in cædes, aut libidines ruant: *habet enim hedera vinciendi, obligandique naturam*, auctore Macrobio (*b*): *Nec desunt* (inquit Phurnutus (*c*)) *thyrsi, qui occulta hastilia continent, quasi raro dilabantur convivia, quibus copiosus præest Bacchus, citra calamitatem aliquam, & vulnera, in quæ contumeliis provocati, & furore exciti feruntur.* B *Hinc Bacchus appellatur Mænalus, & mulieres, a quibus colitur, Mænades* (*d*). Erant thyrsi tæniis obvincti: nam hastam Osiridi, vel Soli, tænias, seu vittas Isidi tribuebant Ægyptii (*e*). Eorum fastigiis imposita nux pinea, quæ semper usurpata in Liberi sacris; sive quod fructus omnes invenisse dicebatur, ut Athenæus ex Neoptolemo Pariano in Dionysiade tradit (*f*); sive quod suave provenit vinum, ubi pinus nascitur (*g*); sive quod ad Venerem nux pinea reddit homines procliviores; sive quod pinea nuce, & rhombo, aliisque puerilibus illecebris deceptus, & discerptus a Titanibus fuit Dionysus: C unde illa Orphei apud Clementem Alexandrinum.

> Κῶνος, καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια
> Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.
> *Pinea nux, rhombus, & qui flectunt membra, moventque,*
> *Ludi, & quæ Hesperides canoram vocem habentes miserunt aurea mala* (*h*).

De pineis nucibus Hesychius: Κῶνοι, οἱ θύρσοι, καὶ οἱ στρόβιλοι, καὶ οἱ στρόμβοι. Igitur tria hæc nomina nucis pineæ, ut Spanhemio placet (*i*). Et ipsi thyrsi *coni* appellati, quod fere semper vel D nucem pineam habebant fastigiis impositam, vel quidpiam ad ejus formam confictum; ut passim in omnibus quotquot supersunt vetusti operis Bacchantibus, Mænadibus, Corybantibus videre licet; & præsertim in eximii artificii onyce apud clar. equitem *Pium Nicolaum Garellium* (*k*). Quum vero puerile ludicrum, rhombus, sive turbo, nucis quoque pineæ figuram præseferat, & στρόβιλος dicatur a στροβέω *torqueo* (Neapolitanis, origine Græcis, etiamnum *strommolo*); hinc conversa ratione factum est, ut nux pinea στρόβιλος fuerit appellata, intra quam nuclei αἱ πιτυΐδες, & ipsi quandoque dicti Κῶνοι, ut Casaubo- E nus ad Athenæum adnotavit (*l*).

Et fructus, & arbor sacra in Cereris sacris, quia Phrygia regio pinifera (*m*). Adscribam Stephani locum in Μίλητος, ut est a doctissimo Spanhemio (*n*) emendatus, quamvis reluctetur Abrahamus Berkelius in *Commentario* ad eundem locum: οἱ γὰρ Ἀθηναῖοι ἐν τοῖς θεσμοφορίοις ΠΙΤΥΟΣ ΚΛΑΔΟΝ ὑπὸ τὴν στιβάδα, καὶ ἐπὶ τὰ τῆς Δήμητρος ἱερὰ ΚΩΝΟΝ ΠΙΤΥΟΣ ἐτίθεσαν, διὰ τὸ ἀρχαῖον τῆς γενέσεως: *Athenienses enim in Thesmophoriis* PINUS RAMUM *infra lectum, & supra Cereris simulacra* FRUCTUM PINUS *collocant, propter vetustatem generationis*. Julianus Impe- F rator (*o*), ipso die verni æquinoctii arborem,

a *Id. ibid.* b *lib.* I. *Saturnal. cap.* 19. c *De natur. Deor. cap.* 30. d Mænades repræsentantur in urna marmorea apud Spon. *sect.* II. *art.* V. e *Pighius explicat. mytholog. ad anni partes.* f *Athen. lib.* III. *cap.* 7. g *Plutarchus in Symposiacis lib.* V. *qu.* III. h *In Protrept.* quem locum ex aliorum fide haud bene supra attulimus *pag.* 24. i *Dissert.* VI. k Ejus typum dabimus ad calcem operis. Vide Ant. Franc. Gorii librum *Inscription. in Etruriæ Urbibus extantium Tab.* V. *fig.* I. & *Tab.* XV. l *lib.* II. *cap.* 16. m *Julian. Imp. orat.* V. n *Dissert.* IV. *de usu, & præstant.* o *eadem orat.* V.

Matri

Matri Deum sacram, succidi scribit: τέμνεσθαι γάρ φασι τὸ ἱερὸν δένδρον καθ' ἣν ἡμέραν, ὁ ἥλιος ἐπὶ τὸ ἄκρον ἰσημερινῆς ἁψῖδος ἔρχεται· εἶθ' ἑξῆς περισαλπισμὸς παραλαμβάνεται· τῇ τρίτῃ δὲ τέμνεται τὸ ἱερὸν, καὶ ἀπόρρητον θέρος τοῦ θεοῦ Γάλλου· ἐπὶ τούτοις Ἱλάρια, φασὶ, καὶ ἑορταί. *Etenim sacram arborem succidi illo ipso die ferunt, quo Sol supremam æquinoctiorum apsidem attigit. Altero die tubarum clangore perstrepunt. Tertio sacra & arcana Galli messis putatur. Secundum hæc, ut ajunt, Hilaria succedunt.* Ad Attinem, sive Solem Hilaria pertinere discimus ex Macrobio (*a*). Hinc Arnobius (*b*) *Quid enim vult illa pinus, quam semper statis diebus in Deum Matris intromittitis sanctuario?* Idcirco in nummis Catanensium, Bacchus conspicitur cum magno racemo, Ceres cum spicea corona, ambo biga pantherarum, aut tigridum vecti: itemque figura nuda, ramum pineæ manu gestans, & nucem pineam habens sub pede, cum inscriptione ΚΑΤΑΙΩΝ (*c*); nam, ut alibi dictum est, sacra Cereris & Bacchi in promiscuo. Strabo *libro* X. Ἴακχόν τε καὶ τὸν Διόνυσον καλοῦσι, καὶ τὸν ἀρχηγέτην τῶν μυστηρίων, τῆς Δήμητρος δαίμονα· δενδροφορίαι τε καὶ χορεῖαι, καὶ τελεταὶ κοιναὶ τῶν θεῶν ἐστι τούτων: *& Dionysum Jacchum appellant, ac principem mysteriorum, genium Cereris: tum ramorum gestationes, choreæ, sacrificia communia Deorum sunt istorum.* Dendrophori igitur in honorem quum Cereris, tum Bacchi, ramos pineos gestabant: quod in allato nummo significatum a Catanensibus. Sacra eadem pinus Neptuno, qui humidi, & genitalis principii dominus habebatur (*d*): neque absimili ratione Pana fingebant pinu cornua præcinctum (*e*).

Hedera redimitus Bacchus, vel quia hederæ inventor, quæ Ægyptiis dicebatur, planta Osiridis (*f*), vel in memoriam Cissi pueri, qui saltu prolapsus, dum orgia celebraret, interiit, & in hederam versus est, ut scribit Constantinus Cæsar (*g*): vel quia *citra cultum ubivis copiosa provenit, facie alioqui non invenusta, corymbisque, & foliis virentibus frontem opacans, adstrictionisque vehementiam patitur, & postremo refrigerat citra odoris gravitatem*, auctore Athenæo (*h*), vel quia viti persimilis (*i*); vel quod hedera semper viret, ut Bacchus est semper juvenis, vel quod habet spiritum quendam, qui de statu rationis deturbat; unde Bacchæ recta ad hederam ferebantur, eamque discerpebant, ac vorabant (*k*); vel quod antipharmacum est ebrietatis (*l*), vel quod Bacchus infans hederæ foliis a nutrice occultatus fuit, ne in Junonis potestatem deveniret. Ovidius III. *Fastor. vers.* 769. & 770.

Nysiades nymphæ, puerum quærente noverca,
Hanc frondem cunis apposuisse ferunt.

Item Euripidis Phœnissis *v.* 652. — 658. Inde Bacchi cantharus, sive poculum hederaceum (*m*), ut ait Athenæus (*n*) cissybium dictum. Suidas: Κισσύβιον, ἐκ κισσίνου ξύλου ποτήριον κύριον κυρίως. Aliter Pollux (*o*): τὸ δὲ Κισσύβιον κισσὸς περιέθει, ἀφ' οὗ καὶ τὸ ὄνομα: *Cissybium vero hedera ambi*-A *bat, a qua, & nomen desumsit.* Sic & apud Theocritum *Idyll.* I. *Poculo circum labra innectitur superne hedera.*

Τῷ περὶ μὲν χείλη μαρύεται ὑψόθι κισσός.

Hedera coronantur Poetæ, quasi Libero consecrati, & vinosi, ac œstro quodam insanientes: item quia sicut hederæ semper virent, ita carmina æternitatem consequuntur (*a*). Ajunt tandem per hederam albam, & nigram diem, & noctem significari. Smilacem quoque inter Baccharum coronamenta recenset Callixenus apud Athenæum, (*b*) B ἐστεφανωμέναι, τινὲς μὲν ὄφεσιν, αἱ δὲ σμίλαξι, καὶ ἀμπέλῳ, καὶ κισσῷ. Hanc plantam hederæ similem facit Plinius (*c*).

Bacchum describens Albricus Philosophus, editus inter Mythologos Latinos, inquit (*d*): *Erat imago sua facie muliebri, pectore nudo, capite cornuto vitibus coronato, qui super tigride equitabat.* Muliebri forma, & corniger, quod vires, & robur ebrii amittant (*e*). Homerus *Iliadis* Z. *vers.* 265.

Μή μοι οἶνον ἄειρε μελίφρονα, πότνια μῆτερ,
C Μή μ' ἀπογυιώσῃς μένεος δ' ἀλκῆς τε λάθωμαι.
Ne mihi vinum præbeas mellitum, veneranda mater,
Ne me enerves, roborisque, & virium oblivi-*scar.*

Pectore nudo, inquit Albericus, ad ostendendam vini naturam, quæ secreta pandit, & mores detegit. Horatius *ad amphoram* (*f*)

——— *tu sapientium*
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.

D Idem Horatius *lib.* I. *epist.* V. *ad Torquatum*

——— *potare, & spargere flores*
Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi.
Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas ———

Hinc proverbium, οἶνος καὶ ἀλήθεια apud Athenæum *lib.* II. *cap.* II. Ipse tamen Bacchus mentitur apud Aristophanem (*g*), quum inquit, duodecim, aut tredecim hostium naves a se demersas esse: cui Hercules respondet, vel Xanthias servus, ut ex Vati- E cano codice conjicit Ludolphus Kusterus:

——— Κᾆτ' ἔγωγ' ἐξηγρόμην.
——— *Et ego expergiscebar dein.*

indicans, illum hæc fecisse in somniis, δηλῶν, ὅτι ὄναρ, ταῦτα ἔπραξεν, ut interpretatur Scholiastes, & qui eum describit Suidas in Κᾆτ' ἔγωγ' ἐξηγρόμην.

Mente igitur concipere possumus, quomodo se ostentaverit Caligula, qui, teste Aurelio Victore, *Sororum stupro, ac matronis illudens nobilibus,* F *Deorum habitu incedebat, cum Jovem ob incestum, ex thoro autem Bacchanali Liberum se assereret.* Omnibus Baccharum insignibus usa est Messalina apud Tacitum (*h*) *At Messalina non alias solutior luxu, adulto autumno, simulacrum vindemiæ per domum celebrabat: urgeri præla,*

a *lib.* I. *Saturn. cap.* 21. b *libro* V. Vide *Virg. lib.* IX. *Æneid. vers.* 85. c *Spanhem. dissert.* VI. d *Plutarch. Sympos.* V. *quæst.* 3. e *Phurnut. cap.* 22. & 27. f *Diodor. lib.* I. *cap.* XVII. *Plutarch. de Isid. & Osir.* g *Themat. lib.* XI. *cap.* XXXI. *citatus a Hieron. Aleandro in explicat. Tabulæ Solis pag.* 21. h *lib.* XV. *cap.* V. i *Plutarchus Sympos. lib.* III. *quæst.* II. *Diodor. loc. cit.* k *Plutarch. quæst. Rom.* CXIII. l Ex Varrone *Servius ad* VIII. *Virg. Eclog.* m *Macrob. lib.* V. *Saturn. cap.* XXI. n *lib.* XI. *cap.* VII. o *lib.* VI. *cap.* XVI. *n.* 97.

a *Serv. ad* XIII. *Eclog. Virg.* b *lib.* V. *cap.* VII. c *lib.* XVI. *cap.* 34. d *cap.* XXI. e *Phurnutus cap.* 30. f *lib.* III. *Od.* 21. g *Aristoph. in Ranis act.* I. *sc.* II. *vers.* 12. & 13. h *Annal.* XII.

fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ assultabant, ut sacrificantes, vel insanientes Bacchæ. Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, juxtaque Silius, hedera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro. Assultabant, *ut sacrificantes*, inquit Tacitus; nusquam enim sejunctæ saltationes a Bacchi sacris. Lucianus περὶ ὀρχήσεως: Τὰ μὲν γὰρ Διονυσιακὰ καὶ Βακχικὰ, οἴμαί σε μὴ περιμένειν ἐμοῦ ἀκοῦσαι ὅτι ὄρχησις ἐκεῖνα πάντα ἦν. *Neque enim arbitror te expectare, ut ex me audias, Dionysiaca, & Bacchica illa omnia genus fuisse saltationis.* Adhibita etiam Pyrrhicha, & armisona, quæ & Berecyntiaca. Vetus Scholiastes Sophoclis: τῆς δὲ ὀρχήσεων ἡ μὲν Βερεκυντιακὴ λέγεται, ἡ δὲ κρητικὴ, ἡ δὲ πυῤῥίχη: ubi mendum subesse, ait *Meursius ad Lycophronem* (*a*) quod κρητικὴ sit Corybantiaca, sive Gnossia saltatio, πυῤῥίχη vero ἐνόπλιος; sed medicina non est opus, quando Curetes jussu Rheæ in Creta saltabant, Corybantes in Phrygia, ut habet Lucianus; nempe in Berecynto monte. Pyrrhicham, & Bellicrepam saltationem Κορυβαντίαν, & Κορητικὴν appellari, monet doctissimus Causaubonus ad *Strabonis lib.* X. in memoriam Corybantum, & Curetum; quorum similes fuerint Romanorum *Salii*, a saltando dicti. Quin etiam Romæ inter Liberalium solemnia fuit Agon. Varro *lib.* V. *de lingua Lat. In libreis Saliorum*, inquit; *quorum cognomen Agonensium, forsitan hic dies ideo appellatur potius Agonia.* Apud eundem auctorem extat solemne carmen, quod Flamen Martialis veteri vino libando & degustando medicamenti caussa pronuntiabat: *Novum vetus vinum bibo, novo veteri morbo medeor.* Unde dies dictus *Meditrinalia*. Huc facit quod Masurius Sabinus scribit, teste Macrobio (*b*): *Liberalium Dies a Pontificibus Agonium Martiale appellatur.*

Liberalia celebrabantur in propatulo, & in media luce Urbis; non, ut Bacchanalia, in occulto, de quibus agitur in nostro Senatusconsulto. Erant statæ feriæ, non indictivæ, a Libero dictæ, & a libertate bibendi, & loquendi. Nævius apud Festum in *Liberalia*: *libera lingua loquemur ludis liberalibus* (*c*). Semel in anno fiebant ad XVI. Kal. Aprilis, quo tempore vina a fæcibus separabantur. Quin etiam pueri relicta prætexta, togam virilem sumebant. Tullius ad Atticum scribens (*d*) *Cicerones pueri amant inter se, discunt, exercentur; sed alter, ut dixit Isocrates in Ephoro, & Theopompo, frænis eget, alter calcaribus. Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare. mandavit enim pater. ea sic observabo, quasi intercalatum non sit.* Cujus rei rationem reddere conatur Ovidius (*e*):

Restat ut inveniam, quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuo.
Sive quod ipse puer semper, juvenisque videris,
Et media est ætas inter utrumque tibi;
Seu quia tu pater es, patres sua pignora natos
Commendant curæ, numinibusque tuis.
Sive quod es Liber, vestis quoque libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter. &c.

Liberum a *liberando* deducit Servius, quod refert ad animæ purgationem (*f*), de qua superius dictum est. Varro a Libero, & a libis dicta putat Liberalia (*g*): *Liberalia dicta quod per totum oppidum ea die sedent sacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus, cum libeis, & foculo pro emptore sacrificantes.* De hac re Ovidius (*h*):

a *vers. 259. in fine* ὀρχηστὴς ἀρης. b *lib.* I. *Saturn. cap.* 4. c Vide Plutarchum *quæst. Rom.* CIV. d *lib.* 6. *Epist.* I. e *Fastor.* III. *vers.* 771. — 778. f *ad* 1. *Georg. Virgilii* g *lib.* V. *de LL.* h *lib.* III. *Fast. vers.* 725. — 726.

Carminis hujus opus, caussas expromere, quare
Vilis anus populos ad sua liba vocat.

Et *vers.* 735. — 736.

Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus ille
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

Liba enim conficiebantur cum melle, ut docet M. Cato in libro *de re Rustica cap.* LXXV. Item Ovidius *vers.* 761. — 766.

Melle pater fruitur, liboque infusa calenti
Jure repertori candida mella damus,
Femina cur præsit, non est rationis opertæ,
Femineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quæris? vinosior ætas
Hæc est, & gravidæ munera vitis amans.

nam vetulæ bibaculæ. Plautus in *Curculione actu* I. *sc.* II.

Ph. *Sitit hæc anus.* Pa. *Quantillum sitit?* Ph. *Modica est, capit*
Quadrantal. Pa. *Pol, ut prædicas, vindemia hæc*
Huic anui non satis est soli ——

Quadrantal, quod Græcis ἀμφορεὺς, vas erat pedis quadrati, & (*a*) continebat sextarios quadraginta & octo; sextarius cotylas, sive heminas duas. Aurea tamen amphora, quam Bacchus, in Naxo sibi datam a Vulcano, Thetidi, quæ Lycurgum effugiens in mare se receperat, dono dedit, major pede cubico fuisse videtur; in ea enim Achillis ossa condi debebant, ut Stesichorus refert apud Homeri Scholiasten (*b*).

Nil igitur Liberalibus in occulto; immo in publico instructæ epulæ magnificentissimæ. Tertullianus Apologetico (*c*): *Herculanarum decimarum, & pollinctorum sumtus tabularii supputabunt Apaturiis, Dionysiis mysteriis Atticis coquorum dilectus indicetur. Ad fumum cœnæ Serapicæ sparteoli excitabuntur. De solo triclinio Christianorum retractatur.* & alibi (*d*): *Non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis supremum cœnantibus mos est.* Aliud agit Desiderius Heraldus (*e*), dum, deceptus ambiguo ejusdem Tertulliani loco *cap.* V. *de spectaculis*, existimat, Liberalia dici apud eundem auctorem omnis generis ludos, ut recte adnotat Rigaltius (*f*).

Palam, & inspectantibus honestissimis matronis, procedebat etiam pompa Ithyphallica. D. Augustinus (*g*): *inter cetera* (inquit) *quæ prætermittere, quoniam multa sunt, cogor, in Italiæ compitis quædam dicit* (nempe Varro) *sacra Liberi celebrata, cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur; non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo, exsultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos, cum honore magno, plostellis impositum prius rure, in compitis, & usque in Urbem postea vectabatur. In oppido autem Lavinio uni Libero totus mensis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitiosissimis uterentur, donec il-*

a *Festus in* quadrantal, & *in* hemina. b *Ex Stesichoro Scholiastes Homeri ad Iliad.* Ψ. *ver.* 91. *Edit. Barnesii pag.* 852. c *cap.* 39. d *cap.* 42. e *Digression. ad Tertullian. Apolog. lib.* I. *cap.* 28. f *ad lib. de spectaculis.* g *de Civit. Dei lib.* VII. *cap.* XXI.

lud membrum per forum transvectum esset, atque in loco suo quiesceret. Cui membro inhonesto matremfamilias honestissimam palam coronam necesse erat imponere. Sic videlicet Liber Deus placandus fuerat proventibus seminum, sic ab agris fascinatio repellenda. Et alibi (*a*): *Rideo porro sacra Liberi, quæ cum alibi, tum Lavinii fierent impudentissima pudendorum virilium*. Hic mos, ut fere reliqua omnia a Græcis, & Ægyptiis, quæ heic describere pudor vetat: legi tamen possunt apud Herodotum (*b*), & Plutarchum, ubi pompam narrat, qua (*c*) Demetrio Poliorceti, honores Bacchicos appetenti, obviam processum est. Item apud Athenæum (*d*), & Lucianum (*e*). Pertinebant autem omnia ad significandam fœcunditatem, & genitalem vim; unde etiam ovum in Bacchi mysteriis, ut idem Plutarchus tradit in *Symposiacis lib.* II. *qu.* III. & ex Plutarchi scriniis Macrobius *Saturnal. lib.* VII. *cap.* XVI. ubi quærit, gallina ne, an ovum fuerit prius. Ut Pæan carmen fuit Apollini sacrum, ita Ithyphallicum Baccho: cujus exemplum videsis concinnatum a Casaubono ad Athenæum. (*f*).

Pompa hujusmodi dicebatur *περιφαλλία*: qui ferebant *φαλλοφόροι* (*g*) chori canticum *φαλλικὸν ᾆσμα*. Dicæpolis apud Aristophanem *Acharnan.* (*h*)

—— *ᾄσομαι τὸ φαλλικόν*.
—— *cantilenam de pene accinam*.

Græci ab Assyriis, Persis, & Ægyptiis accepere, de quibus Ptolomæus (*i*): *καθιερῶνται ᾗ παρ' αὐτοῖς τὰ γεννητικὰ μόρια*: *Sacra sunt apud eos membra genitalia*. De Ægyptiis feminis auctor est Herodotus (*k*), phallos ficulneos e collo pendentes circumgestasse. Forte quia Bacchus dictus est Sycites *ficulneus*, quasi ficus repertor & cultor; & hoc cognomine fuit in honore apud Lacedæmonios (*l*). Sed Pausanias *in Atticis* scribit, fici stirpem a Cerere Phitalo dono datam in hospitii remunerationem. Dactylos Syriacos, & Phœnicios dictos fuisse *Σῦκας*, & *συκοβαλάνους*, docet Spanhemius *dissert.* VI. Similia Phallophoriis *Pamylia* sacra, de quibus videndus Plutarchus libro de *Iside, & Osiride*. Pamylum quendam memorant, qui qua die natus est Osiris, ex Jovis templo aquam petens, jussus est a voce quadam proclamare, *Osirim esse natum magnum Regem*; deinde ei traditum fuisse Osirim, a Saturno nutriendum.

Diversa a Liberalibus *Vinalia* in urbe Roma; & quidem duplicia. *Priora Vinalia*, quæ & *Aphrodisia* dicta, & Veneri sacra (ut ex Varronis Satyra *περὶ ἀφροδισίων* conjicit (*m*) Gutherus) IX. Kal. Maii, *degustandis vinis instituta sunt*, auctore Plinio (*n*); & tunc vinum novum Jovi libabatur, ut tradit Festus in *Vinalia*, & *Calpar*: ubi legendæ breves doctissimi Jos. Scaligeri castigationes. *Posteriora Vinalia*, sive *rustica* celebrabantur XIII. Kal. Septembris, die Jovi sacro, tempestatibus leniendis; vel ante diem XII. Kal. ut scribit Varro (*o*): *Vinalia rustica dicuntur ante diem duodecimum Kal. Septembris, quod tum Veneri dedicata ædis*. Plutarchus ea *Veneralia* appellat (*p*), traditque, multum vini e templo Veneris effundi consuevisse: quum enim uvarum recentium mentio ibi fiat, ab Ænea post partam de Mezentio victoriam collectarum, unde *Veneraliorum* origo; perspicuum est, eum de Vinalibus rusticis, sive posterioribus agere, quæ fiebant Augusto mense. His affinia Græcorum Pithœgia, quæ tamen celebrabantur duodecima mensis Anthesterionis die, post flatum Favonii, ad primitias novi vini delibandas, & dolia reseranda, ut docet Plutarchus (*a*).

Habuere & ipsi Græci rustica Dionysia mense Posideone, qui incidebat in nostrum Januarium. Theophrastus characterum *cap.* III. sive *περὶ ἀδολεσχίας*. *Ποσειδεῶνος δὲ κατ' ἀγροὺς Διονύσια*; de quibus meminit Aristophanes (*b*). Sane fallitur Pitiscus, qui *Dionysia* eadem esse putat ac *Brumalia* (in eundem scopulum impingit Kippingius (*c*)) quæ sic dicta a *Bruma*, quasi hyemalia; quæ incidebant in VIII. Kal. Decembres, uti ex auctore *Geoponicorum* idem Pitiscus, & Gyraldus in libello *de Annis & mensibus* adnotarunt. Jure tamen reprehendit eos, qui a *Brumo*, quasi Baccho appellata esse existimant; nam veteres nunquam Bacchum Βροῦμον dixere, sed Βρόμιον. Quomodo erunt igitur *Brumalia* eadem ac *Dionysia*? Ait, apud Ethnicos omnis lasciviæ, & hilaritatis publicæ genere celebrata fuisse, & in Christianis reprehensa a Tertulliano (*d*), & Synodo Trullana *can.* LXII. citatque Petavium in notis ad Juliani Imperatoris *Misopogonem*. Verum non de Brumalibus ibi sermo est Petavio, sed de hilaritatis publicæ die, Kalendis nimirum Januariis; ideoque S. Maximum citat *Orat. de Calendis Jan.* Quinimmo manifeste ibi separantur a Tertulliano: *Saturnalia, & Januariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur*. Sic memorato canone Trullanæ Synodi: Τὰς οὕτω λεγομένας Καλάνδας, καὶ τὰ λεγόμενα Βοτὰ, καὶ τὰ καλούμενα Βρουμάλια. *Calendas, quæ sic appellantur, & quæ dicuntur Vota* (forte III. Non. Jan. de quibus *in l. 233. D. de verb. signif.*) *& quæ vocantur Brumalia*. Illud sane in eodem Petavio non est ferendum, quod *Brumalia*, inquit, *sunt Saturnalia*: vel pueris enim notum est, *Saturnalia* pertinere ad XVII. Kal. Jan. idest XVI. Decembris diem; *Brumalia* ad diem XXIV. Novembris, sive A. D. VIII. Kalendas Decembres. Respexit sane vir doctus ad *Brumæ* etymon, quæ dicta quasi *brevima*, quod *brevissimus* est dies; ut innuere videtur Festus in *Bruma*.

Dionysia majora apud Athenienses fiebant mense *Anthesterione*, qui incidebat in mensem *Martium*, non in *Novembrem*, ut doctus ceteroqui Græcus Theodorus Gaza ostendere conatus est adversus Philostratum (*e*): in quam sententiam Gyraldum quoque, aliosque auctoritate sua traxit. Sed malim ego in hac re cum uno Josepho Scaligero errare, quam sapere cum aliis quamplurimis. Diserte Plutarchus in Symposiacis *libro* III. *qu.* VII. Anthesterionem ponit *μετὰ ζέφυρον*, *post flatum Favonii*; & *lib.* IX. *qu.* X. *ἀνθεστηριῶνι πίνουσι μηνὶ μετὰ χειμῶνα*· *bibunt mense Anthesterione post hyemem*, ut nemini dubium esse possit, fuisse vernalem mensem, cui nomen a floribus (*f*). Præterea idem Plutarchus hoc mense expugnatas a Sylla Athenas tradit: *ἑλεῖν δὲ τὰς Ἀθήνας αὐτός φησιν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι, Μαρτίαις Καλάνδαις, ἥτις ἡμέρα συμπίπτει μάλιστα τῇ νουμηνίᾳ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός*· *Cepisse Athenas se Calendis Martiis refert in Commentariis, qui dies plane in primam diem incidit mensis Anthesterionis*. Et Anthesterione Cæsarem Dictatorem fuisse confossum

a *cap.* XXII. b *lib.* II. *cap.* XIX. c *In Demetrio*. d *lib.* VI. *cap.* 15. e *De Dea Syria*. f *lib.* VI. *cap.* XV. g *Athen. lib.* XIV. *cap.* IV. h *act.* II. *sc.* I. *vers.* 25. i *libr.* I. *Tetrabibl.* K *lib.* II. *cap.* XLVIII. l *Athen. lib.* III. *c.* V. m *De vet. Jur. Pontif. lib.* III. *c.* XV. n *lib.* XVIII. *cap.* XXIX. o *lib.* V. *de LL. pag.* 67. *edit. Rom.* 1557. p *Quæst. Roman.* XLV.

a *Sympos. lib.* III. *qu.* VII. *Harpocration in Χόες*. b *Acharn. act.* II. *Sc.* I. c *lib.* I. *cap.* X. *Antiquit.* d *De Idololatria cap.* XIV. e *Scalig. de Emendat. temp. cap. de Periodo Attica*. Gazam habes in *Uranol. Petavii edit. Paris.* 1630. f *Harpocration in Ἀνθεστηριών*.

apud Appianum (*a*): ἐν ἡμέραις αἷς καλοῦσιν Εἰδοῖς Μαρτίαις, Ἀνθεστηριῶνος *&c.* Hoc itaque mense majora Dionysia. Ulpianus *ad Demosthenis orationem contra Leptinem*; τοῖς δὲ μεγάλοις Διονυσίοις, Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς. *Magnis autem Dionysiis mense Anthesterione* (Wolfius vertit *mense Novembri.*) Et quidem die XII. Thucydides in *secunda Historia*: τὰ γὰρ ἱερὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀκροπόλει καὶ ἄλλων θεῶν ἐστι, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τοῦτο τὸ μέρος τῆς πόλεως μᾶλλον ἵδρυται, τό, τε τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, καὶ τὸ Πύθιον, καὶ τὸ τῆς Γῆς (τῆς Δήμητρος exponit *vet. Schol.*) καὶ τὸ ἐν λίμναις Διονύσου, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι: *Nam in ipsa arce sunt & aliorum Deorum delubra, & quæ sunt extra ab hac parte potissimum sita visuntur Jovis Olympii, & Apollinis Pythii, Telluris, & Bacchi in Limnis, in cujus honorem vetustiora Bacchanalia celebrantur duodecimo mensis Anthesterionis die.* Ubi Limnas locum esse in superiore urbis parte, adnotavit Scholiastes. Itaque certamen, eo mense celebratum, dixere ἀγῶνα ἐν Λίμναις, ἀγῶνα ἐν ἄστει, ἀγῶνα ἀστικόν: de quo accipiendus locus Suetonii in Caligula (*b*): *Edidit & peregre spectacula: in Sicilia Syracusis Asticos ludos.* De hoc Dionysii Templo in Limnis verba faciens Demosthenes Oratione adversus Neæram, inquit: ἅπαξ γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου ἀνοίγεται, τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός. *Semel vero quotannis aperitur duodecima mensis Anthesterionis* (*c*). Ad majora igitur Dionysia pertinent illa Plutarchi in Demetrio: *Quo die agi solent Bacchanalia, pompam intermiserunt, quod ingens, & intempestivum gelu extitisset, & quia frequens deciderat pruina, non vineas modo, & ficus omnes adussit frigus, sed frumentum quoque maxima ex parte in herba perdidit.* Verno igitur tempore.

Majora proculdubio Dionysia mense Anthesterione peragebantur; quin etiam minora mysteria, diversis tamen diebus; sed non majora mysteria, sive initia Cereris, & Bacchi. Majora sane, & minora *Dionysia* a majoribus & minoribus *mysteriis* cum cura separare oportet, ut recte monet Petavius (*d*), nisi ultro malumus in syrtes, & errores inextricabiles nos conjicere. De parvis mysteriis mense Anthesterione, auctorem habemus Plutarchum (*e*): ἀλλὰ τὰ μικρὰ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτέλουν. *Sane mysteria* (inquit Julianus Imp.) *bis in honorem Cereris Athenienses celebrant. Primum parva illa (sic enim appellant) quum Sol arietem pervadit: majora deinde quum in chelis versatur, ob eas, quas modo dixi rationes. Ac majora quidem, & minora, cum aliis pluribus, opinor, ex caussis appellata sunt, tum hæ potissimum intercesserunt, quod illo recedente magis quam accedente celebrare ista consentaneum est.* Majora igitur mysteria Sole recedente, idest autumno, & mense *Boedromione*, qui in nostrum Octobrem incidit, ex Josephi Scaligeri sententia (*f*). Plutarchus in *Demetrio* τὰ δὲ μεγάλα, τοῦ Βοηδρομιῶνος: & in Phocione, ἐνίκων δὲ μεγάλοις μυστηρίοις· καὶ παρεῖχεν οἰνοχόημα Χαβρίας Ἀθηναίοις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Βοηδρομιῶνος. *Parta victoria est magnis mysteriis. Cujus caussa decimosexto die mensis Boedromionis dabat populo Atheniensi quotannis Chabrias vini congiarium.* Hic mensis faustus Alexandro; nam celebris pugna ad Arbela, sive Gangamela commissa est hoc mense, undecimo die a Lunæ defectione, de qua Plutarchus in Alexandro: ἡ μὲν οὖν σελήνη τοῦ Βοηδρομιῶνος ἐξέλιπε, περὶ τὴν τῶν μυστηρίων τῶν Ἀθήνησιν ἀρχήν. *Porro luna mense Boedromione defecit sub initium mysteriorum, ut ea Athenis agunt.* Per xx. dies mysteria peragebantur, quorum primus ἀγυρμὸς Hesychio, τῶν μυστηρίων ἡμέρα πρώτη, quod tum primum initiati cogebantur. Sequentibus diebus ludi scenici (his acta est Aristophanis comœdia Nubes (*a*), qua Socrates irridetur) Agon, & saltatio bellicrepa, itemque λαμπαδοδρομία. Vigesimus & ultimus dies religiosissimus, quo mysticam Bacchi pompam educebant, & cum cantu, & pompa Eleusinem deducebant, ἐν ᾧ τὸν Ἴακχον ἐξῆγον. Hac die præsidium Macedonum Athenas ingressum est, post excisas ab Alexandro Thebas. Plutarchus in Camillo: καὶ μετὰ ταῦτα φρουρὰν Ἀθηναῖοι Μακεδόνων ἐδέξαντο περὶ αὐτὴν τὴν εἰκάδα τοῦ Βοηδρομιῶνος, ᾗ τὸν μυστικὸν Ἴακχον ἐξάγουσιν. *Posteaque præsidium Macedonicum vigesimo die mensis Boedromionis recepisse Athenienses, quo die mysticam pompam Bacchi educunt.* Et in Phocione: εἰκάδι γὰρ ἡ φρουρὰ Βοηδρομιῶνος εἰσήχθη μυστηρίων ὄντων, ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξ ἄστεος Ἐλευσινάδε πέμπουσιν. *Quippe die mensis Boedromionis vigesimo præsidium ingressum est, mysteriorum solemnibus, quo die Jacchum ex Urbe Eleusinem deducunt.* Mysteria κατ' ἐξοχὴν majora intelliguntur. & quotannis celebrabantur. Aristides oratione Eleusinia: πανηγύρεις τοίνυν αἱ μὲν ἄλλαι δι' ἔτους πέμπτου καὶ τρίτου πληροῦνται, μόνη δὲ ἡ τῶν μυστηρίων παντὸς ἔτους ἐνίκησεν εἶναι. *Nam quum reliquæ celebritates quinto quoque anno, vel tertio peragantur, sola hæc mysteriorum celebritas, ut quotannis instauraretur, obtinuit.* Quinto quoque anno celebrabantur Olympia. Seneca *Hercule Furente vers.* 839. — 840.

Quantus Eleum coit ad Tonantem,
Quinta cum sacrum revocavit æstas.

Tertio quoque anno Thebis orgia Trieterica; quod triennali expeditione Bacchus Indiam subegisset. Idem Seneca *Herc. Oetæo vers.* 594. — 599.

Nos Cadmæis Orgia ferre.
Tecum solitæ condita cistis,
Cum jam pulso sidere brumæ
Tertia Soles evocat æstas,
Et spiciferæ concessa Deæ
Attica Mystas claudit Eleusis.

Ad Dionysia minora hunc locum pertinere putat Joseph Scaliger (*b*), sed vicissim carpitur a Petavio (*c*). Nam Trieterica non Athenis, sed Thebis tertio quoque anno celebrabantur. Lucanus *lib.* V.

Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.

Eleusinia vero haud longe ab Athenis annua; quo spectant postremi duo Senecæ versus, uti & alii ex allato loco *Herculis furentis*,

Quanta cum longæ redit hora noctis
Crescere, & somnos cupiens quietos
Libra Phœbeos tenet æqua currus,
Turba secretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare Mystæ.

Ad hæc, non Baccho Thebano faciebant Athenienses, sed Jaccho Sabazio, sive Zagræo, ex Jove & Proserpina nato, ut docet Arrianus (*d*): καθάπερ καὶ Ἀθηναῖοι Διόνυσον τὸν Διὸς καὶ Κόρης σέβουσιν, ἄλλον τοῦτον Διόνυσον. καὶ ὁ Ἴακχος ὁ μυστικὸς τούτῳ τῷ Διονύσῳ, οὐχὶ τῷ Θηβαίῳ, ἐπᾴδεται. *Quemadmodum etiam Athenienses Bacchum Jovis & Proser-*

a *De Bello civil. lib.* II. *pag.* 522. *Edit. Stephani* 1591. b *cap.* XX. c Vide Harpocrationem *in* Χόες. d *ad Themistii orat.* XII. e *in Demetrio*, f *De Emendat. temp. lib.* I.

a *Ælian. Var. hist. lib.* II. *c.* 13. *Lucian.* ἐν ἀναβιοῦσι. b *loco cit.* c *Not. ad Themist. orat.* XII. d *de Expedit. Alexandr. lib.* II. *pag.* 88. *edit. Gronov.*

pinæ filium colunt, diversum ab hoc Baccho. Et Jacchus mysticus huic Baccho, non Thebano illi accinitur. Non erat igitur cur Ægyptii de Atheniensibus quererentur, ut de reliquis Græcis factitasse docet Diodorus (*a*); nam antiquissimum Athenis colebant Dionysum, sive Osirim, non Bacchum Semeleium; unde recte colligas, non omnes Græcos ad Bacchum Thebanum purgationes retulisse, ut supra dicebamus (*b*). Annua, inquam Eleusinia. Herodotus *lib.* VIII. *cap.* LXV. ubi de Dicæo quodam transfuga ad Persas, qui interrogatus a Damarato, quid sibi vellet pulvis, & clamor ex Eleusine, respondit; mystici Bacchi pompam sibi videri: τὴν δὲ ὁρτὴν ταύτην ἄγουσι Ἀθηναῖοι ἀνὰ πάντα ἔτεα τῇ Μητρὶ, καὶ τῇ Κόρῃ, καὶ αὐτέων τε ὁ βουλόμενος καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, μυεῖται, καὶ τὴν φωνὴν τῆς ἀκούεις, ἐν ταύτῃ τῇ ὁρτῇ ἰακχάζουσι. *Hoc vero festum Athenienses celebrant quotannis Cereri, & Proserpinæ. Et his sacris quicumque vult, & Atheniensium, & aliorum Græcorum initiantur. Ejusmodi autem vox, quam audis, est in hoc festo Bacchantium.* Vides, tum annua fuisse Eleusinia, tum Jaccho & Cereri promiscua. Nec tamen admodum arcana, quando tam facile quilibet Græcorum iis initiabatur. Immo & Barbari, & peregrini, Tullii saltem ætate, qui ait *primo de Natura Deorum. Omitto Eleusinam sanctam illam, & Augustam,*

Ubi initiantur gentes orarum ultimæ (c).

Afferam insignem Demosthenis locum in *oratione de Corona* (*d*), ubi Æschinem, veluti Eleusinium Corybantem traducit, & fere nihil prætermittit eorum, quæ ad ea sacra spectare putabantur, initia, hinnulorum pelles, lustrationes & expiationes, verba initiatorum sacerdote præeunte, ululatus, serpentes, coronas, saltationes, Bacchicum epiphonema, tedas, vannum, ac denique sacra in propatulo, & maribus feminisque communia: ἀνὴρ δὲ γενόμενος τῇ μητρὶ τελούσῃ τὰς βίβλους ἀνεγίνωσκες, καὶ τἄλλα συνεσκευώρου. τὴν μὲν νύκτα νεβρίζων, καὶ κρατηρίζων, καὶ καθαίρων τοὺς τελουμένους. καὶ ἀπομάττων τῷ πηλῷ, καὶ τοῖς πιτύροις, καὶ ἀναστὰς ἀπὸ τοῦ καθαρμοῦ, καὶ κελεύων λέγειν, ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. ἐπὶ τῷ μηδένα πώποτε τηλικοῦτον ὀλολύξαι σεμνυνόμενος. καὶ ἔγωγε νομίζω. μὴ γὰρ οἴεσθ᾽ αὐτὸν φθέγγεσθαι μὲν οὕτω μέγα, ὀλολύζειν δ᾽ οὐχ ὑπέρλαμπρον· ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοὺς καλοὺς θιάσους ἄγων διὰ τῶν ὁδῶν, τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθρῳ, καὶ τῇ λεύκῃ, τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων, καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν, καὶ βοῶν, Εὐοῖ Σαβοῖ, καὶ ἐπορχούμενος ὕης, Ἄττης, Ἄττης ὕης. ἔξαρχος καὶ προηγεμὼν, καὶ κιττοφόρος, καὶ λικνοφόρος, καὶ τὰ τοιαῦτα ὑπὸ τῶν γραϊδίων προσαγορευόμενος.... *Vir factus, matri initianti libros lectitasti, & in ceteris rebus ad imposturam necessariis adjutasti: noctu quidem hinnulorum pellibus, & aqua lustrans atque expians eos, qui initiabantur, & extergens luto, & furfuribus: & quum surrexisses a lustratione, dicere jubens:* Mala effugi, reperi meliora: *id tibi laudi ducens, quod nemo unquam tantum ululasset: idque & ego puto. Nolite enim credere, quum tam clare loquatur, eum non clarissime ululare. Interdiu autem præclaros illos cœtus per vias ducens, fœniculo, & populo redimitus, serpentes, quas parias vocant, elidens, & supra caput efferens, & clamitans: Evoe Saboe; & interim saltitans, Hyes, Attes, Attes Hyes, auspex, & anteambulo, & picifer, & vannifer, & ejus generis aliis nominibus ab aniculis salutabare.* Quod autem mysteria, & τελεταὶ communia fuerint Cereri, & Baccho, præter indicium, quod facit Casaubonus (*a*), plura extant apud veteres criticos argumenta. Ad illa enim Sophoclis *in Antigone* carmina, 1231. — 1237.

Πολυώνυμε, Καδμείας
νύμφας ἄγαλμα, καὶ Διὸς
βαρβρεμέτα γένος,
κλυτὰν ὃς ἀμφέπεις
Ἰταλίαν, μέδεις δὲ παγ-
κοίνου Ἐλευσινίας
Δηοῦς ἐν κόλποις,
Bacche Cadmææ
Puellæ decus,
Et Jovis tonantis genus,
Inclytam qui regis
Italiam, & curas
Eleusina communem
In sinu Cereris,

notant (παγκοίνου Ἐλευσινίας) post alias interpretationes, ἢ ὅτι κοινὰ τὰ μυστήρια Δήμητρος καὶ Διονύσου, *vel quia communia mysteria Cereri, & Baccho.* Ad illa vero in *Ranis Comicis* 325. & 326.

Ἴακχ᾽ ὦ πολυτιμήτοις
Ἕδραις ἐνθάδε ναίων,
Jacche, o pretiosas qui
Sedes hic habitas,

ajunt, καθὸ συνίδρυται τῇ Δήμητρι ὁ Διόνυσος, *quoniam cum Cerere statuitur Bacchus.* Ipsum Pindarus [*b*] πάρεδρον Δημητέρος appellat. Hinc L. Mummius Achaicus Aristidis tabulam, de qua Plinius *libro* XXXV. *cap.* IV. habentem Liberi imaginem, in Cereris delubro posuit: de qua Strabo (*c*) infit: τὸν δὲ Διόνυσον ἀνακείμενον ἐν τῷ Δημητρείῳ τὸ ἐν Ῥώμῃ κάλλιστον ἔργον ἑωρῶμεν (*Manuscr.* ἑωράκαμεν) *Bacchum autem illum Romæ in Cereris dedicatum inspexi, opus pulcherrimum.* De communi Bacchi, & Cereris cultu consulendum ait Sphanhemius (*d*) Strabonem, qui observat (*e*) a pluribus Græcis attribui: καὶ ΤΗ ΔΗΜΗΤΡΙ νὴ Δία τὸ ὀργιαστικὸν πᾶν, καὶ τὸ χορικὸν, καὶ τὸ περὶ τὰς τελετὰς μυστικὸν, ΙΑΚΧΟΝ τε καὶ ΤΟΝ ΔΙΟΝΥΣΟΝ καλοῦσι, καὶ τὸν ἀρχηγέτην τῶν μυστηρίων τῆς ΔΗΜΗΤΡΟΣ ΔΑΙΜΟΝΑ: *&* CERERI *mehercule orgia omnia, &* BACCHATIONES, *choros, sacrorum initiationes, mysteria, &* BACCHUM IACCHUM *appellant, ac ducem mysteriorum Cereris genium.* Tullius etiam II. *de legibus*, de initiis Atticis verba faciens, inquit. *Quid ergo aget Jacchus, Eumolpidæque vestri &c.* Jacchum, & Eumolpidas, Cereris sacerdotes, conjungit, genus ducentes ab Eumolpo, qui Cererem hospitio excepit, ut est apud Clementem Alexandrinum *in Protreptico.* Nec Cererem a Baccho separandam censuit Lucretius *lib.* IV. *v.* 1161. ut est a Scaligero emendatus:

At gemina, & mammosa Ceres, est ipsa ab Iaccho.

pro quo monstrum quoddam legebatur in vetustissima editione Veneta A. MCCCCLXXXXV.

At lavima & mannio sacer est ipsa ab Iaccho.

Florentina A. MDXII. habebat

a *Vide supra pag.* 30. b *pag.* 56. d Vide Meursium *Them. Att. lib.*II. *cap.* XXXIV.

a *pag.* 349. *edit. an.* 1607. *Aureliæ Allobrogum.* b *ad Athen. lib.* VI *cap.* XV. c *Isthmion. Od.* VII. *v*3. & 4. d *lib.* VIII. *pag.* 381.

At λάβρα, immanis, acrisque est icta ab Iaccho.

Aliis, teste Petro Candido, qui eandem editionem curavit, erat:

At Lamia est maniosa. Deo certe est ipsa ab Iaccho.

Idem Strabo eodem *lib.* x. *pag.* 470. Bacchi, & Phrygiæ Rheæ, sive Matris Magnæ sacra conjuncta fuisse inquit: πάλιν καὶ οὕτως τὰ Διονύσια, καὶ τὰ Φρύγια εἰς ἓν συμφέρουσι: *rursum Bacchi, & Phrygiæ Rheæ res in unum confundunt*, & *pag.*471. post memoratum Demosthenis locum *de Corona* adversus Æschinem, subdit: ταῦτα γάρ ἐστι Σαβάζια, καὶ Μητρῷα: *hæc enim Sabazia, & Magnæ Matris sacrorum sunt*. Quod in id quod dicebamus redit. Nam Ceres est Terra (*a*), Ops Terra (*b*); Cybele, sive Mater Magna, Mater Idæa, Dea Phrygia, Pessinuntia, Berecyntia, item Terra (*c*); Terra etiam Isis (*d*), quæ frumentum reperit apud Ægyptios (*e*), ideoque eadem ac Ceres Stephano *de Urbibus* in ΒΟΥΣΙΡΙΣ: Ἶσις δ' ἐστὶ κατὰ τὴν τῶν Ἑλλήνων γλῶσσαν, ἡ Δημήτηρ: *Isis autem, secundum Græcorum linguam, dicitur Demeter* (*f*): itaque Diodorus tradit *lib.*I. Isidem a Græcis dictam fuisse *legiferam*, *Thesmophoram*, *Cererem*, *Lunam*, *Junonem*: quod Rossinus notavit *Antiquit. Rom. lib.*II. *cap.* XXII. tametsi nullus dubito, aliud omnino videri legentibus veterum fabulas, & Theogoniam. A Cerere igitur revera nihil distant Mater Magna, Mater Idæa, Cybele, Ops, Isis, Dea Syria; quarum sacra semper cum bacchatione. Isis de se ipsa apud Apulejum *libro* XI. *En adsum tuis commota, Luci, precibus rerum natura parens, elementorum omnium domina, sæculorum progenies initialis . . . . . Cujus numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis. Inde primigenii Phryges Pessinuntiam nominant Deum matrem; hinc autochtones Attici Cecropiam Minervam, illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam, Siculi trilingues Stygiam Proserpinam, Eleusinii vetustam Deam Cererem. Junonem alii, Bellonam, alii Hecaten, Ramnusiam alii &c.*

Fuere autem veluti quidam gradus participandi mysteria. Primus fuit ἡ κάθαρσις *purificatio*; Καθάρσια, & τὰ προτέλεια *expiationes, & præparationes ad rem divinam faciendam* Clementi Alexandrino (*g*). Secundus parva mysteria, sive institutio & præparatio ad majora, παραλαμβάνειν τὰ μυστήρια; & tunc dicebantur initiati *mystæ*, & *Ephori*. Instituebantur ad Eleusinii templi portas, eaque audiebant, quæ committi illis tuto posse videbantur, quæque nihilominus enuntiare nefas fuit; qua de re jusjurandum præstabant, & οἱ μεμυημένοι *Jurati* dicebantur: ut in veteri inscriptione apud Gruterum (*h*), quam citat Petavius: JURATUS AD SACRA ETRURIÆ (*i*). Tertius gradus fuit majorum mysteriorum acceptio, quæ ἐποπτεία. Harpocration (*k*): οἱ μυηθέντες ἐν Ἐλευσῖνι, ἐν τῇ δευτέρᾳ μυήσει ἐποπτεύειν λέγονται.

a *Phurnutus cap.* XX. *Euripid. Bacch. vers.* 276. b *Macrob. lib.* I. *cap.* X. c *Orpheus apud Diodorum lib.* III. *pag.* 137. *Arnob. lib.* III. *Lucret. lib.* II. *v.* 598. -- 658. d *Lactant. lib.*I. *cap.* XIII. *Plutarch. de Iside, & Osiride pag.*374. e *Martian.* Capella *lib.*II. *de nupt. Philol. & Merc.* f Vide Rosinum *lib.* II. *cap.*IV. & XXII. *ibique Dempsteri Paralipomena.* g *Stromat.*IV.V. Vide Harpocrationem *in* ΠΡΟΤΕΛΕΙΑ. h *pag.* CCCCLXXIX. I. i *ad dictam orat. Themist.* K *in* ΕΠΩΠΤΕΥΚΟΤΩΝ.

Putat Casaubonus (*a*), lustrationem a parvis initiis non fuisse separatam: sed diserte tres gradus memorantur a Clemente Alexandrino (*b*): οὐκ ἀπεικότως ἄρα καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν. μετὰ ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ μικρὰ μυστήρια, διδασκαλίας τινὰ ὑπόθεσιν ἔχοντα καὶ προπαρασκευῆς τῶν μελλόντων· τὰ δὲ μεγάλα περὶ τῶν συμπάντων οὐ μανθάνειν ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ, καὶ περινοεῖν τήν τε φύσιν καὶ τὰ πράγματα. *Non abs re ergo in mysteriis quoque, quæ fiunt apud Græcos, primum locum tenent expiationes, & lustrationes, sicut etiam apud Barbaros lavacrum. Post hæc autem sunt parva mysteria, quæ habent aliquod fundamentum doctrinæ, & præparationis futurorum. In magnis autem de universis non restat amplius discere, sed contemplari, & mente comprehendere, & naturam, & res ipsas.* Sed quatuor gradus agnovit idem Casaubonus *Exercit.* XVI. in primam partem *Annal. Baronii*, *Diatriba* XLIV. ubi accurate de mysteriis & purgationibus veterum.

Annus, ut minimum, intercedebat a parvis mysteriis ad epopteam; ut plurimum vero quinquennium; nam longa castimonia docebantur ad majora pervenire. Ecce Tertulliani locum *adversus Valentinianos in principio*, juxta Scaligeri emendationem, quam probavit Casaubonus (*c*), partim etiam Rigaltius (*d*), improbavit Petavius. *Nam & illa* (inquit) *Eleusinia heuresis* (vulgo hæresis) *& ipsa Atticæ superstitionis quod tacent, pudor est. Idcirco & aditum prius cruciant, diutius initiant quam consignant: quum epoptas* (futuros scil.) *ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis ædificent, atque ita tantam majestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem. Sequitur jam silentii officium: attente custodiunt quod tarde invenitur. Ceterum tota in adytis divinitas, tot suspiria epoptarum* (*portarum* habebat vulgata lectio, quam retinuit Petavius, ut mystarum Cereris cum cathecumenis, Christianorum comparationem institueret) *totum signaculum linguæ simulachrum membri virilis revelatur.*

His legibus solutus esse voluit, & omnibus mysteriis initiari Athenis Demetrius Poliorcetes. Philochorus apud Harpocrationem (*e*): Δημητρίῳ μὲν οὖν ἴδιόν τι ἐγένετο παρὰ τοὺς ἄλλους, τὸ μόνον ἅμα μυηθῆναι καὶ ἐποπτεῦσαι, καὶ τοὺς χρόνους τῆς τελετῆς τοὺς πατρίους μετακινηθῆναι. *Demetrio igitur peculiare quiddam præter ceteros contigit, ut simul & semel mysteriis initiaretur, eademque viseret, ac patria initiationis ritus tempora immutaret.* Nimirum Athenienses, qui effusissimi in omne genus adulationis tantum non Demetrium divinis honoribus affecerant, coacti sunt Munychionem mensem vocare Anthesterionem, & paulo post ex Anthesterione Boedromionem facere, ut saltem verbo tenus religionem, & ritus a majoribus acceptos servasse viderentur. Rem, uti gesta est, narrat Plutarchus in Demetrio; τότε δ' οὖν ἀναζευγνύων εἰς τὰς Ἀθήνας, ἔγραψεν ὅτι βούλεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν. τοῦτο δὲ οὐ θεμιτὸν ἦν, οὐδὲ μεγάλα τοῦ Βοηδρομιῶνος. ἐπώπτευον δὲ τοὐλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλιπόντες. ἀναγνωσθέντων δὲ τῶν γραμμάτων, μόνος ἐτόλμησεν ἀντειπεῖν Πυθόδωρος ὁ δᾳδοῦχος. ἐπέρανε δὲ οὐδὲν, ἀλλὰ Στρατοκλέους γνώμην εἰπόντος, Ἀνθεστηριῶνα τὸν Μουνυχιῶνα ψηφισαμένους καλεῖν καὶ νομίζειν, ἐτέλουν τῷ Δημητρίῳ τὰ πρὸς ἀγοράν. (forte scribendum, ait vir magnus ad Athenæum (*f*) τὰ πρό-

a *ad Athen. lib.*VI. *cap.* XV. b *Stromat. lib.* V. c *ad Athen. lib.* VI. *c.* XV. d cujus, & Phil. Priorii notas vide. e *in* ΑΝΕΠΟΠΤΕΥΤΟΣ. f *Casaubon. ad lib.* VI. *c.* XV.

A πρα ἱερά; vel τὰ πρὸς ἁγνείαν, *initiarunt Demetrium iis sacris, quæ ad castimoniam spectabant)* καὶ μετὰ ταῦτα πάλιν ἐξ Ανθεστηριῶνος ὁ Μουνυχιὼν γενόμενον Βοηδρομιὼν, ἐδέξατο τὴν λοιπὴν τελετὴν ἅμα καὶ τὴν ἐποπτείαν, τοῦ Δημητρίου προσεπιλαβόντος. *Porro (inquit) repetens tunc Athenas, velle scripsit se, ubi eo venisset, illico initiari, mysteriaque a parvis usque ad ultima, & recondita sacra, quæ epoptica appellant, cuncta percipere. Id nefas erat, neque visum ante fuerat unquam: verum peragebantur parva mense Anthesterione, magna Boedromione; recondita inspiciebant, interjecto a magnis ut minimum anno.* Quid ergo

B factum, ut Demetrio mos gereretur? *lectis literis ejus, unus substinuit intercedere tedifer Pythodorus; in cassum tamen. Cæterum lata ex Stratoclis sententia lege, ut mensem Munychionem Anthesterionem nuncuparent & haberent, Demetrium initiaverunt ceremoniis, quæ publice fiebant. Mox iterum ab Anthesterione Munychion conversus in Boedromionem, reliquas ceremonias recepit, simulque ad inspectionem quoque admissus Demetrius est sacrorum.* Igitur eo anno Eleusinia celebrata sunt mense *Munychione* (Majo); nam ultimo magnorum mysteriorum die Bacchus ex urbe Athenarum, cum ingenti pompa Eleusi-

C nem transvehebatur.

Equidem Eleusinia quotannis eodem mense Boedromione celebrata, docet Aristides oratione Eleusinia, ubi incensum Cereris templum deplorat: μόνη δὲ ἡ τῶν μυστηρίων, παντὸς ἔτους ἐνίκησεν εἶναι: *Sola hæc mysteriorum celebritas, ut quotannis instauraretur obtinuit;* & circa finem: Βοηδρομιὼν δὲ τὰς ἑτέρας πανυμῶν δεῖται βοῆς: *Boedromion autem hic alia nunc voce indiget.* Instituta ea tradit Diodorus (a) ab Erechtheo, quum ex Ægypto Athenas cum magna frumenti copia advenisset, in memoriam Cereris, Proserpinam

D amissam lugentis. Agon itaque celebrabatur. Pindari Scholiastes (b), ὅτι ἐν Ἐλευσῖνι Δήμητρος ἐστὶν ἀγὼν καὶ στέφανος ἦν κελῆδαι. Et quidem cum facibus, & noctu. Minucius Felix in Octavio: *Ceres facibus accensis, ac serpente circumdato, errore subreptam, & corruptam Liberam anxia, & sollicita vestigat.* Clemens Alexandrinus (c): Δηὼ δὲ καὶ Κόρη, δρᾶμα ἤδη ἐγενέσθην μυστικὸν· καὶ τὴν πλάνην, καὶ τὴν ἁρπαγὴν καὶ τὸ πένθος αὐταῖν Ἐλευσὶς δᾳδουχεῖ. *Ceres autem & filia Proserpina jam in mysteriorum scena versantur, erroremque, & raptum, & earum luctum Eleusis illustrat facibus.* Ejus rei originem exponit Cicero IV. *in Verrem*, Lactantius *cap.* XXI. *lib.* I. & Ovidius IV. *Fastorum*

E *vers.*491.—496. Nam quum Ceres, Proserpinam quærens, Ætnam pervenisset,

Illic accendit geminas pro lampade pinus:
Hinc Cereris sacris nunc quoque teda datur.
Est specus exesi structura pumicis asper;
Non homini regio, non adeunda feræ:
Quo simul ac venit, frænatos curribus angues
Jungit, & æquoreas sicca pererrat aquas.

F Hinc illa Statii (d)

Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusis
Flevit, & arcanos errantibus extulit ignes.

Et Claudiani, *de Raptu Proserpinæ in principio*

—— *sanctasque faces extollit Eleusis.*

Seneca *in Hercule furente*

a *lib.* I. *cap.* 29. b *ad Isthmion.* Od. I. c *Protrept.* d *Thebaid. lib.* XII. *v.* 132.—133.

Et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare mystæ.

Et quia Bacchus in eadem pompa, ideo Aristophani in *Ranis act.* I. *sc.* VII. *v.*346. dicitur

Νυκτέρου τελετῆς φωσφόρος ἀστήρ, ——
Festi noctivagi lucifer, ——

ubi Scholiastes: Νύκτωρ δ' ἐτελεῖτο τὰ μυστήρια. ὧν τῆς τελετῆς οὐ μόνον χορηγὸς, ἀλλὰ καὶ ἔξαρχος ἦν ὁ Διόνυσος. καὶ μὲν Διονύσου ἐν Ἐλευσῖνι ἱερόν ἐστι. *Noctu quoque peragebantur mysteria, quorum festo non modo choreas ducebat, sed princeps erat Dionysus; nam Dionysi quoque templum est Eleusine.* Quem locum, ut pleraque alia, humanissime indicavit mihi vir impense doctus Franciscus Galluppus, quem honoris caussa nomino. Fabula inde orta est, quod Proserpina, venationi dans operam, a Plutone, latronum ductore, qui ad Ætnæ fauces habitabat, per vim compressa est, deinde mersa lacu, ne facinus vulgaretur. Inde matri, frustra eam quærenti, ingens luctus.

Atheniensium more Ceres Neapoli culta, & agon λαμπαδηδρομίας celebratus: qui in eo erat, ut accensæ lampades conservarentur; cujus enim currentis fax extincta esset, is victoria successori cedebat. Statius noster (a)

Tuque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti quassamus lampada mystæ.

Actæa Ceres est Ceres Sicula; nam Καλὴ ἀκτὴ oppidum est Siciliæ in littore Septentrionali (b), cujus incolæ *Calactini*. Eupolemi Calactini fit mentio apud Tullium *libro* IV. *in Verrem*. Vel *Actæa* Ceres quasi Attica: nam & hæc regio *Acte* aliquando adpellata (c).

Ut olim Romæ sacra Herculi faciebant Potitii, & Pinarii, ita Eleusinæ Eumolpidæ, de quibus est mentio apud Tullium (d). *Nam quum Ceres,* inquit Clemens Alexandrinus (e), *Proserpinam quæreret, habitabant Eleusinem Terrigenæ, sive Terræ filii. Eorum nomina Baubo, & Disaules, & Triptolemus; præterea Eumolpus, & Eubuleus. Triptolemus erat bubulcus, pastor Eumolpus, opilio Eubuleus, a quibus Eumolpidarum, & hoc sacra enuncians præconum genus Athenis effloruit.* Pheneatibus eadem sacra tradita fuisse ab Eumolpi pronepote quodam, auctor est Pausanias *in Arcadicis*: *Venisse illuc Cererem* (inquit) *narrabant Pheneatæ ante Naum quæritantem Proserpinam, & comiter, liberaliterque acceptam, divisisse legumina omnia, præter fabam. Qui primi Deam hospitio excepere, templum ad imam Cyllenem erexere, & initia instituerunt, Trisaules, & Demitaules nomen habuerunt.* Cur sit impura faba, religione inquit Pausanias se impediri quo minus dicat.

De Triptolemo non consentiunt veteres, & varii varie fabulati sunt. Argivi, teste Pausania (f), contendebant, Triptolemum, & Eubuleum fuisse Trochili filios, sacrorum antistitis, qui Argis ab Agenore pulsus in Atticam venit, uxoremque Eleusinem duxit: Atheniensium sententia Triptolemus fuit Celei filius, qui primus sationem, & frugum cultum tradidit: Musæus vero poeta Oceani & Terræ filium prodidit: Orpheus Eubuleo, & Triptolemo Disaulem patrem fuisse

a *Sylvar.* IV. 8. b *Casaubon. ad Athen. lib.* VII. *cap.* 21. Vide *Berckelii commentar. ad Stephanum in* Καλὴ ἀκτὴ, ubi monet male legi πόλις Κρητῶν, pro πόλις Σικελῶν, quod nec latuit Holstenium. c *Stephanus in* Ἀκτὴ d *de legib.* II. e *Protrept.* f *in Atticis.*

scripsit: Choerilus Atheniensis in ea fabula, cui *Alope* nomen fecit, Cercyonem, & Triptolemum fratres natos ait ex Amphyctionis filiabus, & Triptolemum a Ranone genitum, Cercyonem a Neptuno.

Atqui Hyginus *Fabula* CXLVII. Eleusini Regis filium Triptolemum facit: *Quum Ceres (* inquit *) Proserpinam filiam suam quæreret, devenit ad Eleusinum Regem, cujus uxor Cothonea puerum Triptolemum pepererat, seque nutricem lactantem simulavit. Hanc Regina libens nutricem filio suo recepit. Ceres, quum vellet alumnum suum immortalem reddere, interdiu lacte divino alebat, noctu clam in igne obruebat. Itaque præterquam solebant mortales, crescebat. Et sic fieri quum mirarentur parentes, eam observarunt. Quum Ceres eum vellet in ignem mittere, pater expavit; at Triptolemo alumno suo æternum beneficium tribuit: nam fruges propagati * currum draconibus junctum tradidit, quibus vehens orbem terrarum frugibus obsevit. Postquam domum rediit, Celeus eum pro beneficio interfici jussit; sed, re cognita, jussu Cereris Triptolemo regnum dedit; quod ex patris nomine Eleusinum nominavit; fierique sacrum instituit, quæ Thesmophoria Græce dicuntur.* Non ab Eleusino, sed a Celeo Cererem hospitio susceptam; ac hujus alumnum fuisse Deiphontem, non Triptolemum, ex Apollodoro, & Lactantio ad Statium, adnotavit *Th. Munkerus* ad eandem Hygini fabulam. Ex Nicandri vero Scholiaste *pag.* 53. Celeum, Triptolemi patrem a Cerere conjectum in ignem. Celeum certe senem, ejusque filium Triptolemum, Cereris alumnum facit Ovidius *Fastorum* IV. *vers.* 547. In Celea regione quarto quoque anno initia Cereris fuisse celebrata, non admodum diversa ab Eleusiniis, docet *Pausanias in Corinthiacis*.

Thesmophoriorum originem allato loco tradit Hyginus; quæ non, ut Eleusinia, in memoriam Cereris, amissam filiam lugentis, instituta sunt; sed propter regnum Triptolemo attributum, agros divisos, terminosque agrorum constitutos *(a)*; unde Ceres dicta legifera, θεσμοφόρος in Inscriptione apud Gruterum *(b)*, & Phurnuto θεσμοθέτις *(c)*. Paulo aliter Servius ad IV. Virgilii *v.* 57. *Leges Ceres dicitur invenisse; nam & sacra ipsius Thesmophoria, idest legum latio vocatur: sed hoc ideo finitur, quia ante inventum frumentum a Cerere passim homines sine lege vagabantur; quæ feritas interrupta est postquam ex agrorum discretione nata sunt jura. Thesmophoria autem vocatur legum latio; an quia in æde Cereris in ære incisæ sunt leges.* Sic Servius Græcorum notiones, & Romanorum confundit *(d)*. Ovidius *(e)* utrumque Cereris munus complexus est, quum ait:

Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris;
Prima dedit leges. Cereris sunt omnia munus.

Plutarchus libro *de Iside & Osiride*, tristia sacra appellari memorat Thesmophoria, eodem mense celebrata, quo Ægyptii faciebant Isidi; Atticasque mulieres, humi sedentes jejunare *(f)*, quod nimirum Ceres ob Proserpinæ filiæ descensum est in dolore, idest propter fructuum occultationem. Plutarchi auctoritatem forte sequutus Clemens Alexandrinus, inquit, τὴν μυθολογίαν αἱ γυναῖκες ποικίλως κατὰ πόλιν ἑορτάζουσι Θεσμοφόρεια, Σκιροφόρια· πολυτρόπως τὴν φερεφάττης ἐκτραγῳδοῦσαι ἁρπαγήν. *Hujus fabulæ diem festum mulieres varie per urbem concelebrant Thesmophoria, Sciophoria (a) multis modis raptum Proserpinæ tragice decantantes.* Verum luctus ob Proserpinæ raptum proprie spectat ad Eleusinia, quæ post vigesimam Boedromionis diem, ut supra vidimus, celebrabantur. Sequenti mense *Pyanepsione* Thesmophoria, qui mensis incidebat in nostrum Novembrem, dicebaturque Ægyptiis *Athyr*, Bœotis *Damatrius*, sive Cerealis: est enim mensis sationis; ut Plutarchus docet eodem libro *de Iside, & Osiride*. Idem in Demosthene: *Decessit*, inquit, XVI. *die mensis Pyanepsionis, quem diem sacris Cereris tristissimum agentes in templo Deæ jejunant feminæ.* Occasione namque amissæ Proserpinæ primum Eleusinem ad Celei domum pervenit Ceres; deinde Triptolemum frugum sationem docuit; & tandem regno, æquis legibus constitutis, donavit. Quum itaque finis Eleusiniorum incideret fere in principium Thesmophoriorum, inde factum ut adhuc Thesmophoriis amissa Proserpina lugeretur. Pyanepsionem mensem Octobrem putat Gyraldus *(b)*; sed Thesmophoria hyeme fieri, non obscure docet apud Aristophanem in Θεσμοφοριαζούσαις *v.* 74. — 76. Agathonis Poetæ servus:

——— χειμῶνος οὖν
Οὔτος κατακάμπτειν τὰς στροφὰς οὐ ῥάδιον,
Ἢν μὴ, προίῃ θύραζε πρός τὸν ἥλιον
——— *hyeme enim*
Flectere strophas (& modos carminum) *non est facile,*
Nisi (quis) *progrediatur foras ad Solem.*

Quod Octobri convenire, nunquam mihi persuaserit Gyraldus.

Eleusinia Cereri & Baccho fiebant, erantque viris & mulieribus communia, uti ex superius allatis liquet. *Thesmophoria* Cereri tantum sacra, & a solis matronis, quas Μελίσσας vocat Pindari Scholiastes *(c)*. Nullam itaque in memorata Aristophanis comœdia celebritatis partem sibi vendicant viri; immo Mnesilochus muliebrem vestem induit, ut Euripidem in maximo mulierum conventu defenderet. Eretriensium tantummodo mulierum est mentio apud Plutarchum [*d*], qui inquit, eas idcirco ad Solem carnes assare, quia captivæ, quas Troja abduxerat Agamemnon, quum ibi facerent Thesmophoria, tempestate ad navigandum oblata, subito avectæ sunt, sacrificio nondum perfecto. Pausanias etiam memoriæ prodidit *(e)*, apud Eleos nefas esse viris Cereris fanum ingredi; & de Cereris quodam luco *in Achaicis* verba faciens, inquit: *Festos dies agitant septem, quorum tertio e templo viri omnes exeunt* (die nimirum jejunii, ut inferius); *mulieres vero intus relictæ, ritu a majoribus tradito, nocturnum peragunt sacrum. Neque viros tantum excludunt, sed canes etiam masculos ejiciunt. Postero die revisunt feminas, viri, multoque cum risu ultro citroque sales, & dicta jaciuntur.* Majore cum severitate, & continentia Sicilienses, teste Cicerone *(f)*: *Sacrarium (* inquit *) Cereris est apud Catinenses, eadem religione, qua Romæ, qua in ceteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. In eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum, quod viri non modo cujusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant: aditus enim in idsa-*

a *Diodor. lib.* I. *cap.* 14. b *pag.* CCCIX. 1. c *cap.* XXVIII. d Vide Dempster. *Paralip. ad Rosin. lib.* II. *cap.* XI. e V. *Metam. v.* 342. f *pag.* 378. Vide *Athen. lib.* VII. *cap.* XVI.

a *Umbraculorum festum.* Vide *Scholiast. Aristoph. ad v.* 18. Ἐκκλησιαζουσῶν, Harpocrationem *in* ΣΚΙΡΟΝ, & Svidam in eadem voce, & in Σκίρος. b *libello de annis & mensibus.* c *ad* IV. *Pyth.* d *quæst. Græc.* XXXI. e *in Arcadicis.* f IV. *in Verrem*, *Lactant. lib.* II. *cap.* IV.

id sacrarium non est viris : sacra per mulieres, ac virgines confici solent. Hoc signum noctu clam istius servi ex illo religiosissimo, atque antiquissimo fano sustulerunt. Postridie sacerdotes Cereris, atque illius fani antistitæ, majores natu, probatæ ac nobiles mulieres rem ad magistratus suos deferunt : omnibus acerbum, indignum, luctuosum denique videbatur. Quinimmo capite luebant viri, si templum Cereris ingredi ausi essent : unde Curius Fortunatianus *Rhet. lib.* I. *Qui auxilium parentibus non tulit, capite plectatur; &, mas templum Cereris si ingressus fuerit, capite puniatur : in templo Cereris matri auxilium filius tulit, petitur ad pœnam*. Eadem fere habet Sulpitius Victorinus *Instit. orat.* apud Meursium *Themidis Atticæ lib.* II. *cap.* XX. Hinc Mnesilochus, quod habitum mentitus in arcana sacrorum irrepsisset, ad supplicium a mulieribus deposcitur in *Thesmophoriazusis* Comici:

—— ἀνδράσιν οὐ
θεμιτὸν εἰσορᾶν
ὄργια σεμνὰ θεαῖν.

—— *viris non*
Fas est intueri
Orgia veneranda Dearum.

ut ibidem mulierum chorus canit, *v.* 1161.--1163.

Hæ sacerdotes summam castitatem profitebantur; adeo ut viticis, sive *agni-casti*, ut vulgus vocat, foliis cubitum sibi sternerent, ut tradunt Dioscorides, Galenus, Plinius, & alii; quos citat Spanhemius (*a*). Hinc Lucianus Dialogo Matris & Musarii : καὶ σωφρονήσει καθάπερ οὐχ ἑταίρα, τῆς δὲ Θεσμοφόρου ἱέρειά τις οὖσα : *Et pudice agens, perinde ac si non meretrix, sed Cereris legiferæ quæpiam sacerdos esses*. Multa nihilominus pudenda in Thesmophoriis, ad generandi vim pertinentia. Athenæus *libro* XIV. *cap.* XIV. *Heraclides*, inquit, *libro de vetustis, & sancitis moribus scribit, apud Syracusios in perfectis Thesmophoriis ex sesamo, & melle fingi pudenda muliebria* (ἐφήβαια γυναικεῖα) *quæ per ludos, & spectacula circumferebantur, & in tota Sicilia vocabantur mylli*. Merito igitur Clemens Alexandrinus (*b*): ait αἰσχύνης ἔμπλεως ἡ περὶ τὴν Δηὼ μυθολογία : *plena enim probro omnis de Cerere mythologia*.

Ut Eleusinia non Athenis tantum, ita Thesmophoria in omnibus fere Græcorum urbibus; Mileti, Argis, Ephesi, Agrigenti, Syracusis, apud Arcadas (*c*), & Neapoli; cujus rei testem habemus veterem lapidem, a Capacio allatum (*d*): ΚΟΜΙΝΙΑΙ ΠΛΟΥΤΟΓΕΝΙΑΣ ΙΕΡΕΙΑΣ ΔΗΜΗΤΡΟΣ ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΥ ΘΥΓΑΤΡΙ. *&c.* idest COMINIÆ, PLUTOGENIÆ SACERDOTIS CERERIS LEGIFERÆ FILIÆ *&c.*; diverso tamen dierum numero, ut monet Casaubonus (*e*). Nam alibi fuit festum dierum novem, alibi septem (ut apud Eleos, ex allato Pausaniæ loco), alibi trium, alibi quatuor, auctore Hesychio in τρίτη θεσμοφορίων. Merito inquit Casaubonus : *e quatuor diebus nullum certe appellaveris medium, ut facit Athenæus hoc loco*: sed, ignoscant mihi ejus manes, memoria lapsus est quum ex Aristophane inquit, tres fuisse Thesmophoriorum dies. Comicus enim in Θεσμοφοριαζούσαις *vers.* 48. tertiam diem mediam diserte vocat; ut mirum sit, virum doctissimum in media quodammodo luce cæcutisse:

Ἐπεὶ τρίτη 'στι Θεσμοφορίων ἡ μέση.
Quia tertius dies est Thesmophoriorum (qui scilicet) *medius*.

Ad minus igitur quinque. Medium illum diem præcipua castimonia colebant, & omnis cibi abstinentia, & νηστείαν vocabant, idest *jejunium* (*a*). Hoc festo captivi solvebantur, ut ex Marcellino in Hermogenem docet Meursius *lib.* II. *Themidis Atticæ cap.* VIII.

Præterea Eleusiniis immolabatur porca, & unusquisque pro se mactabat. Unde Aristophani mysticæ porcæ (*b*):

ΔΙ. Τί δαὶ φέρεις; ΜΕ. χοίρους ἔγωγε μυστικάς.
DI. *Quid mercimonii igitur fers?* ME. *porcas mecum apporto mysticas.*

De Eleusiniis etiam accipiendus est ejusdem Scholiastes ad *v.* 341. *Ranar.* παρόσον χοῖροι τῇ Δήμητρι καὶ τῷ Διονύσῳ ἐθύοντο, ὡς λυμαντικοὶ τῶν θεοῖν δωρημάτων : *quoniam porci & Cereri, & Baccho immolabantur, ut corruptores utriusque numinis donorum, segetum scilicet, & vinearum*. Eandem rationem affert Macrobius *lib.* I. *Saturnal. cap.* XII. Phurnutus *cap.* XXVIII. mavult sues prægnantes, *propter terræ fertilitatem, & facilem conceptum*. Vinum insuper libabatur, unde ebrietas, furor, & omnia, quæ a temulentis, rectæque rationis statu deturbatis expectari possunt. Contra a Thesmophoriis, quæ Cereris tantum sacra, arcebantur porci. ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις (ait Clemens (*c*) Alexandrinus) μεγαρίζοντες, χοίρους ἐκβάλλουσιν : *In Thesmophoriis Megarensium more porcos expellunt*. Non vino, sed mulso libabatur; unde Plautus in *Aulularia* (*d*), citatus etiam a Macrobio (*e*):

Sta. *Cererin', mi Strobile, hi sunt facturi nuptias?*
Str. *Qui?* St. *quia temeti nihil allatum intelligo.*

Eleusinia proprie dicta nunquam fuisse publice, aut privatim Romæ celebrata, satis declarat Tullius II. *de Legibus*, ubi se, & Pomponium Atticum Athenis initiatos haud obscure significat : *Quid ergo*, inquit, *aget Jacchus, Eumolpidæque vestri, & augusta illa mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus? Non enim Populo Romano, sed omnibus bonis firmisque populis leges damus?* A. *Excipis, credo, illa, quibus ipsi initiati sumus*. M. *Ego vero excipiam. Nam mihi quum multa eximia, divinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem, & mitigati sumus; initiaque, ut appellantur, ita revera principia vitæ cognovimus; neque solum cum lætitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi*. Hoc est illud carmen apud Demosthenem *de corona* : ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον : *mala effugi, reperi meliora* : hoc idem est quod ait Plato in Phædone : *quicumque non expiatus, neque initiatus migrabit ad inferos, in cœno jacebit. Quicumque vero purgatus atque initiatus illuc accesserit, cum Diis habitabit. Sunt enim, ut vulgo ajunt, qui in mysteriis versantur thyrsigeri quidem multi, pauci vero Bacchi* (*f*). Mox subdit Tullius, rem fore periculi plenissimam, si nocturna Atheniensium sacra Romæ mulieres viris permistæ facerent : itaque

a *Dioscorides lib.* I. *cap.* 136. *Galen. simplic. medicament. lib.* VI. *Gul. Philander ad Vitruv. lib.* X. *cap.* XI. *Plin. lib.* XXIV *cap.* IX. *Ælian. de Animal. libr.* IX. *cap.* 26. *apud Spanhem dissert.* VI. b *Protrept. Spanhem. Dissert.* VI. c *Herodot lib.* II. & VI. *Polyæn. lib.* V. *cap.* I. *Athen. lib.* XIV. *cap.* XIV. d *Hist. Neap. cap.* XIV. *Reines. class.* V. 9. e *ad Athen. lib* VII. *cap.* XVI.

a *Casaubon. loco cit.* b *Acharn. act.* III. *sc.* III. *vers.* 15. c *Protrept.* d *Act.* II. *sc.* III. e *lib.* III. *Saturn. cap.* XI. f Vide Laertium *in Antisthene.*

ab antiquissimo ritu non esse discedendum : *Diligentissime faciendum est (inquit) ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat, initienturque eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. Quo in genere severitatem majorum Senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus, & Consulum exercitu adhibito, quæstio, animadversioque declarat*. Opponit Eleusiniis Atticis Romanorum Cerealia, hisque nocturna Bacchanalia, quæ nostro Senatusconsulto vetita fuere. Augustus quoque Athenis initiatus est. Suetonius (*a*) : *Namque Athenis initiatus, quum postea Romæ pro tribunali de privilegio sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret, & quædam secretiora proponerentur, dimisso concilio, & corona circumstantium, solus audiit disceptantes*. Immo Cereri, & Baccho : ut satis aperte indicant illa Dionis (*b*) : *τάτε ἐν τῇ Ἑλλάδι διῴκησε, καὶ τῶν τοῖν θεοῖν μυστηρίων μετέλαβεν· res Græciæ constituit, ac duorum Divorum sacris initiatus est*. Conatus est Claudius Imperator Eleusinia sacra Romam ex Attica transferre, sed nihil profecit, teste eodem Suetonio (*c*) : *Contra, sacra Eleusinia etiam transferre ex Attica Romam conatus est*. Hadrianus lapidem movere non est ausus; itaque Athenis est initiatus : *Eleusinia sacra* (inquit Capitolinus in vita) *exemplo Herculis, Philippique suscepit* (*d*). Quamobrem privatim ea sacra Romæ excoluit : neque aliter accipiendus est Aurelius Victor : *atque initia Cereris, Liberæque, quæ Eleusina dicitur, Atheniensium modo Romæ percoleret*. Nam de M. Aurelio etiam legimus, Athenis fuisse initiatum. Apponam heic monimentum Fabiæ Aconiæ, quæ Eleusine initia suscepit (*e*).

FABIAE. ACONIAE. PAVLINAE. C. F.
FILIAE. ACONII. CATVLINI. V. C.
EX PRAEF. ET. CONSVLE. ORD.
VXORI. VETTI. PRAETEXTATI. V. C.
PRAEF. ET. CONSVLIS. DESIGNATI.
SACRATAE. APVD. ELEVSINAM
DEO BACCHO. CERERI. ET. CORAE.
SACRATAE. APVD. AEGINAM.
DEABVS. TAVROBOLITAE. ISIACAE.
HIEROPHANTRIAE. DEAE. HECATE
GRAECO. SACRATAE. DEAE
CERERIS

ubi etiam vides, Eleusinia sacra esse promiscua Baccho, Cereri, & Coræ sive Proserpinæ. Hinc illa Claudiani (*f*) :

Ecce procul ternis Hecate variata figuris
Exoritur, lætusque simul procedit Jacchus,
Crinali florens hedera, quem Parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit ungues,
Ebria Mœoniis fulcit vestigia thyrsis.

Nam omnes in numero Deorum inferorum, teste Arthemidoro (*g*), Pluto, Proserpina, Ceres, Core, Jacchus, Isis, Anubis, Harpocrates, Hecate subterranea, Erynnies, & dæmones alii. Unde Macrobius (*h*) : *in sacris enim hæc religiosi arcani observatio tenetur, ut Sol, quum in supero, idest in diurno hemisphærio est, Apollo vocitetur; quum in infero, idest nocturno, Dionysus, qui est Liber pater, habeatur*.

Cerealia Romæ, in memoriam frugum a Cerere repertarum, Themophoriis, non Eleusiniis respondebant : & ab Evandro, cum Herculis & Fauni ceremoniis, instituta feruntur, & abs Romulo adscita. Dionysius *lib.* I. de sacris, quæ Arcades invexerunt, verba faciens : *ἱδρύσαντο δὲ καὶ Δήμητρος ἱερὸν, καὶ τὰς θυσίας αὐτῇ διὰ γυναικῶν τε καὶ νηφαλίους ἔθυσαν, ὡς Ἕλλησι νόμος, ὧν οὐδὲν ὁ καθ' ἡμᾶς ἤλλαξε χρόνος. Cereri quoque templum extruxerunt, & per feminas sacerdotes sacra ei fecerunt abstemia, more Græco, quorum nihil mutatum est nostro tempore*. Quamobrem longe ante adventum Matris Magnæ, nimirum anno Urbis CCLIV. Coss. P. Veturio Gemino, T. Æbutio Elva, A. Postumius dictator ædem vovit, locavitque Libero, Liberæque, & Cereri ex Latinorum spoliis; quæ triennio post a Sp. Cassio dedicata est (ac tandem restituta a Tiberio juxta Circum maximum), si Tacito, & Dionysio fides (*a*) : nam Livius, quem testem advocat Lipsius, diserte inquit (*b*), ædem a Postumio, quum adversus Latinos ad lacum Regillum ferveret pugna, votam *Castori*; dedicatamque demum Coss. Q. Fabio Vibulano, Ser. Cornelio Maluginensi (*c*), nempe A. U. CCLXVIII. Id tantum eodem libro narrat, ex peculio Sp. Cassii, damnati ob suspicionem tyrannidis, signum Cereris factum, & inscriptum *ex Cassia familia datum*. Tametsi *lib.* III. ædem Cereris, Liberi, Liberæque, veluti jamdiu dedicatam memorat : postremo enim capite legis, adversus Decemviros latæ, habet : *Familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret*.

Præterea *P. Decius Decii F. Mus* (A. U. CCCCXLI.) *consulatu primo de Samnitibus triumphans spolia ex his Cereri consecravit*, inquit Aurelius Victor (*d*), totidemque fere verbis Inscriptio apud Gruterum (*e*)

P. DECIVS. DECI F.
PRIMVM. COS.
DE SAMNITIBVS
TRIVMPHANS.
SPOLIA. EX. IEIS
CERERI. CONSECRAVIT.
ITERVM. ET. TERTIVM
CONSVL . . . .
. . . .

Quem tamen lapidem si quis contendat supposititium esse, & ex verbis Aurelii Victoris confictum, lubens dabo manus. Non enim scripsisse oportuit DECI F. (quod Decii ævo omnino præter morem) sed ante F. adscribenda tantum erat prænominis paterni nota, nempe P. *Publii filius*; aut prænominis loco ipsum cognomen, *Muris*, ut fere semper in veterum monumentis : nec ullus dubito, quin gesta secundo & tertio Decii consulatu in Inscriptione haberemus, nisi ejus auctor altum de iis apud Victorem silentium invenisset. Bello Punico II. & post Cannensem cladem, A. U. DXXVII., Romæ Cerealia fuisse celebrata, docet Livius (*f*). De iisdem Valerius inquit (*g*) : *Quanto nostræ civitatis Senatus venerabilior in Deos, qui post Cannensem cladem decrevit, ne matronæ ultra trigesimum diem luctus suos extenderent, uti ab his sacra Cereris peragi possent? quia majore pene Romanorum virorum parte in execrabili ac diro solo jacente, nullius Penates mœroris expertes erant. Itaque matres ac filiæ, conjugesque ac sorores nuper interfectorum, abstersis lacrymis, depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem, & aris dare thura coactæ sunt*. Factum id imitatione quadam Lycurgi, qui, teste

a *in Augusto cap.* XCIII. b *lib.* LI. *pag.* 509. c *in Claudio cap.* XXV. d *Idem traditur a D. Hieronymo de Viris illustr. citatus a Tillemontio Nota* VI. *in Hadrianum.* e *Gruter. pag.* CCCIX. 2. f *De raptu Proserp. lib.* I. *v.* 15. -- 19. g *Oneirocrit. lib.* II. *cap.* XXXV. h *Saturnal. lib.* I. *cap.* XVIII.

a *Tacit.* II. *Annal. Dionys. lib.* VI. b *Liv. lib.* II. c *eod. lib.* II. d *De Viris Illustr.* e *pag.* XVI. II. f *lib.* XXIII. g *lib.* I. *cap.* I.

Plutarcho in ejus vita, luctum modico definivit tempore, *undecim diebus, duodecimo sacrificare oportebat Cereri, & desinere luctum*. Post idem bellum, quum Romæ Comitiorum habendorum caussa creatus esset Dictator Cn. Servilius Pulex Geminus, a quo Magister equitum dictus est P. Ælius Pætus, *Cerealia ludos Dictator, & Magister equitum ex S.C. fecerunt*, inquit Livius (*a*): quod accidit circa An. Urb. DLI.

Antiquissima igitur Romæ Cerealia; & falluntur quotquot a Julio Cæsare Dictatore instituta existimarunt, argumento argentei nummi, de quo Politianus (*b*), habentis ex una parte caput Quirini barbati, cum Inscriptione, C. MEMMI C. F. altrinsecus vero Cererem, draconibus vectam, cum hac Epigraphe (*c*): MEMMIVS AED. CERIALIA PREIMVS FECIT. Fulvius Ursinus putat, C. hunc Memmium antiquiorem fuisse C. Memmio Imperatore, qui Cos. suffectus fuit ex Cal. Julii A. U. DCCXIX. sed nihil certi in medium adfert. Acu rem tetigit *Chrystophorus Adamus Rupertus* (*d*), qui non eo spectare inquit nummum, ut significet, sub Julio primum, a quo Memmius Ædilis creatus est, Cerealia fuisse celebrata; sed quod, institutis a Cæsare Ædilibus Cerealibus, ex quorum numero fuit Memmius, is primus ludos Cereales Popolo exhibuit. Equidem hi Ædiles ex numero plebejorum: vetus Inscriptio apud Gruterum *pag*. CCCCXCII. 9.

. . . .
IIII. VIRO. VIARVM. CVRANDARVM
TRIB. MIL. LEG. V MACED. Q VRBANO
AEDILI PLEB. CERIAL. PRAET. LEGATO
PROVINCIAE. SICILIAE. ET. ASIAE &c.

Item alia *pag*. CCLXXII. 5.

FVRIAE. SABINAE. TRANQVILLINAE.
SANCTISSIMAE. AVGVSTAE.
CONIVGI. DOMINI. N.
M. ANTONI. GORDIANI.
PII. FELICIS. INVICTI. AVGVSTI.
DECVRIALES. AEDILIVM. PLEBIS.
CERIALIVM. DEVOTI. NVMINI
MAIESTATIQVE. EORVM.

Ædiles, inquam, Cereales plebeii post Julium Cæsarem; nam antea ad Curules ea cura spectabat. Tullius in Verrem V. *Nunc sum designatus Ædilis: habeo rationem, quid a Pop. Rom. acceperim: mihi ludos sanctissimos, maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberæque faciundos*. Dio *lib*. XLVII. Καὶ οἱ ἀγορανόμοι τοῦ πλήθους ὁπλομαχίας ἀγῶνας ἀντὶ τῆς ἱπποδρομίας τῇ Δήμητρι ἐπετέλεσαν. *Ædiles Plebis Cereri, loco equestrium ludorum, gladiatorios exhibuerunt*. Quod accidit post Philippensem pugnam. Quirini caput, in allato Gentis Memmiæ nummo, id mihi significare videtur, quod modo dicebam, Cerealia Romulum a proximis Arcadibus accepisse, primumque Romæ celebrasse.

Candidam induere vestem, de matronis lugentibus post cladem ad Cannas acceptam, inquit Valerius loco jam allato; quasi non fuisset satis habere *albam* (distant enim albus nativus color, & candidus sive splendidus (*e*), qui ab arte) nisi candidam etiam ad constantiæ veluti ostentationem habuissent. Matronas namque sacerdotes Cereris in veste alba sacrum facere, virus in toga candida Cerealibus interesse oportuit. Ovidius (*f*):

Alba decent Cererem; veste Cerealibus albas
Sumite: nunc pulli velleris usus abest.

Sacerdotium fuisse antiquissimum, & matronarum proprium, docet quum Dionysius loco superius allato, tum Cicero pro Balbo: *Sacra* (inquit) *Cereris, Judices, summa majores nostri religione confici, ceremoniasque voluerunt: quæ quum essent assumta de Græcia, & per Græcas semper curata sunt sacerdotes, & Græce omnia nominata. Sed quum illam, quæ Græcum illud sacrum monstraret, & faceret, ex Græcia deligerent, tamen sacra pro civibus civem facere voluerunt; ut Deos immortales scientia peregrina & externa, mente domestica & civili precarentur. Has sacerdotes video fere aut Neapolitanas, aut Velienses fuisse, fœderatarum sine dubio civitatum. Mitto vetera, proxima dico: ante civitatem Veliensibus datam, de Senatus sententia C. Valerium Flaccum Prætorem Urbanum nominatim ad populum de Calliphana Veliense, ut ea civis Romana esset, tulisse*. Siculam sacerdotem, quam fuisse Græcæ originis, & Cereris initia valde doctam, vix est ut dubitare possimus, exhibet Gruterus (*a*)

CASPONIA. P. F.
MAXIMA
SACERDOS. CERERIS
PVBLICA
POPVLI. ROMANI
SICVLA

Huc faciunt illa Epitomatoris Festi (*b*): *Græca sacra, festa Cereris ex Græcia translata, quæ ob inventionem Proserpinæ matronæ colebant; quæ sacra, dum non essent matronæ, quæ facerent propter cladem Cannensem, & frequentiam lugentium, institutum est ne amplius centum diebus lugeretur*. Intactum hunc locum reliquerunt viri docti; & tamen nullum inde idoneum eruas sensum. Recte animadvertit Rævardus (*c*), id non perpetuum fuisse apud Romanos; legitimumque lugendi tempus post Cannensem cladem finitum Senatusconsulto, non mutatum. Sed nec tempus lugendi legitimum dies centum, ut vult Epitomator; immo annus, ut ex Livio discimus *lib*. II. ubi de Bruti cæsi funere inquit: *Sed multo majus morti decus publica fuit mœstitia, & ante omnia insignis, quia matronæ annum, ut parentem luxerunt*. Saltem decem menses, ut probare conatus est idem Rævardus (*d*).

Noctu etiam celebrata Cerealia: quod non obscure docet Plautus *Prologo Aululariæ*:

Qui illam stupravit noctu, Cereris vigiliis.

Alii, inquit Vellejus Paterculus (*e*), *nocturno aeris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet*. Neque ante noctem fas erat epulari; in memoriam Cereris, quæ quum amissam filiam quæreret noctu tandem cibum sumsit. Ovidius (*f*)

Quæ quia principio posuit jejunia noctis
Tempus habent mystæ sidera visa cibi.

A vino abstinebant, uti ex supra allato Plauti loco fit manifestum; itemque a granis mali Punici: vel quod Osiridis sanguine cruentata fuerunt, ut dictum est in superioribus; vel quod Proserpina, quia tria Punica grana apud inferos degustavit, ad superos redire non potuit. Idem Ovidius (*g*):

a *lib*. XXIII. b *Miscell. cap*. 85. c *Ursin. in famil. Memmia*. d *ad Pompon. l*. 2. *de orig. jur. cap*. XVIII. e *Ferrar. de re vestiar. lib*. I. *cap*. XXI. f *Fastorum* IV. *v*. 619.—620.

a *pag*. CCCVIII. 4. b *in Græca*. c *lib*. II. *varior. cap. ult*. d *lib*. I. *cap*. XX. e *lib*. I. f *Fastor*. IV. *v*. 545.—548. g *lib*. IV. *v*. 607.—610.

Rapta tribus, dixit, solvit jejunia granis,
Punica quæ lento cortice poma tegunt.
Haud secus indoluit, quam si modo rapta fuisset,
Mœsta parens ——

Servius ad *lib.* I. *Georg. v.* 39. *Quum raptam a Plutone Proserpinam filiam diu Ceres quæsisset, tandem aliquando eam esse apud inferos comperit; pro qua re quum Jovis implorasset auxilium, ille respondit, posse eam reverti, si nil apud inferos gustavisset: illa autem jam Punici mali grana in Elysio gustaverat; quam rem Ascalaphus Stygis filius prodidit; unde Proserpina ad Superos remeare non potuit. Sane Ceres a Jove meruisse postea dicitur, ut Proserpina sex esset cum matre mensibus, sex cum marito.* Quinto quoque anno, ex Sibyllinis carminibus, jejunium fiebat, & mystæ calida abluebantur: & hoc est quod inquit Clemens Alexandrinus loco superius allato (*a*): καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν· *sicut etiam apud Barbaros lavacrum*. Nam λουτρὸν esse Galeno *caldam* lavationem, λουτρὸν Vitruvio *frigidam*, jamdiu observavit Academiæ Neapolitanæ lumen Dominicus Aulisius *opusculo de Gymnasii constructione*. Quod ad castitatem prodesse dicebant; quæ Thesmophoriorum ritu inter primas curas, ut pluribus veterum locis jam ab aliis probatum est. Nos unius Ovidii testimonio contenti erimus *libro* III. *Amorum Eleg.* IX.

Annua venerunt Cerealis tempora sacri,
Secubat in vacuo sola puella toro.

Polluti & immundi e templo Cereris præconis voce arcebantur (*b*). Farre, & sale, & thuris granis sacrificabatur, & sus immolabatur; nam boves, propter agricolationis usum, in tutela Cereris Ovidius ipse *Fastor.* IV. 409. — 414.

Farra Deæ, micæque licet salientis honorem
Detis, & in veteres thurea grana focos.
Et si thura aberunt, unctas accendite tedas.
Parva bonæ Cereri, sint modo casta, placent.
A bove succincti cultros removete ministri:
Bos aret, ignavam sacrificate suem.

Hoc tantum ab Eleusiniis mutuati sunt Romani, suem Cereri immolare. Adhibitæ etiam porca aurea, & altera argentea, licet in hostiarum numero non essent. *Porcam* (inquit Festus (*c*)) *auream, & argenteam dici ait Capito Attejus, quæ etsi numero hostiarum non sint, nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam adhiberi sacrificio Cereali.* Hinc porca ad pedes Cereris tediferæ in nummo gentis Vibiæ apud Ursinum, qui ad hanc rem adfert Varronis, Catonis, & Gellii loca. Proserpinæ quoque mactatam suem, docet Macrobius (*d*), quod segetes, Cereris donum, depasta est.

Ad V. Eidus Aprilis Deorum simulacra carpentis per Circum traducebantur; incipiebantque Circenses ludi ab equorum cursu, & quidem in honorem Cereris, uti ex superius allato Dionis loco fit manifestum: indeque sequebantur sacra Cerealia XIII. Cal. Maii, idest die Aprilis XIX. Ovidius *vers.* 231. — 234.

Circus erit pompa celeber, numeroque Deorum,
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi: non est opus indice causa.
Sponte Deæ munus, promeritumque patent.

a *pag.* 63. b *Alexand. ab Alexand. dier. genial. lib.* VI. *c.* VI. c *in Porcam.* d *lib.* I. *Saturn. cap.* II.

A Tacitus (*a*): *atque Circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur*. In Circo igitur nuces tostæ, cicer, & alia missilia spargebantur; siquidem vera sit Scaligeri conjectura ex *Sinnio Capitone* apud Festum, cujus lacunas supplere conatur vir doctus (*b*). De Cerealibus sacrificiis, etiam Paganicis, XIII. Kal. Maii, testem habemus lapidem apud Gruterum (*c*):

B CERERI AVGVST
MATRI. (*d*) AGR.

L. BENNIVS. PRIMVS
MAG. PAGI
BENNIA. PRIMIGENIA
MAGISTRA. FECER
GERMANICO. CAESARE. II
L. SEIO TVBERONE COSS
DIES. SACRIFICI. XIII. K. MAI.

C Anno nimirum Urbis DCCLXX. Itaque immerito quidam retrahunt Cerealia ad pridie Idus Aprilis, auctoritate, ut ajunt, veterum Urbis Kalendariorum. In tabula certe marmorea apud Gruterum (*e*) legitur pridie Idus, LVDI CERERI: quidni enim fierent ludi per septem præcedentes dies? sed XIII. K. Maii habet literis majoribus CER. N. *Cereris, nefastus*.

Pridie Eidus incidit tantummodo memoria adventus ex Asia Cybeles, sive Matris Magnæ Ideæ: quæ licet ipsissima sit Ceres, alia tamen notione, aliisque ritibus ac ceremoniis a Romanis coli cœpta est, nempe *Megalensibus*: quod non mirum. Athenienses enim creditum est pestilentia quondam laborasse (*f*) propter neglecta Galli, sive Attidis sacra; quod ea non putarent esse diversa a sacris Rheæ. Sic quamvis Mithra sit Sol, itemque D Adonis, Osiris, Attis; diverso nihilominus cultu Mithra apud Persas colebatur, atque apud Ægyptios, aut Græcos Osiris, sive Adonis (*g*). Merito igitur Cereris & Cybeles sacra Romæ separata, non modo tempore, verum ritu & ceremoniis: quemadmodum Opi, quæ proculdubio fuit Ceres, fiebant Opalia separatim XIV. Cal. Januarii (*h*); & Bonæ Deæ, quæ item Ceres, fiebat Calendis Maii (*i*).

Adventum Matris Magnæ ad Pridie Idus memoriæ prodidit Livius *lib.* XXIX. *In ædem Victoriæ* (inquit), *quæ est in Palatio, pertulere Deam pridie Idus Aprilis, isque dies festus fuit. Populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisterniumque, & ludi* MEGALESIA *appellata*. Ex ejusmodi E donis mos fluxit pretiosam supellectilem Megalensibus ostentandi, de quo Herodianus *libro* I. citatus a Rosino (*k*): *Veris initio, stato solennique die, pompam Matri Deum Romani celebrant. In ea quæ apud quemque sunt divitiarum præcipua, supellexque pleraque Imperatoria, materiæ aut artis spectandæ, præferri ante Deam solent. Passimque omnibus ludendi licentia permissa, sic ut personas induant, quas cuique libitum, nullamque non magistratuum quoque imaginem, prout cujusque studium, repræsentent, sic ut non temere a falsis veros dignoscas.* Advenisse Deam, F immo lapidem (*l*), ajunt plerique (*m*) A. U. DXLIX. Coss. P. Sempronio Tuditano, M. Cornelio Cethego. Atqui Livius *lib.* XXXVI. disertis ver-

a XV. *Annal. c.* 74. b *in castigationibus pag.* CXVII. 31. c *pag.* XXVI. 9. d Aldus legit SACR. e *pag.* CXXXIII. f *Julian. Imper. orat.* V. g *Reines. class.* I. 40. h *Varro lib.* V. *de LL. Macrob. lib.* I. *Saturnal. cap.* X. i *Ex Labeone Macrobius lib.* I. *Saturnal. cap.* XII. k *Roman. Antiqu. lib.* V. *cap.* XIII. l *Livius lib.* XXIX. m *Sigon. in Fast. & Triumph. Roman.*

bis tradit, Cybelem advectam Coss. P. Cornelio Scipione (qui postea dictus est *Africanus*) & P. Licinio Crasso (qui postea dictus est *dives*) A. U. DXLVIII. ædemque post annos XIII. (mendum heic in numero cubat, & omnino legendum est XI.) ex quo decreta fuerat, dedicatam fuisse a M. Junio Bruto, Coss. P. Cornelio (*Scipione Africano*), Tib. Sempronio Longo; ac ludos factos, quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, *Megalesia* appellatos. Hæc manifeste a Cerealibus separat etiam Arnobius (*a*) quum inquit: *Quid Phrygiam matrem, cujus esse conditor judicatur vel Midas, vel Dardanus, non quum Annibal Pœnus res Italicas raperet, & terrarum exposceret principatum, & nosse & scire cœpistis, & memorabili religione sancire? Sacra Cereris Matris, non quod vobis incognita essent, adscita paulo ante, obtentum est ut Græca dicantur* (nimirum Megalesia), *novitatem ipsam testificante cognomine*. Cerealia cognita sub ipsis Romuli, immo Evandri initiis; *Megalesia* bello Punico secundo. *Cerealia* celebrata ex pridie Eidus Aprilis ad XIII. Cal. Maii, *Megalesia* ex pridie Nonas ad v. Eidus Aprilis.

Megalesia (inquit (*b*) Varro) *a Græceis, quod ex libreis Sibyllineis arcessita ab Attalo Rege Pergami prope murum Megalesion, ubi templum ejus Deæ, unde advecta Romam*. Integram historiam legesis apud Livium *libro* XXXVI. Sic Ovidius, postquam de Curetibus, Jovis pueri custodibus, & de castrato Attide verba fecit, subdit de adventu Matris Magnæ (*c*):

Carminis Euboici fatalia verba sacerdos
Inspicit; inspectum tale fuisse ferunt.
Mater abest, matrem jubeo, Romane, requiras,
Cum veniet, casta est accipienda manu.
Obscuræ sortis Patres ambagibus errant,
Quæque parens absit, quove petenda loco.
Consulitur Pæan (d), Divumque arcessite matrem,
Inquit: in Idæo est invenienda jugo.
Mittuntur proceres. Phrygiæ tum sceptra tenebat
Attalus. Ausoniis rem negat ille viris.
Mira canam. longo tremuit cum murmure tellus,
Et sic ex adytis Diva locuta suis.
Ipsa peti volui: ne sit mora: mitte volentem.
Dignus Roma locus, quo Deus omnis eat.
Ille soni terrore parens, proficiscere, dixit.
Nostra eris. in Phrygios Roma refertur avos.

Deinde scribit, navim cum Deæ simulacro immobilem ad limosum vadum hæsisse; Claudiamque Vestalem Maximam, fusis ad Deam precibus, ut pudicitiam suam testatam facere vellet, quæ civibus in suspicionem venerat, navim nullo labore traxisse (*e*):

Dixit, & exiguo funem conamine traxit.
Mira, sed & scena testificata loquor.
Mota Dea est, sequiturque ducem, laudatque sequendo,
Index lætitiæ fertur in astra sonus.
Fulminis ad flexum veniunt: Tiberina priores
Ostia dixerunt, unde sinister abit.
Nox aderat: querno religant a stipite funem,
Dantque levi somno corpora functa cibo.

a *lib.* II. *adv. Gent.* b *lib.* V. *de LL.* c *Fastor.* IV. *v.* 257.–273. d Vide *Julian. Imperat. orat.* V. e *v.* 325.–332.

A Quem funem heic dicit Ovidius (*a*), cingulum per cavillationem vocat Lactantius (*b*); zonam Julianus Imp. (*c*), ut majorem quandam admirationem in animis legentium excitaret. Mox Ovidius (*d*):

Ante coronata puppi sine labe juvencam
Mactarunt, operum, conjugiique rudem.

In cujus sacrificii memoriam bovis caput visitur in nummo Scipionis illius Nasicæ, qui omnium consensu Romæ optimus judicatus est, ut Deam advenientem exciperet: quem nummum renovarunt B Ædiles municipii Calaguritani in Hispania Tarraconensi, L. VAL. FLAVVS. T. VAL. MERVLA, apud Vaillantium (*e*). Idem Ovidius *v.* 345.–352.

Ipsa sedens plaustro porta est invecta Capena,
Sparguntur junctæ flore recente boves.
Nasica accepit. templi tunc extitit auctor.
Augustus nunc est, ante Metellus erat.
Substitit hic Erato: mora fit si cetera quæram.
Dic, inquam, parva cur stipe quærat opes?
Contulit æs populus; de quo delubra Metellus
Fecit, ait; dandæ mos stipis inde manet.

C Primus igitur ædis faciendæ auctor Nasica, quam dedicavit M. Junius Brutus A. U. DLIX. Coss. P. Cornelio Scipione Africano II. Ti. Sempronio Longo: deinde Q. Cæcilius Metellus stipe collecta instauravit. Equidem Rheæ sacerdotes apud Græcos, cum simulacro Deæ in ædicula asino imposita, stipem menstruam emendicabant: qui mos mansit apud Romanos: unde Ovidius (*f*):

Ante Deum matrem cornu tibicen adunco
Cum canit, exiguæ quis stipis æra neget?

D quo faciunt illa Apuleii (*g*): *Deamque Syriam circumferentes mendicare compellunt*; & infra: *Deamque serico contectam amiculo mihi gerendam imponunt*, sc. asino. Deinde paucis interjectis: *Stipes æreas, immo vero & argenteas, multis certatim offerentibus, sinu recepere patulo*. Tertullianus Apologetico (*h*): *Majestas quæstuaria efficitur: circuit cauponas religio mendicans*... &: *Non sufficimus & hominibus & Diis vestris mendicantibus opem ferre*. Ideo Phrygii sacerdotes appellati μητραγύρται μηναγυρτοῦντες (*i*). Tandem Magnæ Matris templum Augustus restituit, forsitan ex stipe, quam ex nocturno, ut ajebat, visu E quotannis certo die a populo emendicabat (*k*). Certe ex strena, quæ Cal. Januarii etiam absenti conferri consuevit, pretiosissima Deorum signa mercatus est, eademque vicatim dedicavit (*l*); ut *Apollinem Sandaliarium*, *Jovem tragœdum*, & alia hujusmodi. Vetus lapis, Romæ effossus ad ædem Saturni An. MDXLVIII. (*m*)

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XIII. COS. IX. TRIB. POTEST. XV.
EX STIPE. QVAM. POPVLVS. ROMANVS
F ANNO. NOVO. APSENTI. CONTVLIT
NERONE CLAVDIO DRVSO COS.
T. QVINCTIO CRISPINO
VOLCANO.

a & *Propertius lib.* III. *eleg.* III. b *lib.* II. *cap.* VIII. c *Orat.* V. d *v.* 325. 326. e *In nummis æreis Impp. in Coloniis.* f I. *ex Ponto v.* 39. 40. g VIII. *Metam. Lucianus in Lucio.* h *cap.* XIII. & XLII. i *ex Suida in* μηναγύρτης & *Marino Neapolitano in vita Procli Lycii*, *Reines. class.* I. 40. Vide El. Sched. *de Diis Germanis cap.* IX. *pag.* 145. 147. k *Sueton. in Aug. cap.* XCI. l *Sueton. in Aug. cap.* LVII. m *Gruter. pag.* LXI. 1.

Unde facile fuit Goltzio (*a*) supplere similem Inscriptionem, ibidem repertam An. MDLIV.

Imp. Cæsar. DIvI F. Augustus
Pontifex. Maximus.
Imp. XIII. COS. XI. *Trib. potest* XV.
EX STIPE QVAM *Populus Romanus*
CALENDIS IANVARj *contulit*
C. MARCIO CENSORINO. C. ASINIO GALLO COS.

Nec tamen pridie Eidus incipiebant *Megalesia* ludi, sed Pridie Nonas, & ante ipsa Cerealia, ut habet vetus Calendarium, quo usus est Gyraldus, aliudque a Lipsio citatum (*b*) LUD. MAT. MAG. durabantque per sex dies, usque ad V. Eidus. Unde intelligas illa Spartiani in Caracalla: *Deinde, quum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hybernare Edessæ, atque inde Carras Luni Dei gratia venisset; die natalis sui* VIII. *Idus Aprilis, ipsis* MEGALENSIBUS, *quum ad requisita naturæ discessisset, insidiis a Macrino Præfecto præt. positis, qui post eum invasit imperium, interemptus est*. Mense tamen Martio, VI. Cal. Aprilis, Mater Deum lavabatur in flumine Almone. Oscitanter Rosinus scripsit Pridie Cal. (*c*) Diserte enim Ammianus Marcellinus *lib.* XXIII. inquit: *Ubi diem* VI. *Cal. quo Romæ Matri Deum* . . . . *& carpentum, quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur*. *Almon* (verba sunt Vibii Sequestris *de fluminibus*) *Romæ, ubi Mater Deum* VI. *Cal. Aprilis lavatur* (*d*). De qua Ovidius IV. *Fastorum v.* 317. — 320.

Est locus in Tiberim qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam, sacraque lavit aquis.

Igitur prid. Nonas Aprilis pinum, radicitus excisam, per urbem gestabant Græcanico ritu in memoriam Attidis; de quo Arnobius supra relatus: (*e*) *Quid enim vult illa pinus, quam semper statis diebus in Deum Matris intromittitis sanctuario? nonne illius similitudo est arboris, sub qua sibi furens manus & infelix adolescentulus intulit, & genitrix Divum in solatium sui vulneris consecravit*. Et in fine ejusdem libri: *Pinus illa solenniter, quæ in Matris infertur sanctum Deæ* (legendum *Idææ*) *nonne illius imago est arboris, sub qua sibi Atys virum, demessis genitalibus, abstulit? & quam memorant Divam in solatium sui consecravisse mœroris*. Firmicus etiam Maternus *de errore profan. relig. In sacris Phrygiis, quæ Matris Deum dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, & in media arbore simulacrum juvenis subligatur*.

Separandi tamen sunt hi *Dendrophori*, eorumque collegium ἱερατικὸν a Dendrophoris illis, quorum est frequens mentio cum fabris & centonariis in veterum monimentis (*f*). *Silvanum* Dendrophorum habet lapis apud Gruterum (*g*), & ultima linea *Dendrophoros Matris Deum Magnæ*. MAGNO. ET. HERMOGENIANO DENDROPHORIS M. D. M. &c. Item alius lapis Puteoli (*h*) plurium Dendrophororum habet nomina sub cura XV. virorum sacris faciundis. Ad eosdem spectat locus Arthemidori in *Oneirocriticis* a Sponio allatus, & forsitan *l.* XX. *Cod. Theod. De Paganis Sacrificiis & Templis*: *Omniaque loca, quæ Frediani, quæ*

a *In Augusto*. b *ad* III. *Annal. Taciti*. c *Antiquitat. Roman. lib.* IV. *cap.* VII. d Vide *Augustin. de Civit. Dei lib.* II. *cap.* IV. *Arnob. lib.* VII. e *lib.* V. f *tit.* VIII. *Cod. Theod. lib.* XIV. g *pag.* LXIV. 7. h *Ex Capacii hist. Neapol. Sponius Miscell. antiq. sect.* II. *art.* XI. *& Reines. class.* V. 23

A *Dendrophori, quæ singula quæque nomina, & professiones gentilitiæ tenuerunt, epulis, vel sumtibus deputata, fas est, hoc errore submoto, compendia domus nostræ sublevare*. Neque tamen hi ex numero imberbium, exsectorumque; sed ex reliqua turba initiatorum Cereri & Baccho, qui in Collegium cooptabantur. Quo forte respiciunt illa Ciceronis *de senectute cap.* III. *Sodalitates, me Quæstore, constitutæ sunt, sacris Idæis Magnæ Matris acceptis: epulabor igitur cum sodalibus*. Hi omnes nudis pedibus Almonem usque Deam comitabantur: unde Prudentius (*a*)

B *Nudare plantas ante carpentum scio*
Proceres togatos, matris Idææ sacris.
Lapis nigellus evehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet:
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum,

A VI. igitur Calendas ad Pridie Nonas Aprilis novem fuere dies cum aliqua religione transacti, & veluti præparatorii ad *Megalesia*, quæ celebrata a pridie Nonas Aprilis ad V. Eidus.

C Quum vero *Megalesia* ludi dignitate ceteris anteirent (*b*), procurati sunt ab Ædilibus, non plebeiis, sed curulibus. *Megalesia* (inquit (*c*) Livius) *ludos scenicos Atilius Serranus, L. Scribonius Libo Ædiles Curules primi fecerunt*. Ædilium item Curulium nomina in fronte gerunt tres P. Terentii comœdiæ, ludis Megalensibus actæ; *Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos*. Semel tantum extra ordinem, & ex Senatusconsulto fecerunt Ædiles plebeii apud Dionem (*d*), nondum creatis eo anno Curulibus; quum Cæsar Dictator, bellis extra Italiam impeditus, comitia Tribunorum, & Ædilium Plebis tantum habuisset, ut erudite, pro more, animadvertit eximius
D Spanhemius (*e*).

Megalesiorum licentia in eo erat, ut omnium ætatum atque ordinum mores gestu atque oratione juvenes larvati effingerentur, ut ex Herodiano supra vidimus, quæ pars fuit proculdubio ludorum scenicorum. Principes etiam civitatis mutuis se conviviis excipiebant: quod *mutitare* dicebatur. *In quo jubentur* (inquit (*f*) Gellius) *principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, idest mutua inter se convivia agitarent, jurare &c.* & alibi (*g*): *Quam ob causam Patritii Megalensibus mutitare soliti sint, plebs*
E *Cerealibus?* Ovidius (*h*):

Cur vicibus factis ineant convivia, quæro,
Tum magis, indictas concelebrentque dapes?
Quod bene mutavit sedem Berecyntia, dixit,
Captant, mutatis sedibus, omen idem.

Ante Deæ signum matronæ spectatæ pudicitiæ psallere consueverunt: (*i*) *Ambubajæ*, si Acronem audimus ad illud Horatii *Ambubajarum collegia &c.* (*k*) *Ambubajæ* (inquit) *dicuntur mulieres tibicinæ lingua Syrorum; etenim Syris tibia, vel symphonia dicitur Ambubaja*; de quibus accipiendum esse Juvenalem *Satyra* III. monet Kip-
F pingius (*l*):

Jamdudum Syrus Tiberim deflexit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas

a *hymno* X. *v.* 154. — 160. b *Ovid.* 4. *Fast. v.* 557. c *lib.* XXIV. d *lib.* XLIII. e *De Usu & Præstantia Dissert.* X. f *lib.* II. *cap.* XXIV. g *lib.* XVIII. *cap.* II. h *Fastor.* IV. *v.* 353. — 357. i *Scalig. Poet. lib.* I. *c.* XXIX. k *lib.* I. *Satyr.* II. l *Antiq. Rom. lib.* I. *cap.* II.

Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit ———

In sacris & ministerio quidem Cereris feminæ tantum; in Matris vero Magnæ quum feminæ, tum viri, evirati, & imberbium grex sub Archigallo; de cujus insania Tertullianus (*a*) *Apologetico*, ubi Cybeles sacra ridet, inquit: *Itaque majestatis suæ, in Urbem collatæ, grande documentum nostra etiam ætate proposuit, quum M. Aurelio apud Syrmium Reip. exempto, die* XVI. *Calendarum Aprilium, Archigallus ille sanctissimus die* IX. *Calendarum earundem, quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat, pro salute Marci jam intercepti, solita æque imperia mandavit.* B Ex iis quæ superius adnotavimus vides, pro *die* IX. *Cal.* legendum esse saltem VI. *Cal.* pariterque VI. Cal. pro VIII. *Cal.* reponendum Macrobii *cap.* XXI. *libro* I. *Saturnalium: Celebratur lætitiæ exordium ad* VI. *Cal. Aprilis, quem diem* HILARIA *appellant*; & sic magis constabit Auctoris sententia, de Aprili, non de Martio mense disserentis. Quum viros, tum mulieres fecisse Matri Magnæ, vetera testantur epigrammata apud Gruterum *pag.* CCCVIII. ubi habetur C. CAMERIUS CRESCENS ARCHIGALLUS, L. VETTIUS SYNTROPHUS A MATRE MAGNA: M. PLETORIUS HERCULANIUS SACERDOS M. D. M. I. Itemque CLAUDIA ACROPOLIS, & SALONIA EUTERPE sacerdotes. C Confer quæ ex Marino Neapolitano & Epiphanio habet Reinesius *class.* 140. *pag.* 74.

Cum pompa & simulacro Deæ Urbem circumibant, sistris tinnientes. Ovidius IV. *Fastorum vers.* 183. — 188.

Ibunt semimares, & inania tympana tundent,
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.
Ipsa sedens molli comitum cervice feretur
Urbis per medias exululata vias.
Scena sonat, ludique vocant: spectate Quirites,
D *Et fora Marte suo litigiosa vacent.*

Et huc faciunt quæ de Corybantibus, Gallis, & fanaticis supra diximus. Addamus Apuleii verba: *ab ingressu primo (b) statim absonis ululatibus constrepentes fanatice pervolant. Denique capite demisso, cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos in circulum rotantes, & nonnunquam morsibus suos incursantes musculos, ad postremum ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisque brachia dissecant.* Item Prudentii, *citato hymno in Romanum circa finem:*

E *Cultrum in lacertos exerit fanaticus,*
Sectisque Matrem brachiis placat Deam,
Furere, ac rotari jus putatur mysticum:
Parta ad secandam dextra fertur impia:
Cælum meretur vulnerum crudelitas.
Ast hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciso mitigans ab inguine:
Offert pudendum semivir donum Deæ:
Illam revulsa masculini germinis
Vena, effluenti poscit auctam sanguine.

F Ex veterum testimoniis liquet, Isiaca etiam sacra Phrygiis valde affinia Romæ celebrata fuisse. Valerius tamen tradit (*c*), Senatus decreto Isidis & Serapidis fana diruta, primumque arripuisse securim Consulem L. Æmilium Paulum. Equidem hujus nominis tres invenio in Fastis. Unum A. U. DXXXIV. iterumque A.U. DXXXVII. & in prœ-

a *cap.* XXV. b *lib.* VIII. *Metamorph.* c *lib.* I. *cap.* III.

A lio occisum; qui securim arripere ad Isidis delubrum diruendum meo judicio non potuit, quando ea sacra nondum Romæ fuerant recepta. Neque enim de re admodum antiqua loqui videtur Propertius (*a*), quum inquit:

Atque utinam Nilo pereat quæ sacra repente
Misit matronis Inachus Ausoniis.

Neque Lucanus *lib.* VIII.

Nos in templa tuam Romana recepimus Isin,
Semideosque canes ———

B Nec locum Dionysii *lib.* V. de templo Isidis, a Dempstero citatum (*b*), qui ad antiquissima Urbis tempora pertineret, invenire uspiam potui. Audacter igitur Pighius ad marginem Valerii notavit, *A. U. DXXXIV.* Alter Æmilius Consul processit cum C. Claudio Marcello A. U. DCCIII. Tertius cum C. Jul. Cæs. Vipsaniano A. U. DCCLIII. Secundum suspicor Senatus dicto audientem fuisse: tametsi circa ætatem Varronis (*c*), Propertii, Catulli, & Ovidii proculdubio Serapidis & Isidis cultus Romæ vigebat, uti ex aliquot eorum locis fit manifestum: saltem privata auctoritate. Dio *lib.* XL. *Ac mihi quoque id quidem de-* C *cretum, quod prioris anni exitu de Serapi Isideque factum erat, inter prodigia non extremum videtur locum obtinuisse. Eorum Divorum fana, quæ privatim nonnulli extruxerant, Senatus demoliri jussit, quod eos non magnopere inter numina numerabat; ubi ea sententia obtinuit, ut publice jam coli inciperent, extra pomœrium istos collocaverunt.* Idcirco lectica ad id templum vehebantur nobiles viri, & mulieres delicatulæ; unde illud Catulli (*d*)

Quæso, inquit, mihi mi Catulle paulum
Istos. commodo nam volo ad Serapim
D *Deferri* ———

vel ob id maxime quod in Serapidis fano Ægyptii, & Romani ægrotos certis ritibus expiatos deponere consueverunt, ut per somnium curandi morbi rationem docerentur, ut Kippingius notavit (*e*), & Pitiscus in *Serapeum*. Pertinet sane Dionis locus ad annum Urb. DCC. & Consulatum Cn. Domitii Calvini, & M. Valerii Messallæ; sed ambiguum an Senatus eo anno Serapidis Isidisque fana demoliri jusserit, an ea sententia obtinuerit ut publice, verum extra pomœrium, coli inciperent. E Certe triennio post incidit L. Æmilii Paulli Consulatus, quem dicebam. Sed adhuc aqua hæret: nam A. U. DCCV. Isidis templa intra pomœrium publica extabant, Coss. C. Julio Cæs. II. P. Servilio Vatia Isaurico, quæ consulti haruspices diruenda existimarunt. Idem Dio *lib.* XLII. *Exeunte eo anno, inter alia ostenta, apes quoque in Capitolio juxta Herculis statuam sedem occupavere, quum Isidis sacra fierent. Itaque haruspices omnia templa Isidis Serapidisque demoliri jusserunt.*

Sub Augusto iterum vetita (*f*). Idem Dio *lib.* LIV. *de Agrippa*: τά τε ἱερὰ τὰ Αἰγύπτια ἐπεισιόντα F αὖθις ἐς τὸ ἄστυ ἀνέστειλεν· ἀπειπὼν μηδένα μηδὲ ἐν τῷ προαστείῳ αὐτὰ ἐντὸς ὀγδόου ἡμισταδίου ποιεῖν. *Et sacra Ægyptia, quæ iterum in Urbem jam insinuabant repressit, edicto nequis ea in suburbano intra* D. *passus ageret.* Sed majore cum severitate

a *lib.* II. *Eleg.* 33. b *Paralipom. ad Rosin. lib.* II. *cap.* XXII. c qui templum Isiacum memoravit in ὄνος λύρας apud Nonium in *Mansuete*, ut est a viris doctis emendatus, si modo ea fabula fuit ex numero togatarum. d *Epigram* X. e *Antiquit. Roman. lib.* I. *cap.* V. f *Tacit.* II. *Annal.*

sub Tiberio non modo ex Urbe eliminata, sed ex universa Italia (*a*): quin Deæ simulacrum in Tiberim mersum, & sacerdotes in crucem acti, teste Josepho (*b*); propter facinus Decii Mundii, qui Isiacorum scelere in ipso Isidis templo, Anubim mentitus, amplexibus Paulinæ castissimæ matronæ potitus est: *Tantum relligio potuit suadere malorum*. Sensim tamen, pronis ad externam superstitionem animis, eadem sacra iterum in Urbem irrepsere. Nam de Othone Suetonius (*c*): *Sacra etiam Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse*. Isidis templa fuisse intra urbem Romam, quum Vespasianus & Titus de Judæis triumpharunt, non obscure indicat Josephus *lib.* VII. *de Bello Judaico cap.* V. De Domitiano Eutropius (*d*): *Romæ quoque multa opera fecit, in his Capitolium & Forum transitorium, odæum, porticus, Isium ac Serapium, ac stadium*: An. Urb. DCCCXLVI. Coss. L. Nonio Asprenate Torquato, & M. Arricinio Clemente, ut habet Cassiodorus in Chronico; nempe ante Cal. Jul. ex quibus suffecti processerunt Sextilius Lateranus, C. Silius Italicus III. De Commodo inquit Lampridius: *Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret*. Quo facit nummus apud Patinum *Thesaur. Numism. cap.* 7. *pag.* 174. Item: *Isiacos vero pineis usque ad perniciem pectus tundere cogebat, quum Anubim portaret capita Isiacorum graviter obtundebat ore simulacri*. Spartianus de Caracalla: *Sacra Isidis Romam deportavit, & templa ubique magnifice eidem Deæ fecit. Sacra etiam majore reverentia celebravit, quam antea celebrabantur. In quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primum per hunc venisse dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut & Anubim portaret, & Pausa sederet; nisi forte iste addidit celebritati, non eam primus invexit*. Ad horum itaque Principum ætatem spectat quod mense Aprili habet vetus Calendarium Farnesianum, SACRUM PHARIÆ. ITEM SARAPIA. Videntur hæc vero propiora, & ad solvendum nodum idonea, quem supra ex Valerio in medium adduximus: & hinc quoque claret, prorsus diversa fuisse *Megalesia* ab Isiacis sacris. Mater quidem Magna in Palatio post bellum Punicum II. culta, ut supra ex Livio & Cicerone notavimus: Isis vero & Serapis in aliis Urbis locis, quæ videas apud P. Victorem: nec Græco, aut Phrygio, sed Ægyptiaco ritu. Illa ex Asia Sibyllinorum librorum monitu, & Apollinis Pythii responso accita; nec unquam a Romanis pulsa: hæc Tiberi mersa, & Urbe aliquando exacta, vel pro vario hominum ingenio, ac superstitione revocata: nec quando coli cœperit aut nos scimus, aut veteres satis norunt, inter quos Spartianus, modo allatus. Idipsum liquet ex Dione, citato *libro* XLII. *nam haruspices*, inquit, *omnia templa Isidis Serapidisque demoliri jusserunt*; anno sc. Urbis DCCV. Matrem nihilominus Magnam fuisse in honore A.U. DCCXV. Coss. Appio Claudio, C. Norbano, idem docet his verbis: *Ac quidam furore Matris Deum correpti, irasci Divam dixerunt. Ejus rei caussa libri Sibyllini sunt inspecti, ac ex iis respondere* XV. *viri, succensere Deam populo, simulacrumque ejus ad mare deportandum, ibique aqua lustrandum*. Præterea, quando idem Augustus templum Matris Idææ restituit, ut ex Ovidio supra notavimus;

a *Sueton. in Tiberio cap.* XXXVI. b *Antiquit. lib.* I. *cap.* V. c *cap.* XII. Unde Othonis nummus æreus, in cujus aversa area est Canopus, Ægyptiorum ventriosum numen, apud Patinum *Numism.* Imp. medii, & minimi moduli *pag.* 135. memoratus a Vaillantio in *Numism.* Imp. Græcis *pag.* 19. d *lib.* VII.

Isiaca vero sive Ægyptia sacra vetuit, ut ex Tacito & Dione discimus (*a*); haud parvum inter Isidis & Deæ Phrygiæ sacra discrimen fuisse necesse est.

Sub M. Aurelio, sequentibusque Antoninis celebrata etiam *Taurobolia*, *Crioboliaque*, quæ cum Phrygiæ Deæ sacris valde conjuncta (*b*), cui qui tauro faciebant *tauroboliati*, qui ariete *criobolini* dicebantur, ut pluribus docet Reinesius (*c*). *Taurobolii* ritum ex Prudentio (*d*) describit Kippingius (*e*) his verbis: *Homo consecrandus in scrobe profunda defossus, taurorum, arietumque, super strato multiforo mactatorum, sanguine proluebatur; eoque capite, ore, auribus, oculis, naribus, totoque adeo corpore excepto, purus semper esse censebatur. Fiebat hoc extra Urbem in Circo Flaminio: itaque* ἐπιβώθρια ἱερὰ *vocat Aristides. Inscriptio Romana* (*f*)

DIS
MAGNIS

MATRI. DEVM. ET. ATTIDI. SE
XTILIVS. AGESILAVS. AEDESIVS
V. C. CAVSARVM. NON. IGNOBI
LIS. AFRICANI. TRIBVNALIS. ORA
TOR. ET. IN. CONSISTORIO
PRINCIPVM. ITEM. MAGISTE
R. LIBELLORVM. ET. COGNITION.
SACRARVM. MAGISTER. EPISTV
LAR. MAGISTER. MEMORIAE
VICARIVS. PRAEFECTOR. PER.
HISPANIAS. VICE. S. I. C. PA
TER. PATRVM. DEI. SOLIS. INVI
CTI. MITHRAE. HIEROPHANTA
HECATE. DEI. LIBERI. ARCHI
BVCOLVS. TAVROBOLIO.
CRIBOLIOQVE. IN. AETER
NVM. RENATVS. ARAM. SACRA.
VIT. D. D. N. N. VALEN
TE. V. ET. VALENTINIANO
IVN. AVGG. CONSS. IDIBVS
AVGVSTIS

Hæc ille. Pertinet Inscriptio ad Annum Urbis MCXXVIII. Christi CCCLXXVI. eamque nos, uti quidem extat in Thesauro Gruteriano, totidemque lineis distinctam dedimus. Præstat etiam horridula ipsius Prudentii carmina heic afferre; unde colligas, sacerdotem dumtaxat sanguine perfusum:

Summus sacerdos nempe sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus, festa vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino russeam (g) fultus togam.
Tabulis superne strata texunt pulpita,
Rimosa rari pegmatis compagibus:
Scindunt subinde vel terebrant aream,
Crebroque lignum perforant acumine,
Pateat minutis ut frequens hiatibus.
Huc taurus ingens fronte torva & hispida,
Sertis revinctus, aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur:
Nec non & auro frons coruscat hostiæ,
Setasque fulgor bractealis inficit.
Heic, ut statuta est immolanda bellua,
Pectus sacrato dividunt venabulo,
Eructat amplum vulnus undam sanguinis

a *Tacit. lib.* II. *Annal. Dio lib.* LIII. b Ut testantur lapides apud Gruterum *pag.* XXVII. — XXXI. c *Classe* I. 40. d *Citato hymno in Romanum*. e *lib.* I. *Antiqu. cap.* XV. f Extat apud Gruterum *pag.* XXVIII. 2. g Purpurea veste usos fuisse Phrygios Sacerdotes, inquit Ovidius loco supra citato. *pag. hujus libri* 817. *in fine*.

Fer-

Ferventis, inque texta pontis subditi
Fundit vaporum flumen, & late æstuat.
Tum per frequentes mille rimarum vias
Illapsus imber tabidum rorem pluit:
Defossus intus quem sacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe subjectans caput,
Et veste, & omni putrefactus corpore.
Quin os supinat, obvius offert genas,
Supponit aureis, labra, nareis objicit,
Oculos & ipsos perluit liquoribus:
Nec jam palato parcit, & linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.
Postquam cadaver sanguine egesto rigens
Compage ab illa flamines retraxerint,
Procedit inde Pontifex, visu horridus,
Ostentat udum verticem, barbam gravem,
Vittas madenteis, atque amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis sordidum piaculi,
Omnes salutant, atque adorant eminus:
Vilis quod illum sanguis, & bos mortuus
Fœdis latentem sub cavernis laverint.

Sanguinis expressa mentio fit in Inscriptione Græca, quæ corrupta legitur (neque felicior versio Latina) apud Fabrettum *cap.* IX. *n.* 523. & aliquanto corruptior, immo mutila apud Reinesf. *class.* I. 41. ubi Taurobolio Criobolioque Crescens & Leontius dicuntur initiati. Mox subdit idem Kippingius: *Taurobolio facto cornua tauri inaurata, quo fecerant, consecrabant, & dedicabant*. Hinc intelligi debet Inscriptio Lectoratensis apud Gruterum (*a*):

VIATOR. SABINI. FIL. VIRES
TAVRI. QVO. PROPRIE. PER
TAVROPOLIVM. PVBLICE
FACTVM. FECIT. CONSECRA
VIT.

Paulo aliter eandem adfert Kippingius, & magis compendiaria scribendi ratione: sed uterque, ni fallor, a malo exscriptore; nam secunda linea videtur legendum PROPRIA PEC. *Propria pecunia*. *Vires tauri* sunt cornua.

Inventum id fuit Sathanæ ad Baptismi æmulationem, postquam Christianismus ubique terrarum invaluit. *Nationes extraneæ* (inquit (*b*) Tertullianus) *ab omni intellectu spiritalium, sacris quibusdam per lavacrum initiantur*. Et alibi (*c*): *Fingit & ipse* (Sathanas) *quosdam utique credentes, & fideles suos: exceptionem* (pro *depositionem* scriptum esse notavit Rigaltius) *de lavacro repromittit*. Antiquissimum Taurobolium illud putat Reinesius (*d*), quod AVFVSTIA PRIMA fecit sub Marco Aurelio A.U. DCCCCXXVIII. Chr. CLXXVI. Pollione II. & Apro II. Coss. apud Lectoratenses (*e*): proximum quod sub Commodo Lugduni fecit Q. AQVIVS ANTONIANVS, Coss. Marullo, & Æliano A. U. CMXXXVI. (*f*). Sed ante omnia probare certissimis argumentis oportebat, neminem olim fuisse *tauroboliatum*, quin poneret lapidem suæ dementiæ testem. Id modo forsitan verum est, aliam taurobolii antiquiorem mentionem in literatis saxis non reperiri. Sed quot adhuc eruendi lapides latent? quot in calcarias fornaces jam sunt conjecti? quot misere contriti, & parietum substructionibus ita a cæmentariis aptati & coagmentati, ut nulla supersit legendi spes reliqua?

a *pag.* XXX. 3. b *De Baptismo cap.* V. c *De Præscript. hæretic. cap.* XL. d *Classe* I. 40. e *Gruter. pag.* XXX. 4. 5. f *Idem n.*2.

A Si divinare licet dixerim a Christianæ, aut Hebraicæ religionis desertore aliquo Taurobolium, & Criobolium adinventa, propter illa Exodi *cap.* XXIV. 5. — 8. *Misitque juvenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, & ait. Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum* B *super cunctis sermonibus his*. Quem locum respiciens Apostolus *Epist. ad Hebræos* inquit (*a*): *Λαληθείσης γὰρ πάσης ἐντολῆς κατὰ νόμον ὑπὸ Μωϋσέως παντὶ τῷ λαῷ, λαβὼν τὸ αἷμα τῶν μόσχων καὶ τράγων μετὰ ὕδατος καὶ ἐρίου κοκκίνου καὶ ὑσσώπου, αὐτό τε τὸ βιβλίον καὶ πάντα τὸν λαὸν ἐρράντισε, * λέγων. Τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ Θεός. * Καὶ τὴν σκηνὴν δὲ καὶ πάντα τὰ σκεύη τῆς λειτουργίας τῷ αἵματι ὁμοίως ἐρράντισε. * Καὶ σχεδὸν ἐν αἵματι πάντα καθαρίζεται κατὰ τὸν νόμον, καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις.* *Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem* C *vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit, * dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, & omnia vasa ministerii, sanguine similiter aspersit. * Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio.*

Nihil Tauroboliis hucusque memoratis commune cum Climacidis Tauropolitis mulieribus, quarum mentio est apud Athenæum (*b*), omnis generis turpitudinibus inquinatarum, etiam magicis, si Casaubonum audimus: qui, an e Taurica D Chersoneso initium ea turpia sacra sumserint, ubi Diana ταυροπόλος humanis victimis colebatur, an aliunde, fatetur se nusquam legisse.

VI. Scortum nobile libertina Hispala Fecenia, non digna quæstu, cui ancillula assueverat.

Scortum magni nominis, idemque moribus adprime liberalibus, & magnos pro libertinæ condi-E tione gerens spiritus: hinc Livio *non digna quæstu, cui ancillula assueverat*. Ceteroquin solitum libertinarum vulgare corpus, ut apud Poetas sæpissime legas. Horatius (*c*):

Tutior at quanto merx est in classe secunda,
Libertinarum, dico, Sallustius in quas
Non minus insanit, quam qui mœchatur —

Plautus *Cistellaria Actu* I. *sc.* I.

— eunt depressum, quia nos sumus
Libertinæ, & ego & tua mater ambæ meretri-
F *ces fuimus:*

quum turpem quæstum ancillulæ occepissent: unde in Priapeiis XL. I.

Nota suburanas inter Telethusa puellas,
Quæ puto de quæstu libera facta suo est.

a *Cap.* IX. 19. — 22. b *lib.* VI. *cap.* XVI. c *Satyra* II.

Nil frequentius legas apud Comicos, quam virgines a lenonibus venditas amasiis adolescentulis, & ab aliis liberali assertas manu. Lampridius in Alagabalo: *Meretrices a cunctis lenonibus redemit sæpe, & manumisit*. Forsitan idem factitatum fuisse Athenis, colligas ex Isæi loco *orat.* V. Ἡ δὲ τούτων μήτηρ, ὅπως ὁμολογουμένη οὖσα δούλη, καὶ ἅπαντα τὸν χρόνον αἰσχρῶς βιοῦσα. *Hæc vero istorum mater quum sit serva omnium confessione, ac vitam omnem turpiter egerit*. Romæ apud Ædiles plebis nomina profitebantur, & in tabulas referebantur: unde eleganter Seneca fornices vocat loca Ædilem metuentia (*a*): *Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus; voluptatem latitantem sæpius, ac tenebras captantem: circa balnea, ac sudatoria, ac loca Ædilem metuentia, mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollinctam*. Etiam matronæ nomina dabant, si quando pudorem exuere vellent. Tacitus II. *Annal. Nam Vistalia, Prætoria familia genita, licentiam stupri apud Ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversus impudicas in ipsa professione flagitii credebant*. Hæ postea inter togatas censebantur. Unde illa Juvenalis (*b*)

—— est mœcha Fabulla:
Damnetur, si vis; etiam Carfinia talem
Non sumet damnata togam ——

nam stolas induere meretrices, vetitum. Tertullianus (*c*): *Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ? quas si quæ leges a maritalibus, & matronalibus decoramentis coercebant, jam certe &c.* Qui mos, sive lex sumta ab Athenienſibus, apud quos meretricibus uti non licuit vestibus, aut ornamentis aureis, nec templa intrare, neque cum matronis sacrificiis interesse. Matronarum dedecori obvium tamen itum Romæ sub Tiberio, atque Senatusconsulto cautum: *ne corpore quæstum faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuisset* (*d*).

Post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore a Tribunis, & Prætore petito, quum testamentum faceret, unum Æbutium instituit heredem.

Habes heic exemplum Atiliani tutoris, de quo Justinianus *Institut. lib.* I. *tit.* XX. Igitur ante A. U. DLXVII. lata est *lex Atilia de tutelis*: quod notandum. In Fastis occurrunt Atilii Consules An. Urb. CCCCXVIII. CCCCLIX. CCCCLXXXVI. CCCCXCV. CCCCXCVI. CCCCXCIX. DIII. DVIII. DXXVI. DXXVIII.

V. Pacem veniamque precata Deorum Dearumque, si coacta caritate ejus silenda enuntiasset

Peculiari religione ac silentio Cereris arcana premebantur. Horatius (*e*)

—— vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum.

a *de Vita Beata cap.* VII. b *Satyra* II. *v.* 68. — 70. c *De cultu feminarum. lib.* II. *cap.* VII. d *Tacit.* II. *Annal. Sueton. in Tiberio cap.* XXXV. e *lib.* III. *carm.* II.

Veterum testimonia sunt passim obvia. Eadem silentii lege epoptæ initiabantur in Bacchi sacris: nec Samothracia vulgo nota, a quibus Bacchanalia, de quibus agimus, proculdubio fluxere, ut principio dicebamus. Sed heic muliebris quædam δεισιδαιμονία. Sic inferius eadem Fecenia ad Consulis interrogata trepidare, ac metuere Deorum vindictam, quod eorum mysteria, quamvis omne genus flagitiis polluta, enuntiaret. Non adeo pavidus Æmilius Consul, de quo superius meminimus; nam *quum Senatus Isidis, & Serapis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet, posita prætexta, securim arripuit, templique ejus foribus inflixit*, ut tradit Valerius (*a*).

VI. Expromeret sibi quæ in luco Similæ Bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri.

Sigismundus Gelenius putat, *Similam*, nonnihil detorto vocabulo, pro *Semele* Bacchi matre a vulgo indocto fuisse appellatam; eadem, aut certe simili ratione, qua Græci vicissim Romanorum *i* plerumque efferebant per *e*, ut Δομέτιον pro *Domitio*, Βεργίλιον pro *Virgilio*. Interpres Livii ad usum Serenissimi Galliæ Delphini Doujatius nescio quem *Stimulæ Deæ lucum* heic nobis obtrudit ex Juvenalis Scholiaste ad *Satyram* II. Sed nil opus Stimula. *Lucus Semeles minoris* ponitur a P. Victore, & a Sexto Rufo in regione Circi Maximi; & inde forsitan facilis fuit decursio ad Tiberim cum facibus ardentibus. Sine quopiam addito legitur: *Ab luco Semeles* in Inscriptione Romana apud Gruterum (*b*):

DIIS. MANIB.
M. CAECILIO. SP. F. SVC. RVFO
SOLIARIO. AB. LVCO. SEMELES
EX. TESTAMENTO. EIVS
CALVISIA. ZOSIME. ET
M. CAECILIVS. CALIPPVS
HEREDES. FECER.

Et quisnam pro certo affirmare ausit *Similæ*, non *Semeles*, scriptum reliquisse in autographo Livium? Forsitan scribendum minima mutatione: *luco Semelæ*. Semela, ut Bœoti affirmabant, fuit Fauni filia, & pudica, quæ nequicquam a patre sollicitata, tandem ab eo in serpentem verso corrupta est: de qua vide Macrobium *lib.* I. *Saturn. cap.* XII.

VII. Primo sacrarium id feminarum fuisse, nec quemquam virum eo admitti solitum. Tres in anno statos dies habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur.

Bacchanalia, Dionysia penes solas mulieres, non novum. Strabo *lib.* IV. *Geographiæ* (*c*): Ἐν δὲ τῷ Ὠκεανῷ φασὶν εἶναι νῆσον μικρὰν, οὐ πάνυ πελαγίαν, προκειμένην τῆς ἐκβολῆς τοῦ Λείγηρος ποταμοῦ. οἰκεῖν δὲ ταύτην, τὰς τῶν Σαμνιτῶν γυναῖκας, Διονύσῳ κατεχομένας. καὶ ἱλασκομένας τὸν θεὸν τοῦτον τελεταῖς τε, καὶ ἄλλαις ἱεροποιΐαις ἐξιλεουμένας. οὐκ ἐπιβαίνειν δὲ ἄνδρα τὴν νῆσον, τὰς δὲ γυναῖκας αὐτὰς πλευσάσας, κοινωνεῖν τοῖς ἀνδράσι καὶ πάλιν ἐπανιέναι. *In Oceano autem insulam esse ajunt parvam, non plane in alto sitam, objectam*

a *lib.* I. *cap.* III. 3. b *pag.* DCLIII. 8. c *pag.* 198. *edit. Paris.*

ostio Ligeris : in ea habitare Samniticas mulieres , Bacchico instinctu correptas , quæ Bacchum ceremoniis , & sacrificiis demereantur : nullum eo virum venire , sed ipsas navigiis avectas cum viris suis coire , atque inde in insulam reverti . Huc certe facit quod Petronius inquit de Priapi sacello : *Ibique complures Bacchantium instar mulieres vidimus , quæ in manu dextra priapinos fascinosos gestabant . Plus videre non licuit ; nam , ut nos animadverterunt , tam magnum clamorem sustulere , ut intremuerit templi camara , & nos corripere conatæ sunt .* Pausanias in *Phocicis* Thyadas feminas memorat , quæ in Parnassum quotannis venientes , una cum Delphicis mulieribus arcana Libero Patri agitabant sacra . Nam Parnassus mons Baccho & Apollini sacer . Euripides *Iphigenia in Tauris* (*a*) :

Τὰν Βακχεύουσαν Διονύσῳ
Παρνάσιον κορυφὰν ,
Οθι ποικιλόνωτος οἰνωπὸς δρά-
κων , σκιερᾷ κατάχαλκος
Εὐφύλλῳ δάφνᾳ γᾶς
Πελώριον τέρας , ἀμ-
φέπει μαντεῖον χθόνιον .
Ετι μιν , ἔτι βρέφος , ἔτι φίλας
Επὶ ματέρος ἀγκάλαισι θρώσκων ,
Εκανες ὦ Φοῖβε μαντείων δ' ἐπέ-
βας ζαθέων , τρίποδί τ' ἐν χρυσέῳ
Θάσσεις , ἐν ἀψευδεῖ θρόνῳ ,
Μαντείας βροτοῖς ἀναφαίνων .

Ad consecratum Baccho
Parnassium cacumen ,
Ubi maculosum tergum habens , & cruentam faciem draco ,
Sub opaca æreus (*i.* dentibus æreis minax)
Frondosa lauro , telluris
Immane monstrum , cu-
stodit oraculum subterraneum ,
Adhuc ipsum , adhuc infans , adhuc caræ
In matris ulnis saliens
Interfecisti , o Phœbe ; oracula vero ini-
isti divina , tripodeque in aureo
Sedes , in mentiri nescio throno ,
Oracula mortalibus edens ,

Lucanus *Pharsal. lib.* V. *v.* 73. — 74.

Mons Phœbo , Bromioque sacer , cui numine misto
Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ .

Et fontem Dircæum natum esse perhibet Hyginus (*b*) Bacchi beneficio ex corpore Dirces uxoris Lyci , quæ Baccha fuerat . Quinimmo in ipso Parnasso fiebant bacchationes , quarum caussa eo se contulit Ino , Athamantis Thessaliæ Regis uxor (*c*) . Nam revera Apollo , & Bacchus idem : unde in Bacchicis certaminibus præmium tripus . Auctor Argumenti in Demosthenis Orationem *contra Midiam* : ἐπιστάσης δὲ τῆς ἑορτῆς , ἠγωνίζοντο πρὸς ἀλλήλους χορηγοὶ ϗ ᾖδον , ὕμνους εἰς τὸν Διόνυσον ᾄδοντες . ϗ τῷ νικῶντι , τρίπους τὸ ἆθλον ἦν . ἐπειδὴ τὸν αὐτὸν ἥλιον καὶ Απόλλωνα , ϗ Διόνυσον ᾤοντο . *Festo autem jam instante , certabant , & contendebant inter se ædiles carminibus in Bacchi laudem cantandis . Victori tripus præmium erat . Nam eundem & Solem , & Apollinem , & Bacchum putabant .*

Sed redeamus ad sacra Bacchi , feminis tantum commendata . Pausanias in *Corinthiacis* inquit : *A Sicyone recta Phliuntem contendentibus in diverticulo , quod a via stadia ad summum decem abest , lucus occurrit , cui Pyreæ nomen , sacrum id præstiti Cereri , & Proserpinæ . Ac in eo viri*

A *seorsim a feminis festos illis agitant dies : nam ædem nympharum , Nymphonem ipsi appellant , feminis ubi sacra facerent concesserunt : suntque in eo Liberi patris , Cereris , & Proserpinæ signa , os tantum ostendentia .* Solas item mulieres occulta sacra Baccho facere in Brysea , procul semotis viris , tradit idem auctor in *Laconicis* : Καὶ Διονύσου ναὸς ἐνταῦθα ἔτι λείπεται , ϗ ἀγάλματα ἐν ὑπαίθρῳ . τὸ δὲ ἐν τῷ ναῷ , μόναις γυναιξὶν ἐστιν ὁρᾶν . γυναῖκες γὰρ δὴ μόναι ϗ τὰ ἐς τὰς θυσίας δρῶσιν ἐν ἀπορρήτῳ . *Ibi etiamnum extat Bacchi templum , & sub dio signa quædam ; nam quod in templo est solis mulieribus licet intueri . Sane & mulieres so-*
B *læ sacra in arcano faciunt .* De Lacænis etiam feminis , & Chiis Ælianus (*a*) : Ακούω δὲ ὅτι ϗ ταῖς Λακεδαιμονίων γυναιξὶν ἔπεσέ τις οἶστρος βακχικὸς , ϗ ταῖς τῶν Χίων . ϗ αἱ τῶν βοιωτῶν δὲ ὡς ἐνθεώτατοι ἐμάνησαν , ϗ ἡ τραγῳδία βοᾷ . *Audio etiam Lacedæmoniorum feminas œstro Bacchico percitas fuisse , & Chiorum ; item Bœotorum mulieres quasi divino furore concitatæ insanierunt : idque in tragœdia vociferatur .* Illud etiam a Pausania discimus (*b*) , Baccho Colonatæ a duabus feminis , quæ Leucippides dicebantur , sacra fieri consuevisse ; & ab undecim aliis , quæ Dionysiades , ora-
C culi Delphici jussu cursus certamen celebratum . Equidem virginibus , auctore Hesychio . Διονυσιάδες , ἐν Σπάρτῃ , αἱ ἐν τοῖς Διονυσίοις δρόμον ἀγωνιζόμεναι . *Dionysiades , virgines Spartæ , quæ Dionysiis cursu certabant* (*c*) .

Neque id mirum. Nam Tiberi, sive Bacchi comites Bacchæ , ut ait Varro (*d*) . Eumdem peregrinantem Musæ sunt comitatæ , teste Diodoro *libro* III. φασὶ δὲ ϗ τὰς μούσας αὐτῷ συναποδημεῖν . & *libro* IV. *cap.* V. tradit , Bacchum feminarum exercitu , quas thyrsis armaverat , terrarum orbem peragrasse . Cujus fabulæ originem aperit Hyginus (*e*) : ait enim , Liberum , quum exercitum in
D Indiam esset ducturus , Nyso nutricio suo Thebanum regnum administrandum tradidisse : immemorem fidei Nysum redeunti Libero negasse regnum se restituturum : sed quum post annum tertium Liber simulasset non ultra sibi esse in animo Nysum regno ejicere , sed Thebis Trieterica celebrare sacra ; introductis muliebri ornatu militibus thyrsigeris , Nysum nihil tale metuentem cepisse , regnumque recuperasse . Inde creditum vulgo , Bacchum cum mulierum exercitu expeditiones suscepisse . Similia habet Plutarchus libro *de Fluminibus* , in *Hebro* ; & Polyænus (*f*) , ubi de Bacchi expeditione adversus Indos . Idem tamen
E Polyænus auctor est (*g*) , Argæo Macedonum Regi (Calandrum vocat Pseudo-Cornutus in A. Persii *Satyram* I. *v.* 99.) bellum gerenti cum Galauro Taulantiorum Rege , virgines virili habitu , & thyrsis pro hastis utentes victoriam peperisse : quæ postea dictæ Mimallones , ἀπὸ τὴν μίμησιν τῶν ἀνδρῶν , μιμαλλόνας . Ab Argæo deinde dicatum sacellum Baccho ψευδάνορι .

Præterea Baccho tribuuntur comites sorores quatuor , Ino , Autonoe , Semele , Agave (*h*) , ad significanda quatuor ebrietatis genera , sive gradus . Vinolentiam primum , deinde rerum oblivionem , tandem libidinem , postremo insaniam
F (*i*) . Ino ὁ οἶνος est vinolentia , Αὐτονόη ironice oblivio ; Semele quasi σωμάλυον , corpus dissolutum ; unde genuisse Liberum dicitur , quod ex libidine oritur ebrietas , & vicissim . Agave comparatur insaniæ ; quod caput Penthei filii , quasi esset vituli , furore percita , & de rectæ rationis sta-

a *vers.* 1243. -- 1255. b *Fabula* VII. c *Fabula* IV.

a *Var. hist. lib.* III. *cap.* XLII. b *In Laconicis .* c *Meurs. Miscell. Laconic. lib.* II. *cap.* XIII. & XV. d *lib.* VI. *de LL.* e *Fabula* CXXXI. f *Stratag. cap.* I. g *lib.* IV. *cap.* I. h *Euripides Bacchis v.* 229. i *Fulgent. Mythol. lib.* II. *c.* XV.

tu deturbata absciderit; de qua re Euripides egit integra tragœdia, cui titulus *Bacchæ*; ubi v. 1112.

> Πρῶτη δὲ μήτηρ ἦρξεν ἱέρεια φόνου.
> *Prima vero mater ut sacerdos fecit initium cædis.*

Ovidius *Metamorph.* III. v. 712. 713.

> *Prima suum misso violavit Penthea thyrso*
> *Mater, & o geminæ, clamavit, adeste sorores (a).*

Similis est historia Minyadum apud Ælianum (*b*): tradit enim Leucippem, Aristippem, & Alcathoam Bacchi choreas neglexisse, quod suos maritos adamabant; & quum adhuc post sequuta prodigia in proposito perstarent, tandem furore fuisse adeo correptas, ut Leucippes sororis filium (Hippasum appellat (*c*) Plutarchus) hinnulum putantes discerperent. Mutatas tandem in cornicem, vespertilionem, & noctuam, καὶ ἡ μὲν ἤμειψε τὸ εἶδος εἰς κορώνην, ἡ δὲ εἰς νυκτερίδα, ἡ δὲ εἰς γλαῦκα: *& una assumpsit formam cornicis, altera vespertilionis, tertia noctuæ.* Illud etiam memini aliquando me legisse, noctuam invisam Baccho tanquam vini hostem: quibus igitur infantibus noctuæ ova in cibum data sunt, vinum & vinosos odisse. Diodoro (*d*) auctore, quinque fuere Bacchi sorores, Cadmo & Hermione Veneris filia natæ, Semele, Ino, Autonoe, Agave, & Polydora.

His affine est quod de Lycurgo, Dryantis Thraciæ Regis filio, narrat Hyginus (*e*): eum, quum negasset Liberum esse deum, vino semel calentem matri suæ vim inferre voluisse. Itaque compotem mentis factum, vites excidere conatum; quod diceret, malum esse medicamentum, quod mentes hominum immutaret: sed pro vite alterum sibi pedem excidisse: deinde, insania abs Libero immissa, uxorem & filium bipenni trucidasse: ac tandem in Rhodope, Thraciæ monte, pantheris ab eodem objectum periisse. Hinc Propertius (*f*).

> *Vesanumque nova nequicquam in vite Lycurgum.*

Et Ovidius IV. *Metamorphoseῶn* (*g*):

> *Penthea tu, venerande, bipenniferumque Lycurgum*
> *Sacrilegos mactas* ——

& *Tristium lib.* V. *Eleg.* III. (*h*)

> *Ossa bipenniferi sic sint male pressa Lycurgi,*
> *Impia nec pœna Pentheos umbra vacet.*

Homerus tamen Iliadis Z (*i*) inquit, Bacchum quidem perterritum, postquam suas nutrices Lycurgus securi percussit, ad mare confugisse, & trepidantem abs Thetide exceptum: Lycurgum vero a Jove luminibus orbatum non diu vixisse. De Cyanippo Syracusano Plutarchus memoriæ prodidit (*k*), furore correptum, quod Bacchum inter sacrificandum præteriisset; itaque filiam Cyanem compressisse: deinde, quum pestis esset oborta, Pythio monente ut incestus mactaretur, ipsaque filia indicium faciente, Diis averruncis immolatum. Simile quid narrat de Arruntio Romano, qui ad aram Fulminis a filia Medullina mactatus est. Hinc Dionyso *Omodio*, sive crudeli, apud Chios appellato, homo crudeliter discerptus sacrificabatur, teste Eusebio (*a*). *Omesten* dicit Plutarchus (*b*): ὁ γὰρ τοῦ θεοῦ νάρθηξ ἱκανὸς κολαστὴς τοῦ μεθύοντος, ἂν μὴ προσγενόμενος ὁ θυμὸς ΩΜΗΣΤΗΝ καὶ μαινόλην ἀντὶ λυαίου καὶ χορείου ποιήσῃ τὸν ἄκρατον: *ferula enim Dei istius sufficit ad puniendum ebrium, nisi ubi ira accendente pro Lyæo, & choreo, idest animum laxante, & choreas suadente, crudelem* (omesten) *& furiosum Bacchum facimus.* Quamobrem Liberum *Enyalium* appellavere, quod cognomentum fuit proprium Martis (*c*); qui conversa ratione Adonis quibusdam dictus est (*d*), nempe Osiris, Bacchus. Et Lacedæmonii sane Bacchum coluerunt hasta insignem, non thyrso (*e*).

Equidem ebrietatem, quam παράλυσιν quandam esse notavit Macrobius (*f*), tum furor, tum μωρολογία, sive *vaniloquentia* (*g*), tum sexcenta alia mala subsequuntur (*h*), quæ pluribus recensent Athenæus, & Plutarchus, cujus scrinia sæpissime compilavit Macrobius. *Hinc pallor* (inquit (*i*) Plinius) *& genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena vasa* (*quæ sit pœna præsens*) *furiales somni, & inquies nocturna: præmiumque summum ebrietatis libido portentosa, ac jucundum nefas.* Graphice Ovidius (*k*):

> *Nam tibi sævorum sævissime Centaurorum*
> *Eryte, quam vino pectus, tam virgine visa*
> *Ardet, & ebrietas geminata libidine regnat,*
> *Protinus eversæ turbant convivia mensæ,*
> *Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis.*

Silius Italicus *lib.* XV. *Belli Punici*:

> *Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris*
> *Circa te semper volitans infamia pennis.*

Hinc natus ex Dionyso & Venere dicitur in fabulis Priapus (*l*): immo est ipse Bacchus (*m*) a Lampsacenis cultus. Et ratio physica adduci potest, quod Priapus est hortorum custos, Bacchus arboreorum fructuum dator, & conservator, & veluti ipsa vis fructuum τῶν καλουμένων ξυλίνων καρπῶν, ut cum Athenæo loquar (*n*), ac plantarum procerarum. Eusebius *Præparat. Evangel. lib.* III. τῶν ἀκροδρύων καὶ ὅλως τῶν φυτευτικῶν ἡ δύναμις Διόνυσος ὀνομάζεται. Hinc apud Scholiastem Aristophanis *Acharnens.* legas, Athenis nobiles & primarias virgines Dionysiacis canistra tulisse aurea, primitiis omnis generis fructuum referta. Canephoræ illæ dicebantur, quæ Eleusiniis flores & spicas in cistis gestabant (*o*). Philochorus apud Harpocrationem in ΚΑΝΗΦΟΡΟΙ, ab Erichthonio Rege, inquit, lectas primum fuisse virgines nobiles, quæ in Panathenæis, aliisque pompis canistra, cum rebus ad sacrificium pertinentibus, ad Deam ferrent. De iis Tullius *libro* IV. *in Verrem*.

Sapienter itaque apud Romanos feminis vini potus interdictus. Dionysius *lib.* II. de criminibus mulierum Romanarum, in quæ mariti cum propinquis animadvertebant, verba faciens, inquit: ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος, καὶ ὃ πάντων ἐλάχιστον ἁμαρτημάτων Ἕλλησι δόξειεν ἂν ὑπάρχειν, εἴ τις οἶνον εὑρεθείη ποιοῦσα γυνή. ἀμφότερα γὰρ ταῦτα ζημιοῦν ἐκέλευσεν ὁ Ῥωμύλος, ὡς ἁμαρτημάτων γυναικείων ἔσ-

a De eodem argumento fuse Statius Thebaide. b *Var. hist. lib.* III. *c.* 42. Vide Lucianum *Dialogo Junonis & Jovis.* c *qu. Græc.* 38. d *lib.* IV. *cap.* II. e *fab.* 132. f *lib.* 3. *Eleg.* 15. g *vers.* 22. 23. h *vers.* 39. 40. i *v.* 130. -- 140. k *in Parallelis.*

a *Præpar. Evang. lib.* IV. b *lib. de Ira cohibenda.* c *Macrob. lib.* I. *Saturn. cap.* XIX. d *Pausan. in Laconicis.* e *Proclus lib.* II. *Paraphr. in Ptolom. Tetrabibl. cap.* III. f *Macrob. loc. cit. lib.* IV. *cap.* VI. g *Plutarch. de Garrulitate.* h *Id. Symposiac. lib.* III. *qu.* III. i *Athen. lib.* X. *cap.* IX. & XII. & *lib.* V. *cap.* V. k *lib.* XIV. *cap.* 22. l *Metam.* 12. *v.* 219. -- 223. m *Diodor. lib.* IV. *cap.* VI. n *Athen. lib.* I. *cap.* XXIII. o *lib.* III. *cap.* V. *Aleander Explic. tab. Soliis. pag.* 75.

χατα· φθορὰν μὲν, ἀπονοίας ἀρχὴν νομίσας, μέθην, ἢ φθορᾶς. *In quibus erat violata pudicitia, & (quod apud Græcos videretur levissimum) si deprehensa esset vinum bibisse mulier, nam utrumque damnavit Romulus, ut delictorum muliebrium maxima; ratus stuprum desperatæ audaciæ principium esse, temulentiam stupri.* Plinius (*a*): *Invenimus inter exempla, Egnatii Mecennii uxorem, quod vinum bibisset e dolio, interfectam fuisse a marito, eumque cædis a Romulo absolutum. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit, matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, a suis inedia mori coactam. Cato, ideo propinquos feminis osculum dare, ut scirent, an temetum olerent (b). Hoc tum nomen vino erat; unde & temulentia appellata. Cn. Domitius judex pronunciavit, mulierem plus bibisse quam valetudinis caussa, viro insciente, & dote mulctavit.* Sic Valerius: *Vini usus* (inquit) *olim Romanis feminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam venerem esse consuevit* (*c*). Merito Pentheus apud Euripidem (*d*) de Baccho ait:

Τὸν θηλύμορφον ξένον, ὃς εἰσφέρει νόσον
Καινὴν γυναιξὶ, καὶ λέχη λυμαίνεται.
Illum effeminatum hospitem, qui introducit morbum
Novum mulieribus, & connubia labefactat.

Id tantum permissum Romanis feminis, loram, passum, murinam bibere, *& quæ id genus optant potu dulcia*, ut Gellius scribit (*e*), & confirmat Polybius *lib.* VI. *Historiarum*, allatus a Casaubono (*f*). Fiebat *passum* ex uvis selectis ad Solem arefactis, deinde aqua cælesti madefactis, atque prælo subjectis. *Lora*, in vinaceis unius diei tantum aquæ ponendo, quantum fuisset decima pars musti. Pedibus iterum calcabatur, & prælo subjiciebatur reliquum. In Italia lora etiamnum pro vino operariis datur hyeme (*g*). Recte Plinius: *Non possunt jure dici vina, quæ Græci deuteria appellant* (secundaria Latine dici possunt), *Cato, & nos loram, maceratis in aqua vinaceis. Sed tamen inter vina operaria numerantur. Tria eorum genera &c.*

VI. Pacullam Miniam Campanam primam suos filios initiasse, & nocturnum sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse; ex quo in promiscuo sacra sint, & permisti viri feminis, & noctis licentia accesserit.

Haud mirum. Principium & fons superstitionis ut plurimum mulieres, aut quibus cordi est mulieres inescare. Insignis est locus Strabonis, a Lipsio allatus *in Commentariis ad Tacitum* (*h*): ἅπαντες γὰρ τῆς δεισιδαιμονίας ἀρχηγοὺς οἴονται τὰς γυναῖκας· αὗται δὲ καὶ τοὺς ἄνδρας προκαλοῦνται, πρὸς τὰς ἐπιπλέον θεραπείας τῶν Θεῶν, καὶ ἑορτὰς, καὶ ποτνιασμούς· σπάνιον δ' εἴ τις ἀνὴρ καθ' αὑτὸν ζῶν εὑρίσκεται τοιοῦτος. *Superstitionis enim auctores esse mulieres nemo non existimat: eæque viros invitant ad curiosiores cultus Deorum, festos dies, ac supplicationes: raro*

a *lib.* XIV. *c.* 13. *pag.* 96. b Sic Plutarchus *qu. Rom.* VI. c *lib.* II. *cap.* I. 5. Vide Gellium *lib.* X. *cap.* XIII. *Dionys. Halicarn. lib.* II. d *Bacchis v.* 353. 354 e *loc. c.* f *Ad Athen. lib.* X. *c.* XI. g Vide Varronem *de re rustic. lib.* I. *c.* LIV. *Columell. lib.* XII. *cap.* XL. *Plin. lib.* XIV. *cap.* X. h *Strabo lib.* VII. *Lips. p.* 297. *ad* II. *Annal.*

A *vir seorsum vivens qui ista curet invenitur.* Sic Bacchanaliorum ritus Romæ viri a feminis accepere, cum nocturna licentia, & omnis generis stupris. Permisti erant viri feminis, ut in Trietericis Thebanis. Ovidius (*a*):

Liber adest, festisque fremunt ululatibus agri.
Turba ruunt, mistæque viris matresque nurusque,
Vulgusque, proceresque ignota ad sacra feruntur.

Equidem noctu, Papinio teste (*b*):

B *———— Non hæc Trieterica vobis*
Nox patrio de more venit: non orgia Cadmi
Cernitis ——

Et Virgilio IV. *Æneid.* (*c*)

Ubi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cytheron.

ubi Servius Honoratus adnotavit: *Liberi sacra tertio quoque anno innovabantur. Sane sciendum, orgia apud Græcos dici sacra omnia, sicut apud Latinos cerimoniæ dicuntur; sed jam abusive sacra* C *Liberi orgia vocantur, vel* ἀπὸ τῆς ὀργῆς *a furore, vel* ἀπὸ τῶν ὀρῶν *a montibus. Nocturnus, quod noctu celebrarentur, unde ipsa sacra Nyctelia dicebantur, quæ Populus Romanus exclusit caussa turpitudinis.* Immo ipse Bacchus dictus est *Nyctelius*, cui ædes extructa Athenis, teste Pausania *in Atticis*; nempe a νυκτελέω *noctu perficio.* Ovidius *de Arte* (*d*):

Nycteliumque patrem, nocturnaque sacra precare,
Ne jubeant capiti vina nocere tuo.

Pentheus ad Bacchum apud Euripidem (*e*):

D Τὰ δ' ἱερὰ νύκτωρ, ἢ μεθ' ἡμέραν τελεῖς;
Hæc vero sacra noctu, an interdiu facis?

Cui Bacchus:

Νύκτωρ τὰ πολλά, σεμνότητ' ἔχει σκότος.
Noctu plerumque, tenebræ habent aliquid augusti.

Reponit Pentheus:

Τοῦτ' εἰς γυναῖκας δόλιόν ἐστι, καὶ σαθρόν.
At hoc mulieribus insidiosum est, & vitiosum.

Contra Bacchus:

Κἀν ἡμέρᾳ τό γ' αἰσχρὸν ἐξεύροι τις ἄν.
Etiam interdiu inveniat aliquis turpitudinem.

E In eandem sententiam Tiresias vates cum Pentheo disputabat; admonebatque, impudicitiam non esse bacchanaliorum, sed naturæ; pudicasque mulieres inter bacchantium choros non corrumpi. Sic Juppiter apud Lucianum *dialogo cum Junone*, non Bacchum ipsum, sed immoderatum vini potum multa mala efficere, inquit: οὐ γὰρ οἶνος ταῦτα, οὐδὲ ὁ Διόνυσος ποιεῖ, τὸ δὲ ἄμετρον τῆς πόσεως, καὶ τὸ πέρα τοῦ καλῶς ἔχοντος ἐμφορεῖσθαι τοῦ ἀκράτου. *Non enim vinum hæc, neque ipse Dionysus efficit, sed immoderatus vini potus, & ultra quam decet impleri mero.* Mera sophismata: nam intemperantis fuit vinum ex uvis conficere; & nemo non F novit, homines vino calentes quum pudorem deponere, tum in venerem ruere; maxime si noctis licentia accesserit. Non abs re Augustus (*f*): *Secularibus ludis juvenes utriusque sexus prohibuit ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore natu propinquorum.*

a *Metam. lib.* III. *v.* 258. — 530. b *Thebaid. lib.* II. *v.* 661. — 663. c *v.* 301. — 302. d *lib.* I. *v.* 557. 558. e *Bacchis v.* 845. *&c.* f *Sueton. in Augusto cap.* XXXI.

Nocturnis saltationibus dabant operam Athenis sacerdotes Cotytus, quæ Dea fuit impudentiæ (*a*). Quin Baccho nomen *Phausterius* & λαμπτῆρος, quod cum lampadibus & facibus ejus sacra peragerentur, λαμπτηρία Pausaniæ in Achaicis (*b*). In ipsa quoque Pyrrhicha saltatione Bacchantes faces jactabant, ut docet Athenæus (*c*): ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς πυῤῥίχη Διονυσιακή τις εἶναι δοκεῖ, ἐπιεικεστέρα οὖσα τῆς ἀρχαίας. ἔχουσι γὰρ οἱ ὀρχούμενοι θύρσους ἀντὶ δοράτων· προΐενται δ' ἐπ' ἀλλήλους καὶ νάρθηκας, καὶ λαμπάδας φέρουσιν, ὀρχοῦνταί τε τὰ περὶ τὸν Διόνυσον, καὶ τὰ περὶ τοὺς Ἰνδοὺς, ἔτι τε τὰ περὶ τὸν Πενθέα. *Nostra vero Pyrrhicha* (Italica, nam Græca abolita erat) *magis esse videtur Bacchica, longe* B *quam prisca illa placidior, quandoquidem hastarum loco thyrsos gestant saltantes, eosque alii mutuo in alios vibrant, ferulas, & lampades ferunt, saltandoque repræsentant Bacchi res gestas, subactos Indos, & Penthei supplicium.* Ferulas a lampadibus separat Athenæus: verum ipsas faces ferulaceas facit Euripides loco superius allato (*d*).

Ὁ Βακχεὺς δ' ἔχων
Πυρσώδη φλόγα πεύκας,
Ἐκ νάρθηκος ἀΐσσει,
Δρόμῳ καὶ χοροῖς ἐρεθίζων πλανάτας,
Ἰαχαῖς τ' ἀναπάλλων &c.
Ipse vero Bacchus gestans
Ignitam facem piceæ,
Quæ ex ferula emicat,
Cursu, & choris irritans vagantes,
Et clamoribus excitans &c.

Equidem Dionysiaca fuere sacra illa, quæ a Colophoniis, & Lacedæmoniis ephebis noctu fiebant, de quibus Pausanias *in Laconicis*: νυκτεριναὶ δὲ καὶ αἵ τε Κολοφωνίων θυσίαι, καὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι ἐφήβων, καθεστήκασιν. *Nocturna vero sacra fiunt a Colophoniis, & Lacedæmone ab ephebis.* Nam tametsi hæc referas ad sacra illa Apollinis, de quibus D. Hieronymus (*e*): *Victis Lacedæmoniis, &* D *quodam tempore nocturna sacra celebrantibus, quæ vocabantur Hyacinthia*: adhuc tamen Hyacinthiis hedera coronabantur Bacchico ritu Lacedæmonii, quia Apollo Liber est (*f*). Nedum ab ephebis, sed a pueris orgia apud Græcos celebrata, docet vetus Inscriptio apud Fabrettum (*g*); ubi de Herephilo puero septenni fit mentio, qui tres annos orgia Baccho fecerat. Haud sane Trieterica: qui enim fieri potuit ut puer septennis ter peregerit sacra quæ tertio quoque anno fiebant? Dionysia igitur, quæ quotannis & Athenis, & alibi.

Pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus initiorum dies fecit Paculla. Neutrum imitatione Græcorum. Nam initia & mysteria Athenis bis in anno, majora, & minora, ut supra dictum est: licet non negaverim, ex Orphicis sacris quasdam expiationes frequentiores fuisse, & sub exitum cujusque mensis, uti ex Aristophanis Scholiaste notavit Casaubonus ad Theophrasti characteres, *cap.* περὶ δεισιδαιμονίας.

IX. Plura virorum inter sese quam feminarum esse stupra.

Et hæc, & alia nefanda obtentu forsitan religionis. Tametsi enim Bacchus pudicitiæ servandæ caussa Tyrrhenos nautas in delphinas transformasse fertur (*h*); eundem tamen invenias apud Lucianum (*i*) Apollini narrantem, sese ad stuprum fuisse a

a *Casaubon. ad Athen. lib.* VI. *cap.* XVI. Vide Strabonem *lib.* X. b *Gyrald. Syntagm.* VIII. c *lib.* XV. *c.* VII. *pag.* 631. d *Bacchis v.* 145. — 149. e *lib.* I. f *Macrob. lib.* I. *Saturn. cap.* XVIII. g *Cap.* VI. *Inscript.* 425. h *Hygin. Fabul.* CXXXIV. i *Dialog. Apollinis & Bacchi.*

A Priapo sollicitatum, & risisse: τί γὰρ ἄλλο, ἢ ἐγέλασα; *quid enim aliud, quam risi?* Verum abjecto omni pudore pathicum se fatetur cum Hercule verba faciens apud Aristophanem *in Ranis* (*a*). Justinus etiam Martyr (*b*) inquit: δεύτερον δὲ, ὅτι ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων οἱ παλαιοὶ σεβόμενοι Διόνυσον τὸν Σεμέλης, καὶ Ἀπόλλωνα τὸν Λητοΐδην, οἳ διʼ ἔρωτας ἀρσένων ὅσα ἔπραξαν, αἶσχος καὶ λέγειν.... *Secundo quum ex omni hominum genere prisci Bacchum Semeles, & Apollinem Latonæ filios, qui præ nefandi in masculos amoris insania, quanta flagitia fecerint, dicere quoque probrum est &c.* Et *Parænesi* II. muliebre ei vitæ genus tribuit: καὶ Διο- B νύσου τὸ θηλυκὸν. Apertius Aristides *oratione in Bacchum*: καὶ ἄῤῥην τε καὶ θῆλυς ὁ Θεὸς, ὥς φασιν. *Deus & masculus, & femina, ut ajunt* (*c*) & inf. *Nam inter juvenes est puella, & inter puellas juvenis, & inter viros imberbis, atque Bryseus.* Respexit proculdubio ad fœdissimam illam fabulam, quam Arnobii verbis (*d*), nec integram recitabo: *Quum inter homines, inquiunt, esset adhuc Nysus, & Semelejus Liber, nosse inferos expetivit, & sub Tartaro quidnam rerum ageretur, inquirere. Sed cupiditas hæc ejus nonnullis difficultatibus impediebatur: quod qua iret, & pergeret inscitia* C *itineris nesciebat. Prosumnus* (Prosymnus Clementi Alexandrino (*e*), Polypnos Gregorio Nazianzeno (*f*), Hypolinnius, vel Hypolipnus, nam variant codices, Hygino, ubi de coma Ariadnes (*g*)) *quidam exoritur ignominiosus amator Dei, atque in nefarias libidines satis pronus, qui se januam Ditis, atque Acherusios aditus pollicetur indicaturum, si sibi gereret morem Deus, atque uxorias voluptates pateretur ex se carpi. Deus facilis jurat, potestatis futurum ac voluntatis se ejus; sed quum primum ab inferis compos voti, atque expetitionis redisset. Viam comiter Prosumnus edisserit, atque in limine ipso prostituit inferorum.* D *Interea dum Liber Stygem, Cerberum, Furias, atque alias res omnes curiosa inquisitione collustrat, ex viventium numero index ille decidit, atque ex more sepelitur humano. Emersit ab inferis Evhius, & recognoscit extinctum ducem; qui ut fidem compleret pacti, & jurandis solveret religionis, & juris, locum pergit ad funeris, & ficorum ex arbore ramum validissimum præsecans, dolat, runcinat, & humani speciem fabricatur in penis. Figit super aggerem tumuli &c.* Quod monstrum! Et inferius eodem capite: *Ityphallorum illa, fascinorumque subreptio, quos ritibus annuis adorat, & concelebrat Græcia, nonne illius facinoris similitudinem refert,* E *quo se a debito Liber liberavit?* Paullo pudentior Ceres: quum enim Baubo ex terrigenarum genere eidem hospitio exceptæ, lugentique propter amissam Proserpinam, ciceonis poculum obtulisset (potus erat miscellus, qualis Latinorum *Cinnus* (*h*), ut ex Arnobio, & Nonio discimus) & bibere illa præ mœrore recusasset, pudenda ostendit, risumque vel ab invita expressit (*i*). Βαυβὼ non viri, sed mulieris est nomen Harpocrationi in Βαυβοῦς, quæ nupta Dysauli indigenæ Protonoem, & Nysam ei filios peperit; eademque cum Dysaule viro Cererem hospitio excepit, uti ex Asclepiade, & Palæphato idem Harpocration tradit in Δυ- F σαύλης. Eadem est Cereris nutrix Hesychio: nam pro Βαυμὼ, τιθήνη Δήμητρος, legendum esse Βαυβώ: τ. Δ. recte monuit Maussacus (*k*), nec displicuit Valesio (*l*).

a *Act.* I. *sc.* II. *v.* 16. — 26. b *Apolog.* II. c Vide Suidam *in* ἀνδρόγυνος. d *lib.* V. *adv. Gentes.* e *In Protrept.* f *lib.* I. *contra Julian.* g *Poet. Astronom. lib.* II. *cap.* V. h *Arnobius lib.* V. *Non. Marcellus de propriet. sermon. in* Cinnus. i *Arnobius ibid.* k *ad Harpocrationem in* Βαυβοῦς. l *notis ad notas Maussaci.*

X. Hanc summam inter eos religionem esse, viros veluti mente capta cum jactatione fanatica corporis vaticinari.

Hujusmodi homines *lymphati* Latinis dicti. Varro (*a*): *In Græcia commota mente, quos* νυμφολήπτες *appellant, ab eo lymphatos dixere nostri*. Rationem tradit Festus (*b*): *vulgo autem memoriæ proditum est, quicumque speciem quandam e fonte, idest * effigiem nymphæ viderint, furendi non fecisse finem, quos* νυμφολήπτες *vocant, Latini lymphatos appellant*. Hinc Virgilius VII. *Æneid. vers.* 377.

—— furit lymphata per urbem.

Huc faciunt illa Arnobii *libro* V. *Bacchanalia etiam prætermittemus inania, quibus nomen Omophagiis Græcum est, in quibus furore mentito, & sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis.*

Baccho initiatos vaticinari haud mirum videbatur, quando ipse Bacchus vates, & vatibus præerat. Macrobius ex Aristotelis theolegumenis scribit (*c*), in Thracia apud Ligyreos fuisse adytum Libero consecratum, ex quo reddebantur oracula: *sed in hoc adyto vaticinaturi plurimo mero sumpto, uti apud Clarium aqua potata, effantur oracula. Apud Lacedæmonios etiam in sacris, quæ Apollini celebrant Hyacinthia vocantes, hedera coronantur Bacchico ritu. Item Bœotii Parnasum montem Apollini sacratum esse memorantes, simul tamen in eodem & oraculum Delphicum, & speluncas Bacchicas uni Deo consecratas colunt. unde & Apollini, & Libero patri in eodem monte res divina celebratur*. Et paulo inferius: *Euripides in Lycimnio Apollinem, Liberumque unum eumdemque Deum esse significari scribit*.

Δέσποτα φιλόδαφνε, Βάκχε, Παιὰν, Ἄπολλον (*d*), εὔλυμε

Immo Juppiter, & Plutus, ut Orpheus apud eumdem Macrobium:

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἅδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος.
Unus idemque Juppiter, Plutus, Sol, Bacchus (e).

Ex Orphicis etiam didicit quisquis lapidem posuit Capuæ (*f*):

TE. TIBI
VNA. QVAE
ES. OMNIA
DEA. ISIS
ARRIVS. BAL
BINVS. V. C.

Confer quæ supra diximus de Parnaso monte, & fonte Dircæo. Subjiciam heic Athenæi verba (*g*): Καὶ τὸ νικητήριον ἐν Διονύσου τρίπους. καὶ γὰρ ἐκ τρίποδος λέγειν φαμὲν τοὺς ἀληθεύοντας. *In Bacchi certaminibus victoris præmium est tripus: nam qui vera fantur, illos e tripode loqui dicimus*. Nil mirum igitur si apud Euripidem (*h*) Casandræ, Phœbi sacerdoti, post eversum Ilium furenti, Mænadumque in morem saltanti, ac de Agamemnonis & Ulyssis ærumnis vaticinanti, inquit Hecuba mater.

Ὦ τέκνον, ὦ συμβάκχε Κασάνδρα.
O filia, o Bacchi socia Casandra.

XI. Matronas Baccharum habitu, crinibus passis, cum facibus ardentibus decurrere ad Tiberim.

De Baccharum habitu, deque facibus & tedis jam dictum est. Cur vero decurrebant ad Tiberim? Hujusmodi mysteria vulgo persuasum erat ad triplicem animæ purgationem pertinere: itaque ex sacrorum disciplina ad aquas sive fluviales, sive marinas decurrendum erat, in quas purgamenta ex lustrationibus abjicere oportebat. Et huc facit quod tradit Pausanias *in Bœoticis*, Tanagræorum primarias matronas, arcanis Liberi patris initiatas, ad mare, quo expiationis caussa lavarent, descendisse: in eas natantes impetum a Tritone factum: implorantibus numinis opem Bacchum præsto fuisse, Tritonemque in pugna superatum. De lustratione hujusmodi Homerus *Iliad. A.* (*a*)

Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.
Illi igitur lustrabantur, & in mare sordes abjiciebant.

Ubi Scholiastes: Καὶ εἰς τὴν θάλασσαν τὰ καθάρσια ἔβαλλον. Φύσει δὲ τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης καθαρτικόν ἐστιν. *Et in mare purgamenta abjiciebant. Natura enim aqua marina purgandi vim habet*. Inde Euripides *Iphigenia in Tauris* (*b*)

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.
Mare abluit omnium hominum mala.

Valerius Flaccus *lib.* III. *Argonaut.*

—— lustramina ponto
Pone jacit, rapidis abolentur cetera flammis.

Cicero pro *Sex. Roscio Amerino* de parricidii pœna verba faciens: *Noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur: non sic nudos in* FLUMEN *dejicere, ne quum delati essent in* MARE, *ipsum polluerent, quo cetera quæ violata sunt* EXPIARI PUTANTUR. De aquis fluvialibus Virgilius *Ecloga* VIII. (*c*)

Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti,
Transque caput jace: ne respexeris —

Item Aurelius Nemesianus *Ecloga* IV. *in fine*:

—— ter thure vaporo
Lustravit, cineresque aversa effudit in amnem (*d*).

Purgamenta etiam in triviis abjiciebantur; unde Petronius Satyrico: *Quod purgamentum in nocte calcasti in trivio?* Harpocration in ὀξοθύμια: Δίδυμος δὲ Ἀντικλείδου λέξιν παραγράψας ἐκ τοῦ ἐξηγητικῶν φησὶν, ὀξυθύμια τὰ καθάρματα λέγεσθαι καὶ ἀπολύματα. ταῦτα γὰρ ἀποφέρεσθαι εἰς τὰς τριόδους, ὅταν τὰς οἰκίας καθαίρωσιν. ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι εἰς τὸν κατὰ Δημάδου· τὰ ἐν τοῖς τριόδοις, φησὶν Ἑκαταῖος, πρὸς τὰ καθάρσια ἔφερόν τινες, ἃ ὀξυτύμια καλεῖται. Εὔπολις Δήμοις,

a *lib.* VI. *de LL.* b *in Lymphæ*. c *lib.* I. *Saturn. cap.* XVIII. d *Sic pro* Ἄπολλον legendum censet Meursius *notis in Macrobium*. Vide Vaillantium *de Seleucidarum Imperio pag.* 385. ubi de Antiocho Epiphane. e Bacchi cognomina legesis apud Gyraldum *de Diis Gent. syntagm.* VIII. & ex Archia Poeta, & Ausonio apud Dempsterum *Paralipom. ad Rosinum lib.* II. *cap.* XI. f *Gruter. pag.* LXXXII. 2. g *lib.* II. *cap.* I. *pag.* 37. h *Troad. v.* 500.

a *v.* 314. b *v.* 1193. c *ver.* 101. 102. d Vide Theocritum *Idyll.* XXV.

Ὃν (*a*) χρὴ ἐν ταῖς τριόδοις κἆτ (*b*) τοῖσιν ὀξυθυμίοις
Πρὸς τὸ τρόπαιον τῆς πόλεως καίεσθαι περιτετριγότα (*c*).

Didymus, quum ex Anticlidæ exegeticis id vocabulum annotasset, ὀξυθύμια, *inquit, dici purgamenta, & sordes, quæ post ædium lustrationes in trivia porriciebantur. Ac commentario in orationem adversus Demadem: In triviis, ait Hecatæus, ubi* καθάρσια *deferebant, quæ* ὀξυθύμια *vocantur. Eupolis* Δήμοις,

Quem in triviis atque exquiliis decebat
Urbis trophæum circumstridentem cremari.

Vide ad hunc locum notas Henrici Valesii, ejusdemque notas ad notas Philippi Jac. Maussaci; item Jo: Woverii ad citatum Petronii locum, Isaaci Casauboni commentarium ad Theophrasti characteres, *cap.* περὶ δεισιδαιμονίας, & Joh. Meursii ad Lycophronis Cassandram (*d*).

XII. Cum indices ambo in potestate essent, rem ad Senatum Postumius defert.

Nulli tunc erant Senatui cogendo stati dies; sed pro re nata senatores a Consulibus, aliisve Magistratibus, qui cum imperio essent, in curiam vocabantur; tum omnes, quibus in Senatu sententiam dicere jus fuit; nempe curulibus functi magistratibus, quamvis a Censore in Senatum lecti non essent. Omnes hi rogati sententiam dicebant: & aliquando pedibus in sententiam ibant; aliquando ne fieret senatusconsultum, longius de republica, ut libuit, differendo, diem extrahebant. Deleta tandem republica, Augustus certos singulis mensibus Senatus habendi dies primus constituit (*e*), jussitque, Senatores omnes adesse. In speciem quidem ad augendam restituendamve Senatus veterem auctoritatem; re tamen vera ad ejusdem libertatem non minuendam modo, sed penitus opprimendam: ne cuiquam, ut olim sub Appii ceterorumque Decemvirorum tyrannide, otio frui in villa liceret: quod sane ad invidiam Principi conflandam maximum esset pondus allaturum. Tacitus (*f*): *Inter quæ Lucius Piso ambitum fori, corrupta judicia, sævitiam oratorum, accusationes minitantium increpans, abire se & cedere Urbe, victurum in aliquo abdito ac longinquo rure testabatur, simul curiam relinquebat. Commotus est Tiberius & quamquam mitibus verbis permulsisset, propinquos quoque ejus impulit ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent.* Scientissimus regnandi Augustus Senatum haberi noluit, nisi cum Principi placitum esset: *Sanxit* (inquit (*g*) Suetonius) *ne plus quam bis in mense legitimus Senatus cogeretur, Kalendis & Idibus.* Mox subdit: *Sibi constituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis, ad frequentem Senatum referendis, ante tractaret.* Igitur intra Principis privatos lares re pensitata, ac fere constituta, in curia qui poterat libera vox exaudiri, postquam Augustus in hanc vel illam sententiam orationem memoriter, vel ex codicillis recitasset? Arcanum dominationis monarchicæ adversus Aristocratiam. Jure igitur Tacitus (*h*) senatusconsulta sub Cæsaribus facta adulationes vocat: *Supplicationum dies Pomponii Flacci sententia constituti, ut dona Jovi, Marti, Concordiæ; utque Iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur, L. Piso, & Gallus Asinius, & Papius Mutilus, & L. Apronius*

a Valesius legit χρὴ ὄν. b Maussacus legit ἐ τοῖσιν. c Valesius mavult ἐπιτετριγότα. d *vers.* 1182. *pag.* 298. 299. *Edit. in* 8. e *Dio lib.* LV. f II. *Annal.* g *In Augusto cap.* XXXV. h II. *Annal.*

A *decrevere: quorum auctoritates, adulationesque retuli, ut sciretur, vetus id in republica malum.* Notanda etiam sunt illa XIII. Annal. *Sed Consules relationem incipere non ausi* IGNARO PRINCIPE; *perscripsere tamen consensum Senatus.*

XIII. Censuit Senatus, gratias Consuli agendas, non modo quod rem detexissent, verum etiam quod sine tumultu.

Similis laus Consulum, qui conjurationem de reducendis Tarquiniis oppresserunt. Idem Livius libro II. *Consules ad deprehendendos legatos conju-*
B *ratosque profecti domo, sine tumultu rem omnem oppressere.* Eamdem sibi tribuit Cicero prima in Catilinam: *Compressi tuos nefarios conatus amicorum præsidio & copiis, nullo tumultu publice concitato.* Simulatione & taciturnitate opus fuit, ne conjurati, desperatione adacti, *in audacia reponerent spem salutis*, ut loquitur Tacitus II. *Annalium.* neque aliam ob caussam conjuratis adversus Neronem *placitum maturare cædem apud Bajas in villa Pisonis* (*a*).

XIV. Quæstionem deinde de Bac-
C chanalibus, sacrisque nocturnis extra ordinem Consulibus mandat.

Præter stupra & cædes, peccatum erat contra leges nocturnis coitionibus oppositas. *Nocturna sacrificia, pervigiliaque amovento*, erat in legibus Regiis. Nam ab nullo genere (inquit noster *decad.* IV. *libro* IV.) *non summum periculum est si cœtus, & concilia, & secretas consultationes esse sinas.* In XII. cautum fuit (*b*): SI QVIN VRBE COETVS NOCTVRNOS AGITASIT CAPITAL ESTO. Quod caput ad jus publicum spectabat, tum quia de sacris, tum quia de occultis fœderibus conjurationi-
D busque, quæ extremam Reip. perniciem afferre solent: neque enim novum, a perditissimis hominum sub specie religionis occulta agitari consilia, & dum fidem obstringunt suam ipsos superos in partem scelerum advocare. De Alcibiade Cornelius Nepos: *Aspergebatur infamia quod in domo sua facere mysteria dicebatur, quod nefas est more Atheniensium: id quod non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere arbitrabatur.* Quoniam vero Lex XII. Tabb. capite plectebat eos, qui in Urbe cœtus nocturnos agitassent; & forsitan salvis verbis legis fraus fiebat adversus legis sententiam, nocturnos cœtus extra Urbem, idest ultra
E pomœrium, & in luco Semeles agitando; idcirco cautum nostro Senatusconsulto, ne uspiam Bacchanalia peragerentur, *neque in publico, neque in privato, neque extra Urbem:* quæ Livius paucis complexus est: *Edici præterea in Urbe Roma, & per totam Italiam Edicta mitti, ne quis &c.* Missum itaque Edictum, inque tabulam ahenam incisum, & fixum in Agro etiam Teurano.

Post centum fere annos specie religionis in Sicilia novæ exortæ turbæ: *Syrus quidam* (inquit (*c*) Florus) *fanatico furore simulato, dum Syriæ Deæ comas jactat* (*crinibus passis* inquit Livius loco superius allato, XI.) *ad libertatem & arma servos, qua-*
F *si numinum imperio concitavit: idque ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculum primum duo millia ex obviis, mox &c.* Sic regnante Claudio sycophanta quidam & magus Ægyptius ad triginta hominum millia contraxit, & Hierosolymam veluti ad regnum capessendum tetendit (*d*). Similia

a *Idem Tacitus* XV. *Annal.* b *Tabula* IX. *c.* VI. c *lib.* III. *cap.* XIX. d *Josephus de bell. Jud. lib.* II. *cap.* XIII.

quæ-

quædam exempla habemus in historia Ecclesiastica, de quibus alibi.

Parum tamen aut nihil severitate nostri SC. profectum est: quin novis subinde atque novis legibus opus fuit. De Gabinia meminit Porcius Latro in Catilinam: *Animadvertendum est pariter uno maleficii genere Catilinam non modo Deos, ac patriam, verum etiam mores, leges, consuetudinem Urbis, atq; instituta majorum violasse. Primum* XII. *Tabulis cautum esse cognoscimus, ne quis in Urbe cœtus nocturnos agitaret: deinde lege Gabinia promulgatum, qui conciones ullas clandestinas in Urbe conflavisset more majorum capitali supplicio multaretur.* Legem hanc Gabiniam latam fuisse putabam a Gabinio Tr. pleb. A. U. DCIV. sed quo minus id affirmarem fecit Tertulliani locus (a): *Liberum Patrem* (inquit) *cum mysteriis Cons. Senatus auctoritate non modo Urbe, sed universa Italia eliminaverunt* (ad amussim hæc quadrant nostro SC.); *Serapidem, & Isidem, & Harpocratem cum suo cynocephalo, capitolio prohibitos inferri, idest curia Deorum pulsos, Piso & Gabinius Coss. non utique Christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes. His vos restitutis summam majestatem contulistis. Ubi est religio?* Eadem fere habet *adversus Nationes*: & proculdubio Alexandrum Severum suggillat, sub quo floruit: hic enim teste Lampridio, *Isium & Serapium decenter ornavit, additis signis.* Audiamus Arnobium (b): *Vos Ægyptiaca numina, quibus Serapis atq; Isis est nomen, non post Pisonem & Gabinium Coss. in numerum vestrorum retulistis Deorum?* Ex utriusque verbis, tam Tertulliani, quam Arnobii, id conficitur, sacra Serapidis, Isidis, Harpocratis Coss. Pisone & Gabinio lata lege fuisse eliminata, & post eorum consulatum reducta. De clandestinis coitionibus verbum nullum. Si tamen animo tecum repetes, Ægyptiorum Osiridem esse Græcorum Bacchum Sabazium, cui, quod ex Proserpina natus esset, sacra fiebant nocturna; facile conjicias aliam non esse legem Gabiniam Porcii Latronis a lege Gabinia Tertulliani, & Arnobii. Atqui in Fastis reperias quidem A. U. DCXCV. Coss. A. Gabinium, & L. Calpurnium Pisonem Cæsoninum; verum Catilina damnatus est quinquennio ante, nimirum Coss. M. Tullio Cicerone, C. Antonio Hybrida, An. U. DCXC. Qui igitur fieri potest ut Gabiniam legem, nondum latam, Catilinæ objecerit pseudo-Porcius? Ad hæc, M. Tullius in libris de legibus, quos scripsit post necem Clodii, quum Proconsul Ciliciam obtinuisset, Coss. Ser. Sulpicio Rufo, M. Claudio Marcello A. U. DCCII. de nostro Senatusconsulto certe meminit, de lege Gabinia non meminit. Lubet ejus verba heic adponere (c): *Ad nostra igitur revertor, quibus profecto diligentissime sanciendum est, ut mulierum famam multorum oculis lex clara custodiat, initienturque eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. Quo in genere severitatem Senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus, & Consulum exercitu adhibito, quæstio animadversioque declarat. Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur, in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua submovit. Novos vero Deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus Poeta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alii Dii, peregrini judicati, e civitate ejiciantur. Publicus autem sacerdos imprudentiam consilio expiatam metu liberet, audaciam in admittendis religionibus fœdis damnet, atque impiam judicet.* Altum heic & ubique apud Tullium de lege hujusmodi Gabinia silentium. Immo mirum foret si quidpiam de ea apud Oratorem legeretur: *Frequenter tunc etiam* (de Tullii ætate loquitur Asconius in Cornelianam) *cœtus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant; propter quod postea collegia SCto, & pluribus legibus sunt sublata; præter pauca, atq; certa, quæ utilitas civitatis desiderasset, quasi ut fabrorum, lictorumque.* Quodnam fuerit SC. quæ leges, tacuit hoc loco Asconius: sed in orat. in Pisonem inquit: *SCto collegia sublata fuisse, quæ adversus remp. videbantur L. Julio, C. Mario Coss.* (legendum C. *Marcio*, nempe Figulo) an. scil. Urbis DCLXXXIX. qui consulatum Tullii, & conjurationem Catilinæ præcessit: tandem post novem annos innumerabilia collegia, & ex omni fæce Urbis a P. Clodio Tr. Pl. lata lege fuisse restituta (a). Mendum heic quoque subest: nam a consulatu Julii & Marcii ad consulatum Pisonis & Gabinii, quibus conniventibus legem Clodius pertulit de collegiis restituendis, sex tantum anni effluxere. Quando igitur vel ex hoc datur ansa Ciceroni carpendi L. Pisonem, quod eo Consule inspectante & tacente fuerunt a P. Clodio collegia restituta; quis adeo mentis inops sibi persuadeat, legem ullam Gabiniam adversus collegia & illicitos cœtus, maxime nocturnos, Romæ latam fuisse? Nonne Clodius intercessisset? Aliud igitur agebant Tertullianus & Arnobius, quum Porcii declamatoris anachronismum de lege Gabinia non subodorarunt, eamque adversus Gentes serio inculcavere; nec magis oculatus Paulus Manutius *lib. de legibus cap.* XXIX. *in fine*.

Præter SC. quod factum est L. Julio, C. Marcio Coss. de quo meminit Asconius, collegia & coitiones vetuit *Lex Julia*, de qua fit sermo in *Epist.* C. Julii Cons. ad Pariorum magistratus apud Josephum *Antiqui. Jud. li.* XIV. *c.* VIII. ἐμοὶ τοίνυν οὐκ ἀρέσκει κατὰ τῶν ἡμετέρων φίλων καὶ συμμάχων τοιαῦτα γίνεσθαι ψηφίσματα, καὶ κωλύεσθαι αὐτοὺς ζῆν κατὰ τὰ αὐτῶν ἔθη, καὶ χρήματα εἰς σύνδειπνα καὶ τὰ ἱερὰ εἰσφέρειν, τοῦτο ποιεῖν αὐτῶν μηδ᾽ ἐν Ῥώμῃ κεκωλυμένων. καὶ γὰρ Γάϊος Καῖσαρ, ὁ ἡμέτερος στρατηγὸς καὶ ὕπατος, ἐν τῷ διατάγματι κωλύων θιάσους συνάγεσθαι κατὰ πόλιν, μόνους τούτους οὐκ ἐκώλυσεν, οὔτε χρήματα συνεισφέριν, οὔτε σύνδειπνα ποιεῖν. ὁμοίως δὲ κἀγὼ τοὺς ἄλλους θιάσους κωλύων, τούτους μόνους ἐπιτρέπω κατὰ τὰ πάτρια ἔθη καὶ νόμιμα συνάγεσθαί τε καὶ ἱστᾶσθαι (καὶ ἑστιᾶσθαι legendum conjecit Petitus *p.* 66. nec displicet cl. Joh. (b) Hudsonio) *Quocirca mihi non placet ejusmodi decreta contra amicos & socios nostros fieri, vetarique eos ex suis institutis vivere, & conferre pecunias in epulas & rem divinam, præsertim cum nec Romæ ista facere prohibeantur. Nam & Cajus Cæsar Prætor noster & Cons. cum edicto vetaret ullas in Urbe coitiones haberi, solum istæ ne fierent, simulq; pecuniam conferrent aut convivia agitarent, non interdixit: similiter & ego alias coitiones prohibens, illis solis permitto ex patritiis moribus & institutis congregari, & in eo persistere,* ὁ ἡμέτερος στρατηγὸς καὶ ὕπατος vertitur a cl. Hudsonio *Prætor noster & Cons.*: sed στρατηγὸς pro *Imperator* in epistola Cons. poni nullus dubito, vetere notione, & more Romanis recepto *Imperatorem* belli ducem salutandi, & illum præsertim, qui bellum feliciter confecisset: tametsi Imperatoris nomen summæ potestatis deinceps esse cœpit, unde Græcorum in nummis αὐτοκράτωρ: neque uspiam in Romanorum monumentis invenias unum eumdemq; Prætorem simul appellatum & Conf. ut neq; centurionem & tribunum militum, tribunum & legatum. Θιάσους dixit Josephus omnis generis collegia, quia nullum ferme fuit quin religionem pro fine haberet, & alicujus Deorum cultum; ut recte animadvertit Salmasius (c). Julii vestigiis insistens Augustus, *cum plurimæ factiones titulo collegii novi ad nullius non facinoris societatem coirent, præter antiqua & legitima, omnia collegia dissolvit*, inquit Suetonius (d).

a *Apolog. cap.* VI. b *lib.* II. *adv. Gent.* c II. *de legibus*.

a Ejus rei testem habemus Dionem *lib.* XXXVIII. b notis in Josephum *pag.* 630. *edit. Oxon.* 1720. c *Observ. ad Jus Attic. & Roman. cap.* IV. d *In Aug. cap.* XXXII.

quin etiam sacra Ægyptia, & Judaica pepulit, teste Dione (*a*). Sub Tiberio item *actum & de sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis*, ut habet Tacitus (*b*). Nam nunquam non ab hujusmodi cœtibus periculum. Idem Tacitus, ubi de rebellione Galliarum sub Tiberio verba facit, inquit: *Igitur per conciliabula & cœtus seditiosa disserebant*. Sic nocturnorum cœtuum caussa erupit militaris seditio adversus Hordeonium Flaccum (*c*): *Effusi in luxum & epulas, & nocturnos cœtus, veterem in Hordeonium iram revocant; nec ullo legatorum tribunorumve obsistere auso (quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum e cubili interficiunt*.

Huc facit illud Ulpiani (*d*): *Sub prætextu religionis, vel sub specie solvendi voti cœtus illicitos nec a veteranis tentari oportet*. Item Marciani (*e*), ubi vetita ea memorat ab Alexandro Severo: *Sed religionis caussa coire non prohibentur: dum tamen per hoc non fiat contra Senatusconsultum, quo illicita collegia arcentur*. Et alibi (*f*): *In summa autem nisi ex Senatusconsulti auctoritate, vel Cæsaris, collegium, vel quodcumque tale corpus coierit, contra Senatusconsulta, & mandata, & constitutiones collegium celebrat*. Suavis homo est Accursius, quum inquit (*g*): *Et hoc habet locum in Italia, & in provinciis, non in Urbe Roma*: quasi vero diserte non haberet Marcianus: *Quod non tantum in Urbe, sed in Italia, & in provinciis locum habere divus Severus rescripsit*. Sed familiare id fuit Accursio interpretationes obtrudere cum ipsis verbis legis pugnantes: unde proverbium *la Glosse d'Orleans* apud Stephanum Pasquier in suo libro *Recherches de la France*.

Nil igitur mirum si crimini daretur Christianis quod cœtus occultos & nocturna pervigilia, & Agapas celebrarent: *Nisi forte* (inquit (*h*) Tertullianus) *in Senatusconsulta, & in Principum mandata coitionibus opposita delinquimus*. Onerabantur etiam invidia, quod Deum colerent non publice adscitum, novum, advenam, peregrinum, neque constructa a patribus delubra haberent, quod vetitum legibus Regiis, & XII. Tabb. & Tullius satis aperte ostendit II. *de legibus*. Linquo quæ de capite asinino, & Thyesteis epulis calumniabantur, de quibus copiose disputat Tertullianus *in Apologetico*: sed, quantum ad præsens argumentum attinet, in suspicionem venerant Christiani, Cereris & Bacchi sacris esse initiatos, quod pane & vino sacrificarent. *Nonnulli*, inquit (*i*) Augustinus, *nos propter panem & calicem Cererem ac Liberum colere existimant (k)*.

Quæstio mandata est Consulibus extra ordinem; & quidem duplicem ob caussam. Prima, quod rei atrocitas summæ auctoritatis quæsitorem postulare videbatur: secunda, quod A. U. DLXVII. quo Bacchanalia detecta sunt, nullæ adhuc quæstiones publicæ erant perpetuæ; sed, quotiescumque res poscebat, Consules, aut Dictator, aut Prætor Senatusconsulto, vel lege quærere de crimine jubebatur. Primus enim L. Piso trib. pleb. *quæstionem de pecuniis repetundis* perpetuam fecit, L. Mario Censorino, M. Manilio Coss. A. U. DCIV. ut docet Cicero *in Bruto* (*l*); nam in lege, quam *de repetundis* pertulit, cavit ut de ea re Prætoris quæstio esset. Similes ob caussas perpetuæ deinceps factæ sunt quæstiones de *peculatu*, de *majestate*, de *ambitu* (*m*), de *sicariis*, *veneficis*, *parricidio*, *falso*, & aliæ: adeo ut opus fuerit prætores plures creari, qui quæstiones inter se sortirentur (*a*). Quum igitur propter legem *Valeriam de provocatione* cautum jampridem esset, ne Consul de capite civis Romani quæreret injussu Populi; idcirco Senatus auctoritate quæstio Consulibus mandanda fuit. Ceteroquin, si quæ in Urbe, sive in universa Italia delicta forent publica animadversione digna, ut puta *proditio*, *conjuratio*, *veneficium*, *aut cædes dolo malo perpetrata*, *ad cognitionem Senatus spectabant* (*b*). Qui quæstionem habebant *Quæsitores* dicebantur, inquirebantque de criminibus, deque iis judicium exerceri curabant. Ipsi quidem sedebant pro tribunali, judices vero in subselliis. Hi principio fuere tantummodo Senatores. Anno U. DCXXX. judicia ad equestrem ordinem translata sunt, *lege Sempronia*. Communicata cum Senatoribus, & equitibus *lege Servilia* A. U. DCLVII. ita tamen ut minor esset Senatorum quam equitum numerus. Æquatus hic fuit per *Legem Liviam* A. DCLXII. ac demum *Lege Plautia* admissi quidam etiam ex plebe A. U. DCLXIV. Ad solos Senatores judicia rediere per *legem Corneliam* A. DCLXXIII donec A. DCLXXXIII. cautum *lege Aurelia*, ut cum Senatoribus equites, & Tribuni ærarii judicarent. Tribunos submovit Julius Cæsar. Pompejus A. U. DCXCVIII. *legem Aureliam* reduxit, hoc addito, ut amplissimo censu, & ex centuriis legerentur judices. Tertia tandem judicum decuria addita est e centurionibus, antesignanis, alaudis, manipularibus per *legem Antoniam* Anno U. DCCIX. de qua meminit Cicero *Philippica* I. & V. & Suetonius *in Augusto*. Has leges accurate notavit Rosinus *Antiquit. Roman. libr.* VIII. *cap.* XXI.

XV. Indices præmiis invitare Senatus jussit:

nam *cruciatu, & præmio cuncta pervia esse* sciebant, ut monuit Tacitus XV. *Annal.* Auricularii hujusmodi homines appellari ab auctoribus solent, item *oculi & aures Principis*: Περσῶν γὰρ (inquit (*c*) Heliodorus) βασιλείαις αὐλαῖς, ὀφθαλμοὶ καὶ ἀκοαὶ, τὸ εὐνούχων γένος. *Persarum enim regiis aulis oculi sunt & aures eunuchorum genus*. Xenophon (*d*): κατεμάθομεν δὲ ὡς καὶ τοὺς βασιλέως καλουμένους ὀφθαλμοὺς καὶ τὰ βασιλέως ὦτα οὐκ ἄλλως ἐκτήσατο ἢ τῷ δωρεῖσθαί τε καὶ τιμᾶν. *Etiam hoc accepimus, Cyrum illos, qui & oculi & aures Regis appellantur, non alia ratione sibi adjunxisse, quam munera largiendo, & ornando præmiis*. Id tamen non fit sine invidia, & periculo. Cicero pro Sex. Roscio: *Accusatores multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia: verumtamen hoc ita est utile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus*. Tacitus IV. *Annal.* de Tiberio: *Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coercitum, per præmia eliciebantur*. Inde laudi datum Neroni, quod præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegisset; Tito, Domitiano, ac Trajano, quod eos variis pœnis ac suppliciis affecissent (*e*). Ceterum in libera civitate, ubi seditiosorum hominum consilia, & clandestinæ machinationes exitium reip. minitantur, necessarii quodammodo sunt, ac præmiis alliciendi. Exemplum est apud Livium (*f*), ubi de incendio Romæ Campanorum fraude orto: *Itaq; Consul ex auctoritate Senatus pro concione edixit: qui quorum opera id conflatum incendium profiteretur*,

a *lib.* LIV. b II. *Annal.* c *Idem lib.* IV. *historiar.* d *l.* 2. *D. de extraord. criminib.* e *l.* 1. *D. de colleg. & corporib.* f *l.* 3. *eod. tit.* g *ad d. l.* 1. h *cap.* XIV. *de Jejunio adv. Psychicos.* i *Contra Faustum lib.* I. *cap.* XIII. k *Schelestrat. de disciplina arcani cap.* 3. *pag.* 36. *edit. Roman.* l *cap.* XV. m *Pompon. l.* 2. *de orig. Jur.*

a Vide Rosinum *antiquit. Roman. libr.* IX. *cap.* XVIII. b *Polyb. histor. lib.* VI. *cap.* XI. c *Arthiopic. lib.* VIII. *in fin.* d *Cyropard. lib.* VIII. e *Sueton. in Nerone cap.* X. *in Tito cap.* VIII. *Domit. cap.* IX. *Plin. in Panegyr.* f *Decad.* III. *libr.* VI.

præmium fore libero pecuniam, servo libertatem. Et præmio inductus Campanorum Calaviorum servus (Mannus ei nomen erat) indicavit, dominos, & quinque præterea juvenes nobiles Campanos, quorum parentes a Q. Fulvio securi percussi erant, id incendium fecisse &c. Sic Lege *Calpurnia de ambitu* accusatoribus præmia fuere constituta, & Lege *Cornelia*, ad Senatusconsultum *Silanianum* pertinente, iis, qui servos fuga elapsos ante quæstionem conquisissent, ac renuntiassent.

XVI. Ante omnia, ut quæstio de his habeatur, qui coierint, conjuraverintve, quo stuprum, flagitiumque inferretur.

Hoc caput prætermissum est in nostra tabula. Jure tamen videtur edictum, a flagitiosissimis quæstionem incipere: simul ad deliniendam plebem; ut pudori ac honestati civium ante omnia a patribus consultum videretur. Summam enim Romæ per ea tempora fuisse pudicitiæ laudem, docet Livius *libro* X. ubi sacellum *Pudicitiæ patriciæ* memorat, & Virginiæ A.F. cum patriciis matronis certamen: *Insignem supplicationem fecit certamen in sacello Pudicitiæ patriciæ, quæ in foro boario est ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum. Virginiam Auli filiam, patriciam plebejo nuptam, L. Volumnio Consule, matronæ, quod e patribus enupsisset, sacris arcuerant. Brevis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit, quum se Virginia & patriciam & pudicam in patriciæ Pudicitiæ templum ingressam; & uni nuptam, ad quem virgo deducta sit; nec se viri, honorumve ejus ac rerum gestarum pœnitere, vero gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit, in vico longo, ubi ea habitabat, ex parte ædium quod satis esset loci modico sacello exclusit, aramque ibi posuit: & convocatis plebeiis matronis, conquesta injuriam patriciarum, hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ plebejæ dedico: vosque hortor, ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas sit, detisque operam, ut hæc ara, quam illa, si quid potest, sanctius, & a castioribus coli dicatur. Eodem ferme ritu & hæc ara, quo illa antiquior culta est, ut nulla nisi spectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta fuisset jus sacrificandi haberet. Vulgata dein religio a pollutis, nec matronis solum, sed omnis ordinis feminis, postremo in oblivionem venit.* Illustria Romanæ pudicitiæ ac severitatis exempla habes præsertim apud Valerium libro VI. *cap.* I. sed illud maxime notandum, quod de Cn. Sergio Silo idem memoriæ prodidit: *Metellus quoque Celer* (inquit) *stuprosæ mentis acer punitor extitit. C. Sergio Silo promissorum matrifamiliæ nummorum gratia diem ad populum dicendo, eumque hoc uno crimine damnando. Non enim factum tunc, sed animus in quæstionem deductus est: plusque voluisse peccare nocuit, quam non peccasse profuit.* Quando igitur, haud secus ac in lege majestatis fieri assolet, affectus quoque peccandi Cn. Sergio crimini fuit; unusquisque satis intelligit, quanta cum cura & solicitudine Senatus vindicandis omnis generis stupris incumberet, damnandique principium ab iis potissimum fieri vellet, qui ut stuprum flagitiumque inferretur coiissent. Saltem apud ignaros rerum eam de Senatu opinionem invalescere oportebat; nihil enim æque plebem ad vindictam accendit, suppliciorumque cupidam facit, quam violatus pudor: quod sero Galli in Sicilia didicerunt. παρέργως heic notabo, Tatianum Assyrium in ea quam adversus Græcos scripsit oratione (*a*), nimio declamandi studio abreptum, immerito Romanos veluti puerorum amoribus deditos insectari, scribens, ab iis pueros plurimos tanquam equos gregales colligi, & ali consuevisse. Romanorum enim hac in re continentiæ testis est idem Valerius, exemplo Fabii Maximi, Atilii Philisci, C. Scantinii Capitolini, T. Veturii, M. Lætorii, & C. Luscii. Nesciebat Tatianus, pueros, idest servos, & plerumque vernas ad domestica officia ali solitos a Romanis, non ad fœdam damnatamque libidinem: & Græce cogitans, ut pueros nominavit, pæderastiam sejungere noluit.

a *pag.* 165. *S. Justini edit. Paris.* 1615.

XVII. Consules Ædilibus curulibus imperarunt ut sacerdotes ejus sacri omnes conquirerent.

Recte dictum, & pro Consulum dignitate, quibus nunquam a Senatu aliquid mandatum, quin adjiceretur formula honorifica: CONSVLES ALTER AMBOVE, SI EIS VIDEBITVR &c. (*a*). Ceteroquin pro *mandare* Consulibus, *permittere* quandoque dicebatur. Tacitus *Annalium* III. ubi de legationibus Græcarum civitatum, disceptantium de jure asylorum, inquit: *Auditæ aliarum quoque civitatum legationes. Quorum copia fessi Patres, & quia studiis certabant, Consulibus* PERMISERE, *ut perspecto jure, & si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad Senatum referrent.* Consules ceteris magistratibus imperabant: Aurelius Victor *de vir. Illustrib.* LXXII. *M. Æmilius Scaurus Cos. P. Decium Prætorem, transeunte ipso sedentem, jussit assurgere, eique vestem scidit, sellam concidit, ne quis ad eum in jus iret, edixit.*

Ædiles curules dicuntur Ædiles majores a Plutarcho *in Mario*; propterea quod ex sella eborea jus dicerent, quum plebeii Ædiles in subselliis sederent. Illum magistratum Patres alternabant cum plebe; hunc plebs sola obtinebat, ut nomen ipsum satis indicat (*b*). Datum est itaque negotium Ædilibus curulibus, ut *sacerdotes ejus sacri conquirerent*; maxime enim idoneus visus est magistratus ille, cujus erat munus ludos sacros & solennes instituere, ac procurare; sacrarum ædium & privatarum curam gerere; templa, theatra, ceteraque publica ædificia reficere, & exornare: nam horum occasione omnes sacrificulos, & æditumos facile norant, & pluribus quam alius quispiam conjecturis & indiciis ad conjuratos detegendos, sicubi latitarent, atque comprehendendos uti poterant.

XVIII. Ædiles plebis videre, ne qua sacra in operto fierent.

Erant veluti administri Tribuni plebis, ὑπηρέται τῶν δημάρχων, ut narrat Dionysius *lib.* VI. Nam infixa & perpetua ipsis cura ædium sacrarum, locorum publicorum, annonæ, mensurarum, rerum venalium. Erant etiam præpositi coercendis contumeliis, fœneratorum avaritiæ, stupris, lenonibus, &c. (*c*). Ex bonis mulctaticiis vel ludos, vel dona Deum, vel opera publica faciebant. Præterea animadvertebant, ne qui nisi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio colerentur (*d*).

XIX. Triumviris capitalibus mandatum est ut vigilias disponerent per Urbem, &c.

a *apud Tull. Philipp.* VIII. *Donatus in Adelph. Terent. Act.* III. *Sc.* V. *Brisson. de formul. lib.* II. b *Manut. de legibus cap.* V. c *Dionys. eod. lib.* VI. d *Jan. Gulielm. de Magistratib. Pop. Rom. cap.* XI. *Lipsius de Magistratib. P. R. cap.* XII. & XIII.

Sic de Augusto Suetonius (*a*) : *Hac nunciata* (clade Variana) *excubias per Urbem induxit, ne quis tumultus existeret*. Triumviri capitales inter minores magistratus censebantur; creatique primum M. Curio Dentato, P.Cornelio Rufino Coss. Anno Urbis CCCCLXIII. (*b*) Hi maleficii suspectos conquirebant, & comprehendebant; carceris latomiarum curam gerebant, ut quum a Prætore damnatos carnufex necaret, eorum interventu id fieret (*c*). Ipsimet de furibus, homicidis, servis nequam judicabant, & in eos animadvertebant in foro Romano ad columnam Mæniam, ut habet Asconius (*d*). Valerius *libro* VIII. *cap.* IV. 2. *Fannii servus Alexander, cum in suspicionem C. Fulvii equitis Romani occisi venisset, sexies tortus pernegavit ei se culpæ affinem fuisse. Sed perinde atque confessus, & a judicibus damnatus, & a L. Calpurnio triumviro in crucem actus est*. Videntur heic separari Judices a Triumviris : sed nihil sequetur incommodi, si dicamus, damnatum quidem servum conjunctim a Triumviris, interventu vero solius Calpurnii in crucem actum (*e*). In cives tamen Romanos paullo honestiores animadvertere non poterant. Idem Valerius *lib.* V. *cap.* IV. *Sanguinis ingenui mulierem, apud tribunal suum capitali crimine damnatam, triumviro in carcere necandam tradidit, quo receptam is qui custodiæ præerat, misericordia motus, non protinus strangulavit*. Triumvir nec mulierem damnaverat, nec erat carceris custos; sed præerat custodi carceris, sive carnifici. Sic Triumviris mandatum, ut Bacchanaliorum conscios conquirerent, ac reducerent; non ut de eorum capitibus sententiam ferrent. Ex hoc Livii loco constat, Triumviros capitales magistratum fuisse ordinarium, longeque diversos a *quæsitoribus rerum capitalium*, qui extra ordinem creabantur, propter legem *Valeriam*, quæ vetabat Consuli, Dictatori &c. de capite civis sententiam ferre, nisi lege, aut Senatusconsulto id jubente. Quæsitores adversus conjuratos, qui bacchanalibus coissent, fuere extra ordinem Consules Marcius Philippus, Sp.Posthumius, ut ex Livio, & nostra ænea tabula liquet.

Uno propemodum ore affirmant eruditi, non esse eosdem Triumviros *capitales*, & Triumviros *nocturnos*, incendiorum arcendorum & excubiarum agendarum caussa (*f*) : itaque *Triumviros*, nulla adjecta muneris nota, κατ' ἐξοχὴν intelligi capitales. Sed hæc sententia, magnos licet habeat auctores, non est admodum expedita. Valerius enim *lib.* VIII. *cap.* I. Triumviros sine ullo additamento nominat, & tamen incendiis arcendis præpositos : *M. Mulvius, Cn. Lollius, L. Sextilius triumviri, quod incendium in sacra via ortum extinguendum tardius venerant, a Tr. pleb. die dicta ad Populum damnati sunt*. Hic idem locus Livii, quem tractamus, Triumviris capitalibus curam vigiliarum disponendarum demandatam esse ostendit. Igitur iidem *nocturni* ac *capitales*. Ad capitales pertinere ajunt illa Sosiæ servi apud Plautum (*g*) :

Juventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?
Quid faciam nunc si tresviri me in carcerem compegerint?

Quis tamen non videt, de eo magistratu sermonem fieri apud Plautum, cujus partes essent noctu pacatam habere civitatem, regiones Urbis cum lictoribus lustrare, & de servis, deque furibus nocturnis cognoscere? Pronunciandum igitur est, non liquere. Carpit Plautum Salmasius *Epist. ad Menagium*, quod in ea comœdia palliata mentionem injecit Romani magistratus, uti & Danielem Heinsium, quod Eumenides Græcas in Herodis infanticidæ Hebræam tragœdiam invexit.

Triumviris nocturnis successit sub Augusto *Præfectus vigilum*, qui jus habebat cognoscendi de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, & receptatoribus (*a*) : quem magistratum gessit C. Cilnius Mæcenas, teste Pædone Albinovano *Elegia de ejus obitu* :

—— *Romanæ tu vigil urbis eras*.

XX. Adjutores Triumviris Quinqueviri, uti cis Tiberim suæ quisque regionis ædificiis præessent.

Hoc tantummodo Livii loco fit mentio Quinquevirorum *nocturnorum*, quos capitales etiam appellare nihil vetat. Pomponius certe J. C. *in l.* 2. *D. de orig. Jur.* §. 31. post memoratos Triumviros capitales, inquit : *Et quia magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconveniens erat, Quinqueviri constituti sunt cis Tiberim & ultis Tiberim* (malunt quidam *uls Tiberim*) *qui possent pro magistratibus fungi*. Forte legendum etiam in Livio : *uti cis & ultis* (sive *uls*) *Tiberim suæ quisque regionis ædificiis præessent*. Ceterum longe alia est nostri sententia. *Adjutores* enim, non *vicarios* Triumvirorum facit Quinqueviros, ut communi ope atque consilio præsenti malo occurrerent, vigiliasque disponerent per Urbem : nam quantum attinet ad incendia arcenda, non videtur id fuisse novum, *suæ* quemque *regionis ædificiis* præesse, si attendamus Historici verba ; tametsi aliquanto majore cum cura obviam ire incendiis oportuit, quæ a conjuratis, effugia quoquo modo captantibus, conflari poterant. Ceterum Pomponii ratio non satis arridet : neque enim adversus legem XII. Tabularum Triumviri facere videbantur, post Solis occasum prodeuntes in publicum, non ad jus dicendum, sed ad incendia pro suo munere restinguenda, sontes conquirendos, comprehendendosque fures, effractores, servosque fugitivos. Et sane Plautinus Sosia, noctu Volcanum inclusum in cornu gerens, a Triumviris sibi metuebat, ne in carcerem compingeretur; non a Quinqueviris Pomponianis, vicariam Capitalibus operam præstantibus. Illud etiam notandum, aut V. aut VIII. fuisse ea tempestate Urbis regiones; nisi quis probet mendosum esse hunc Livii locum.

XXI. Consules in Rostra ascenderunt, & concione advocata &c.

Rostra templum erat ante curiam Hostiliam, in quo suggestum ex rostris navium Antiatium (*b*). Illud conscendebant magistratus, oratoresve verba facturi ad populum, vultu ad capitolium & forum converso (*c*). Consules itaque Marcius & Postumius, postquam in eorum sententiam factum esset Senatusconsultum, concionem populi advocarunt, cujus consensus ad perpetuam Senatusconsulto auctoritatem conciliandam necessarius esse videbatur. Nam sine jussu populi per ea tempora uno tantum anno Senatusconsulta magistratum tenebant; uti ex Dionysio fit manifestum. Is enim *lib.* IX. ubi Con-

a *cap.* XXIII. b *Epitome Liv. lib.* XI. c *Pompon. l.* 2. *de orig. Jur.* d I. *in Verrem.* e *Ravard. Varior. libro* II. *cap.* XVIII. f *Gruchius de Comitiis libro* II. *Rosin. Antiq. Roman. lib.* VII. *cap.* XXVII. XXVIII. g *Amphitruone Sc.* I.

a *l.* 2. *D. de offic. Præf. Vigil.* b *Livius libr.* VIII. c Vide Lipsium de magnitudine Romana.

sules L. Æmilius Mamercus (vel Mamercinus) III. Vopiscus Julius Julus (*a*) obstitisse dicuntur Cn. Genutio Trib. pleb. postulanti ut Senatusconsultum de agris dividundis tandem exequerentur, inquit: *οἱ δὲ οὐχ ὑπήκουον, οὐ τῇ ἑαυτῶν ἀρχῇ λέγοντες τετάχθαι τὸ ἔργον ὑπὸ τῆς βουλῆς, ἀλλὰ τοῖς μετὰ Κάσσιον καὶ Οὐεργίνιον ὑπάτοις, πρὸς οὓς τὸ προβούλευμα ἐγράφη· καὶ ἅμα οὐδὲ εἶναι νόμους εἰς ἀεὶ κυρίους ἃ ψηφίζεται τὸ συνέδριον, ἀλλὰ πολιτεύματα καιρὸν ἐνιαύσιον ἔχοντα ἰσχύν. Hi negabant ad se pertinere quod alieno consulatu decretum esset, & Cassii Virginiique successoribus demandatum; ad eos enim id Senatusconsultum pertinere: nec Senatus decreta perpetuæ legis vim habere, sed esse instituta unius anni.* Itaque tunc demum perpetuæ legis vim habebat Senatusconsultum, quum suffragiis populi roboratum esset. Idem *lib.* II. ait, olim quod pluribus Curiis visum fuisset, id ad Senatum referri solitum, sed postea contrarium obtinuisse: *ἐφ᾽ ἡμῶν δὲ μετάκειται τὸ ἔθος. οὐ γὰρ ἡ βουλὴ διαγινώσκει τὰ ψηφισθέντα ὑπὸ τοῦ δήμου, τῶν δ᾽ ὑπὸ τῆς βουλῆς γνωσθέντων ὁ δῆμός ἐστι κύριος: qui mos nostra ætate mutatus est; non enim Senatus de plebis scitis decernit, sed de Senatusconsultis plebi permissum est suffragium.* Exempla habes plura apud eundem Dionysium: ut *lib.* VIII. de conditionibus fœderis cum Volscis, Senatusconsultum fieri oportere, inquit, *καὶ τὰ βουλευθέντα εἰς τὸν δῆμον ἐξενεγκεῖν· ac decretum referri ad populum.* Et *libro* X. *γραφέντος δὲ τοῦ προβουλεύματος, καὶ μετὰ ταῦτα ἐπικυρώσαντος τοῦ δήμου. Senatusconsulto facto, & per plebiscitum confirmato.* Sic *libro* XI. circa finem narrat, Senatusconsultum de communicandis cum plebe magistratibus curulibus in tabulas relatum a Consulibus L. Papirio Mugillano, L. Sempronio Atratino, moxque Tribunum Pl. eo accepto, magno cum gaudio in forum prodiisse, & advocato in concionem populo, post prolixam Senatus laudationem, jussisse, plebejos, si qui vellent, cum patriciis ambire magistratum. *Libro* etiam IX. docet, curiata comitia tunc demum rata fuisse, si præcessisset Senatusconsultum, ac deinde populi calculo per Curias approbata esset lex, & tandem auspicia addixissent. Simile exemplum extat *libro* V. ubi de conjuratione Tarquiniensium oppressa: *καὶ γραψάμενοι τὰ δόξαντα αὐτοῖς, ἦγον αὖθις ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὸ προβούλευμα ἀνέγνωσαν. Cumque Senatusconsultum in tabulas retulissent, reversi in concionem populo recitaverunt.* Sic fieri in Republica democratica oportuit; unde notum: *Senatus censuit, Populus jussit.* Peracto igitur nostro Senatusconsulto, Consules in rostra ascenderunt, & concione advocata retulerunt ad Populum, tum ut perpetuam legis vim obtineret, tum quia de gravissimo agebatur judicio. Inquit enim de Romanis Polybius (*b*): *τὰς δ᾽ ὁλοσχερεστάτας καὶ μεγίστας ζητήσεις, καὶ διορθώσεις τῶν ἁμαρτανομένων κατὰ τὰς πολιτείας, οἷς θάνατος ἀκολουθεῖ τὸ πρόστιμον, οὐ δύναται συντελεῖν· ἂν μὴ συνεπικυρώσῃ τὸ προβεβουλευμένον ὁ δῆμος. Gravissima vero quæque judicia & maxima peragere non potest* (idest Senatus) *neque publica delicta quæ capite luuntur punire, nisi ipsius auctoritatem populus comprobarit.*

XXII. Quum solemne carmen precationis, quod præfari, priusquam populum alloquantur, magistratus solent &c.

Dimittendæ concionis formulam, qua Tribunus plebis utebatur, habemus apud Livium (*c*): SI VOBIS VIDETUR, DISCEDITE QUIRITES; ut dimittendi Senatus apud Donatum ad illud Terentii: *Bono animo fac sis Sostrata* (*a*), formula fuit: NIHIL VOS MORAMUR P. C. Formulam tamen precationis, qua magistratus uti solebant antequam populum alloquerentur, nec Livius, nec alius quisquam veterum, quod ego sciam, nobis reliquerunt. Si divinare, aut hariolari liceat, suspicor in hæc fere verba conceptam:

JUPPITER OPTIME MAXIME TUQUE JUNO REGINA ET GRADIVE MARS VOSQUE DII DEAEQUE OMNES QUORUM NUTU ET IMPERIO NATA ET AUCTA EST RES ROMANA VOS PRECOR QUAESOQUE UTEI HIC DIES BONUS FELIX FORTUNATUSQUE SIET POP. ROM. QUIRITIUM REIP. POP. ROM. QUIRITIUM SOCIIS NOMINIQUE LATINO MIHIQUE COLLEGAEQUE MEO FIDEIQUE MAGISTRATUIQUE NOSTRO, UT QUANDO VESTRO DUCTU OPE ATQUE AUXILIO NEFARIA CONJURATIO DETECTA ATQUE OPPRESSA EST PEREGRINA FOEDAQUE SACRA NEC MORE MAJORUM PUBLICE ADSCITA EX URBE ITALIAQUE UNIVERSA EXACTA SUNT POPULUM PLEBEMQUE ROMANAM BENE JUVETIS BONIS AUCTIBUS AUXITIS MALA AVERRUNCETIS DEQUE IIS QUI COIERUNT CONSPOPONDERUNT CONJURAVERUNT SUPPLICIUM SUMERE SALVA ATQUE INCOLUMI REPUBLICA POPULI ROMANI QUIRITIUM COPIAM FAXITIS.

XXIII. Hos esse Deos, quos colere, venerari, precarique majores vestri instituerunt; non illos, qui pravis & externis religionibus captas mentes, velut furialibus stimulis ad omne scelus, & ad omnem libidinem agerent.

Paucis Livius, quod pluribus Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Firmicus Maternus, & quotquot defensionem Christianorum adversus Ethnicos susceperunt. Nam quid magis alienum a beata Deorum immortalium natura, quam captas mentes ad omne scelus, & ad omnem libidinem vertere? Sapienter Scythæ (*b*) vitio vertebant Græcis quod sacra Bacchanaliorum celebrarent; negantes rationi consentaneum esse, excogitare Deum qui homines adigat ad insaniam. Ab Anacharsi, eorum Rege, tradit Clemens Alexandrinus (*c*), sagittis hominem fuisse confossum, qui Matris Deum sacra, quæ apud Cyzicenos fiebant, imitababatur. Aliquanto rectius Romani, qui religionem Græcanica puriorem profitebantur, ut docet Dionysius *libro* II. cujus verba, sive interpretis heic afferre lubet, nostrum argumentum mirifice illustrantia: *His itaque rebus plurimum curæ impendit* (Romulus) *a Deorum cultu exorsus: proinde templa & areas sacras, arasque, ac signorum ædiculas, tum eorumdem simulacrorum effigies, & insignia, præter vires & dona, quibus de nostro genere bene sunt meriti; festa item quæ cuique Deorum, dæmonumve celebrari convenit, & sacrificia, quibus apud homines coli expetunt; ad hæc rationes induciarum, celebritatum, vacationum a laboribus, ceteraque hujusmodi omnia juxta optimos quosque Græcorum ritus instituit. Ceterum fabulas de ipsis a majoribus traditas, probra eorum continentes ac crimina, improbas censuit, inutilesque ac indecentes, & ne probis quidem viris dignas, nedum Diis superis: repudiatisque*

a A. U. CCLXXX. Pro *Vopisco* est apud Livium *Opiter Virginius*. b *Histor. lib.* VI. *cap.* XIV. c *lib.* II.

a *Adelphis. Act.* III. *Sc.* V. b *Herod. in Melpomene.* c *Protrept. pag.* 14.

A

his omnibus, ad bene ac præclare de Diis sentiendum & loquendum cives suos induxit, nihil eis affingi passus quod beatæ illi naturæ parum esset consentaneum. Neque enim Cælus a suis liberis exsectus apud Romanos traditur; neque Saturnus proprios natos abolens, metuensque ne ipsorum appetatur insidiis; non Juppiter Saturnum patrem regno dejectum Tartareo includens carceri; nec item Deorum bella, vulnera, vincula, servitutesve apud homines. Nullum apud eos festum atratum, aut lugubre agitur, in quo mulieres sublatos e medio Deos planctibus, & lamentis prosequantur; qualia sacra Græci faciunt, raptam Proserpinam, casusque Bacchi referentia, & id genus alia: ac ne corruptis quidem his temporibus apud

B

eos videas arreptos numine, aut furorem Corybanticum, non agyrtarum circuitiones, non bacchationes & secretos mysteriorum ritus, non VIRORUM CUM FEMINIS IN TEMPLIS PERVIGILIA, *non alia his similia prodigia: sed omnia quæ ad Deos attinent religiosius aguntur ac dicuntur quam vel apud Græcos, vel apud Barbaros: & quod omnium maxime miratus sum, quamvis innumeræ nationes in eam Urbem convenerint, quibus necesse sit patrios Deos domestico ritu colere; nulla tamen peregrina sacra sunt recepta publice, quod multis jam urbibus accidit: sed etiamsi aliqua oraculorum*

C

jussu aliunde introducta sint sacra, suo tamen ritu peraguntur a civibus, abdicatis omnium fabularum portentis; sicut in Matris Idææ sacris fit. huic enim Imperatores quotannis Romano ritu victimas cædunt, & ludos faciunt: sacerdotio vero ejus funguntur Phrygii generis vir & mulier, eamque per Urbem circumferunt, circulatorio ritu stipem Matri colligentes, & pectora plangentes, prosequentibus eos cum Matroo carmine tibiis, & tympanorum pulsu: sed e Romanis indigenis nemo cum Matriacis vicatim stipem colligit, nec ad Phrygios tibiæ modos per Urbem incedit varia indutus stola, nec ex decreto Senatus Phrygiæ matris orgia celebrat. Tanta est religio erga ritus ex-

D

teros, omnisque indecora vesania reformidatur. Hinc intelligas illa Tullii II. *de legibus: Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, præter olla, quæ pro populo rite fiant. Neve quem initianto, nisi ut assolet Cereri, Græco sacro.* Item illa: *Ex patriis ritibus optima colunto, præter Idææ matris famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito.* Et aliquanto inferius: *Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idææ Matris excepimus: implet enim superstitione animos, & exhaurit domos.* Et de sacris Bacchi docet II. *de natura Deorum*, non fieri Semeles filio, sive

E

dæmoni, sive heroi, sed longe majori Divinæ menti: sic enim accipienda videntur illa: *Suscepit autem hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellenteis viros in cælum fama ac voluntate tollerent. Hinc Bacchus, hinc Castor & Pollux, hinc Æsculapius. Hinc Liber etiam; hunc dico Liberum Semele natum, non* EUM, QUEM NOSTRI MAIORES AUGUSTE SANCTEQUE LIBERUM CUM CERERE ET LIBERA CONSECRAVERUNT; *quod quale sit, ex* MYSTERIIS *intelligi potest:* illum nempe cui ædem votam a Postumio

F

dictatore narrant Dionysius, & Tacitus, supra relati. Et inferius, de puriore Deorum cultu, qualem Dionysius modo allatus describit: *Videtisne igitur, ut a physicis rebus, bene atque utiliter inventis, tracta ratio sit ad commentitios, & fictos Deos! quæ res genuit falsas opiniones, errroresque turbulentos, & superstitiones pene aniles: & formæ enim nobis Deorum, & ætates, & vestitus ornatusque noti sunt: genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ; nam & perturbatis animis inducuntur: accipimus enim Deorum cupiditates, ægritudines, iracundias: nec vero, ut fabulæ ferunt, Dii bellis præliisque caruerunt; nec solum, ut apud Homerum, cum duos exercitus contrarios alii Dii ex alia parte defenderent, sed etiam ut cum Titanis, ut cum Gigantibus propria bella gesserunt. Hæc & dicuntur & creduntur stultissima, & plena sunt futilitatis summæque levitatis. Sed tamen, his fabulis spretis ac repudiatis, Deus permeans (a) per naturam cujusque rei, per terras Ceres, per mare Neptunus, alii per alia, poterunt intelligi, qui qualesque sint, quoque eos nomine consuetudo nuncupaverit, quos Deos & venerari & colere debemus. Cultus autem Deorum est optimus, idemque castissimus, atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremus. Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt.*

Et sane quid stultius, quam cum Corybantibus, Satyris, Silenis, Lenæis, Thyiis, Mimallonibus, Najadibus, Nymphis, Tityris, Mænadibus, Panibus, Silvanis, reliquaque turba insanientium, qui chorus Ariadnes audiunt (*a*), Orgia, Trieterica, Dionysia, Liberalia, Eleusinia, Bacchanalia celebrare? nimirum in furorem agi, & in omne tandem scelus, omnemque turpitudinem ruere? Initium a verborum licentia; unde nomen factum Libero, ut docet (*c*) Plutarchus (Eleutherum alii dictum putant, vel ab Eleuthero Bœotiæ Urbe, vel ab Eleuthero homine, qui primus Bacchi simulacrum constituit, & quemadmodum coli deberet, (*d*) ostendit): sequitur libido, & vesana procacitas. Audiamus Augustinum (*e*): *Liberum a liberamento appellatum volunt, quod mares in coeundo per ejus beneficium emissis seminibus liberentur. Hoc idem in feminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quod & ipsas perhibeant semina emittere: & ob hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, femineam Liberæ. Ad hæc addunt, mulieres attributas Libero, & vinum propter libidinem concitandam. Sic Bacchanalia summa celebrantur insania. Ubi Varro ipse confitetur a Bacchantibus talia fieri non potuisse, nisi mente commota. Hæc tamen postea displicuerunt Senatui, & ea jussit auferri.* Et alibi (*f*): *Tum & Liber Pater bellavit in India, qui multas habuit in exercitu feminas, quæ Bacchæ appellatæ sunt, non tam virtute nobiles, quam furore. Aliqui sane & victum scribunt istum Liberum, & vinctum: nonnulli & occisum in pugna a Perseo, nec ubi fuerit sepultus tacent: & tamen ejus veluti Dei nomine per immundos dæmones Bacchanalia sacra, vel potius sacrilegia sunt instituta: de quorum rabiosa turpitudine post tam multos annos sic Senatus erubuit, ut in Urbe Roma esse prohiberet.* Tò *post tam multos annos* haud ex fide historica: potius ad invidiam Romanis magistratibus conflandam. Nam præter Livii narrationem, habemus testem Valerium Maximum (*g*), qui diserte inquit: *Bacchanalium sacrorum mos novus, quum ad perniciosam vesaniam iretur, sublatus est. Mos novus:* nam nisi valde mea me fallit opinio, postquam Mater Phrygia Romam advecta est, Græculus quidam ex Etruria Samothracios ritus paulatim invexit; & sic a vetere Cerealium castimonia, ut sunt homines ad libidinem & ad novas superstitiones proni, in-

a libri editi habent *pertinens*. b *Gyrald. de Diis Gent. Syntagm.* VIII. c *quæst. Rom.* CIV. d *Hygin. Fab.* CCXXVIII. e *De Civit. Dei lib.* V. *cap.* IX. f *lib.* XVIII. *cap.* XIII. g *lib.* V. *cap.* III.

tra paucos annos descitum est; adeo ut novo, & peculiari ad Bacchanalia abolenda opus fuerit Senatusconsulto. Forsitan legendum in Augustino: *post non multos annos*.

XXIV. Nullas adhuc vires conjuratio; ceterum incrementum ingens virium habet, quod in dies plures fiunt. Notum illud Taciti (a): *Non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum saepe rerum momenta oriuntur*. Prudenter Tullius in Catilinam I. *Conjurationemque nascentem non credendo corroboraverunt*. Et Porcius Latro, sive quisquis in eundem Catilinam declamavit: *Restinguenda est itaque flamma nobis scelerata, & atrox, dum adhuc velata cineribus ac sopita facultas restinguendi levissima data est; ne cum omnia comprehenderit (quod immortales Dii penitus avertant) nos frustra postmodum furibundam atque exultantem restinguere cupiamus*. Hinc Dionysius Halicarnasseus (b): ὅτι τοῖς μὲν ἄλλοις ἀδικήμασι γενομένοις ὀργίζεσθαι πεφύκασιν ἅπαντες, προδοσίας δὲ ὑποπτευομένης, σωφρονέστερον ἡγοῦνται καὶ διὰ κενῆς φοβηθέντας αὐτὴν φυλάξασθαι μᾶλλον, ἢ καταφρονήσει ἐπιτρέψαντας ἀνατραπῆναι. *Ceteris delictis, quum perpetrata sunt, irasci homines: si qua vero proditionis incidat suspicio, prudentius esse vel vano metu eam praecavere, quam ea per secordiam contempta opprimi*. Suetonius de Augusto (c): *Tumultus post haec, ac etiam rerum novarum initia, conjurationesque complures* PRIUSQUAM INVALESCERENT *indicio detectas compressit, & alias alio tempore*. Vere Seneca in Oedipo (d):

——— cum magna horreas,
Quae posse fieri non putas, metuas tamen.

XXV. Majores vestri ne vos quidem, nisi quum aut vexillo in arce posito comitiorum caussa exercitus editus esset, aut plebi concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, forte temere coire voluerunt. *Concilium* a *comitiis* accurate separat Livius: *concilium* enim ad partem populi spectat, *comitia* ad universum. *Exercitum* edere heic est classes & centurias in campum Martium ad ferenda suffragia de rebus maximis educere, veluti ad magistratus majores creandos, leges ferendas, judicia exercenda, bellum decernendum. Centurias autem cum armis unicuique classi propriis adfuisse oportuit. Dionysius *lib.* VII. (e) συνῄει δὲ τὸ πλῆθος εἰς τὸ πρὸ τῆς πόλεως Ἄρειον πεδίον, ὑπό τε λοχαγοῖς καὶ σημείοις τεταγμένον, ὥσπερ ἐν πολέμῳ. *Conveniebatque multitudo ante Urbem in campum Martium sub signis cum suis centurionibus, non secus ac in militia*. Itaque, ut militari ratione omnia fierent, vexillum in arce Capitolina ponebatur: & forsitan ut curiatis comitiis per triginta lictores curiae vocabantur, ita centuriatis centuriae & classes per vexillum ex arce conspicuum; maxime si propter magnitudinem rerum, aut periculi, post Senatus auctoritatem, non satis temporis ad edictum Consulis aut Dictatoris proponendum suppeteret; neque trinundinum expectandum e republica videretur.

Haec concio, de qua agimus, videri potest ad populum habita, tanquam comitiis centuriatis, si attendas ad Tullii verba, superius allata ex *lib.* II. *de Legibus*: *Quo in genere severitatem majorum Senatus vetus auctoritas de* BACCHANALIBUS, *&* CONSULUM EXERCITU ADHIBITO *quaestio animadversioque declarat*. Verum Livius aperte inquit, Consules verba fecisse pro Rostris, & in foro: ex allato autem Dionysii loco satis constat, centuriata comitia in campo Martio extra pomoerium semper habita; quod pluribus probant Nic. Gruchius (a), & Joh. Rosinus (b), Gellii praesertim verbis (c) ex libro Laelii Felicis ad Q. Mutium: *Centuriata autem comitia (inquit) intra pomoerium fieri nefas esse, quia exercitum extra Urbem imperari oporteat, intra Urbem imperari jus non sit; propterea centuriata in campo Martio haberi, exercitumque imperari praesidii causa solitum: quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus*. Sed haec postrema prorsus inepta sunt. Nam ipse populus, qui suffragia centuriatis comitiis in campo Martio, & sub signis ferebat (ut ex Dionysio didicimus) exercitus erat, collectus ex classibus, centuriisque majorum natu, qui Romae remanebant ad Urbis custodiam; ut fuse idem Dionysius ostendit *lib.* IV. (d), ubi de Ser. Tullii prudentibus institutis verba facit. Non erat igitur opus alio exercitu praesidii caussa extra pomoerium: nam qui metus esse poterat, nisi ab ipso milite? Immo quaenam liberae liberi populi voces inter horrentia pila, ferocientesque milites, & sub Consulis imperio, minitantis potius quam suadentis, exaudiri potuissent? Ipse, inquam, populus satis validum praesidium centuriatis comitiis sibi erat. Quomodo igitur constabit Ciceronis τὸ EXERCITU ADHIBITO? quando de comitiis centuriatis post Senatusconsultum de Bacchanalibus nulla fit mentio apud Livium? neque exercitus Consulis praesidii caussa centuriatis comitiis adesse consuevit? Dixerim, de eo exercitu accipiendum esse Tullium, qui mox in Ligures ab altero Consulum Q. Marcio ducendus erat: vero est enim per quam simillimum, in magna Urbis trepidatione exercitum ad subitos rerum eventus in armis extra pomoerium stare jussum; ejusque partem Consuli Postumio traditam, donec quaestiones perficerentur, & Bacchanalia per totam Italiam diruerentur.

XXVI. Hoc sacramento initiatos juvenes milites faciendos censetis, Quirites? iis ex obscoeno sacrario deductis arma committenda? Nempe quaenam semiviris, & omnis turpitudinis genere inquinatis cura esse potest virtutis ac decoris? Probatae enim famae militibus uti consueverunt Romani. Polybius fragmento *de militia Romana* (e): ξυλοκοπεῖται δὲ καὶ ὁ κλέψας τι τῶν ἐκ τοῦ στρατοπέδου. καὶ μὴν ὁ μαρτυρήσας ψευδῆ, παραπλησίως. καὶ ἐάν τις τῶν ἐν ἀκμῇ παραχρησάμενος εὑρεθῇ τῷ σώματι. *Fuste caeditur etiam qui furto sustulerit quippiam e castris, nec non qui falsum testimonium dederit; & si quis flore aetatis abutens deprehendatur*. Insigne apud Valerium extat exemplum C. Pescennii Triumviri capitalis (f): *Qui Cornelium fortissime militiae stipendia emeritum, virtutisque nomine quater honore primipli ab imperatoribus donatum; quod cum ingenuo adolescentulo stupri commercium habuisset, publicis vinculis oneravit*. Item Cominii Tribuni plebis, qui diem ad populum dixit M. Laetorio Mergo tribuno militari, *quod cornicularium suum stupri caussa appellasset*.... *Signa illum militaria, sacratae a-*

a IV. *Annal.* b *lib.* V. *p.* 286. *Edit. Lips.* c *Cap.* XIX. d *vers.* 28. e *pag.* 464.

a *De comitiis lib.* I. *cap.* V. b *Antiqu. lib.* VI. *cap.* XI. c *lib.* XV. *cap.* XXVII. d *pag.* 221. *Edit. Lips.* e *ex lib.* VI. f *lib.* VI. *cap.* I. *comm.* X. XI.

quilæ & certissima Romani Imperii custos severa castrorum disciplina, usque ad inferos persecuta est: quoniam cujus MAGISTER ESSE DEBUERAT, *sanctitatis corruptor tentabat existere*. Equidem *hostes ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hyemem & æstatem juxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam, & laborem tolerare* si sciant milites, uti C. Marius de se prædicabat, apud Sallustium (*a*), hi demum Reip. ex usu erunt. Quamobrem nunquam a me impetrare potui ut laudarem vetustum in civitate nostra judicum rerum capitalium morem, qui non ad opus & metalla, non ad transtra & remos damnare purgamenta & fæcem vulgi quandoque consueverunt, sed ad militiam & bellicos labores in arcibus subeundos: quasi vero pudenda res esset militia, aut viri fortis officium a pessimis hominum expectari posset. Itaque honesti cives probro sibi ducunt inter gregarios milites nomen dare, vulgoque pessimo cuique pro *abi in malam crucem* dicimus, *abi & milita*. Contra, longa plurium annorum experientia compertum est, non præsidiarios arcibus imponi, non milites castris contineri, non bellatores adversus hostem duci, gloriæ & laudis cupidos; sed ignavos inertesque, honestum in pectore vulnus metuentes, & sæpenumero nefarios proditores, aut transfugas. Hæc omnia docet magistra flagitiorum voluptas. Rectissime Tarentinus Architas apud Tullium (*b*): *Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret*.

XXVII. Nunc illi vos singuli universos concionantes timent: jam, ubi vos dilapsi domos & in rura vestra eritis, illi coierint, consultabunt de sua salute simul ac vestra pernicie; tum singulis vobis universi timendi erunt.

Danda est opera, ne factiosis ex numero crescat audacia: ut enim Lucanus inquit (*c*):

Non pavidum jam murmur erat, nec pectore tecto
Ira latens: nam quæ dubias constringere mentes
Causa solet, dum quisque pavet, quibus ipse timori est,
Seque putat solum regnorum injusta gravari,
Haud retinet: quippe ipsa metus exolverat audax
Turba suos. quidquid multis peccatur inultum est.

Inde majus periculum in militaribus seditionibus. Paterculus (*d*): *Subita deinde exercitus seditio, qui plerumque contemplatus frequentiam suam a disciplina desciscit; & quod cogere se putat posse rogare non sustinet, partim severitate, partim liberalitate discussa Principis*. Tacitus quoque I. *Annal. Illi quoties oculos ad multitudinem retulerunt, vocibus truculentis strepere*. Contra pauci nihil agere vel audent, vel possunt. Livius (*e*): *Deinde paucitate parum freti, quæ celandæ rei quam agendæ aptior erat &c.*

Jam, ubi dilapsi domos & in rura vestra eritis, inquit noster. Nam honestissimi, præstantissimique Romanorum rure degebant, ut nunc Galli faciunt. Varro initio *lib.* II. *de Re rustica*: *Viri magni nostri majores non sine causa præponebant* (*f*) *rusticos Romanos urbanis; ut ruri enim qui in*

A *villa vivunt ignaviores, quam qui in agro versantur in aliquo opere faciundo; sic qui in oppido sederent, quam qui rura colerent desidiosiores putabant*. Fere eadem habet Columella *lib.* I. ubi infit etiam: *Illis enim temporibus (ut ante jam diximus) proceres civitatis in agris morabantur; & cum consilium publicum desiderabatur, a villis arcessebantur in Senatum, ex quo qui eos vocabant* VIATORES *nominati sunt* (*a*). Cicero *de Senectute*: *In agris erant tum senatores, id est senes. Siquidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum est, eum Dictatorem esse factum: cujus Dictatoris jussu Magister equitum C. Servilius Ahala Sp.*
B *Melium, regnum appetentem, occupatum interemit: a villa in Senatum arcessebantur & Curius, & ceteri senes: ex quo qui eos arcessebant*, viatores *nominati sunt* (*b*). Inde difficultas Appio Claudio cogendi Senatum ad compescendam plebem, & incœpta Icilii & Virginii, apud Livium *lib.* III.

XXVIII. Nihil enim in speciem fallacius, quam prava religio.

Quam flagitiosa ac propudiosa fuerint sacra Dionysia, & Bacchanalia, jam diximus; quam inquinati corruptique mores sacerdotum Deæ Syriæ,
C nullis non fallaciis ac technis plebeculam ludificantium, dum per compita & villas Deam mendicare cogerent, ostendit graphice Apulejus (*c*), aliique. De iisdem accipiendus Valerius, quum de Massiliensium civitate (*d*) inquit: *Omnibus autem, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærunt, clausas portas habet, & mendosam & fucosam superstitionem submovendam esse existimant*. Nullum non malum suadet prava religio. Tacitus III. *Annalium*: *Nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum, ut ceremonias Deum protegentis*. Sapienter Plutarchus in eo,
D quem *de superstitione* scripsit libro, circa finem, inquit, homines in impietatem non idcirco delapsos, quod in rerum hac universitate culpandum aliquid inordinatumque videretur: *ἀλλὰ τῆς δεισιδαιμονίας ἔργα καὶ πάθη καταγέλαστα, καὶ ῥήματα, καὶ κινήματα, καὶ γοητεῖαι, καὶ μαγεῖαι, καὶ περιδρομαὶ, καὶ τυμπανισμοί· καὶ ἀκάθαρτοι μὲν καθαρμοὶ, ῥυπαραὶ δὲ ἁγνεῖαι, βάρβαροι δὲ καὶ παράνομοι πρὸς ἱεροῖς κολασμοὶ καὶ προπηλακισμοί. Ταῦτα δίδωσιν ἐνίοις λέγειν ὡς μὴ εἶναι θεοὺς ἄμεινον, ἢ εἶναι, τοιαῦτα μὲν δεχομένους, τοιούτοις δὲ χαίροντας, οὕτω δὲ ὑβριστὰς, οὕτω δὲ μικρολόγους, καὶ μικρολύπους. οὐκ ἄμεινον οὖν ἦν Γαλάταις ἐκείνοις καὶ Σκύθαις τοπαράπαν μήτε*
E *ἔννοιαν ἔχειν θεῶν, μήτε φαντασίαν, μήτε ἱστορίαν, ἢ θεοὺς εἶναι νομίζειν χαίροντας ἀνθρώπων σφαττομένων αἵμασι, καὶ τελεωτάτην θυσίαν καὶ ἱερουργίαν ταύτην νομίζοντας; sed ridicula superstitionis opera atque affectus, verba, motus, præstigiæ, incantationes, circumcursitationes, tympanorum pulsationes, lustrationes impuræ, sordidæ castimoniæ, barbarica & injusta in templis supplicia, ac contumeliæ occasionem exhibuerunt nonnullis dicendi, præstare nullos esse Deos, quam qui talia probent, iisque delectentur, adeoque sint contumeliosi, sordidi, & morosi. Nonne enim magis expediebat*
F *Gallis istis & Scythis nunquam in mentem venisse aliquid de Diis, nihilque eos de ullo numine imaginatos fuisse, aut auditu precepisse, quam opinari Deos esse, qui sanguine jugulatorum hominum gaudeant, idque esse perfectissimum sacrificium statuant?* Hinc Tullius oratione *pro Cluentio* circa finem: *Quin etiam nocturna sacrificia, quæ putat occultiora esse, sceleratasque ejus preces, & nefaria vota cognovimus: quibus illa etiam Deos*

a *De Bell. Jugurth.* b *de senectute.* c *Pharsal. lib.* V. *v.* 256.—261. d *lib.* V. *cap.* LXXXI. e *lib.* XXXVIII. *in princ.* f *proponebant* habet editio *Aldina* 1533.

a *Græco vocabulo* κλήτορες. b Vide Rosin. *lib.* VI *c.* XV. c *lib.* VIII. *Metam.* d *lib.* II. *cap.* VI. *commate* VII.

immor-

immortales de suo scelere testatur; neque intelligit, pietate, & religione, & justis precibus Deorum menteis, non contaminata superstitione, neque ad scelus perficiendum cæsis hostiis posse placari. cujus ego furorem atque crudelitatem Deos immortaleis a suis aris atque templis aspernatos esse confido.

XXIX. Hac vos religione innumerabilia decreta pontificum, Senatusque consulta, aruspicum denique responsa liberant. Quoties hoc patrum avorumque ætate negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent?

Nemini ultionem divinam pertimiscendam esse, quod arcana impiaque sacra detegeret; quum jure publico Pop. Rom. nefas esset Deos alienos, advenas, nec publice adscitos colere (a). Revocanda in memoriam esse decreta pontificum, aruspicum responsa, divini juris interpretum, & Senatusconsulta de Diis peregrinis arcendis. In legibus Regiis scriptum erat, ut ex antiquissima tabula scripsisse Balduinus affirmat (b): DEORVM FABVLAS NE CREDVNTO. DEOS PEREGRINOS PRAETER FAVNVM NE COLVNTO. NOCTVRNAS IN TEMPLO VIGILIAS NE HABENTO. Unde Tullius (c): SEPARATIM NEMO HABESSIT DEOS, NEVE NOVOS, SED NE ADVENAS, NISI PVBLICE ADSCITOS, PRIVATIM COLVNTO. CONSTRVCTA A PATRIBVS DELVBRA HABENTO.

Senatus A. U. CCCXXXV. dederat *negotium Ædilibus, ut animadverterent, ne qui nisi Romani Dii, neu quo alio more quam patrio colerentur*, ut habet Livius (d). Item A. U. DXL. Coss. Q. Fabio Max. Tib. Sempronio Graccho II. *quum maxima in Urbe mulierum turba esset nec sacrificantium, ne c precantium Deos patrio more, M. Atilio Prætori Urbis negotium ab Senatu datum est, ut his religionibus populum liberaret*. Atilius pro concione Senatusconsultum recitavit, & edixit: *Ut quicumque libros vaticinos, precationesque, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes, literasque ad se ante Calendas Apriles deferret: neu quis in publico, sacrove loco,* NOVO, AVT EXTERNO RITV SACRIFICARET (e). Hinc Tullius (f): *Publicus autem sacerdos imprudentiam consilio expiatam metu liberet, audaciam in admittendis religionibus fœdis damnet atque impiam judicet.*

XXX. Vaticinos libros conquirerent, comburerentque: omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent.

Sacrificandi disciplinam ut plurimum a Græcis (g), sed haruspicinam & ostentorum procurationem maxime ab Etruscis Romani accepere. *Etruria autem* (inquit Tullius I. *de Divinatione*) *de cœlo tacta scientissime animadvertit; eademque interpretatur quid quibusque ostendatur monstris, atque portentis. Quo circa bene apud majores nostros Senatus, cum florebat imperium, decrevit ut de principum filiis sex singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter temeritatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem, atque quæstum.* Cujus rei rationem tradit paulo inferius: *Etrusci autem quod religione imbuti studiosius & crebrius hostias immolabant,* A *extorum cognitioni se maxime dediderunt: quodque propter aeris crassitudinem de cœlo apud eos multa fiebant, & quod ob eandem caussam multa insitata partim e cælo, alia ex terra oriebantur; quædam etiam ex hominum pecudumve conceptu & satu, ostentorum exercitatissimi interpretes exstiterunt; quorum quidem vim, ut tu soles dicere, verba ipsa prudenter a majoribus posita declarant. quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, prædicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur.* Locus Tullii, de *principum filiis sex singulis Etruriæ populis*, criticorum ingenia mirum in modum torquet: nam *decem*, non *sex* habet Valer. B *lib.* I. *c.* I. *Tantum autem studium antiquis non solum observandæ, sed etiam amplificandæ religionis fuit, ut florentissima tum & opulentissima civitate decem principum filii Senatusconsulto singulis Etruriæ populis, percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia, traderentur.* Itemque *decem* videtur in Cicerone legisse Lipsius *notis ad Valerium*. Dubitandi caussam præbet Dionysius Halicarnasseus, qui *lib.* VI. & IX. *duodecim* fuisse inquit Etruriæ populos, sive civitates. Si igitur in singulas Etruriæ civitates missi singuli principum Romanorum filii, jam constat numero fuisse XII. non VI. non X. itaque tam apud Ciceronem, quam apud Valerium C erit numerus corrigendus. Si sex in singulas civitates, uti sonant Tullii verba, emerget numerus LXXII. & Valerius omnino corrigendus, ne fiat nimius adolescentium Romanorum numerus, CXX. *Sex* enim *singulis Etruriæ populis*, vel *decem singulis Etruriæ populis*, nemo Latine doctus (aut ego valde fallor) ita accipiet, ut sex, aut decem in universum adolescentes, traditi fuerint Etruriæ quotquot erant civitatibus; ut accipere videtur Th. Dempsterus (a), quum inquit: *Quam ego gravem controversiam ita componendam censeo, ut e duodecim illis primariis civitatibus sex fuerint di-* D *gnitate eminentiores, ac prærogativa quadam ceteris prælatæ; quare Cicero sex optimatum filios in sex præcipuas e duodecim Tusciæ civitates amandatos scribit.* Conjecturam de sex præcipuis civitatibus laudo. Verum non hoc inquit Cicero, sex in totum optimatum filios Etruriæ civitatibus in disciplinam traditos, sed *sex singulis Etruriæ populis*; ut numerus necessario fuerit LXXII. si XII. dicantur fuisse Etruscorum populi. Quod nec mirum: neque enim quotannis mittendi erant; neque senarius haruspicum numerus sufficere poterat Romanis, Urbe, rure, in coloniis, in municipiis, in provinciis, in castris, apud signa, & ubique osten- E ta, & prodigia procurantibus. Longe aliæ fuere XII. Urbes cistiberinæ a Tyrrhenis habitatæ, quarum caput fuit Capua, de quibus meminit Strabo *libro* V.

Cæterum disciplina sacrificandi continebatur libris Pontificum ex instituto Numæ Pompilii: de quo Liv. *lib.* I. *Pontificem deinde Numa Marcium Marci filium ex patribus legit: eique omnia exscripta exsignataque attribuit: quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent: atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subjecit: ut esset quo consultum plebs veniret; ne* F *quid divini juris, negligendo patrios ritus, peregrinosque adsciscendo, turbaretur.* Dionysius (b) tradit, Numam omnia, quæ ad religionem pertinebant, octo libris fuisse complexum, juxta totidem sacrorum classes. Itaque primam sacrorum munerum institutionem tradidisse triginta *Curionibus*, qui publica pro suis curialibus sacra faciebant. Secundam *Flaminibus* (quos Græci στεφανηφόρους vocabant,) a pileorum & coronamentorum gestatione dictos,

a Confer Dionysii locum supra allatum, *pag.* hujus operis 848. 849. b apud Rosin. *lib.* VIII. *cap.* V. quod ex Dionysio videtur desumtum. c II. *de Legibus*. d *lib.* IV. e *Idem Livius l.* XXV. f *l.* II. *de leg* g *Dionys. lib.* VII. *pag.* 478.

a *Etruria Regalis lib.* IV. *c.* VIII. b *lib.* II. *pag.* 124.—133.

quæ *flamina* a Romanis dicebantur. Tertiam *Tribunis celerum*, regii corporis stipatoribus, qui peculiaria quædam ac solemnia peragebant sacra. Quartam *Auguribus*, quorum erat signa divinitus edita interpretari, ac enarrare quid ea publice privatimve indicarent. Quintam *Virginibus Vestalibus*, quibus sacrum perpetuumque ignem custodiendum tradidit, Albano instituto, quum templum Vestæ ædificasset. Sextam *Saliis* XII. a se institutis, delectisque e juvenum patriciorum numero, qui sacra in Palatio peragebant, armatique choreas per urbem ducebant; &, si Græco nomine interpretari velis, sunt Κούρητες (a). Septimam sacrarum legum partem dedisse *fecialibus*, quos Græci *εἰρηνοδίκας* dicerent, pariter ab ipso Numa institutis. Spectabant potissimum hæ leges ad *jus Gentium* sanctissime colendum: nam quid fas, quidve nefas esset in bello decernendo, indicendoque, quid in pace servanda, omnique conatu custodienda, complectebantur. Octavam tandem *Pontificum collegio*: quorum erat omnes lites de re sacra judicare; uti & inter privatos, & magistratus, & sacrorum ministros; sancire de sacris, quæ nondum usu recepta fuissent; inquirere in omnes magistratus, quibus sacrificia, & Deorum cultus erat commissus; sacrorum ministros in officio continere, ne quid contra sacras leges delinquerent; Deorum cultum rudi vulgo præmonstrare, & interpretari; animadvertere pro delicti magnitudine in eos, qui sua præscripta contemnerent. Ipsi contra, a judiciis & mulctis immunes, nec Senatui, nec populo rationem reddere tenebantur. In defuncti autem locum alius ab ipso collegio, ex omni civium numero maxime idoneus judicatus, non populi suffragiis eligebatur. Horum omnium auctor Numa: & nihilominus Ann. Urbis DLXXIII. M. Bæbio Tamphilo, P. Cornelio Cethego Coss. reperti Numæ libri de jure sacrorum, quia ad solvendam religionem facere videbantur, cremati sunt. Livius *libro* XL. *Eodem anno in agro L. Petilii scribæ sub Janiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram, duæ lapideæ arcæ, octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ inventæ sunt, operculis plumbo devinctis. literis Latinis Græcisque utraque arca inscripta erat. in altera Numam Pompilium, Pomponis filium regem Romanorum sepultum esse, in altera libros Numæ Pompilii inesse. Eas arcas quum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quæ titulum sepulti regis habuerat inanis inventa, sine ullo vestigio corporis humani, aut ullius rei, per tabem tot annorum omnibus absumtis. In altera duo fasces, candelis involuti, septenos habuere libros, non integros modo, sed recentissima specie: septem Latini de jure Pontificio erant, septem Græci de disciplina sapientiæ, quæ illius ætatis esse potuit. Adjicit Antias Valerius, Pythagoricos fuisse; vulgatæ opinioni, qua creditur Pythagoræ auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide. Primo ab amicis, qui in re præsenti fuerunt, libri lecti; mox pluribus legentibus quum vulgarentur, Q. Petilius Prætor Urbanus, studiosus legendi eos libros, a L. Petilio sumpsit. & erat familiaris usus, quod scribam eum quæstor Q. Petilius in decuriam legerat. lectis rerum summis, quum animadvertisset pleraque dissolvendarum religionum esse, L. Petilio dixit, sese eos libros in ignem conjecturum esse. Prius quam id faceret se ei permittere, uti, si quod seu jus, seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur; id integra sua gratia eum facturum. Scriba Tribunos plebis adit. ab Tribunis ad Senatum res est rejecta. Prætor se jusjurandum dare paratum esse ajebat, libros eos legi servarique non oportere. Senatus censuit, satis habendum quod prætor jusjurandum polliceretur, libros primo quoque tempore in comitio cremandos esse. pretium pro libris quantum Q. Petilio prætori, majorique parti tribunorum plebis videretur, domino esse solvendum. Id scriba non accepit. Libri in comitio, igne a victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt (a).* Scriba *Cn. Terentius* est Plinio (b), qui paulo aliter rem narrat ex Annalibus Cassii Heminæ, & Commentariis C. Pisonis. Plutarchus (c) ex Valerio Antiate scribit, *duodecim* latinos repertos de rebus sacris, totidemque Græcos de studio sapientiæ. Tumulum perruptum magnis imbribus, arcasque eluvie erutas, quarum opercula vetustate defluxerant: libros tamen ex Petilii Prætoris sententia crematos: *διὸ καὶ κομισθείσας εἰς τὸ κομίτιον τὰς βίβλους κατακαῦσαι. Quare delati in comitium libri cremati sunt*. Sic Augustus: *Quidquid fatidicorum librorum Græci, Latinique generis, nullis, vel parum idoneis auctoribus, vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito: condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. (d).*

XXXI. Ne quid fraude noxiorum periculi ac tumultus oriatur.

Magnum imminet periculum, ubi metus pœnæ noxios ad desperationem adegit: nam, ut inquit Seneca in Hercule Oetæo, *v.* 443.

Contempsit omnes ille, qui mortem prius.

Et Juvenalis *Satyra* VI. *v.* 284. — 285.

—— —— *nil est audacius illis*

Deprensis; iram atque animos a crimine sumunt;

Huc faciunt illa Taciti I. *Annal. Nihil in vulgo modicum: terrere ni pareant: ubi pertimuerint, impune contemni:* & infra de Mænio castrorum Præfecto: *postquam intutæ latebræ, præsidium ab audacia mutuatur.* Nam quum desperatio, auctore Tullio (e), *sit ægritudo sine ulla rerum expectatione meliorum*, omnia audere, ac pati, ut ad salutem aliquo modo enitantur, desperati solent; saltem ut cum aliqua fama fortitudinis haud inulti mortem oppetere videantur; &, si fors tulerit, etiam evadant. Justinus *lib.* XX. tametsi alio respicit: *Sed dum mori honeste quærunt, felicius vicerunt. Nec alia caussa victoriæ fuit, quam quod desperaverint.*

XXXII. Capita autem conjurationis constabat esse M. & L. Catinios de plebe Romana, & Faliscum L. Opiternium, & Minium Cerrinium Campanum, ab his omnia facinora, & flagitia orta; eos maximos sacerdotes, conditoresque ejus sacri esse: data opera est ut primo quoque tempore comprehenderentur.

Et Falisci (f), & Campani erant Etruscæ originis: idcirco Bacchanaliorum studiosi, quæ Græcus ignobilis in Etruriam invexerat. Hi Romæ sacerdotes & conditores turpis sacri. Hi merito pœnas dederunt una cum Romanis Catiniis. Nec tamen a suppliciis cessatum, sed ultra sævitum. Sic detecta Tarquiniensium conjuratione summam severitatem inter tutiora consilia habuere Romani. Dio-

a Vide de Saliis Plutarchum in *Numa*.

a *Valer. lib.* I. *cap.* I. *comm.* XII. b *Plin. lib.* XIII. *cap.* XIII. c *in Numa pag.* 74. d *Sueton. in Aug. cap.* XXXI. e *Tusculan. quæst. lib.* IV. f *Dempster. Etrur. Reg. lib.* IV. *cap.* XII.

A nysius *lib.* V. *Tarquiniis conspirationis indicibus darijus civitatis, & utrique argenti decies millenas drachmas, & agri ex publico vicena jugera: socios autem conjurationis comprehendi & necari, si idem videretur. Quumque collecta multitudo ratum faceret Senatus decretum, jusserunt e foro secedere qui ad concionem convenerant; deinde ministros cum gladiis arcessiverunt, totamque conjuratorum turbam trucidare jusserunt. qui sontes, quo loco circumclusi erant, undique cinctos omnes ad unum confecerunt. Quo facto, consules contra neminem amplius admiserunt judicium: sed quotquot e conspiratis præsentem pœnam effugissent, omnes absolverunt a crimine,* B *ut omnis turbarum materia aboleretur.* Livius, cui major in hac re adhibenda fides, haud conclusam turbam, & trucidatam scribit, sed ita rem gestam narrat, ut facile intelligas, conjuratos in vincula conjectos, demum damnatos & securi percussos fuisse. Sic enim ait *lib.* II. *Consules ad deprehendendos legatos, conjuratosque profecti domo, sine tumultu rem omnem oppressere.* Et infra: *Direptis bonis regum, damnati proditores, sumtumque supplicium* .... Tandem *Consules in sedem processere suam: missique lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securique feriunt.* Sic *libro* XXXII. de conjuratione C Carthaginensium servili: *Haud ita multo post ex ejusdem conjurationis reliquiis nuntiatum est servitia Præneste occupatura. Eo L. Cornelius Prætor profectus de quingentis fere hominibus, qui in ea noxa erant, supplicium sumsit.* Est tamen ubi mitius agendum pro temporum ratione, & magnitudine periculi. Idem Livius (*a*): *Consules per paucorum supplicium, quos sibimet ipsos conscivisse mortem satis creditum est, transacta re, nequivere tamen consequi ut non ægerrime id plebs ferret.* Quod an e republica fuerit, serio animadvertant politici; ut enim inquit Sallustius ad Cæsarem D de rep. ordinanda: *Cuncta imperia crudelia magis acerba quam diuturna arbitror: neque quemquam in multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat.* & infra: *neque quisquam te ad crudeles pœnas, aut acerba judicia invocat, quibus civitas vastatur magis quam corrigitur.* Quo spectant illa Augustini (*b*): *Magis monendo, quam minando. Sic enim agendum cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum.* Itaque sortitionem excogitarunt viri prudentes, ut unus e multis, aut decimus quisque, vel vicesimus peccantium pœnas lueret. Cicero pro Cluentio: *Ne nimium multi pœnam subirent, sortitio* E *comparata est*: quæ tamen Tiberii ævo fere obsoleverat, ut ex Tacito liquet (*c*): *Quæ postquam L. Apronio (nam Camillo successerat) comperta, magis dedecore suorum quam gloria hostis anxius,* RARO EA TEMPESTATE, ET E VETERE MEMORIA FACINORE, DECVMVM QVEMQVE IGNOMINIOSAE COHORTIS SORTE DVCTOS *fuste necat.* quod genus fuisse militaris animadversionis supra ex Polybio vidimus. Decimationis exempla habes apud P. Fabrum *semestrium lib.* I. *c.* XVIII. (*d*)

Illud in allatis exemplis notatu dignum est, neminem conjuratorum ad fana & aras Deorum confugisse. Insigniter igitur sceleslis ne Romuli qui- F dem asylum patebat, contra quam vulgo tradunt (*e*). Nec silentio prætereundum quod tametsi ex solo consensu nemo pœnæ subjici consuevit (*f*), in principatu tamen conjurationis conscii puniuntur (*g*); si quidem facti initium conjunctum fuerit cum voluntate peccandi (*h*).

a *lib.* IV. b *Epist.* LXIV. c III. *Annal.* d Vide Grot. *de Jur. bell. & pac. lib.* III. *c.* XI. §. XVII. e Vide Corasium *lib.* V. *cap.* XXIII. f *l.* 18. *D. de pœnis*. g *l.* 5. *C. ad leg. Ju. majest.* h *Cujac. ad l.* 225. *de V. S.*

XXXIII. Adducti ad Consules, fassique de se nullam moram judicio fecerunt.

Juvenalis *Satyra* XIII.

> *Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi*
> *Displicet auctori, prima est hæc ultio, quod se*
> *Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis*
> *Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.*

& infra *v.* 193. — 198.

> —— —— *quos diri conscia facti*
> *Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,*
> *Occultum quatiente animo tortore flagellum?*
> *Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,*
> *Quas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamantus,*
> *Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

Quæ desumpta videntur ex Lucretii *libro* III. *v.* 1031. — 1032.

> —— —— *at mens sibi conscia facti*
> *Præmetuens adhibet stimulos, torretque flagellis.*

Recte Petronius: *Dii, Deæque! quam male est extra legem viventibus: quidquid meruerunt semper expectant.* De Cornelio Cethego Cicero I. *in Catilinam: Tum ille, subito scelere demens, quanta conscientiæ vis esset, ostendit. Nam quum id posset inficiari, præter opinionem omnium confessus est.* Et pro Milone: *Magna vis est conscientiæ, Judices, & magna in utramque partem: ut neque timeant qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent qui peccarint.* Item pro L. Calpurnio Pisone: *Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. hæ sane sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.* Hinc Plautus *Mostellaria Actu* III. *sc.* I.

> —— —— *at quam timeo miser!*
> *Nihil est miserius quam animus hominis conscius.*

XXXIV. Quia multis actiones & res peribant, cogerentur prætores T. Mænius, & M. Licinius per Senatum res in diem tricesimum differre, donec quæstiones a Consulibus perficerentur.

Perire pro *extingui*, *evanescere* de rebus etiam inanimatis frequentissime usurpatur; ut *periere tabellæ* apud Propertium (*a*).

> *Ergo tam doctæ nobis periere tabellæ?*
> *Scripta quibus pariter tot periere bona.*

Et alibi apud eundem dicitur *hora perire* (*b*):

> *Hic ubi Tartareæ non perit hora moræ.*

Et *perire noctes lib.* II. *El.* 21. Sic Lucretius (*c*):

> *Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profusa,*
> *Vitaque in offensu est, cur amplius addere quæris*
> *Rursum quod pereat male, & ingratum accidat omne?*

a *lib.* III. *Eleg.* 23. b *lib.* IV. *Eleg.* 8. c *lib.* III. *v.* 953. — 955.

Hinc commodissime Ulpiano Jurisconsulto (*a*) dicitur argentum perire: *Si cum emere argentum velles, vascularius ad te detulerit, & reliquerit; & cum displicuisset tibi, servo tuo referendum dedisti, & sine dolo malo & culpa tua perierit, vascularii esse detrimentum*. Sic patrono dicuntur *perire dies* apud Paulum *lib.* XL. *ad Edictum* (*b*): *Sed qui dies interea cesserint, dum Romam venit, patrono perire*. Et *actiones* Cajo, libro ad Edictum Prætoris Urbani (*c*): *Omnes actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio salvæ permanent*.

Dum itaque quæstiones haberentur a Consulibus, multis peribant actiones; non inquam actiones perpetuæ civiles, quæ ex legibus, & Senatusconsultis descendebant, sed temporales ex Edicto Prætoris; & maxime pœnales, ut *furti*, *damni injuriæ*, *injuriarum atrocium*, *de incendio*, *ruina*, *naufragio*, *rate nave expugnata*, de quibus Ulpianus *lib.* II. *ad Edictum* (*d*). Temporalis, & tantum per sex menses utiles, inter Ædilicias actio *redhibitoria*, ut tradit Ulpianus ad *Edictum Ædilium Curulium* (*e*), & Papinianus *libro* XII. *Responsorum* (*f*). Item *rescissoria*, quæ datur contra jus civile (*g*). Hinc frequens disceptatio, an ejus temporis postremum diem sufficiat cœptum esse, an oporteat esse finitum, ut actio dicatur extincta (*h*).

Quum igitur non esset experiundi potestas adversus fuga dilapsos, vel quæstionibus capitalibus implicitos; quidam etiam arrepta occasione turbatæ civitatis latitarent, sed revera judicii vitandi causa (*i*); necessario plerisque actiones temporales, & in personam peribant: dilabebantur enim certi legitimique dies vocandi in jus, & contestandi litem, quod est Cajo *actionem judicio includere*: nam lite contestata temporales actiones fiebant perpetuæ. Et hoc est, quod inquit Paulus *libro* XXIV. *quæstionum* (*k*): *Neque enim deteriorem causam nostram facimus actionem exercentes, sed meliorem, ut solet dici, in his actionibus, quæ tempore, vel morte finiri possunt*.

Peribant etiam res, puta si essent ex earum genere, quæ servando non servantur; & plurimæ earum, quas actionibus *depositi*, *commodati*, *ex empto*, *ex donato* repetere oportebat; maxime si pactum speciale intercessisset, eas periculo emptoris, vel venditoris per aliquot dies fore. Unde Ulpianus (*l*): *Item si res tempore perituræ sunt*, *aut actionis dies exiturus est*. De his sane rebus jus dici posse, inquit, etiam messis, & vindemiarum tempore, ne propter hujusmodi ferias *pereant actiones*.

XXXV. Mulieres damnatas cognatis, aut quorum in manu essent, tradebant.

Sic Valerius (*m*): *Consimili severitate Senatus postea usus, Sp. Postumio Albino, & Q. Marcio Philippo Coss. mandavit, ut de his, quæ sacris Bacchanalibus incestu usæ fuerant* (*incestu*, coitu non legitimo, sine *cestu*. Alii legunt *incestæ visæ*. Forsan legendum *incestuosæ fuerant*) *inquirerent. A quibus cum multæ essent damnatæ, in omnes cognati intra domos animadverterunt*. Et commate sequenti de Publicia & Licinia inquit: *Publicia autem quæ Postumium Albinum Consulem, item Licinia quæ Claudium Asellum, viros suos, veneno necaverant, propinquorum decreto strangulatæ sunt*. Recte, quantum ad historicam veritatem attinet; quam tamen Valerius, dum argutiolas pro suo ingenio sectatur, corrumpit, subdens: *non enim putaverunt severissimi viri in tam evidenti scelere longum publicæ quæstionis tempus expectandum*. Atqui nemo veneficium *evidens scelus* appellaverit; nec nisi more & instituto majorum mulieres judicio propinquorum permissæ: immo ex lege Romuli. Dionysius *lib.* II. (*a*) ἁμαρτάνουσα δέ τι, δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμβανε, καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον. *Si autem aliquid peccasset, pœnam luebat ex mariti læsi arbitrio. De hujusmodi criminibus cognati cum ipso cognoscebant*. Idcirco Tacitus (*b*): *Et Pomponia Græcina, insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britannis retulit, nupta, ac superstitionis externæ rea, mariti judicio permissa. Itaque* PRISCO INSTITUTO PROPINQUIS CORAM, *de capite fortunaque conjugis cognovit, & insontem nuntiavit*. Accusatam Christianismi Pomponiam suspicatur Tillemontius *in Nerone*, quod a Lipsio accepit *commentariis ad Tacitum*: sed nullo exemplo id probes. Palam ad sacrificandum Diis patriis, imaginibusque Principum (*c*) adigebantur qui in Christianismi suspicionem venerant, ut re ipsa dignosceretur, an Christo nomen dedissent; & nimia fuisset Neronis persecutoris erga Græcinam clementia, si de ejus crimine (ut putabatur) judicium Plautio permisisset. Quamobrem verius puto, delatam Pomponiam quasi sacris Isiacorum initiatam, quæ sub Tiberio eliminata fuerant, ut supra dictum est.

Heic tamen mulieres damnatæ a judicibus traditæ dicuntur *cognatis*, *aut quorum in manu essent*; nempe vel parentibus, vel maritis, quibus essent matresfamilias, quorumque in manus justis nuptiis convenissent: nec mirum, quando, detecta olim Tarquiniensium conjuratione, datum fuit a Consulibus patri ministerium pœnam coram universo populo sumendi de liberis: *Direptis bonis Regum* (inquit Livius *lib.* II.) *damnati proditores, sumtumque supplicium; conspectius eo quod pœnæ capiendæ ministerium patri de liberis Consulatus imposuit; & qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit*. Adeo sanctum fuit jus potestasque parentum in vitam liberorum, ut ne quidem in perduellionis crimine violatum aut deminutum fuerit.

Quibus mulieribus nec parentes, nec mariti fuere, traditæ sunt cognatis: nempe quia in perpetua erant tutela, non utique pupillari, sed muliebri. Idem Livius (*d*): *Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, in manu esse* PARENTUM, FRATRUM, VIRORUM. Quod tutelæ genus confirmatum fuit *lege Claudia* (*e*). Intra domesticos parietes in mulieres, bacchanalibus sacris pollutas, animadversum est, quum ut consuleretur pudori, tum ne pluribus cædibus suppliciisque facies Urbis dehonestaretur, neve plebs flecteretur ad misericordiam. Sic de Tiberio Tacitus (*f*): *Nec Tiberius pœnam ejus palam ausus, in secreta palatii parte interfici jussit, corpusque clam auferri*.

XXXVI. Datum deinde Consulibus negotium est, ut omnia Bacchanalia Romæ primum, deinde per totam Italiam diruerent.

Bacchanalia, loca ubi fiebant bacchationes. Ea diruenda censuit Senatus, præter quam si quid ibi sacri esset, ut docet nostra tabula: id est, interprete Livio, si

a *l.* 20. §. *ult. D. de præscript. verbis*. b *l.* 20. §. 1. *D. de oper. libertor.* c *l.* 139. *D. de regul. Jur.* d *l.* 3. *de feriis*. e *l.* 19. §. *ult. D. de Ædilitio Edicto*. f *l.* 55. *eod. tit.* g §. *casus est Instit. de action.* h *Duaren. ad titul. de obligat. & action. cap.* VIII. i *Ut l.* 3. *D. de Judiciis*. k *l.* 19. *D. de novationib.* l *cit. l.* 3. *D. de feriis*. m *lib.* VI. *c.* III. *comm.* VII.

a *pag.* 95. b XIII. *Annal.* c *Plin. epist.* XCVII. *libri* X. d *lib.* XXXV. e *Revard. lib.* I. *var. c.* X. f II. *Annal.*

qua ibi vetusta ara, aut signum consecratum esset, rite per Pontifices, & more majorum. Placuit itaque Consulibus Edicta mittere per universam Italiam uno exemplo, quo Senatus sententia in notitiam hominum perveniret. Et nihilominus A. U. DLXXI. Bacchanalia vires resumere in Apulia cœperunt. Livius *libro* XL. *L. Duronio Prætori, cui provincia Apulia evenerat, adjecta de Bacchanalibus quæstio est, cujus residua quædam veluti semina ex prioribus malis jam priore anno apparuerant.* Quæ verba mirum quantum nostram conjecturam illustrant de Bacchanaliorum origine ab Etruscis sive Tyrrhenis, accolis Jonii, & Tarentini sinus.

Reliqua Livii verba, paucis admodum mutatis, ex ipso Senatusconsulto descripta videntur.

XXXVII. Quum in Senatu centum non minus essent.

Malim cum nostra tabula: *dum in Senatu*. Legitimus ad S. C. faciendum numerus haud puto semper idem; sed pro aucto Senatorum numero major. Principio Romulus centum e præstantioribus viris elegit ipse, vel ut Tribus legerent curavit. Totidem additi post confectum bellum Sabinum, Tatiumque in societatem regni Romani adscitum (*a*). Tarquinius Priscus ad firmandam vim principatus alios centum addidit, ut fierent omnino CCC. quem numerum, a Tarquinio Superbo cædibus & expulsionibus imminutum, ejectis tandem regibus, L. Junius Brutus, P. Valerius Poplicola supplevere. Circa A. U. DCXXXII. C. Sempronius Gracchus Tribunus plebis totidem ex equestri ordine adjecit, & sic lege DC. Senatores facti sunt, quæ, brevi aut antiquata, aut abrogata, a M. Livio Druso relata est, teste Appiano (*b*). *Lege* quoque *Plotia* Senatorum numerus nimium auctus est; quum M. Plautius Sylvanus Trib. pl. fecisset ut equites & plebs novo exemplo cum Senatoribus judicarent, A. U. DCLXIV. Inquit enim Asconius *in Orat.* pro Cornelio: *M. Plautius Sylvanus Tr. pl. Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone Coss. secundo anno belli Italici, cum equester ordo in judiciis dominaretur, legem tulit adjuvantibus nobilibus, quæ lex vim eam habuit, quam Cicero significat; nam ex ea lege Tribus singulæ ex eo munere quinos denos suffragio creabant, qui eo anno judicarent, ex eo factum est ut Senatores quoque in eo munere essent, & quidam etiam ex ipsa plebe.* L.Cornelius Sulla Dictator Senatum exhaustum supplevit trecentis ex equestri ordine selectis (*c*). Verum Ciceronis ætate haud magnus Senatorum numerus fuit: is enim *Epistola* 1. ad Q. Fratrem inquit: *Sane frequentes fuimus: omnino ad ducentos.* Demum a Triumviris reip. constituendæ, & a Cæsaribus mirum quantum auctus fuerit, & ex fæce & colluvie civitatis, ut haberent instrumenta servitutis; tametsi Suetonius in Augusto habet (*d*): *Senatorum affluentem numerum deformi & incondita turba (erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmium allecti, quos abortivos (e) vulgus vocabat) ad modum pristinum & splendorem redegit duabus lectionibus: prima ipsorum arbitratu, quo vir virum legit; secunda suo, & Agrippæ &c.*

Quum igitur A.U. DLXVII. quo nostrum Senatusconsultum factum est, Senatores essent in totum CCC. quorum plurimi propter ætatem & valetudinem excusarentur, multi quoque legationibus, militia, aliisve de caussis abessent, visus est centenarius Senatorum numerus, ut minimum, adesse oportere; quo, Prætore urbano referente, potestas a Senatu fieret habendi Bacchanal. Aucto postea *Sempronia* & *Cornelia* lege Senatu, legitimus numerus fuere ducenti, maxime vero quum aliquem legibus solvi placebat, ut docet Asconius *argumento in Cornelianam* Ciceronis: *Actum deinde eadem de re in Senatu magnis contentionibus. Tum Cornelius ita ferre rursus cœpit, ne quis in Senatu legibus solveretur, nisi CC. affuissent, neve quis, cum solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur.* Atqui paucis interjectis annis legitimus Senatus fuere quadringenti: inquit enim Dion (*a*) de Augusto verba faciens: *Cum videret Senatum non semper frequentem convenire, decrevit ut ejus Consulta etiam a paucioribus quam a quadringentis fierent. Prius enim non aliter, quam eo numero constante, rata esse poterant.* Igitur assentiri non possum Connano, qui (*b*) putat, Alexandri Severi temporibus numerum lege definitum ad Senatusconsultum perficiendum fuisse L. Senatorum; nam Lampridii verba in Alexandro Severo, quæ ad id probandum citat, obscura sunt, ut ipsemet fatetur, & forsitan interpolata.

XXXVIII. Aliud deinde huic conjunctum, referente Q. Marcio Cos. Senatusconsultum factum est, ut de iis, quos pro indicibus Consules habuissent, integra res ad Senatum referretur, quum Sp. Postumius quæstionibus perfectis Romam redisset.

Profecto ad quæstiones exercendas Postumio hoc aliud Senatusconsultum factum est, referente Q. Marcio, qui exemplum singularis modestiæ præbuit, integrum de indicibus negotium collegæ reservando, quo referente de Bacchanalibus actum in Senatu fuerat. Eodem die nec duo Senatusconsulta fieri, neque bis Senatum haberi licebat, quamquam dicendo diem eximere usque ad Solis occasum nemo per leges vetabatur. Julius Capitolinus id docet *in Maximino*, de Gordiano verba faciens: *Hic annum agens ætatis quartumdecimum statim raptus est, &* NOVO GENERE *Senatusconsulti, quum eodem die Senatusconsultum factum esset, inductus in Curiam Cæsar est appellatus.* Quod Gulielmus Budæus adnotavit ad *l.ult. D. de Senatoribus.*

Singulis his centena millia æris Quæstores urbani ex ærario darent.

P. Æbutio, & Hispalæ Feceniæ *centena millia æris*, supple *gravis*, idest assium libralium, ne fiat summa nimis exigua præmium homini ingenuo, & ex ordine equestri. Quot millia æris data fuerint servo, indici conjurationis Tarquiniensium, silentio prætermisit Livius (*c*): *Præmium indici pecunia ex ærario, libertas, & civitas data. Ille primum dicitur* VINDICTA *liberatus: quidam* VINDICTAE *quoque nomen ab illo tractum putant &c.* Utrique argenti decies millenas drachmas, scribit Dionysius *libro* V. Alibi (*d*) Livius, ubi de Carthaginiensium obsidum conjuratione ad Setiam, inquit: *Egregia duorum opera servorum indicum, & unius liberi fuit. Ei centum millia gravis æris*

a *Dionys. lib.* II. b *lib.* I. *Bellor. Civil.* c Vide *Rosin. Antiq. lib.* VII. *cap.* V. *& Sigon. lib.* II. *de antiq. jur. civ. Roman.* d *Cap.* XXXV. e Recentiores editiones habent *orcivos*.

a apud *Rosin. lib.* VII. *cap.* VII. b *Comment. jur. civil. lib.* I. *cap.* XIV. *n.*2. c *lib.* II. d *lib.* XXXIV.

A *dari patres jusserunt. Servis vicena quina millia æris, & libertatem; pretium eorum ex ærario solutum est dominis:* ubi notandum libero data C. millia æris GRAVIS; servis XXV. millia *æris*, sine alio additamento, ut intelligi possint asses tantummodo unciales. *Æbutio* igitur centena millia æris gravis, totidemque Feceniæ libertinæ.

XXXIX. Utique Cos. cum Tribunis plebis ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, ut P. Æbutio emerita stipendia essent, ne invitus militaret, neve Censor ei equum publicum assignaret.

B Idest, ut Æbutius, quasi esset quinquagenario major, militare non cogeretur, sed vacationem haberet perpetuam, & commoda omnia veteranorum. Equestri loco natus erat, quippe cujus pater equo publico stipendia fecerat: igitur perinde haberi cœpit ac si dena meruisset; qui legitimus ordini equestri numerus (*a*), ut Lipsius conjicit ex illis Livii verbis (*b*), ubi de equitibus, qui ex Cannensi clade superfuerant: *Ne præterita stipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent.*

C Sed cur opus plebiscito? forte quia ut delectus haberi a Consulibus non poterant, nisi Tribuni plebis consentirent (quod ex Livio discimus *libro* III.) ita nec injussu plebis militaria decora, immunitas, & vacatio cuiquam tribui, qui stipendia non fecisset, æquum videbatur. Quinimmo de hujusmodi caussis militaribus soli Tribuni plebis cognoscebant, ut idem Livius docet *libro* XXXIV. ubi de militibus urbanarum legionum disserit, qui Anno Urbis conditæ DLIX. Coss. P. Cornelio Scipione Africano II. Tib. Sempronio Longo, frequentes adierant Tribunos, uti caussas cognoscerent eorum, quibus emerita stipendia aut morbus caussæ essent quo minus militarent: *Ob eas res tumultum esse decrevit Senatus: Tribunos plebis non placere caussas militares cognoscere, quo minus ad Edictum conveniretur* (*c*). Præterea quum cetera omnia in hoc negotio perfecisset Senatus, plebem de P. Æbutii præmiis rogandam esse censuit, ad declinandam invidiam. Scite Vellejus Paterculus (*d*) de M. Livio Druso: *In iis ipsis, quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium; non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandæ illiciendæque multitudinis caussa fieri, ut minoribus perceptis majora permitteret.* Dilatam fuisse puto rogationem tribuniciam ad diem IV. Idus Decembris, quo novi Tribuni eo anno magistratum inierunt.

XL. Utique Feceniæ Hispalæ datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset.

F *Per hæc* (inquit Johannes Doujatius Antecessor Parisiensis, qui Livium ad usum Serenissimi Delphini enarravit) *eximebatur Hispala, mulier libertina, jure patronatus, ita ut ei in posterum concederetur potestas alienandi res suas, & patrimonium diminuendi auctore tutore, quem sibi ipsa elegisset.* Atqui jamdiu solutam fuisse jure patronatus, & Atilianum tutorem a Tribunis & Prætore accepisse Feceniam, docet in superioribus Livius: *Ut post patroni mortem*, QUIA IN NULLIUS MANU ERAT, *tutore a Tribunis, & Prætore petito, quum testamentum faceret &c.* Per mortem igitur patroni, fortasse sine liberis, exemta fuerat jure patronatus, nactaque liberam bonorum administrationem, testamentique factionem. Quare id tantum consecuta est beneficio Senatus, ut ei liceret habere tutorem, quem vellet, tutela muliebri, non pupillari, de qua supra dictum est, & nubere non modo extra familiam patroni, verum etiam ingenuo.

XLI. Utique ei ingenuo nubere liceret, neu quid ei qui eam duxisset ob id fraudi ignominiæque esset.

Anno igitur ab Urbe condita DLXVII. haud licebat ingenuo libertinam ducere, præsertim quæ corpore quæstum fecisset. Licuit postea, exceptis Senatoribus liberisque eorum, per legem Juliam & Papiam Poppæam, quæ lata est An. Urb. DCC. LXII. M. Papio Mutilo, Q. Poppæo Secundo (*a*) Coss. testibus Dione (*b*), & Cajo Jurisconsulto (*c*), cujus verba sunt: *Lege Papia cavetur, omnibus ingenuis, præter Senatores eorumque liberos, libertinam uxorem habere licere:* non tamen lenam, neque a lenone manumissam, vel quæ artem ludicram fecisset, vel judicio publico damnatam, aut in adulterio deprehensam. Ulpianus *in fragm. tit.* XIII. *Ceteri autem ingenui prohibentur ducere lenam, a lenone lenave manumissam, & in adulterio deprehensam, & judicio publico damnatam, & quæ artem ludicram fecerit* (*d*). Igitur nec eam quæ corpore quæstum fecisset, si severitatem ejus temporis, quo Senatusconsultum factum est, inspiciamus. Datum est igitur Feceniæ, propter egregia in Rempublicam merita, ut ei ingenuo nubere liceret; utique eam uxorem ducere ingenuo fraudi ignominiæque non esset. Nubere autem sic accipiendum est, ut justa uxor per in manus conventionem jure Quiritium viro ingenuo fieret Fecenia; nam quo minus uxoris loco domi haberi posset, nullis legibus, ut puto, prohibebatur.

Habes, candide Lector, T. Livii de Bacchanalibus historiam, satis pro temporis angustia enucleatam; ut facili negotio Senatusconsulti originem, caussas, ac genuinum denique sensum assequaris; maxime si tute ipse colligas, & meliori, ut par est, ordine disponas ea quæ sparsim, & ut forte fortuna scribendi sese obtulerunt, adnotavi: quod Indicis ope statim consequeris. Nunc eccum ipsum Senatusconsultum, ita uti in ipsa tabula ahena legitur: iterumque juxta nostram scribendi rationem minusculo caractere excusum in tironum gratiam, quibus tot diphthongi, & archaismi negotium facessere solent. Ipsam tabulam, ope artis chalcographicæ adamussim depictam, habebis ad calcem operis: quod summæ humanitati, diligentiæ, ac liberalitati viri eximii, equitis Pii Nicolai Garellii, Cæsaræe Majestatis primarii Medici, & Bibliothecæ Præfecti æternum debebunt harum literarum studiosi.

a *ad* I. *Annal. Tacit.* b *lib.* XXVII. c *Brisson. de formulis lib.* II. d *lib.* II. *cap.* XIII.

a Suffecti fuere ex Cal. Jul. auctore Almelovenio. b *lib.* LVI. c *l.* 23. *D. de ritu nuptiar.* d Vide *Jac. Gothofredum ad leg. Jul. de maritand. ordinib. pag.* 27. & 314.

... ARCIVS. L. F. S. POSTVMIVS. L. F. COS. SENATVM CONSOLVERVNT. N. OCTOB. APVD.
AEDEM DVELONAI. SC. ARF. M. CLAVDI. M. F. L. VALERI. P. F. Q. MINVCI. C. F. DE BA-
(CANALIBVS QVEI. FOIDERATEI
ESENT. ITA. EXDEICENDVM. CENSVERE. NEI QVIS. EORVM. SACANAL. HABVISE. VE-
(LET. SEI. QVES
ESENT. QVEI. SIBEI. DEICERENT. NECESUS. ESE. BACANAL. HABERE. EEIS. VTEI. AD.
(PR. VRBANVM
ROMAM. VENIRENT. DEQVE EEIS. REBVS. VBEI. EORVM. VTR A. AVDITA. ESENT.
sic (VTEI. SENATVS
NOSTER. DECENERET. DVM. NE. MINVS. SENATORBVS. C. ADESENT. A RES. COSO-
(LERETVR
BACAS. VIR. NEQVIS. ADIESE. VELET. CEIVIS. ROMANVS. NEVE. NOMINVS. LATINI.
(NEVE. SOCIVM
QVISQVAM. NISEI. PR. VRBANVM. ADIESENT. ISQVE. DE. SENATVOS. SENTENTIAD.
(DVM. NE
MINVS. SENATORIBVS. C. ADESENT. QVOM. EA. RES. COSOLERETVR. IOVSISENT. CE-
(NSVERE
SACERDOS. NE QVIS. VIR. ESET. MAGISTER. NEQVE. VIR. NEQVE. MVLIER. QVISQTAM.
(ESET
NEVE. PECVNIAM. QVISQVAM. EORVM. COMOINEM. . . ABVISE. VELET. NEVE. MAGI-
(STRATVM
NEVE. PROMAGISTRATVO. NEOVE *sic*). VIRVM. *neque mul* IEREM. QVIQVAM. FECISE.
(VELET
NEVE. POSTHAC. INTER. SED. CONIOVRA*ſe ne*VE. COMVOVISE. NEVE. CONSPONDISE
NEVE. CONPROMESISE. VELET. NEVE. QVISQVAM. FIDEM. INTER. SED. DEDISE. VELET
SACRA. IN. DQVOLTOD. NE QVISQVAM. FECISE. VELET. NEVE. IN. POPLICOD. NEVE. IN
PREIVATOD. NEVE. EXTRAD. VRBEM. SACRA. QVISQVAM. FECISE. VELET. NISEI
PR. VRBANVM. ADIESET. ISQVE. DE. SENATVOS. SENTENTIAD. DVM. NE. MINVS
SENATORIBVS. C. ADESENT. QVOM. EA. RES. COSOLERETVR. IOVSISENT. CENSVERE
HOMINES. PLOVS. V. OINVORSEI. VIREI. ATQVE. MVLIERES. SACRA. NE. QVISQVAM
FECISE. VELET. NEVE. INTER. IBEI. VIREI. PLOVS. DVOBVS. MVLIERIBVS. PLOVS. TRIBVS
ARFVISE. VELENT. NISEI. DE. PR. VRBANI. SENATVOSQVE. SENTENTIAD. VTEI. SVPRAD
SCRIPTVM. EST. HAICE. VTEI. IN. COVENTIONID. EXDEICATIS. NE. MINVS. TRINVM
NOVNDINVM. SENATVOSQVE. SENTENTIAM. VTEI. SCIENTES. ESETIS. EORVM
SENTENTIA. ITA. FVIT. SEI. QVES. ESENT. QVEI. ARVORSVM. EAD. FECISENT. QVAM.
(SVPRAD
SCRIPTVM. EST. EEIS. REM. CAPVTALEM. FACIENDAM. CENSVERE. ATQVE VTEI.
HOCE. IN. TABOLAM. AHENAM. INCEIDERETIS. ITA. SENATVS. AIQVOM. CENSVIT
VTEIQVE. EAM. FIGIER. IOVBEATIS. VBEI. FACILVMED. GNOSCIER. POTISIT. ATQVE
VTEI. EA. BACANALIA. SEI. QVA. SVNT. EXTRAD. QVAM. SEI QVID. IBEI. SACRI. EST
ITA. VTEI. SVPRAD. SCRIPTVM. EST. IN. DIEBVS. X. QVIBVS. VOBEIS. TABELAI. DATAI
ERVNT. FACIATIS. VTEI. DISMOTA. SIENT IN AGRO. TEVRANO

Q. *Marcius Lucii filius, Spurius Poſtumius Lucii filius Conſules Senatum conſuluerunt Nonis Octobris apud ædem Duellonæ. Scribendo adfuerunt M. Claudius Marci filius, Lucius Valerius Publii filius, Q. Minucius Caii filius. De Bacchanalibus qui fœderati eſſent, ita edicendum cenſuere, Ne quis eorum Bacchanal habuiſſe vellet. Si qui eſſent qui ſibi dicerent neceſſum eſſe Bacchanal habere, iis uti ad Prætorem Urbanum Romam venirent, deque iis rebus ubi eorum verba audita eſſent uti Senatus noſter decerneret, dum ne minus Senatoribus centum adeſſent, quum ea res conſuleretur. Bacchas vir ne quis adeſſe vellet civis Romanus, neve nominis Latini, neve ſociorum quiſquam, niſi prætorem Urbanum adeſſent, iſque de Senatus ſententia, dum ne minus Senatoribus centum adeſſent quum ea res conſuleretur, juſſiſſent, cenſuere. Sacerdos ne quis vir eſſet magiſter, neque vir, neque mulier quiſquam eſſet, neve pecuniam quiſquam eorum communem habuiſſe vellet, neve magiſtratum, neve pro magiſtratu, neque virum, neque mulierem quiſquam feciſſe vellet, neve poſthac inter ſe conjuraſſe, neve comvoviſſe, neve conſpondiſſe, neve compromiſiſſe vellet, neve quiſquam fidem inter ſe dediſſe vellet, ſacra in occulto ne quiſquam feciſſe vellet, neve in publico, neve in privato, neve extra urbem ſacra quiſquam feciſſe vellet, niſi prætorem Urbanum adiſſet, iſque de Senatus ſententia; dum ne minus Senatoribus centum adeſsent quum ea res conſuleretur, juſſiſsent, cenſuere: homines plus quinque univerſi viri atque mulieres ſacra ne quiſquam feciſſe vellet, neve interibi viri plus duobus, mulieribus plus tribus adfuiſse vellent, niſi de prætoris urbani Senatuſque ſententia uti ſupra ſcriptum eſt. Hæcce uti in concionibus edicatis ne minus trinum nundinum, Senatuſque ſententiam uti ſcientes eſſetis, eorum ſententia ita fuit. Si qui eſſent qui adverſum ea feciſſent quam ſupra ſcriptum eſt, iis rem capitalem faciendam cenſuere, atque uti hocce in tabulam ahenam incideretis. ita Senatus æquum cenſuit. utique eam figi jubeatis ubi facillime noſci potis ſit, atque uti ea Bacchanalia ſi qua ſunt, extra quam ſi quid ibi ſacri eſt, ita uti ſupra ſcriptum eſt, in diebus decem, quibus vobis tabellæ datæ erunt, faciatis uti diſmota ſient in Agro Teurano.*

MARCIVS L. F. S. POSTVMIVS L. F. Consules Anno Urbis DLXVII. ante Christum natum Ann. CLXXXVI. Prænomen *Marcii*, Q. propter tabellæ vetustatem intercidit. In Fastis Siculis nil nisi cognomina reperias *Philippi*, & *Albini*, teste Sigonio (*a*). Integra nomina habes apud Cassiodorum. In Tabulis Capitolinis nil est quod desideres (*b*).

SP. POSTVMIVS L. F. A. N. ALBINVS

Q. MARCIVS L. F. Q. N. PHILIPPVS

Equidem mirum videri potest, quod quum plerique omnes Fasti habeant primo loco Postumium, in nostra tamen Tabula primas sibi vendicat Marcius. An quia sapienter prisci Romani omne decus in sola virtute positum esse existimabant? neque cuiquam fraudi erat si Consulis nomen, quo demum ordine in mentem venerat, scripsisset.

Illud principio mihi valde placuit, non alia ratione prælatum fuisse Marcium, nisi quia Nonis Octobris penes ipsum erant fasces. Alternabant enim. Suetonius in Julio (*c*): *Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur*. Isque Consul dicebatur *major*, ut docet Festus *in Majorem*: Majorem *Consulem L. Cæsar putat dici vel eum, penes quem fasces sint; vel eum qui prior factus sit. Prætorem autem majorem Urbanum, minores ceteros*. Nam ambo simul Consules in Urbe Roma summo jure & imperio uti non poterant; nisi valde me fallunt Livii verba (*d*), ubi, de adæquato Minucii Magistri equitum & Fabii Dictatoris jure verba faciens, inquit: *Statuendum omnium primum ait esse, quemadmodum imperio adæquato utantur. Se optimum ducere, aut diebus alternis, aut si majora intervalla placerent, partitis temporibus, alternis summum jus imperiumque esse*. Item eodem *libro*: *Ceterum effuse sequentibus metu insidiarum obstitit Paulus Consul, cujus eo die (nam alternis imperitabant) imperium erat*. Quando igitur in ipso conspectu hostium, ubi unius Imperatoris consilio atque solertia ad res bene gerendas opus est, alternis imperitabant; unusquisque satis intelligit, longe minore Reipublicæ incommodo in ipsa Urbe fasces alternasse. Ideo alter Consulum Romam redibat circa anni finem ad habenda comitia magistratusque creandos; vel Senatusconsulto evocabatur: interdum etiam inter se comparare jubebantur, idest componere sine sortitione: vel si ambo ancipiti bello detinerentur, tum Dictator vel Interrex creabatur comitiorum habendorum tantum caussa. Livius *lib.* XLI. *Sedato tandem Histrico tumultu Senatusconsultum factum est, ut Coss. inter se compararent, uter eorum ad comitia habenda Romam rediret. Tum M. Junius redit*. Et eodem *libro*: *Cui Pisæ provincia obvenisset, quum magistratuum creandorum tempus esset, ad comitia reverti jussit*. Itaque conjiciebam, Sp. Postumium primum processisse Kal. Januariis, Kal. deinde Februariis fasces fuisse penes Q. Marcium; &, alternando, etiam Calendis Octob. Præterea si fides habenda est fragmentis Actorum Urbanorum, quæ *Pighius* attulit in *Annalibus* (*e*) repertaque dicuntur inter schedas *Ludovici Vives*, & fasces apud Consules alternis etiam diebus fuisse dicantur (quod tum ex allato Livii loco (*f*) probari potest, tum ex alio *libri* III. *Dec.* I. ubi de reddendi juris ratione (*g*) a Decemviris excogitata scribit) adhuc Q. MARCIVS fuisset cum imperio Nonis Octobris,

a *In fast. & triumphis Rom.* b *Gruter. pag.* CCCXCIII. c *cap.* XX. d *lib.* XXII. e *apud Reines. class.* IV. 2. f *Decad.* III. *lib.* 2. g Quod factum exemplo Curionum Atheniensium, de quibus vide argumentum *orat. Demosthen. adv. Androtionem*.

A quibus, teste nostra tabula, factum perscriptumque est Senatusconsultum de Bacchanalibus. Quid vero æquius, quam ejus Consulis nomen priore loco scribi, penes quem eo mense ac die essent fasces? Spectat fragmentum illud Actorum diurnorum ad Ann. Urb. DLXXXVI. Coss. L. Æmilio Paulo II. C. Licinio Crasso; & forte in suspicionem falsitatis venit propter Suetonii verba in Julio (*a*): *Inito honore* PRIMUS OMNIUM *instituit, ut tam Senatus, quam Populi* DIURNA ACTA *conficerentur, & publicarentur*. Sermo ibi est de Julii in consulatu collega M. Calpurnio Bibulo A. U. DCXCIV. nimirum annis CIX. post consulatum Æmilii, & Licinii. Si primus igitur Julius Acta diurna instituit, falsa & adulterina sint fragmenta illa necesse est. Neque adversus Suetonium adduci possunt Ciceronis illa ad Atticum (*b*): *Habebam Acta Urbana usque ad Nonas Martias, a quibus intelligebam &c.* Nam hæc scripta sunt a Tullio dum esset in Cilicia Proconsul An. Urb. DCCII. post Actorum diurnorum a Julio institutionem. De Actis, sive Annalibus maximis, tanquam antiquitus institutis ac deinde neglectis, loquitur idem Cicero II. *de Oratore*, quæ *usque ad P. Mucium mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset Populo cognoscendi*. Hinc forte ansam arripuit Lipsius (*c*) scribendi, fuisse *Acta Publica* a Ser. Tullio instituta, ut sciret matrimonia, divortia, numerumque nascentium, ac morientium; eademque Acta in publico Tabulario servata fuisse ad Atrium Libertatis. Vellem idoneum hujus rei auctorem indicasset. Annalibus res illustres consignabantur, cetera diurnis Actis. Tacitus (*d*): *Nisi cui liceat laudandis fundamentis & trabibus, quis molem amphitheatri apud Campum Martium Cæsar extruxerat, volumina implere; quum ex dignitate Populi Rom. repertum sit res illustres Annalibus, talia* DIURNIS ACTIS *mandare*. De iisdem Actis diurnis *Annal. lib.* III. *Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna Actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam &c.* & XVI. *Annalium*: *Diurna Populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quod Thrasea non fecerit*. Perierant *publica Acta* usque ad Q. Mucium: sed ea reparavit principatu suo Tiberius, tribus Senatoribus ad describendum conquirendumque delectis (*e*). Lubens itaque sententiæ eorum acquieverim, qui fidem Actorum diurnorum suspectam habent. Atqui persuadere mihi non possum ut negem, alternis saltem mensibus fasces penes Consules fuisse: clarissima enim sunt allata Suetonii verba. Neque quidpiam moveor auctoritate clarissimi Norisii, a Fabretto citati (*f*), qui ait, observasse se in subscriptionibus legum utriusque Codicis nomina Consulum eodem ordine scripta, licet diversis mensibus: morem enim antiquum alternandi fasces paullatim sub Principibus desuevisse, inficias non eo; quum potestatis summæ nec simulacrum quidem Consulibus reliquum esset; & commode fasces penes utrumque viserentur, & jus & reliqua Imperii insignia penes Principem.

Redeamus in viam. Hujusmodi tamen conjecturis non diu acquievi: nam cogitanti mihi opportune illud venit in mentem, admodum sero Consules initium anni fecisse Calendis Januarii: nec fidendum esse Plutarcho *in quæstionibus Romanis* affirmanti, Januarium idcirco primum mensem

a *Cap.* XX. b *lib.* VI. *Epist.* 2. c *Ad* V. *Annal. Taciti* d *lib.* XIII. *Annal.* e Dio *lib.* LVII. qui spectat ad An. Urb. 769. apud Lipsium *comment. ad cit. Taciti locum*. f *Inscript. cap.* VII. *pag.* 504.

ſem factum, quod Cal. Jan. primi Conſules, ejectis Regibus, magiſtratum iniverunt; nam, ut demus hoc, primos Conſules Calendis Jan. proceſſiſſe, hujuſmodi mos haud diu duravit; quin primo *Sextilis*, deinde *Martius* fuit anni principium, ut ex pluribus Livii locis fit manifeſtum. *Comitia inde habita* (inquit ille *libro* III.) *creati Conſules L. Æbutius, P. Servilius* CALENDIS SEXTILIBUS, *ut tunc* PRINCIPIUM ANNI AGEBATUR, *Conſulatum ineunt*: nimirum anno U.CCXC. Anno dein CCCII. quum poſt latas leges XII. Tabularum penes Decemviros eſſet reſpublica, Idus Majæ *ſolemnes ineundis magiſtratibus* erant, ut diſerte habet idem Livius. An. U. CCCLI. erant Idus Decembr. *Acta deinde*, inquit Hiſtoricus (*a*), *in Senatu res eſt, certatumque inter collegas maledictis: pauci reip. huic, atque illi, ut quoſque ſtudium privatim, aut gratia occupaverant, adſunt. Primores patrum, ſive culpa, ſive infelicitate Imperatorum tam ignominioſa clades accepta eſſet, cenſuere, non expectandum juſtum tempus Comitiorum; ſed extemplo novos Tribunos militum creandos eſſe, qui* CALENDIS OCTOBRIBUS MAGISTRATUM OCCIPERENT. *In quam ſententiam quum pedibus iretur, ceteri Tribuni militum nihil contradicere. At enim vero Sergius, Virginiuſque, propter quos pœnitere magiſtratuum ejus anni Senatum apparebat, primo deprecari ignominiam, deinde intercedere SC. negare ſe ante* IDUS DECEMBRES, SOLEMNEM INEUNDIS MAGISTRATIBUS DIEM, *honore abituros eſſe*. Et paulo inferius: *Quum omnium aſſenſu comprobata oratio eſſet, gauderentque Patres, ſine Tribuniciæ poteſtatis terriculis inventam eſſe aliam vim majorem ad coercendos Magiſtratus, victi conſenſu omnium comitia Tribunorum militum habuere, qui* CALENDIS OCTOBRIBUS *magiſtratum occiperent, ſeque eam ante diem magiſtratu abdicavere*. Itaque legitimum ineundorum magiſtratuum tempus *Calendæ Octobres* eſſe cœperunt. Sed neque hoc diu ſtetit: quum enim A. U. CCCLXI. Val. Potitus, M. Manlius Capitolinus Coſſ. morbo impliciti abdicaſſent, placuit Senatui *Calendas Quinctileis* ſolemnes eſſe: *Itaque* (verba ſunt Livii eodem *libr.* V.) *quum ex SCto Conſules magiſtratu ſe abdicaſſent, Interrex creatur M. Furius Camillus, qui P. Cornelium Scipionem, is deinde L. Valerium Potitum Interregem prodidit. Ab eo creati ſex Tribuni militum Conſulari poteſtate; ut etiam, ſi cui eorum incommoda valetudo fuiſſet, copia Magiſtratum Reip. eſſet*. CALENDIS QUINCTILIBUS MAGISTRATUM OCCOEPERE *L. Lucretius, Servius Sulpicius &c.* Durabat hoc A. U. CCCXXIV. teſte eodem Livio *lib.* VIII. *Extemplo igitur Conſules novi L. Æmilius Mamercus, & Cn. Plautius eo ipſo die* CAL. QUINCTILIBUS, QUO MAGISTRATUM INIERUNT, *comparare inter ſe provincias juſſi &c.* Quamdiu id duraverit, affirmare non auſim: invenio tamen poſt annum tertium belli Punici II. Tib. Sempronium Gracchum Coſ. A.U.DXXXVIII. IDIBUS MARTIIS Conſulatum iniiſſe: *Circumacto* (inquit idem Hiſtoricus) *tertio anno Punici Belli Ti. Sempronius Coſ.* IDIBUS MARTIIS *magiſtratum iniit*. Et *Decadis* III. *lib.* VI. *in principio*: *Cn. Fulvius Centimalus, P. Sulpicius Galba Coſſ.* (*b*) *quum* IDIBUS MARTIIS MAGISTRATUM INISSENT. Aliud exemplum habes *lib.* XXXI. *Omnium primum* (inquit) *eam rem* IDIBUS MARTIIS, *quo die* TUM CONSULATUS INIBATUR, *P. Sulpicius Conſul retulit*: anno ſc. U. DLIII. Sic Idibus Martiis magiſtratum occeptum memorat a M. Valerio Meſſalla, & C. Livio Salinatore (*c*) Ann. U. DLXV. nempe biennio ante noſtrum SC. immo & ſexennio poſt ab A. Poſtumio Albinio Luſco, & C. Calpurnio Piſone (*d*) & A. U. DLXXVI. a C. Claudio Pulcro, & Tiberio Sempronio Graccho (*a*). Item A.U.DLXXXII. comitia conſularia indicta ad XII. Cal. Martii, quibus creati ſunt P. Licinius Craſſus, C. Caſſius Longinus (*b*). Hinc de Calendis Martiis Ovidius III. *Faſtorum v.* 145.— 149.

Nec mihi parva fides annos hinc iſſe priores,
Anna quod hoc cœpta eſt menſe Perenna coli.
Hinc etiam veteres INITI *memorantur* HONORES
Ad ſpatium belli, perfide Pœne, tui.

Incertum fuit tempus comitiorum ætate Ciceronis, ut ex *lib.* II. *Epiſt.* VII. XII. *&* XIII. *& lib.* III. *Epiſt.* II. III. IX. ad Q. Fratrem perſpici poteſt. Ipſe tamen Conſ. proceſſit Cal. Jan. ut ex ejus verbis *Orat.* II. pro lege Agraria in Rullum fit manifeſtum: *Popularem me futurum eſſe Conſulem, prima mea illa oratione* CAL. JANUARIIS *dixi*: & *lib.* V. *familiar. Epiſt.* II. dicit, ſe pridie Cal. Jan. abiiſſe magiſtratu. Auguſtus ſane Cal. Jan. iniit, teſte Suetonio (*c*).

Ex his omnibus id conficitur, Q. Marcii & Sp. Poſthumii ætate legitimum ineundi magiſtratus diem fuiſſe Idus Martias. Itaque, ſi rationem ineamus faſcium, erant adhuc penes Poſtumium Nonis Octobris: niſi quiſpiam dicere divinando auſit, ab Idibus Martiis ad Calend. Aprilis faſces fuiſſe penes Poſtumium, diebus veluti interciſivis, deinde penes Marcium; ac tandem duodecimo menſe, per dies paucos, a Calendis nimirum Martiis ad Idus uſque, penes eumdem Marcium. Alia igitur excogitanda eſt ratio; quamobrem in noſtra tabula Marcius fuerit primo loco ſcriptus. Et verius puto, quod neque Fabrettum latuit (*d*), nomina Conſulum fuiſſe pro lubitu reciprocata. Quinquies apud eundem habes APR. ET PAET. COS. & tamen converſo ordine reperias in Faſtis Q. ARRIVS PAETINVS, C. VENTIDIVS APRONIANVS, qui magiſtratu functi ſunt An. U. DCCCLXXV. Opus doliare apud eundem habet APRO ET CATVL. COS. & tamen in uno atque altero lapide Gruteriano legitur (*e*) Q. FABIO CATVLLINO. M. FLAVIO APRO COSS. qui pertinent ad Ann. U. DCCCLXXXII. Sic An. Urb. DCCI. Cn. Pompejus Magnus tertium Conſulatum iniit primus ſine collega; & nihilominus Q. Cæcilii Metelli Pii, qui Conſul proceſſit ex Calendis Sextilis, nomen præponitur in marmore agri Veronenſis apud Gruterum (*f*), & Reineſium (*g*). Item SER. SCIPIO ORFITVS præponitur Q. NONIO PRISCO apud Gruterum (*h*), quum in lapidibus quatuor collectionis M. S. Marquardi Gudii (*i*) primæ ſint partes *Nonii*. Exempla ſunt obvia. Quando igitur veteres ordinem in hac re nihil penii habuere, & nos quoque omnem ſolicitudinem deponere æquiſſimum puto.

Q. MARCIUS. An. Urb. DLXV. Prætor Siciliam obtinuit. Poſt quæſtionem de Bacchanalibus quum in Ligures Apuanos exercitum duxiſſet, rem adeo male geſſit, ut locus, ubi clades accepta eſt, *Saltus Martius* fuerit appellatus. Biennio poſt Legatus in Macedoniam profectus eſt ad Philippum Regem. Aliquot deinde annis interjectis cum Perſeo in colloquium venit; cui cunctanti amnem, copias Romanorum & Macedonum dirimentem, trajicere, ſcite inquit: *minor ad majorem*: pater namque Perſeo fuerat Philippus. Conſul A.U.DLXXXIV. cum Cn. Servilio Cœpione Macedoniam, & bellum contra Perſeum ſortitus eſt: ſed ſexagenario major,

a *Liv. l.* V. b *An. U.* DXLII. c *Liv. l.* XXXVIII. d *Id. l.* XL.

a *lib.* XLI. b *lib.* XLII. c *Cap.* XXVI. d *Cap.* VII. *pag.* 503. e *pag.* CVIII. 6. DLXXVIII. 2. f *pag.* LIV. 13. g *pag.* 119. h XXXII. 9. *&* XLVIII. 1. i apud Petr. Relandum *Faſt. Conſul. pag.* 9.

ac præterea gravis corpore, nihil memoria dignum A gessit. Censor quinquennio post cum L. *Aimilio Paullo lustrum* LIII. fecit (*a*).

SP. POSTVMIVS ALBINVS fuit Prætor Anno Urb. DLXIV. Augur A. U. DLXX. Fato functus est A. U. DLXXIX. (*b*)

Spurii prænomen per S. tantum scriptum est, non per SP. (ut scribendum monet (*c*) Plutarchus) raro quidem, sed non unico exemplo. Nummus enim gentis Postumiæ a Gutherio exhibitus (*d*) habet A.POSTVMIVS A.F.S.N. *Aulus Postumius, Auli Filius, Spurii nepos*. Tabula ærea, quæ fuit Fulvii Ursini, apud Gruterum (*e*) habet SCR. ADF. A. B MANLIVS A. F. SEX. IVLIVS. L. POSTVMIVS S. F. *Spurii filium* significari unusquisque intelliget, qui sciat *Spurii* prænomen fuisse genti *Postumiæ* perquam familiare: ut mirum videri possit, quomodo hanc eandem inscriptionem citet eximius Scaliger in explicatione literarum singularium Thesauri Gruteriani, ut probet S. literam poni ad signandum *Sexti* nomen. Sane nunquam *Sextum* scriptum reperias nisi per tres literas, SEX. Forte is L. Postumius, qui in allata Ursini tabula scribendo adfuit L. Cornelio Prætori Urbano (an MERVLAE A.U. DLVI. Coss. C. Cornelio Cethego (*f*) Q. Minucio Rufo) Consul scribitur in Fastis Capitolinis C A. U. DXCIX. *Spurii filius, Lucii nepos Albinus, in magistratu mortuus, in cujus locum suffectus est* M. ACILIVS M.F.C.N. GLABRIO.

Spurios olim dictos autumant Jurisconsulti quasi *natos sine patre*, S.P. quia patrem eum habebant, quem ostendere non poterant, unde ventrem sequebantur. Eodem redit quod ait Lipsius, libello de nominibus Romanorum: *Spurius a causa pudenda, quia Sabinis* spurium *dicta pars, qua femina est*.

POSTVMIVS legitur sine adspiratione, ut semper in lapidibus, productione quadam præpositionis D *post*, ut Cujacio placuit (*g*); quasi *postimus*, qui post remus patri natus est, sive vivo, sive mortuo, inquit Lipsis (*h*). Quamobrem non sunt audiendi, qui ex *Plutarcho*, Græco homine (*i*), contendunt, *Posthumium* scribendum esse interjecta adspiratione, tanquam si diceres, *post humum*, idest patre jam mortuo.

His Consulibus magnam Romæ fuisse pecuniæ vim, inquit Plinius (*k*): *Populus Romanus stipem spargere cœpit Sp. Postumio, Q. Marcio Coss. tanta abundantia pecuniæ erat, ut eam conferret L. Scipioni, ex qua is ludos fecit*. Athletarum etiam certamina tunc primum edita Romæ scribit E Cassiodorus in Chronico.

SENATVM CONSOLVERVNT pro *consuluerunt*. Nam sonum literæ V. per O scribebant antiqui, ut ex Verrio docet Festus in *Orcum*: *Orcum, quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum Urgum, quod & V. literæ sonum per* O *efferebant, & per* C *literæ formam nihilominus* G *usurpabant. Sed nihil affert exemplorum, ut ita esse credamus; nisi quod is Deus nos maxime urgeat*. Athenæus *lib*. XI. (qui nunc non est ad manus) relatus a Gretsero, *De Pronuntiatione linguæ Græcæ cap*. VI. inquit: ἐπεὶ πάντες οἱ ἀχαιοὶ (alii legunt ἀρχαῖοι, idest *antiqui*) τῷ ο, ἀπεχρῶντο, οὐ μόνον F ἐφ' ἧς νῦν τάττεται δυνάμεως, ἀλλὰ καὶ ὅτε τὴν δίφθογγον διασημαίνει διὰ τὸ ο, μόνον γράφουσιν. *Omnes Achæi utebantur* O, *non solum ea facultate, qua nunc pollet, sed etiam quum diphthongum significa-*

a Hæc omnia habes apud Livium *libb*. XXXVIII. XLII. XLIV. *&* *in Tabb. Capitolinis*. b *Livius li*. XXXVI. *&* XXXIX. c *Quæst. Rom*. CIII. d *De veter. jur. Pontif. lib*. IV. *cap*. 19. e *pag*. CCCCXCIX. 12. f *Liv. lib*. XXXII. g *Obser. lib*. III. *cap*. IV. h *De veter. Latin. Script*. i *In Coriolano, & Sylla*. k *lib*. XXXIII. *cap*. X.

ret, o tantum pingebant. Fabius etiam Quintilianus (*a*): *Quid* O, *atque* V. *permutata invicem, ut* HECOBA *&* NOTRIX, CULCHIDES, *&* PULYXENA *scriberent? ac ne in Græcis id tantum notetur* DEDERONT, *ac* PROBAVERONT. Sic CONDIDERONT pro *condiderunt* in lapide apud Reinesium (*b*), & POSILLAE pro *Pusillæ* (*c*) VIVOS pro *vivus* (*d*), quod frequentissimum est. DETOLERIT, SINGOLOS, pro *detulerit, singulos*, reperitur apud Gruterum (*e*), & passim in vetustioribus quum libris, tum lapidibus. Sic AEQUOM pro *æquum*, QUOM pro *quum*, SERVOS pro *servus*, SALVOM pro *salvum*, VOLTIS pro *vultis* ubique apud Comicos. Hanc scribendi rationem per O propriam fuisse Oscorum docet Priscianus; Umbros, & Etruscos scripsisse per V. Quum igitur Romæ nil esset frequentius fabulis Oscis, & Osca lingua haberetur in pretio (unde tricordem dixere Ennium (*f*), quod Græce, Latine, Osce scriberet) nil mirum si Oscorum imitatione per O potius quam per V. Comici scriberent, quos deinceps alii sequuti sunt. Illud magis mirum, Oscos adeo diversa ab Etruscis pronuntiatione usos, quorum essent coloni. Immo nec mirum; nam diversas linguarum dialectos ipsa cœli temperies facit: quæ ut ad ingenii acumen atque solertiam plurimum valet, ita ad verborum pronuntiationem, modo pressam, modo elatam, mirum in modum conducit. Hinc quosdam audias ore adstricto, & inter dentes, dimidiata verba tanquam invitos, & cum quadam parsimonia efferre, ut Ligures: quosdam ore patulo, & laxo, claraque & sonora voce animi sensus effundere, ut Neapolitani faciunt: medios inter hos Senenses, *queis Musa dedit ore rotundo loqui*. Adderem Florentinos, nisi ex imo gutture pronuntiantes originem adhuc ostenderent Phœniciam. Oscorum igitur cum finitimis Græcis consuetudo, commercia, cognationes; item beata frugum proventu tellus, ac Liberi Cererisque certamine, temperatissimus aer, purissimæ aquæ, ad hæc diversa victus ratio, aliam linguæ Oscæ indolem pronunciationemque dedere.

N. OCTOB. Dies legitimus habendi Senatum *Nonæ* (*g*), ideo forsan omissus a Livio. Nam quod inquit Macrobius (*h*): *Nonis autem conventus* UNIVERSÆ MULTITUDINIS *vitandus æstimabatur*, ad nundinas, & comitia pertinere manifestum est, non ad Senatus convocationem. Augustus demum vetuit Septembri & Octobri mensibus haberi Senatum (*i*).

Per hos dies Duronia mater, & Sempronius Rutilus vitricus Æbutium urgebant, ut sacris Bacchi initiari vellet; eam forsitan captantes opportunitatem, quod instarent Liberalia. Vetus Calendarium rusticum Farnesianum habet, VINDEMIAE SACRVM LIBERO. Et is mensis majorum mysteriorum Athenis, & Eleusine, Boedromion, ut in superioribus dictum est.

APVD AEDEM DVELONAI. *Duelonæ* pro *Bellonæ*. Res notissima, ut olim DUONUS pro *bonus* (*k*). Varro *de lingua Latina lib*. IV. BELLONA *a bello nunc, quæ* DUELLONA *a duello*. Festus: DUELLUM, *bellum, quod duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur. Inde perduellis qui pertinaciter retinet bellum*. Hinc Horatius ad Lollium (*l*):

Græcia Barbariæ lento collisa duello.

a *Instit. lib*. I. *cap*. VI. b *Class*. II. 71. c *Class*. XVI. 178. d *Class*. XI. 7. 17. e *pag*. CIV. f *Gell. lib*. XVII. *cap*. XVII. g *Rosinus antiquit. lib*. VII. *cap*. VI. *& alibi*. h *lib*. I. *Saturn. cap*. XIII. i *Sueton. in Aug. cap*. XXXV. k *Jos. Scaliger. ad Festum in Bes*. l *lib*. I. *epist*. II. Vide *lib*. III. *Od*. XIV. *& lib*. IV. *Od*. XV.

Plautus *Epidico* (*a*):

> —— M. *nempe quem in adolescentia*
> *Memorant apud Reges armis, arte* DUELLICA
> *Divitias magnas sibi adeptum?* ——

Livius pariter (*b*): *Quod Populus Romanus eo tempore* DVELLVM *jussissent cum rege Antiocho esse*. Festus contra, sive ejus Epitomator Paulus: *Bellum*, inquit, *a belluis, quia belluarum sit perniciosa dissensio*. Nil frigidius. Immo nec belluarum. Horatius (*c*):

> *Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus*
> *Unquam, nisi in dispar genus* ——

Huc facit vetus Inscriptio olim effossa in Circo Maximo (*d*):

CONSVL CONSILIO
MARS DVELLO
LARES COMITIO
POTENTES

Apud Tertullianum *libro de Spectaculis cap.*v. est, LARES COILLO; ubi Rigaltius notavit, ex *κοῖλος*, *cavus*, factum esse *coilum*, aut *coillum*, domus penetrale, ubi Lares colebantur: inde *coillinus*, & *coilinus*, ac tandem *incoilinus*, qui & *inquilinus*.

Sed cur apud ædem Bellonæ Senatus coactus est? & extra pomœrium? An quia res vergere videbatur ad bellum civile, & ad sumenda saga? quemadmodum initio belli civilis Cæsariani SC. factum est extra Urbem? (*e*) Conjectura non videtur contemnenda: sed magis puto ne sontes, & conscii conjurationis quidpiam subodorarent, & vel fuga dilaberentur, vel in apertam seditionem erumperent, & *in desperatione ponerent vim salutis*, ut loquitur Livius. Peracto demum Senatusconsulto & sontibus comprehensis, freti Consules auctoritate Senatus, intra mœnia concionem habuerunt, nempe pro Rostris. Loca habendi Senatum discimus ex Festo: *Senacula tria fuisse Romæ, in quibus Senatus haberi solitus sit, memoriæ prodidit Nicostratus* (pluries citatus ab eodem Festo) *in libro qui inscribitur de Senatu habendo. Unum, ubi nunc est ædes Concordiæ, inter Capitolium & Forum, in quo solebant magistratus de Rep. cum senioribus deliberare. Alterum ad Portam Capenam. Tertium intra ædem* BELLONÆ, *in quo exterarum nationum legatis, quos in Urbem admittere nolebant, Senatus dabatur.* Exteræ nationes non sunt Festo, cum quibus non amicitia, non hospitium, nullum fœdus, commercium nullum intercedebat (*f*); sed quibus per fœciales Populus Romanus patrio solemnique ritu bellum indixisset. Unde Livius *libr.* XXX. *Legati ex Africa Romani, simul Carthaginiensesque cum venissent Romam, Senatus ad* ÆDEM BELLONÆ *habitus est.* Et *li.*XXXIII. *Brevi post Legati & a T. Quinctio, & ab Rege venerunt. Macedones deducti extra Urbem in* VILLAM PVBLICAM; *ibique iis locus & lautia præbita, & ad* ÆDEM BELLONÆ *Senatus est habitus*. Item *lib.* LX. *Q. Fulvius Gillo, legatus Scipionis, Carthaginienses Romam adduxit: quibus vetitis ingredi Urbem, hospitium in* VILLA PUBLICA, *Senatus ad* ÆDEM BELLONÆ *datus est*. Item *lib.* XLII. *Per idem tempus legati ab rege Perseo venerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit, quum jam bellum Regi eorum, & Macedonibus & Senatus decrevisset, & populus jussisset. In* ÆDEM BELLONÆ
A *in Senatum introducti, ita verba fecerunt*. Aliarum gentium Legati nomina profitebantur apud Præfectos ærarii ad ædem Saturni, teste Plutarcho (*a*). Erat ædes Bellonæ in IX. Urbis regione, de qua P. Victor: *Ædes Bellonæ versus portam Carmentalem. Ante hanc ædem columna index belli inferendi*. Columella hæc *bellica* dicta est, auctore Festo (*b*), *supra quam hastam jaciebant, quum bellum indicebatur*: de qua Ovidius *Fastorum* IV. v. 205.—208.

> *Prospicit a tergo summum brevis area circum,*
> B *Est ubi non parvæ parva columna notæ:*
> *Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti,*
> *In regem, & gentes cum placet arma capi.*

Villam publicam, de qua meminit Livius locis supra allatis, numerat Sex. Rufus inter loca Regionis Circi Flaminii: in ipso Circo Flaminio, sive in pratis Flaminiis Onufrius, libro *de Urbe Roma*. Certe extra pomœrium, *ἔξω τειχῶν*, ut habet Appianus *in Ibericis*. Perperam igitur Blondus eam ponit ad Circum Maximum, & in media Urbe (*c*). In nuperis descriptionibus veteris Romæ invenias quidem Circum Flaminium intra ambitum mœ-
C nium, & sic *villam publicam*, & *Bellonæ* ædem; verum adhuc extra vetus pomœrium: neque enim ut licuit Neroni, Trajano, immo Aureliano ambitum murorum proferre, ita & pomœrium more prisco ampliare.

SC. ARF. pro *Scr. adf.* Notissima formula, *Scribendo adfuerunt*. Sic in tabula ærea fœderis Græce scripti, Coss. Q. Lutatio Catulo, M. Aimilio Lepido, apud Gruterum (*d*): ΣΝ ΚΟΜΙΤΙΩΙ. ΓΡΑΦΟΜΕΝΩΙ. ΠΑΡΗΣΑΝ. eademque formula Senatusconsultum pro Judæis apud Josephum *Antiquitatum Judaicarum lib.* XIV. *cap.* VIII. Idque pluri-
D mum faciebat ad auctoritatem SC. conciliandam: licet enim conficiendarum tabularum peritissimi essent scribæ Senatus, ut apud Athenienses *γραμματεῖς*, qui Senatui assidebant (*e*); in magnis tamen Reip. negociis, ubi summa fide, prudentia, ac taciturnitate opus esset, ipsi Senatores scribarum munere sæpissime fungebantur: iique præsertim in quorum sententiam itum esset. Cicero ad Q. Cornificium (*f*): *Nec dubito quin sine mea commendatione, quod tuum est judicium de hominibus, ipsius Lamiæ caussa studiose omnia facturus sis: quamquam erat nobis dictum, te existimare, alicui Senatusconsulto, quod contra dignitatem tuam*
E *fieret*, SCRIBENDO LAMIAM ADFVISSE; *qui omnino Consulibus illis nunquam* FVIT AD SCRIBENDVM: *deinde omnia tunc falsa Senatusconsulta deferebantur. Nisi forte illi etiam Semproniano Senatusconsulto me censes adfuisse, qui ne Romæ quidem tunc fui, deque eo ad te scripsi ne recenti.* Idem ad Atticum (*g*): *Cato autem &* SCRIBENDO ADFVIT, *& ad me de sententia sua jucundissimas literas misit*; & ad Catonem (*h*): *Resque ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis fuisse jucundum, quod* SCRIBENDO ADFVISTI. *Hæc enim Senatusconsulta non ignoro, ab amicissimis ejus, cujus de honore agitur, scribi solere* (*i*).

F ARF. pro ADF. nam R. pro D. sæpissime apud veteres. Sic inferius ARFUISE pro *adfuisse*, ARVORSUM pro *advorsum*. In Lapide apud Gruterum (*k*) legitur ARVORSARIUS pro *Adversarius*. Sic olim

a *Act.*III.*Sc.Cave.* b *lib.*XXXIII. c *Epod.*VII. d *Panvin.de lud. Circensib.* e *Cæs. lib.* I. *de Bell. Civili.* f Pomponius *l.* 5. *D. de captiv. & postlim. reverf.*.

a *Quæst. Roman.* XLIII. b *Fest. in* Bellona. c apud Pitiscum V. Circus Flaminius. d *pag.* DIII. e *Harpocration in* ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ f *Familiar. lib.* XII. *epist.* 29. g *libr.* I. *epistol.* 7. h *Familiar.* XV. *epistol.* VI. i Plura apud Brissonium *de formulis libr.* II. k *pag.* DVII.

dictum ARVOCATUS, ARFINES, ARVOLARE, pro A *Advocatus*, *affines*, *advolare*. Hinc ab AURIS factum est *audio* (*a*), & conversa ratione pro AUDICULAS dicimus *auriculas*, & MERIDIEM pro *medio die*: itaque olim scriptum FEDETRIO pro *Feretrio* (*b*). Certe inversum ᗡ Etruscis, Romanorum finitimis, sonabat R, ut ex vetustissimis monumentis merito suspicatur Clar. Philippus Bonarroti, *in Additamentis ad Etruriam Regalem Dempsteri*, *pag.* 22. Verisimile est igitur, rudi adhuc lingua Latina, priscos illos pronuntiasse *arvocatus*, scripsisse AᗡVOCATUS; post R. vero literam ab Appio Claudio Crasso inventam (*c*), qui Cos. cum Camillo An. U. CCCCV. scriptum fuisse ARVOCATUS; B ac tandem, abjecta canina litera, reditum ad imaginem prisci characteris, & dulcioris soni gratia scriptum pronuntiatumque fuisse ADVOCATUS. Horum ignoratione, ut puto, Hesychius ait, Tyrrhenos pro PEA dixisse ΔEA (*d*): nam R Etruscorum figura quidem accedebat ad Δ, pronunciatione vero erat ipsum Græcorum ρ. Exarabant igitur ΔEA, efferebant PEA. Et hinc nec mirum, in veteribus Crotoniatarum quibusdam nummis P, secundam literam syllabæ ϘPΟ, sculptum esse veluti caudatum Δ. Rem doctioribus examinandam relinquo, C nam & in his minimis non sine laude versari quandoque possunt.

Fabius etiam Quinctilianus est auctor (*e*), fuisse quosdam veterum, qui mollire pronunciationem tentaverint; & pro *adverso*, dixisse *asverso*. Contra, S. transisse in R (*f*): *Nam & VALESII, inquit, & FUSII in VALERIOS, FURIOSQUE venerunt: ita* ARBOS, LABOS, VAPOS, *etiam &* CLAMOS, *ac* LASES *ætatis fuerunt*. Sed & pro *ara*, ASA, *carmen* CASMEN, pro *majore* MAJOSE (*g*), pro *aurum* AUSOM etiam scriptum est.

M. CLAVDI. M. F. L. VALERI. P. F. Q. MINVCI. C. F. Fabri forsan vitio scriptum est *Claudi*, D *Valeri*, *Minuti*, pro *Claudius*, *Valerius*, *Minucius* recto casu, ut in omnibus, quotquot supersunt, Senatusconsultis videre licet eorum nomina, qui scribendo adfuerunt, & ipsa syntaxis postulat: neque enim opus erat compendiariam scribendi rationem in satis ampla tabula usurpare, ut aliquando propter angustiam in nummis factitatum est. Sic gentis *Flaminiæ* denarius, relatus a doctissimo Spanhemio (*h*), habet L. FLAMINI CHILO IIII. VIR. PR. FL. *Lucius Flaminius Chilo quatuor Vir primus flavit*. Alius est etiam apud Ursinum cum epigraphe L. FLAMINI CILO.

Horum primus videtur *M. Claudius M. F. Mar-* E *cellus*, qui Cos. cum Q. Fabio Q. F. Labeone A. U. DLXX. & iterum cum C. Sulpicio C. F. Gallo A. U. DLXXXVII. Alter *L. Valerius P. F. Flaccus*, qui Cos. processerat ante novennium cum M. Porcio Catone A. U. DLVIII. ut in Fastis Capitolinis. Tertium fuisse suspicor *Q. Minucium Thermum*, qui A. U. DLIX. Triumvir colonias deduxit Salernum, & Buxentum, & sequenti anno de Liguribus in monte Albano triumphavit. Hunc tamen Fasti habent Q. F. L. N. cum noster sit C. F. Forte an quadratarii nostri negligentia. Aqua hæret. Id modo certissimum est, tres hosce fuisse ex senatoribus pri- F marios, deque Republica optime meritos.

DE BACANALIBVS. Per unicum C, & sine adspiratione, ut infra BACAS VIR. Nam Latini sero consonantes geminare cœperunt, & adspirare, ut docent Quinctilianus (*i*), & Cicero *de*

a *Lactant. cap.* VII. *de opificio Dei*. b *Varro l.* V. *de LL. Velius Longus de Orthographia*. c *Dempst. Etrur. Regal. l.* I. *cap.* I. d *citatus a clar. Editore Dempsteri To.* I. *pag.* 91. e *li.* XII. *cap.* X. f *lib.* I. *cap.* IV. g *Lips. de vet. Latin. script.* h *De usu, & præst. dissert.* X. i *lib.* I. *cap.* V.

Oratore (*a*), unde scriptum TRIVMPVS pro TRIVMPHVS, & similia. Sic *Paleris* pro *Phaleris* legitur in monumento *C. Canuleii*, quod egomet exscripsi ad veterem Capuam propter villam March. Corsinii Florentini:

C. CAN. .... VS
Q. F. LEG. VII. EVO
CAT. MORT. EST. ANN NĀ
XXXV. DONAT. TORQ. ARMIL.
PALER. CORON.
Q. CANVLEIVS. Q. F.
LEG. VII. OCCEIS. IN GALL.
ANNOR. NAT. XVII.
DVO. FRATR.
IEIS. MONVM. PAT. FEC.

Heic *Bacchanalia*, ut apud Livium, sunt loca, in quibus Bacchi mysteria peragebantur; sive *sacraria Liberi*, ut habent Glossæ Isidori. Sic apud Plautum *Aulularia Act.* III. *Sc.* I.

— aperit Bacchanal, adest.

Nonio Marcello (*b*) dicuntur *loca bacchata*, ubi fuerit debacchatum. Virgilius (*c*).

— o ubi campi,
Sperchiusque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta —

nam quidquid, inquit Nonius, *vehementius commovetur, bacchari voluerunt: Santra Nuntiis Bacchis: Ita obsoletum sono Furenter ab omni parte bacchatur nemus*. Item Virgil. III. *Æneid. ver.* 125.

Bacchatamque jugis Naxon —

QVEI FOIDERATEI ESENT. *Quei* pro *qui* passim apud veteres, ut in plebiscito apud Gruterum *pag.* D. Sic inferius EXDEICENDVM pro *edicendum*, DEICERENT pro *dicerent*, SEI pro *si*, SIBEI pro *sibi*, UTEI pro *uti*, EEIS pro *eis*, UBEI pro *ubi*, CEIVIS pro *civis*. In lapidibus frequenter MEILES, LEIBERTUS, PEILA, DEIVA. Lucilius plurali numero scribendum censuit *puerei* (*d*). *Jam* PUEREI *venere*, E *postremum facito atque* I. *Ut* PUEREI *plures fiant*. Eosdem Lucilii versus ex *lib.* IX. refert Velius Longus *libro de Orthographia*, additque alios: I *si facit solum* PUSILLI, PUERI, *hoc unius fiet*. *Item hoc* ILLI *factum est uni, tenue hoc facis* I. *Hæc* ILLEI *fecere*, *adde* E, *ut pinguius faciat*. Idem aliquando observatum in dativis tertiæ declinationis *Præconei*, *viatorei*, *operei* (*e*). Inventum esse ajunt Victorinus & Priscianus ad significandam syllabam longam: sed pro *i* brevi positum aliquando reperitur.

FOIDERATEI pro *fœderatei*, diphthongo Græca, quæ tandem apud Latinos evasit in OE. *Proilium* pro *prœlium* scripsit Plautus *in Menæchmis* (*f*), ut in veteribus libris se legisse testatur Muretus; quare ubi vulgati codices habent: *uterque pro Ilio potabimus*, reponit, *proilio*, idest prœlio.

ESENT, scriptum per unicum S. Sic infra FECISE, ADESENT, VELET, COMPROMESISE, JOVSISENT. Nam semivocales non geminare diu fuit usitati mo-

a *Cap.* XLVIII. *Spanhem. dissert.* II. b *In Bacchari.* c *Georg.* II. *v.* 486. d *apud Quinctil. lib.* I. *cap.* VII. e Vide Lips. *de pronunt. L. L. cap.* VIII. f *Act.* I. *Sc.* Anime mi. *Muret. Variar. lib.* VI. *cap.* IV.

ris, usque ad Ennium, qui hanc consuetudinem immutavit, auctore Festo in *Solitaurilia*. Unde in veteribus nummis SULA, CINA legitur pro *Sulla*, *Cinna*. Docet etiam Quinctilianus (*a*), Ciceronis ævo geminari cœpisse s. medium vocalium longarum, aut subjectum longis, ut in *caussa*, *Cassius*, *divissiones*. Floruit Ennius tempore Scipionis Africani, & nostri Senatusconsulti.

EXDEICENDVM. *Edicere* proprium est Magistratus, & pertinet ad Jurisdictionem. Unde Principum (*b*), Prætorum, atque Ædilium Edicta in libris Juris (*c*). Quum tabula nostra indubiæ sit vetustatis, nec semel habeat X literam (ut heic EXDEICENDVM, & in fine, EXDEICATIS, EXSTRAD) assentiri non possum Isidoro, qui *lib.* I. *Etym. cap.* IV. scribit: X. *litera usque ad Augusti tempora nondum apud Latinos erat, sed pro ea* C & S *scribebant, unde duplex vocatur, quia pro* C & S *ponitur, unde & eisdem literis compositum nomen habet*. Hispalensis auctoritate abreptus P. Ciacconius Toletanus, quum in Inscriptione columnæ rostratæ C. Duillii repperisset MAXIMOS, affirmare non dubitavit, eam non ad amussim restitutam: *Ergo*, inquit, *ut maxime quidem videtur, hæc basis post C. Cæsarem restituta fuit, ac fortasse etiam post Plinium, atque Quinctilianum, eoque ad antiquam illam scribendi rationem negligentius effecta, atque expressa est*. Quid si nostram tabulam oculis quandoque Ciacconius subjecisset suis? restitutam ne dixisset post Cæsarem, immo post Plinium, & Quinctilianum? Sublata penitus Bacchanaliorum turpium memoria, ipsoque oppido deleto, ubi tabula fixa fuit (nam nonnisi conjecturis de agro ipso Teurano nobis disserendum erit) cui tandem bono fuisset tabula posteriore ætate restituenda? Sane vocabula, & scribendi ratio non momento temporis, sed sensim ac paullatim tum prodeunt, tum senescunt; & primum dubio nec admodum constanti usu nova adsciscuntur, deinde vim atque auctoritatem per Grammaticos, clarosque Scriptores adipiscuntur; criticorumque tandem ita contentionibus dignitatem tuentur suam, ut piaculare sit ab eis vel latum unguem discedere. Haud felicior est Ciacconii conjectura dum inquit, *Duillii* nomen ejusdem ætate fuisse *Bellium*, vel *Bilium*; quum Tullii locus de Oratore, ab ipso citatus, diserte habeat: *quum* SUPERIORES *appellati essent semper* DUELLII.

NEI pro NE. Miror inferius non fuisse scriptum NEIVE pro NEVE, ut in fragmentis ex aere apud Gruterum (*d*).

SACANAL pro *Bacanal*. Manifestus error quadratarii, qui forte Græculus.

HABVISE VELET. *Velet* heic positum videtur pro *velit*. Veteres E pro I. usi sunt (*e*). Hinc VELLA pro *villa*, VEA pro *via* rusticis dicta, apud Varronem *de re Rustic.* (*f*) Sic CEPET, EXEMET, ORNAVET, VICET invenies pro *cepit*, *exemit*, *ornavit*, *vicit*. Item MENERVAM pro *Minervam*, LEBER pro *Liber*, MAGESTER pro *Magister*. TIBE pro *tibi* est apud Catonem; & alibi *sebe*, *quase* pro *sibi*, *quasi*. *Me* pro *mi*, & *mihi* est apud Festum *pag.* XCVII. Me *pro mihi dicebant antiqui, ut Ennius cum ait libro secundo: Si quid me fuerit humanitus, ut teneatis. & Lucilius: Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendit agatur*. Fortasse Oscorum id fuit; rustici enim nostrates adhuc quid simile sonant, *vea* pro *via*, *vellano* pro *villano*, id est rustico, & *me pare*, *me disse*, pro *mi pare*, *mi disse*: *mihi videtur*, *mihi dixit*.

a *lib.* I. *cap.* VII. b *l.* 3. *C. de legib.* c *l.* 2. *de orig. Jur. & alibi passim.* d *pag.* DIV. DVII. e *Quinctil. lib.* I. *cap.* 6. & 7. *Varro lib.* V. *de LL.* f *lib.* I. *cap.* II. & XLVIII.

SEI QVES ESENT. A singulari *quis* factum est antiquis plurale QUES, cujus dativum, non *queis*, sed *quibus*, ut a *civis*, *cives*, *civibus*. Festum in *Ques*.

NECESVS ESE pro *necessum*. Artificis culpa.

EEIS, supple, *exdicendum esse*. In fragmentis æneis apud Fulvium Ursinum, & Gruterum scribitur fere semper IEIS, uti & in monumento Canuleii, quod supra dedimus.

VBI EORVM VTR, A. Error fabrilis, pro *ubi eorum verba*.

SENATORIBVS C. ADESENT *quom e* A. Lacuna sic est omnino explenda. De numero Senatorum dictum est in superioribus.

EA RES CONSOLERETVR pro *consuleretur*. A consulo activo, quod apud veteres habuit duos accusandi casus, unum rei, alterum personæ, factum est passivum cum nominativo rei, *quom ea res consoleretur*. Scriptum est sine N, ut fere semper antiquis (tametsi priore linea habet CONSOLUERUNT) forte quia ejus literæ sonus non exaudiebatur. Inde cos. pro *consul*, & *columam* pro *columnam* scriptum est, teste Quinctiliano (*a*): unde *columella*. Eadem forsitan ratione infra COVETIONID pro *conventionid*. Fragmentum Inscriptionis a me exscriptum Venusiæ in foro.

.... NATVS
COSOLTV. . . . FE . . .
Ʌ VT SACROM . . .
Ʌ VT POVBLIC . . .
LOCOM ESSE O. . . .
CENSVERE

Item alia Inscriptio in arce, omnino male apud Fabrettum (*b*):

Q. R A V E I O
P. COMINIO C. F.
L. MALIO C. F.
Q V A I S T O R E S
S E N A T V D
C O S O L V E R E
IEI C E N S V E R E
Ʌ V T S A C R O M
Ʌ VT POVBLICOM
ESE . . . .

De eadem re actum puto in utroque lapide; nisi mavis, unum & alterum esse unius Inscriptionis fragmenta, & fortasse de Bacchanalibus. Sic sacrum & publicum separantur apud Plautum *Trinummo Act.* IV. *Sc.* III.

—— *leges mori serviunt, mores autem*
Rapere properant qua sacrum, qua publicum.

contra quam sentire videtur Ulpianus in *l.* I. *§.* 2. *D. de justit. & jure*, ubi Jus publicum consistere ait in *sacris*, *sacerdotibus*, *& magistratibus*. Vide heic MALIO per unicum L.

ADIESE VELET, non quasi *adesse* ab *adsum*, sed pro *adiisse* ab *adeo*, solita, ut dictum est, mutatione I in E. Sic linea sequenti *Adiesent* pro *adiissent*: NISI PRÆTOREM VRBANVM ADIESENT. Contra sine I *adese* ab *adsum*: DVM NE MINVS SENATORIBVS C. ADESENT.

NOMINVS LATINI pro *nominis Latini*. V pro I usurpabant Romani ante C. Cæsarem: unde *optumus*, *maxumus*, pro *optimus*, *maximus*. Sic inferius linea XXV. REM CAPUTALEM pro CAPITALEM, & fortasse rectius a *caput*, & linea XXVII. FACILUMED pro *facillime*. Vetus Inscriptio Venusiæ, quam ego exscripsi ad fontem publicum, habet *utarus* pro *utaris*:

a *lib.* I. *cap.* VII. b *Cap.* III. 665.

. . SEI LEGIS NE VITUPERE . . .
. . S L. F. PRAECO
. . S. AETERNVM HOC SIBE . . .
. . . SSE QVOD NATVRA TR . . .
. . . EBVS CV AMEICEIS SVI . . .
. . OS VTARVS VALE

Ad hæc, nomina tertiæ non semel in antiquis Epigrammatis reperias cum genitivo in VS: ut apud Gruterum (*a*): HEISCE MAGISTREIS VENERVS IOVIAE, & alibi CERERVS, HONORVS; quod & vir doctissimus Alexius Symmachus Mazochius adnotavit (*b*).

Socii Latini nominis, post Romanos, ceteris Italiæ populis dignitate præstabant. Incoluere regiones illas, quæ sunt inter ostia Tiberis & Circejos: origine Trojani, Aboriginibus misti. In memoriam vetusti fœderis, quotannis celebrabantur in monte Albano Latinæ Feriæ, quæ conceptivæ erant; sacraque fiebant Jovi Latiari, quorum caussa Præfectus Urbis creabatur. Notissima hæc sunt.

DE SENATVOS SENTENTIAD, *De Senatus sententia*. Olim in genitivo dicebant *senati*, & *senatuis*; *quæsti*, & *quæstuis*; *tumulti*, *victi*, *sumti*, *salti*, *lucti*, *parti*, *fructi*, pro *tumultus*, *victus*, *sumtus*, *saltus*, *luctus*, *partus*, *fructus*. Dictum est quoque *exercituis* pro *exercitus*, *domuis* pro *domus*, *anuis* pro *anus*, *victuis* pro *victus*, *rituis* pro *ritus*, ut est apud Nonium *tit. de mutata declinatione*. Bis in hac tabula scriptum est SENATUOS in genitivo pro *Senatuis*. An per transpositionem, pro *Senatuos* Græca diphthongo, ut sonaret *Senatus?* An ut syllabam facerent longam, scribebant per geminatum VV *Senatuus?* & nihilominus propter notissimam V. atque O affinitatem scribere heic maluerunt *Senatuos*. Velius enim Longus auctor est (*c*) Accium inter antiquos geminasse vocales, ubicumque producerentur, *amaabam*, *effaari*, *maalus* (pro pomo) *moorem*, *moorus*, *pastoores*: alios tamen contra sensisse, qui expeditam ajebant esse debere scribendi rationem. Sic inferius pro *Magistratu* scriptum MAGISTRATVO, quasi *Magistratuu*. PAAOSTORES habet vetus Inscriptio in Lucania (*d*), quam suspectam, & ineptam putat Cluverius (*e*), aliquanto emendatiorem adfert Gruterus (*f*). Lipsius etiam docet, post V. interdum insertum fuisse O. ut *Quicuomque* pro *quicumque* (*g*).

SENTENTIAD pro *sententia*: & infra SED pro *se*, EXSTRAD pro *extra*, OQVOLTOD pro *oquolto*, sive *occulto*, PREIVATOD pro *privato*, POPLICOD pro *poplico*, SVPRAD pro *supra*, FACILUMED, pro *facilume*. Sic in inscriptione columnæ rostratæ C. Duillii PVGNANDOD CEPET, NAVALED, PRÆDAD. Nam veteribus familiare fuit omnibus fere vocibus, in vocalem desinentibus, subnectere D. ut docent Quinctilianus (*h*) & Charisius (*i*), qui Plauti locum adducit:

Quo ted noctis dicam proficisci foras?

Sæpissime id fit a Comico. Censet Muretus (*k*), D fuisse adjectum ubi prima subsequentis dictionis litera vocalis esset, ad vitandum vocalium concursum. Inde ex *re*, & *eo* factum *redeo*; ex *re*, & *emo redimo*: quare apud Horatium (*l*) ubi vulgo legitur:

a *pag.* LIX. *n.* 8. b *Cap.* VIII. *de Amphit. Campano.* c *libello de Orthographia.* d all'Osteria della Polla. Exscripsit, mecumque communicavit Cl. Vir Carolus Danius, antiquitatis callentissimus. e *Ital. antiq. lib.* IV. *pag.* 1296. f *pag.* CL.7. g *libello de veterum Latinorum scriptura, edito post antiquitates Romanas Kippingii.* h *lib.* I. *cap.* VII. i *lib.* I. k *Variar.* XV. 15. l *lib.* III. *od.* XIV.

A

——— Vos, o pueri, & puellæ
Jam virum expertæ, male nominatis
Parcite verbis: ———

reponendum putat, ex veterum codicum auctoritate, *maledominatis*. Ad eundem locum Guilielmus Xylander adnotavit: *Nominatis scripserunt, puto, quibus novum videbatur collisionem vitare*. Et hic a scopo aberrat. Rectius Muretus: sed ab ejus regula abeunt Inscriptiones, & æneàrum tabularum fragmenta, ubi additur *d*, etiam sequente in principio dictionis consonante. Nostra habet: *De Senatuos sententiad dum: inter sed conjourasse: neve in poplicod, neve in preivatod, neve &c. arvorsum ead fecissent: facilumed gnoscier*. Neque in columna Duillii concursus vocalium vitatur.

B

IOVISSENT pro *jussissent*, ut inferius CONJOVRASE, pro *conjurasse*, NOVNDINVM, PLOVS, IOVBEATIS, IOVS. In lapide Venusino superius allato POVBLICOM; & frequenter in nummis, & Inscriptionibus (*a*) FOVRIVS, FOVLVIVS, IOVDEX, COVRATOR. Sic in fragmento legis judiciariæ apud Gruterum (*b*) SOVEIS pro *suis*. Alibi invenias OVF. pro *Ufentina Tribus*. *Nostri etiam* (inquit Victorinus) *quoties ejusdem soni longa syllaba scribenda esset, & ipsi* u *adjungebant* o. *literam. Inde scriptum legitis* LOVCEDIOS, NOVNTIOS, LOVMEN (*c*). Sed aliquando hæc ipsa diphthongus pro V brevi posita reperitur, ut in SOVEIS: item *diebus* pro *diebus*, *navebus* pro *navibus*, uti in perantiquo Codice M. S. Philippicarum Ciceronis in bibliotheca Vaticana se legisse testatur P. Ciacconius (*d*). Deinde Y fuit prætermissum, scriptumque NAVEBOS, DIEBOS, NOCTEBOS: nam veteres Græci vocalem o pronuntiabant ȣ. Unde factum, ut pro simplici vocali interdum scriberent ȣ, & contra pro ȣ simplex o. (*e*) Postremo non Y. sed O fuit exemtum, scriptumque *navibus*, *diebus*: nam V. Latinorum ad sonum Y proxime accedebat.

C

D

QVISQVAM EORVM COMOINEM, pro *communem*, ut inferius OINIVERSI pro *universi*. Olim OI pro V usurpabatur, ut OITIER pro *utier*, OITILE pro *utile* (*f*), POINICVM *pro Punico*, MOINICIPIVM, COIRAVIT (*g*). Item OISVS pro *usus*, teste Martiano Cappella (*h*). Sic in Inscriptione apud Reinesium *pag.* 575. quam adducit Relandus in Fastis consularibus *pag.* 14.

DEDIC. K. IVNIAS
SEX. GLABRIONE. ET C. OMOI
LO. VERIANO. COS.

E

pro *Homulo*, *Homullo*, *Homollo*, ut habent alii lapides.

OI. postea migravit in OE (*i*). Plautus *Bacchidibus* (*k*):

——— pergamum, divina mœnitum manu,

idest *munitum*. Et *in Sticho* (*l*):

——— tamen vivimus, nos tamen
Efficimus pro opibus nostra mœnia ———

F

Ex ejusdem Nervolaria Festus citat, in *Mœnia*, & *Muri*:

——— probibentque mœnia alia unde ego fungar mea.

a *Spanhem. dissert.* II. b *pag.* DXI. c Vide Lips. *de pronunt. Ling. Lat.* d *ad Columnan rostratam Duillii.* e *Casaub. ad Athen. lib.* XI. *cap.* V. f *Gruter. pag.* CCCCXCIX. 12. g *Ciaccon. loc. cit.* h *lib.* III. *de nupt. Philolog.* i *Lips. de pronunc. cap.* II. k *Act.* IV. *Sc.* Atridæ. l *Act.* V. *Sc.* Agite.

A idest *munia officia*; unde *munis* pro *officiosus*. Idem Plautus *in Mercatore* apud Nonium *in Munia*:

Dicens pro meritis gratum me, & munem fore.

Rem *munem* pro rem obligatam accipit Rævardus in Papiniani Responso (*a*). Sic Virgilius X. *Æneid. aggeribusque mœrorum*, pro *murorum*, ut Servius adnotavit. Inde *Pœnicus* pro *Punicus*, *coeravit* pro *curavit*; *pœnia* quasi *punia*, *œsocapio*, *œsorpatum*, pro *usucapio*, *usurpatum* (*b*). Obtinuit hæc scribendi ratio donec Respublica stetit: immo sub Augusto. Testis est lapis Grumenti, nunc *Saponara*, ad Ædem Fratrum Mi-
B norum, quem descripsit cl. vir Carolus Danius.

..X.Q. POPP. AEDILIS EX F.
..R AEBVTIVS C. F.....
..AL. AEDILES MOER...
..EDES ∞CC. DE SVA
..EQVNIA FACIVNDV.....
..OERAVER. SER. SVLPICI..
..M. MARCELLO. COS.

Murum longum pedes MCC. *de sua pecunia faciundum ædiles curavere*, Sergio Sulpicio Rufo, M. Claudio Marcello Coss. qui Consules pertinent ad annum a Roma condita DCCII. juxta Almelove-
C nii Fastos; quanquam in Indice Alphabetico sunt posteriores anno uno. Dabo aliam inscriptionem, hoc anno MDCCXXVII. repertam inter rudera veteris Telesiæ in Samnio, circa fundamenta cujusdam turris. Exscripsit, ejusque exemplum per epistolam continuo ad me misit optimus juvenis Octavius Giannelli:

L. MVMMIVS. L. F. C. MANEIVS OF....
PR. DVO VIR. PRO LVDEIS TVRRIS DVAS
D. D. S. FACIVNDAS COERARVNT

D Deducta est Telesia colonia a Triumviris: Ager ejus limitibus Augusteis est assignatus, ut docet Frontinus *de Coloniis*. Floruisse eam sub Augusto, docet ibidem vetus ara in angulo privatæ cujusdam domus, cum hac epigraphe

VENERI
GENETRICI

Item cippus, habens dignam Augusteo sæculo Inscriptionem:

MESSALLAE HON.
E ET VIRTVTIS CAVS.

Ad Valerium Messallam Oratorem, patronum fortasse coloniæ Telesinæ, pertinere arbitror, cui honoris & virtutis caussa statuam clientes posuerint. Vides, Messallam per duplex LL scribi debere, ut optimæ quæque veterum Auctorum editiones habere solent. Sed nimis extra oleas. Fixum ergo sit, Augusti ævo COERARE scriptum pro CVRARE, MOEROS pro MVROS.

Pecuniam *communem* habere vetuit nostrum Senatusconsultum: nam ad convivia, & sacrificia
F communia pecuniam communem habebant ἱερατικὰ collegia, sive κοινωνίαι, quam qui colligebant χαλκολόγοι dicebantur (*b*). Solis Judæis C. Cæsar non interdixit pecuniam in commune conferre, & convivia celebrare, ut ex Josepho dictum est supra n. XIV.

NEVE MAGISTRATVM NEVE PRO MAGISTRATVO. Frequens hæc formula. Sic in

a *l.* 8. *D. De Public.& Vectigal. Ravard. var. lib.* III. *c.* 2.
b *Lipf. de vet. Lat. Script.* c *Salmas. ad Jus Attic. & Rom. c.* IV.

plebiscito de Thermensibus apud Gruterum (*a*) NEI QVIS MAGISTRATVS PROVE MAGISTRATV. *Magistratus* heic valet antistes, caput ceterorum: & quia Paculla Minia Campana prima fuit Bacchantium antistes, idcirco subdit: *neque virum, neque mulierem*. Vides, MAGISTRATUM scriptum per G. & I. non per C, & E, MACESTRATUM, ut semper scriptum fuisse ab antiquis contendit Ciacconius (*b*). In Inscriptione columnæ rostratæ scriptum est *Macestratus* per C. quia nullum erat, si Festum audimus, apud veteres discrimen inter C & G: *Orcum (inquit) quem dicimus, ait Verrius, ab antiquis dictum Urgum, quod & V literæ sonum per O efferebant, & per C literæ formam nihilominus G usurpabant; sed nihil affert exemplorum, ut ita esse credamus, nisi quod is Deus nos maxime urgeat*. Victorinus *de Orthographia* adnotavit, hanc ob rationem reperiri CN. pro GNEVS, CABINVS pro GABINVS; & post receptum G, cœpisse K esse supervacuum. Diomedes vero (*c*) inquit: *G nova est consonans, in cujus locum C solebat apponi, ut hodie cum Gajum Cæsarem notamus, scribimus C. Cæsarem. Ideo post B. literam in tertio loco digesta est, ut apud Græcos Γ posita reperitur in eo loco*. Inventum G, scribit Max. Victorinus, nova forma a Sp. Carvilio: quod ex Plutarcho sumsit (*d*). Hic Carvilius, cognomento RVGA, primum omnium Romæ uxorem dimisit sterilitatis caussa, A. U. DXX. (*e*). G. litteram igitur habet tabula hæc nostra, quia posterior SP. Carvilio Ruga: Inscriptio Duillii non habet, quia anterior.

NEOVE VIRVM, pro NEQVE VIRVM, vitio fabri.

IN DQVOLTOD pro *in occulto*. Vir doctissimus Scipio Maffæus (*f*), quum apud Fabrettum nostram tabulam editam legisset, necdum sciret ubinam gentium inveniretur, suspicatus est, legendum ENDO VOLGOD. Erudite: sed non erat his locus. Vetanda fuerunt in primis *occulta* Bacchanalia: nam latebras conjurati, & magnorum scelerum participes quærere sibi solent; nec quidquam magis a conjuratione alienum quam arcana consilia proferre in *vulgus*. Ad hæc, Senatus paulo post inquit, *neve in poplico, neve in preivato*; quare omnino supervacaneum fuisset τὸ *endo volgo*. Supervacaneum certe non fuit dicere IN OQVOLTOD; nam *occultum* est quid magis latens quam *privatum*; & hoc agebat Senatus, ut ab occultarum coitionum formidine rempublicam liberaret.

D positum est pro O a fabro ærario, sive ignoratione Latinæ linguæ, sive quod non satis idoneis instrumentis ad incidendum uteretur: nam hujusmodi D figura abortiva est, & ad O non parum accedit, ut linea sexta NDSTER pro *noster*. Contra O pro D. positum vidimus in Inscriptione pagi Herculanii, quam primus edidit Vir. clar. Alexius Symmachus Mazochius (*g*): A. O. X. TERMINA. .... pro A. D. X. TERMINA..... *ante diem decimum Terminalia*; & linea VIII. SEI LVOOS FECISSENT, pro SEI LVDOS &c.

Ad Q quod attinet, inquit Victorinus (*h*): *Sed nec G, nec Q Latinus sermo introduxit. Cato de originibus ait, Sabinos, & Etruscos Q. litera caruisse, quamobrem* CVRINVM *pro* QVIRINVM *scribebant*. Conflatam hanc literam putarunt ex C. & V, sic ꝗ, teste *Velio Longo* (cujus rei sunt quædam indicia in hac tabula) ideoque non necessa-

a *pag.* DI. DIX. DXI. b *not. ad Column. rostrat.* c *lib.* II. *de art. grammat. cap.* I. d *Quæst. Rom.* LIV. e *Val. Max. lib.* II. *cap.* I. *Dionys. lib.* II. *Gell. lib.* XVII. *cap. ult.* f *Histor. art. Diplomat. pag.* 124. 125. g *Ad Tit. Amphitheatri Campani pag.* 148. h *De Orthographia*.

riam (*a*). Sed verius est, Q esse Phœnicium ϘKoph, jamdiu pro K usurpatum, ut superius ex nummis Crotoniatarum adnotavimus; unamque ex XVI. literis a Cadmo in Græciam invectis, quæ *Phœniciæ vocantur propter Cadmum*, inquit Plutarchus (*b*), ϗ Φοινίκεια διὰ Κάδμον ὠνομάσθαι (*Punicæ* reddere mavult Xylander): & sane testatur Sylburgius, citatus a Gretsero (*c*), se in M. SS. Alphabetis Græcis invenisse Koph Ϙ inter π. & ρ. Alii existimant, Q literam usu receptam ut pinguior sonus notaretur in QVANDO, quam si per C. simplex scriberetur CANDO: alii, ut esset unde duæ vocales, sequentes C, in unam syllabam coalescerent; quum contra per C antiqui scriberent, ubi divisa syllaba opus esset. Unde Lucretius (*d*) *cuiret* scripsit, pro *quiret*, ut trisyllabum faceret (*e*). Veteres tamen & recentes pleræque editiones habent ibi *cupiret*. Quum igitur neque consonantes geminarentur, neque per unicum C vellent scribere, OCOLTO, & pinguius quid sonare oporteret; necesse fuit uti litera, recens adscita, Q. ne *ocuolto* quadrisyllabum fieret. Obiter heic quoque notandum est, *occultum* dici ab antiquo *culo*, vel *coilo*, *involvo*, unde *occulo*: eadem analogia, qua supra *de inquilinis* diximus. Hinc *culleum* dixere saccum, quo parricidæ insuebantur. Forte ejusdem originis est *culcita*. Persuadere mihi non possum, ut assentiar P. Victorio (*f*) qui ait, neque M. Catonem, neque Terentium scripsisse per Q. sed per C: nam vetustior ambobus est nostra tabula, & tamen habet Q. ut habent antiquiores etiam nummi. Præterea quisnam Catonis & Terentii autographa oculis unquam usurpavit?

NEVE EXSTRAD VRBEM. Falsum est itaque, ut supra notavimus, quod scribit Isidorus, (*g*) literam X. Augusti ævo primum adscitam, Latinosque veteres scripsisse per C.& S. Nam nec post inventum X. omissum fuit S. Antiqua id testantur monumenta, quæ habent FELIXS. CAPPADOXS. MAXSVMOS. PROXSVMOS. DIXSERINT. PAXS legitur in quatuor nummis æreis Galbæ, Vitellii, Vespasiani, & Domitiani: MAXSVMVS in nummo gentis Egnatiæ: AXSIVS NASO in gente Axsia: ALEXSANDREA in gente Æmilia apud Ursinum. (*h*) Forte K, quod ante S pro C scribebatur, tandem similitudine quadam evasit in X: quod ad signandum etiam denarium numerum translatum est, quia revera decimo loco in Alphabeto Latinorum K numeratur.

NISEI PR. VRBANVM ADIESET. ISQVE DE SENATVOS SENTENTIAD. Merito *Prætorem Urbanum*, ut is ad Senatum referret. Absentibus enim bellorum caussa Coss. ex Prætoribus unus cum imperio in Urbe remanebat, isque Senatum, ubi facto opus esset, cogebat. Sic absentibus Coss. Appio Claudio Cæco, L. Volumnio Flamma, bellum in Italia gerentibus, A.U. CCCCXLVI. *summæ rerum*, inquit Livius (*i*) *Prætor L. Sempronius præerat*. Et A. U. DXXXIX. *Senatusconsultum factum est, ut L. Fulvio extra ordinem urbana provincia esset, isque potissimum*, COSS. AD BELLUM PROFECTIS, *Urbi præesset*. Consules erant Q. Fabius Maximus Verrucosus IV. M. Claudius Marcellus III. (*k*) Non mirum igitur, si a consulatu aliquando ad Præturam Urbanam esset gradus, quam τὴν μέγιστον ἔχουσαν ἀξίωμα, *maximam habentem dignationem*, vocat Plutarchus in Bruto (*l*).

a *Lips. de pronunt. Ling. Lat. cap.* XIII. b *Symposiac.* IX. *qu.* 3. c *De pronunt. Ling. Græc. cap.* I. d *lib.* I. *v.* 72. e *Gramm. Port. Regal. De literis cap.* VIII. f 1. *Epist. ad Attic.* g *lib.* I. *Etymol. cap.* 4. h *Spanhem. dissert.* II. i *Lib.* X. k *Liv. lib.* XXIV. l Vide *Spanhem. Dissert.* X.

A INTER IBEI pro *interea*. Plautus *Asinaria Act.* IV. *Sc.* IV.

Age tu inter ibi ab infimo da suavium.

Gellius (*a*) ex Catonis originibus: *Consul interibi, dum ea pugna fit, se in locos tutos, atque editos subducit.*

HAICE VTEI IN COVENTIONID EXDICATIS. HAICE pro *hæcce*. *Antiqui*, inquit Festus, AE *syllabam Græca consuetudine per* AI *scribebant*. Hinc QVAI pro *quæ*, CAISAR pro *Cæsar*, PAITVS pro *Pætus*, AIMILIVS pro *Æmilius*. B Sic etiam *materiai* apud Lucretium, & quotiescumque poetis diæresis ex usu fuit, *undai*, *aulai*, *pictai* (*b*). Quamobrem nequeo in Fabretti sententiam ire, qui (*c*) AI ad Claudiana potissimum tempora pertinere arbitratur.

COVENTIONID. Omissum est in prima syllaba N. ut in COS. de quo supra. *Conventus* intelligitur quum multitudo *ex compluribus generibus hominum est contracta in unum locum. Item cum a magistratibus judicii caussa populus congregatur*, inquit Festus (*d*). Quæ notio optime quadrat his nostri Senatusconsulti verbis, quod per omnia fora, & C conciliabula promulgandum erat. Idem Festus auctor est, *concionem*, & *conciliabulum* hoc distare, quod *contio*, vel *conventus* sint homines ipsi, qui ad nutum magistratus conveniunt; *conciliabulum* sit locus, ubi in concilium convenitur. Heic una tantum litera a fabro peccatum est: scribendum enim fuit *coventioned*, non *coventionid*: nam ceteroquin *conventionem* pro *concione* aliquando positam, adnotavit eximius Scaliger ad Varronis *lib.* V. *de Lingua Latina*.

NE MINVS TRINVM NVNDINVM. *Nundinas*, sive *Mercatus* a Glossis appellatas, inquit Claudius Salmasius (*e*), τελείας πανηγύρεις, D ut differant ab iis *nundinis*, quæ nono quoque die recurrebant apud Romanos; de quibus dubitatum est, utrum feriæ essent, an sollennes dies. Dubitatum sane: *Nundinas*, inquit (*f*) Festus, *feriatum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi, vendendique caussa, eumque nefastum; ne si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores*. Et Plinius *lib.* XVIII. cap. III. *Rusticæ tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent. Urbanæ vero, in quas transferri ignominiæ esset, desidiæ probro. Itaque quatuor solæ erant a partibus Urbis, in queis habitabant, Suburana, Palatina, Collina, Esquilina. Nundinis* E *Urbem revisitabant, & ideo* COMITIA NUNDINIS HABERI NON LICEBAT, *ne plebs rustica avocaretur*. Igitur, si Festum, & Plinium audimus, non erat *tribus nundinis* legis rogatio, non comitia. Atqui Macrob. (*g*) principio ait: *Comitiales sunt* (dies) *quibus cum populo agi licet; & fastis quidem lege agi potest, cum populo non potest; comitialibus utrumque potest*. Itaque & lege agere, & cum populo agere licebat comitialibus. Deinde inquit: *Quod autem* NUNDINAS FERIAS *dixi, potest argui, quia Titus, de feriis scribens, nundinarum dies non inter ferias retulit, sed tantum sollennes vocavit: &* F *quod Julius Modestus affirmat, Messalla augure consulente Pontifices, an nundinarum Romanarum Nonarumque dies feriis tenerentur, respondisse eos*, NUNDINAS *sibi ferias non videri: & quod Trebatius in libro religionum ait*, NUNDINIS *magistratum posse manumittere, judiciaque addicere. Sed contra Julius Cæsar* XVI. *Au-*

a *lib.* III. *cap.* VII. b *Quintil. lib.* I. *cap.* VII. c *Cap.* V. *pag.* 363. d *in* Conventus. e *ad Jus Attic. & Roman. cap.* V. *pag.* 162. 163. f *in* Nundinas. g *lib.* I. *Saturn. cap.* XVI.

spicio-

spiciorum libro negat, NUNDINIS CONCIONEM *advocari posse; idest cum populo agi; ideoque* NUNDINIS *Romanorum haberi comitia non posse. Cornelius etiam Labeo primo fastorum libro*, NUNDINAS *ferias esse pronuntiat. Causam vero hujus varietatis apud Granium Licinianum libro* II. *diligens lector inveniet: ait enim* NUNDINAS *Jovis ferias esse. Siquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Jovi arietem soleat immolare, sed lege Hortensia effectum ut fastæ essent* [quæ lex a nemine antiquorum, quod sciam, nisi a Macrobio memoratur, sed forte lata est a Q. Hortensio dictatore A. U. CCCCLXVII.), *ut rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent. nefasto enim die prætori fari non licebat. Ergo qui ferias dicunt a mendacio vindicantur, patrocinio vetustatis: qui contra sentiunt, æstimatu ætatis, quæ legem secuta est, vera depromunt.* Quæ hucusque a Macrobio tradita sunt facile legentem inducere possunt, ut credant, pro temporum varietate, & usu Reipublicæ, NUNDINAS fuisse aliquando ferias, & nefastos dies, aliquando fastos, immo & *comitiales*. Mox tamen in aliam videtur inclinare sententiam; fuisse nimirum ab initio Urbis dies Nundinarum & *fastos*, & *comitiales*, dum ait: *Rutilius scribit, Romanos instituisse* NUNDINAS, *ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso rure, ad mercatum*, LEGESQUE ACCIPIENDAS *Romam venirent: & ut* SCITA *atque* CONSULTA *frequentiore populo referrentur, quæ* TRINUNDINO *die proposita a singulis atque universis facile noscebantur: unde etiam mos tractus ut* LEGES TRINUNDINO DIE PROMULGARENTUR. *Ea re etiam candidatis usus fuit in* COMITIUM NUNDINIS VENIRE, *& in colle consistere, unde coram possent ab universis videri. Sed hæc omnia negligentius haberi coepta, & post abolita, postquam internundino etiam ob multitudinem plebis frequentes adesse cœperunt.* Non opus igitur Salmasii conjectura, qui separare, licet admodum verecunde, videtur (*a*) nundinas τελείας πανηγύρεις, quæ *mercatus* itidem veteribus Glossis, & eas *Nundinas* quæ nono quoque die recurrebant, quas Dio *in Claudio* interpretatur ἀγορὰν τὴν διὰ τῶν ἐννέα ἡμερῶν ἀγομένην: nam ubicumque *nundinarum* mentionem reperias vix est ut *mercatus*, & *sollennium ludorum*, & *legum promulgatarum* sermo non incidat. Jam inde ab initio Urbis trinundinis *leges rogatas*, & *comitia* habita, res notior est quam ut probatione indigeat. Dionysius *lib.* VII. (*b*): Γράφεται τὸ προβούλευμα μετὰ ταῦτα ὑπὲρ τῆς δίκης, καὶ χρόνος εἰς παρασκευὴν τῆς ἀπολογίας ὁρίζεται τῷ ἀνδρὶ μέχρι ΤΗΣ ΤΡΙΤΗΣ ΑΓΟΡΑΣ. αἱ δὲ ἀγοραὶ Ῥωμαίοις ἐγίνοντο, ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων, δι' ἡμέρας ἐννάτης. ἐν δὲ ταύταις συνιόντες ἐκ τῶν ἀγρῶν οἱ δημοτικοὶ εἰς τὴν πόλιν, τάς τε ἀμείψεις ἐποιοῦντο τῶν ὠνίων, καὶ τὰς δίκας παρ' ἀλλήλων ἐλάμβανον, τά τε κοινὰ ὅσων ἦσαν κύριοι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ ὅσα ἡ βουλὴ ἐπιτρέψειεν αὐτοῖς, ψῆφον ἀναλαμβάνοντες ἐπεκύρουν. *Post hæc Senatusconsultum fit de hac lite, & spatium reo ad defensionem meditandam prorogatur in* TRINUNDINUM. *Nundinæ autem Romæ nono quoque die celebrabantur, ut nunc etiam. Iis* NUNDINIS *plebs agrestis in urbem confluebat, venaliaque permutabat, &* JURE INTER SE AGEBAT, *&* SUFFRAGIA FEREBAT *de negotiis publicis, de quibus vel leges ei permitterent arbitrium, vel Senatus ad eam referret.* Spectat hic quidem locus ad annum Urbis conditæ CCLXII. M. Minucio Augurino II. A. Sempronio Atratino II. Consulibus. Ad annum vero Urbis CCLXXXI. & consulatum L. Pinarii Rufi Mamercini, & P. Furii Fusi (utor libenter Fastis a Theodoro ab Almeloveen concinnatis) illa ejusdem Dionysii *lib.* IX. (*a*) προθέντων δὲ πάλιν τῶν δημάρχων ΕΙΣ ΤΡΙΤΗΝ ΑΓΟΡΑΝ τὴν περὶ τοῦ νόμου διάγνωσιν, καὶ συνελθόντος ἔτι πλείονος εἰς αὐτὴν ὄχλου, τὸ παραπλήσιον τῷ προτέρῳ συνέβη γενέσθαι πάθος. *Cumque Tribuni rogationem legis iterum in* TRINUNDINUM *edixissent, ac major quam ante turba ad* COMITIA *confluxisset, res non aliter quam prius magna contentione acta est.* Ad consulatum P. Volumnii Amintini Galli, Ser. Sulpicii Camerini, A. U. CCXCII. pertinent illa ex libro X. (*b*): τοῦτον προθέντες τὸν νόμον, ἐξουσίαν ἔδοσαν τοῖς βουλομένοις αὐτοῦ κατηγορεῖν, ἀποδείξαντες τὴν τρίτην ἀγοράν. *Hac lege proposita, potestatem fecerunt iis, qui dissuadere vellent, in trinundinum.* Ad A. CCXCVIII. & consulatum T. Romilii Roci Vaticani, & C. Veturii Cicurini (*c*): ἔπειτα τῇ ἑξῆς ἡμέραις τὴν τρίτην ἀπ' ἐκείνης ἐσομένην ἀγορὰν προειπόντες, ἐν ᾗ τὸ δήμιον συνάξουσι, καὶ ζημίαν ἐπιβαλοῦσι τοῖς ὑπάτοις ἀργυρικὴν, διέλυσαν τὴν ἐκκλησίαν. *Paucis diebus post, indicta in* TRINUNDINUM *die, qua populus conveniret, & Consulibus pecuniaria irrogaretur multa, dimiserunt concionem.* De altero Decemvirorum anno, nempe Urbis CCCIII. inquit Livius *libro* III. *Postquam vero* COMITIA *Decemviris creandis in* TRINUM NUNDINUM *indicta sunt.* De sequenti anno idem Dionysius (*d*): προβούλευμα γενήσεται τῆς βουλῆς ὑπὲρ ἀρχαιρεσιῶν. ἔπειτα ἐξοίσουσιν οἱ δέκα τὰ βουλευθέντα εἰς τὸν δῆμον, ὁρίσαντες ΑΓΟΡΑΝ ΤΗΝ ἀπὸ ταύτης ΤΡΙΤΗΝ. *Primum Senatusconsultum fiet de Comitiis, deinde Decemviri,* COMITIIS INDICTIS, *in* TERTIAS *abhinc* NUNDINAS *patrum decreta ad populum referent.* Audiamus etiam Columellam *lib.* I. *de Re Rustica: Nundinarum, ait, conventus manifestum est propterea usurpatos, ut nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ. Illis enim temporibus proceres civitatis in agris morabantur, & cum* CONSILIUM PUBLICUM *desiderabatur, a villis arcessebatur in Senatum. Ex quo qui eos vocabant viatores nominati sunt.*

Mos itaque antiquissimus fuit rogandi leges TRINUNDINO, nec opus fuit lege Hortensia Macrobii, ut essent dies nundinarum fasti, & comitiales: & mirum quomodo Titus, Julius Modestus, Cornelius Labeo, Julius Cæsar, atque Rutilius in diversas abierint sententias. Mos, inquam, qui postea legibus confirmatus est, nempe Cæcilia, & Didia A. U. DCLV. de quibus meminit Tullius *pro Domo sua: Hora nona illo ipso die tu es adoptatus. Si quod in ceteris* LEGIBUS TRINUNDINUM *esse oporteat, id in adoptione satis est trium esse horarum, nihil reprehendo. Sin eadem observanda sunt, ut decrevit Senatus, M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ essent, Populum non teneri; jam intelligis, omni genere juris, quod in sacris, quod in auspiciis, quod in legibus sit, te Tribunum plebis non fuisse.* Deinde adjecta est pœna per legem Liciniam & Juniam, latam post consulatum Ciceronis, nimirum An. U. DCXCI. de qua ipse Cicero meminit *Philippica* V. *Tribuni plebis tulerunt de provinciis contra Acta Cæsaris, ille biennii, iste sexennii. num etiam hanc legem Populus Romanus accepit? quid? nonne ante lata quam scripta? nonne ante factum vidimus, quam futurum quisquam est suspicatus? ubi lex* CECILIA *&* DIDIA? *ubi* PROMULGATIO, TRINUNDINUM? *ubi* POENA RECENTI

a *loc. cit.* b *pag.* 463. *nuperæ edit. Germ.*

a *pag.* 598. b *pag.* 629. c *pag.* 661. d *lib.* XI. *pag.* 298.

A LEGE JUNIA & LICINIA? *possuntne hæ leges ratæ esse sine interitu legum reliquarum?* Unde recte colligas, veteri consuetudine olim factum, ante leges Cæciliam, & Liciniam, ut *trinundino leges promulgarentur*, perferrentur, haberenturque *comitia*; nam comitia quoque leges erant, ut idem Cicero innuit *contra Rullum*. Idcirco ad Tironem de Cæsare scribens (*a*): *ad Consulatus* (inquit) *petitionem se venturum: neque se jam velle, absente se, rationem haberi sui. Se præsentem* TRINUM NUNDINUM *petiturum*. Idest alia *comitia* extra ordinem: quod fuit hominis leges dantis potius quam accipientis, & jam æstuantis libidine dominandi. B

In nostro tamen de Bacchanalibus Senatusconsulto decretum est, ut in conventibus, Populo TRIBUS NUNDINIS frequente, quod Senatus jam censuerat, Populusque Romanus subinde jusserat ediceretur: ita ut lata, & rogata, & sancita, non ferenda lex in notitiam hominum per universam Italiam perveniret. Et huc faciunt illa Rutilii apud Macrobium: *Nono autem die, intermisso rure, ad mercatum* LEGESQUE ACCIPIENDAS *Romam venirent, & ut* SCITA *atque* CONSULTA *frequentiore populo referrentur*. Quod notandum: aliud enim fuit legem, suffragiis Populi Romani C firmatam, in medium afferre, & cum obsequio accipere: aliud legem ferendam oculis subjicere, ad trutinam revocare, suadere pro concione, aut contra niti dissuadendo, antequam ad suffragia ventum esset. Hoc revera impediebat totum NUNDINARUM negotium, quum homines a mercimonio ad legis curam cogitationemque converteret; illud nihil habebat, quod aut confluentium turbam a mercando, vendendo, permutandoque, aut judices, & magistratus a jure dicundo avocaret, & averteret.

SENATVOSQVE SENTENTIAM UTI SCIENTES ESETIS. D ac si dictum esset, uti *scíretis* Senatus Populique Romani sententiam de Bacchanalibus abolendis, diruendisque: *participio* vim verbi retinente, ope *verbi substantivi*. Sic *esse volentem* dicebant, *esse scientem*. Plautus *Curculione Act.* I. *Sc.* I.

—— agite, bibite festivæ fores,
Potate, site mihi volentes propitiæ.

& *Act.* II. *Sc.* III.

Quos semper videas bibentes esse in œnopolio.

E Sic in formula lustrandi agri apud Catonem *de re rustica*: *Mars pater, te precor quæsoque, uti* SIES VOLENS *propitius mihi &c.* & in formula sacrificii porcæ præcidaneæ: *Jane Pater te, hac strue commovendo, bonas preces precor, uti* SIES VOLENS *propitius mihi, liberisque meis*. Idest *velis*. Sic Cicero *de Oratore*: *Est, ut scis, quasi in extrema pagina Phædri his ipsis verbis* loquens *Socrates*; idest *loquitur*. Quod factum imitatione Græcorum, maximeque Atticorum; apud quos tamen plura erant verba substantiva: εἰμὶ, τυγχάνω, ὑπάρχω, *sum*, γίνομαι, seu γίγνομαι, *fio*. Unde dicebant ἐγώ εἰμι γράφων, *ego sum scribens*, idest F ἐγὼ γράφω; & ἐγώ εἰμι γεγραφώς, *ego scripsi*. ἀπεκτανώς ἐστι τὸν ἄνθρωπον, *interfecit hominem*; οὐκ ἐσμὲν δυνάμενοι, *non possumus*. Κἀγὼ τυγχάνω φρονῶν, inquit Dionysius Hal. *& ego sapio*. Sic reperias apud Sophoclem: οὐ σιωπήσας ἔσῃ; *non eris tacens?* pro οὐ σιωπήσεις; *non tacebis?* Item apud Lucianum: σὺ δὲ δὴ τί πράττων τυγχάνεις; *tu vero quid es faciens?* pro τί πράττεις; *quid facis?* ut etiam Gretserus notavit (*b*).

a *Familiarium lib.* XVI. 12. b *Cap.* 2. *Syntax. Græc.*

SI QVES ESENT QVEI ARVORSVM. Incipit sanctio legis pœnam irrogans.

REM CAPVTALEM FACIENDAM. Ut in XII. *Tabula* IX. *cap.* VI. SI QVIN VRBE COETVS NOCTVRNOS AGITASIT CAPITAL ESTO. *Capital* (pro capitale,) *facinus quod capitis pœna luitur*, inquit Festus (*a*). Nonius Marcellus, *Capital dictum est capitis periculum. Plautus Menæchmis* (*b*): *Nunquam hercle effugiet, tametsi capital fecerit. Lucillius libro* XXVI. *Facile deridemur; scimus capital esse irascier*. Idem Plautus *Mercatore* (*c*);

EV. *Mulier alienata est abs te*. CH. *Eutyche, capital facis,*
EV. *Qui?* CH. *Quia æqualem & sodalem civem liberum enicas.*

Sic Arrius Menander *libro* III. *de Re militari* (*d*): *Si quis commilitonem vulneravit, si quidem lapide, militia rejicitur; si gladio,* capital *admittit*. Callistratus *lib.* V. *de cognitionibus* (*e*): *Alia quoque lege Agraria, quam Divus Nerva tulit, cavetur, ut si servus, servave insciente domino dolo malo fecerit,* capital *esset*. Exempla sunt obvia. Eadem analogia dicitur *Vectigal*, *Animal*, *Bacanal*, *Minerval*, immo *Virginal*, *Feminal*, *puteal*. Aliud est *capital* tegumenti genus apud Varronem *libro* IV. *de LL. Dictum capital a capite quod sacerdotulæ in capite etiam nunc solent habere.*

IN TABOLAM AHENAM, vulgo *æneam*, vel *æream*. Sic Ovidius *Metamorph.* I. *v.* 125.

Tertia post illas successit ahenea proles,
Sævior ingeniis, & ad horrida promtior arma.

Horatius *libro* I. *Epist.* I. *v.* 60.

—— hic murus aheneus esto.

Cujus rei rationem discimus ex Gellio (*f*): H. *litera* (inquit) *sive illam spiritum magis quam literam dici oportet, inserebant eam veteres nostri plerisque vocibus verborum firmandis, roborandisque, ut sonus earum esset vividior, vegetiorque: atque id videntur fecisse studio & exemplo linguæ Atticæ.* & infra: *Sed quoniam* AHENI *quoque exemplo usi sumus, venit nobis in memoriam, fidum optatumque multi nominis Romæ Grammaticum ostendisse mihi librum Æneidos secundum, mirandæ vetustatis, emtum in sigillariis* XX. *aureis, quem ipsius Vergilii fuisse credebat; in quo duo isti versus cum ita scripti forent:*

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine Pyrrhus
Exultat telis, & luce coruscus aena.

additam supra vidimus H *literam, &* AHENA *factum. Sic in alio quoque Vergilii versu in optimis libris scriptum invenimus.*

Aut foliis undam tepidi despumat aheni.

Ad firmandam Gellii sententiam tabula nostra plurimum valet.

Res memoria dignas quum postibus, tum frontibus ædium insculpere moris fuit, quin & tabulis æneis, quæ in intima ædium parte asserva-

a *in Capital.* b *Act.* I. *Sc.* I. c *Act.* III. *Sc.* 4. d *l.* 6. §. 6. *D. de re militari* e *l. ult.* §. I. *D. de termino moto.* f *lib.* II. *cap.* III.

bantur. Vetus epigramma in *catalectis Pithœi lib.* III. (*a*)

Viator audi; si libeat intus veni,
Tabula est ænea, quæ te cuncta perdocet.

VTEIQVE EAM FIGIER JOVBEATIS. Leges in eas incidi consuevisse, ac publice figi, notum est. Livius *libro* III. *Priusquam Urbem Consules egrederentur, leges Decemvirales, quibus Tabulis* XII. *est nomen, in æs incisas in publico proposuerunt.* Eadem habet Dionysius *libro* X. Somniasse igitur vigilantem Pomponium Jurisconsultum liquet, qui tradit (*b*), leges XII. in tabulas eboreas præscriptas fuisse: quod ab aliis est animadversum. Huc faciunt illa Plauti *Trinummo*(*c*).

——— mores
Leges perduxerunt jam in potestatem suam, magis qui sunt
Obnoxii quam parentes liberis: eæ miseræ etiam.
Ad parietem sunt FIXÆ *clavis ferreis, ubi malos mores*
Affigi nimio fuerat æquius. ———

Ovidius *Metamorphoseων* I. 91. 82.

——— nec verba minacia FIXO
AERE *legebantur* ———

Cicero *Philippica* I. *Assentiri etiam nos Ser. Sulpicio clarissimo viro voluit, ne qua* TABULA *post Idus Martias ullius decreti Cæsaris, aut beneficii* FIGERETUR, & infra: *Acta Cæsaris firma erunt: quæ ille in* ÆS INCIDIT, *in quo populi jussa, perpetuasque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur*, item inferius: *id lex erit, & in* AES INCIDI *videbitis.* Hinc illud Q. Haterii apud Tacitum (*d*): *Ejus diei Senatusconsulta aureis literis in Curia* FIGENDA. Nil mirum, quando in argenteam columnam incisa est oratio illa (*e*), quam, a Seneca dictatam, Nero in Senatu recitavit in ipsis Imperii primordiis; quæque risu excepta est, quum eo devenit, ut Claudii prudentiam exquisitis laudibus in cælum efferret (*f*). Sane invaluit mos, ut Principum orationes in æs inciderentur (*g*): & *Plinius in Panegyrico*, veluti novum quid, narrat Senatus sententiam, de Senatorum etiam acclamationibus in æs incidendis.

Non in unicam tantum tabulam lex incidebatur, sed plures fiebant eodem exemplo, ut plurima æra docent, quæ adhuc supersunt (*h*). Tacitus *Annalium* XI. *Quo exemplo Claudius tres literas adjecit, quæ usui imperitante eo, post obliteratæ, aspiciuntur etiam nunc in* AERE, *publicandis plebiscitis* PER FORA AC TEMPLA FIXO. Etiam ut in colonias, municipia, præfecturas, extraque Italiam mitterentur: quod factum esse imitatione Græcorum, ex *Platonis* loco in *Minoe* docet Guilielmus Budæus (*i*): ὁ γὰρ Τάλως τρὶς περιήει τοῦ ἐνιαυτοῦ κατὰ τὰς κώμας φυλάττων τοὺς νόμους ἐν αὐταῖς, ἐν χαλκοῖς γραμματίοις ἔχων γεγραμμένους τοὺς νόμους. *Hic enim Talos ter in singulos annos regionem passim obibat, custodiæ legum intentus*, AEREASQUE LEGUM TABULAS *pagatim circumferens*. Aliæ, prorsus diversæ, fuere tabulæ

A æreæ, in quibus incidebantur leges, formæque agrorum, quum coloniæ deducerentur, agrique assignarentur, de quibus inquit Venulejus Jurisconsultus: *qui tabulam æneam legis, formamve agrorum, aut quid aliud refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Julia peculatus tenetur* (*a*). Siculus Flaccus de conditionibus Agrorum, tit. *de divisis & assignatis: Quidam formas, quarum mentio habita est, in ære sculpserunt, idest in æreis tabulis scripserunt. Hic tamen quidquid instituerunt, curandum erit ut fide publica æstimetur, neu quis voluntario finem proferat. Illa tantum fides videatur, quæ æreis tabulis manifestata*
B *est.* Aggenus vocat *ærescripturam* Commentariis in Frontinum de limitibus agrorum. *Æris libros, Æris tabulas* Hyginus de *Limitibus Constituendis. Omnes significationes & formas æris tabulis inscribemus*: & infra: *Libros æris & typum totius perticæ linteis descriptum, secundum suas terminationes adscriptis affinibus, tabulario Cæsaris inferemus.*

Principio L. Valerius Poplicola Potitus, M. Horatius Barbatus, qui primi post Decemviros cum consulari imperio rempublicam administrarunt, An. Ur. CCCIV. instituerunt ut *Senatus-*
C *consulta in ædem Cereris ad Ædiles Plebis deferrentur, quæ ante arbitrio Consulum supprimebantur, vitiabantur*, ut Livius memoriæ prodidit (*b*). Idque factum est exemplo Atheniensium, qui publicas tabulas in æde Matris Deum asservabant (*c*), ἐν τῷ Μητρῴῳ; eique tabulario præfectum appellabant τὸν Δημόσιον (*d*). Apud Dionem tamen *lib.*LVII. invenies ipsum tabularium τὸν δημόσιον nuncupatum. Deinde cum ceteris tabulis legum, quod æneæ erant, ad ærarium deferri, & cum publicis pecuniis condi cœperunt in æde Saturni atque Opis, in vico jugario ad capitolini montis radices (*e*): unde Livius *libro* XXXV. *Ve-*
D *rum quum sint notissimæ sibi cum consule inimicitiæ, quid ab eo posse quemquam æqui expectare, qui per infrequentiam furtim factum S. C. ad Ærarium detulerit.* Et Tullius de M. Antonio (*f*): *Sed Senatus etiam consulta, pecunia accepta, falsa referebat: syngraphæ obsignabantur: senatusconsulta tanquam facta ad Ærarium referebantur.* Tacitus *Annalium* III. *Factum S. C. ne decreta Patrum ante diem decimum in Ærarium deferrentur.* Fuit id olim sub Quæstoribus, postquam negligentia Tribunorum plebis & Ædilium, ad quos ea cura jamdiu pertinuit, error & confusio incidissent; deinde quum absente Julio
E nulli Quæstores essent creati, duobus Ædilibus id negotium datum est, donec Augustus Prætores Prætoriosve viros substituit (*g*). Reditum ad Quæstores sub Claudio: ac tandem Præfectos ærarii creavit Nero. Tacitus XIII. *Annal. Dein Princeps curam tabularum publicarum a Quæstoribus ad Præfectos transtulit. Varie habita, ac sæpe immutata ejus rei forma. Nam Augustus permisit Senatui deligere præfectos, dein, ambitu suffragiorum suspecto, forte ducebantur ex numero prætorum qui præessent. Neque id diu mansit, quia sors deerrabat ab parum idoneos. Tunc Claudius quæ-*
F *stores rursus imposuit; iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit. Sed deerat robur ætatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero præfectura* (*) *perfunctos, & experientia probatos delegit.* Legesis quæ ad hunc locum Lipsius notavit.

a *Voss. not. in Paterc. lib.* I. b *l.* 2. §. 4. *D. de orig. jur.* c *Act.* IV. *Sc.*3. d III. *Annal.* e *Xiphilinus citatus a Lipsio ad* XIII. *Annal. Tacit.* f *Tacit.* XIII. *Annal.* g *Ex Dione Lipsius ad eundem librum.* h Tabula honestæ missionis in musæo Andreinio Florentiæ, edita a Clar. Ant. Franc. Gorio, & iterum a V. Clar. Scipione Maffæi *in hist. Art. diplomat.* i *ad l. un. D. de offic. Præf. Prætor. versa pag.* 57.

a *in l. qui tabulam* 8. *D. ad leg. Jul. pecul.* b *lib.* III. c *Julianus Imp. orat.* V. *&* VI. *Harpocration in* MHTPΩON. c *Ex Athen. lib.*V. *Reinesius classe* VII. 24. e *Plutarch. quæst. Rom.* XLII. *Sueton. in Jul. cap.*XXVIII. f *Philippica* V. g *Dio lib.*LII. * *forte* prætura.

Ædes Saturni, sive Ærarium pars erat Capitolii in VIII. Urbis Regione (*a*), quod clare ostendit Cicero III. *in Catilinam*: *Nam profecto memoria tenetis, Cotta & Torquato Coss.* (*b*) *complureis in Capitolio turreis de cælo esse percussas, cum & simulacra Deorum immortalium depulsa sunt, & statuæ veterum hominum dejectæ, & legum æra liquefacta*. Quæ superfuere, & quæ deinceps incisa sunt proculdubio Neronianum incendium absumsit: ait enim Suetonius: (*c*) *Domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ, Deorumque ædes ab Regibus, ac deinde Punicis & Gallicis bellis votæ dedicatæque*. Harum plurimas fuisse in Capitolio, quis neget? Incendium sane etiam loca edita corripuit, teste Tacito (*d*): *Impetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita surgens, rursum inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali*. Si quid autem ex tot tantisque cladibus reliquum fuit, consumtum est eo incendio, quod Vitelliani, expugnato Sabino, qui ad Vespasiani partes transierat, excitarunt: de quibus Josephus (*e*): *διαρπάσαντές τε οἱ στρατιῶται τὰ ἀναθήματα, τὸν ναὸν ἐμπιπρῶσι* (*f*): *militesque, quum donaria omnia diripuissent, templum succendunt* (*g*). Hanc præcipue ob rationem (aut ego valde fallor) omnia restituenda, ac præsertim tabulas legum, suscepit postea Vespasianus: de quo Suetonius (*h*): *Ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit, ærearumque tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus: instrumentum imperii pulcherrimum, ac vetustissimum, quo continebantur pene ab exordio Urbis Senatusconsulta, Plebiscita, de societate, & fœdere, ac privilegio cuicunque concessis*. Nimirum ignoravit Suetonius *turreis de cælo percussas, & legum æra liquefacta Cotta & Torquato Coss*. Quinimmo decretam a Senatu eam restitutionem, scribit Tacitus (*i*), adhuc absente Vespasiano: *Mox Deos respexere. restitui placuit Capitolium: eaque omnia Valerius Asiaticus, Consul designatus, censuit*, & infra: *Censuerat Helvidius ut Capitolium publice restitueretur, adjuvaret Vespasianus. Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit*. Demum: *Quo die Senatum ingressus est Domitianus, de absentia patris, fratrisque, ac juventa sua, &c. .... tum sorte ducti per quos redderentur bello rapta, quique æra legum vetustate delapsa noscerent, figerentque, & qui Fastos adulatione temporum fœdatos exonerarent, modumque publicis impensis facerent*. AERA LEGUM *vetustate delapsa*, non *incendio absumta* inquit Historicus. Sed utrumque verum.

Nulla ab allatis auctoribus injicitur mentio legis Regiæ, sive de summo Augusti imperio: quam tabulam, vere instrumentum imperii ac dominationis pulcherrimum, restitutam in primis oportebat. Id tantum de Octavio Suetonius (*k*): *Tribuniciam potestatem perpetuam recepit; in qua semel atque iterum per singula lustra collegam sibi cooptavit. Recepit & morum legumque regimen æque perpetuum: quo jure, quamquam sine censuræ honore, censum tamen populi egit: primum ac tertium cum collega, medium solus*. Quinimmo Hub. Golt. cui magnæ curæ fuit C. Octavii honores in literas referre, & qui in Fastis Augusteis, a se concinnatis, sine ullo auctore scripsit, perpetuam A Dictaturam, quam ut invidiosam (*a*) proculdubio aversatus est, Octavium sumsisse An. U. DCCXXX. & ex. V. Kal. Jul. abdicasse, ipse, inquam, Goltzius integro volumine, quod de Augusto scripsit, ne verbum quidem de *lege Regia* ausus est facere. Sciebat enim, delatos quidem Octavio summos in republica magistratus, sed per singula quinquennia, aut decennia ab eo initos; cooptato etiam quandoque collega, ut loco citato tradit Sueton. immo de restituenda republica ipsum quandoque serio cogitasse: quæ mirum quantum absunt a summo imperio, & lege Regia. Præterea gravissime in principatum peccasset Vespasianus, si vete- B rem quidem legem de Augusti imperio in æs restitui neglexisset, novum vero Senatusconsultum, ut ipse legibus solveretur, fieri sivisset. Quid enim magis idoneum ad solvendam vim dominationis, quam leges non utique dare, sed accipere? & patribus conscriptis summam potestatem acceptam ferre? Quid si Senatus aut memoria veteris libertatis, aut recentibus contumeliis permotus, restituendæ reipublicæ opportunitatem arripuisset, certisque legibus ac veluti cancellis eam potestatem cohibendam atque continendam existimasset? Quid si de ea re more prisco ferri placuisset ad populum C comitiis centuriatis? quid si populus Vespasiano Tribuniciam potestatem abrogasset, nec legionarii dissensissent, satis Caligulæ, Neronis, Vitelliique scelera, ac flagitia dominationis pertæsi? Ferendum erat.

Reponet aliquis, legi apud Gruterum (*b*) legis Regiæ fragmentum, quæ de imperio Vespasiani lata est, haud suspectæ apud antiquarios fidei: ubi inter cetera scriptum est: VTIQVE QVIBVS LEGIBVS PLEBEIVE SCITIS SCRIPTVM FVIT NE DIVVS AVGVSTVS TIBERIVSVE IVLIVS CAESAR. AVG. TIBERIVSQVE CLAVDIVS CAESAR AVG. GERMANICVS (cur omissus Caligula?) TENERENTVR. IIS D LEGIBVS PLEBISQVE SCITIS IMP. CAESAR. VESPASIANVS SOLVTVS SIT. Atqui, si fragmento fides, jam non unicam legem Regiam latam fuisse fatendum erit, sed de imperio quoque Tiberii, & Claudii; immo & ceterorum principum a Divo Augusto ad Vespasianum? Quidni enim? Quo magis mirum, omnes hujusmodi leges perpetuo silentio ab historicis prætermissas, nullumque de iis vestigium neque in æreis tabulis, neque in nummis, neque in lapidibus usquam gentium inveniri? Adeone nihili fuit lex de summo Pop. Rom. imperio? Nam adulationes Jurisconsultorum nihil moror (*c*). Contra, magnus regnandi artifex Tiberius, E ratus fore rem periculi plenissimam, si populi suffragiis morum legumque regimen, aut jus reipublicæ constituendæ exemplo Augusti singulis decenniis acciperet; consulto abstinuit, & ludos tantum decennales celebravit, teste Dione (*d*); satis sibi prospectum existimans quod Paulus Romanus inani tantum rumore jus sibi comitiorum ademtum questus esset, & in sua verba jurasset (*e*); ipse relationibus Consulum jure tribuniciæ potestatis intercederet. Hinc illa Taciti: *Addebat Messalla Valerius, renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii; interrogatusque a Tiberio, num se* F *mandante eam sententiam promsisset? sponte dixisse, respondit, veritus Tiberii offensionem, iramque in cædes facile erupturam*. Supposititium igitur atque adulterinum esse fragmentum illud de imperio Vespasiani per me dicas licet, quousque meliora a viris doctis in medium afferantur.

GNOSCIER POTISIT. *Dignosci possit*. Ex anti-

a *Sex. Rufus*, *P. Victor*, *Panvin. de Urbe Roma pag.* 144. 185, 186. *edit. Paris.* 1588. *in* 8. b *An. Urb.* DCLXXXVIII. c *in Nerone cap.* XXXVIII. d XV. *Annal.* e *De bello Judaico lib.* IV. *cap.* XL. 4. f *al.* *ἐνέπρησαν*, *ut notavit Cl. Hudsonius*. g Vide Dionem *lib.* LXV. *in fin.* h *cap.* VIII. i IV. *Histor.* k *In Octavio cap.* XXVII.

a Post necem Julii sublata est penitus Dictatura per legem *Antoniam*, ut constat ex Ciceronis *Philippica* I. & Appiano *lib.* III. b *pag.* CCXLII. c *Ulpianus l.* 1. *D. de constitutionib. Princ.* § *Sed & quod Principi Instit. de Just. & jur. Pomponius. l.* 2. *de orig. Jur.* §. XI. d *lib.* LVII. e *Tacit.* I. *Ann.*

quo verbo *Gnosco*, quod fluxit a Græco γινώσκω. Vel a *nosco*, quod per figuram, quam Grammatici *Prothesin* vocant, evasit in *Gnosco*, adjecto G in principio dictionis. Sic *Gnavus* pro antiquo *Navus*, *Gnarus* pro *Narus*, *Gnatus* pro *Natus*, *Gnobilis* pro *Nobilis*. Festus: *Nobilem*, inquit, *antiqui pro noto ponebant, & quidem per* G *literam, ut Plautus in Pseudolo*:

Peregrina facies videtur hominis, atque gnobilis.

Locus est ex *Actu* IV. *Sc.* II. sed longe melius in vulgatis editionibus legitur:

Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis.

nam Ballio leno loquitur de Simia clamydato sycophanta, qui una cum Pseudolo servo advenerat, falsas ei redditurus literas, quasi a Polymachæroplacide milite, ut Phœnicium meretricem auferret: neque veri simile est sycophantam fuisse adeo liberali facie, ut homo nobilis callido lenoni videretur.

POTISIT. Veteres dixere *potis sum*, *potens sum*, pro *possum*; *sciens sum* pro *scio* more Græcorum, ut paullo superius adnotavimus. Pacuvius apud Varronem (*a*): *Nulla res æque cicurare, neque mederi potis est, neque reficere.* Ab eodem fonte *poti* pro *potiri*, quo usus est idem Pacuvius in *Iliona* apud Nonium (*b*), *potesse* pro *posse*, & similia.

FACIATIS VTI DISMOTA SIENT, pro *dimota*. S. ante M, & ante N olim ponebatur: ut POESNIS pro *Pœnis*, CASMENAS pro *Camenas*, CESNAS pro *cenas*, auctore Festo; & DUSMOSUM locum dicebant pro *dumosum*, COSMITTERE pro *committere*. Sic apud Varronem (*c*) scriptum invenitur CASMILVS pro *Camillus*: *Igitur dicitur in nuptiis Casmillus qui cumerum (d) fert, in quo quid sit in ministerio plerique extrinsecus nectunt: hinc Casmillus nominatur in Samothraces mysteriis Dius quidam administer diis magnis (e). Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poemateis ejus inveni.* Hæc Varro. Virgilius *libro* XI. *Æneid. v.* 542. 543.

—— *matrisque vocavit*
Nomine Casmillæ mutata parte Camillam.

Ad *Casmenas* tamen quod attinet, ea ratio scribendi per S. haud diu mansit; sed per R scriptum dictumque *Carmenæ*, eodem libro docet Varro: *At quas memorat nosse vos Casmenas, Casmenarum priscum vocabulum ita natum atque scriptum est. alibi* CARMENÆ *ab eadem origine sunt declinatæ, ut in multis verbis, in quo antiqui dicebant* S, *postea dicunt* R, *ut in carmine Saliorum sunt hæc*: COSAULI, DOLOSI, ESO. *Omnia vero adpatula coemisse (f): Jam* CUSIATI, MUSES, RUSE, *dumque Janus venet: post* MELIOS *melior*, FOEDESUM *fœderum*, PLUSIMA *plurima*, ASENA *arena*, JANITOS *janitor*. *Quare* CASMENA *Carmena: inde Carmina.* R *postea extrito* CAMENA *factum*. In basi etiam columnæ rostratæ legitur TRIRESMOS pro TRIREMES. Ad sua igitur tantummodo tempora respexit Velius Longus (*g*), quum inquit, integram præpositionem *Dis* ubique scribi, præterquam si dictio sequens incipiat ab M, N, L, ut *dimovit*, *dinoscit*, *diluit*.

Dismota sient in agro Teurano: regimine sumto non a *dimoveo*, sed a verbo substantivo SUM: dicimus enim, *est in Urbe*, *est in agro*. Tantundem igitur valet *dismota sient in agro*, quantum si scriptum fuisset, *Faciatis uti nusquam posthac sint Bacchanalia in agro Teurano.*

IN AGRO TEVRANO. Principio cogitabam, agrum Teuranum eundem esse ac Thuriorum, deceptus quadam vocum affinitate, & Strabonis loco, qui regionem Taurianam ponit supra Thurios: sed re perpensa facile comperi, me multis parasangis a recta aberrasse via. Equidem Thurii, Achæorum, & Trœzeniorum coloni (*a*) Duce Philoctete (*b*), Tarentini sinus accolæ fuere, inter Sybarim & Crathim fluvios, ad ipsum Isthmum, qui per stadia CCC. ad Cerillos usque pertinet, Lucaniamque a Brutiis separat. Strabo *lib.* VI. *Geograph.* (*c*) Ἐστὶ δ᾽ ἡ μὲν Λουκανία μεταξὺ τῆς τε παραλίας τῆς Τυῤῥηνικῆς καὶ τῆς Σικελικῆς, τῆς μὲν ἀπὸ τοῦ Σιλάριδος μέχρι Λάου, τῆς δ᾽ ἀπὸ Μεταποντίου μέχρι Θουρίων. κατὰ δὲ τὴν ἤπειρον ἀπὸ Σαυνιτῶν μέχρι τοῦ ἰσθμοῦ τοῦ ἀπὸ Θουρίων εἰς Κηρίλλους, πλησίον Λάου· στάδιοι δ᾽ εἰσὶ τοῦ ἰσθμοῦ, τ. Ὑπὲρ δὲ τούτων, Βρέττιοι χεῤῥόνησον οἰκοῦντες· ἐν ταύτῃ δ᾽ ἄλλη περιείληπται χεῤῥόνησος ἡ τὸν ἰσθμὸν ἔχουσα τὸν ἀπὸ Σκυλλητίου ἐπὶ τῷ Ἱππωνιατῶν κόλπον. *Sita est autem Lucania inter oram Tyrrheni ac Siculi maris, illic a Silaro usque ad Laum, heic a Metaponto usque ad Thurios: in continente autem a Samnitibus usque ad isthmum, qui a Thuriis ad Cerillum pertinet, prope Laum: isthmus stadia occupat,* CCC. *Supra hos Bruttii peninsulam incolunt, quæ aliam includit peninsulam, in qua est isthmus a sinu Scylletio ad Hipponiatem sinum porrectus.* Graphice regionem oculis lectorum subjicit Geographus, quem diligentissime universam Italiam lustrasse nullus dubito. A Thuriis ad Rhegium peninsula, cujus isthmus ab ostio Sybaris fluvii ad Cerillos, prope Laum, qui in mare Tyrrhenum influit. Dehinc regio late patet a Blanda, nunc *Belvedere*, ad Crimisum promontorium, vulgo *lo Cirò*; itemque a Clampetia, vulgo *Amantia* (falso quibusdam *Napitium*) ad Lacinium, & tria Japygum promontoria, quorum postremum appellant *Capo rizzuto*. Inde sinus Scyllacius, ad Jonii partem illam spectans, quam veteres *Ausonium mare* appellaverunt; qui respondens Hipponiati sinui, sive Lametino ad Tyrrhenum mare, angustiorem alium isthmum efficit ab *Scyllacio* oppido ad *Aquas Angitias*, & *Angitolam fluvium*. Ecce minorem peninsulam, quam includit major Bruttiorum peninsula. De ea Strabo paulo superius: ἐστὶ δ᾽ αὐτὸς ὁ ἰσθμὸς ἑκατὸν καὶ ξ στάδιοι, μεταξὺ δυοῖν κόλπων, τοῦ τε Ἱππωνιάτου, ὃν Ἀντίοχος Ναπιτῖνον εἴρηκε, καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ. *Is isthmus stadiorum* CLX. *inter duos jacet sinus, Hipponiatem (quem Napitinum (d) nominavit Antiochus) atque Scylletium.* Napetinum sinum per η scribit Dionysius Halicarnasseus (*e*), ut infra videbimus. Quum igitur nulla non ratio suadeat, in ipso agro Teurano, ubi quondam fixa fuit, ahenam tabulam repertam esse; situmque sit *Tiriolum oppidulum* cis minorem, ultra majorem Strabonis isthmum, Meridiem versus; a *S. Eufemia*, quod est oppidum in interiore Hipponiate sinu non longe ab ostio Lameti fluvii, millibus passuum XVI. distans; a Catacio, nunc *Catanzaro*, ad Ortum mill. pass. VII. a *Mayda* ad Austrum mill. pass. XII. a Scyllacio mill. pass. XII. a Crotone mill. pass. XLV. ab ostio Sybaris, atque adeo a Thuriis in sinu Tarentino plusquam LX. manifestum est nihil agro Teurano cum agro Thuriorum proprio esse commune.

Ad hæc, Thurii iidem ac Sybaritæ (*f*), auctore Stephano: Θούριοι, πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον

a *lib.* VII. *de LL.* b *De contrariis generibus Verborum in* poti. c *loc. cit.* d Vas nuptiale, de quo vide Festum. e Mercurius, *de quo supra p.* 21. f *aliter* convenisse. g *lib. de Orthogr.*

a *Aristotel. Polit. lib.* V. *G. Hill. ad Dionys. Geogr. v.* 573. b *Justin. lib.* XX. *in princ.* c *pag.* 255. d Vide *Dionys. lib.* I. *pag.* 27. e *eod. loc.* f *Suidas in* Alexis.

A
Σύβαρις ἀπὸ Θουρίας πηγῆς· ὕστερον δὲ Κωπίαι. *Thurii urbs Italiæ, quæ ante Sybaris, a Thurio fonte: postea vero Copiæ* (*a*), Tradunt enim, annno III. Olympiadis LXVII. Crotoniatas, duce Milone athleta, insigni clade Sybaritas affecisse; quum ille jussisset tibicines canere eos numeros, ad quos hostium equi inter epulas saltare consueverant (*b*). *Jove* valde *irato* eos periisse scribit Dionysius Geographus *v.* 372. — 374.

> Ἔστι δέ τοι κἀκεῖθι, Διὸς μέγα χωσαμένοιο
> Δειλαίη Σύβαρις ναέτας στενάχουσα πεσόντας,
> Μηναμένους ὑπὲρ αἶσαν ἐπ' Ἀλφειοῦ γεράεσσι.
> *Est autem etiam ibi Jove valde irato*

B

> *Infelix Sybaris, incolas gemens interemptos,*
> *Qui insanierunt supra modum ob Alphæi præmia.*

Jove irato, vel quod dona Jovi Olympio dicata diripuissent, τὰ ἐν ναῷ ἀναθήματα, ut habet Eustathius (*c*); vel quod, uti oraculum Delphicum prænunciaverat, plus hominem quam Deum coluerunt: herus enim quidam, quum servum in ipso Junonis templo flagris cædere non temperasset, confugientem tandem ad sepulcrum paternum cædere destitit (*d*). Citharœdum ad ipsam Junonis aram trucidatum a Sybaritis, tradit Ælianus (*e*). Ceterum Sybaritarum reliquiæ a Thessalis

C
collectæ dicuntur, & in antiquos lares deductæ (*f*); a Crotoniatis autem iterum expulsæ Olympiadis LXXXIII. anno I. & biennio post Thurios urbem ædificatam narrant. Anno a Roma condita CCCCLI. Coss. M. Livio Dentre & M. Æmilio Paulo, capti Thurii a Græcis; mox Græcis ademti. Livius *lib.* X. *Eodem anno classis Græcorum, Cleonymo duce Lacedæmonio, ad Italiæ littora appulsa Thurias urbem in Salentinis cepit. Adversus hunc hostem Cos. Æmilius missus prælio uno fugatum compulit in naves. Thuriæ redditæ veteri cultori; Salentinoque agro pax parta.* Thurios, diu secunda fortuna usos, tandem Lucanis paruis-

D
se, ex Græcis (*g*) Latinisque scriptoribus colligit Ph. Cluverius; quumque Lucani a Tarentinis oppressi tandem essent, ad Romanos confugisse; qui Latinam coloniam eo deduxerunt, eodem Ann. Urb. DLIX. quo Tempsam, & Crotonem, Coss. P. Scipione Africano II. & Tib. Sempronio Longo. Sed frustra Livium *lib.* XXXIV. testem advocat Cluverius: ille enim diserte tradit *lib.* XXXV. coloniam in Thuriorum agrum sequenti anno deductam fuisse, Coss. L. Cornelio Merula & Q. Minucio Thermo, exiguumque pro agri copia colonorum numerum ibi relictum a Triumviris. Inde coloniæ nomen *Copiæ* factum, haud inepte dixeris

E
(*h*). Non igitur agrum Teuranum, neque Thurinum in Edicti de Bacchanalibus tabula dixissent Romani post octo annos a colonia deducta, sed agrum *Copiatarum*. Saltem *Thurium*, nam gentile a *Thuriis* fit *Thurius*, non Thurinus: unde corrigendus est Plinii locus *lib.* XXXIV. *cap.* IV. & pro *Thurini* legendum *Thurii*: quod non latuit Fulvium Ursinum in notis ad *Dionysii Halicarnassei Eclogam* V. *de legationibus*, *pag.* 106. *edit. Plantin.* Liquet etiam, ut obiter hoc moneam, non esse de Thuriis ad mare superum accipienda verba Suetonii (*a*), ubi, de Augusti origine verba faciens, *agrum Thurinum* nominat, *pagum Thurinum*, *regionem Thurinam*; unde Octavius per contumeliam a M. Antonio *Thurinus* est appellatus: neque enim pagi appellatio nobilissimæ Bruttiorum urbi coloniæque Latinæ convenit, nec nisi frigidissimam inde cavillandi occasionem captasset Antonius. Magis est igitur ut dicamus, pagum *Thurinum*, vel *Turinum* Suetonii a *Turio* fluvio nomen sumsisse, quem sex millibus passuum Roma abesse docet Livius (*b*). De eodem pago accipiendus est Paterculus, ubi Annium Milonem circa *Turios* oppressum narrat. (*c*).

Teuranum fieri ab antiqua *Terina*, quam evertit Hannibal, dum tutari non posset (*d*), vetat analogia: ejus gentile est *Terinæus*, ut veteres nummi docent cum inscriptione TEPINEION(*e*), & Stephanus in TEPINA (*f*),

Est igitur aliunde petenda agri *Teurani* appellatio: nec ulla commodior ea, quam ex Strabone discimus (*g*): ὑπὲρ δὲ τῶν Θουρίων, inquit, καὶ ἡ Ταυριανὴ χώρα λεγομένη ἵδρυται. *Super Thurios est etiam sita regio, quæ vocatur Tauriana.* Hunc locum immerito sollicitat Philippus Cluverius (*h*), & pro Ταυριανὴ reponendum contendit Θουριανὴ: nam gentilia, inquit, vocabula a Thurio refert Stephanus, Θουρῖνος, & Θουριανὸς; *Thurinus*, *Thurianus*. Atqui Strabo aliam prorsus regionem in animo habuit, quam quæ proxime Thurios circumjacet: quid enim dicto opus fuisset, *Thuriorum* regionem appellari *Thurinam*, aut *Thurianam*? præsertim quum post pauca de ipsis Thuriis esset verba facturus? Ideo inquit, *supra Thurios* ὑπὲρ δὲ τῶν Θουρίων, non *circa Thurios* περὶ δὲ τοὺς Θουρίους. Immo neque Stephanus *Thurinos*, & *Thurianos* appellatos scribit, tametsi analogia id postulare videtur, sed *Thurios*, *Thuriacos*, *Thuriatas*, & *Thurienses*.

Tauriana itaque Strabonis regio, quæ est supra Thurios, idest quæ incipit supra fines Thuriorum, sive ager *Teuranus*, in latum quidem pertinet ad usque Lai fluminis ostium; & nominis vestigia satis apparent in mediterraneo oppido haud incelebri ad Apennini radices, etiam nunc *Torano* (*i*): in longum vero protenditur ad fretum Siculum; dictaque est meo judicio *Tauriana* a jugis montium, qui mediam secant Italiam. Omnes enim inalpini *Tauri* dicti sunt, ut ipsemet Cluverius alibi docet (*k*). Ad rem Stephanus: Ταῦρος, ὄρος διὰ μέσης Ἀσίας διῆκον· Διότι Ταύρους οἱ παλαιοὶ πάντα ὅσα μεγάλα καὶ βίαια ἐπωνόμαζον, Ἢ προτομῇ Ταύρου τὰ πρὸς τῇ θαλάσσῃ αὐτοῦ ἀπείκασε. Τὸ ἐθνικὸν Ταυριανὸς, πλεονασμῷ τοῦ α, ὡς Ζυγιανός. *Taurus, mons per mediam Asiam pertinens: quod antiqui omnia magna & violenta* tauros *cognominabant. Vel effigiei tauri partes ejus ad mare similes erant. Gentile Taurianus, pleonasmo literæ a, ut Zygianus.*

a quæ desumta sunt ex Strabone *lib.* VI. quem vide *pag.* 263. *edit. Paris.* b *Ælian. lib.* XVI. *histor. animal. cap.* XXIII. c ad eumdem Geographi locum, citatus a Guil. Hill. *in commentar.* d *Eustath. loco cit. Stephanus in* Σύβαρις. e *Var. hist. lib.* III. *cap.* XLIII. f Quo spectat Thuriorum nummus argenteus apud me, habens ut ceteri taurum cornupetam,

F
cum inscriptione ΘΟΥΡΙΩΝ; sed, quod non obvium, in extimo plano, pedibus Tauri supposito, legitur literis parvissimis ΜΟΛΟΣΣΟΣ: nam Thessaliæ partem Molossi, Epirotica gens nobilissima, incoluit, teste Strabone *lib.* IX. *pag.* 429. 430. Thurium igitur conditum, & nummus cusus ante secundam cladem a Crotoniatis illatam. g *Strabo lib.* VI. *pag.* 263. h Tristanus *Tom.* I. *Comment. histor. pag.* 18. citatus a Vaillantio *Numism. ær. Impp. in colon. in Julio pag.* 4. existimat ad Thurium M. Græciæ urbem pertinere nummum, in quo capita Julii & Augusti visuntur cervicibus oppositis, & in adversa area navis Prætoria, sub qua scriptum COPIA. Ipse Vaillantius & Harduinus in diversas abeunt sententias.

a *in Augusto c.* II. III. VII. b *lib.* XXVI. c Vide Ger. *Vossii notas ad Paterculi lib.* II. *cap.* LVIII. d *Strabo lib.* VI. e Per O, non per Ω, ut in vetustissimis Græcorum nummis sæpissime invenias. f Ubi videndæ doctissimi Holstenii castigationes, & notæ g *lib.* VI. *pag.* 254. h *Ital. antiqu. pag.* 1271. i Fr. Leander Albertus *Ital. region.* VII. veterem Dampetiam existimat; sed valde, nec uno modo fallitur; tum alii qui huic sententiæ acquiescunt: est enim Dampetia eadem ac *Lampetia*, sive *Clampetia*: hæc vero, teste Lycophrone apud Holstenium *notis*, & *castigationibus in Stephanum* in ΛΑΜΠΕΤΕΙΑ, oppidum erat maritimum ad Hipponium montem, idest ad extimum cornu Hipponiatis sinus, hodie *Amantia*. k *De Vindelicia cap.* 2. *Holstenius ad Stephanum in* ΤΑΥΡΙΣΚΟΙ.

Quare laudandus est magnus Salmasius, qui alium Stephani locum de Tauriscis populis alpinis emendavit, & pro οἳ καὶ ζῶοι λέγονται, legit οἳ καὶ ταῦροι λέγονται. Hac eadem ratione nomen sortita est *Taurica Chersonesus*, regio montibus aspera, de qua Scymnus Chius (*a*) meminit ubi de adventu Iphigeniæ ex Aulide;

> Εἰσὶ δὲ τοῖς ὄχλοις μὲν οἱ Ταῦροι συχνοί·
> Βίον δὲ ὄρειον νομάδα τ' ἐζηλωκότες,
> Τὴν δ' ὠμότητα βάρβαροί τε καὶ φονεῖς,
> Ἱλασκόμενοι τὰ θεῖα τοῖς ἀσεβήμασιν.
> *Turbis abundant maxime frequentibus*
> *Tauri, vagamque in montibus vitam trahunt,*
> *Crudelitate, cædibusque barbari,*
> *Ipsum sceleribus impiis numen colunt.*

Præterea neque Cluverium latebat, Italiam ab Italo Rege appellatam, quasi *Taurinam*, quæ antea Oenotria dicebatur (*b*). Nam Ἴταλος, vel Ἰταλὸς est vitulus, sive taurus, ab ἴτης quia animosus. Immo non aliam olim regionem dictam fuisse Italiam, quam hanc ipsam, de qua tractamus, quæque olim Oenotriis paruit, ut pluribus docet Strabo; unde Virgilius (*c*);

> *Oenotrii coluere viri: nunc fama, minores*
> *Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem.*

Strabo *lib.* VI. (*d*) Φησὶ δ' Ἀντίοχος ἐν τῷ τῆς Ἰταλίας συγγράμματι, ταύτην Ἰταλίαν κληθῆναι, καὶ περὶ ταύτης συγγράφειν, πρότερον δ' Οἰνωτρίαν προσαγορεύεσθαι· ὅριον δ' αὐτῆς ἀποφαίνει πρὸς μὲν τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει, τὸ αὐτὸ ὅπερ καὶ τῆς Βρεττίας ἔφαμεν, τὸν Λᾶον ποταμόν· πρὸς δὲ τῷ Σικελικῷ, τὸ Μεταπόντιον· τὴν δὲ Ταραντίνην ἢ συνεχὴς τῷ Μεταποντίῳ ἐστὶν, ἐκτὸς τῆς Ἰταλίας ὀνομάζει, Ἰάπυγας καλῶν. ἔτι δ' ἀνώτερον, Οἰνωτρούς τε καὶ Ἰταλοὺς μόνους ἔφη καλεῖσθαι, τοὺς ἐντὸς τοῦ ἰσθμοῦ πρὸς τὸν Σικελικὸν κεκλιμένους πορθμόν· *Antiochus in opere quod de Italia conscripsit, hanc regionem ait Italiam appellatam fuisse, ac de ea se scribere: prius autem dictam fuisse Oenotriam. Terminum autem ei constituit, ad mare quidem Tyrrhenum, quem & nos Bruttiis assignavimus, Laum flumen; ad Siculum autem fretum, Metapontium. Sed Tarentinam regionem, quæ continuo agrum Metapontium subsequitur, extra Italiam sub Japigiæ nomine censet. Apud vetustiores autem ait eos tantum Oenotros ac Italos fuisse habitos, qui intra Isthmum siti versus fretum vergerent Siculum.* Dionysius eadem fere habet *lib.* I. (*e*) Ἰταλία δὲ ἀνὰ χρόνον ὠνομάσθη, ἐπ' ἀνδρὸς δυνατοῦ, ὄνομα Ἰταλοῦ. τοῦτον δέ φησιν Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος ἀγαθὸν καὶ σοφὸν γεγενημένον καὶ τῶν πλησιοχώρων τοὺς μὲν λόγοις ἀναπείθοντα, τοὺς δὲ βίᾳ προσαγόμενον, ἅπασαν ὑφ' ἑαυτῷ ποιήσασθαι τὴν γῆν, ὅση ἐντὸς ἦν τῶν κόλπων τοῦ τε Ναπητίνου καὶ τοῦ Σκυλητίνου· ἣν δὴ πρώτην κληθῆναι Ἰταλίαν, ἐπὶ τοῦ Ἰταλοῦ. *Italia vero post nominata est sub viro præpotente Italo. Hunc Antiochus Syracusanus ait, bonum & sapientem fuisse, & propinquarum regionum hominibus partim oratione persuasis, partim vi coactis, totam eam terram sub imperium suum redegisse, quanta patet Napetinum sinum inter & Scyletinum: eamque primum Italiam vocatam Itali temporibus* (*f*). Pro Ναπητίνου Glareanus substituit Νεπεσίνου, sed Musis omnibus adversantibus. Strabo, supe-

a Cujus fragmenta cum versione Holstenii edita sunt Tomo II. *Stephani Byzantini pag.* 376. 377. b *Strabo lib.* VI. *pag.* 354. 355. c I. *Æneid. vers.* 536. 537. d *pag.* 254. e *pag.* 27 f Ab ipso Cluverio hæc verba afferuntur *Ital. antiq. pag.* 1290.

A rius allatus, habet per ι, Ναπιτῖνον κόλπον. Ex Napitio factum est oppidum, quod nunc dicitur *lo Pizzo*, in intimo sinu, haud longe a Vibona.

Si quid tentandum est, potius emendaverim Stephani locum in ΛΑΜΗΤΙ΄ΝΟΙ, ubi legitur: ΛΑΜΗΤΙ΄ΝΟΙ, πόλις, ἀπὸ Λαμήτη ποταμοῦ πρὸς Κρότωνα. *Lametini, urbs a Lameto fluvio juxta Crotonem.* Principio enim *Lamentini* sunt ipsi cives, ὁ πολίτης, Λαμητῖνος. *Civis. Lametinus.* Urbs igitur Λαμήτια, vel Λαμήτεια, ut paulo post ΛΑΜΠΗ΄ΤΕΙΑ, πόλις, *Lampetia, urbs*, quam Latini Clampetiam dixere: vel Λάμητος est oppidum,
B civis Λαμήτιος, uti ex Lycophrone & Tzetze notavit Holstenius (*a*). Deinde, τὸ, πρὸς Κρότωνα falsum. *Lametia* enim oppidum, unde *Lametini*, situm erat ad ipsos fontes Lameti fluvii in mediterraneis ad radices Apennini; quod recte notavit Vossius, *observationibus ad Melam* (*b*); tametsi fallitur putans, oppidum dici nunc *Maida*. Hoc enim magis vergit ad meridiem. *Lametia* vero hodie dicitur *Amato* a cognomine fluvio, qui fere in medium sinum Hipponiatem, sive Napetinum delabitur: quod oppidum æquo fere intervallo jacet inter duo maria, Ausonium, sive Scylletium, & Tyrrhenum; distat vero a Crotone L.
C & amplius passuum millibus, sive stadiis CCCC. Quomodo ergo πρὸς Κρότωνα; potius πρὸς Οὐιβῶνα, *non longe a Vibona*, sive Hipponio, unde sinui nomen. Sed neque hoc verum; nam longe propior Vibonæ *Metaurus* fluvius. Erroris caussam subodorasse mihi videor, nomina similiter terminantia Lameti, & Neæthi fluviorum. De hoc Plinius *lib.* III. *cap.* XI. *A Lacinio promontorio secundus Europæ sinus incipit magno ambitu flexus, & Acroceraunio Epiri finitur promontorio, a quo abest* LXXV. *millia pass. Oppidum* CROTO, *amnis* NEAETHUS. *Oppidum Thurium inter duos amnes Crathim & Sybarim, ubi fuit urbs eodem nomine.* Νέαι-
D θος etiam dicitur Straboni παρὰ τὸ τὰς ναῦς αἴθειν, quod Trojanæ mulieres post eversum Ilium navigationis tædio navigia ibi incenderunt. Stephano est Ναύαιθος, in ΑΣΚΑΝΙ΄Α. Hic fluvius vere πρὸς Κρότωνα imposuit Stephano, vel ejus Epitomatori.

Ut e diverticulo in viam, Ptolomæum quoque corrigit Cluverius, *Tauriani* nominis hostis: ubi enim inquit ille;

> Λάου ποτ. ἐκβολαί
> Τέμψα πόλις
> Ταυριανὸς σκόπελος
> Ἱππωνιάτης κόλπος
> *Laii flum. Ostia*
> *Tempsa urbs*
> *Taurianus scopulus*
> *Hipponiates sinus*

E

legendum contendit Τέμψα πόλις, Τεριναῖος σκόπελος. *Idest*, inquit, *Ligæa insula, sive Terina, quæ nunc etiam Petra, scopulus Terinæus, maris recessu relictus in sicco.* Correctionem non improbaverim; sed quadrant in Cluverium verba Holstenii adversus Stephanum Byzantinum in ΤΕ΄ΡΙΝΑ: *Licophronis auctoritatem frustra prætendit*
F *Stephanus, ut ex oppido insulam nobis effingat. neque enim Lycophron insulam esse affirmat* (Terinam) *sed locum maritimum fuisse significat.* Mirum quod Plinium quoque, & Melam emendare in animum non induxit suum Cluverius. TAURIANUM, inquit Plinius, *Portus Orestis, & Medua* (*c*). Pomponius autem Mela (*d*), ab extrema Italia in-

a *Castigationib. in Stephanum.* b *Citatus a Berckelio ad Stephanum in* ΛΑΜΗΤΙ΄ΝΟΙ. c *lib.* III. *cap.* V. d *lib.* II. *cap.* II.

cipiens, *Rhegium*, *Scylla*, TAURIANUM, *& Metaurum*. Forte eandem memorat Stephanus in ΤΑΥΡΑΝΙΑ, πόλις Ιταλίας. ἐθνικόν Ταυρανῖνος, ὡς Πλακεντῖνος, καὶ Ταυρανιάνος. *Taurania, urbs Italiæ. Gentile Tauraninus, ut Placentinus, & Tauranianus*. Quamobrem minus ignoſcendum cenſeo Abrahamo Berckelio, ad hunc locum dicenti: *Quum nulla uſquam apud alios Auctores reperiatur Italiæ Urbs Taurania, omnino perſuaſum habeo ſcripſiſſe Stephanum* Ταυρασία, Ταυρασῖνος, καὶ Ταυρασιανός. *Ita etiam Appianus in Hannibalicis nominat*: Καὶ μικρὸν ἀναπαύσας, προσέβαλλε Ταυρασία, πολα Κελτικῇ. *Quum aliquantulum quieviſset, Tauraſiam, Gallicam urbem, bello petiit. Illam nempe quæ poſtea dicta eſt Auguſta Aaurinorum*.

Taurianum Melæ, & Plinii (quando *Seminariam* ex ejus ruinis originem duxiſſe putant (*a*) Geographi) aberat a loco, ubi noſtra tabula reperta eſt, ſexaginta & amplius paſſuum millibus; duplum ab oſtio Sybaris, & a Thuriis; tantundem fere a Lao, qui Lucaniam a Brutiis ſeparat: nec tamen diffiteor, fuiſſe *Taurianum* in ipſo agro *Teurano*, ſive regione *Tauriana* Strabonis, quæ a perpetuis jugis montium dicta eſt, & longe lateque patuit: ita ut a majore Bruttiorum iſthmo Rhegium verſus progredientibus læva eſſet deſcenſus ad *Crotonem*, *Lacinium* & *Japygum* promontoria, *Scylletium* ſinum, *Cocynthum* promontorium, *Locros*, *Cauloniam*; dextera ad *Cerillos*, *Tempſam*, *Clampetiam*, *Napetinum* ſive Hipponiatem ſinum, *Vaticanum* promontorium, *Metaurum*, *Taurianum*, *Portum Oreſtis*, *Meduam*, *Scyllam*. Et huc refer illa Th. Dempſteri *lib.* IV. *Etrur. Regal. cap.* 7. ubi, poſt allatam Pauli Warnefridi Italiæ Deſcriptionem, *lib.* II. *de geſt. Longobard. c.* XIV. qui octavo loco ponit Lucaniam, & in ea Rhegium, inquit: *Aſcheraz olim dicebatur, docuit ex Flavio Joſepho Gabriel Barrius; & ejus incolæ* TAUROCINI *ex Probo Grammatico in vita Virgilii*. Veſtigia quædam veri hæc ſunt, ſed tenebris mirum in modum obſita. Medius itaque inter duo longe diſſita extrema, & in ipſo umbilico agri *Teurani* fuit locus (nunc *Tiriolo*, veteribus forte *Numiſtro*) qui maxime opportunus viſus fuit figendæ Tabulæ noſtri Senatuſconſulti de Bacchanalibus.

Quum hæc typographis jam tradita eſſent, operique finem impoſuiſſem, ecce literas a Clar. equite Pio Nicolao Garellio, ex quibus opportune didici, Taurianam Melæ & Plinii ſtetiſſe exeunte ſæculo VI. Gregorius enim Magnus ſcribens ad Petrum Subdiaconum (*b*) inquit: *Venerabilis Paulinus, Epiſcopus Tauri Civitatis Provinciæ Brutiorum, nobis aſſeruit &c.* ubi adnotarunt viri docti: *Varie quoque ſcribitur hujus civitatis nomen in M. SS. nam in Vaticano legitur* TAURINÆ, *al.* TAURANÆ, *al.* TAURINÆ. *Urbs olim fuit Epiſcopalis Brutiorum, everſa a Saracenis inter Rhegium & Hipponium*. Eidem Paulino Eccleſiam Liparitanam regendam dedit Gregorius *Epiſt.* XVII. *libro* II. (*c*) ſubdens: *Eccleſiam vero Taurianenſem, quoties opportunum tempus credideris, viſitabis*. De qua re *Epiſtola* XVI. (*d*) ad Maximianum Syracuſanum Epiſcopum ſcribens, inquit: *Quia igitur Eccleſia Liparitana ſacerdote privata dignoſcitur, ideo Paulinum, Taurianenſis Eccleſiæ Epiſcopum, in prædicta Eccleſia Liparitana fraternitas tua ſine mora præeſſe conſtituat*. *Tauriatinenſis* pro *Taurianenſis* in veteribus editionibus

a Camillus Peregrinus *lib.* II. *Hiſt. Princ. Longobard. ad oram pag.* 47. adnotavit. *Fuit Tauriana ad mare, ubi nunc* Palma *prope Seminariam*. Incolæ tamen exiſtimant, ubi nunc eſt Palma fuiſſe *Portum Oreſtis*. b *Epiſt.* 39. *lib.* I. *juxt. vet. Edit. Epiſt.* 41. *edit. Pariſ. anno* 1705. c *In vet. Edit. Epiſt.* 13. d *In vet. edit.* 26.

A legiſſe videtur Holſtenius (*a*), quem in hac re faciem ſibi prætuliſſe ingenue, pro ſuo more, indicavit mihi laudatus Garellius.

Item Sæculo VII. Etenim Georgius Epiſcopus Taurianenſis ſubſcripſit Actioni IV. Concilii Œcumenici VI. Cpolitani III. (*b*): Γεώργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας Εκκλησίας Ταυριανῆς ἐπαρχίας Καλαβρίας *&c. Georgius minimus Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Taurianæ provinciæ Calabriæ*.

Sæculo VIII. Actioni IV. Concilii Nicæni II. ſive Oecumenici VII. (*c*) ſubſcripſit: Θεόδωρος ἀνάξιος Επίσκοπος Ταυριανῆς *&c. Theodorus indignus Epiſcopus Taurianæ*. Et paullo ante ſubſcripſerat Στέφανος ἀνάξιος Επίσκοπος Βιθώνων. *Stephanus indignus Epiſcopus Vibonenſium*.

B Quin ſæculo IX. labente adhuc utraque ſedes erat ſub Metropolitano Rhegienſi, hic ſub Conſtantinopolitano Patriarcha; ut didici *ex Ordine præſidentiæ Metropolitanorum, qui ſuberant Apoſtolico throno Conſtantinopolis, & ſubjectorum eis Epiſcoporum juxta Diſpoſitionem Leonis Imperatoris cognomento Philoſophi*, apud Leunclavium *Juris Græco-Romani libro* II. (*d*) Nempe ſub Rhegienſi Epiſcopo erant Epiſcopi:

α	ὁ Βιθώνης	1	*Vibonenſis*
β	ὁ Ταυριάνης	2	*Taurianæ*
γ	ὁ Λοκρίδος	3	*Locridis*
δ	ὁ Ρυσιάνυ	4	*Ruſiani*
ε	ὁ Σκυλακίυ	5	*Scyliacii*
ς	ὁ Τροπαίυ	6	*Tropæi*
ζ	ὁ Αμαντείας	7	*Amantiæ &c.*

C Imperaſſe Leonem Philoſophum ab Ann. Chr. DCCCLXXXVI. ad CMVIII. notiſſimum eſt. Ex eadem *Diſpoſitione* mira lux affulget allatis Gregorii, Magni Epiſtolis. *Pagina* enim 101. ejuſdem *Juris Græco-Romani* tam Rhegienſis, quam Syracuſanus Metropolitani dicuntur *avulſi* a Diœceſi Romana ἀποσπασθέντες ἐκ τῆς Ρ᾽ωμαϊκῆς διοικήσεως: & paulo inferius legitur, *Syracuſano* ſubeſſe Eccleſiam *Liparenſem*. Scimus igitur, quamobrem ad Maximianum Syracuſanum Epiſcopum ſcripſerit Romanus Pontifex, de Liparitana Eccleſia a Paulino Taurianenſi regenda: necdum enim Rhegienſis, aut Syracuſana ſedes *avulſæ* fuerant a Diœceſi, ſive Patriarchatu Romano; nec Liparitanæ Eccleſiæ Paulinum præfici inſcio Syracuſano decuit.

D Sæculo tandem XI. *Tauriana*, *& Vibona* a Saracenis videntur fuiſſe deletæ. Tametſi enim Sæculo IX. Brutios, & univerſam Calabriam Barbari vaſtaverint (*e*), anno nihilominus MIX. *menſe Auguſti* (inquit Lupus Protoſpata) *apprehenderunt Saraceni civitatem Coſentiam, rupto fœdere nomine Cayti Sati &c. & Anno* MXX. *deſcenderunt Saraceni cum Rayce, & obſederunt Biſinianum, & illud apprehenderunt*. Quo tempore, quum potiundæ Italiæ omnem fere ſpem abjeciſſent, vero valde videtur ſimile, majori rabie in harum regionum minora oppida Barbaros ſæviiſſe. Igitur Tauriana & Vibona jam vacuis penituſque deſertis, optimum factu viſum eſt Rogerio Nortmanno, Calabriæ & Siciliæ Comiti, ſi earum ſedes Epiſcopales in unam Miletenſem coaleſcerent: quod a Pont. Max. Greg. VII. facile impetravit. Sic enim ille inquit in diplomate ad Arnulph. Epiſcopum Miletenſem (*f*): Ὡς ὅτι αἱ ἐκκλησίαι τῆς Βιβώνης, καὶ τῆς Ταυριανῆς ἐπισκοπῆς διὰ τὰς πραχθήσας ἁμαρτίας ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων εἰσὶν ἀκατοίκητοι, καὶ ὀλεσμέναι. Κἀγὼ Ρυκέρης θεοῦ χάριτι κόμης καλαβρίας, καὶ σικελίας προνοία θεία ἡμῖν ἐγγίσασα, ὡς ἐπέγνων, ἠθέλισα αὐτὰ τὰ δύο καθήματα εἰς μίαν ἐκκλησίαν

a *Not. ad Ital. antiqu. Cluver. edit. Rom. in* 8. *ann.* 1666. *p.* 299. b *Tom.* VI. *collect. Labb. pag.* 694. c *Tom.* VII. *Concil. Labb. pag.* 329. d *pag.* 97. e *Oſtienſ. lib.* I. *c.* XXXV. *Sigon. de regno Ital. lib.* V. f Apud *Ughell. Ital. Sacr. Tom.* I. *edit. Venet. ann.* 1717. *pag.* 943. *&* 944.

σίαν ἀνεγείρειν τοῦ μιλήτου, καὶ αὐτὴ ἡ μία οὔτε τῆς βιβώνης, οὔτε τῆς ταυριανῆς ὀνοματίζεσθαι ἀλλὰ τοῦ μιλήτου τὴν Θεοῦ δ'δοκοῦντος, εἰς ὄνομα τῆς θεοτόκου, καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, καὶ ἀρχιερέως Νικολάου πεποίηκα. ταύτην ἕνεκα εἰς τὸ στερεῶσαι εἰσῆλθον εἰς τὴν πρόσωψιν τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τοῦ ἐνδόξου κορυφαίου Πέτρου πάπα Γρηγορίου ἑβδόμου. *Quoniam Ecclesiæ Episcopales Bibonæ & Taurianæ, propter patrata scelera ab hominibus desertæ atque deperditæ sunt, & ego Rogerius Dei Gratia Comes Calabriæ & Siciliæ, annuente nobis divina providentia, ut novi, volui duas has Cathedras in unam Ecclesiam Miletensem redigere, & hanc unam, nec Bibonæ, nec Taurianæ nomine, sed Miletensem vocare, quam, Deo favente, nomini Dei Genitricis, & Sancti Nicolai Episcopi patris nostri dicavi. Quare hujus rei causa confirmandæ petii conspectum Sanctissimi Papæ Gregorii Septimi, qui gloriosi Apostolorum Principis Petri sedem tenet.* Sic olim vertit Nic. Alemannus Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus; sed aliud agens. Hoc enim diploma datum est mense Octobri (sine die) Indictione x. Anno Mundi, juxta computum Græcorum & Syrorum, 6595. (*a*); idest anno æræ vulgaris Christianæ 1087. quo anno Victor III. Petri sedem tenebat, defuncto jampridem Gregorio VII. Anno Christi 1085. (*b*) Hæc de Tauriana maritima Brutiorum urbe in gratiam viri doctissimi dicta sunto.

a Aera Mundi Græcorum & Syrorum Ecclesiastica ab Adam ad Christum anni 5508. inquit Scaliger *de emendat. tempor. lib.* V. ubi *de Indictione Cpolitana*. b *Sigon. de regno Ital. lib.* IX.

TABULA I.

ÆNeam tabulam ob oculos ponit, in qua Edictum de Bacchanalibus coercendis ex Senatusconsulto incisum est. Ornamenta ex testis marinarum testudinum, conchisque margaritiferis, intermixto auro, addi curavit Illustris vir Joh. Baptista Cigala, Tiriolen. in Brutiis Princeps, ad CÆSAREM dono missurus.

TABULA II.

COrybantes duos exhibet, in onyce unum, in sarda alterum, affabre cælatos, ex Museo laudati equitis Pii Nicolai Garellii. Quum Corybantes dico, non eos intelligo, sive heroas, sive dæmonas, quos cum Curetibus & Idæis dactylis quidam confundunt, de quibus *pagg.* 759. 767. sed lymphaticos illos homines thyrsigeros, Rheæ, Bacchique sacris operari solitos, de quibus *pagg.* 765. & 783. ambos exsectos & vere Gallos, de quorum vesania quædam in medium attuli *pagg.* 24. 42. 43. Quod notandum: integris enim generationis organis visitur Corybas in Museo Serenissimi Magni Ducis Etruriæ allatus a clar. Gorio (*a*): opus Pigmonis, quem Pergamum appellavit vir eruditissimus Philippus Stoschius *Tab.* XLIX. præstantissimi operis, cui titulus *Gemmæ antiquæ cælatæ*. Forte ex Atheniensibus unum effinxit Pigmo, qui a venere quidem abstinebant, sed integri; ut ex Juliani Imp. loco notavi extrema *pag.* 783.

Ex nostris unus dextera thyrsum quatit, læva summisque digitis pendulum gestat cantharum potorium, sive cotylum unius tantum ansæ, qualem in nummo Alexandri II. vulgo *Zebinnæ*, & in nummo Seleuci Epiphanis Nicatoris cernere licet apud (*b*) Vaillantium; aliumque habet humi dejectum sub sinistro pede retrorsum elato. Alter contra, vultu magis distorto, dexterum pedem retrorsum tollit (*c*), ex humero dextero pendente nebride: neque alium cantharum subjectum habet, neque sub dextero pede, ut primus, ferulam, aut quid simile. Uterque caput & comas jactant, ut scribit Ovidius, citatus *pag.* 773. & Apulejus *pag.* 819. Vide Causaubonum ad Lampridii Elagabalum, & *Exercit.* XIV. *in Baronium Diatriba* IX.

Media inter duas gemmas est effigies solidi ex ære pueri, sinistra in clypeolum erectum imposita, dextera clavam nodosam, eamque breviorem sive sudem substinentis: ignobili & rudi admodum artificio, ut facile vel sæculi barbariem, vel artificis imperitiam, vel utrumque animadvertas. Unum ex pueris Curetibus per me dicas licet, quos Rhea jussit arma ad scuta collidere, ne Jovis vagitus ad Saturni aures perveniret: de qua fabula dixi *pagg.* 759. id namque docere videtur Ovidius, qui Curetas a Corybantibus, uti & eorum arma separat (*a*):

Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.

Non diffiteor, aliud legi apud Lucianum libro περὶ ὀρχήσεως: diserte enim inquit, Curetas ad scuta collisisse gladios τὰ ξίφη, non sudes; nec abludit Lucretius *libro* II. *v.* 633. — 636.

Dictæos referunt Curetas, qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarent æribus æra.

Quinimmo, ut nuper humanissime per literas me monuit laudatus eques Garellius, in Trajani nummo argenteo, relato inter *selecta numismata* a P. Seguino (*b*), visitur Imp. caput cum Latina inscriptione, & in aversa area mulier in rupe sedens, cui adstant viri duo galeati, scutum & gladium gestantes, cum inscriptione Græca ΔΙΚΤΥΝΝΑ. ΚΡΗΤ. quos eximius antiquarius Corybantes, sive Curetas existimat, qui Rheæ, sive Dictynnæ parturienti adfuere (*c*). Sic in Trajani Decii nummo maximi moduli, apud eumdem Seguinum (*d*), Cybele, sive Rhea visitur puerum ulnis gestans, quam juvenes armati tres clypeis protegunt: ubi vir doctissimus notavit: *Quis enim non videat, viros illos tres, armis instructos, Curetes esse aut Corybantes, qui clypeorum & gladiorum collisione & crepitu Saturno puerperii notitiam præripiunt.* Nec aliam fuisse armaturam Corybantum observavit Carolus Patinus ad nummum Caracallæ (*e*).

Verum ex iis, quæ supra attulimus *pagg.* 759. — 763. unusquisque satis intelligit, rem non esse adeo expeditam, ut de Curetum & Corybantum armis, ceteroque cultu habituque corporis certum judicium fieri possit. Nam Curetas clypeolis & hastis

a *To.* I. *Inscript. antiq. in Etruriæ Urbibus extantium Tab.* V. 1. b *In Seleucidarum Imperio pagg.* 319. 320. 465. c Ut Bacchus in nummis Laodicensium, Tejorum, Perinthiorum, Sicyoniorum, Cretensium &c. apud Vaillantium in Nummis *Impp. Græcis pag.* 4. 7. 17. 24. 26. 28. *&c.*

a *Fastorum lib.* IV. *v.* 209. 210. b *pag.* 126. *Edit. Paris.* 1684. c Eumdem nummum longe vero majorem, neque ad unguem expressum habes apud Tristanum *Comment. histor. in Trajanum n.* 17. *pag.* 409. pro gladiis enim longiores hastas dedit: nec mirum, quando, contra veterum nummorum fidem, lilii florem appinxit *Spei* in nummis Alexandri Severi, Saloninæ, & Tetrici: quamobrem multo sale perfrictus est a Joh. Jacobo Chiffletio *Lilii Francici pagg.* 23. 24. d *Numism. select. pag.* 188. *Edit. Paris. an.* 1684. e *Epist. de Natalitiis donis.*

armatos tradit Hyginus, gladiis Lucianus, fudibus Ovidius. Corybantes a Curetibus separare videntur Servius, Ovidius, Lucianus, Tzetzes in Lycophronem, Græcorumque plures apud Strabonem *lib.* x. qui rem in medio relinquit. Alii Corybantes, Curetas, & Cabiros confundunt: quod cum eorum sententia pugnat, qui Cabiros Deos magnos putant (*a*). Quamobrem haud facile admiserim quæ Carolus Patinus scripsit ad nummum Maximini, a Magnetibus cuso (*b*): immo nec pro certo affirmaverim, in aversa ejus nummi parte viros armatos esse Curetas aut Corybantes: nam figura muliebris, quæ ibi visitur in media nummi area, sinistro genu submisso, dexteroque brachio supra dexterum genu posito, quidvis potius significare videtur, quam Rheam. An ne decuit Deam sic parturientem fingere? Ad hæc, armati tres, qui circumstant, dextera gladios sinistra clypeos gestantes, nihilque minus quam saltantibus similes, non bene videntur in mulierem animati; cujus turritum caput cur non urbem aliquam, aut provinciam denotet, militum fidem, auxiliumque implorantem? In nummis sane Laodicensium, & Magnetum apud Vaillantium (*c*) Rhea Jovem puerum ulnis gerit, & Corybantes, sive Curetes adsunt cum tympanis. Quin idem auctor in Elagabalo *pag.* 128. de alio nummo Magnetum, qui cusus est sub scriba M. Aurelio Aristomacho, inquit: *Jupiter infans & nudus, cippo insidens inter duos Corybantes, supra clypeos baculis verberantes*. Habes itaque nummum quidem Græcum, sed plane ex Ovidii sententia. Ut igitur jure reprehendere non possum viros illos eruditos, qui Corybantibus, & Curetibus, quos eosdem putant, gladios appingunt, ita dabitur vicissim mihi venia, quod æneam imagunculam Curetis esse pronunciavi. Sedentem finxit artifex veluti munere perfunctum, Laremve, aut Genium in Larario colendum: impuberes jussit Rhea circa Jovem vagientem clypeolis & gladiis, vel hastis, vel sudibus crepare.

In inferiori tabulæ parte magnum illum Bacchicum craterem, sive phialam effingendam curavi, quæ Neapoli visitur in Æde maxima ex lapide Æthiopico immensi ponderis. Et quia scalam, ut vocant, palmorum Neapolitanorum adjeci, monitum benevolum Lectorem volo, esse palmum Neapolitanum ad Romanum ut XII. ad XI.

AAA. Corybantum sive Gallorum lymphaticorum larvæ tristificæ, & aspectu injucundæ.

BB. Ansarum reliquiæ, quas puto ansis Etruscorum vasorum fuisse similes.

CCCC. Thyrsi breviores, in nuces pineas desinentes, teniisque revincti.

DD. Baccharum, sive Menadum larvæ, hederaceis foliis corymbisque coronatæ, ad hilaritatem & jocos compositæ: hanc enim prædicant vini esse vim & efficaciam, ut eos potissimum excitet animi affectus, ad quos natura proclives sumus. Juculas igitur hilares finxit artifex, ut quæ vino calentes facile feruntur ad dicacitatem & venerem; Corybantes contra tristiores, utpote qui membra sibi per summam insaniam superstitionemque miris modis dissecabant, deque Veneris voluptatibus exsecti macieque confecti desperabant.

Nummi omnes, qui in eadem tabula exhibentur, extant Vindobonæ in Museo Cl. Garellii, uno Syracusarum majoris moduli excepto, qui ad Cæsaream Gazam spectat. Crotoniatarum nummos citavimus *pag.* 16. & 157. ad ostendendum usum Phœnicii *Koph* Ϙ pro Græcorum K, & Laconicam Crotoniatarum originem. Tripode sunt insignes,

a Vide *supra pagg.* 21. — 23. b *Thesaur. Numism. max. moduli cap.* V. *pa*[illegible]. I. 25. *Edit. Parif. in* 4. *ann.* 1673.
c *Numm. Impp. Græc. pagg.* 103. 104.

vel quia Pythii monitu Crotonem condidit Miscellus quidam Achæus, uti Syracusas Archias Corinthius (*a*): vel quia Croto athletarum numero nobilis (una enim Olympiade septem viri, qui stadio vicere, omnes fuerunt Crotoniatæ; unde adagium Κροτωνιατῶν ἔσχατος τῶν ἄλλων Ἑλλήνων πρῶτος (*b*)): vel ad significandam in Pythio certamine victoriam: præmium enim quum in Bacchi, tum in Apollinis certaminibus tripodem (*c*) esse decuit, quando idem habebatur Bacchus atque Apollo. Quo spectat etiam vas diotum ad tripodis dexteram in priore nummo, simillimus ei, qui in nummo *Antiochi Epiphanis Dionysi* visitur apud Vaillantium (*d*): cujusmodi aureis & argenteis Hieronici, seu victores in Pythiis ludis donabantur (*e*); immo & Olympicis (*f*), & Isthmiis (*g*). Aquilæ typus ad Jovem, & victores in Olympiis ludis pertinere videtur, uti & ramus ex oleastro. Eadem columnæ Jonicæ epistylio insistit, quod ad Milonem athletam non male referas, qui labantem Gymnasii columnam usque eo humeris substentavit (*h*), dum philosophi omnes Pythagorici, qui ibidem pro more convenerant, in tuto se reciperent: quod ipse tandem nisu majore fecit. In averso nummo præter tripodem visitur oblongum quidpiam duos tuberculos habens (uti & in primo ad crateris sinistram nummo) quod granum hordei refert, nisi ego valde fallor: forte quia in Demetriis certaminibus præmium fuit hordeum, uti ex Pindari interprete notavit idem Vaillantius (*i*). Neque abludit in primo nummo candelabrum; magna enim Eleusinia noctu fiebant, addito lampadophororum certamine, ut supra notavimus *pag.* 64. 65. Cancer, sive pagurus in extremo minimoque nummo forsitan maritimum urbis situm denotat. Tripodi addita est lyra in averso nummo, nam in Pythiis ludis musica, & poesi certabatur, teste Plutarcho (*k*). Notandum, tripodem in eodem averso nummo esse *incusum*, uti & epigraphem, quæ a dextera ad sinistram ordine præpostero legitur.

Idem *Koph* Phœnicium cernitur in Syracusarum nummo, quem Cl. Garellius longe majore diligentia effingendum curavit, quam Spanhemius (*l*). Heic enim muliebre caput est longe ornatius: & in epigraphe non modo *Koph* Phœnicium vides (quod non mirum, quum Phœnices Siciliam olim habitaverint, teste (*m*) Thucydide) sed & Ᵽ pro P, & O pro Ω, ΣΥᵽΑϘΟΣΙΟΝ; & in aversa quoque parte sub biga ΣΥᵽΑ. Ad antiquissimam, omniumque brevissimam Æolicam Dialectum hujusmodi Ᵽ pertinere putavit Gruterus (*n*): atqui Siculorum lingua accedebat ad Doricam, & maxime Syracusanorum, qui Dores (*o*), uti & Agrigentini, & eorum auctores Geloi. Vir biga vectus, & a victoria coronatus, est forsitan Agesias ille Syracusanus, de quo Pindarus *Olymp. Ode* VI. vel Hieron Ætnæus, de quo *Pyth. Od.* I.

In summa Tabula *Agrigentinorum* nummus habet idem Ᵽ, ac præterea C pro Γ. quod Spanhe-


a Cujus rei historiam lege apud Strabonem *lib.* VI. & Stephanum Byzant. in ΣΥΡΑΚΟΥΣΑΙ. Achæi origine erant Phthiotæ, & Spartam olim habitarunt, teste eodem Strabone *lib.* VIII. *pag.* 383. itaque hæc non pugnant cum Laconica Crotonis, quam principio dicebamus, origine. b *Strabo lib.* VI. c Ut supra *pagg.* 93. & 102. *Pindar. Pyth. od.* XI. *Horat. lib.* IV. *od.* VIII. d *In Seleucidar. Imperio pag.* 384. e Idem *in nummis Impp. Græc. pag.* 341. & 342. 343. 345. ex nummo Caracallæ a Thracibus cuso, & Severi a Perinthiis, & Getæ a Philadelphiensibus. f *Pindar. Olymp. od.* IX. g Idem *Isthm. od.* I. h *Strabo lib.* VI. *pag.* 263. i *Numism. Impp. Græc. ubi de Festis, & certaminibus Urbium, in* ΔΗΜΗΤΡΙΑ *pag.* 333. k *Sympos.* V. *qu.* II. l *differt.* II. *de U u, & præst. pag.* 96. *Tom.* I. m *lib.* VI. *in princ.* n *pagg.* XXVII. XXVIII. o *Pindar. Pyth. od.* I. *Stroph.* IV. *Thucydid. lib.* VII. *pag.* 525. *edit. Stephani* 1588.







MARCIVS·L·F· S·POSTVMIVS·L·F· COS· SENATVM CONSOLVERVNT· N· OCTOB· APVD AEDEM
DVELONAI· SC· ARF· M· CLAVDI· M· F· L· VALERI· P· F· Q· MINVCI· C· F· DE BACANALIBVS QVEI FOIDERATEI
ESENT· ITA EXDEICENDVM CENSVERE NEIQVIS EORVM SACANAL HABVISE VELET· SEI QVES
ESENT QVEI SIBEI DEICERENT NECESVS ESE BACANAL HABERE· EEIS VTEI AD PR· VRBANVM
ROMAM VENIRENT· DEQVE EEIS REBVS VBEI EORVM V TR A AVDITA ESENT· VTEI SENATVS
NOSTER DECERNERET· DVM NE MINVS SENATORBVS C ADESENT ... ARES COSOLERETVR
BACAS VIR NEQVIS ADIESE VELET CEIVIS ROMANVS NEVE NOMINVS LATINI NEVE SOCIVM
QVISQVAM NISEI PR· VRBANVM ADIESENT ISQVE DE SENATVOS SENTENTIAD DVM NE
MINVS SENATORIBVS C ADESENT QVOM EA RES COSOLERETVR IOVSISENT CENSVERE
SACERDOS NEQVIS VIR ESET· MAGISTER NEQVE VIR NEQVE MVLIER QVISQVAM ESET
NEVE PECVNIAM QVISQVAM EORVM COMOINEM HABVISE VELET· NEVE MAGISTRATVM
NEVE PRO MAGISTRATVO NEQVE VIRVM NEQVE MVLIEREM QVIQVAM FECISE VELET
NEVE POSTHAC INTER SED CONIOVRASE NEVE COMVOVISE NEVE CONSPONDISE
NEVE CONPROMESISE VELET NEVE QVISQVAM FIDEM INTER SED DEDISE VELET
SACRA IN DQVOLTOD NE QVISQVAM FECISE VELET· NEVE IN POPLICOD NEVE IN
PREIVATOD: NEVE EXSTRAD VRBEM SACRA QVISQVAM FECISE VELET· NISEI
PR· VRBANVM ADIESET ISQVE DE SENATVOS SENTENTIAD DVM NE MINVS
SENATORIBVS C ADESENT QVOM EA RES COSOLERETVR IOVSISENT CENSVERE
HOMINES PLOVS V OINVORSEI VIREI ATQVE MVLIERES SACRA NEQVISQVAM
FECISE VELET· NEVE INTER IBEI VIREI PLOVS DVOBVS MVLIERIBVS PLOVS TRIBVS
ARFVISE VELENT· NISEI DE PR· VRBANI SENATVOSQVE SENTENTIAD VTEI SVPRAD
SCRIPTVM EST· HAICE VTEI IN COVENTIONID EXDEICATIS NE MINVS TRINVM
NOVNDINVM SENATVOSQVE SENTENTIAM VTEI SCIENTES ESETIS EORVM
SENTENTIA ITA FVIT· SEI QVES ESENT QVEI ARVORSVM EAD FECISENT QVAM SVPRAD
SCRIPTVM EST· EEIS REM CAPVTALEM FACIENDAM CENSVERE ATQVE VTEI
HOCE IN TABOLAM AHENAM INCEIDERETIS ITA SENATVS AIQVOM CENSVIT
VTEIQVE EAM FIGIER IOVBEATIS VBEI FACILVMED GNOSCIER POTISIT· ATQVE
VTEI EA BACANALIA SEI QVA SVNT EXSTRAD QVAM SEI QVID IBEI SACRI EST
ITA VTEI SVPRAD SCRIPTVM EST IN DIEBVS X QVIBVS VOBEIS TABELAI DATAI
ERVNT FACIATIS VTEI DISMOTA SIENT IN AGRO TEVRANO



c *Numm. Impp. Gr*[illegible] 163. 164.

cydid. lib. VII. *pag.* 525. *edit. Stephani* 1588.

Ad pag. 783



Magn: Gem:





Ad pag. 760

Ad pag. 783




Magn: Gem:



Nummi pertinent Ad pag. 758 et pag. 884














Ad pag. 780

1 Palmi Neapolitani 2 IV 3 4

mio notatum *Differt.* II. (*a*). Epigraphes elementa partim recto ordine conspiciuntur, partim a dextera ad lævam; nimirum supra aquilam AKRAC, infra ΣOTNA, AKRACANTOΣ. Geloorum coloniam *Agrigentum*, a flumine cognomine, ut plerasque alias Siciliæ urbes, dictam scribunt Stephanus (*b*), Thucydides (*c*), & Aristarchus apud Pindari Scholiasten *Olymp.* II. unde ποταμία Ακράγας *fluvialis Agrigentus* Pindaro *Pyth. Ode lib.* VI. Idem flumen significari videtur per cancrum, subjecto ∽, quæ figura imitatur flexuosi amnis cursum: nisi mavis studium rei navalis notari, ut in nummo gentis Serviliæ apud Fulvium Ursinum (*d*); aut Lybicam amphisibænam, cui serpenti geminum caput, hoc est ad caput & ad caudam, teste Plinio VII. *cap.* XXII. ad significandum fortasse Carthaginiensium in illa Siciliæ ora imperium. Amphisibænam argenteam pro amuleto gestatam a Childerico II. Francorum Rege, scripsit Jo: Jacobus Chiffletius in *Lilio Francico* (*e*). Aquila insidens capitulo Jonico spectat vel ad Theronem curru victoriam in Olympicis adepto, de quo Pindarus *Olymp. Od.* II. & III. vel ad Exenetum civem Agrigentinum, qui victor item ex Olympia advenit Olympiade XCII. vel ad celebre, & omnium Siciliæ maximum templum Jovis Olympii (*f*). Fuere enim qui urbis

a *pag.* 102. b *in* AKPAΓANTEΣ. c *lib.* VI. *in princ. pag.* 412. d *Edit. Roman. pag.* 242. e *pag.* 140. ubi amuleti figuram exhibet. f Ex Diodoro Fazellus *lib.* VI. *cap.* I. *pagg.* 127. & 130. *edit. Panorm.*

A conditorem putarent Acragantem, Jove & Asterope Oceani filia natum (*a*); tametsi Polybius & fluvium, & urbem *Agragam* nominari scribit, quod fertile ibi est solum & fœcundus ager (*b*). Capitulum Jonicum pro Strabonis sententia faceret, qui Jonicam coloniam Agrigentum putat *libro* VI. *pag.* 272. nisi certum esset, Agrigentum incoluisse Geloos Dores, auctoribus Aristonoo & Pystilo, anno prope centesimo octavo a suæ urbis initio, quæ condita est a Cretensibus & Rhodiis anno CCCCV. post Syracusas habitari cœptas (*c*). Hinc Geloorum quoque nummi habent C pro Γ, ut in elegantissimo tetradrachmo laudati equitis Garellii cernere licet, cum inscriptione CEΛAΣ.
B Huc facit quod inquit Plinius *libro* VII. *cap.* LVII. *Gentium consensus tacitus primus omnium conspiravit, ut Jonum literis uterentur*. Quamobrem utrumque stare potest, & fuisse tum Agrigentinos, tum Geloos origine Dores, & vetustis Jonum characteribus usos. Subdit idem Plinius cap. sequ. *Veteres Græcas fuisse easdem pene quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in palatio, dono principum Minervæ dicata in Bibliotheca &c.* Nec igitur mirum si R ad Latinum R quam proxime accedat, tam in Syracusanorum, quam in Agrigentinorum vetustissimis nummis. Idemque judicium esto de C litera pro Γ; nam veteres Latinos C olim pinxisse, non G, supra notavimus *pag.* 156.

a *Stephanus loco cit.* b apud Fazellum *lib. cap.* I. c *Thucydides lib.* VI. *pag.* 412. & *lib.* VII. *pag.* 526.



PETRI BURMANNI
DE
VECTIGALIBUS
POPULI ROMANI,
DISSERTATIO.

Illustrissimo & excellentissimo

VIRO

D. D. EVERARDO DE WEEDE,

TOPARCHÆ DE WEEDE, DE DYCKVELT, RATELES, &c.

COLLEGII BEATÆ MARIÆ DECANO, ORDINUM TRAJECTENSIUM PRÆSIDI, ET EORUM NOMINE AD COMMUNES FOEDERATORUM POPULORUM ORDINES LEGATO, AGGERUM, QUI SUPERIOREM LECCÆ PARTEM COERCENT, PRÆFECTO, MULTIS LEGATIONIBUS PRO REPUBLICA BATAVA CUM GLORIA DEFUNCTO

Hanc Dissertationem

D. D. D.

PETRUS BURMANNUS.

Stemmatis antiqui soboles generosa, Parentum
Gloria, Wedeæ maxime gentis honos.
Cui nihil arte togæ par secula prisca dedere,
Nec tulit æquandos Belgica laude viros.
Exiit auspiciis vestris suprema Parentis
Cura, patrocinio nunc quoque læta tuo.
Auspice te, primos conatus filius edit,
Judiciumque subit pagina nostra tuum.
Nec bene se, rector nisi sit qui temperet, audet
Parva procelloso credere cymba mari.
Tu mihi Præsidium, Tu primos dirige cursus,
Sisque, precor, timidæ portus & aura rati.
Excipe devotum pacata fronte libellum,
Ad te confugiens respice, mitis, opus.
Sit licet indignum, nec quod tua lumina multum
Detineat, leviter perlege, parva mora est.
Quum nequeat pretio, forsan brevitate placebit,
Est satis haud longum displicuisse tibi.
Temporis at minimum cum dent tibi pondera rerum,
Nec vacet exiguum pervolvisse librum.
Carmen, & hæc (placeant quæ Te duce læta moventur)
Pauca legas animi verba ministra mei.
Forsitan & molles delectent otia versus,
Et minuant curas carmina lecta tuas.
Quid precor insanus? quo me meus abripit ardor?
Pectore quid foveo gaudia vana meo?
Maxima quum Batavi te moles nominis urget,
Belgica nec vacuum te jubet esse salus.
Scilicet ut nostras, ista statione relicta,
Perlegeres nugas? improba Musa rogat.

Parcaque qui propriis impendis tempora curis,
Excutias, audax, otia nostra, petit?
Inspice (& hæc nostri jam sit pars maxima voti)
Quæ titulus prima nomina fronte gerit.
Invenies illic mentis pia pignora gratæ,
Meque tui immemorem pagina prima negat.
Sum memor, & longum cognoscit nostra favorem,
Quem toties sensit, te cumulante, domus.
Muneris esse tui, si quid sumus, omne fatemur,
Et factum cura credimus esse tua.
Ut tamen his meritis reddatur gratia, non est
Ingenii, scis hoc, debilioris opus.
Nec mea Musa, modis forsan levioribus apta,
Audet in immensum pandere vela fretum.
Ludimus in parvis, virtus tua carmine major,
Imminuitque tuum nostra Thalia decus.
Te celebrent alii, quorum, (sic namque mereris)
Pectora Phœbeus concitat alta calor.
Hi tua Mæoniis includant versibus acta,
Nomen & ingenti, quo decet, ore canant.
Debita qui reddant factis præconia tantis,
Ut par sit meritis jam tua fama tuis.
Quid Patriæ præstes nobis sentire, sed illis
Prodere vena equidem fertiliore datur.
Scimus (& hoc omnis scit mecum Belgica) curas
Quas Tu pro dubia sponte salute subis.
Nunc procul a laribus, dum nostris imminet oris
Marte ferox Gallus, cogeris ire tuis.
Adflictus te poscit Iber, sociique trementes
Ut repares blanda vulnera voce rogant:
Dexter ades, tua res lapsas præsentia firmat,
Et stat consiliis publica caussa tuis.
Nunc revocat patriæ te cura domestica terræ,
Teque sibi incolumen Belgica læta videt.
Non timor aut hostis, non mille pericula terrent,
Et toties dubias isque redisque vias.
Non grave detrectas, ista jam ætate, sed ultro
Utilior patriæ, quam tibi, munus obis.
Nec tibi cum reliquis laus est communis, at omnis
Ingenio & cura gloria parta tua.
Vive diu Patriæ, quæ te secura Parentem
Dicit, & hoc tantum gaudet habere decus.
At tibi contingat, secli Lux maxima nostri,
Semper honorato vivere posse loco.
Sic tibi crescat honos, tibi sic, quem facta merentur,
Reddatur Batavi, qua patet, orbis amor.
Quem tibi si præsens ingrata negaverit ætas,
Præmia posteritas digna labore dabit.

Ultrajecti Kal. Jul. CIϽIϽCXCIV.

PRÆ-

PRÆFATIO.

LECTORIS.



NOn ambitiosa præfatione te in ipso opusculi hujus limine morabor, amice Lector, nec caussam, cur primum hunc studiorum meorum fœtum in lucem protrudam, fastidiosis titulis involvam, neque etiam impudenter molestis amicorum postulationibus extortum libellum, quem nemo forte desiderabit, fingam. Mentiri non est meum; bona fide instituti mei rationem dicam, & quid me, qui potius latere debuissem, ex latebris protraxerit, edisseram. Ex quo animum humanioribus literis & disciplinæ applicui, maxima me semper voluptate affecere antiqua Urbis Romæ instituta & mores, quos in evolvendis scriptoribus sedulo meditabar, & multam operam, in indagando, quicquid admirandi illa contineret, ponebam. Nactus autem eram, quæ felicitatis summa erat, ad id Præceptorem V. Cl. J. G. Grævium, cui Apollo & novem surgunt Sorores, qui pro conjunctione & necessitudine, quæ inter eum & Parentem meum quondam intercesserat, me ut filium formabat & fovebat, ad puros & limpidos fontes ducebat, & scopulos, quibus plerumque vel Parentum vel Præceptorum vitio juvenum studia in ingressu illidunt, sedulo vitandos monstrabat. Huic vero unice, quicquid ex eo profeci, me debere lubens fateor. Postea quum Romanæ prudentiæ præcepta, & antiqui juris placita evolvere inciperem, grande adjumentum id re ipsa cognovi, quum perspecta & cognita reipublicæ & Imperii Romani conditione, evidentior legum & juris ratio mihi appareret. Ideoque maxime semper mihi arridebat ea ratio tractandi juris, quæ subsidium ex historia & antiquitate peteret, & quum auctoritas eorum, quibus obsequium debebam, a me postularet, ut ex more Academico specimen aliquod darem, quo quid profecissem, manifestum fieret, non aliud eligere decorum putabam, quam quod veteris juris vestigia exhiberet, & plenam lucem ex antiquis monumentis desideraret. Occurrebant vero statim animo multæ leges, quæ olim a populo Romano latæ, post virorum doctorum labores & messem, amplum nobis aperiebant campum industriam nostram exercendi, & spicilegia faciendi. Reperiebam inter Leges Julias, ab Augusto latas, unam, quæ minime vulgo, & non nisi initiatis cognita erat, de *Vicesima Hereditatium*. Hanc statim arripui, & quantum eo tempore ingenii imbecillitas & ætatis meæ conditio ferebat, ex antiquis auctoribus illustrabam, & publice Præside Viro Cl. Johanne van Muyden, JCto doctissimo, quo præceptore utebar, proponebam. Quum autem quotidie magis in Musarum recondita penetrare sacraria conarer, in dies quoque plura occurrebant in frequentiori lectione, quæ augendo & ornando argumento conducerent, donec affinitas materiæ me im-

pulit, ad perscrutanda reliqua vectigalia, in quibus vastum hoc Imperium, tamquam fulcris, inniteretur; unde quum maximam voluptatem & uberrimum fructum referrem, statueram mihi seponere, neque umquam animum incessuram cogitationem, in lucem prodeundi, putaveram; sed una res mihi extorsit. Ita enim ardor indagandi, quidquid huc pertineret, mentem meam obsederat, ut vix aliis studiis vacarem; quemcumque veterum pervolverem, quasi id solum mihi negotii datum esset, nihil quærebam, nihil fere excerpebam, nisi quod ad Vectigalium materiem referri posset; quare devorandam hanc mihi molestiam tandem videbam, ut vacuus ad alia accedere possem, & quicquid in chartas conjeceram, manu emittendum. Deterrebat quidem juvenilis mea ætas, quæ vix boni aliquid, & quod doctioribus jure placere posset, me proferre posse plane persuadebat, sed quandoquidem ævum, quod mihi Supremum Numen concesserit, omne literis & Musis devoveram, non turpe judicabam aliquid audere. Præcipue elegantissimum illud Quintiliani præceptum cunctantem impellebat. *Non differendum esse tirocinium in senectutem: nam quotidie metus crescit, majusque fit semper, quod ausuri sumus, & dum deliberamus quando incipiendum sit, incipere jam serum est. Quare fructum viridem, & adhuc dulcem promi decet, dum venia & spes est, & paratus favor. Et audere non dedecet, & si quid desit operi, supplet ætas, & si qua dicta sunt juveniliter, pro indole accipiuntur.* Prodit ergo cum quadam fiducia labor noster, securus, quid obtrectatores & malevoli de eo sentiant, nobis non fama neque ingenii gloria, sed laboris & industriæ laus quæritur.

Alterum est etiam, quod te moneam, Lector, ne statim inspecto titulo hujus libri, sinistram opinionem foveas, quasi hoc maxime tempore, quo vectigalia plurima a nobis extorquet temporis iniquitas, conscriptus sit libellus, atque ita invidiam his temporibus faciat. Nemo perlecta hac dissertatione ita sentiet, quum fere semper præterierim, aut leviter tetigerim, quiquid in nostra, vel aliis Rebuspublicis ex Romana derivatum obtineat: nam instituti mei ratio ad solius Romanæ constitutionem perspiciendam me ducebat, neque desiderium me umquam cepit civilis sapientiæ præcepta ex antiqua Romanorum prudentia nostris temporibus accommodandi, cum imaginariis suffragiis rempublicam attingere, stultissimum mihi videatur. Nos in otio & umbra dulcibus & amænis Musis operamur. Vale.

Quadraginta jam fere elapsi sunt anni, ex quo dissertationem de Vectigalibus Populi Romani, primitias studiorum meorum, in publicum emiserim, quam, quum impolita olim & rudi Minerva elaborata jure videri potuerit, nunc repeti, & iterum erudito orbi obtrudi non oportuisse, multi censebunt, nisi secundis curis ita limatam & castigatam, ut nihil occurrat, quod Tironis manum prodat, sed veterani & usu exercitati literatoris curam referat. Et sane hoc merito postulari posse fateor, si ab illo tempore id agere instituissem, aut in hoc argumento accuratius elaborando perseverare decre-

viſſem. ſed quum deinde Academico muneri admotus, tot aliis curis, qua publicis, qua privatis, diſtractus fuerim, & parum otii ſuperfuiſſe, nec etiam tantum voluntatis adfuiſſe expertus ſum, ut in augenda aut polienda hac materia multum temporis impendere voluerim, aut operæ pretium putarim. Quid aliis animi ſit neſcio, ſed ego in me ſemper deprehendi tam inſignem laborum præteritorum, quos novis obliterari facile patior, oblivionem, ut, ſimul ac manum de opere aliquo ſuſtulerim, & ad alia ſtudium & curam tranſtulerim, priora ita excidere memoria expertus fuerim, ut ſæpe immemor olim ſcriptorum, de eodem argumento diverſa longe concipiam, & in chartam effundam. Numquam etiam aut carmen aliquod recitavi, aut verba publice feci, quin, licet omnia fere ante edidicerim, brevi poſt tempore ita ex animo meo deleta repererim, ut ne periodum quidem unam memoriter deinceps eloqui valerem. Quadriennio vero poſt editam hanc de vectigalibus diſſertationem, alteram de Jove ΚΑΤΑΙΒΑΤΗ emiſi, quam nunc illi adjungere viſum fuit, quia a longo jam tempore utriuſque exemplaribus divenditis, & expoſtulantibus ſæpe & diu Bibliopolis recudendi eas facultatem, & in primis diſciplinæ meæ alumnis acriter id contendentibus, diutius negare non potuerim, niſi me invito iterari illarum editionem videre maluiſſem. Tarde tamen & reluctanti animo ad earum recenſionem adgreſſum, tam longi temporis ſpatium, Tibi, Lector, peſuadebit. Cauſſæ præcipue, quæ moras injecerunt, variæ fuere. Inter quas non ultima fuit, quod, quia totius operis ſpecies & forma ita animo exciderat, ut quoties ad illud oculos & manum referrem, alienum me opus ſpectare crederem. Adſcripſeram quidem ſubinde margini mei exemplaris quædam, quæ dum aliis ſtudiis vacarem, huc referri poſſe judicabam: ſed paucis admodum verbis, & deſignatis modo ſcriptorum tum veterum, tum recentiorum locis, ad quæ ab integro excutienda deterrebat me ingratus labor omnia iterum majori cum cura examinandi, & ſuis quæque locis accommodandi & inſerendi. Quare quum ſubterfugerem ſæpe hanc moleſtiam, nec tædium hoc facile ſuperare poſſem, in hunc uſque diem hos adoleſcentiæ meæ fœtus, olim expoſitos, provecta ætate ornare & novis acceſſionibus locupletare neglexi. Et nihil fere æque valuit ad me a ſententia, relinquendi fato ſuo hunc fœtum, deducendum, quam pudor & indignatio, quod in auctionibus publicis hos parvæ molis libellos, inſano, & ultra juſtum quotidie creſcenti pretio, diripi viderem. Hoc, fatebor enim, expugnavit pertinaciam meam, qua decreveram, nihil novare, ut ſi quid minus perfecti & elaborati in illis occurreret, juvenilis potius ætatis & properatus labor, quam confirmati judicii & plenioris eruditionis opus cenſeri poſſet. Sed præcipue impetum meum, ex quo interioribus magis literis operari cœpi, reprimebat concepta deinceps opinio, non magnam, nec ſolidam eruditionis ex antiquitatibus veteris ævi illuſtratis gloriam redire ad eos, qui in hoc ſcribendi genere curam & tempus ponere conantur. Tum quia nulla fere Reipublicæ Romanæ pars hodie ſuperſit, quæ non a viris doctis tractata & excuſſa ſit, tum quia, ſi quod forte adhuc argumentum

relictum videri possit, alterius exercendæ accommodatum industriæ, & quod non peculiari opera sit illustratum, non tamen ita sit neglectum, ut non ex majoribus voluminibus universam remp. complectentibus, & commentariis in veteres scriptores, posset illustrari. Et quum majori cum voluptate, & studiorum meorum incrementis, maximam fere temporis, quod a publica cura vacabat, partem, in recensendis ipsis antiqui ævi Historicis, Poetis & Oratoribus, ponere amarem, & in quibus emendandis & exponendis nondum omnem diligentiæ & ingenii ostendendi præreptam esse facultatem viderem, vix a me impetrare poteram, ut ad colligendi, & undique ex commentariis aliorum corradendi materiam, inglorium iterum laborem transirem. Quidquid enim dicant & jactent, qui hanc studiorum humaniorum partem laudant & excolunt non aliam ad Antiquitatum illustratores laudem redundare constat, nisi solius fere diligentiæ, ab aliis sparsim observata & adnotata in unum corpus conjiciendi, & ordine quodam digerendi. Nec umquam ipse Lipsius, quo nemo hanc studiorum partem acrius excoluit, tantam, ex tot ac tam diversis Antiquitatum Romanarum partibus illustratis, laudem, apud viros eruditos retulit, quantam ex uno in Tacitum commentario jure reportavit. Facilitas etiam hujus laboris & perversa seculi nostri ratio & institutum, a recensendis his opusculis deterrebat. Quotidie enim in ipsis patriæ nostræ, sed in primis Germaniæ Academiis, infinitas ab adolescentibus dissertationes, de hac vel illa antiquitatis parte proponi videmus, quæ deinde in justam libelli formam transire solent. Quem in censum, meam quoque de Vectigalibus dissertationem, referendam esse diffiteri nequeo. Nec tamen omnes has dissertationes tantum novi nos docere deprehendo, ut tot volumina quot annis prodeuntia excutere operæ pretium esse putem, quum solam congerendi industriam ostendant, & nihil fere comprehendant, nisi undique tanto numero cumulata veterum & recentiorum testimonia & auctoritates, ut ipsam sæpe materiam obruant & occultent. Et certe commendavi semper, & quotidie adolescentibus, qui meo consilio uti volunt, suadere soleo, ut, si quod profectuum in studiis specimen, ex quo de eorum ingenio & eruditione judicari possit, proferre velint, potius hinc & inde singulares quasdam, licet breves, observationes, vel in capita quædam veteris historiæ, vel obscuriora veterum auctorum loca, nondum ad liquidum perducta animadversiones prodant, quam tritas & sæpe tractatas materias ad fastidium usque iterum apponant. Juris vero studiosis sæpe autor fui, ut non tralatitias ex Jure Romano materias ad nauseam usque iterare, sed leges quasdam singulares explicare, aut hinc inde quædam, in quibus etiam nunc hærent interpretes, argumenta illustrare conentur: neque me hujus consilii pœnituit, & sæpe jam egregios quosdam juvenes magnam inde laudem consecutos deprehendi. Immo dum hæc scribo, ex vicina etiam Academia doctissimi cujusdam Adolescentis dissertationem ad me adlatam maxima cum voluptate legi, qui noluisse se ait, ad summos in Jure consequendos honores, materiam tritam & crambem decies recoctam iterum adponere, sed ex propria penu potius *quædam capita juris civilis illustrare*,

quam ex aliorum ſcriniis magnæ molis diſſertationem compilare. Nec veritus ille videtur, his verbis alios, & in primis *Virum præclarum ac præceptorem multis nominibus ſibi colendum* offendere, qui in hoc compilandi genere ſibi admodum placere ſolent, licet nullius adhuc vere eruditi ſuffragationem meruerint. Doctiores enim præoptarent in ipſo jure, in quo verſantur, enucleando & illuſtrando juvenes & ipſos magiſtros operam ponere, & ſe potius egregios probare Juriſconſultos, quam ridiculos antiquarios venditare, & ex ſtudiis, quæ juvenes, vel numquam, vel leviter attigerunt, nunc inanem gloriam venari. Satis enim conſtat, nullam fere hodie poſſe de certa quadam aut juris, aut antiquitatis parte diſſertationem ſcribi, in qua non centies ante dicta repetantur, & iiſdem veterum ſcriptorum, aut recentioris cujuſdam auctoritate illuſtrentur & confirmentur. Quantum vero hodie, in tam uberi Lexicorum & varii generis indicum proventu, laboris, inde, neglectis ipſis ſcriptoribus, immenſam ſilvam congerere, quæ variæ eruditionis, & infinitæ lectionis famam, apud imperitos harum artium, conciliet? ſed quam turpiter etiam ſe dare ſoleant, qui perperam ab aliis laudata veterum loca temere in ſuum uſum convertunt, & quam facile ab ipſo etiam Literaturæ tirone in ordinem cogantur, centies apparuit. Quare rectius omnino facturos exiſtimo, ſi quid novi hic & illic, & ab aliis non obſervati reperiant, ut ſingulares illas obſervationes in lucem emittant, & ita ex vulgatis illis & recoctis toties cibis tædium eruditorum effugiant; qui magnos ſæpe libros, unius aut alterius obſervationis antea non factæ, & ſub ingenti ſtrue materiæ facilis & quotidianæ latentis, gratia, evolvere dedignantur. Quis enim non longo intervallo exiguos illos libellos, qui *obſervationum*, *animadverſionum*, *variarum lectionum*, *conjecturarum*, &c. titulos præferunt, præſtare inconditis illis & vaſtis antiquitatum compilationibus, ſemper exiſtimavit? Et hinc in ſtudio Hiſtorico unicum Cl. Perizonii Animadverſionum libellum omnibus Hiſtoriæ Catholicæ compendiis, Theſauris, Theatris &c. antecellere nemo negabit. Cui enim non faſtidium movebitur, qui iterum ab initio rerum, ad noſtra fere tempora Hiſtoriarum ſeriem, toties deductam, ab integro redordiri ſe videbit compelli? Non enim talis ſcriptor effugere poterit, quin centies ab aliis dicta repetat, & ſolum in ordine & ſerie narrationis præcipuum quid ſibi vindicare poſſit. Sed ideone ego immenſæ iterum molis libros relegere, ut faciliori ſcilicet via omnem veteris & recentioris ævi memoriam perambulem, cogar? Immo vero, ſi quid novi, ſi quid animadverſione digni ſe inveniſſe quis putet, illa tantum Hiſtoriarum capita excutiat, & ad exemplum Ruperti, lapſus & errores Beſoldi, vel cujuſcumque compendiarii ſcriptoris, vulgo receptos, doctis diſſertationibus refutet & emendet. Hinc integra & ſolida novæ induſtriæ, ſingularis eruditionis laus & fama, non compilandi laboris inglorii infamia, redundabit. Legant & relegant, non Lexica & indices, ſed veteris ævi monumenta, quæ Græci & Latini Oratores, Poetæ & Hiſtorici nobis prodidere, aut in Sacris codicibus, ac Juris Romani reliquiis, noctes & dies verſentur, & inde, ſi quid a prioribus non recte expoſitum, aut vitio operarum & librariorum ſit corruptum, id omne ex in-

genio, aut doctrinæ copiis, expoliant, & integritati restituant. Applaudet omnis eruditorum chorus, & his conatibus nos quoque inter primos favebimus & suffragabimur. Ego certe, ab eo tempore, quo juvenili illo impetu, & consuetudine vulgari abreptus, hunc primum fœtum deposui, ab omni hoc compilandi labore semper abhorrui. Et licet ex adversariis, & collectaneis, quæ per omne vitæ tempus non parce congesseram, nihil facilius viderem, quam singulos de hac vel illa parte antiquitatis libellos quot annis extrudere, nolui me hoc ignobili & plebejo labore fatigare, sed omne, quod a publicis curis & Academicis, gravibus certe & in orbem semper redeuntibus, quique omne fere tempus eripiunt & cogitationes continuas frangunt, superfuit otium, in antiqui alicujus scriptoris operibus recensendis semper malui collocare. Et licet jam defuncto multis laboribus, & senectutis infirmitates & incommoda magis magisque sentire incipienti, quiescere sine ulla obtrectatione, aut publica querela liceret, reliquum tamen, quod exiguum superesse credo, tempus, non quasi torpore contractus jacerem, perdere, sed unicæ huic voluptati & delectationi impendere constitui: & si quid Deus posthac animi & virium suffecerit, simul judicio meo, quod in humanitatis studiis excolendis semper secutus sum, & delectationi, quæ ex sacris & profanis scriptoribus semper obvenit, obsequi decrevi. Suetonio certe, Historicorum, ut mihi semper visus est, nulli facile cessuro, & a puero mihi adamato, & toties publicis & privatis in scholis exposito, non modo jam manus admovi, sed magnam partem jam typis descriptas adnotationes intra annum me publico expositurum spero: Quo opere exacto, si Virgilium & Claudianum emittendi opportunitas, quam Bibliopolarum rixæ, cavillationes, injuriæ & avaritia, sæpe occludunt, non contingat, ab omni librorum editione cessare, & quæ in Poetas illos observavi, simul cum Heinsii secundis curis, jam descripta & chartis mandata, seponere, & fato suo post mea fata relinquere decrevi. Interim licet non facile ad aliquid novi adgredi sedeat, per amœnissima tamen literarum viridaria spatiari, & relegere juventutis meæ vestigia, abjecta molestiore curarum parte, juvabit. Utinam modo ita rationes meæ ferrent, ut solutus omni sollicitudine & molestiis, quas in urbana & academica vita toties expertus sum, procul a turba, quam infidam & fallacem & nunc & olim deprehendi, in recessu & nido aliquo senectutis, exiguo nec male culto agello, consenescere, & mihi soli vivere, rationesque vitæ anteactæ cum Deo & mente subducere & consolidare possem. Hæc votorum summa, hæc felicitatis, si qua, dum in hoc orbe moramur, contingere possit, consummatio unica videretur. Vale & fave, Lector. Leidæ, Kal. Septemb. CIↃIↃCCXXXIV.

In Viri Consultissimi atque Eruditissimi

PETRI BURMANNI
JURISCONSULTI
Dissertationem Elegantissimam
DE
VECTIGALIBUS POPULI ROMANI.

INjustis usus nimium feliciter armis,
Gallica libertas queis labefacta jacet,
Fert Europæum victricia signa per orbem,
Et prædam e populis Rex Ludovicus agit.
Objicit intrepidus sese crudelibus ausis,
Et læsis Regum Rex Gulielmus adest.
Oppressi bello dant Vectigalia cives,
Et Mars ex omni gente Tributa petit.
Fallor? an in tantis turbis Musæque Themisque
Horrendos lituos inter & arma silent?
Fallor: in exilium properantes pergere Divas
Burmanni in Batavis pagina docta tenet.
Legibus Astræam revocat, sed carmine Musas,
Numina Burmanno semper amica suo;
Omnia victricis qui vectigalia Romæ
Docte Cimmeriis eruit e tenebris,
Et revocat, Populo jam non nocitura, Tributa,
Quæ cives Fisco Cæsaribusque dabant.
Atque ita de nobis veteri & de Jure meretur,
Quo sine stultitia est Jus didicisse novum.
Sed quid ego juris laudo fragmenta vetusti,
Olim pressa quibus Martia Roma fuit?
Romanas leges per me licet abroget usus,
Et patrias, quotquot dura Tributa jubent.
Anglorum aut Regi dent Vectigalia Galli,
Europam aut reditu Pax rediviva beet.
At quid sollicitat nostras ea cura Camenas?
Una salus Batavis Rex Gulielmus adest.
Quocunque eventu dubii cadat alea belli,
Rex Gulielmus erit portus & ara suis.
Nos modo, nos dulces Musas, Burmanne, sequamur,
Hoc quibus auspicibus nobile prodit opus.
Gratulor, invito tentem licet omnia Phœbo,
Nec tangant Nostræ Numina vestra preces,
Gratulor & Themidi & Musis Patriæque Tibique
De tam Te digno, docte Poeta, libro.
Perge ita collapsas Latii reparare ruinas,

Et quæ sub Latio Jura sepulta jacent.
Perge, decet, doctas Themidi sociare Camenas,
Qua tibi præruptum gloria monstrat iter;
Et cum Fratre tuo, qui magni est nominis heres,
Sic immortalem perge referre Patrem.

CORNELIUS VAN ECK, JCtus
& in Acad. Ultraj. Professor.

INDEX CAPITUM.

DE

DE VECTIGALIBUS POPULI ROMANI

DISSERTATIO.

CAP. I.

De Agris publicis & Vectigalibus.

OMANI Imperii nervi & subsidia Vectigalia fuere, quibus belli onera sine privatorum incommodo perferebantur, pacis munera decore & ex dignitate Populi sustinebantur: horum historiam per omnia Imperii tempora, quantum ex veterum monumentis indagare mihi licitum fuerit, perpetua serie contexere constitui, eorumque originem, augmenta, abolitiones & restitutiones proponere. Originem vectigalibus publica necessitas dedit, factiosorum civium in Populum studia & ambitio ea remiserunt, auxit vero pertinaciter ærarium tuentium optimatium constantia, postea imperantium avaritia ea pro lubitu varie exercuit, ita ut nullo umquam reipublicæ tempore certa fuerint vectigalia, sed subinde vel imposita, vel abolita, vel vetera restituta, prout factiones, quæ rempublicam dividebant, Populari auræ vel utilitati publicæ consulebant; sed redacta ad unius imperium & potestatem republica, Imperatorum vel humanitas, & liberalitas, justa parcimonia temperata, ea tolerabilia subjectis effecit, vel avaritia & inter quotidianas rapinas paupertas, ea in immensum aucta acerbissime exercuit; atque ita, si omnia reipublicæ Romanæ tempora percurrere lubet, rara & pauca vectigalia sub Regibus exacta fuisse comperiemus; non enim sumptibus, qui postea ex publico sustineri debebant, obnoxia erat urbs, bella pro aris & focis, non pro propagando imperio, propriis civium impensis, nullo ex publico stipendio, gerebantur: deinde vero quum latius pomœrii fines extenderent Romani, & vicinas Italiæ gentes ditioni ac imperio suo adjicerent, ærarium constituerunt, quod perpetuo ac sine difficultate impensas & publicas necessitates suppeditaret: hoc ærarium non tam sustinebant civium collationes vel tributa, quam ex devictarum Gentium opibus captis & agris publicatis locupletabatur, donec tandem, non sufficientibus subjectorum Populorum divitiis, ex propriis visceribus ali debuerit, quæ omnia ex sequentibus clara fient: ac primo ea vectigalia, quæ antiquis reipublicæ temporibus, & ex subactis hostibus exercebantur, examinabimus.

Romani, quum bello aliquem populum in ditionem redegissent suam, duabus quam plurimum rationibus cum iis agebant; aut populos liberos & suis legibus relinquebant, imposito annuo stipendio in victoriæ præmium & belli pœnam, &

A hoc proprie *tributum*, vel *stipendium*; Populi *tributarii* & *stipendiarii* vocabantur: vel devictos exuebant agris, civitatibus & omnibus bonis, quæ publicabant, eorum agros vel in publicum reipublicæ patrimonium redigebant, vel in eos ex urbe colonos deducebant, quibus dividebantur, & quos ex eorum proventu aliquam reipublicæ partem tribui jubebant: primum nunc excutere non fert animus, nec tributi vel stipendii naturam & historiam contexere, solus nobis de vectigalibus sermo erit, quæ distincta a tributis fuerunt: quamvis non tam anxie hoc discrimen ab auctoribus semper observatum fuerit, de quo
B videri potest Cujac. VII. Obs. 4. Sic Ascon. Ped. ad Cicer. Divinat. cap. III. *stipendiarios* explicat, *quibus victis vectigal imponitur*: ad quem locum accuratius distinguit Manutius *socios immunes*, *vectigales* & *stipendiarios*.

Vectigal dictum est a *vehendo*: quia proprie illud vectigalis genus notat, quod pro vectura mercium exigitur, quod postea sub *Portorii* nomine explicabitur; latius vero postea hujus vocis significatio prolata est, ut omnes omnino reditus & emolumenta comprehendat, quæ ex re aliqua publico obligata ad ærarium perveniunt, & sic ad *Decumas*, & ad *Scripturam*, & reliqua vectiga-
C lium genera porrigitur, & ipsæ res, quæ huic præstationi subsunt, *vectigales* dictæ sunt.

Antiquis Reipublicæ temporibus tria præcipue vectigalia in usu celebrata sunt, quæ vel ex agris, qui colebantur, vel ex pascuis, quæ a pecoribus carpebantur, vel ex portubus, qui mercibus invehendis & evehendis patebant, redigebantur. Quæ tria dicta *Decumæ*, *Scriptura* & *Portorium* fuerunt, quæ ordine explicabimus, explorata prius agrorum & pascuorum publicorum natura & conditione.

Agri hi aliquando *publici*, aliquando *vectigales* a scriptoribus nominantur. *Publici*, quia eorum
D proprietas ad rempublicam pertinebat, & ex eorum fructubus pro locatione merces capiebatur. *Vectigales* autem, quia vel reditus eorum *vectigal* appellabatur, vel aliquando privatis eorum possessio & aratio concedebatur, imposito vectigali. Horum agrorum triplex genus fuisse reperio; pro modo enim & varia deditionis forma ita distinguebantur: aut enim agri ex hostibus capti, toti publici Romani Populi habebantur, & reipublicæ velut patrimonium erant, vel publicati & devictis gentibus ademti, militibus vel inopi plebi dividebantur, unde coloniæ ortæ, vel denique
E gentibus in deditionem acceptis colendi relinquebantur, sub annuo ex eorum fructubus vectigali; vide Manut. ad Cicer. II. ad Att. 15. in fine.

Primi generis agri publici erant, quum Populus aliquis omnia divina humanaque in Populi Romani ditionem dabat, vel quum armis subactus

agro mulctabatur; sic præcipue illustris est deditio Campanorum, qui bello a Samnitibus vexati, & quum pares non essent Samnitibus, omnia sua Romanis dediderunt, ut narrat Liv. lib. VII. c. 71. Qui postea deficientes a Romanis, armis sub imperium redacti, omnibus bonis exuti sunt, ager omnis & tecta publica Pop. Rom. facta sunt, Liv. XXVI. c. 16. & ager Campanus, uberrimus totius Italiæ, factus est *caput patrimonii publici*, *pulcherrima Populi Romani possessio*, *subsidium annonæ*, *horreum belli*, *sub signo claustrisque reipublicæ positum vectigal*, ut eum laudat Cic. 2. Agrar. contr. Rull. Sic etiam in Piceno ager a Gallis captus publicus fuit, qui *Romanus* appellabatur: alio sensu, atque sæpe aliis in locis veterum *Ager Romanus* vocari solet, qui circa Romam erat, & quasi suburbicarius: Varro l. IV. de L. L. p. 10. *Romanus ager dictus, unde Roma a Romulo*: unde postea nomen hoc etiam ad alios agros postea reipubl. adjectos prolatum fuit, ut ita Liv. XXVII. c. 5. *Agrum Romanum* Italia terminat. Unde plura apud Sigon. de Antiq. Jur. Civ. Rom. l. I. c. 2. sed hic *Romanus Ager publicus*, ubicumque situs, capi debet. Var. I. de re rustic. 2. *Ager Gallicus Romanus vocatur*, *qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picenum*, & ibidem montes fuisse, Romanos dictos, quia ad Populum Romanum pertinebant, docet Sicul. Flacc. de condit. agror. *Postquam ergo majores regiones ex hoste captæ vacare cœperunt*, *alios agros diviserunt*, *assignarunt*, *alii ita remanserunt* (ita enim legendum) *ut tamen Populi Romani essent*, *ut est in Piceno*, *in regione Reatina*, *in quibus regionibus montes Romani*, *quorum vectigal ad ærarium pertinet*. Omnes si hic agros publicos & latissimas possessiones enumerare vellem, tædio res foret: plurimos recenset Cicero I. agrar. contr. Rull. adde & comm. ad Vellej. Paterc. II. 81. Hi agri publici erant certissimum reipublicæ subsidium, & urgentis necessitatis remedium, nam in extremis reipublicæ temporibus hi vendebantur, & pecunia ex venditione eorum redacta publicæ angustiæ sublevabantur. Sic Livius narrat lib. XXVIII. c. 46. quia *pecunia ad bellum deerat*, *agri Campani regionem a fossa Græca*, *ad mare versam*, *vendere Quæstores jussos*. & l. XXXI. c. 13. quum ærarium non sufficeret magnis exercitibus alendis, Consules agri publici magnam partem vendidisse creditoribus reipublicæ, imposito tamen vectigali, & ea lege, ut si postea ærarium solvendo esset, acciperent pecuniam & redderent agrum; verba ejus sunt: *Ut agri publici*, *qui intra quinquagesimum lapidem esset*, *copia iis fieret*, *Consules agrum æstimaturos*, *& in jugera asses vectigales*, *testandi causa publicum agrum esse*, *imposituros*, *ut si quis*, *quum solvere posset populus*, *pecuniam habere*, *quam agrum mallet*, *restitueret Populo*.

Sic agri ex devictis gentibus publicabantur; si vero mitius cum devictis gentibus agebatur, non omnis ager adimebatur, sed parte aliqua, vel tertia vel duabus partibus multabantur; sic sub Romulo Vejentes agri parte multati. Liv. I. c. 15. sic Hernicis duæ partes agri ademtæ, Liv. II. c. 41. & Privernatibus, Liv. VIII. c. 1. & Boiis dimidia pars agri ademta. Liv. XXXVI. c. 39. Quin & mansuetudo Romanorum aliquando amplior & illustrior fuit, ut devictarum gentium agros jam in publicum redactos restituerent, & antiquo jure possidendos relinquerent; hoc modo aliquas civitates in Sicilia habitas fuisse docet Cic. III. Verr. Nam tota Sicilia Romanis iisdem legibus paruit, quibus olim regibus, exceptæ erant aliquæ civitates, quas bello subegerant Romani, quarum ager quum esset jure belli publicus Populi Romani factus, tamen illis est redditus, & eæ civitates cum reliqua Sicilia æquali Jure a Romanis fuerunt habitæ, quem locum postea excutiemus.

Quemadmodum vero in quasdam gentes benigni & faciles erant Romani, sic etiam rigide & severe animadvertebant in municipia & colonias, quæ delinquebant, & iis civitatem & omnia jura adimebant, & agris, quos possidebant, mulctabant. Sic Etruria pene tota, quæ Marianas partes contra Sullam foverat, agro spoliata est. Arretinis agri ademti: de quo v. Cic. I. ad Att. Ep. 19. & ibi Malaspinam. Eodem modo Athenienses habuerant olim Mitylenæos, quibus victis agri ademti, & partim Diis consecrati, partim colonis Atheniensibus adsignati fuere, ut narrat Thucydides lib. III. cap. 50. & idem fatum fuit Platæensium a Lacedæmoniis mulctatorum agris suis, ut idem docet lib. III. cap. 68.

Alterum genus agrorum vectigalium est, quum Populus Romanus agrum ex hostibus captum, non in publicum reipublicæ patrimonium redigebat, sed ademtum victis, militibus in emeritorum stipendiorum, & strenue in bello navatæ operæ præmium dividebat, vel etiam plebem inopem & seditiosam in eos deducebat, quod præclarum civilis sapientiæ institutum fuit: hac enim ratione Respubl. & milites alacriores, spe agrorum ostentata, faciebat, & urbem inutili & ad res novas moliendas avida multitudine exonerabat, deinde populos novo imperio nondum assuetos, injecto quasi jugo regebat, & in obsequio continebat; de deductione vero coloniarum hic agere, & earum constitutiones proponere non constitui. Si quis hæc nosse desideret, satisfacient ei rei agrariæ auctores, & Sigon. de Ant. Jur. Italiæ II. cap. 2. Solum, quod huc maxime facit, notandum est, colonos vectigali obstrictos fuisse, ita ut pro modo jugerum, quem accipiebant, aliquid in ærarium Populi Romani inferrent. Hunc morem docet Plutarch. in Gracch. pag. 827. Ρωμαῖοι τῆς τῶν ἀστυγειτόνων χώρας, ὅσην ἀπετέμοντο πολέμῳ, τὴν μὲν ἐπίπρασκον, τὴν δὲ ποιούμενοι δημοσίαν, ἐδίδοσαν νέμεσθαι τοῖς ἀκτήμοσι καὶ ἀπόροις τῶν πολιτῶν, ἀποφορὰν οὐ πολλὴν εἰς τὸ δημόσιον τελοῦσιν. *Romani populorum vicinorum agros*, *quos bello acquisiverant*, *partim vendebant*, *partim publicos faciebant & dabant inopibus & tenuibus civibus*, *exiguo vectigali imposito*. Hinc apud Liv. lib. IV. cap. 36. seditiosæ tribunorum plebis orationes *incitabant plurimos*, *ad petendum tribunatum militum*, *alium alia de commodis plebis laturum se in magistratu profitentem*: *agri publici dividendi*, *coloniarumque deducendarum ostentatæ spes*, *& vectigali possessoribus agrorum imposito*, *in stipendium erogandi æris*. Illustrat hæc maxime Appiani locus de Bell. Civ. lib. I. pag. 353. ubi dicit, Ρωμαῖοι τὴν Ἰταλίαν πολέμῳ κατὰ μέρη χειρούμενοι, γῆς μέρος ἐλάμβανον, καὶ πόλεις ἐνῴκιζον, ἢ ἐς τὰς πρότερον οὔσας κληρούχους ἀπὸ σφῶν κατέλεγον, καὶ τάδε μὲν ἀντὶ φρουρίων ἐπενόουν, τῆς δὲ γῆς τῆς δορυκτήτου σφίσιν ἑκάστοτε γιγνομένης, τὴν μὲν ἐξειργασμένην αὐτίκα τοῖς οἰκιζομένοις ἐπιδιῄρουν ἢ ἐπίπρασκον, ἢ ἐξεμίσθουν. τὴν δὲ ἀργὸν ἐκ τοῦ πολέμου τότε οὖσαν, ἣ δὴ καὶ μάλιστα ἐπλήθυεν, οὐκ ἀγάγοντες πω σχολὴν διαλαχεῖν, ἐπεκήρυττον ἐν τοσῷδε τοῖς ἐθέλουσιν ἐκπονεῖν, ἐπὶ τέλει τῶν ἐπετησίων καρπῶν, δεκάτῃ μὲν τῶν σπειρομένων, πέμπτῃ δὲ τῶν φυτευομένων. *Romani bello Italiam per partes subigentes solebant partem agri adimere*, *& in eum colonias deducere*, *vel in jam ante condita oppida novos colonos ex suis adscribere*; *hæ coloniæ tamquam præsidia devictis gentibus imponebantur*, *in quibus quod erat culti agri colonis dividebatur*, *aut vendebatur & elocabatur*; *inculta vero*, *ut ex bello plerumque sequi-*

tur vastitas, quia dividere non vacabat, per praeconem volentibus colere addicebant sub vectigali annuorum fructuum, decimae partis ex frugibus, quintae ex arbustis: adde illa quae in Bruti Oratione habet idem Appian. lib. II. Bell. Civ. pag. 516. aperte etiam Aggen. Urb. in comm. ad Front. de agror. qual. *Nam ideo publica hoc loco eum dixisse existimo, quod omnes etiam privati agri tributa atque vectigalia persolvant.* Ad quem locum tamen notat Vir Ampliss. Goesius, falsum hoc esse in republica Romana, quod verissime notavit Vir Doctissimus, si de agris, quos privati possidebant per Italiam & provincias, hunc Aggeni locum intellexit, ut fecisse videtur; sed sententia Aggeni verissima est, quum loquatur de agris publicis assignatis & divisis, qui per divisionem privatorum censebantur esse facti: sic expresse passim hi colonorum agri *Vectigales* appellantur ab auctoribus rei agrar. Hygin. de condit. Agror. *Vectigales autem agri sunt obligati, quidam reipublicae Pop. Rom. quidam coloniarum aut municipiorum aut civitatum aliquarum, qui & ipsi plerumque ad Populum Romanum pertinent, ex hoste capti partitique ac divisi sunt per centurias, ut assignarentur militibus, quorum virtute capti sunt:* & hinc laudat fortunas Scytharum & Getarum Horatius lib. III. od. 24.

Immetata quibus jugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt.

Non autem semper illos agros vectigales fuisse, sed aliquando benigne colonis sine onere immunes concessos fuisse, verosimile est; hinc Annibal, apud Liv. XXI. c. 45. Romano more, & ad hostium invidiam, loquens introducitur ad milites: nam dicit Livius, *eum, vocatis militibus ad concionem, certa praemia pronuntiasse, in quorum spem pugnarent, agrum se daturum esse in Italia, Africa, Hispania, ubi quisque velit, immunem ipsi, qui accepisset, liberisque.* Sic immunes etiam fuisse & a vectigali exceptos agros, qui Diis consecrati & templis attributi erant, docet Cicer. III. de Nat. Deor. 19. *Nostri quidem publicani, cum essent Agri in Boeotia Deorum immortalium excepti lege censoria, negabant immortales esse ullos, qui aliquando homines fuissent.* Denique quum non eodem semper jure & conditione deducerentur coloniae, aliae aliis pluribus privilegiis gaudebant: sic quaedam militiae vacationem habebant, quaedam milites & pecuniam suppeditabant. De quibus v. Sigon. d. l.

Accidebat autem aliquando in assignandis agris, ut aut modus agri, qui dividebatur, excederet numerum colonorum, qui deducerentur, quo casu illi agri, qui supererant, vel vectigalibus agris jam divisis subjiciebantur, vel in commune relinquebantur omnibus colonis, vel denique aliquando veteribus possessoribus reddebantur, vel etiam publici fiebant & locabantur: Hygin. d. l. *nam qui superfuerant agri vectigalibus subjecti sunt:* vel etiam vendebantur. Ita in l. 11. ff. de evitionibus, *in Germania possessiones praecepto principali partim distractas, partim veteranis in praemia adsignatas* legimus. Praeterea veteranis assignati agri aliquando veteribus possessoribus aliquid pecuniae dabant, quod *modicum honoris gratia datum* vocat JCtus l. 15. §. 2. ff. de rei vindic. & de quo in Oratione Bruti modo laudata etiam mentio fit. Redditos fuisse veteribus possessoribus idem Hyginus paullo post declarat, dicens, *in quo tamen genere agrorum sunt aliquibus nominatim redditae possessiones. Qui non obligantur vectigalibus, quoniam scilicet prioribus dominis redditi sunt.* Si in

A commune colonis utendi fruendi relinquebantur, *compascua* dicebantur, quibus omnes coloni aequaliter gaudebant, soluto tamen vectigali, quamvis exiguo, teste eodem Hygin. de lim. constit. & Aggen. Urbic. comm. ad Front. *Haec fere pascua certis personis data sunt depascenda, sed in commune.* Si vero respublica Romana hos superstites agros sibi retinebat, eos vel *colonis locabat in quinquennium, vel in centum annos mancipibus vendebat.* Hygin. de cond. agr. Atque ita naturam publicorum agrorum primi generis aequabant. Aliud etiam genus agrorum fuit in coloniis, nam in descriptione perticae, plerumque pars illa agri, quae inculta erat, resecabatur, quae *subsecivum* dicebatur, quod erat, describente Amplissimo Goesio

B Antiq. agrar. c. 12. *rudis locus extra regionem divisam, nullis obligatus limitum regulis.* Atque hi inculti agri vel vendebantur, vel volentibus colere addicebantur sub vectigali. Aggen. Urbic. comm. ad Front. *quae subseciva quidam vendiderunt, quidam vectigalibus certo tempore locant.* & ex supra citato loco Appiani & ex Hygin. de condit. agror. liquidum est.

Tertium vectigalium agrorum genus fuisse diximus, quum populis devictis & imperio subjectis agri relinquebantur, sub certo & annuo vectigali, hocque modo plerumque Provincias extra Italiam tractarunt: sic Sardinia, Africa, Hispania,

C Asia & reliquae Provinciae ex fructubus constitutam partem pro vectigali dederunt; hinc Manlius, in oratione ad Senatum, dicit, *alias agro mulctatis, aliis vectigal impositis*, apud Liv. XXXVIII. c. 48. ita Asia, quae olim sub Attalo rege fuerat, habita, cui tributa regibus pendi solita prius remissa, deinde iterum imposita, eo modo, ut quotannis certa fructuum pensio exigeretur; vide Appian. lib. V. de Bell. Civ. p. 673. qui & pag. 841. saepe agros non ademtos hostibus fuisse, sed contentos Romanos saepe fuisse decimis fructuum, adfirmat. illustre vero in hanc rem exemplum est Sici-

D lia, quae in Provinciae formam redacta, nihil pristini juris & libertatis amisit, sed a Romanis eodem modo, quo a regibus fuit habita, regebatur: agri Siculis relicti decumae, quas regibus pendebant, exactae. Cic. III. Verr. 6. *Inter Siciliam ceterasque Provincias hoc interest, quod ceteris impositum est vectigal certum, quod stipendiarium dicitur, aut censoria locatio constituta est: Sicilia vero sic in amicitiam & fidem recepta, ut eodem jure esset, quo fuisset sub regibus.*

Sub agris publicis & vectigalibus etiam *pascua*, de quibus postea agemus, cum de scriptura nobis

E erit agendum, & *Lacus*, comprehenduntur: nam & ex his vectigal ad rempublicam pervenisse, ex Festo in voce *Lacus Lucrinus* patet, ubi *Lacus Lucrinus dicitur a Censoribus locari.* Fructus lacuum erat piscatio, & hinc in censum lacus piscatorii sunt referendi; l. 4. §. 6. ff. de Censib. ex Lucrino lacu praecipuus proventus erat ostrearum, quae in maximis deliciis habebantur: vid. *Senec. Epist. 78. Plin. IX. c. 54. & Petron. de bell. civ. cap. CXIX.* Servius ad illa Virgilii II. Georg. 161.

An memorem portus, Lucrinoque addita claustra.

F *Fructuosus ille locus* (lege *lacus*) *Populo Romano ob copiam piscium:* ita citat Passeratius ad Propert. I. II. p. 196. sed in Servio legitur, *in Bajano sinu lacus duo sunt, Avernus & Lucrinus, qui olim propter copiam piscium vectigalia magna praestabant;* & reliqua, in quibus quid mutatum postea fuerit, narrat: & hinc intelligendus Valerius Maximus libro IX. I. I. *ubi Orata dicitur aedificiis*

spatiosis & excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressisse, quo recentiore usu conchyliorum frueretur: ubi dum se publicæ aquæ cupidiùs immergit, cum Considio Publicano publicum judicium nactus est. &c. & in hunc sensum capienda esse illa Rutilii lib. I. Itin. 381.

Sed male pensavit requiem stationis amœnæ
Hospite conductor durior Antiphate:
Namque loci querulus curam Judæus agebat,
Humanis animal dissociale cibis.
Vexatos frutices, pulsatas imputat algas,
Damnaque libatæ grandia clamat aquæ.

docuimus ad ipsum Poetam. Ridicule autem Lazius de Republ. Rom. l. II. c. 13. probat, Romanos piscatorios lacus, & inde vectigal vel reditum aliquem habuisse ex Ovidio IV. fast. v. 888. ubi dicit.

Præmia de lacubus proxima musta tuis.

cum ibi lacus, non aquarum aliquam congeriem significent, sed receptaculum illud, quod in cella vinaria sub calcatorio erat, in quo mustum expressum ex uvis excipiebatur, ex quibus lacubus canales erant, per quos vinum in dolia dilabebatur; vid. Caton. de re rust. c. 25. & Pallad. de re rust. l. I. c. 18. Columell. XII. 18. sic & *Lacus Olearii* etant; Columell. XII. cap. 50. vid. ad Petron. cap. LXX.

Antequam ab his discedamus, breviter etiam attingere libet aliud illud genus agrorum vectigalium, cujus tam crebra in jure mentio occurrit, quæque non publici, ut priores, sed privati juris censebantur. Nim. municipiis quosdam agros habere permittebatur, ex quorum reditu municipiorum onera sustinebantur, sacra perficiebantur, ædes sacræ & communes sartæ tectæ conservabantur. Meminit Cic. Epist. ad famil. XIII. 7. municipii Attellani agri vectigalis, *qui est in Gallia*, & eod. lib. Epist. II. Cicero de municipibus suis Arpinatibus testatur, *eorum omnia commoda, omnesque facultates, quibus & sacra conficere, & sarta tecta ædium sacrarum, locorumque communium fieri possunt, consistere in vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia:* sic in *l. 13. §. 6. de act. empt.* fundus aliquis dicitur, vectigalia municipiis pluribus debere; ut recte *Cujac. V. obs. ult.* ex Græcis emendat. Fuisse etiam agros vectigales municipiorum, in quos privati aliquod jus habebant, apparet ex l. 71. §. 5. & 6. ff. de legat. I. ubi aliquis fundum municipum vectigalem ipsis municipiis legat, & consistere hoc legatum dicitur, quia aliquid jus in eo, is qui legavit, habebat. *Hos agros municipia solebant locare in perpetuum, id est, hac lege, ut quamdiu pro illis vectigal pendatur, tamdiu neque ipsis, qui conduxerunt, neque his, qui in eorum locum successerunt, auferri eos liceat. l. 1. ff. si ager. vectig.* Sic Plinius etiam agrum sibi proprium, quem in locum pecuniæ, quam in alimenta puerorum municipio promiserat, eidem mancipatum, imposito vectigali tricenorum millium annuorum, receperat, *per quæ & reipublicæ sors in tuto, nec reditus incertus esset*, lib. IX. epist. 18. Hos agros *fructuarios* appellat Cælius ad Ciceronem lib. VIII. epist. 9. ad fam. unde colligitur, hos agros a magistratibus Romanis, qui in provincias mittebantur, non potuisse hoc fructu, qui ad arcam civitatum pertinebat, privari, ne civitatum vectigalia imminuerentur: petierat enim Cælius, ut *Marcus Feridius hos agros, Ciceronis beneficio, immunes haberet*, quod ei Cicero negavit, utpote fœdum, & illicitum, quemadmodum ad Atticum scribit lib. VI. ep. I. & in pro-

A vinciis urbes habuisse agros suos publicos constat: ita enim *lanas publicas* Mileliorum apud Cicer. I. Verr. 34. interpretatur Cl. Grævius de ovibus in pascuis publicis. Hos agros beneficio Principis possidebant civitates, ut postea de reliquis civitatum & coloniarum vectigalibus declarabimus.

CAP. II.

De Vectigali ex Agris Publicis.

ITA breviter, & quantum nostrum institutum postulat, explicata natura & conditione agro- B rum publicorum & vectigalium, examinandum restat ipsum vectigal, quod ex eorum fructubus reipublicæ Romanæ persolvebatur: non autem eodem modo obnoxii erant omnes agri publico, sed vectigal pro diversitate agrorum varium & dissimile fuit: aliud enim pendebant agri, quorum proprietas penes rempublicam permanserat, aliud agri colonis divisi & assignati, aliud denique devictis gentibus ad colendum relicti.

Ex agris, qui patrimonium reipublicæ erant, omnis reditus ad ærarium pertinebat, & merces, qua elocabantur, in publicum tota redigebatur: C hocque erat luculentissimum reipublicæ subsidium, quo, intactis reliquis introitibus, plurima onera sustinebant, *sic Cicero orat. 2. agrar. cont. Rull.* testatur, *Romanos, Italico bello, amissis ceteris vectigalibus, multos exercitus agri Campani fructubus aluisse*. Unde facile ratio iniri potest, quantum ex tot agris, quos procedente tempore per omnes provincias possidebant, publicis perceperint Romani, quum unus Campanus tot sumptibus sufficeret.

Diversa ratio erat in agris vectigalibus, qui Colonis divisi & assignati erant, quum eorum fructus, non ad publicum, sed ad colonos pertine- D rent, qui tamen vectigal aliquod, quod quasi merces constitutum erat, publico pendebant. Non æquale vero atque idem vectigal omnes ubique Coloniæ repræsentabant, sed pro jure & legibus, quibus deductio earum facta erat, vel pro terræ ubertate vel sterilitate, majus vel minus exigebatur: sic Hygin. de *Limit. constit.* dicit, *Agri autem vectigales multas habent constitutiones, in quibusdam provinciis fructus partem constitutam præstant: alii quintas, alii septimas, nunc multi pecuniam, & hoc per soli æstimationem. Certa enim pretia agris constituta sunt, ut in Pannonia arvi primi, arvi secundi, partis sylvæ glandiferæ, sylvæ vulgaris pascuæ. His omnibus agris vectigal ad* E *modum ubertatis per singula jura constitutum est.* Sic narrat Dionys. Halic. lib. IX. cap. 60. Antiates, qui habebant prædia urbana & rustica, in iis mansisse, colentes non modo agros sibi relictos, sed etiam novis colonis adsignatos, ea conditione, ut certam & constitutam fructuum partem ipsis penderent. Maximum autem, quod exigi solitum, erat *Quinta* pars fructuum, ut ex Hygino liquet: cum quo convenit locus supra adductus Appiani, ubi dicuntur agri addicti fuisse *ἐπὶ τέλει τῶν ἐτησίων καρπῶν, δεκάτῃ μὲν τῶν σπειρομένων, πέμπτῃ δὲ τῶν φυτευομένων. Sub vectigali annuo-* F *rum fructuum, decimæ partis ex satis, quintæ vero ex plantatis.* Hæc quinta deducebatur ex *φυτευομένοις*, ut prodit Appianus. *φυτευόμενα* vero sunt, quæ aliter *γινόμενα* vocantur, ut Ælian. narrat l. VI. I. Lacedæmonios a Messeniis exegisse quintam partem *τῶν γινομένων.* & Thucydides l. VI. 54. dicit Athenienses Pisistratidis dedisse *εἰκοστὴν τῶν γινομένων.* quorum conditio durior videtur fuisse, quam Romanorum, qui ex prædiis & agris, quos possidebant jure dominii, nihil videntur vectigalis

nomine pependisse, quum Atheniensibus decuma omnium proventuum imponeretur. De decima vero illa videndus Ill. Span. Diss. XIII. de usu & Præst. Numism. T. II. p. 551. & Comm. ad Marm. Oxon. p. 45. & Meurs. III. Att. lect. 2. cum qua sæpe decima portorii nomine imposita, confundi solet, de qua postea agendum. Cum vero vox φυτευόμενα generalis sit, & omnia, quæ plantantur, significet, dubium facit, unde hoc vectigal coactum sit. Lips. de magn. Rom. lib. II. c. 1. dubitat, num de silva cædua, an vero ex pomo, vino, nuce, ficu & reliquis arborum fructubus sit collectum? quod postremum, rejecto priori vectigali, cujus nullum apud veteres auctores vestigium est, cum illo verum esse putamus: nam arbores, & earum *fructus* vectigali subjacuisse, ex superiori loco *Hygin. de limit. const.* clarum est, ubi *Sylvæ glandiferæ* inter agros, qui vectigal præstant, enumerantur, & hoc colligere licet ex Cicer. pro L. Manilia cap. 6. *Asia vero tam opima est & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnes antecellat.* ubi *varietas fructuum* videtur arborum fructus notare, si in sequentibus paullo post verbis cum viris doctis liceat legere. *Publicani familias maximas, quas in saltibus habent, quas in agris, quas in portibus atque custodiis magno periculo se habere arbitrantur*: ubi alii in *salinis*, vel *salictis*. Turnebus & Lambinis in *silvis*; & in l. 17. ff. de V. S. inter publica vectigalia recensetur vectigal *Picariarum* (ita enim cum Florentinis recte legitur) quod fuit vectigal redactum ex locatione arborum, ex quibus pix defluebat: picem enim ex arboribus, etsi & fossilis reperiatur, plurimum distillare docet Plin. lib. XVI. c. II. & Salmas. exerc. Plin. tom. 1. pag. 356. Hujus etiam vectigalis mentionem facit Cicero in Bruto, ubi *Redemtores Picariarum* referuntur: verba ejus sunt. *Nam cum in silva Scantia* (hanc publicam fuisse postea, ubi de pascuis erit agendum, ostendemus) *cædes facta esset, notique homines interfecti, insimulareturque familia, partim etiam liberi societatis, quæ Picarias a P. Cornelio & L. Mummio censoribus redemisset.* Celeberrima vero fuit Pix Brutia, de qua vid. ad. Nemes. Cyneg. 206. & Calp. V. Ecl. 80. Vectigales etiam arbores fuisse colligit Bulenger. de Vectig. Pop. Rom. c. 13. ex loco Juvenal. sat. 3. v. 14. ubi dicit.

Nunc sacri fontis nemus & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus fœnumque supellex:
Omnis enim Populo mercedem pendere jussa est
Arbor

Sed male: non enim id sententiæ Poetæ convenit, sed melius ab Interpretibus ad Judæos refertur, qui urbe expulsi vagabantur, & in silvis pernoctabant, conductis arboribus, quibus ut ædibus & tectis utebantur, & sub quarum umbra latebant, & sacra perficiebant: quod & ex voce *mercedis* colligi potest, quæ hic pretium locationis, non pecuniam pro vectigali solutam notat: insolens namque vocis significatio hæc esset, quæ semper id, quod ex fructubus, operis, ædibus vel aliis rebus locatis conductis percipitur, denotat, ut multis illud docet Vir Ampliss. Cuperus I. obs. 17. & sic merces recte sumitur pro eo pretio, quo vectigalia conducunt Publicani: inde Suet. Cæs. 20. dicit, *Cæsarem publicanos tertia mercedis parte levasse*; non inscite vero Phil. Ruben. 2. elect. 26. hunc Juvenalis locum ad Judæorum sacra, quæ in silvis & sub arboribus peragebantur, refert. & Theologus, literis humanioribus præter ceteros excultissimus, Joh. Braunius in selectis sacris de Sambathejo p. 775. Judæos προσευχὰς, quas in locis, ubi arbores erant, amasse docet; quod si verum sit, referendum ad illud vectigal templorum, de quo infr. cap. VII. agemus, quo & forte referri posset alter ejusdem auctoris locus *sat.* V. *v.* 544. ubi Judæa dicitur *Magna sacerdos arboris*: vide & Barth. ad Stat. IX. Theb. 587. ubi hunc Juvenalis locum explicat ex antiqua superstitione, qua arbores colebantur. Hi ergo agri *quintam* ex plantatis debebant, *decumas* vero ex σπειρομένοις sive satis præstabant, quæ cum itidem ex provinciis & subjectis populis exactæ fuerint, ad eas explicandas accedamus.

Ultra vectigal & reditus, quos publici & colonis assignati agri reipublicæ præbebant, pinguissimum ex subjectorum & provinciarum agris commodum capiebatur: horum enim aratores magnam Populo Romano partem frumenti & frugum tribuere erant obstricti, quibus tot hominum millibus referta urbs, & maxima, quæ sub signis erat, militum multitudo aleretur: sterilis enim, nec tantæ hominum copiæ sustinendæ apta erat ea Italiæ pars, quam Romani insederant; itaque, antequam jam imperium late protendissent, ex vicinis gentibus, quibus laxior annona erat, frumentum advehebant, ut ex Volscis, Campanis, & ex Sicilia, frumenti feracissima, Liv. lib. II. 9. & 34. & *passim*. Postea his subactis vectigal impositum est, quod perpetuo annonam Urbi suppeditaret. Ordinarium fuisse vectigal *decumas* infinitis ex locis posset ostendi: & supra jam cap. I. indicatum. An Romani, ut plurima, hoc vectigal ex Atheniensium institutis exegerint suspicari liceret: certe apud illos δεκάτη erat inter vectigalia præcipuum, de quo videndus Meursius in lect. Att. III. 2. in Thessalia etiam civitatem Cranonem τὴν τοῦ σίτου δεκάτην mercede locasse docet Polyæn. lib. II. cap. 34. & Pisistratidas vicesimas cepisse narrat Thucyd. VI. 59. Diis dedicatas decimas in hunc censum non referimus, de quibus videri potest Ill. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Del. 278. de omnibus Romanorum Provinciis per species agere longum foret, præcipua annonæ præsidia breviter percurremus. Præter alias, præcipue Romam alebat Sicilia, quæ, frumento abundans, jam antiquis temporibus decumas Regibus suis præstabat, &, postquam Romanorum provincia facta est, omnem agrum retinuit, & veteres possessores eodem jure & onere eum ararunt, ut easdem decumas, quas Hieroni regi pependissent. Romanis darent, quæ etiam eadem lege, quam Hiero præscripserat, exigebantur. *Quæque dil genter erat posita, ut decumanus nihil, plus decuma, posset auferre, nec arator sine maxima pœna decumanum fraudare*: teste Cicer. III. *Verrin.* 8. quam postea evertit sceleratissimus & rapacissimus Verres, qui quum Prætor Siciliam obtineret, ita in ea grassatus est, ut nihil aratoribus, ne ipsas quidem decumas, reliquerit, & fere totam a cultoribus, post ejus præturam, vacuam reddiderit Siciliam. Cic. in Verrinis.

Non sufficiente vero Sicilia, etsi feracissima, alendæ Romæ, aliæ frumentariæ provinciæ adjectæ sunt. Et vicina Sardinia, quæ etsi cœli & aeris gravioris erat, terra tamen benigne creditas fruges cum fœnore reddebat, largiter quoque *decumas* frumenti Romam mittebat, ut multis apud Livium locis narratur *libr.* XLII. *c.* I. *&c.* sic apud Hirt. de bell. Afric. c. ult. dicuntur *Sulcitani* (qui est Populus Sardiniæ) *quod Nasidium, & ejus classem receperant, copiasque juverant, HS. C. millibus multati, & pro decumis octavas pendere jussi.* Deleta postea Carthagine maxima vis & frumenti copia horreis Romanis accessit ex Africa, cui etiam decumæ impositæ fuere: hoc colligere licet ex antiquo monumento, cujus nobis fragmentum

exhibet Gruter. in corpore inſcriptionum, pag. 512. Refertur enim ibi, poſt Carthaginem captam, plurimos agros eſſe publicos factos, & a magiſtratu Romano locatos, (quod & ipſum Cic. pro Balb. dicit, *Afros agris & ſtipendio multatos eſſe* adfirmans) alios vero agros relictos eſſe quibuſdam populis, qui bello Punico in fide Romanorum permanſerant: quibus ſine onere & vectigali immunes concedebantur colendi agri, hac prærogativa, *neive vectigal, neive decumas, neive ſcripturam dent*. Unde recte colligitur, reliquos veteribus poſſeſſoribus relictos agros decumas pependiſſe. Nec *ſubactam Aſiam* immunem fuiſſe a præſtatione *decumæ* putem, quum Cicer. v. ad Attic. ep. 13. meminerit *Decumanorum*, qui illum, cum Epheſum veniret, comitabantur; & eodem referenda illa quæ ſupra ex Ciceronis Manilianæ cap. 6. attulimus, & quæ ibi plura legi poſſunt: & Aſiam olim, quum ſub regibus eſſet, etiam Δεκάτην tribuiſſe: patet ex Smyrnæorum cum Magneſiis fœdere, & quæ ad illud illuſtrandum viri docti contulerunt in Marmor. Oxon. pag. 45. Et Syrorum agros etiam vectigali obnoxios fuiſſe ex Cicer. II. agrar. cont. Rull. 29. patet, ubi dicit: *Quid nos Aſiæ portus, quid Syriæ rura, quid transmarina vectigalia juvabunt*. An Syria decumas pendere fuerit coacta, dubitationem injicit Appian. Alex. de Bell. Syr. p. 119. qui ſubactæ a Pompejo tantum centeſimam dare, ut & Ciliciæ, impoſitum ſcribit, quam vocat ἑκατοστὴν τοῦ τιμήματος: Noriſius vero ad Cenotaph. Piſana Diſſ. II. cap. 12. pag. 322. qui de capitatione, ratione opum & cenſus, capit, ab Auguſto has inſtitutas cenſet: nobis nondum hæc ad liquida perducta videntur: nec quare minori vectigali defungeretur opima & fertilis Syria, ut Ciceroni vocatur in Orat. pro domo cap. 9. ratio apparet. Hæ provinciæ erant veluti horrea reipublicæ Romanæ, quibus poſtea acceſſit Ægyptus, quæ ſola fere alere poterat Romam. Sed de hac diſſeremus, quum, quale hoc vectigal fuerit ſub Imperatoribus, examinabimus. Mitius, quam ceteræ, habebatur Hiſpania: ea enim, non tam ferax ac benigna, minus vectigal præbebat: eam enim viceſimas tantum dediſſe auctor eſt Livius lib. XLIII. c. 2. Reliquarum etiam frugum minutarum, ut olei & vini, decumæ exigebantur, ut teſtatur Cic. in Verrin. III. 7.

Hæ decumæ porro ex provinciis exigebantur ad modum fructuum: ex ſingulis enim jugeris quæ arabantur, fructuum pars decuma detrahebatur, quemadmodum & locatio decumarum in jugera fiebat: & hinc jugera profiteri debebant aratores Cic. III. Ver. 22. Hinc Cic. III. Verrin. 47. rationem init, quantum hoc emolumentum ſit Romanis, quum, ſi fertilis annus ſit, ex ſingulis jugeris medimnus decumæ nomine capiebatur: decem enim medimnos ex jugero aratores ferre poterant: non cogebantur autem aratores profiteri numerum jugerum, quæ arabant, ſed quotannis apud Magiſtratum, ex præſcripto & inſtituto legis Hieronicæ, numerus aratorum publice annotabatur. Verres vero, aratores accuſandi & judicii poſtulandi cauſſam quærens, edictum in Sicilia proponebat, ut decumanus quantum edidiſſet, arator ſolveret, quod iniquiſſimum & novum inventum vehementer exagitat Cicero.

Nec pecunia hac decumæ, ſed frumento ſolvebantur, unde paſſim apud Ciceronem, per medimnos decumarum ratio putatur. Hoc frumentum aratores debebant ad mare perducere, ut inde Romam transmitteretur: ſic in Sicilia ad fretum Siculum advehebatur, & edicto Verres juſſerat, lib. III. 14. & 20. ut *ante Kal. Sext. omnes decumæ ad aquam deportatæ eſſent*. Ultra decumas nihil debe-

A bant aratores, nec acceſſionem pecuniæ, neque aliquam mantiſſam, ſed, *ſi largiſſimus eſſet arator, cumulatiore menſura utebatur*: III. Ver. 50. Verres vero, omnia inique quum extorqueret, & decumas magni venditas, & inſuper pecuniam exigebat; ut ea omnia luculenter deſcribit Cicero, in Divinat. c. 10. & paſſim tertia Verrina. Hiſpani impetrarunt a ſenatu, *ne frumenti æſtimationem magiſtratus haberet: neve cogeret viceſimas vendere Hiſpanos, quanti ipſe vellet, & ne præfecti in oppida ſua ad pecunias cogendas imponerentur*: Liv. XLIII. 2. Ceterum Pincier. lib. II. Parerg. 26. decumanum frumentum, quod decimando colligitur,
B miſcellaneum & male depuratum, id eſt aceroſum ac pulverulentum fuiſſe ait: quod quo auctore adfirmet neſcio, neque ad inquirendum nunc otio abundo.

Summa autem totius frumenti, quod ex decumis colligebatur, in tabulis publicis ſcribebatur, ſecundum quas idem modus Romæ reddi debebat, nec licebat Prætori vel Quæſtori, eam ſummam mutare, vel aliquid ei detrahere, quod tamen Verres fecit, multum de capite demendo, quod tam grave crimen Cic. III. Verrin. 35. dicit, *ut illud Senatus, non ipſi Syllæ, cui uni poſt Romam conditam reſpublica ſe totam tradidit, qui tantum po-*
C *tuit, ut nemo illo invito nec bona, nec patrium, nec vitam retinere poſſet, permiſerit*, ſed publica auctoritate reprehenderit. Aliquando vero, quum publica neceſſitas & anguſtiæ temporum exigebant, provinciis imperabantur alteræ decumæ, ultra debitas & exigi ſolitas, quo *tamen caſu Senatus ita decernebat, ut pecunia pro his decumis ſolvatur aratoribus, ut, quod plus ſumitur, quam debetur, idem non auferri putetur*. Cic. d. l. hocque dicitur *frumentum emptum*, quod duplex eſt, vel enim *Decumanum* dicitur, quod quaſi *alteræ decumæ*, & ejuſdem quantitatis exiguntur, vel
D *Imperatum* ſive *emptum* proprie, quod *præterea civitatibus omnibus æqualiter diſtributum eſt*. Verr. V. 21. a quo nulla excipiebatur. Exempla frumenti hujus, imperati & decumani, plurima occurrunt apud Liv. l. XXXVI. c. 2. l. XXXVII. 2. & 50. l. XLII. c. 31. & *paſſim*. Pretium vero, quod huic frumento conſtituebatur, a Senatu definiebatur, & Magiſtratui, ad illud cogendum, pecunia ex ærario decernebatur, ut ex Verr. III. 70. apparet, ubi Cic. probat Verrem illam *pecuniam domum ſuam avertiſſe*, & peculatum commiſiſſe, *qui permultis civitatibus nihil omnino pro frumento ſolvit, aliis detraxit quantum commodum fuit, nulli, quod debitum eſt, red-*
E *didit*. Ita a Senatu proviſum eſt, ne magiſtratus Romanus in Hiſpania graſſaretur, & provinciam vexaret. *Conſultum enim ab ſenatu Hiſpanis, ne frumenti æſtimationem magiſtratus Romanus haberet, neve cogeret viceſimas vendere Hiſpanos, quanti ipſe vellet*. Cicero etiam tertii generis frumenti meminit lib. II. in Verr. 2. *Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus eſſe putaret non ultra pollicita eſt? quando id, quod imperaretur, recuſavit?* ubi Aſconius, *omne genus penſitationis in hoc capite poſitum eſt, canonis, oblationis, indictionis*: & huc ſpectant illi nummi ab antiquariis adducti, in
F quibus legitur. AD. FRUM. EM. EX. SC. vide Spanhem. de uſu & præſt. Numiſm. diſſ. x. pagin. 154. Inſpectionem & frumenti probationem habebat Magiſtratus Romanus v. Cic. d. l.

Quamvis autem exacte ſatis Magiſtratuum poteſtas, in exigendo a ſubjectis frumento, erat circumſcripta, permittebatur tamen Prætori vel Proconſuli a provincialibus aliquid exigere *cellæ nomine*, id eſt, ad ſe & familiam ſuam alendam. Hoc ex ſenatuſconſulto & legibus ei permittebatur, &

a Senatu definiebatur, quantum Prætori sumere liceret: quum autem more invaluisset, ut in commodum aratorum, qui aut frumentum jam vendidissent, aut servare vellent, aut in eum locum, quo imperabatur, portare nollent, Prætor loco frumenti pecuniam acciperet, consuetudo æstimationis introducta est, qua Prætor frumentum, quod ipsi in cellam debebant aratores dare, æstimaret, unde *æstimatum* dicitur. Ascon. Ped. in Verr. lib. I. c. 38. ubi excogitatam a Verre æstimationem describit. *Licebat enim Magistratibus in usus suos frumentum accipere, si vellent, aut pro frumento pretium, quæ æstimatio dicebatur, in qua re avarissimi quique infinitam pecuniam contrahebant, iniquum pretium sociis imperando.* Et in divinat. cap. X. *Dabat Sicilia æstimatum, quod decretum Prætor in cellam, hoc est, in usus* cellæ æstimare *solebat, cum interdum pro frumento pecuniam sumeret:* plura vid. lib. III. in Verr. c. 81. & seq. ubi recte Hottomannus produxit locum Servii ad Virg. I. Æn. 704. *inter penum & cellarium hoc interest, quod cellarium est paucorum dierum, unde & in cellam dicitur Imperatum* (ita recte P. Daniel, vetustæ editiones perperam *importatum*) *frumentum.* Verris etiam avaritiam & extorsiones, circa frumentum æstimatum, late describit idem Cicero, loco sæpe citato. Hoc frumento Prætor vel Proconsul domum suam, cohortem & præfectos alebat: hinc Cic. VI. ad Att. 3. scribit, Gavium, qui se præfectum gerebat, impudenter a se *Cibaria* petiisse. Ultra hoc frumentum in cellam, vel æstimatum, etiam Prætori aliquid a Publicanis tribuebatur: hoc ideo publicani instituerant, ut in litibus cum provincialibus sibi faventes haberent magistratus. Et fortasse, hoc est illud *Honorarium* frumentum, cujus meminit Cic. in Pison. cap. 5. *Qui modus tibi fuit frumenti æstimandi? qui honorarii.* Ubi nescio an præstat *æstimati*. Et ex hac avaritia alia provincialibus extorta, vel metu pejoris oblata originem traxisse puto: ut *vinum honorarium, unguentarium, vasarium* & nescio quæ, de quibus videndus Muretus lib. XII. Var. Lect. 5. Thomas. de Donat. cap. I. & tot nominibus excogitata ab avaris provinciarum rectoribus quasi vectigalia, sed quæ huc proprie non pertinent, ut nemini mirum videri debeat, tot divites ex provinciis rediisse, in quas ære alieno obruti, aut tenues admodum mittebantur. Hæc vero omnia magis malo more & avaritia magistratuum, quam lege vel SCto introducta puto, quare id ab æqui observantissimo Catone, quum Prætor Sardiniam obtineret, non acceptum est. Liv. XXXII. c. 32. *Nam fœneratores ex insula fugati, sumptus, quos in cultum Prætorum* (id est publicani) *facere soliti erant, circumcisi aut ablati ab eo*, referuntur.

Antequam autem a decumis interpretandis abeamus, excutiendus nobis est locus insignis & ab omnibus viris, qui commentarios in eum auctorem scripserunt, vexatus, Suet. Caligul. 26. ubi mentio fit *decumarum* aliquarum. Verba sunt: *Scenicis ludis, inter plebem & equitem caussam discordiarum serens, decumas maturius dabat, ut equestria ab infimo quoque occuparentur.* Quænam hæ decumæ sint, Torrentius se nescire, ingenue fatetur; alii nescio quas decumas Herculi & Diis votas comminiscuntur, ut Turneb. XVIII. adv. 5. de quibus vide præter alios Ill. Spanh. ad Call. Hym. in Del. 278. de decuma Herculis viri docti capiunt illa *prandia, quæ Orestes in semitis decimæ nomine dedit*, apud Cicer. II. de offic. 17. sed de quibus nondum liquet: magis placet Manutii expositio; sed hæc quomodo theatrali sparsioni inservierint, vellem docuissent viri docti. Scaliger Epist. 37. Casaubono, qui illum de hoc loco consuluerat, re-

A scribit, hæc fuisse missilia & nummos, ex nescio qua exactione decumarum suppeditatos, quæ dicata erat sparsioni theatrali, sed nullo antiqui testimonio sententiam suam firmat. Probabilior plerisque visa est emendatio & explicatio magni Casauboni, qui locum, conjectura ductus, ita emendat. *Caussam discordiarum serens tesseras decuma maturius dabat*, infarciens vocem *tesseras*, quam a voce præcedente, ob similitudinem literarum, *serens* absorptam fuisse credit, & tesseras has missilia, in theatris, post finitos ludos spargi solita, interpretatur: cui sententiæ ut non subscribam,
B facit, quod ex hac explicatione nulla potest caussa discordiæ inter equites & plebem colligi: nam tesseras quidem & missilia sparsa fuisse, negari non potest, sed si ea modo & Equitibus & plebi spargerentur æqualiter, & eo tempore, quo equites una cum plebe frequentes in theatro erant, nihil erat, de quo alteruter quereretur: nam si ante decimam horam hæc sparsio a Caligula facta sit, ut vult Casaubonus, plebs nullo modo poterat occupare equestria, utpote Equitibus ea adhuc tenentibus, nec ut rarum aliquod & insolitum Caligulæ factum notaret Suetonius, si ante decimam finitos diceret ludos scenicos, & sparsa fuisse mis-
C silia, quum semper & ab omni tempore finis ante id tempus ludis imponi soleret. Ita enim tempus diurnum Romani diviserant, ut matutinum spectaculis & gladiatoriis ludis impenderent, unde sæpe in inscriptionibus mentio fit *Ludi matutini*; & ex Suet. August. c. 44. apparet: Post meridiem vero tranquilliores ludi in scena exhiberentur, quod ideo institutum erat, ut *lusus & sales aliquid laxamenti afferrent, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescerent*, ut dicit Senec. epist. 7. vid. & Suet. Aug. XLII. Claud. XXX. & licet sæpe ordo ludorum turbaretur & circa meridiem etiam gladiatores vel venationes ederentur, ut ad Sueton.
D Claud. XXXIV. docet Torrentius, tamen videntur scenici ludi plerumque tum editi fuisse: unde illud Augusti edictum, *mulieres ante horam quintam venire in theatrum non placere*, Sueton. XLIV. & hinc Horatius lib. II. Ep. I. ipsis ludis scenicis, si exploderentur actores, interruptis, alia spectacula edita fuisse sæpe ostendit.

Sæpe etiam audacem fugat hoc, terretque poetam,
Quod numero plures, virtute & honore minores,
Indocti stolidique, & depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
E *Aut ursum aut pugiles, his namque plebecula gaudet.*

Et hoc præcipue docet prologus Hecyræ Terentianæ, quæ & funambulo primum, & deinde rumore de gladiatoribus ita fuit turbata, ut populus post primum actum convolaret, tumultuaretur, clamaret & pugnaret de loco. A meridie ergo incipiebant ludi scenici, & rarissime ad decimam protrahebantur, unde ut insolitum & a communi consuetudine abhorrens de Nerone narrat Suet. c. 21. *eum in horam FERE decimam perseverasse*;
F & ratio finiendi ludorum erat, quia nona hora erat tempus cœnæ, ut ex vulgato Martialis versu patet. lib. IV. 8.

Imperat extructos frangere nona toros.

Nec, quia res in foro aliquando ad decimam protrahebantur, idem illud in theatris fieri consuevisse colligi potest. Heraldus ad Martial. lib. I. Ep. 12. legit, ut certe est in multis codicibus, *ut equestres* &c. & intelligit decimas fuisse pecuniam ad biben-

dum in spectaculis datam, quum cauponum pueri potum circa theatrum circumferrent, unde spectatores emerent, sed quum non explicet illas *decimas*, nisi quod missilia vel tesseræ fuerint, nec quare ita dictæ fuerint, nec *bis quina numismata* apud Martialem, ex more Latine loquendi possint *decimæ* vocari, quæ non nisi ratione totius alicujus, unde decima pars tollitur, dici possint, neque etiam probet fuisse tales *decimas*, *Senatorias*, *Equestres*, & *Plebejas*, ejus sententiæ minime accedere possumus. Superest ergo ut alia fuerit discordiæ caussa, quæ plebem cum Equite commiserit, eaque peti debet ex re aliqua, quæ ante equitum in ludos adventum in gratiam plebis a Caligula facta sit, ita ut plebs equestria vacua occupare potuerit, quæ tamen, an recte a nobis conjici possit diffidimus: sed quum depositus sit locus, nec ullum a MSS. auxilium sperandum sit, conjecturis indulgere licet, easque eruditorum arbitrio & censuræ subjicere. Posset itaque fingi Suetonium scripsisse, *Caussam discordiarum ferens, Mimos maturius dabat* (formatis primis literis *D E C* in *decimis* ex M, qui lapsus librariis facilis est) & hic sensus loco apponi. Caligulam, non missilia spargendi, sed ipsum ludos & mimos edendi tempus maturasse, & mimos in scenam eduxisse, quum plebs, quæ plerumque maturius ad ludos ruebat, sola fere esset frequens, & equestres cuneos occuparet, ita ut postea, adveniente equite, & locum, sibi a plebe discretum, tuente, rixæ & discordiæ orirentur. Fuisse vero frequentissimas rixas in theatris, & legem theatralem sensim ita fuisse contemtam, ut ordines locum suum vix tueri possent, apparet ex Suet. Domit. cap. VIII. ubi dicit Domitianum licentiam *promiscue in equite spectandi inhibuisse*: unde & apparet maxime equestria a populo fuisse occupata, & hinc sæpe apud Martialem legimus se pro equitibus gerentes fuisse excitatos & e quatuordecim ejectos. vid. lib. V. 14.

Mimi autem semper scenicis ludis exhibebantur, &, quum antiquis temporibus inter actus comœdiæ interseri solerent, posteriori ætate, inventoribus præcipue Pylade & Bathyllo, separatim in orchestram veniebant, ut multis docuerunt Scalig. de poet. I. c. 10. & Salmas. ad Vopis. Carin. c. 9. & exinde fere totæ comœdiæ mimicæ factæ fuerunt, ut docet Vales. ad Amm. lib. XXIII. c. 6. ubi simili loquendi modo dicitur, *Scenicis ludis mimus immissus*: quo & alibi ipse Sueton. Cæs. 39. utitur, dicens, *Ludis* (nim. scenicis) *Laberius Eques Romanus mimum suum egit*. Ita ludis Floralibus mimas etiam datas docet Valer. Max. lib. II. cap. X. §. 8. ubi recte tamen legitur, *ut mimæ nudarentur*, cum in Schotti codice sit *mimæ darentur*, nisi compendio scribendi exciderit vox, & legendum, ut *mimæ nudæ darentur*. Et sæpe etiam ordinem illum ludorum matutinorum & meridianorum variasse colligere licet ex Ciceronis VII. ad Fam. ep. I. *Neque dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo Stabianum perforasti, & patefecisti Sejanum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumseris; cum illi interea, qui te istic reliquerunt, spectarent communes mimos semisomni*. Et præterea conjectura nostra, mimos maturius, & ante tempus, more ludis inchoandis præfinitum, editos hic significari, forte inde etiam confirmari posset, quod ex eo tempore videtur invaluisse prava illa consuetudo, ut plebs, quæ insano ludorum & mimorum ardore furebat, negotia & mercimonia (nam sæpe nundinis edebantur ludi) negligeret & prætermitteret, nec, ut olim, tempus postmeridianum, sed totos dies mimis & ludis spectandis absumeret; quam vulgi insaniam postea correxit Imperator Antoninus Philosophus,

A &, abolito eo more, tempus ludorum ad pristinam consuetudinem retraxit, nam eum, *ne mercimonia impedirentur, tardius Pantomimos exhibere, non totis diebus, jussisse*, narrat Capitolin. c. 23.

CAP. III.

De Vectigali ex agris & eorum fructubus sub Imperatoribus.

HÆc fuit agrorum & vectigalis ex iis ratio, stante republica, quæ multum immutata est imminuta libertate & eversa republica. Et jam sub extremis liberæ & suis legibus viventis reipublicæ temporibus, factiosorum civium machi-
B nationibus, hæc luculentissima ærarii pars, & firmissimum reipublicæ subsidium appetebatur & labefactabatur: nam plurimis legibus agrariis, quas seditiosi, & qui auram popularem captarent, cives ferebant, multi agri publici viritim dividebantur, & quotidie quædam reipublicæ pars decerpebatur; donec tandem Tribunus Pl. Sp. Thorius lege, quam *vitiosam & inutilem* Cicero in Bruto C. 36. (quem & vid. II. de orat. 70.) dicit, lata, omnem agrum publicum vectigali levavit, & pascentibus quosdam agros publicos pauperibus divisit, & invitis maxime optimatibus tandem immunem
C præstitit. Deinde C. Cæsar Consul etiam Rempublicam unico, qui supererat, agro Campano exuit. Suet. Cæs. XX. *Agrum Stellatem & Campanum, ultimum subsidium reipublicæ, divisit populo*: ubi videndus Casaubonus, & quæ nos ad illum locum adnotavimus. Atque ita ærarium præcipuo fructu & emolumento destitutum & nudatum est, graviter hoc ferentibus optimatibus & reipublicæ studiosis, unde frequentes illæ Ciceronis querelæ, *Agro campano diviso, portoriis sublatis, quod vectigal superest domesticum, præter vicesimam, quæ mihi videtur una conciuncula, clamore pedisequo-*
D *rum nostrorum, peritura*: ad Att. II. ep. 16. In eum autem finem hæc divisio instituebatur, ut multitudo civium, quæ Urbem replebat, & seditiosa plerumque consilia meditabatur, ab otio urbano ad agriculturam & laborem traduceretur, & ut solitudines, quæ per bella civilia Italiam deformaverant, frequentarentur; sed præsens tantum illud remedium, nec in futurum consulebat: major enim in dies copia suppullulabat, quæ ali publice deberet, & agri, ex quibus frumentum olim Populo distribuebatur, in patrimonium & commodum privatorum cesserant. Accedebat summa hominum
E socordia & agriculturæ neglectus, quam sordidum opus esse, jam confirmata eo tempore erat opinio: populus enim, qui frumento publice pascebatur, fiducia frumentationum a cultura agrorum cessabat, unde Augustus dicitur voluisse tollere omnes frumentationes. Sueton. c. XLII. quod tamen non perfecit. Itaque ut tantæ multitudini, quæ tesseras frumentarias accipiebat, consuleretur, ex Provinciis vectigal frumenti exigi perseveratum est sub Imperatoribus, quo damna amissorum in Italia agrorum resarcirentur. Eleganter agriculturæ negligentiam, & necessitatem ex provinciis frumentum & subsidia vitæ humanæ petendi, deplorat
F Columell. in præf. I. de re rustic. *Itaque*, inquit, *in hoc Latio in hac Saturnia terra, ubi Dii cultus agrorum progeniem suam docuerunt, ibi nunc ad hastam locantur, ut nobis ex transmarinis provinciis frumentum adveniat, ne fame laboremus: vindemias condimus ex insulis Cycladum, ac regionibus Bæticis Gallicisque*. Eadem fere jam antea questus erat Varro lib. II. de R. R. præfatione: & deinde Tacit. XII. ann. 43. *At hercle olim ex Italiæ regionibus longinquas in Provincias commeatus portabant: nec nunc infœcunditate laboratur, sed Africam potius*

tius & Ægyptum exercemus, navibusque & casibus vita Populi Romani permissa est.

Eædem vero provinciæ, quæ reipublicæ vectigal ex agris suis præstabant, Imperatoribus obnoxiæ fuere; Sicilia, Sardinia, Hispania, Africa & Asia Romanis arabat, his *vita ipsa* (ut loquitur Tacitus III. ann. 54. & XII. 43.) *Populi Romani* sustentabatur. De quibus omnibus hic multa congerere supersedeo, quum clara & manifesta res sit, & auctorum loca, quæ de his provinciis passim mentionem injiciunt, obvia sint. His accessit postea fertilissima Ægyptus, quæ, ab Augusto in Provinciæ formam redacta, certissimum horreum & subsidium Romanorum fuit: hæc annua ducenta centena millia frumenti inferebat, computante Aurel. Victor. poster. cap. I. quantumque hæc provincia commodi Romanis, frumenti præstatione, adtulerit, multis demonstrat Plin. paneg. c. 30. & seqq.

Non autem amplius decumarum vel vicesimarum frumenti præbitione defungebantur subjecti populi: altum enim harum apud auctores, post reipublicæ mutatam formam, est silentium, sed unicuique, pro modo & ubertate agrorum, certus & definitus modus imperabatur, quem quotannis Imperatori transmitterent, ut inde domus Augusta, milites & plebs inops aleretur: in hunc finem ab Imperatoribus, fortasse jam ab ipso Augusto, confectus est *Canon* quidam *Frumentarius* dictus, quo, quid quæque provincia quotannis præstare deberet, comprehensum erat. Augustum hunc canonem frumentarium primum composuisse credibile est: hic enim quum imperium nomine Principis accepisset, confecit rationarium sive breviarium imperii, quo continebantur vires totius imperii, & in quo ratio introituum & expensarum deducta erat, Suet. Aug. cap. XXVIII. & ult. Tacit. I. ann. II. nec diu post Augusti tempora pro decima canonem fuisse introductum docet locus Asconii Pediani ad lib. II. in Verr. 2. ubi pro *decimis*, quas Cicero indicat, commentator ille *canonem* habet: deinde id etiam elici potest ex alio loco Taciti VI. ann. 13. ubi, quum Senatus & Magistratus Romani populum, licentius de gravitate annonæ querentem, non coercuissent, Tiberius Patribus scribit, *quibus e provinciis & quanto majorem, quam Augustus, rei frumentariæ copiam advectaret*, qua epistola tota frumenti ratio continebatur. Et aperte modum frumenti, quem Ægyptus suppeditabat sub Augusto, definit *Aurel. Victor*, loco supra citato. Sub sequentibus Imperatoribus clariora hujus Canonis indicia exstant: sic de Septimio Severo narrat Spartianus, cap. XXIII. eum *Canonem septem annorum morientem reliquisse*, &, ipsi dissimilis, Imperator Elagabalus, *Canonem Populi Romani unius anni, meretricibus, lenonibus & exoletis dedisse*, refertur a Lamprid. c. 27. Hinc frequentissima hujus canonis apud Auctores mentio reperitur, & de eo utrique Codici titulus ab Imperatoribus est insertus: multa enim circa hujus canonis curam Imperatores constituerunt, quæ omnia recensere operosa & fastidio plena res esset, plurima de eo Doctissimus Theodosiani Codicis Interpres Jacobus Gothofredus *ad tit. C. Theod. de Canon. frum. U. R.* congessit, qui utiliter consuli potest; hoc tantum subjiciemus, Imperatores plerumque, si Canon hic non sufficeret, a subjectis gentibus, pretio dato emere consuevisse (ut & sub republica moris fuisse, supra ostendimus) & eo casu coactos fuisse Provinciales, pretio a fisco accepto, frumentum vendere, quod onus dicitur *Sitonia*, Latine *Coemtio*. C. Just. lib. X. tit. 27. De hac etiam *publica comparatione* est titulus in C. Theod. lib. XI. tit. 15. & multa de hac constituit Theodosius Junior, cujus constitutiones reperiuntur sub titulo C. Theod. de frum. Urb. Const. consulendus & Boeth. cons. Philos. pros. IV. & ibi commentatores. Huic coemptioni præficiebantur certi homines, quos σιτῶνας & *frumentarios* vocant JCti in l. XVIII. §. 5. ff. de muner. & honor. eratque hoc munus personale l. I. ff. eod. a quo excusabat ætas septuaginta annorum, & numerus quinque incolumium liberorum l. 3. §. 12. ff. eod. Ab hoc onere quidam, ut pauperes & plebei, & aliæ personæ excipiebantur, de quibus est l. 2. C. Theod. de compar. publ. Excusatos etiam Philosophos, Grammaticos, Rhetores, Medicos, & ex constitutione Antonini docet l. VI. §. 8. ff. de excus. Tutor. Quemadmodum vero avari & impotentes Imperatores hoc frumentum nullo, vel perexiguo, pretio provincialibus extorquebant, sic boni & justi Principes pretium congruens solvi jubebant, unde eam laudem Trajano Plin. paneg. c. XXIX. tribuit. *Emit fiscus, quicquid videtur emere, inde copiæ, inde annonæ, de qua inter licentem vendentemque conveniat*: & hinc gratis sæpe liberales Imperatores frumentum civitatibus dedisse docet Ill. Spanhemius ad Juliani Orat. I. pag. 79.

Hoc frumentum, sive pro vectigali secundum canonem exactum, sive coemptum, in Provinciis & Romæ in publica condebatur Horrea, de quibus quum jam plurima congesserint viri docti, nos illa omittemus, & lectorem avidum ad Buleng. de Vect. P. R. c. 8. Salm. & Casaub. ad Lampr. Alex. Sever. c. 39. Pancir. var. Lect. I. 51. & Gothofr. ad l. VII. ff. de Instr. & instr. leg. & l. XXI. §. 6. ff. de furt. remittemus. Super hæc horrea servos publicos positos docet inscriptio Gudiana pag. XVIII. 9. ubi *servus horreorum pub.* (sive *publicus* sive *publicorum*) *in Aventino*. Puteolis etiam fuisse Granaria docuit Gronov. II. obs. 2. ex classe enim Alexandrina, quam in sinum Puteolanum appulisse patet ex Suet. Aug. XCVIII. frumentum ibi conditum fuisse verosimile est: vide ibi Casauboni notas. Inde per curatores annonæ populo & militibus distribuebatur, quod vulgo notum & ab aliis uberius explicatum non referemus: vid. Lips. I. elect. 8. & Jacob. Gothofr. ad Tit. C. Theod. de re Milit. & ad tit. de erogat. milit. ann. hoc tantum addimus, militibus, qui male rem gesserant, hordeum loco frumenti datum, cujus moris varia exempla congessit Torrent. ad Suet. Aug. c. 24. ubi illud ab Augusto factitatum narratur. v. & Stewech ad Veget. de re milit. I. c. 13. hæc distributio frumenti postea exolevit, &, in commodum plebis & militum instituto collegio Pistorum, ipsi panes pro frumento divisi sunt, de quib. Salmas. ad Vop. Aurel. c. 35.

Quemadmodum autem olim, non solum frumenti vectigal, sed & vini & olei decumas præstitas esse docuimus, sic postea ab Imperatoribus in Canonem frumentarium relata est exactio olei & vini, & Provinciis, quæ harum frugum feraces erant, illorum præstatio imperata; eademque Africa, quæ, quum frumenti copia uberrimum olei proventum habebat, illud subvehebat, ut ex l. III. C. Theod. de Canon frum. U. R. apparet; & ex Africanis, utpote apud quos oleum feliciter nascebatur, plurimum Tripolitani erant obnoxii. Spart. Sever. c. 18., qui locus, quum maxime torserit & vexaverit eruditorum interpretum ingenia, non sine aliquo examine omittendus mihi videtur. Agit eo loco Spartianus de variis & insignibus victoriis, quas Imperator Severus obtinuerat contra varias gentes; Persas, Arabas, Adiabenos & Britannos, quibus subnectit; *Tripolim, unde oriundus erat, contusis bellicosissimis gentibus, securam reddidit, ac pacem diuturnam, oleum gratuitum, & fœcundissimum agrum donavit*. Difficul-

A tatem huic loco duo præcipue faciunt, primo, quod absurdum videatur, Severum Tripolitanos oleo donasse, quum eorum terra esset olei feracissima & uberrima, deinde quod Spartiano refragari videatur Aurelius Victor prior, qui in Constantino scribit. *Remotæ olei frumentique adventitiæ præbitiones, quibus Tripolis ac Nicæa acerbius angebantur. Quas res superiores, Severi Imperio gratantes, civi obtulerant, verteratque gratiam muneris in perniciem posterorum dissimulatio.* Unde colligunt viri docti, non Tripolitanis oleum donasse Severum, sed Imperatori a civibus pro pace & securitate ipsis præstita, oleum
B oblatum esse. Quæ duo diversa auctorum loca ut concilient viri docti, medicam adhibent manum, & Casaubonus & Gruterus ex MSS. legunt, *securam reddit, ac Populo Romano diurnum oleum gratuitum, & fœcundissimum agrum donavit.* Quod tamen alienum hic a mente autoris recte videri potest, quum non verosimile sit, Spartianum narrationi, quam de rebus gestis & victoriis, a gentibus, Romanorum hostibus, reportatis contexit, inseruisse ex abrupto, & non satis commode, gratiam & munus aliquod Populo
C Romano factum. Quare, ut filum narrationis recte contextum Spartiano ostenderet, Jac. Gothof. aliter hunc locum constituit, & ita leg. in comm. ad l. III. C. Theod. de Canon. frument. U. R. *Securam reddidit: ad vicem diurnum ea oleum gratuitum, & fœcundissimum agrum donavit.* Quod tamen probare non possumus, cum nulla MSStorum auctoritate subnixa sit hæc conjectura: nec *diurno oleo* præbendo Romæ, sufficere Tripolis æstimari possit. Putamus ergo salvam & inconcussam Spartiano scripturam conservari posse, si modo commoda explicatione sublevetur, qua & Victori concilietur, & historiæ veritas confirmetur. Primum itaque Victoris locum sic accipiemus, ut ille dicat, a Tripolitanis oblatum fuisse
D Severo olei vectigal præstandum, quia ipsius beneficio jam securi a gentibus barbaris agros colebant, quum antea continuis incursionibus infestabantur, atque ideo cum reliquis Africæ Populis non poterant vectigalia præstare, (nam eo casu non exacta fuisse vectigalia ac tributa a subjectis gentibus, ex l. II. C. ut nemini liceat in emptione specier. se excusare, colligi potest, ubi Thraciæ tributa ideo non inferri memorantur) jam vero remotis barbaris, offerebant oleum & frumentum, Severus vero civibus suis gratiam faciens, hoc illis remisit, sed posteri Imperatores hanc illis a Se-
E vero gratiam factam dissimulantes, (nam male Gothofred. apud Victorem pro *dissimulatio* reponit *distimulatio*) eos æquali cum reliquis Africanis onere premebant, & in canonem frumentarium Tripolitanorum præbitiones referebant, quas ideo *adventitias* dicit Victor, quia non erant comprehensæ in canone a Severo confecto, sed postea insertæ a sequentibus Imperatoribus, donec Constantinus tandem gratiam, illis a Severo factam, confirmavit. Hoc ita constituto, clara est & manifesta Spartiani sententia, & Victori consentiens, Severum Tripolitanos a barbarorum in-
F cursionibus securos reddidisse, ac pacem diuturnam illis præstitisse, ac simul oleum, quod cives Tripolitani Imperatori gratuitum offerebant, non accepisse, sed donasse, & agros fœcundos illis immunes, & sine ullo vectigali frumenti reliquisse, atque ita donasse videri. Atque hæc est nostra de obscuro illo loco sententia, quam tamen eruditorum censuræ lubentes submittimus. de Tripolitano oleo interpretatur antiquus interpres illa Juvenalis Sat. v. 88.

Illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta.

Leptitanos etiam eadem in regione abundasse oleo, apparet, quod Cæsar multaverit eos tricies centenis millibus pondo olei, ut scribit Auctor belli Africani cap. XCVII.

Inter Provincias, quæ Romano Imperio oleum præbebant, præcipua erat etiam Lacedæmoniorum terra, quippe feracissima olearum, teste Plin. lib. XVII. c. 18. hinc Sidon. Apoll. carm. v. ubi referens, quid quæque provincia Romæ tribueret, dicit

Exponit Lacedæmon olivum.

Collectum hoc oleum, ut de frumento supra diximus, inserviebat distributioni publicæ: antiquis vero reipublicæ temporibus populo non dividebatur; ad luxum enim & voluptatem magis, quam ad sustinendam vitam, necessarium a priscis Romanis censebatur, nec nisi semel & extra ordinem id plebi datum legimus, a Scipione Africano, qui quum Ædilitatem curulem auspicaretur, congium olei in vicos singulos dedit, teste Liv. lib. XXV. cap. 2. ad cujus imitationem, postea idem in gratiam plebis fecit Agrippa sub Augusto, ut narrat Dio lib. XLIX. Sub Imperatoribus vero olei divisio magis frequentata fuit, accrescente voluptatis & luxus studio: ac primo quidem ad gymnasium Senatui & Equiti illud præbuit Nero, Sueton. Ner. cap. 13. Tacit. XIV. ann. 47. Deinde vero a Severo ordinarie populo dari cœpit. Spart. c. 23. quod ab Elagabalo imminutum restituit Alexander Severus. Lampr. Alexand. Sev. 22. *Oleum, quod Severus Populo dederat, quodque Elagabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit.* Qui etiam ultra illud, quod populo dividebat, in usum balnearum publicarum, oleum suppeditavit. Lampid. cap. 24. *Addidit & oleum luminibus thermarum, quum antea, non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur.* Hæc olei distributio, ad Præfectum annonæ pertinebat, ut ex loco Lampridii mox citato, & Symmach. x. epist. 48. patet, & id docet inscriptio l. unic. C. Theod. de Mens. Olear. Præfectus vero per ministros suos oleum Populo admetiebatur *capulis*, quæ vasa ansata erant, quibus olei mensura fiebat: inde hi dicebantur *Capulatores*, quorum schola, in descriptione Urbis Romæ, in regione tertia collocatur. Tales *Capulatores*, vel contracta voce *Caplatores*, in lapidibus conspiciuntur; ut apud Gruter. MLXXXVIII. CAPLATORES TIBURTES. Ubi nescio quid moverit Guther. lib. I. de Jure Pontif. 4. legere CALATORES: quem recte refellit Bosius de Pontif. M. Rom. cap. II. §. ult. plena vox est in lapide Gudiano.

DIS MANIBUS
C. LULIUS MELEUS
CAPULATOR
H. S. E.

Portionem, quam quisque ex plebe accipiebat, vocari *Mensam Oleariam*, in leg. unic. Cod. Theod. de mens. olear. ex illa lege efficit Jacob. Gothofr. Quum vero a Victore in descriptione Urbis memorentur LXXIV. *mille mensæ oleariæ*, dubitatur, num eæ de iis mensis, in quibus expositum erat venale oleum, an vero de his portionibus olei, quod dividebatur, sint accipiendæ; quod nondum mihi

constare ingenue fateor, quum utrimque difficultates plurimæ, quæ certum aliquid statuere prohibent, oriantur; videatur Jacob. Gothofr. d. l. Non sola autem plebs & milites oleum ab Imperatoribus accipiebant, sed & officialibus & ministris Domus Augustæ depromebatur, qui inter eas species, quas in salarium ferebant, etiam oleum accipiebant: sic inter alia, quæ Valerianus Probo dat, etiam olei per biduum sextarium unum recenset Vopisc. Prob. c. IV. & ita passim in lectione historiarum Augustarum observare licet.

Superest ut pauca de vectigali & exactione vini, quod etiam in canone frumentario continebatur, subjiciamus. Hoc maxime dabant beatæ illæ Italiæ provinciæ, Campania & Tuscia, in quibus generosissima vina ubertim proveniebant, Sidon. Apoll. d. l.

Defert Campanus Iacchum

De Tuscia & Campania Symm. l. IX. ep. 125. agens de vini exactione. *Exstat vetus professio Campaniæ consularis, exstant acta apud Hetruscum confecta rectorem, quibus docetur exactio promissa reliquorum.* De Lucania & Brutio Cassiod. XII. Var. Ep. 12. unde apparet Cancellariis eo tempore vini collectionem mandatam. Africa, ut omnia fere, quæ ad vitæ commoda & voluptates requiruntur, benigne ferebat, etiam vinum præbebat: unde *susceptorum vini per provinciam Africam* mentio fit in l. ult. §. 20. ff. de muner. & honor. Et, quæ hodie adhuc præstantissimum profert, vinum Pannonia olim Romanis subministrabat. Claudian. de Laud. Stilic. II. v. 204.

Restituit terras, & opacum vitibus Istrum
Conserit, & Patrium vectigal solvere gaudet.

Ex insulis etiam Cycladibus, & reliquis vitiferis regionibus, vinum exigebatur. Columel. præfat. lib. 1. de re rust. *Vindemias condimus ex insulis Cycladibus, ac regionibus Bæticis Gallicisque.* Non licebat vero omnibus gentibus & populis, Romano imperio subjectis, vitibus agros conserere; vetitum nempe id erat lege Domitiani, quam refert Sueton. cap. VII. *Domitianus ad summam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, ne quis in Italia novellaret, utque in provinciis vineta succiderentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte:* ubi vid. Casaubon. Hinc eæ laudes & adulationes, quibus Domitiano blanditur Statius. Silv. IV. II. v. 36.

—— sic vitifero sub palmite nudos
Umbravit colles, & sobria rura Lyaeo. (quæ tamen Barth. aliter explicat.) & IV. III. v. II.

Qui castæ Cereri diu negata
Reddit jugera, sobriasque terras.

Et deinde, si qua provincia, aut populus iterum vites conserere vellet, prius hoc ab Imperatoribus debebat impetrari, qui illud vel abnuebant, vel si permitterent, vectigal ex vino exigebant: sic Probus Imperator Gallis, Hispanis & Pannoniis vites habere permisit, testibus Vopisco c. XVIII. & utroque Victore.

Collectum vinum ex provinciis & subjectis populis condebatur in cellis, quas Imperatores habebant, unde, in usum domus Imperatoriæ, depromebatur: Officialibus etiam & ministris, in partem salarii, ut ceteræ species, dabatur, ut ex infinitis Historiæ Augustæ locis patet v. Vo-

A pisc. Prob. cap. IV. & passim. Distributio fiebat per Cellarios, qui curam cellarum gerebant, Lamp. Elagab. c. XXVI. *Mittebat Parasitis per cellarios salaria annua, vasa cum ranis, & scorpiis & hujusmodi monstris:* horum & meminit Cassiod. XII. Var. 12. Hi etiam appellantur *Cellarienses* in l. 32. C. Theod. de Erogat. milit. ann. Ipsa autem portio, quam quisque accipiebat, dicebantur *Cellaria*, de quibus latius vide Jac. Gothofr. ad l. ult. C. Theod. de offic. judic. omn. Plebi vero vel militibus, (quibus vilius vinum vel acetum fuisse datum notum est, ut docuit inter alios Fabrett. ad Column. Trajan. cap. II. pag. 31.) B neque reipublicæ temporibus, neque sub Imperatoribus, facile vinum dividebatur: insignis est Augusti severitas, quam refert Sueton. cap. XLII. *sed ut salutarem magis, quam ambitiosum principem scires, querentem de inopia, & caritate vini populum, severissima coercuit voce, satis provisum a genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent.* Cui similis est objurgatio illa Pescennii Nigri, qui milites limitaneos, in Ægypto tumultuantes, & vinum petentes, hoc responso inhibuit, *Nilum habetis, & vinum quæritis.* Spart. Pesc. c. VII. Occurrit quidem *Vinariarius* in Castris Prætorianis, in lapide apud C Spon. Misc. Erud. Antiq. pag. CXXXIV. sed illum negotiatorem vinarium explicat Sponius: nisi quis Prætorianos milites lautius habitos conjicere vellet, de quo tamen mihi nihil constat. *Vinariarius* autem eadem forma dictus est, qua *Cellariarius* in l. XII. §. 9. ff. de instr. & instr. leg. sive fit aberratio scribarum pro *cellarius* & *vinarius*, sive derivaverint a *cellarium*: de quo vid. Cl. Schulting. ad Pauli Sent. lib. III. tit. VI. §. 72. ego puto posterioris ævi consuetudini attribuendum, quum olim semper *Cellarius* occurrat, & in Lapidibus apud Gruterum, Gudium & alios ita legatur. D Deinde autem Imperator Aurelianus, referente Vopisco in ejus vita c. XLVII. *Statuerat vinum gratuitum dare Populo Romano, ut quemadmodum oleum & panis, & porcina gratuita præberetur, sic etiam vinum daretur, sed prohibitus est a Præfecto Prætorii sui, qui dicebat, si & vinum Populo damus, superest, ut & pullos & anseres demus.* Qui tamen non omnino ab hoc beneficio abstinuit, sed in porticibus templi Solis fiscalia vina, ex cella sua deprompta, venalia proposuit, unde Populus modico, & ab Imperatore definito pretio, ea comparare posset. Primus deinde & solus, & E fortasse semel tantum, gratuitum Populo dedit Constantinus Magnus, quum consulatum gereret. Testis locuples in hanc rem est Suidas in voce παλατῖνοι. Παλατῖνοι εἶδος ἄρτων, οὓς ἐφιλοτιμήσατο τῷ δήμῳ Κωνσταντῖνος ὁ μέγας, καθ' ὃν ὑπάτευε χρόνον, ἔτων, πῶς ὀνομάσας αὐτοὺς, διὰ ἐκ τοῦ παλλατίου χορηγουμένους. προσέθηκε δὲ τούτοις καὶ κρέα καὶ οἶνον καὶ ἔλαιον. *Palatini; species panum, quos Constantinus Magnus, quum Consul esset, populo gratuitos dabat, ita eos appellans, quod ex Palatio dividerentur: addidit vero iis & carnem & vinum & oleum.* Ubi notandum dedisse Constantinum, quum Consul esset, F idque imitatum fuisse Clodoveum, qui quum consul ab Anastasio esset renuntiatus, etiam publicam liberalitatem, populo spargens pecuniam, exhibuit, teste Gregorio Turonensi lib. II. Hist. Franc. c. 38. unde morem illum spargendi pecuniam & vinum effundendi, adhuc hodie Imperatores, Reges & Principes, ubi inaugurantur, usurpare videmus. Codinum etiam de Constantino idem notare, & vinum, carnem, oleum & frumentum dedisse docet Abram. ad Cic. pro Sext. c. XXV. Exemplum tamen Constantini reliqui eum secuti Impe-

ratores imitati non sunt, sed, probato facto Aureliani, vina ex cella sua, quæ vocabatur *Arca vinaria*, deprompta, venalia publice populo proposuere. Hujus arcæ cura spectabat ad Præfectum Urbi, Symmach. l. VII. ep. 25. & X. ep. 42. qui pretia vini vel intendebat vel moderabatur, prout ipsi visum erat, vel ab Imperatore, cujus vicem gerebat, præscribebantur: hinc, pro Imperatorum vel etiam Præfectorum Urbi ingenio, liberalitate vel avaritia, diversum subinde pretium definiebatur. *Sic legimus Valentinianum* & Valentem, quartam partem pretii, quo tunc vendebatur vinum, in gratiam plebis detraxisse, l. 2. C. Theod. tribut. in ipf. specieb. inferr. Et graves sæpe tumultus & motus oriebantur, si Præfectus Urbi vinum magno pretio venale haberet; hinc illæ iræ plebis, vini avidissimæ, in Symmachum Præfectum Urbi, *cujus ædes a plebe accensas, ea re percita* (refert Ammian. Marcell. XXVII. cap. 3.) *quod vilis quidam plebejus, sine indice ullo vel teste, infinxerat Symmachum dixisse, libenter se vino proprio calcarias exstincturum, quam id venditurum pretiis quibus sperabatur*. Sub Præfecti Urbis dispositione erat *Rationalis Vinorum* dictus, cujus mentio fit in *Notitia dignitatum Imperii*: hic invectum a negotiatoribus vinariis (quos instituit Alexander Severus, Lampr. cap. XXXIII.) vinum annotabat, & venditionis rationes tractabat. A Symmacho lib. X. ep. 35. memorantur *Tribuni fori vinarii*, quos eosdem & Rationales fuisse putat Panciroł. in comm. ad Notit. dign. Imp. occid. c. 11. & eos curasse, ut justo pretio, & sine fraude, Populo venderentur vina.

Ut autem ex arca vinaria Populus & milites nihil, nisi dato pretio, consequebantur, sic officiales & ministri, eodem modo, ut frumentum & oleum, etiam vini aliquam portionem, salarii nomine, accipiebant: quod quum unicuique, historias Imperatorum percurrenti, notissimum esse debeat, hic non adstruemus. Ultra hos, etiam quibusdam collegiis & corporibus, quæ negotiationibus vel opera publica curando, imperio proderant, & *quorum ministerio tantæ Urbis onera sustinebantur*, Symmach. X. ep. 27. dabatur. Sic Suariis, qui pecus & carnes Romam advehebant, certus vini modus concessus est l. 4. Cod. Theod. de Suar. quod & Edictum Aproniani V. C. Præfecti Urbi, quod exstat apud Gruter. p. 547. n. 7. probat. Sic & calcis coctoribus l. 1. C. Theod. de calcis coctor. & reliquis, quos enumerare longum esset. Quibusdam etiam ex Arca vinaria, non ipsum vinum, sed pecunia, quæ ex venditione vini redacta erat, dabatur. Sic Symmach. lib. X. ep. 42. scribit, *Collectariorum corpori arcam vinariam statutum pretium sumministrare*.

Atque hæc de primo & pinguissimo vectigali, quod ex agrorum fructibus exigebatur, dicta sufficiant: subjiciendum esset, ut absolveretur plena hujus rei tractatio, ad quos Magistratus, hujus vectigalis constituendi, exigendi & locandi cura pertinuerit, & quid sub republica vel sub Imperatoribus, in jure vectigalis exercendi mutatum sit: tum de publicanis adnectenda foret disputatio; sed quum idem fere in reliquis, quæ explicanda nobis sumsimus, vectigalibus, Scriptura, Portorio, & Metallis obtinuerit, melius visum fuit, hujus rei tractationem post illa rejicere, ne bis idem inculcare cogamur, annotaturi etiam, si qua in illis diversa ratio fuerit.

CAP. IV.

De Scriptura & Vectigali Pecorum.

Alterum veteris reipublicæ vectigal illud erat, quod ex pascuis & saltibus, quorum proprietas ad rempublicam pertinebat, colligebatur: quosdam enim agros, culturæ inhabiles, silvis & salictis impeditos, pascendis gregibus, qui vectigal publico pro pastione solverent, destinabant. Hos *saltus*, *silvas & calles* dicebant; vulgariter vero *pascua publica* ab auctoribus appellantur. Varr. de ling. lat. lib. IV. *Quos agros non colebant, propter silvas & id genus, ubi pecus posset pasci, & possidebant, ab usu suo saltus nominaverunt*. Fest. in voce *saltum*. *Saltus est ubi silvæ & pastiones sunt*. Virgil. IV. Georg. v. 324.

> *In saltus utrumque gregem, atque in pascua mittes*,

Sic sæpe in jure nostro, *saltuum* & pastorum, qui inde *saltuarii* (qui etiam & magistri pecorum, teste Serv. ad 7. Æn. 485.) dicuntur, mentio fit, ut in l. 8. §. 1. ff. de instr. & instr. leg. Silvas vero publicas fuisse notum est, & ex quibus ligna etiam cæsa publicis usibus inserviebant: & jam Ancum Marcium silvas ad usum navium publicasse ex Aur. Victor. de Vir. Illustr. docuit Schefferus lib. I. de Milit. Nav. cap. V. & ex Livio materiem debuisse socios præbere ad naves. Sed præcipue silvæ pascendo pecori destinatæ, unde & Silvano Deo sacratæ erant, de quo hic uberius agere instituti nostri fines excederet. vid. comm. ad Virg. I. Georg. 20. Saltus vero inter optimas pastiones habebantur, unde & *saltum possidere* fere proverbii speciem obtinebat, de divite patre familias, ut docuit ad illa Catulli carm. CXV. *Firmano saltu dives*, Vossius, pag. 341. & quo respicit Horatius lib. III. od. 3.

> *Cedes coemptis saltibus, & domo,*
> *Villaque, flavus quam Tiberis lavit,*
> *Cedes, & exstructis in altum*
> *Divitiis potietur heres*.

& Ovidius V. Epist. 124.

> *Possidet en saltus illa juvenca meos*.

Quem imitatum credo Statium lib. IV. Theb. 40.

> *Ha miseri morum, bellabis sanguine tanto,*
> *En saltus dux alter habet*.

Ita enim malim pro *& saltus* legere: si etiam codices adducerent, vellem *Ha miseri armorum*! Scholiastes vero vetus recte explicat *possidet imperium*. Hi etiam *calles* appellantur, *quia callo pecudum peduratum est iter*, ut dicit Isidor. lib. XV. c. ult. Vid. Turneb. III. advers. 22. vulgo vero communiter *pascua* dicuntur. Plin. lib. XVIII. c. 3. *Etiam nunc in tabulis Censoriis Pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet*. Plurima autem possidebant Romani per totam Italiam & provincias pascua, qualia illa fuisse credunt viri docti, de quibus Cicero II. ad Att. Ep. 15. *Terentiæ pergrata est assiduitas tua & diligentia in controversia Mulviana. Nescit omnino te communem caussam defendere eorum, qui agros publicos possideant, sed tamen tu aliquid publicanis pendis, hæc etiam id recusat.* ubi Terentiam possedisse pascua publica in agro Mulvio interpretes notant,

pro quibus illa scripturam solvere recusabat, quum Atticus, qui etiam partem possidebat, publicanis penderet, Terentia vero Lege Thoria vectigalia sublata esse contenderet: quæ non refello, licet obscurior sit hic locus, nec an de agro publico, qui arabatur, an qui pascebatur, agat, certi quid statuere audeam: quidquid sit & ubicumque ille ager Mulvius fuerit, publicum fuisse, & a privatis sub vectigali possessum apparet; præcipua autem erant in Apulia & vicina illi Italiæ parte. Sic Varr. de re rust. II.c.I. dicit, *greges ovium longe abigi ex Apulia in Samnium æstivatum, & ad publicanum profiteri*: sic conjurationem & tumultum pastorum in Apulia memorat Liv. lib. XXXIX. c. 29. & notum est bellum servile ab Athenione pastore in Apulia excitatum: in provinciis etiam saltus & pascua fuisse, indicant Ciceronis loca, quibus meminit *Magistrorum scripturæ in Asia & Sicilia*, de quibus postea agemus. Pascua in Sicilia fuisse publica, itidem ut agros publicos, docet Cicer. II. Verr. 3. *quos partim retinet ut arare, pascere, ut negotiari liceat*: & passim in Verrinis eorum mentio occurrit. De pascuis in Asia sufficit unus Ciceronis locus pro Leg. Manil. cap. VI. *Asia tam optima est ac fertilis, ut & ubertate agrorum & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat.* ubi tria vectigalia, quæ P. R. capiebat, *decumas*, *scripturam* & *portoria* intelligi recte interpretes notaverunt. & *scripturam* inde rediisse ad rempb. docet fragmentum Lucilii ex lib. XXVI.

Publicanus vero ut Asiæ fiam scripturarius pro
Lucilio, id ego nolo, & uno hoc non muto omnia.

Ubi Fr. Douza Nonii interpretationem *scripturarii* pro *tabellario* jure refutat. In Cyrenaica etiam pascua publica fuisse docet Plinius lib. XIX. cap. 3. ubi de Laserpitio: *multis jam annis in ea terra non invenitur, quoniam publicani, qui pascua conducunt, majus ita lucrum sentientes, depopulantur pecorum pabulo.* de quo loco videndus Salmasius Exer. Plin. pag. 262. & certe agros ubi publicos fuisse, qui olim Apionis Regis habebantur, & Populo Romano cum regno relicti erant, docet Tacit. XIV. Ann. 18. & ad pascua in provinciis refert illa Horatii lib. I. Ep. VIII. 6.

Nec quia longinquis armentum ægrotet in agris.

Torrentius. & ubi male quidam *arvis* legunt, quum de pascuis agatur, ut recte Crucquius ostendit. Ut vero inter agros publicos, maximum vectigalis fundamentum & caput fuisse diximus *Agrum Campanum*, sic inter pascua publica maxime celebratur *Silva Scantia*, sive ut alii, *Sila*, de qua agit Cicero in orat. 12. agr. I. pr. III. ult. & in Bruto cap. XXII. qui eam cum reliquis vectigalibus agris vendere volebat: erant etiam, quorum ibidem meminit Cic. II. 14. *Salicta ad Minturnas.* Denique sub Pascuis publicis etiam montes comprehendi puto, qui maxime ad pascendos greges ovium apti erant: sic Cic. II. orat. agrar. contra Rull. 14. recenset inter patrimonia populi Rom. *Montem Gaurum*, & Sicul. Flaccus *Montium Romanorum*, inter agros vectigales, meminit, loco supra a nobis adducto.

Ex his igitur pascuis, saltibus, silvis publicis magnum ærario Romano vectigal obveniebat, quod a pastoribus pro gregum pastione solvebatur: & antiquissimum hoc vectigal fuit, & diu solum & unicum Reipublicæ emolumentum, ut prodit Plin. l. XVIII. cap. 3. Antiquis tamen temporibus, non videntur pascua publica tam stricte privatis clausa & depasci vetita fuisse, vel saltem licentia vulgi invaluerat, ut quisque suas pecudes in pascua publica immitteret, donec ab Ædilibus plebis Publiciis, reditibus publicis consultum est, lege lata, & mulcta imposita iis, quorum pecudes agrum publicum depascerent. Eleganter hoc describit Ovid. V. fast. v. 283.

Venerat in morem, populi depascere saltus,
Idque diu licuit, pœnaque nulla fuit.
Vindice servabant nullo sua pabula vulgus,
Jamque in privato pascere inertis erat.
Plebis ad Ædiles delata licentia talis
Publicios, animus defuit ante viris.
Rem populus recipit, mulctam subiere nocentes:
Vindicibus laudi publica cura fuit.

Ab eo tempore magna cura publicorum pascuorum habita fuit, & mulctæ, qua pecuarios Ædiles afficiebant, frequens mentio apud Liv. X. cap. ult. XXXIII. c. 42. & XXXV. c. 10. quæ ad ludos Florales plerumque adhibebatur, ut docet Ovid. d. l. Deinde publice etiam abhinc pascua locata fuere publicanis, qui a pascere volentibus certum æs accipiebant, vectigalis nomine, quod dicebatur *Scriptura*, ita appellata, quia pastores debebant apud Publicanum numerum pecudum, quas in pascua publica immittere vellent, profiteri, quem publicanus in tabulis suis annotabat & scribebat, ex qua scriptura postea ratio inter pastorem & publicanum conficiebatur, inde etiam ager sive pascuum ipsum, dicitur *ager scripturarius*. Festus. *Scripturarius ager publicus appellatur, in quo, ut pecora pascantur, certum æs est, quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore.* Quicumque vero pecudes, quas non erat professus, vel etiam plures, quam publicano annotandas dederat, pavisset, in legem Censoriam incidebat. Varr. lib. II. de re rust. c. I. *Ad Publicanum profitentur, ne si inscriptum pecus paverint, lege Censoria committant.* Hæ pecudes, profiteri omissæ, *inscriptæ* a Varrone dicuntur; quod ideo notari debet, quia video multos viros doctos *inscriptas* pecudes interpretari, eas, quæ in tabulas publicanorum relatæ & annotatæ sunt, quum contrarium hic Varronis locus evincit, & exemplo *inscriptarum mercium*, id est, quas in portu mercator non professus est, probat Turneb. X. adv. c. 6. Licet enim *inscribere* sæpe sumatur pro scribere, & græco ἐπιγράφειν, ut ostendit Val. Gueli. ad Virg. I. Æn. 477. in hac tamen re *inscriptus* est non scriptus: ut Quinctil. III. de Inst. Orat. 6. *Unde & illa divisio est, alia esse scripta, alia inscripta.* & ita in multis compositis ex hac præpositione ut *instrata jumenta*. Frontinus dixit lib. II. Stratag. cap. IV. §. 8. quibus strata sunt detracta, ut explicat Scheff. II. de Re Vehic. cap. 2. Omissæ vero professionis pœna videtur fuisse, ut inscriptæ pecudes caderent in commissum, & Publicanus eas sibi pro fraudato vectigali vindicaret. & videtur licuisse publicano inscriptas pecudes, in agro publico pascentes, abducere & claudere in certo illi rei destinato loco, ut hodie in nostræ reipub. pagis observari scimus, ubi pecus etiam in alieno agro pascens deprehenditur: id docet Servius ad Virgilii Eclog. IX. 7. ubi narrat Octavium Musam limitatorem ab Augusto datum, *offensum a Mantuanis* (forte delenda præpositio, ut *offensus* pro irato, ut apud Suetonium & alios sæpe occurrit, capia-

tur) *quod pecora ejus in agro publico aliquando clausissent*. Nam errare puto Bulenger. de Vect. Pop. Rom. cap. 10. qui censet, non licuisse publicano pecudem, ob omissam professionem & non solutam scripturam, retinere: neque enim locus Plauti, quo in hanc sententiam adductus est, illud innuit: immo vero, si modo totum & integrum illum apposuisset, plane contrarium ex eo doctus fuisset: nam non ideo contra legem ibi commiserat publicanus, quod pecudem pro commisso caperet, sed quod & pecus retineret, & simul æs sive pecuniam pro scriptura debitam, exigeret: accipiendo enim pecuniam, poterat videri, de pœna transegisse & eam remisisse. Verba Plauti sunt Trucul. I. 2. 42.

Nam advorsum legem a me, ob meam scripturam pecudem accepit,
Æraque

Professi ergo pecudes soluto vectigali, tuto pascebant suos greges pastores, quibus frequentes tamen cum publicanis & quotidianæ rixæ fuerunt, unde toties pecuariorum ad judicium adductorum & condemnatorum meminit Livius in locis, quos superius adduximus: erant enim Pastores silvestre genus hominum, & ab humanitate alienum, unde & vias publicas latrociniis eos infestasse narrat Liv. lib. XXXIX. cap. 29. Nec etiam continua illis erat cum aratoribus, qui agros publicos conduxerant, concordia, ut ex monumento antiquo, quod exhibet Gruter. pag. 150. num. 6. & 7. ubi quidam Magistratus de se gloriatur. *Idemque fecei, ut ex agro publico aratoribus cederent pastores*.

Usus autem horum pascuorum valde Italiæ gentibus erat necessarius, quia in ea regione, *neque eadem loca, æstiva & hiberna, idonea erant omnibus ad pascendum*, ut Varro docet, sed aliis pascuis æstate, aliis hieme indigebant, quumque privati & mediocres pastores non utriusque generis pascua possiderent, quod ipsis deficiebat, publica pascua præstabant. sic Varro loc. citat. *Itaque greges ovium longe abiguntur ex Apulia in Samnium æstivatum, atque ad publicanum profitentur*. & ita in l. 12. §. 8. ff. de instr. & instr. leg. dicuntur *aliqua parte anni pecora in fundo*, nimirum proprio pastoris, *pasci, alia parte pabula*, publica, *conduci*. Horat. I. Epod. 27.

Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascuis.

Ubi vide interpretes. & de Philippo narrat Justinus lib. III. 5. *Reversus in regnum, ut pecora pastores, nunc in hibernos, nunc in æstivos saltus trajiciunt, sic ille populos & urbes, ut illi vel replenda, vel derelinquenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam transfert*.

Hæc erat, stante & libera republica, hujus vectigalis ratio, quæ tota sub Imperatoribus subversa & immutata fuit, & eamdem, quam agri publici, sortem habuere pascua publica: omnia enim a seditiosis & populari studio devotis civibus, a publico patrimonio decerpta fuere. Lege Thoria, qua omnes agri vectigales immunes facti sunt, cautum etiam erat: *Neive Populo neive Publicano pecuniam, scripturam, vectigalve det, dareve debeat*. Deinde omnia, cum reliquis Italiæ agris, aut vendita, (quod tentabat Rullus) aut divisa sunt, & ita vectigal scripturæ exolevit: nam nulla, quod equidem sciam, apud auctores, qui res Imperatorum literis mandarunt, scripturæ mentio vel memoria occurrit. *Pascuarium* reperitur in Marculfi formulis lib. II. cap. 35. ubi videndus Bi-

A gnonius. Pascua vero, quæ in provinciis & subjectis regionibus quondam publica censebantur, videntur ab Imperatoribus fuisse occupata, & eorum reditus in fiscum redacti. Sane in Utroque Codice mentio & titulus peculiaris est de *pascuis publicis & privatis*: est & alter de *fundis & saltibus rei Dominicæ*, ex quibus constat, Imperatores possedisse jure Dominico multa pascua & saltus: tales erant etiam prædia *Tamiaca*, ex quorum fructubus annuis vectigal præstabatur, quo alimenta domui Imperatoriæ suppeterent; ut docet Alciat. ad tit. C. de præd. Tamiac. lib. XI. tit. 68. pascua hæc Imperatorum, a gregibus propriis plerumque depascebantur, qui *greges dominici* appellantur. l. unic. C. Theod. de Grege. Dominic. Immo & sæpe agros & pascua data privatis ea lege, ut equos præstarent, ut alia ad rem bellicam necessaria, ostendit eruditus Commentator ad Marm. Oxon. pag. 46. ubi in antiquo monumento occurrit κλῆρος ἱππικός & similes fuisse hos agros hodiernis feudis credit. Hi greges, ut plurimum, Equorum erant, quos Imperatores, ad usus bellicos, plurimos in provinciis coemebant, & in sua pascua immittebant, ex quibus, si quibus eos furto abigeret, nec redderet sponte, mulcta libræ auri pro singulis equis puniebatur. dict. leg. unic. si vero, vel non magna satis copia equorum, vel amplior pascuorum modus esset, quam ut decerpi a Dominico grege posset, locabatur ea pascuorum pars, quæ supererat, pastoribus, qui proprios greges cum dominicis miscebant, & fixa & annua pensione jus pascendi redimebant, quam augeri Julianus, & deinde Valentinianus & Valens prohibuere; ne sub prætextu, quod majorem, quam antiquis temporibus solebant, pensionem solverent, sibi tota pascua vindicarent depascenda, & greges dominicos ab illis excluderent. l. I. & II. C. Theod. de Pascuis. Plurima vero per omnes provincias prata & pascua possidebant Imperatores; præcipue autem in Syria latissima *& amœna* prata fuerunt, ut ex l. III. C. Th. de pasc. docetur, ubi inconstans MSS. lectio varie doctos viros exercet: Cujac. ad l. II. C. Justin. eod. legit *Apamenis pascuis*, quæ in Syria plurima, & pascendis equis & bobus amplissima fuisse ex Strabone docet. & Hottom. amic. resp. II. 19. etiam *Apamenis* præferre videtur, quia ita in MSS. legitur. Jac. Goth. ad l. 3. postquam diu fluctuasset, quamnam eligeret lectionem, præfert tandem vulgatam, *ac amœna*, quam locutionem, & aptum pratis epitheton, multis locis autorum adductis defendit, quibus addi potest insignis, & qui huc unice facit, Taciti locus III. ann. cap. 7. ubi querelæ de Pisone, protrahente reditum Romam, ut probationes cædis Germanici enervaret, referuntur, *quod vagus interim, per* AMOENA *Asiæ atque Achajæ, adroganti & subdola mora scelerum probationes subverteret*. Sallust. Catil. cap. XI. de Sylla, *qui exercitum, quem in Asia ductaverat, contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat; loca amœna, voluptaria facile in otio militum animos molliverant*. Claud. II. in Rufin. 33.

Syriæ tractus vastantur amœni.

& ita *amœna litorum* illustravit Casaub. ad Sueton. Aug. LXXII. Idem J. Gothofredus in Cappadocia pascua ad alendos equos fuisse præstantissima ostendit, ut & fecit Barthius ad Claud. II. in Rufin. 30. & Comm. ad Gratii Cyneg. 508. & Nemes. us. 241.

Hi erant reditus ex pascuis, quæ patrimonii Principum censebantur; ex privatorum etiam pascuis commodum obvenisse fisco puto, quod consistebat in subministrando fœno stabulis Imperato-

riis, unde equitibus & eorum Ducibus depromebatur. Hinc in l. IX. C. Juſt. & l. ult. C. Theod. de jure fiſc. mentio fit ſuſceptorum, quos vectigalium & tributorum exactores fuiſſe, poſtea amplius docebimus, *qui familiæ pabula & ſumtus miniſtrant.* Extraordinarii vero & ſummi honoris documentum erat, ſi Imperator alicui in Urbe Roma *Pabula & ſumptus* decerneret; pabula dabantur, ut jumenta, quæ quis ſecum adduxerat, inde publicis impenſis alerentur, ſumptus in hominum alimentum Imperatores largiebantur, unde hæc duo plurimum conjunctim data legimus. Sic *Valerianus Aureliano, quamdiu Romæ fuit, pabula extra ordinem decrevit, & ad ſumptus, aureos Antoninianos diurnos duos*, tradente Vopiſc. Aurel. cap. 9. Ultra fœni præſtationem, ad quam prata obligata erant, cogebantur etiam Provinciæ, in quibus commoda pabula erant, militibus hybernantibus ea dare: hoc colligo ex Trebel. Pol. trig. tyran. in Baliſt. Ubi Valerianus Ragonio Claro Præfecto Illyrici & Galliarum ſcribit, *ut diſpoſitionem proſequeretur, ne provinciales gravet, ſed illic equos contineat, ubi ſunt pabula.* Et poſtea, *Thraciam, in cujus campis multum fœni colligitur, idoneam ad hyemandum militibus* adfirmat. An huc pertineat collegium *Pabulariorum*, cujus mentio fit in Lapide apud Spon. Miſcel. Erud. Antiq. pag. 68. neſcio, in quo tamen Reineſ. claſ. I. Inſ. 275. legit *Tabulariorum*. Fabrettus vero pag. 23. ſuſpectam inſcriptionem habet, ego nihil definio: tranſeunti etiam exercitui fructus, ſtramenta, ligna &c. conferre cogebantur, de quo vid. D. Gothof. ad l. 27. §. 6. ff. de Uſufr. Hoc vectigal a viris doctis *capitum* ſive *capita* appellatur, quia in numerum capitum equorum definiebatur. Vide Cujac. ad l. 9. C. de jur. fiſc. Salmaſ. ad Vopiſc. Aurel. cap. 7. in primis Jacob. Gothofr. ad l. 7. 8. & 9. C. Theod. de erogat. milit. annon. qui, ut ubique, doctiſſime & eleganter ibi argumentum hoc exſequitur.

Hoc vectigal & onus impoſitum ſubjectis gentibus, veteris aliquantum ſcripturæ ſpecies & imago erat; acceſſit vero novum ſub Imperatoribus vectigal, quod non ex paſcuis & fœno, ſed ex ipſis gregibus pecorum deducebatur. Scilicet frumentum, vinum, oleum jam abunde ſuppeditabant provinciæ, deerat caro, quam provinciis domui Auguſtæ tribuere poſtea imperatum eſt. Certus enim numerus Italiæ & reliquis, Imperio Romano parentibus, regionibus, pecudum, tam ſuum, quam boum & ovium impoſitus eſt, quem quotannis tribuerent; ſic Lucani & Brutii, quorum regio pecore erat fecundiſſima, ſues & alias pecudes repræſentabant. Caſſiod. XI. var. 39. *Montuoſa Lucania ſues pendat, Bruttii bonum pecus indigena ubertate præſtent.* Samnium & Campania etiam hoc vectigali atterebantur. leg. 3. Cod. Theod. de ſuar. pecuar. & Novell. 15. Valentinian. Immo nec remotæ provinciæ immunes habebantur; ſic Armenia carnem ſive pecudes tribuebat. Ultra pecudes, quæ alendo Populo inſerviebant, etiam quædam provinciæ equis præſtandis erant obnoxiæ. Clare id probat dictum Probi apud Vopiſc. cap. 15. *Paſcuntur ad noſtram alimoniam gentium pecora diverſarum, equinum pecus noſtro jam fecundatur equitatui.* Pancirol. var. lect. XIII. cap. 31. putat, decimas ex gregibus exactas fuiſſe, quia in dict. novell. Valent. mentio aliquarum decimarum injicitur: quod tamen inde colligi non poſſe arbitramur, quum decimæ ibi non vectigal ipſum pecudum, quod ſecundum canonem Imperatori ſolvebatur, ſignificet, ſed illam vectigalis acceſſionem, quam, pro epimetro & interpretio, de quibus poſtea agendi locus erit, ſuſceptores accipiebant. Veroſimilius eſt unicuique provinciæ, prout abundaret, vel minorem copiam pecudum proferret, imperatum fuiſſe certum numerum, quemadmodum ſupra, in canone frumentario, annonæ modum ſingulis provinciis deſcriptum demonſtravimus: obſonia etiam erogata fuiſſe, & erogatorem obſoniorum fuiſſe, docet Caſſiodorus lib. XII. var. II.

Harum pecudum carne, undique ex provinciis exacta, Roma & domus Auguſta alebatur, miniſtri officiales partem inde pro ſalario capiebant, militibus & populo ſæpe gratuito diſtribuebatur, quæ omnia quum eodem modo ſe habuerint, ut de frumento, oleo & vino ſupra annotavimus, hic repetere non lubet, & ex tralatitia tantum Hiſtoriarum Auguſtarum lectione unicuique manifeſta eſſe poſſunt. Vide Vopiſc. Aurel. cap. 47. Victor. Epit. in Aurel. & paſſim.

CAP. V.

De Portoriis.

SCripturam excipit tertium vectigal, quod, ex portubus Italiæ & provinciarum, pro invehendis & evehendis mercibus exactum, *Portorium* ab auctoribus appellatur; huic vero proprie Vectigalis denominatio convenit, quippe pro vehendis mercibus, (unde *Vectigal*) ſoluto, quod examinabimus hoc capite, eo nobis propoſito ordine, ut, quando Portoria inſtituta, abolita & rurſus reſtituta ſint, prius inquiramus, deinde ubi, & quibus pro mercibus ſolvebantur, tertio merces & perſonas a portoriis immunes, deinde ejus vectigalis modum indagaturi; ultimo vero quædam de vectigali rerum venalium huic affini, & ſæpe cum portorio confundi ſolito, adjiciamus.

Tempus, quo Portoria primum exerceri cœperunt, certum definiri non poteſt, quum illud non accurate ab auctoribus notatum invenerim: & certe primis Romæ temporibus, quibus nulla, vel rara cum externis gentibus, Romanis intercedebant commercia, incognita fuere: nullos etiam quum portus haberet Reſpublica, qui mercibus recipiendis paterent, illa exigi non poterant; & an Ancus Marcius, qui primum Romanis Portum patefecit Oſtiæ, ſimul vectigal mercibus impoſuerit, dubium eſt. Sub Regibus tamen Portoria jam invaluiſſe, colligi poteſt ex Plutarch. in vita Poplicolæ, qui inter commoda, quæ Valerius exactis regibus populo reddidit, etiam narrat ſublata ab eo vectigalia, quod idem quoque Dionyſ. Halicarn. lib. V. cap. 22. oſtendit, ἀτελεῖς αὐτοὺς ἀπάντων εἶναι τῶν κοινῶν τελῶν factos a Conſulibus narrans; ſed adſeverat apertius Livius lib. II. cap. 9. dicens, *Portoriis quoque & tributo plebem liberatam.* Deinde creſcentibus Imperii Romani limitibus, quum opus eſſet majori pecunia ad bella gerenda, rurſus reſtituta fuerunt portoria. Sic Livius lib. XL. c. 51. prodit, M. Æmilium Lepidum & M. Fulvium Nobiliorem, *portoria & multa vectigalia inſtituiſſe*, quibus poſtea *nova portoria* addidit Gracchus, auctore Vellej. lib. II. c. 6. & ſubinde, redactis multis populis in ditionem, portoria, quæ apud illas gentes exigi jam ſolebant, vel nova etiam Romani exercuerunt. Sic narrat Liv. lib. XXXII. c. 7. *Cenſores P. Cornelium Scipionem Africanum & P. Ælium Pœtum portoria venalium Capuæ Puteoliſque, itemque Caſtrorum portorium, quo in loco nunc oppidum eſt, fruendum locaſſe.* Unde imperite Buleng. cap. 5. *Caſtrorum* aliquod *portorium* peculiare interpretatur, quum ſit idem, quod ubique ſolvebatur, portorium in caſtris illis, quæ poſtea in urbem mutata ſunt, ut ſæpe accidit: nam res, quæ exercitui paratæ erant, immunes erant,

l. 9. §. 7. ff. de public. Sicilia etiam, in Provinciam redacta, portoria Romanis luculenta dedit, unde Cicer. in Verr. II. 75. dicit *socios ex Verris exportatione, perdidisse HS.* LX. *idque ex vigesima portus tantum Syracusani.* & in l. 203. ff. de V. S. refertur *lex Censoria Portus Siciliæ.* Asia etiam devicta ex plurimis portubus vectigal Romanis pendebat. Cic. II. agrar. contr. Rull. 29. *Quid nos Asiæ portus, quid Syriæ rura, quid transmarina vectigalia juvabunt?* cui concinit alter Ciceronis locus de Asia pro L. Manil. cap. VI. quem supra jam laudavimus, & quæ interpretes ibi adferunt. In remota etiam Britannia Portoriis victas gentes vexavisse Romanos, ex oratione Galgaci apud Tacit. in vit. Agric. cap. 31. colligi potest. Ubi Caledonios contra Romanos incitans Galgacus, illis triste servitium, si victi fuerint, ominatur, & majorem ipsis quam Britannis calamitatem instare, quia hi vectigalibus & reditibus terræ suæ, corporum servitutem redimebant, Caledonios autem futuros ludibrio & vilissimos. *Neque enim,* inquit, *arva nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reservemur.* Omnia deinde Italiæ portoria lege perniciosissima sustulit Cæcilius Metellus Prætor: de qua lege Dion. lib. XXXVII. καὶ ἐπειδὰν τὰ τέλη δεινῶς τήν τε πόλιν, καὶ ἄλλην Ιταλίαν ἐλύπει, ὁ μὲν νόμος ὁ καταλύσας πᾶσιν ἄρεστος ἐγένετο, *quia vectigalia urbem & reliquam Italiam vehementer affligebant, lex, quæ ea tollebat, omnibus gratissima erat:* non vero accepta erat Patribus & Optimatibus, qui, teste ibidem Dione, infesti Metello, ejus nomen legi detrahere volebant, & aliud adscribere, quod quidem effectum non esse scribit, sed eo solum apparuisse, Patres ne beneficia quidem grata habere, quæ a malis & seditiosis civilibus dantur; graviter id etiam indignatur Cicero, ad Att. II. ep. 15. *Agro Campano diviso, Portoriis sublatis, quod vectigal superest domesticum, præter vicesimam:* & ad Q. Fratr. lib. I. ep. I. causam tollendi portoriorum, quam innuit Dion, scribit fuisse, non ipsius portorii onus, *sed portitorum injurias, de quibus cives querebantur.* Ita jam omnibus subsidiis respublica Romana nudata, agris divisis, scriptura abolita, portoriis sublatis, solis provinciarum vectigalibus sustentabatur, donec in manus Cæsaris & Imperatorum subsequentium venerit, qui, ut de prioribus supra ostendimus, paulatim ea vectigalia reduxerunt, vel nova iis substituerunt. *Portoria rerum peregrinarum instituit Cæsar,* teste Sueton. cap. XLIII. Nec Augustus illud compendium neglexisse credi potest, quum ille, ut prodit Dion l. XLVII. *vectigalia partim prius abrogata renovaverit, partim nova excogitata instituerit.* Deinde de iis omnibus, ut & ceteris vectigalibus, tollendis dubitasse Neronem scribit Tacit. XIII. ann. 51. & solis tributis contentum voluisse imperii vires sustinere, *sed impetum ejus attinuere Senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus Respublica sustineretur, deminuerentur: quippe sublatis portoriis, tributorum etiam abolitionem expostulaturam plebem.* Et hoc modo servata portoria, ab sequentibus omnibus Imperatoribus magna cum cura exercita fuere, qui ea vel pro liberalitate contraxerunt, vel pro avaritia auxerunt, ut, quum modus hujus vectigalis indagandus erit, latius explicabimus.

Ex ipsa vocis *Portorii* etymologia, & ex omnibus, quæ huc usque adduximus, auctorum locis, manifestum est, hoc vectigal solutum fuisse in portubus; quos Romani vel in Italia, vel in reliquis Provinciis habebant, ideoque rem claram illustrare supervacuum erit. Illud hic subjiciendum est, vectigal illud etiam in pontibus & itinere fuisse quandoque exactum. Vectigalis in pontibus meminit Senec. de constant. sapient. c. 14. *Cogitans,* inquit, *& in pontibus quibusdam vectigal pro transitu dari;* & expresse hoc *portorium* vocat JCtus in l. LX. §. 8. ff. locat. ubi dicitur *Redemtor portorium pontis exegisse.* Plinius lib. XII. 14. de Thure agens & de sumtibus & vectigalibus, quæ ex Arabia exportantibus per varias regiones solvi debent, addit. *Quacumque iter est, alicubi pro aqua, alicubi pro pabulo aut pro mansionibus, variisque portoriis pendunt, ut sumtus in singulos Camelos denarium* DCLXXXVIII. *ad nostrum litus colligat, iterumque nostri imperii publicanis penditur.* In Evangelio Matthæi XVIII. 17. ubi legitur ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης, testantur viri docti in Hebraico evangelio vocem τελώνης reddi per aliam, quæ *dominum transitus* notat, id est, vectigalis, quod pro transitu pendi debet. vid. Dilher. Disp. tom. I. pag. 196. Et Philostratus in vita Polemonis lib. I. cap. 25. §. 3. dicit Τραιανὸς μὲν αὐτοκράτωρ ἀτελῆ πορεύεσθαι διὰ γῆς καὶ θαλάττης. *Trajanus Imperator* Polemoni, *ut terra marique ab omni vectigali immunis iter facere possit,* indulsit. quem locum non recte mihi J. F. Gronovius Græc. Museo Alexandrino pag. 2751. tom. VIII. Thesaur. Antiq. Græc. de immunitate a capitatione capit, quum de vectigalibus, quæ in transitu solvi debebant, sit capiendus. In via & itinere illud præstitum fuisse docet l. XXI. ff. de donat. in. vir. & ux. ubi quæritur, an *uxor locupletior censeatur facta esse? si maritus vectigal pro ea, quod in itinere præstari solet, solvisset.* Hoc etiam *portorium* vocat Sueton. in Vitell. cap. 14. *Fœneratorum & stipulatorum publicanorumque, qui umquam se aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix ulli pepercit.* Hoc vectigal etiam in itinere præstabatur pro cadavere, quod, non nisi permissu maximi Pontificis vel jussu Principis, l. 8. ff. de relig. l. 4. §. 4. ff. de sepulch. viol. transferri in alium, quam ubi defunctus obierat, vel temporariæ sepulturæ erat commissum, locum licebat. Hujus vectigalis mentio fit in l. 37. ff. de relig. & sumt. fun. de quo videndus Scaliger in lect. Auson. lib. I. cap. 12. & Guther. de Jur. Pontif. II. 9. Erasmus quoque in proverbio, *a mortuo tributum exigere,* vehementer in avaritiam Principum & Sacerdotum, qui omnia, etiam sepulturas, vectigalibus subjecere, invehitur. Et Justinus lib. IX. cap. 4. de Philippo Macedone, qui Atheniensibus bello consumptorum corpora sepulturæ reddidit, reliquiasque funerum, ut ad sepulchra majorum deferrent ultro hortatus fuit, *Thebanorum non solum captivos, verum etiam interfectorum sepulturam vendidit.* Posterioribus temporibus vectigal quoddam in pontibus solutum *Pontaticum* vocatur in formulis veteribus a Bigonio editis cap. XLV. ubi vide Bignonium pag. 348. Hæc vectigalia, in pontibus & viis exacta, sublata sunt a Pertinace, ut narrat Herodian. lib. II. cap. 4. τέλη τε πάντα πρότερον ἐπὶ τῆς τυραννίδος εἰς εὐπορίαν χρημάτων ἐπινοηθέντα ἐπί τε ὄχθαις ποταμῶν καὶ λιμέσι πόλεων, ἔν τε ὁδῶν πορείαις, καταλύσας εἰς τὸ ἀρχαῖον καὶ ἐλεύθερον ἀφῆκεν. *Vectigalia quoque omnia, sub Tyrannide ad contrahendas pecunias excogitata in fluminum ripis, urbium portubus, perque vias & itinera, remisit, & in antiquam libertatem revocavit.* Quod tamen an omnino verum sit, dubitari potest, quum leges JCtorum, quas citavimus, post Pertinacem etiam, horum vectigalium mentionem faciant, & Ulpianus qui l. 21. de donat. int. vir. & ux. auctor est, post ea tempora vixerit. Nec credibile est Pertinacem ita ærarium labefactasse, ut omnia portoria, etiam quæ in portubus exigebantur, sustulerit: quare eam tantum gratiam a Pertinace populo factam esse putamus, ut hæc vectigalia, quæ superiores tyranni & avari Impe-

Imperatores maxime auxerant, contraxerint, & ea quantitate, qua olim exigebantur, cogi præceperit: Vel, quum perbreve ejus fuerit imperium, a sequentibus restituta credibile est. Vectigal autem pro funere transferendo, sublatum est constitutione, quæ est l. ult. C. de Rel. quam ex græcis Cujac. restituit. l. XI. obs. 21.

Sequuntur examinandæ res & eæ merces, quæ portoria pro earum invectione & evectione debebant. Atque hic ita statuere possumus, omnes eas merces, quæ promercii caussa, & ad negotiandum portubus importabantur, fuisse vectigali subjectas. Hinc *rerum venalium portoria* vocantur a Liv. li. XXXII. c. 7. & in l. 5. C. de vectigal. res, *quæ negotiationis caussa portantur*, dicuntur: quarum catalogum contexuit Jurisconsultus in lib. 39. tit. 4. ff. de publican. Unde contra colligitur, omnes alias res, quas quis non negotiandi animo, sed utendi, deferebat, fuisse immunes. d. l. 5. C. & l. 4. §. 1. ff. de public. Sicque in lege Censoria Siciliæ portus cautum erat, publicis tabulis, *servos, quos quis domo ducet suo usu, pro his portorium ne dato*: lege XVI. ff. de Public. etiam enumerantur servi, qui recte inter usuales haberi possunt, sub quibus Eunuchi non comprehendebantur, qui magis luxui & mollitiei, quam usus domestici gratia comparabantur; hinc & pro Eunuchis portorium solvi debebat, ut recte ex l. 2. C. de Eunuch. colligitur. Ex criminatione etiam Verris, qua ipsi furta exprobrarat Cicero, lib. II. cap. 72. colligere licet quæ res portoriis obnoxiæ erant. *Dico, te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam, multam Deliacam supellectilem, plurima vasa Corinthia, magnum numerum frumenti, vim mellis maximam Syracusis exportasse; His pro rebus, quod portorium non esset datum, literas ad socios misisse L. Canulejum, qui in portu operas daret. satisne magnum hoc crimen videtur? nullum, opinor, majus*. Deinde ex Tabellis publicanorum enumerat iterum omnia, pro quibus Verres non dedit portoria cap. LXXIV. & seqq. Unde videmus res omnes, etiam supellectilem, magis ad luxuriam quam usum paratam, æque ac promercales fuisse vectigali obnoxias; & hinc etiam pro pueris Delicatis æque ac pro Eunuchis portorium solvebatur, ut apparet ex Quinctil. Declamat. CCCXL. ubi mango *novitium puerum per publicanos trajecit prætextatum*: nimirum ut pro libero immunis transiret. in ipsa declamatione dicit, *Circumscribere Vectigalia Populi Romani voluisti, specie prætextati imponere publicano voluisti*: quæ controversia, ne fictam credamus, potuit ex vera fraude fuisse mota: nam Suetonius in Rhetor. simile furtum narrat cap. I. *Venalicii*, (vel *Venaliciarii*) *quum Brundisii gregem venalium e navi educerent, formoso & specioso puero, quod portitores vererentur, bullam & prætextam togam imposuere Immunes* vero proprie dicuntur, quæ nihil præstant, ut vocem hanc explicat Servius ad Virg. V. Æneid. 734. Extra res usuales, immunes etiam quædam aliæ reperiuntur, quas breviter recensebimus: Ante omnia immunes erant res, quas legati exterarum vel sociarum gentium Roma ad proprias sedes deferebant: l. 8. C. de vectig. non vero si ex patria sua Romam deportabant. Immunitate etiam gaudebant res exercitui paratæ. l. 9. §. 7. ff. de publican. Instrumenta quoque itineris immunia fuisse, docet fragmentum legis Censoriæ apud Quinctil. declam. 359. *Præter instrumenta itineris, omnes res Quadragesimam publicano debeant*. Quum autem, ut diximus, portorium pro venalibus & promercalibus mercibus exigeretur, illas etiam immunes debere portus invehi, dici posset, quæ per Provincias a

A negotiatoribus vendendi gratia circumvehebantur, sed quæ, quum emptorem invenire non possent, iterum domum reportabantur: dubium autem circa hanc circumvectionem jus apud antiquos fuit, quum utrinque rationes, & pro publicanis, qui portoria flagitabant, & pro negotiatoribus, qui recusabant, adducerentur. Exemplum hujus altercationis est apud Cic. II. ad Att. Ep. 16. ubi Quintus Fratrem Ciceronem consuluerat, num portorium circumvectionis deberetur publicanis, qui illud petebant, obloquentibus negotiatoribus; Ciceronis sententia erat, non deberi, Quintus vero rem ex consilii sententia ad Senatum rejecit, cujus
B decretum ignoramus.

Præter has, quas enumeravimus res, & si quæ forte aliæ fuerunt, omnes vectigal debebant publicanis, qui ne fraudarentur a callidis negotiatoribus, omnium professionem exigebant. Nec tantum res vectigali obnoxias, sed etiam immunes debebant profiteri mercatores: l. 16. §. 3. ff. de publican.; ubi & usualia mancipia, quæ immunia fuisse demonstravimus, profiteri debere negotiatores dicuntur. Profitentibus vero non cogebantur fidem habere publicani, sed licebat illis excutere merces, & aperire sarcinas: ut apparet ex Plu-
C tarch. Περὶ Πολυπραγμοσύνης pag. 518. Latina tantum verba dabo. *Et publicanis irascimur & graviter ferimus, non quando merces apertas inspectant, sed quum abscondita quærentes, in alienis vasis atque sarcinis versantur. Et tamen illis hoc lex concedit, & nisi faciant, damnum accipiunt*: & huc respiciunt illa Ciceronis contra Rullum II. 23. *Sin est iniquum, si turpe, si intolerandum hos decemviros, portitores omnibus omnium pecuniis constitui, qui non modo reges atque exterarum nationum, sed etiam Imperatores nostros excutiant*. Quin & literas resignare licuisse videtur colligi ex Plauti Trin. III. III. 64.

D

Jam si obsignatas non feret, dici hoc potest:
Apud portitorem eas resignatas sibi
Inspectasque esse.

Et Terent. Phorm. I. II.

Sed epistolam ab eo adlatam esse audivi modo.
Et ad portitores esse delatam, hinc petam.

Et hinc portitores definit Nonius Marcellus *Telonarios, qui portum obsidentes omnia sciscitan-*
E *tur, ut ex eo vectigal accipiant*. Hæc vero omnia facta, ut in verum pretium mercium inquirerent, & ex æstimatis deinde pro pretio vectigal exigerent. Nam æstimatas fuisse res docet Quinct. declamat. CCCXL. *Videtur Mangoni puer pretiosus, timuit ne magno æstimaretur*. Unde videmus varias fraudes adhibitas, quibus circumscribere vectigalia solerent negotiatores. Unam memorat Varro in Mysteriis apud Non. Marc. in *portitores*. *Æs defraudasse cauponem, bonam luto oblevisse, tum portitores erram duxe*. quæ verba corrupta sine dubio pro *bonam*, alii *bovam*, alii *onam*, sed Cujacius
F *obbam* reponit, cui potius accederem: nam fuisse vas, quod luto obleverat, apparet, ultima verba in Popmæ editione *æra indire*, quod non intelligo. Mercer: *circum duxe*, id est decepisse, defraudasse. Si certius de genere fraudis constaret, & si vas hoc quasi luto plenum ostenderit portitoribus, quum aliis mercibus esset plenum, posset legi, *portitores terram duxe*, credidisse esse terram: vel *ferram duxe*, id est rixatos esse: sed nihil periculosius & incertius, quam fragmenta emendare velle. Contra fraudes etiam εἰκονισμὸς fuisse adhibitos docet Seneca

Ep.XCV. *Descriptiones has,&(ut publicanorum utar verbo) εἰκονισμὸς ex usu esse confiteor*. Lipsius credit publicanos descripsisse formam faciemque servorum, equorum &c. : ut constaret quinam solvissent portorium, quinam non, & ut alii publicani scirent jam solutum esse portorium. Solitos quoque publicanos plus debito exigere, & retinere mancipia docet l.VII.§.2.ff. de Calumniatoribus,ubi ex edicti de Calumniatoribus parte contra eos in factum actionem dari, ait JCus. Professio mercium a publicanis scribebatur in tabulis, unde & scripturæ nomen in portorii tractatione sæpe occurrit : hinc Lucil. li.26. *inscriptas* merces dicit, quas profiteri omiserant, ut supra de inscripto pecore ostendimus : verba ejus sunt

Facit idem quod illi, inscriptum e portu
Exportant clanculum, ne portorium dent.

Pœna omissæ professionis erat, quod res caderet in commissum *d. l.* 16. §. 5. & in fragmentis legum Censoriarum apud Quintil. declam.241. *Quod quis per Publicanos improfessum transtulerit, commissum sit*. Et declamat. 359. *Quod quis professus non est, perdat*: & eo referenda illa Callistrati ex l. I. ff. de jure fisci. *Si adversus leges commissum factum est* : ubi nescio quare apertior lex erit, si transponantur verba, *si adversus leges factum commissum est*, nam *commissum* quum proprie dicatur de omissa professione, commissum fit, vel factum est, si quis non profiteatur. Et res improfessa in publicum defertur : ita l. 2. C. de vectigal. *Commissum, quod ante quinquennium factum dicitur*. Unde apparet *commissum* fungi vice substantivi, non *factum*. Suet. Calig. XLI. *Quum per ignorantiam scripturæ multa commissa fierent*. Non recte tamen Cujacium exponere *adversus leges*, juxta leges, ut exponit ad l. 5. ff. de Usurpat.& ad Ulpiani Tit. XX. puto, quum intelligat commissum factum contra leges, de professione apud publicanos facienda. Levior vero videtur fuisse fraudis vectigalibus factæ pœna apud Romanos, quam apud alias gentes sub regibus. Nam apud Laertium lib. IV. sect. 46. narrat Bion Antigono de patre suo, qui Παρατελωνησάμενός τι πανοίκιος ἐπράθη μεθ' ἡμῶν. *Qui nescio quid in publicanos committens, cum tota familia venditus est*. A commissi pœna nemo nisi minor excusabatur, libr. 16. §. 9. ff. de publican. non vero ignorantia excusabat, sed errore lapsus res non perdebat, sed duplex vectigal præstando eas servabat : d. l.16.§.5.& 10. Satisfaciebant vero mercatores profitendo,etsi vectigal ipsum non solverent : tunc enim fidem de pretio censebatur habuisse publicanus, d. l.16.§.12. Etsi vero professi quam maxime essent merces suas negotiatores, non licebat eas navi efferre, antequam vectigal portorii solutum esset : hoc ex Plauto Trinum. IV. IV. 15. desumitur.

Jubeto Sangarionem, quæ imperaverim
Curare, ut efferantur, & tu ito simul,
Solutum est portitori jam portorium.

Ita cautum erat publicanis contra machinationes & fraudes negotiatorum, vicissim vero his consulendum erat, ne iniquis & improbis publicanorum exactionibus & injuriis vexarentur : insolens namque hominum genus erant publicanorum ministri & servi, quibus ad colligenda portoria utebantur, hincque portitorum injurias ansam tollendi portoriorum dedisse, testatur Cic.I. ad Q.Frat.I. hinc continuæ de exactionibus querelæ apud auctores reperiuntur, & varie coercitam Publicanorum libidinem & avaritiam legimus : sic a Nerone Tacit. XIII. ann.c.51. ab Antonino Philosopho Capitolin. c. II. remedia & pœnæ, quibus huic malo obviam itum est, inventæ referuntur; & in pandectis a JCtis luculenter Edictum, quod contra fraudes, & furta publicanorum est propositum, explicatur li. 39. tit.4.

Portoria solvere, quum rebus & mercibus, non hominibus impositum onus erat, nemo detrectare jure poterat : l. 6. C. de Vect. unde nec ipsis militibus immunitas indulgebatur, sola iis commissi pœna remittebatur l. 3. C. eod. nec ipsis magistratibus & provinciarum præfectis fuisse immunitatem a vectigalibus, ex locis, quæ supra ex Cicer.II.Ver. 7.72. & seqq. adduximus, apparet : quod tamen ad luxuriæ instrumenta, non ad usui necessariam supellectilem, referendum esse arbitror : nam res ad usum immunes esse patet ex l.IV.§.4. de publicanis : in qua putem melius legi, *quoties quis &c. usus sui caussa mittit quædam emturum*; quam *quemdam*. Quibusdam tamen peculiariter immunitates ab Imperatoribus datas legimus, quod a bonis & justis Principibus in utilitatem publicam, & ad reddendum bene meritis præmium, frequentabatur, ab avaris autem etiam immunitates solebant vendi : sic de Galba narrat Sueton. c.15. *Nihil non per comites atque libertos pretio addici aut donari gratia passus est, vectigalia, immunitates* &c. de Commodo Lampr. c. 14. *Vendidit etiam suppliciorum diversitates & immunitates*. Utilitatis publicæ caussa multis personis immunitates a portoriis concessæ fuere,sic militibus immunes res,quas usui suo, non quas vœno exercerent, concessit Nero.Tacit. XIII.an.51.postea ab sequentibus Imperatorib.militibus,& iis,qui in Palatio degunt,immunitas concessa est, ex Valentiniani & Valentis constitutione,quæ est l. 3.C.Theod.de immun.concess.Veteranis & eorum filiis idem privilegium continuatum est a Constantino l.2. C. Theod. de vectig. quod postea iidem Imperatores confirmaverunt : l.9.C. Theod. Quæstores etiam Senatorii portoria non solvebant, pro feris, quas ex remotis regionibus Romam ad spectacula deportari curabant : *Grave enim majoribus visum est, ut tolerantibus onera Senatoriæ dignitatis, sumptus immodicus adderetur*, inquit Symmach. li. V. epist. 60. & 63. Naviculariis, qui frumentum ex Provinciis vectigalibus Romam vehebant, de quibus postea amplior agendi locus erit, concessum est, ut quasdam merces, quas sibi & propriæ utilitatis caussa, una cum frumento apportabant, immunes inferrent; dummodo sub prætextu fiscalium, mercatoribus latebram & fraudandi occasionem non præberent : l. 23. & 24. C. Theod. de Navicular. plures forte, qui immunitate gauderent, adferri possent, ut ipse fiscus l. 9. §. 8. ff. de publican. sed, ne tædio res sit, subsistemus. Reliqui, omnis sortis & conditionis, homines obligati erant portoriis; *nam Vectigalium non parva functio est, quæ debet ab omnibus, qui negotiationis, seu transferendarum mercium curam habent, æqua ratione dependi*, l. 3. C. Theod. de immun. A vectigali portorii etiam immunes quasdam Provincias fuisse, vult Bulenger. de Vect. P. R. c. 5. in fin. utque id probet, locum Tacit. de morib. Germ. c. XXIX. affert, ubi de Batavis dicit, *eos nec tributis conteri, nec publicanos eos atterere, exemtos oneribus & collationibus* : quem tamen male cepisse videtur, quum inde non recte colligatur, Batavos singulari privilegio gaudere, ut, si merces in portus inferant, qui Romanæ ditionis sunt, immunes habeantur a portoriis, sed eos, qui socii & amici æquo fœdere Romanorum erant, a tributis, quæ devictis vel inæquali pacto sociis gentibus imperabantur, non

conteri, nec eorum vectigalia a Publicano Romano redimi; dixerat enim paulo ante, *Manet honos & antiquæ societatis insigne*: quid mirum ergo, si illis, propriis utentibus legibus, nulla onera imposuerint Romani, & vectigalia in proprios usus exercere permiserint. Cum aliis vero gentibus, quas sibi subjiciebant, plerumque severius agebant, & illis portoria, quæ prius in proprii ærarii commodum instituerant, adimebant; si vero comiter & benigne agere vellent, portoria exercere, & pecuniam inde redactam sibi habere, gentibus quibusdam permittebant. Abramus ad Cicer. de Provinc. Proconsf. cap. 3. colligit alteram aliquando partem portorii relictam fuisse civitatibus, alteram in Romanum ærarium redactam, ex his Ciceronis verbis. *Quis vestrum non audivit, quis ignorat Achæos ingentem pecuniam pendere L. Pisoni quotannis? vectigal ac portorium Dyrrachinorum totum in hujus unius quæstum esse conversum?* ubi similia ex Oratione in Pisonem adferuntur. De Ambracensibus narrat Liv. li. XXXVIII. c. 44. *senatusconsultum esse factum, ut illis omnes res suæ redderentur; in libertate essent, ac legibus suis uterentur, portoria, quæ vellent, terra marique caperent, dum eorum immunes Romani ac Socii Latini nominis essent*: insigne hujus liberalitatis Romanæ monumentum est, quod Gruter. insc. p. 500. & Sigon. de jur. Provinc. li. I. c. 10. exhibent: ubi Termensibus Majoribus Pisidis inter reliqua, quæ illis a Populo Romano concessa sunt, de portoriis ita cautum erat. *Quam legem Portoriis terrestribus maritumeisque Termenses Majores Pisidæ capiundis intra suos fineis dixerint, ea lex ieis portorieis capiundis esto, dum neiquid portori ab ieis capiatur, quei publica Populi Romani vectigalia redemta habebunt, quos per eorum fineis publicani ex eo vectigali transportabunt.* Unde luculentius hoc Termensium privilegium, quam Ambracensium fuisse colligitur, quum in horum portubus omnes Romani ac Socii Latini nominis immunes erant, in illorum, soli publicani excipiuntur, qui aliquid ex vectigali, quod in vicinis provinciis redemerant, per eorum fines transportarent. His Populis, quibus portoria exercere concedebatur, aliquando iterum ea facultas ademta est, & portoria publicata ærarium Romanum auxerunt: sic a Sylla, qui universas Provincias immanibus tributis exhauriebat, quædam gentes agris & portubus, ex quibus vectigal capiebant, multatæ sunt. Appian. de bell. civ. li. I. pag. 689. χώρας τε ἔνιαι καὶ λιμένων κατὰ συνθήκας σφίσι δεδομένων ἀφῃρῦντο. *Quædam gentes, agris & portubus, ex fœdere sibi concessis multatæ.*

Superest, ut, quum amplissimum hoc vectigal fuerit, ejus magnitudinem investigemus, ut inde conficere liceat, quantum ærario Romano accesserit. Antequam vero de Romani portorii certo modo agamus, non inutile erit paucis de Græcarum civitatium, & in primis Atheniensium, quos in multis imitatos esse Romanos constat, vectigalibus agere & quidem Vir Ill. Spanhem. differt. XIII. de usu & præst. Num. Tom. II. pag. 551. quadragesimæ ab Euripide introductæ memoriam ex Aristophane renovavit; sed eam fuisse proventuum, non vero portorii nomine exactam credit, quod firmat Scholiastes, qui ex patrimonio in commune conlatam eam explicat. Præterea decumæ a Pisistrato institutæ meminit, de qua supra: sed decumam portorii nomine exactam ab iis, qui ex Ponto Euxino remeabant, & quod Chalcedoniæ solvebatur, docet Xenoph. li. I. Hellen. pag. 430. & cujus Demosthenem, in oratione contra Leptinem, & Harpocrationem & alios meminisse notarunt supra laudati commentatores in Marmor.

A Oxon. & Spanhemius & alii Centesimam in Portu Piræo fuisse exactam docet Xenoph. de Rep. Ath. pag. 694. Ubi dicit Atheniensem Populum ideo sociis jus dixisse in urbe Athenis, non in civitatibus sociorum, ut inde multa lucraretur, inter quæ πρῶτον ἡ ἑκατοστὴ τῇ πόλει πλείων ἡ ἐν Πειραιεῖ. *primum centesima, quæ urbi in portu Piræeo solvitur.* Tempore vero Belli Peleponnesiaci, quum exhausta sumtibus esset respublica, τὴν ἑκατοστὴν ὑπὸ τοῦτον χρόνον τῶν κατὰ θάλασσαν ἀντὶ τοῦ φόρου τοῖς ὑπηκόοις ἐποίησαν: *per id tempus tributi loco vicesimam mercium, quæ mari vehebantur, a sibi subjectis exegerunt.* Meursius vero Lectionum Atticarum li. V. B cap. 28. testimoniis multis veterum docet: quinquagesimam mercium in Portu Piræeo fuisse exactam: & Harpocration in ἐπωνία dicit, fuisse τέλος τὸ ἐπὶ τῇ ὠνῇ διδόμενον. εἴη δ' ἂν ἴσως τὶ πέμπτη. *fuisse vectigal pro mercibus datum, fere quintam*: & Pollux hujus vectigalis, sed non definito modo, meminit VII. §. 15. Quæ fortasse varietas ex temporum conditione, aut mercium magis vel minus pretiosarum ratione fuit definita. Difficulter vero, quænam apud Romanos antiquis sub republica temporibus, huic vectigali definita sit magnitudo, dici potest, quum auctores, qui de portorio loquuntur, quantum ejus nomine exigebatur, reticeant, nec C per omnes provincias, & in omnibus portubus, eodem numero solutum fuisse, credibile sit, sed vel secundum leges, quas quisque habebat, vel secundum legem Censoriam, in locationibus impositam, diverse coactum esse. In Siciliæ portu vicesimam exactam fuisse ex Cic. Verr. II. 75. apparet, ubi dicit *socios* (id est Publicanos) *ex Verris exportatione sexaginta HS perdidisse, idque ex vigesima portus Syracusani.* Post Rempublicam a Cæsaribus oppressam frequentior mentio & clariora indicia, ex quibus, ad quem modum exercebatur hoc vectigal, colligere licet, exstant. Ordinarie enim *Qua-* D *dragesimam* mercium, quæ importabantur, partem exactam & solutam fuisse legimus. Hujus meminit Quintil. declam. 359. ubi legis fragmentum est. *Præter instrumenta itineris omnes res Quadragesimam publicano debeant.* sic apud Sueton. Vesp. I. *publicum Quadragesimæ* appellatur: & frequens postea hujus memoria est, nam & ad Symmachi tempora Quadragesimam pervenisse ex li. V. epistol. 62. & 63. patet, ubi quum uno loco *Quadragesimæ*, altero *Quinquagesimæ* mentio fiat, & agatur de eodem vectigali, utroque loco *Quadragesimam* legerim, quæ usitatior fuit; nec Quinquagesimam umquam pro portorio solutam E fuisse, sed pro rebus venalibus, postea docebimus. Jacobus Goth. ad L. VII. de Lustrali collat. mentionem quinquagesimæ ibi ex sua emendatione fieri credens, apud Symmachum alterutro loco mendum irrepsisse putat, nec tamen definit, an *Quadragesima*, an *Quinquagesima* præstet, quia utriusque mentio fit apud priores scriptores. Non tam diu vero Quadragesimam durasse ex nobili & ab omnibus vexato Taciti loco XIII. Ann. c. 51. videtur posse colligi. *Manet*, inquit, *tamen abolitio Quadragesimæ, Quinquagesimæque, & qualia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant.* Varie hunc locum explicant viri docti. F Cujacius VI. obs. 28. & eum secutus Pancirol. III. var. lect. 31. & Angelonus in Historia Augusta, ex Galbæ nummo, ubi XL. remissa legitur, & Reines. ad Inscr. class. IX. 26. Tacitum de abolitione Quadragesimæ litium, quam introduxit impurus ille Caligula, Suet. cap. 40. locutum fuisse volunt, quorum sententiam omnes & priores, & eos secuti, Commentatores rejecerunt, in Lips. ad d. l. Tacit. Nuperrime vero eam impugnavit vir Amplissimus Ezechiel Spanhem. de usu & præstant. numism. dis-

sert. XIII. Tom. II. pag. 549. & seqq. Qui etiam Tacito omnem hic fidem abrogat, & abolitionem Quadragesimæ, Galbæ beneficium esse credit, inductus nummis, quibus Galba Quadragesimam remisisse; & illud, quia paucis tantum mensibus Galba imperium obtinuerit, omissa ejus mentione, Tacitum ad Neronem referre. Ego vero verissimam Cujacii sententiam de hoc loco esse credo, & eam defendendam hic suscipiam, non invalidis, ut puto, rationibus; ac primo, inde probabilis Cujacii opinio videtur, quod post Neronis tempora nusquam mentio Quadragesimæ litium ab ullo auctore fiat, unde eam a Nerone abolitam esse facile credi potest: Quadragesimæ portorii vero frequens usque ad Symmachi tempora memoria reperiatur, nec, si abolita fuerit a Nerone, a quo restituta sit, a viris doctis doceatur: accedunt sub Galba cusi nummi, qualem unum adduxit Casaub. ad Sueton. Galb. c. 15. & Angelonus, Spanhemius & plures, quibus Quadragesima remissa a Galba docetur, qui certe ridicule remitteret aliquod vectigal, jam ab imperatore præcedente abolitum: neque hic gravissimi, & qui omnia ex annalibus & diurnis actis diligenter conquisivit, scriptoris fides elevanda est, quum non potuerit ignorare, ad quem referenda esset abolitio tam celebris vectigalis portorii, luculentissimi reipublicæ subsidii: præcipue quum eo loco referat Senatusconsulta & Edicta, quæ eum fallere non poterant. Rupertus ad Flor. III. XIII. §. 4. putat abolitam fuisse a Nerone, verum non durasse abolitionem ad finem Neronis, sed iterum exactam fuisse. Jac. Gronovius ad Taciti d. l. non definiens de qua quadragesima agatur, & acriter impugnans Spanhemii loquacis, ut vocat, audaciam, videtur sentire, quantum per caliginosa verba video, a Nerone abolitionem factam durasse sub Galba, sed magis fuisse hanc, ut alia, promissam verbis quam præstitam rebus, & quæ in nummis leguntur de XL. remissa, fuisse phaleras ad popellum. Quæ si ita nudis verbis sine ullo testimonio veterum adfirmare licet, jam nihil est, quod nos in Antiquitatis tenebris moretur. Quare nos probasse satis credimus de portoriis & eorum quadragesima abolendis nihil ibi Tacitum dicere: nec obstare, ut Spanhemius objicit, quod ante Portoriorum mentionem fecerit, quasi eadem sint, quæ quadragesima hæc: quum contra, Portoriis illam quasi opponat, & illa mansisse sub Nerone, hanc abolitam sub Nerone nec restituram, sed mansisse abolitam indicet. Nam si attentius totus Taciti locus consideretur, manifeste, portoria non fuisse sublata a Nerone, patebit: dicit enim Tacitus, *dubitasse Neronem, an non omnia vectigalia* (quibus hic, uti sæpe alibi, portoria proprie intelliguntur) *omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum ejus attentum a Senatoribus, qui docebant, dissolvi eo pacto Imperium quum omnia ita provisa essent, ut ratio quæstuum & necessitas erogationum inter se congruerent.* Aperte Senatores, hoc dissuadentes, respiciunt ad commentarios sive rationarium, quod Augustus de viribus totius imperii Romani confecerat, & in quo omnes reditus & onera inter se erant comparata: v. Suet. Aug. c. 28. & ult. Tacit. I. an. II. hocque rationarium ad successores transmiserat, qui secundum illud imperii vires semper exigebant. Docebant ergo senatores Neronem, si portoria tolleret, quæ magnam imperii redituum partem constituebant, dissolvi vires imperii, & rationem & ordinem subverti, si ordinaria commoda auferret: suadebant potius, si liberalitate aliqua vellet homines sibi devincire, aboleret aliquod vectigal, quod extra ordinem erat introductum, & quod, in rationarium imperii non relatum, nihil vel parum incommodi afferret ærario vel fisco, si tolleretur, quum rationes impensarum ad hoc vectigal non essent comparatæ: commodum itaque visum fuit Neroni abolere Quadragesimam litium, quam non in usus imperii, sed ad sustinendos nepotinos sumptus, Caligula cum reliquis novis vectigalibus introduxerat. Firma & stabilita itaque est Cujacii sententia, portoria, vel Quadragesimam a Nerone abolitam non esse, immo nec a Galba eam esse abrogatam credo, quod frustra ex nummis eliciunt viri docti: non enim tam pingue erat Galbæ beneficium, ut omnino tolleret hoc vectigal, solum de *Remissa Quadragesima* loquuntur nummi. Jam vero notissimus est Imperatorum mos, ut aliquando civitatibus vel provinciis, bello aut aliis calamitatibus adflictis, vectigal aliquod remitterent, quo earum miserias levarent, aliis in quosdam annos immunitates a vectigali darent, manente tamen & non abolito vectigali: sic Sueton. narrat, Caligulam *centesimam actionem Italiæ*, non reliquis provinciis, *remisisse*, cap. XVI. de qua etiam remissione nummi exstant: non inde tamen recte colligitur centesimam ab eo sublatam. Sic Augustus *aere alieno laborantes urbes levavit*. Suet. c. XLVII. & ut rarum, & avaritiæ Tiberii manifestum documentum, refert Sueton. c. XLVIII. *eum ne provincias quidem ulla liberalitate sublevasse*. Recte ergo omnia se habebunt, si nummos de temporario aliquo beneficio, quo Galba auspicia imperii sui commendaret, interpretemur, non de abolitione vectigalis, quum illud longe post ea tempora superfuerit, nec umquam restitutum ab aliquo Imperatore legatur. Deinde etiam Galbæ munificentia de remissione reliquorum potest accipi: nam & eo munere beabant aliquando provincias Imperatores, ut illis multorum annorum reliqua ex vectigalibus condonarent. Sic de Trajano memorabilis inscriptio legitur apud Grut. X. 6. & de Hadriano scribit Spart. c. 7. *Provinciis vero etiam ex reliquiis ingentes summas remisit, syngraphis in foro divi Trajani, quo magis securitas omnibus roboraretur, accensis.* Ad quem locum plura de hac Imperatorum liberalitate doctissimi interpretes Casaubonus & Salmasius: & egregie J. Fr. Gronov. de pecun. veter. IV. cap. 3. & plurimas constitutiones Imperatorum de hac remissione sub tit. C. Theod. de indulg. debit. reperiet lector. Nec novum est, interpretes remissionem hanc reliquorum pro abolitione vectigalis ipsius accepisse. Sic postea, quum eo nos deduxerit tractationis ordo, ostendemus, male a viris doctis abolitionem vigesimæ hereditatium adscribi Gratiano, non alio argumento, quam, quod eum reliqua remisisse, testetur Ausonius. Hæc de quadragesima, quæ ordinarie pro portorio exigebatur, dicta sunto. Alia tamen etiam in Codice vectigalis hujus: & immane quantum distans, magnitudo vulgo exigi solita fuisse refertur; nam in l. 7. C. de vectigalibus mentio fit *Octavæ* partis, quæ pro mercibus exigebatur, quam quis instituerit, vel an in locum Quadragesimæ successerit, vel an quibusdam tantum mercibus imposita sit, nostrum non est definire: dicuntur ibi *Octavæ more constitutæ* esse, qui jam a temporibus Alexandri Severi, cujus est l. 7. C. de locat. & cond. invaluisse debuerit, mirum tamen est, nusquam in Pandectis, vel ullis, quod sciam, auctoribus, qui ejus ævi res gestas literis mandarunt, octavas reperiri. Panciroli. in comm. ad notit. dign. orien. c. 73. putat, olim tempore Elagabali hujus vectigalis quantitatem fuisse decimam partem pretii, quo merces æstimabantur, quam deinde Alexander Severus ad tricesimam contraxit, in cujus postea locum alii Imperatores Octavam substituerunt. Quod tamen ve-

rosimile non est, quum nullo auctoris testimonio probet, umquam decimam pro portorio exactam & solutam fuisse: & quod verba Lamprid. in Alex. Sever. c. 37. (ubi narratur *Alexander Severus vectigalia publica in id contraxisse, ut qui decem aureos sub Elagabalo præstiterant, tertiam partem auri præstarent; hoc est trigesimam*) huc detorqueat, infelici sane & invita Minerva illud molitur; nam ea de tributis accipienda esse, luculentissime docuit, vir meliore seculo natus, Salmasius.

Priusquam finis Portoriis explicandis imponatur, aliud huic affine vectigal examinandum nobis venit, dictum *Vectigal rerum venalium*, quod exigebatur pro rebus, quæ in foro venalia erant, vel quæ sub hasta, publice posita, licitantibus addicebantur: hoc plerumque cum portorio confunditur, & unum atque idem habetur, quum tamen diversum plane vectigal sit: non enim in portubus pro invectione vel evectione, sed in foro pro venditione exigebatur. Hincque male plurimi viri docti, ab Accursio ad l. 17. §. 1. ff. de V. S. viro subtili, sed literarum rudi, decepti, eamdem quantitatem huic vectigali tribuerunt, quam portorio, *Octavam* nempe: vide etiam l. 7. & 8. Cod. de vectig. Sic enim Alciat. ad d. l. Guther. de Off. dom. Aug. lib. III. cap. 17. & Bulengerus de Vect. P. R. c. 19. quos omnes jure reprehendit & refutat Cujac. VI. obs. 28. neque etiam placet Goedd. ad d. l. 17. de V. S. qui in eo solum recte Glossam a Cujacio reprehensam dicit, quod illa octavam solam statuat rerum venalium, quum ex ipsius sententia, duplex rerum venalium fuerit Vectigal; Unum, si vendita res exportanda esset, nec exportari prohibita; Alterum, quum a venditore aliquid exigitur ob venditionem, quod idem quoque Bulenger. d. l. sentit. Sed uterque male, quum, quod illi primum statuunt, nullo modo dici possit vectigal rerum venalium, sed ipsum portorium, quod pro rebus promercalibus exigebatur, cujus quantitas nobis supra est declarata, & portorii solvebatur nomine, nullo respectu habito, an res essent venditæ nec ne, sed pro solo usu & commoditate portus exigebatur. Alterum vero vectigal, illud est, quod nos rerum venalium dicimus, & *exigebatur ab emtore vel venditore, ob venditionem proponendam*, describente Cujac. d. l. & sic fere definitur in l. 1. C. de Veteran. & absolute *venalitium* vocatur in l. 4. C. de prox. sacror. scrin. Hujus quantitas numquam Octava pars mercis fuit, sed alia, ut ex sequentibus apparebit; & in l. 17. ff. de V. S. aperte Portorium & rerum venalium vectigal distinguuntur. Hujus vectigalis auctor videtur fuisse Augustus; narrat enim Dion, l. 55. in fin. eum pro mancipiis, quæ vendebantur, quinquagesimæ vectigal instituisse, quum egeret pecunia ad bella & nocturnos vigiles alendos. Unde etiam hujus vectigalis quantitas, nim. quinquagesima, apparet. Cum Dione tamen non idem sentit Tacitus, qui Ann. lib. XIII. cap. 31. mentionem facit *quintæ & vigesimæ mancipiorum venalium*. Quare, ut hos Auctores sibi concilient Lips. ad eum locum & Cujac. VI. obs. 28. apud Tacitum reponunt *Quinquagesimam*, alii vero apud Dionem pro πεντηκοστῆς substituunt ex conjectura, πεντεικοστῆς, ut ipse Lipsius in Admir. II. 4. notante ibi Ryckio. Deinde manifestius a Dione dissentit Tacitus lib. I. c. 78. ubi referens originem hujus vectigalis, ut & Dion. dicit: *Centesimam venalium, post bella civilia institutam*. Quæ omnia ut concilientur & utrique Auctori sua fides constet, credimus rem sine ulla lectionis mutatione ita posse componi, si statuamus, non æqualiter omnibus mercibus vectigal hoc impositum fuisse, sed quibusdam rebus ducentesimam, (de qua paulo post agendum) aliis centesimam, mancipiis vero quinquagesimam: neque enim uterque auctor totam instituti hujus vectigalis rationem tradidit, sed Dion de mancipiis, Tacitus vero I. ann. de rebus aliis, quæ venales proponebantur, egit: quod autem Tacitus XIII. ann. 31. meminerit vectigalis *quintæ & vicesimæ mancipiorum venalium*, inde fortasse factum est, quia tempore Neronis eo usque excreverat ejus quantitas, ut loco quinquagesimæ ab Augusto institutæ, quinta & vicesima exacta fuerit. Idque posset conjici a Caligula introductum esse, quem, quum varia nova & inaudita vectigalia exercuerit, teste Sueton. c. 40. credibile est, hoc vectigal auxisse; nam avaram & crudelem illam bestiam aliquid in hoc vectigali innovasse, indicio illud est, quod Suetonius d. l. prodat, eum, inter res vectigali obnoxias, voluisse haberi *Edulia*, quæ ante ab Augusto videntur excepta fuisse, ne nimis acerbum hoc vectigal videretur, quod ex quotidianis vitæ humanæ subsidiis cogeretur: sed a Caligula introductum est, ut *pro eduliis, quæ tota urbe venirent, certum statumque vectigal exigeretur*: quæ conjectura egregie confirmatur inscriptione, temporis Claudii, a Fabretto Cap. I. p. 36. edita, ubi mentio PUBLICI (id est vectigalis) XX. LIBERTATIS ET XX. VENALI.... & ubi Fabrettus Lipsium recte refutat, & alteram incerti temporis addit, SOCIORUM PUBLIC XXV. VENALIUM. Caligulam vero remisisse, non abolevisse ait Tacitus.

Alterum etiam circa hoc vectigal eorumdem Auctorum, Taciti & Dionis, a viris doctis dissidium animadversum est: hic enim lib. 57. scribit, Tiberium *Ducentesimam* mutasse in *Centesimam*, ita ut ex ejus sententia necesse fuerit, ducentesimam ab Augusto institutam fuisse: cui aperte refragatur Tacitus, ann. I. c. 78. dicens *Centesimam post bella civilia* ab Augusto *institutam*, & deinde II. ann. c. 42. (ubi vide Ryckii notas) tradens Tiberium, quum Archelao Cappadociæ rege mortuo, ejus regnum vacuum invasisset, & in provinciæ formam redegisset, *fructibus ejus levari posse centesimæ vectigal professum, ducentesimam in posterum statuisse*. Quæ loca optime conciliavit Lipsius, qui Dionem loqui de tempore post mortem Sejani existimat, quo liberalitatem suam Tiberius revocavit, restituta centesima, in cujus locum olim, auctus Cappadociæ fructubus, ducentesimam substituerat. Et sic Tacito suffragabitur Sueton. Cal. XVI. dicens *Caligulam Centesimam auctionum Italiæ remisisse*. Ut recte ibi legi Viri docti contendunt. Male vero, ut hoc verbo addam, vectigal hoc *vigesimam rerum venalium* vocat maximus nostri seculi JCtus Ant. Matthæus in lib. II. c. 2. de Auction. (secutus, ut videtur, Rævardum lib. III. var. cap. 16. de quo videbimus infr. cap. XI.) quum nullo antiqui auctoris suffragio confirmari possit, illa summa umquam illud exactum fuisse, & ex adductis jam locis error hic manifestus sit. Ex quibus omnibus patet in modo exigendi vectigali sæpe fuisse variatum: nec miretur quis hoc olim factum, quum & in nostra republ. sæpe viderimus modo centesimam, modo ducentesimam omnium fere bonorum fuisse imperatam. Certe ducentesima memoratur in inscriptione, quam dedit Sponius in Miscell. Erudit. Antiq. pag. 20.

TI. CL. DEMETRIVS
DOM. NICOMED.
V. E. PROC. AVGG. NN.
ITEM CC. EPISCEPSEOS
CHORAE INFERIORIS

Quæ ad quod tempus referenda sit incertum, nec quænam Episcepsis illa, sive inspectio regionis inferioris sit, satis expeditum est: sed quia AVGG NN. memorantur, tempus videtur indicari, quo duo Augusti fuerunt in imperio. Hunc eumdem lapidem ediderat etiam Sponius in libro Gallice scripto, cui titulus, Recherches Curieuses d'Antiquité diss. VII. pag. 143. sed ibi insignem fraudem commisit, laudans locum ex Capitol. Ant. Pio c. VI. *Procuratores suos modeste suscipere tributa jussit ducentesima*, cujus ultimæ vocis nec vestigium quidem in scriptore illo apparet, ut jam animadverterunt Harduinus in nummis Populorum in ΚΙΑΒΙΑΝΩΝ ΤΩΝ ΑΝΩ, ubi hanc inferiorem Choram de inferiore Ægypto explicat, & Philip. a Turre de inscriptione M. Aquilii cap. v. in pr. Sponius etiam ibi, & in Miscell. p. 275. *ducenarios* Procuratores inde dictos, quod ducentesimam exigerent, existimat, de quo deliberandum esse, quia ambigua ejus vocis significatio est, ait Harduinus; recte quidem; sed potuisset jam ex scriptis eruditorum scire ducenarios procuratores ita dictos, a stipendio ducentorum sestertiorum, uti ex Dione lib. LIII. probavit ad Suet. Claud. XXIV. Torrentius & Cl. Grævius ad Aug. XXXII. ubi diversos *judices ducenarios* esse docuit, ut & alios in re militari ducenarios fuisse eruditi ostenderunt. Scaliger vero ad Manil. lib. II. vs. 543. ex Apulejo *procuratorem ducenariæ* vocat, & inscriptionem, ubi voce mutilata PROC. DUCENAR. legitur ita explicat: sed hæc in clariori luce posuit Salmas. ad Capitol. Pertin. cap. II. ubi a stipendii modo, *centenarios*, *ducenarios* &c. dictos, clarissime ostendit, licet alibi hæc pluribus se acturum promiserit: hanc quoque ducenariorum explicationem sequitur Reines. clas. VIII. insc. 19. mentio & horum in Gloss. *ducenarius*, Διακοσιοςός. *ducentesima*, Διακοσιοςή.

Vectigal hoc ex *rebus venalibus* capiebatur, sub quibus præcipue continebantur mancipia, quæ a negotiatoribus coemebantur, ut iterum venderent: hoc negotiationis genus frequentissimum erat Romæ, & proprie hi servi *Venales* & *Venalitii* dicebantur, de quibus multa Torrent. ad Suet. Aug. c. 42. vid. de Clar. Rhetor. cap. I. & Connan. comment. Jur. Civil. 2. I. & *venales novitii* l. XI. ff. de negot. gest. dicuntur: & negotiatores distincti erant a reliquis mercatoribus, quibus aliquantum inferiores habebantur, & a genere commercii *venalitiarii* dicebantur, de quibus vid. Vales. ad Amm. Marcel. lib. XXII. c. 7. & hinc sale satyrico talem mangonem perfricans Horat. I. Epist. VI. 37. *Regem Cappadocum* vocat, qui

Mancipiis locuples, eget æris Cappadocum rex.

Ut egregie ibi Lambinus explicat: & ideo non mercatorum nomine digni habebantur venalitiarii, quia nec servi nomine mercis poterant notari, ut JCt. Africanus l. 207. ff. de V. S. *Mercis appellatione homines non contineri Mela ait, & ob eam rem mangones, non mercatores, sed venaliciarios appellari ait, & recte*; ad quam legem interpretes videndi. Vectigal hoc an emptor, an venditor solveret, parum interesse videtur, quia mangones computato vectigali majori pretio vendebant: emptorem tamen solvisse ex constitutione Augusti videtur colligi, ex d. l. Taciti XIII. 31. ubi dicit fuisse hoc *vectigal remissum specie magis quam vi*, id est, ut Pichena mihi recte explicuisse videtur, levasse hoc onere emptores, qui erant Cives Romani, quibus quasi consulere volebat, & transtulisse in venditores sive mangones, qui Syri, Cappadoces & aliarum gentium erant: *qui*

A *cum pendere juberentur, in partem pretii emtoribus accrescebat*, id est, augebant pretium, vectigali computato, quod majus indicabant, servorum, & ita nihil lucrabatur emptor: nec ideo diu hoc mansisse puto, sed iterum onus in emptores translatum fuisse videtur colligi ex l. 27. ff. de ædilit. edict. ubi constitutum legitur, si emptor redhibitoria egerit, & vectigalis nomine quid dederit, illud a venditore restitui debere, ut indemnis discedat. Quamquam diffiteri nolim, posse inde quoque effici emptorem hoc non coactum fuisse dare, sed vel sponte vel ex contractu vel alio casu dedisse, quia additur vocula *forte*: *si forte vectigalis nomine datum est, quod emptorem forte sequeretur*, quæ verba etiam posset aliquis non de hoc vectigali XXV. venalium capere, sed de portorio vel pro transitu dato, si fingamus servum non Romæ, sed alibi in provinciis emtum ab aliquo, qui Romam ducens, ut iterum venderet, in itinere forte vectigal solvisset: sed de eo pugnare nolo. Ex his quæ de voce *venalium* & *venaliciorum* diximus, recte jam colligitur vectigal hoc datum non fuisse, quoties qui Servum suum alteri venderet, vel alterius emeret, sed ita demum, si in nundinis, vel foro vel e catasta a venalitiariis & mangonibus aliquem compararet. Atque ita in ceteris rebus venalibus observatum quoque fuit, ut ita demum vectigali obnoxiæ essent, si in foro vel in locis, vendundis rebus destinatis, venditæ & emptæ essent. Hinc etiam in inscriptione apud Gruter. pag. XCIX. 6. hoc vectigal designari creditur, & appellari *vectigal Foriculiarii & Ansarii promercalium*: difficile vero dictu est, unde nomina hæc *Foriculiarii* & *Ansarii* deducta sint: verosimile est quidem, quod Guther. de Off. Dom. Aug. lib. 3. c. 17. conjicit, legendum esse, *Foricularium*, (unde *Fori culeari* efficietur) & *Ansarii*, & indicari vectigal frugum minutarum vini, tritici & olei, quæ in foro, a culeis & vasibus ansatis, quibus fruges venum exponebantur, denominato, vendebantur: & Reinesium legisse FORI CULLEARII notat Gudius ad inscript. ut de *culleis*, quibus ex rure promercalia devehebant, intelligatur; idque maxime de oleo & vino verum esse credimus, quod culeis semper conditum in forum deferebatur ut venderetur; hinc apud Plaut. Pseud. act. I. Scen. 2. v. 78. minatur mulieri Leno, quæ amatores habebat divites olei,

Si mihi non jam huc culeis oleum deportatur,
Te ipsam culeo ego cras faciam ut deportere in pergulam.

Festus in culiola. *Culiola cortices nucium viridium dicta a similitudine culeorum, quibus vinum vel oleum continetur*: de quibus culeis latius agit Schefferus de re Vehic. lib. II. cap. 19. pag. 253. qui & pag. 246. culei nobis figuram exhibet. Et ita reditus ex agris, qui vinum vel oleum præbebant, culeis metiebantur. Varro I. de R. R. 2. *in qua terra jugerum unum denos & quinos denos culeos fert vini, quot quædam in Italia regiones*: & ita ille & alii sæpe rei rusticæ scriptores: nam primum in amphoras diffundebant, inde in culeum componebant, & instipabant teste Catone cap. CXIII. de R. R. & inter instrumenta rustica *culeos* recenset JCtus l. 12. §. I. ff. de instr. & instr. legato. & l. 17. ff. de ann. legat. certæ autem mensuræ fuisse culeos apparet, quia *culeare dolium* memorat Cato de R. R. cap. CXII. id est dolium culei capax: culeus autem capiebat viginti amphoras, & erat maxima mensura liquoris, ut Fannius ait. Culeorum quoque usum in aridis mercibus, ut

frumento fuisse, quia satis notum est, probare supersedeo. vid. l. ult. §. 1. ff. de Pignor. Act. Nescio autem an non simile fere hoc vectigal sit ei, quod in multis patriæ nostræ civitatibus penditur, & vocatur *de ronde maet*, quod penditur publico pro mensura, quæ rotundæ est figuræ, in foris nostris; sed omnia hæc de *culeis*, notiora sunt, quam ut iis inhæreamus. Supereslet, ut aliquo veteris auctoris loco probaretur, *forum* aliquot *culearium* dictum fuisse, quale me ignorare fateor: licet a culeo, *culearium* recte deduci, doceat inscriptio vetus apud Fabret. pag. 152.

M. MANNEIVS. M. L. APELLA.
CVLEARIVS. FECIT, SIBI. ET. M.
MANNEIO. PRIMO. PATRONO. &c.

Quamvis ibi artificem, qui culeos conficeret, intelligi putem, quia profitentium artes tales nomina fere in *arius* exire notum est. Cogitabam aliquando an non de vectigali *foricarum* esset capiendus lapis, & *foricularum* legendum, quia Juven. Sat. III. 38. *conducunt foricas* dixit: de quo vectigali infr. cap. ult. agendum erit: sed mitto incertas has conjecturas, & tutius esse puto de his amplius deliberare. Et ut hoc vectigal obscurius, ita non magis patet, quale fuerit *Ansarium*, quod possit a vasis ansatis, quibus merces quædam & præcipue vinum, si minori mensura venderetur, quam culeis, in forum deferebantur, dictum videri: nam amphoris ansatis vinum fuisse conditum, nemo, ut probem, exacturum puto, quum sexcentis locis amphorarum, quibus etiam, ut culeis, ubertatis agrorum rationem iniisse testantur R. R. scriptores, mentio fiat: unico Catonis loco cap. CXIII. de R. R. contentus ero, ubi docens rationem vini odorati faciendi inter alia dicit, *Amphoras nolito implere nimium ansarum infimarum fini*. Amphoras vero ansatas fuisse satis indicat earum appellatio, & hinc *diota* vocatur Horatio lib. I. od. 9. ubi Schol. *vas duas ansas habens* explicat: sed nec hujus vectigalis alibi mentionem fieri scio: male vero Lazius de repub. Rom. II. XIII. p. 298. legisse videtur FOVEUCULARII ET ANSURII. & interpretatur ultimum vectigal, a vasis, ansis gestari solitis, collectum: sed quum passim in ejus operibus mendosæ edantur inscriptiones, illum ex sua explicatione *Ansarii* legisse patere credo; licet & eodem modo iterum legatur hic lapis lib. IV. cap. I. pag. 441. Quod subjungit vero Gutherius, Ansarium etiam posse trahi ad arma promercalia, quia jacula ab Ennio *Ansata* appellantur, prorsus a re alienum est, quum non nisi improprie ansata tela ab Ennio dicantur, quia figura eorum ansas quasi quasdam exhibebat; has Turneb. 18. adv. 3. interpretatur amentum telorum: vide etiam Lips. Poliorcet. IV. dial. 5. & tale apud Ovid. VII. Met. 788. est jaculum illud apud Cephali, & multa alia. Non verosimile vero est, ab his telis, quæ non, nisi improprie, ansata dici possunt, vectigal exactum; nam si ejusmodi ingenii ludibriis indulgere licitum esset, eodem jure forum Culearium dictum fuisse adfirmare possimus, a Culeis, quos milites inter instrumenta sua habebant. vid. Cornel. Nep. Eum. c. VIII. atque ita inscriptionem nostram, ad milites transferre, ut Lazius l. IV. c. I. fecit, qui hinc milites a vectigali immunes fuisse colligit, quum ne verbum quidem unum in toto saxo de militibus legatur. Immo potius de ansis scutorum, quæ proprie ita dici solent, quam de amentis telorum posset explicari: ita Servius exponens illa Virgilii VII. Æneid. 796. *picti scuta Labici*: narrat Glaucum *ostendisse Italis scutum militare, a quo & ip-*

A *se Labicus dictus est, & ab eo populi ἀπὸ τῆς λαβῆς*, id est, *quam Latine ansam vocamus*; & cur quæso, quum tot sint genera armorum, ab ansatis telis potissimum vectigal denominatum fuisset? denique illa, quæ exercitui & castris necessaria erant, immunia fuisse a vectigalibus, supra jam docuimus.

Solæ ergo res & merces, quæ in foro vendebantur, vectigali obligatæ erant, si vero alibi venderentur, non inter promercales numeratæ fuisse videntur, donec tandem Caligula etiam hanc exceptionem submoverit, & jusserit *pro eduliis, quæ* TOTA URBE *venirent, vectigal exigi*. Suet. B Cal. c. XL. Deinde etiam ad venditionem, quæ sub hasta fieri solebat, vectigal hoc extensum fuisse, ex loco Sueton. Cal. XV. desumitur: appellat enim centesimam *Auctionum*, quibus venditiones publicæ, hasta posita, quam plurimum significantur, ut vulgo notum: vide Brisson. de formul. lib. VI. pag. 511.

CAP. VI.

De Vectigali ex Metallis & Salinis.

C POstquam, pro industriæ nostræ & ex veterum scriptis usus modo, tria celeberrima reipublicæ & Imperii Romani vectigalia tradidimus, quibus ærarium maxime fulcris sustinebatur, aliud nobis examinandum venit, quod non ex fructibus, quos terra e sinu suo emittit, decerpebatur, sed ex ipsis visceribus extrahebatur. *Metallorum* fuit hoc vectigal, quæ per totum orbem Romanum exercebantur, & ex quibus incredibile ærario emolumentum obveniebat. Sub *Metallis* continentur omnia, quæ ex venis, in terræ penetralibus abstrusis, laboriosa perscrutatione effodiuntur vel extrahuntur. Aurum, Argentum, D Æs & Ferrum hic præcipue Metallorum nomine comprehenduntur; deinde Lapicidinæ, Cretifodinæ, Cotoriæ & Salinæ, hujus vectigalis respectu, Metallorum genera sunt, de quibus omnibus in sequentibus ordine agemus.

Primis reipublicæ temporibus in Italia etiam metalla, & ex iis vectigalia ærarium locupletaverunt, sed quum ubertim provinciæ deinde illa suppeditarent, interdictum est, ne Metalla in Italia exercerentur. Plin. lib. XXXIII. c. 4. *Italiæ parcitum est vetere interdicto Patrum, alioquin nulla fecundior metallorum quoque erat tellus*. Quare E præcipue hoc lucro auxerunt rem Romanam subactæ Provinciæ, quæ metalla visceribus suis continebant. Hispania, Macedonia, Illyricum, Africa, Sardinia præcipue hæc irritamenta malorum producebant. In Hispania primum hoc vectigal instituit Cato Liv. XXXIV. cap. 21. *Pacata Provincia, vectigalia magna instituit, ex ferrariis argentariisque, quibus tum institutis locupletior in dies Provincia fuit*. Auri etiam maxima copia in Hispania inveniebatur, quod in arena aurosa, quæ minuta ramenta complectebatur, plerumque investigabatur, & hoc gentili & Hispano vocabulo dicebatur *Balluca*, de qua voce videndi Cujac. ad l. 1. C. de Metall. & J. Gothofr. ad l. F 3. C. Theod. eod. & Salmas. exerc. Plin. tom. I. p. 196. Quam grande & pingue autem hoc vectigal ex Hispaniarum Metallis fuerit, maxime ex Strabon. l. III. pag. 146. colligi potest, qui testatur, *nusquam terrarum neque aurum, neque argentum, neque æs, neque ferrum, nec tantum, nec tam probatum generari, & non solum aurum ex Metallis effodi, sed flumina & torrentes auream deferre arenam*: immo addit, *argentifodinas prope Carthaginem novam esse, in quibus*, memorante Po-

lybio, *quadraginta millia operarum Metalla exercent, & eo tempore Populo Romano viginti quinque millia Drachmarum singulis diebus præstabant*. Plumbi etiam metalla in Hispania vectigal dedisse docet Plin. l. XXXIV. 17. *Nuper id compertum in Bætica Santarensi metallo, quod locari solitum* X. CC. M. *annuis &c. simili modo Antoninianum in eadem provincia pari locatione pervenit ad pondo* CCCC. *vectigalis*: ex Minio etiam vectigal ærarium Romanum locupletabat. Plin. XXXIII. 7. *Celeberrimum ex Sisaponensi regione in Bætica, minario metallo vectigalibus Populi Romani, nullius rei diligentiore custodia*: ita editur vulgo sed impedita est oratio, nec quo *vectigalibus* referas video. inter varias Lectiones *vectigali* referri video, ut conjungatur cum *miniatico metallo*, *vectigali*, id est quod vectigale sit Populo Romano; idque rectius esse puto. Addit deinde Plinius, *minium adulterari multis modis, unde præda societati*, scilicet publicanorum. Ferrum præstantissimum in Hispania fuisse effossum infinita loca veterum ostendunt, & docent nos arma Romanorum, quæ pleraque ex Hispanico ferro, & præcipue Bilbilitano: non quod circa Bilbilin metalla illa essent, sed quod aliis in locis ferrum effossum eo ferretur, ut aqua, quæ ibi optima temperando ferro erat, tinctum excoqueretur: ita enim Plinius lib. XXXIV. 10. *Summa differentia in aqua est, cui subinde candens immergitur. Hæc alibi atque alibi utilior, nobilitavit loca gloria ferri, sicut Bilbilin in Hispania & Turcassonem, Comum in Italia, quum ferraria in his locis non sint*: & ob hanc Bilbilitanæ aquæ nobilitatem in Martiale, qui Bilbilitanus fuit, Lib. I. Epig. 50. legitur,

Videbis altam, Liciniane, Bilbilim,
Equis & armis nobilem.

Legunt ibi, *aquis & armis* Hieron. Surita apud Schott. in Biblioth. Hisp. tom. I I. pag. 200. &, qui an sublegerit illi nescio. Ramirezius ad d. Martialis locum: sed forte neutri hæc laus adscribenda, quum Antonio Augustino acceptam referat Cerda ad Virg. v. Æneid. 260. quamquam vitiose proferat & metrum corrumpat, quasi Augustinus emendasset *armis & equis nobilem*. Harduinus vero scribit Augustinum Suritæ inventum pronuntiasse: sed cujuscumque sit, credo esse veram conjecturam, & facilius inde vitium obortum, quia fere semper hæc duo conjuncta leguntur, *arma & equi*: unde Sueton. in Cæsar. LVII. & Tit. III. *Armorum & equitandi peritissimus*. Val. Max. IV. VI. Ext. 2. de Hypsicratea, *Tonsis capillis equo se & armis adsuefecit*. Cic. Phil. VIII. 7. *fore ut omnes inflammati odio, excitati dolore, armis, equis, viris D. Bruto subveniremus*, ubi alii *viribus*: sed recte hoc displicuit Ferrario, qui sollemnem hanc formulam insigniter illustravit, ut & alii ad Cic. IX. ad fam. 7. Jam facilis depravationis caussa fluit ex his ordinariis & in ore omnium locutionibus, quas scribæ etiam non suo loco intrudunt. Vaillantius tamen in nummis Coloniarum sub Augusto duos Bilbilitanos nummos proferens, in quibus Eques hastam dirigens conspicitur, hinc colligit, recte eam dici *Equis & armis nobilem*, quod mirum mihi accidit, Augustinum dial. VII. de nummis pag. 110. ubi eosdem nummos refert, cum figura equestri, non observasse; nec hujus loci Martialis meminisse, qui ejus sive Suritæ conjecturam de *aquis* confutaret: sed quam lubricum sit ex figuris nummorum aliquid colligere notum est: & ipse Vaillantius in nummis Oscæ, Segobrigæ & aliarum urbium, ubi similiter Eques videtur, fatetur frequentem illum typum esse in Urbibus Hispaniæ, quæ equis abundabat nobilissimis: nulla ergo hæc propria laus Bilbilis, quæ præcipua erat Lusitanis, Gallecis & Asturibus.

Africa quoque Romam saxis & lapidibus marmoreis ornavit, quos Romani inde excidi sibi jusserunt. Frequens apud autores est Lybici & Numidici marmoris mentio, unde vectigal, & emolumentum habuisse fiscum, indicio est l. 1. C. Theod. de Metall. quæ inscripta est *Rationali Africæ*, qui vectigalia & reditus in ea provincia curabat. Macedonia, jam antequam Romanorum provincia esset facta, regibus suis vectigalia ex Metallis solvebat, quæ præcipuæ opes ejus regni erant. Perseus inde maximas congessit divitias, quibus bellum cum Romanis sustinere posset. Liv. XXXIX. c. 24. *Vectigalia regni non fructibus tantum agrorum, portoriisque maritimis auxit, sed metalla etiam, & vetera intermissa recoluit, & nova multis locis instituit*. Deinde subacta ea a Romanis, Coss. Æl. Pæto & M. Junio A.U.C. 586. metalli vectigal sublatum est Senatusconsulto, quo liberi & suis legibus relicti sunt Macedones. Liv. XL. c. 18. *Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque rusticorum prædiorum, tolli placuit*; quod non ita omnino, quasi omne vectigal remissum sit, intelligendum est, quum idem auctor postea c. 29. narret, Paullum Macedonibus ex SCto & Concilii sententia pronuntiasse, *Metalla auri atque argenti ne exercerent Macedones*; (ne scilicet divitiis affluentes, Romanis obsequium negarent) *ferri & æris permittit: vectigal exercentibus dimidium ejus impositum, quod pependissent Regi*; tradit autem Cassiodor. in Chronico, Coss. Æm. Lepido & C. Popillio, qui Coss. fuere A. U. C. 595. *Metalla in Macedonia instituta fuisse*: qui aut error est in tempore, quo ex Metallis Macedoniæ Romani vectigal habere cœperunt, statuendo, aut si vera ejus sit sententia, credendum est, eo tempore auri & argenti Metalla exerceri Macedonibus permissa fuisse, vel antiquum, regibus pendi solitum, vectigal iterum exactum. Eodem modo, quo Macedonia habita fuit, cum Illyrico actum est: addit enim Liv. d. l. lib. c. 18. *similia his & in Illyricum mandata sunt*. Et in ipsis nummis mentio horum metallorum fit: nam titulus in illis frequens METAL. DELM. de quo Illustr. Spanh. diss. XIII. de usu numism. tom. II. p. 630. videndus: unde Vectigal hinc rediisse probari potest: præterea idem vir insignis alios memorat nummos, cum inscriptione MET. NOR. unde toties mentio ensium & cultrorum Noricorum apud scriptores, ab eo laudatos, & commentatores Petronii c. LXX. Ad Illyricum ferrum, & ex metallis vectigal refero & illa Claudiani de Bell. Getic. vers. 535.

At nunc Illyrici postquam mihi tradita jura,
Meque suum fecere ducem, tot tela, tot enses,
Tot galeas multo Thracum sudore paravi:
Inque meos usus vectigal vertere ferri
Oppida legitimo jussu Romana coegi.

Quæ Barthius ad Noricum ferrum trahit: immo & Delmatiam auri metalla habuisse patet ex Stat. IV. Silv. VII. 13.

Quando te dulci Latio remittent
Delmatæ montes, ubi Dite viso
Pallidus fossor redit, erutoque
Concolor auro?

Ubi videndus idem Barthius, Bernartius, & quos laudant.

His vicina Thracia etiam Metallorum ferax erat, ex cujus, ut & Macedoniæ & Illyrici, lapicidinis & ceteris Metallis, vectigalis frequens mentio est in tit. C. utriusque de Metallar. l. 7. & 8. C. Theod. l. 4. C. Just. & jam olim Philippus

auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupaverat, teste Justino lib. VIII. 3. his provinciis accessit Britannia, quae Metalla auri & argenti Romanis pendebat. Tacit. Agric. XII. *Fert Britannia aurum & argentum & alia Metalla, pretium victoriae*: & c. XXXI. Galgacus Caledonios ad pugnam exhortans dicit; *Neque enim arva nobis, aut Metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reservemur*. Sardinia etiam argentum Romae suppeditabat, cujus meminerunt l. 6. & 9. C. Theod. eod. & Sidon. Apoll. in carm. VII. quod supra laudavimus.

Sardinia argentum, naves Hispania defert.

In summa, omnes provincias, in quibus metalla erant, vectigal hoc solvisse Romano imperio credendum est. in Insula Siphno tam fertilia fuisse auri metalla, ut inde sibi Thesaurum fecerint, unde ab Apolline jussi decimam ipsi offerre, quum postea hoc neglexissent, illa metalla evanuisse tradit Pausanias lib. X. cap. 11. Begerus in observationibus in numismata antiqua pag. V. reperisse se credit in nummo Siphniorum a Goltzio prolato, turres, vel aedificia turribus similia, in quibus vigiles custodiam operariorum agebant, & unde prospicerent cuncta, quae circum metalla gererentur: quod vix verosimile videtur. sed de quo praestat nihil dicere, quam incerta tradere.

Haec de provinciis, quae vectigal illud imperio solvebant: accuratius paullo nunc ipsa Metalla, & eorum vectigal examinanda erunt. Metalla autem dupliciter hic nobis consideranda veniunt: erant enim vel publica, vel privata; Publici juris sub republica puto pauca fuisse, & non diuturna: nam sublatis Italiae Metallis, respublica subjectis gentibus videtur exercitium Metallorum reliquisse, sibi tantum vectigali inde percepto: sic Macedonibus, Illyriis & Hispanis exercere Metalla, sub vectigali, permissum, docent antea allata auctorum loca: eversa vero republica, Principes sibi plurima Metalla vendicarunt, & fiscum eorum reditibus beaverunt, quae per damnatos in Metalla, quorum frequens mentio & in jure & passim apud historicos reperitur, exercebant. si vero quasdam fodinas privatis relinquerent, vel potestatem illas indagandi facerent, vectigal illis certum imponebant: privatos enim aliquando jus Metallorum habuisse docet locus Suet. Tiber. c. XLIX. ubi dicit, *plurimis etiam civitatibus & privatis veteres immunitates, & jus Metallorum ac vectigalia ademta*, & privatorum jus scriptorum loca, quae singulis Metallorum generibus annectemus, adserent.

Primum in Metallis locum tenent Auri & Argenti fodinae, quarum etiam, libera republica, ut cetera, vectigalia, a Censoribus locabantur. Plin. XXXIII. 4. *exstat lex Censoria Ictimulorum, qua in Vercellensi agro cavebatur, ne plus quinque M. hominum in opere publicani haberent*. Aurifodinae, utpote ex quibus maximae opes extrahebantur, plerumque in Principum patrimonium transiere, sic testatur Strabo lib. III. pag. 148. *Nunc etiam sunt argentifodinae, non quidem publicae, neque hic, neque aliis in locis, sed in privatorum possessiones demigrarunt, Aurariae vero fisci habentur ut plurimum*. Sic etiam Tiberius Sex. Marii Hispanorum ditissimi *aurarias, ob incestum cum filia publicatas sibimet seposuit*. Tacit. an. VI. c. 19. & hoc etiam colligitur ex l. 6. §. 2. ff. ad L. Jul. peculat. & l. 38. ff. de poen. & l. 1. ff. quod cujusq. univ. nom. Fuisse vero, ut argentifodinas, ita & aurifodinas privati juris, ex Amm. lib. XXXI. c. 6. discimus, *quibus*, inquit, *accessere sequendarum auri venarum periti non pauci, vectigalium perferre posse non sufficientes sarcinas graves*. ex quo loco maximum vectigal, inde Imperatori praestari solitum, colligitur; quantum vero fuerit, definiri anceps est, nec videtur aequale ex omnibus Metallis exactum, sed pro venarum fecunditate vel sterilitate definitum. Constitutione Valentiniani & Valentis l. 2. C. Just. & 3. Cod. Theod. de Metallar. quia invitantur privati ad auri exercitium, *Canon Metallicus* (ita enim hoc vectigal appellatur, l. 4. C. Theod. eod.) ab aurilegulis exsolvi dicitur, ut nimir. inferant octonos scrupulos in balluca, de quorum supputatione accuratissime ibi agit Jacob. Gothofredus. Eodem jure, quo auri & argentifodinae habebantur, fuisse etiam cretifodinas & cotorias, & si quae aliae res ex terra eruebantur, verosimile est: omnia enim sub Metallis continentur, & publici juris plerumque erant, unde redemtorum *cotoriarum* Insulae Cretae meminit l. 13. ff. de publican.

Sub Metallis etiam lapicidinae habentur: marmora enim & saxa, ut aurum & cetera Metalla, ex terra effodiuntur, hinc in Codicum titulis *de Metallariis* pleraeque leges de lapidibus loquuntur, & hoc aperte indicat l. 9. §. 3. ff. de usufr. Ubi, quum JCtus in §. praecedenti egisset de lapicidinis, subjicit, *sed si haec Metalla*: & in l. 13. §. 5. ff. eod. & l. 3. §. ult. ff. de reb. eor. inter Metalla lapicidinae referuntur: hocque & scriptoribus aliis usitatum fuisse docent Cujac. obs. XV. 21. & Salm. & Casaub. ad Spart. Pescen. Nigr. c. ult. Vectigalis ex lapicidinis modus certior definiri potest: ea enim erat decima pars emolumenti, quod ex lapicidinis domino obveniebat, l. 3. C. de metallar. qua lege conceditur privatis, ubicumque venas saxorum laboriosis effossionibus persequuntur, marmora exscindere, si in proprio solo, sub vectigali decimarum, si in alieno, coguntur, ultra fisco debitum vectigal, etiam alteras decimas domino loci praestare, a quibus nemo immunis habebatur, ne privati obnoxii essent injuriis potentium. Sed decimas sibi debitas Imperatores remittere poterant, ideoque jam vectigal Senatoribus olim remiserat Gratianus, l. 8. C. Theod. de Metallar. Potestas autem ex alieno saxa effodiendi, ob duas praecipue rationes, ab Imperatoribus concessa esse videtur: prima & antiquior ratio fuit, quod quidam sordido negotiationis genere, urbem deformabant: solebant enim plerumque, qui novas aedes excitare vellent, non nova marmora & recenter ex terra eruta coemere, sed vetustate delapsorum aedificiorum materiem vili pretio emebant, deinde aedes illas destruebant, & lapides & marmora ad novas moles erigendas transferebant, quo facto urbs plurimis ruinis & collapsarum aedium foedo spectaculo dehonestabatur: ut & colligitur ex alveo Tiberis, prolapsionibus aedium coartato, apud Suet. Aug. c. XXX. nemo enim super ruinas illas aedificabat, sed eae ita disjectae relinquebantur. Huic malo jam remedium adhibuit Claudius Imperator, quo imperante, Cn. Hosidio Geta & L. Vagellio Coss. Senatusconsultum factum fuit, quo cruentissimum hoc negotiationis genus severe prohibet, statuens ut, qui emisset materiem delapsarum aedium, ut inde novas exstrueret, *duplam pecuniam, qua mercatus eam rem esset, in aerarium inferret, & ipsae venditiones irritae essent*. Exhibet hoc Senatusc. integrum Reines. VIII. Inscript. 11. & de eo egit in Epistola ad Ruper. XXXVI. p. 292. & nuper ex Donianis scriniis hic & illic aliquanto emendatius produxit vir doctissimus Ant. Franc. Gorius pag. 84. & hinc etiam aedes destruendas neque legari neque per fideicommissum relinqui posse Senatus censuit. l. CXIV. §. 9. de Leg. I. quod de Senatus-

consulto eodem, quod occurrit in l. 41. §. 1. ff. de legat. 1. capi debere videtur, de quo mox agam: & quod Trajani temporibus male adscribit D. Gothofredus. Et postea hujus rei curam gessit Vespasianus l. 2. C. de Ædif. privat. *Negotiandi caussa ædificia demoliri, & marmora detrahere edicto Divi Vespasiani, & Senatusconsulto cautum est*, ex qua lege viri docti, & in primis Cuj. v. obs. 26. putant, sub Adriano factum fuisse hoc senatusconsultum Aviola & Pansa Consulibus, cujus & mentio est in l. 52. ff. de contr. empt. & l. 41. §. 1. ff. de legat. 1. quo Edictum, non Vespasiani, sed Adriani ipsius, confirmatum sit: itaque Vespasiano totum hoc SCtum & Edictum ablatum Adriano tribuit Cujacius, & errorem in nomine esse contendit; quod tamen vix est ut admittamus; nam certe Imperatoria Majestate indignum eo tempore censuissent Imperatores, si edicta sua SCtis confirmari juberent, quia eo majorem Senatui auctoritatem præberent, quam sibi, quum legis valor a confirmatione pendeat, & Edictum Imperatoris inane & infirmum esset, si omne robur a Senatusconsulto ei accederet: contrario plane modo rem se habuisse credimus, Senatusconsultis nullam vim fuisse, nisi placitum Principis accessisset: nam ita fere Imperatorum mos fuit, postquam omnem potestatem, quæ olim penes populum erat, in se receperant, ut, si quid novi juris promulgare vellent, prius domi suæ ad consilium sanctius (cujus auctor fuit callidissimus tegendi arcana imperii artifex, Augustus, teste Suetonio cap. XXXV.) referrent, deinde orationem in senatu vel ipsi, vel quæstores, eorum vice, haberent, qua Patribus aperiebant, quid statuere vellent, & simul, quid ii censerent, consulebant. De ipsis orationibus nihil dicam, quum ubique in jure earum mentio occurrat. Sed insigne ejus consuetudinis exemplum præbent nobis leges 22. & 40. ff. de petit. Hered. ubi nobis Hadriani Orationis verba exhibentur, quam subsecutum est senatusconsultum, quod leg. 20. §. 6. eod. legitur, ubi crux fixa est Fastorum editoribus, quum ibi quatuor Consules, duo ordinarii, Q. Julius Balbus & P. Juventius Celsus, duo suffecti, Titius Aufidius & Arrius (ita enim legunt viri dicti, non *Oenus*) Severianus Consules verba fecisse in Senatu de Oratione Hadriani leguntur; cujus moris nullum umquam vestigium exstare puto. Vir Cl. Wesselingius lib. II. observ. 21. vero existimat, duos modo consules memorari, quorum unus P. Juventius Celsus fuerit ordinarius, & toto anno consulatu functus, sed alteri Q. Julio Balbo fuisse suffectum Neratium Marcellum, qui ideo ordinario junctus ad senatum retulit. & ordinarium illum habuisse plura nomina ut diceretur, *P. Juventius Celsus Titius Aufidius Oenus Severianus*. quam conjecturam probabilem faciunt diversa fastorum & inscriptionum loca, & l. 3. C. de serv. Reip. manum. ubi *Marcell. & Celso II. Cons.* leguntur: certe si firmari posset alio exemplo, quo consules in Pandectis, aut Fastis, tot nominibus appellarentur; facilius consensum impetraret, sed quidquid sit, probabilior mihi videtur sententia Tristani, qui tom. 1. commen. p. 539. nobis tres consules hic exhibet, *P. Juventium Celsum*, *Q. Julium Balbum*, & tertium dictum fuisse quatuor nominibus, *T. Aufidium Oenum Severianum*. & quem etiam pro Oeno dictum credit *Honorium*, quia ejus filius Aufidius Severianus, qui memoratur in l. 4. ff. de off. proconf. filium habuit, *Honorium* dictum ab Apulejo. sed hæc omnia majori luce adhuc illustranda relinquo, laudans interim conatus doctorum virorum, qui tenebras has antiquitatis dispellere conantur. duo paria consulum prius suffectorum, deinde Ordinariorum leguntur in lapide apud

A Gruter. DCVII. 1. ANTIO POLLIONE ET OPIMIANO KOS. ORDINARIS SEVERO ET SABINIANO COS. sed in senatu quatuor aut tres verba fecisse nondum reperi. Ceterum ut ad rem redeam, servatam in hoc more senatum consulendi speciem antiquæ reip. constat: immo fuisse aliquando imperatores qui agnoscerent, certe verbis, auctoritatem talem senatus, ut nullæ leges ederentur, nisi SCtis confirmatæ, ut de Probo narrat Vopiscus c. XIII. *Permisit patribus, ut ex magnorum judicum appellationibus ipsis cognoscerent, Proconsules crearent, legatos consulibus darent, jus prætorium præsidibus darent, leges, quas Probus ederet, Senatusconsultis propriis consecrarent*. ubi recte Casaubonus notat, illum voluisse, ut quidquid edicto Principis sancitum fuisset, patrum decreto confirmaretur. Contra qui adductius regnabant, sæpe sine decreto senatus per se multa agebant, ut ita recte exponuntur verba Spart. in Sept. Sev. c. XIV. *Patri, matri, avo & uxori priori, per se statuas collocavit*, id est, sine senatus, cui illa potestas statuas decernendi erat semper relicta, decreto & auctoritate posuit. vide Comment. ad Marmor. Oxon. p. 48. sed hæc rara & extra ordinem: plerumque vero hic ordo servatus, ut ad orationem Principis fieret senatusconsultum, ut infinitis exemplis probari posset, sed jam quædam produxit Juvenis doctissimus & longiori vita dignus Brummerus ad legem Cinciam cap. VI. §. 4. Oratione Principis audita Patres sententias tulisse, & Senatusconsultum de ea re, quam Princeps proposuerat, factum, clare apparet ex l. 16. ff. de jure nupt. Hinc in jure sæpe una & eadem res Orationi Principis & Senatusconsulto adscribitur; sic in pr. J. de Senatusconsulto Orficiano, dicuntur Senatusconsulto admitti liberi ad bona matrum, quod in l. 9. ff. ad Senatusconf. Tertul. & Orphit. adscribitur Orationi Divi Marci: deinde factum SCtum ad Imperatorem perferebatur, qui si illud approbabat, exire & legis vim habere jubebat, ita ut omne robur, non a Senatu, sed a Principe accederet: plerumque vero hoc Edicto fiebat, & ita capiendum est, quod Suetonius narrat in Tito cap. VI. Illum nomine patris, *edicta scripsisse, & orationes in Senatu recitasse quæstoris vice*, ubi tamen intelligendum est orationes prius habitas, aut recitatas, & ex Scto deinde edicta scripsisse Titum: unde & fere sub Imperatoribus constitutiones Principum edictis fuisse propositas vulgo, patet ex illis, quæ habeat Brisson. de Form. lib. III. pag. 319. licet sæpius senatus decretis alii adscribere perseverarint. Vestigia hujus moris multa supersunt. Sic in l. 1. ff. in quib. cauf. pig. vel hyp. Senatusconsulto aliquid factum esse dicitur, quod in l. 24. §. 1. ff. de reb. auctor. jud. poss. Edicto Marci tribuitur, quo SCtum confirmavit, quem ordinem male invertit Cujacius. Et in lib. 3. C. de his qui sibi adscr. in testam. Senatusconsulto & Edicto Divi Claudii prohibitum est, eos, qui ad scribenda testamenta adhibentur, aliquod emolumentum ipsis futurum scribere. Deinde aperte hoc indicat Tacitus XIII. ann. 51. ubi Nero, quum consultasset Patres de abrogandis vectigalibus, & postquam Senatores libere, quæ sentirent, dicendo ejus impetum attinuissent, a Tacito narratur *Edixisse* illud, quod Patres decreverant; Quin & hoc ipsum Senatusf. Claudianum de negotiatione lapidum dirutarum ædium, credibile est per Edictum populo propositum: Claudius enim, quum Censuram gereret, in primis in eo veteres Censores æmulabatur, ut Ædificiorum curam gereret, quod tam anxie & sollicite præstitit, ut uno die in Censura *viginti edicta proposuerit*, inter quæ, quin illud, de non

diruendis ædibus & transferendis lapidibus, fuerit, non dubitandum est. Denique ut res manifestissima fiat, ita constituerunt Theodosius & Valentinianus Imperatores, ut non aliter lex valeat, nisi in Senatu tractatum de ea sit, & postea in consistorio Principis recitata; Serenitatis auctoritate confirmetur, ut ad Senatum rescripsere l. 8. C. de legib. quod ipsum innuit Symmach. lib. X. epist. 21. *Superest, ut ea, quæ Serenitas vestra Patribus deliberanda legavit, cognito Senatusconsulto lex Augusta confirmet.* & paulo post. *Hæc Æternitas vestra venerabilis quum Senatui statuenda mandaret, referri ad se protinus imperavit, ut placita cunctis immortali lege solidentur:* recte ergo de iisdem rebus & Senatusconsulto & Edicto caveri potuit, & in dict. leg. 2. Cod. de ædif. privat. non necesse est, ut Vespasiani nomen deleatur, quum nihil absurdi, nec a more solito alieni sit, quod diversi Principes, de eadem re, idem jus statuisse dicantur, quum obliterata & intermissa observantia leges caducas sæpe revocaverint. Sic celeberrimum illud SCtum Claudianum, quod memorat Tacitus XII. Ann. 53. ab aliis Vespasiano adscribitur, qui a Suetonio cap. XI. dicitur, *auctor fuisse senatui decernendi, ut quæ se alieno servo junxisset, Ancilla haberetur.* ubi Torrentius recte renovatum a Vespasiano fuisse censet, ut & ad Taciti d. l. Ryckius: exempla vero ad manum sunt innumera; & hinc diversis imperatoribus sæpe constitutiones de eadem re tribui videbimus infra, ubi de vicesima hæreditatium, & constitutione Antonini agemus. Certe post Claudium, alios imperatores negotiationem hanc fœdam coercuisse edictis & legibus manifestum est, & de Vespasiano dubitationem omnem eximit Suetonius cap. VIII. qui, quia *deformis urbs veteribus incendiis ac ruinis erat, vacuas areas occupare & ædificare, si possessores cessarent, cuicumque permisit,* & quæ seq. Unde efficitur magnam illum curam urbi ornandæ & instaurandæ adhibuisse. Deinde negotiationem hanc inhibuisse & de lapicidinis edixisse Adrianum & tandem Al. Severum, docet, d. leg. 2. Cod. de ædif. priv. Gratianus etiam in l. 19. Cod. Theod. de operibus public. (quæ cum d. l. 8. Metallar. conjungenda quum sit, clare docet, hanc fuisse rationem concedendi licentiam marmora exscindendi) & postea Arcadius & Honorius in leg. 37. Cod. Theod. de oper. publ. huic rei caverunt, & tandem Theodoricus apud Cassiodor. 2. var. 7. & 3. 9. dat *licentiam, ædificandi de lapsorum ædificiorum marmoribus, si vera fide constet sine usu jacere columnas, & lapides vetustatis invidia demolitos,* quo casu *licet ex iis novas domos exstruere;* aliter non vult, *ornatum urbis, cujusquam temeraria præscriptione violari.*

Altera ratio, qua permoti Imperatores posteriores privatis, ubicumque invenerint, saxa exscindendi facultatem dederunt, erat, ut Urbs Constantinopolis superbis ædificiis instauraretur, quibus antiquæ Romæ moles & machinas æmularetur: quum autem quorumdam cupiditate & avaritia ad immensum pretium marmora excrevissent, nec hominibus mediocribus ea comparandi facultas esset, Constantinus, Julianus & ceteri Imperatores, ut sumptuosa voluptas relaxaretur, permiserunt omnibus, qui vellent, saxa cædere l. 1. & 2. C. Theod. de Metall. Augebat etiam pretium lapidum, horum temporum in ædificando studium & luxus, quo & Imperatores, & ad eorum exemplum privati diffluebant, ita ut ipsi milites, pro tentoriis & ex pellibus confectis tabernaculis, jam marmoreis in ædibus delitescerent, teste Ammian. Marcell. lib. XXI. c. 24. & præcipue hunc ardorem ædificandi incendebat Theodosius, qui ornandæ

A novæ Romæ omnem curam adhibuit, ut testantur l. 10. & 11. C. Theod. de Metallar.

Proximum Metallorum vectigal est illud, quod ex Salinis redigitur: nam plerumque Salinæ cum argenti & aurifodinis & reliquis Metallis conjunguntur l. 1. ff. quod cujusque univ. & l. 17. §. 1. de V. S. & Solin. c. V. vocat *Salinarum Metalla*. Vectigal salis ex *Salinis*, in quibus sal conficiebatur; Salinas autem primus apud Romanos instituit Ancus Marcius, testibus Plin. XXXI. c. 7. & Liv. 1. c. 33. quæ fuere circa Hostiam. Aliæ fuere in ipsa etiam Urbe Roma; postea plures Salinæ, adjectis provinciis, fuere, ut ex Plinii d. l. enumerantis
B varia salis genera per provincias Populi Romani, confici potest. quæ, ut de Metallis supra diximus, dupliciter considerandæ sunt: fuere enim vel publici vel privati juris. Publici erant illæ, quæ ad reipublicæ, & postea ad Imperatorum patrimonium spectabant, ut illæ Anci Marcii & plures. Hinc vectigalis & Mancipum Salinarum, qui Imperatorum salinas exercerent, sæpe mentio fit. ut in l. 59. §. 1. ff. de hered. inst. l. 17. §. 1. de V. S. l. 11. C. de Vectigal in has salinas damnati aliquando detrudebantur, eodem modo ut in Metalla; ordinaria vero hæc erat noxiarum feminarum pœna leg. 6. ff. de
C captiv. & post l. 8. ff. de pœn. Privatarum etiam Salinarum mentio fit in l. 4. §. 1. ff. de reb. eor. qui sub tut. & l. 22. §. 3. de usu. & usufr. leg.

Primum vectigal salis impositum est Romanis a Censoribus M. Livio & C. Claudio, qui teste Liv. lib. XXIX. c. 37. *Novum vectigal ex salaria annona statuerunt,* unde & Livio, cujus id commentum credebatur, *Salinatori inditum cognomen:* nam non audiendus est Bulenger. de Vect. P. R. c. 16. qui vult Salinatorem non introduxisse, sed abolitum restituisse hoc vectigal: clare enim *novum*, id est, ante id tempus incognitum & inauditum appellat illud Livius. & recte Ampl. Cuperus in monumen-
D tis Antiquis p. 230. refutat eos, qui credunt Ancum Marcium instituisse vectigal, quod abolitum expulsis Regibus restituisset Livius. de quo nihil apud Plin. occurrit: & aliud est *salinas* instituere, aliud *vectigal* salis imponere civibus. Quantum vero hoc vectigal fuerit, nusquam, quod equidem sciam, indicatur. Sub Imperatoribus eamdem hujus vectigalis summam, quæ metalllorum erat, nim. decimam, fuisse vult Pancir. III. var. lect. 31. quod an verum sit, nostrum non est definire.

Lege Cæcilia hoc vectigal cum reliquis sublatum esse vult Bulenger. d. leg. quod an ex loco Ciceronis II. ad Att. ep. 16. erui possit, dubito, quum
E ibi de vectigalibus sublatis, quæ pro portoriis in Italia solvebantur, tantum sermo sit, non de illis, quæ ex Salinis solvebantur, & Cic. in orat. de Leg. Manil. 7. manifeste Salinarum meminerit, & earum vectigalis: dicit enim, *Publicanos maximas familias in Salinis habuisse:* ad quem locum doctissimus Hottomannus contrarium sentire videtur, quum scribit, hoc vectigal tantum in Italia fuisse exactum, non vero in provinciis, ideoque pro *Salinis* in loco Ciceronis legit *salictis*; & de publicanis scripturæ accipit; quod licet ibi menti Ciceronis convenire posset, male tamen a Viro
F docto negatur ex provinciis hoc vectigal fuisse exactum: quum clara & manifesta sint apud plurimos auctores testimonia, de Salinis in provinciis Romanæ ditionis. v. Plin. lib. XXXI. c. 7. & in Gallia apud Menapios fuisse salinas docet Lapis apud Gruter. MXCVI. 4. ubi *Salinatores Civitatis Menapiorum* memorantur. de quibus vide Ampl. Cuper. Monum. Antiq. pag. 230. Sic in Macedonia salem provenisse, patet ex decreto Senatus, quo Macedonibus *vetabatur uti sale invecto*; Liv. XLV. c. 29. nimirum ne vectigal ex salinis deminueretur. Agrigentini sa-

lis meminit Solin. cap. v. Neque verosimile est, Romanos, quum Syriam subegissent, vectigal salis, quod ante a Regibus ibi exercebatur, neglexisse. De vectigali salis, quod Judæi solvebant Syriæ Regi, insignis locus est 1. Machab. cap. 10. v. 29. ubi dicitur Demetrius hoc Judæis remisisse. Sub Imperatoribus minus dubitationis superest: nam quum Cappadocia in provinciæ formam esset redacta, credibile est, ex ea provincia, quæ salis erat abundans. Plin. d. l. maxime ærarium eorum, salis vectigal locupletasse, & aperte ex l. 4. §. 7. ff. de censib. colligitur, ibi agi de salinis in provinciis, quum toto illo titulo de jure Italico, sive immunitate civitatum & coloniarum extra Italiam, leges loquantur.

Vendere olim sal licuit privatis ante tempora libertatis, sed quum eorum avaritia, impenso pretio veniret, exactis Regibus, *vendendi salis arbitrium, in publicum omni sumptu, ademptum privatis*, Liv. II. 9. qui locus maxime exercuit interpretes, sed feliciter integritati visus est restituisse Gronovius, qui *in publicum omne sumtum* rescribit. Heinsius malebat, in *publicum omni insumto*, ut notaverat ad illa Taciti VI. Ann. 32. *instituta Parthorum insumit*, ut quidam codices, pro quo alii *resumit*. sed quid est *insumere omne sal vel arbitrium in publicum*? locus nondum sanatus mihi videtur; neque stante republica iterum vendendi facultas cum privatis communicata esse videtur: quum vero sæpius & in jure & apud auctores mentio fiat Salinarum privatarum, viri docti putant, vendendi quidem facultatem, non vero fabricandi salinas privatis esse ablatam; & debuisse sal, quod in salinis privatis conficiebatur, vendi fisco, vel mancipibus salinarum publicarum; idque ab Arcadio & Honorio constitutum legimus leg. 11. C. de Vectigal. cui potest adjungi lex 3. C. Theod. de Metallar. ubi Fisco datur jus προτοπραξίας auri, quod in privatorum fodinis reperitur. Non tamen puto omnino vendendi salis copiam privatis ademtam: nam in l. 32. §. 3. ff. de usu. & usufr. leg. JCtus loquitur de salinarum usufructu legato, quæ privatorum necessario erant, & in quibus non minimus modus salis venalis erat.

Ut vero omnes species, frumentum, vinum, oleum &c. magistratibus & officialibus in salarium esse datas diximus, sic præcipue sal illis subministrabatur; a sale enim *Salarium* dictum est, unde in *Gloss. Salarium* ἁλατικόν: nam argute magis, quam vere Cujac. ad leg. unic. Cod. de præbend. salar. lib. 10. *salarium* dictum, quod *inde se alant*, conjicit. Antiquis reipublicæ temporibus Magistratibus in provincias vel legationis caussa peregre abeuntibus, solebant sumptus itineris decerni, ne sociis vel provincialibus molesti esse cogerentur, mulis, tabernaculis, vehiculis, & reliquo ad iter necessario instrumento ornabantur, quod *ornare provincias* vocabant, more a majoribus instituto, ut Liv. XXX. 17. XLII. 1. & de quo videndi comment. ad Sueton. Cæsar. XVIII. & Scheff. de re vehic. II. 2. & Gruch. de Comit. III. 2. & alii multi. Hanc præstationem locabant publice redemtoribus, qui hæc omnia Magistratibus præberent, qui dicebantur πάροχοι a παρέχειν *præbere*; hinc in *Gloss. salarium* vertitur παροχή. Inter hæc erat etiam præstatio salis, ut ex Horat. I. Sat. V. vers. 45. apparet

Proxima Campano ponti quæ villula tectum
Præbuit, & Parochi, qui debent ligna salemque

Ad quem locum erudita multa commentatus est *Torrentius*. vid. & Harduin. in nummis in Θεσσά-

A λων pag. 204. Postea lege Julia præscriptus est modus Magistratibus, quidnam a Provincialibus exigerent, & deinde ab Augusto pecunia, loco omnium harum rerum, constituta est. Suet. c. XXXVI. ubi vide commentatores. & Alexander Severus, *Judices quum promoveret exemplo veterum, ut & Cicero docet, & argento & necessariis instruebat, ita ut Præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos, & si uxores non haberent, singulas concubinas, quod sine his esse non possent*, Lamprid. c. 42. B ubi plura de his Casaub. & Salmas.

CAP. VII.

De jure constituendi & indicendi Vectigalia.

Celebribus his vectigalibus, quæ ex agris, pascuis, portubus & metallis redigebantur, alia, quæ, vel stante etiam republica, illis addita, vel sub Imperio, illis deminutis, auctis vel abolitis, subrogata sunt, adnectenda forent. Sed quum quatuor hæc vectigalium genera eodem modo a Romanis exercita sint, commodum visum C fuit, disputationem de institutione & locatione vectigalium subjicere, & postea singulis vectigalibus diversam ab his exercendi rationem subnectere.

Prima ætate Romæ jus & facultas Vectigalia instituendi penes Reges fuit, *omnia enim manu Regis agebantur* l. 11. §. 1. ff. de Orig. jur. instituisse autem vectigalia Reges, supra, quum de portoriis ageremus, ostendimus; quibus addi potest locus Livii, I. cap. 42. ex quo apparet Servium, quum censum instituisset, populumque in classes & centurias descripsisset, etiam curasse, *ut belli & pacis munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniæ fierent*, quam vel ex vectigali, vel ex D tributo collegit.

Mutata deinde reipublicæ forma, & ejectis Regibus, quæ ante illis potestas competebat, inter Senatum, Magistratus & Populum divisa fuit, ut unaquæque pars sibi commissam curam in bonum & utile reipublicæ exerceret. Penes quos vero fuerit potestas Vectigalia nova instituendi, an ea Senatui inconsulto Populo? an Magistratibus quibusdam, competierit? an vero Senatusconsulto Populi jussus accedere debuerit, anceps & difficile est definire, quum multa Auctorum loca diverso modo vectigalium institutiones referant. Ma- E nut. de Senat. Rom. cap. X. scribit: *Vectigal etiam victis gentibus, non sine Populo, Senatus imponebat*: cujus tamen sententiæ accedere non possum, quum argumenta, quibus opinionem suam firmare conatur, debiliora esse videantur; quare Senatui potius hanc facultatem competiisse existimo. Nam primo aperte Manutium refutat, quod de Macedonia subacta refert Livius lib. XLV. cap. 18. ubi de ordinanda Macedonia, & vectigali ex ea cogendo, nihil ad Populum relatum legitur, solus Senatus, ut fere semper moris erat, decem legatos in Macedoniam mittit, qui ex Senatus sententia omnia perficerent; & deinde cap. 29. Paul- F lus Macedonibus recitavit quæ *Senatui & sibi ex consilii sententia visa erant*. nihil de populi jussu loquens. Similia in Illyrico & ceteris provinciis observata fuere. De Ambracensibus etiam Senatusconsultum factum est, quod refert Liv. XXXVIII. cap. 44. vide Sigonium de Jure Provinc. lib. I. cap. I. & pluribus libri istius locis. Populi partes erant tantum bellum vel fœdus jubere vel vetare, sed provincias & ærarium curare ad Senatum pertinebat. Accedit gravissimi auctoris Polybii

teſtimonium, qui lib. VI. 11. deſcribens formam reipublicæ Romanæ, & trium ordinum munera diſtinguens, expreſſe de Senatu affirmat, *κὴ μὴν ἡ σύγκλητος πρῶτον μὲν ἔχει τὴν τῦ ταμιείυ κυρίαν. καὶ γὰρ τ̃ εἰσόδυ πάσης ἄυτη κρατεῖ, καὶ τ̃ ἐζόδυ παραπλησίως. Et primo quidem Senatus habet curam ærarii: nam & introituum, & expenſarum plenum penes eum eſt arbitrium*; & poſtquam plura ibi Senatus munera & jura enumeraſſet, addit *Populi nullas in his eſſe partes*; & paulo poſt iterum agens de vectigalibus, addit *ἔχει δὲ περὶ πάντων τ̃ προειρημένων τὴν τὸ συνέδριον. habet vero prædictorum omnium poteſtatem Senatus*; quibus nihil hac in re clarius eſſe poteſt. Inde quoque confirmari noſtra ſententia videtur, quod verſo jam reipublicæ ſtatu, & ad Imperatores delata rei ſumma, Senatui ſpecies hujus poteſtatis in ludibrium relicta ſit. Sic de Tiberio ſcribit Sueton. c. XXX. *eum retuliſſe ad Senatores de Vectigalibus ac monopoliis, exſtruendis & reficiendis operibus &c.* & Tacit. XIII. an. 49. dicit aperte, etiam ſub Nerone, *licere Patribus, de bello aut pace, de Vectigalibus & legibus, ſuadere & diſſuadere.* Imo ipſi loci a Manutio adducti contrarium docere poſſent. Ac primo Cicero in III. Verr. 7. ubi poſtquam Verrem ſua ſponte, injuſſu populi, ſine Senatus auctoritate jura provinciæ Siciliæ mutaſſe reprehendiſſet, addit, *L. Octavio & C. Cotta Conſulibus Senatus permiſit, ut vini & olei decimas, &c. Romæ venderent; legemque his rebus, quæ ipſis videretur, edicerent*: nihil ejus ſententiam juvat, quum ibi tantum agatur de venditione vectigalium Siciliæ, quæ ex privilegio debebant in ipſa Sicilia vendi: ſed hic juſſerat Senatus Romæ vendere Conſules, quo, quum jura provinciæ Siciliæ, quæ ipſis fœdere a Romanis eſſent conſtituta, mutarentur, neceſſaria erat auctoritas Senatus, & juſſus Populi, ut illi, qui fœderi ſanciendo adfuiſſent, iidem in lege Hieronica vindicanda, perſeverarent. Alterum ejus argumentum eſt, a frumento, quod Prætores in cellam ſuam ſumebant, *quod ex SCto & legibus eis licitum eſſe* dicitur, & deinde de lege Terentia & Caſſia quædam adjungit, qua frumentum Populo Romano vendere cogebantur civitates; in quibus tamen nihil ſubſidii eſt, quum illæ leges non de vectigalibus, ſed de poteſtate Magiſtratuum, qui in provincias mittebantur, & de modo frumenti emendi, latæ eſſe videantur: nam de lege Terentia & Caſſia, ita Cic. in V. Verr. 21. *Denique quum ex Senatuſconſulto, itemque ex lege Terentia & Caſſia frumentum æquabiliter emi ab omnibus Siciliæ civitatibus oporteret, id quoque munus leve atque commune Mamertinis remiſiſti.* ex quibus & ex III. Verr. cap. 70. manifeſtum eſt, non lege Terentia & Caſſia cautum fuiſſe de frumenti vectigali exigendo, ſed ut Magiſtratus, qui in Siciliam mittendi eſſent, inſtitutum jam diu hoc empti frumenti onus, æquabiliter omnibus civitatibus deſcriberent, neque uni gratiam faciendo aliam premerent; & ſic Verres Mamertinis hoc munus contra legem Terentiam & Caſſiam remiſerat: nam etiam frumentum emptum a Senatu Imperatum eſſe provinciis, ex Liv. lib. XXXVII. c. 2. & 50. & ceteris locis, quæ ſupra adduximus, manifeſtum eſt. Eodem modo res ſe habet in frumento, quod in cellam ſuam Prætor ſumebat, *ex SCto & lege*: nam ſi Manutius meminiſſet modo eorum, quæ paullo ante, eadem fere pagina, docuiſſet, aliter puto cenſuiſſet. Magiſtratibus enim provinciæ ex SCto dabantur, imperium vero, & hinc ſumtus accipiebant Comitiis Curiatis, quæ modo imago & ſpecies veterum comitiorum erant. Unde toties *SCti & legis* mentio fit. vid. Cicer. II. ad Fa- A mil. 7. & XV. 7. immo ipſe Manutius ad Cicer. I. ad fam. 7. & ſtipendium, & legatorum numerum, & ſupplicationes Senatum decreviſſe ſine Populi ſuffragio ſcribit: ſumtus vero ſine lege decreti nemini dabantur. At in republica per bella civilia & ambitionem procerum depravata, ſæpe in his variatum, etiam contra leges, veroſimile eſt: quod pluribus exemplis & auctorum locis ibidem adſtruit Manutius: ſic ergo recte Prætor dici poteſt frumentum in cellam ſumſiſſe ex lege, qua ipſi imperium & ſumtus decreti erant. Alter etiam eſt B Ciceronis locus, noſtram opinionem juvans, quem paullo ante adduxerat idem Manutius, ut probaret, quemadmodum lex lege abrogari potuerit, ſic SCtum SCto tolli potuiſſe; eo loco dicitur, ex Senatuſconſulto civitates quaſdam a vectigali, in gratiam Syllæ, liberatas, poſtea iiſdem ex Senatuſconſulto, vetus vectigal iterum impoſitum eſſe. Cic. III. 22. de offic. unde abunde in inſtituendo & abolendo vectigali Senatus auctoritas adſtruitur.

Magiſtratus vero non habebat jus vectigalia inſtituendi, ſed exercendi, & locandi & adminiſtrandi arbitrium penes *Cenſores* erat: nam quamvis C quidam auctorum loci etiam conſtituendi Cenſoribus facultatem adſcribere videantur, rectius id illorum auctoritate & ſuaſionibus a Senatu eſſe factum dici poteſt: ſic Liv. IV. c. 8. de origine Cenſuræ diſſerens, dicit, *ſub ditione ejus Magiſtratus publicorum jus privatorumque locorum, & vectigalia Populi Romani ſub nutu atque arbitrio eſſe.* & eodem modo lib. XL. c. 51. dicuntur Cenſores M. Æmilius & M. Fulvius *portoria & multa vectigalia inſtituiſſe.* Et Livius Salinator lib. XXIX. 37. *novum vectigal ex ſalaria annona ſtatuiſſe*, quæ omnia tantum, illis inventoribus & ſuaſoribus, inſtituta fuiſſe credenda ſunt. Neque etiam Magiſtratibus, qui in provincias mittebantur, ve- D ctigalia nova inſtituere licuit. Sic objectum eſt M. Fontejo, eum *portoria vini* in Gallia inſtituiſſe, quod crimen & crimen ipſo genere magnum, Cicero *pro Fontejo* cap. V. dicit, ſed hoc falſum eſſe & injuria Fontejo objici, oſtenderat in ea parte orationis, quæ periit. Piſoni etiam objicit Cicero cap. XXXVI. *eum Vectigalem Provinciam, ſingulis rebus, quæ venirent, certo portorio impoſito, feciſſe.* Poſtea quum res Romana in arbitrium Cæſarum veniſſet (licet in multis rebus magna etiam eſſet Senatus auctoritas, certe ejus nomine multa agerentur, ut docuit Ill. Spanh. diſſert. II. E de uſu & præſt. Num. §. 3. pag. 139. & ſeq.) Senatui & Magiſtratibus omnis facultas ademta fuit, vectigalia inſtituendi vel exercendi per quos vellent, neque cuiquam, niſi Imperatori, vel cui ille mandaverat, uſurpata. ita JCtus in l. 10. ff. de publ. *Vectigalia ſine Imperat. præcepto, neque Curatori, neque Curiæ conſtituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere, vel deminuere licet.* idque multis legibus Imperatores vetuerunt, quarum quædam in Codicem, ſub titulo, *Vectigalia nova inſtitui non poſſe*, relatæ ſunt, & graviſſimæ pœnæ conſtitutæ ſunt contra eos, qui nova vectigalia inſtituunt: ſic eos lege Julia de vi publica, & F lege Julia de ambitu teneri a JCtis ſcriptum eſt in l. ult. ff. de leg. Jul. de vi publ. & l. unic. §. 3. ff. de amb.

Pauca etiam ſubjicienda ſunt de Civitatum & Municipiorum jure circa Vectigalia. Antea jam oſtendimus, pleriſque civitatibus, fuiſſe agros, paſcua & metalla, ex quibus vectigal caperent, quibus onera ſuſtinerent; ſed jus ipſum vectigalis novi alicujus inſtituendi non habuerunt, ſed illud a Senatu vel poſtea ab Imperatoribus obtinere debuerunt. Sic in l. ult. §. 15. ff. de muner. & honor.

dicuntur *quædam civitates habere prærogativam, ut hi, qui in territorio earum possident, certum quid frumenti, pro mensura agri, per singulos annos, præbeant*. & in l. 27. §. 5. ff. de usufr. dicuntur *possessores solere viliori pretio frumentum municipio addicere*, quod est species frumenti empti. Plura exempla sunt hujus munificentiæ, qua Imperatores civitatibus hoc jus largiti sunt. vid. Suet. Aug. XLV. & Noris differt. I. cap. 3. ad Cenotaph. Pisan. & III. cap. 8. ubi decuriones simul nihil alicujus momenti in publicis rebus potuisse constituere, nisi prius ad Imperatores retulissent, docet. Insigne est monumentum, quod refert Gruter. p. CLXIV. I. ubi Vespasianus Decurionibus Saborensibus ita rescribit.

Vectigalia, quæ a Divo Augusto accepisse dicitis, custodito, si qua nova adjicere vultis, de his Procos. Provinciæ adire debetis, ego enim, responso prius ab eo non accepto, nihil constituere possum.

Simile ab Imperatoribus Severo & Antonino rescribitur in l. 1. 2. & 3. C. vectigal. nov. inst. non pos. & ab Arcadio & Honorio leg. 10. de vectigal. Eodem modo Alexander Severus, *Vectigala civitatibus ad proprias fabricas deputavit*, teste Lamprid. c. 21. & infinita hujus consuetudinis exempla coacervari possent. *Vectigalis municipii Vejentis* meminit lapis apud Fabrett. pag. 170. & *Sinuessanorum Formianorumque publica vectigalia* memorat Sueton. in Vitell. cap. VII. & municipia, in Italia sita, vectigalia etiam alibi extra eorum fines habuisse, exemplo Arpini & Atellæ docuit Casaub. ad Suet. Aug. XLVI. vid. & Comm. ad Vellej. Paterc. II. 81. Contra vero, si male meritæ essent civitates, rursus vectigalia illis adimebantur. Sic Tiberius, prodente Suet. XLIX. *Pluribus civitatibus & privatis veteres immunitates, & jus Metallorum, ac Vectigalia ademit*. Regibus etiam jus vectigalia exercendi ablatum, & non, nisi permissu Cæsarum, illud exercitum. Sic Caligula, *si quibus regna restituit, adjecit & fructum omnium vectigalium, & reditus medii temporis*. Sueton. Cal. XVI. Eodem jure, quo Municipia, postea illa Urbs, Gentium & orbis domina, Roma ab Imperatoribus habita fuit: nam imminuta Senatus auctoritate, sublato Ærarii & Fisci discrimine, omnia vectigalia in Principis usus & rationes sunt relata. Romæ, ut oppido alicui minori, quædam minuta vectigalia ad opera publica & ceteras necessitates relicta, & deputata. Sic vectigal, quod ex aquæductibus pendebatur, Populo Romano ademit Domitianus, quod postea Divus Nerva ei restituit, teste Frontino de aquæduct. lib. X. lib. II. Sect. 118. ubi vid. Polen. *Et* Aurelianus *Vectigal, ex Ægypto, vitri, chartæ, lini, stupæ atque anabolicas species Romæ urbi constituisse*, narratur a Vopisc. in Aurel. c. LXV. ubi videndus Salmasius, qui *Anabolicas* species, de omnibus, quæ imponuntur navibus, capit & easdem esse, quas alii ἐμβολικὰς vocare malunt, quia ἀναβάλλεσθαι & ἐμβάλλεσθαι idem sæpe notare, credit. sed hoc nondum demonstrasse videtur Kuhnio ad Ælian. I. 22. qui de vestibus capit, quod miror non firmasse Æliani loco ex lib. VII. 9. ubi Ἀναβολὴ pro veste ponitur, & ubi multis de ea agit Cl. Perizonius, & ante eum Nic. Loensis IV. Epiph. 27. qui etiam vestiarias species quæ ex Ægypto, Arabia, Æthiopia, Perside & India per mare rubrum advehebantur, interpretatur. Quin & Ærarium deinde ipsum ablatum Romæ, &, ut ceteris oppidis, arca aliqua assignata, quam omnibus municipiis, imo & privatis societatibus, habere permittitur l. 1. ff. quod cujus univ. nom. hinc idem Aurelianus apud Vopisc. c. XX. scribit Senatui, *est præterea vestræ auctoritatis arca publica, quam magis refertam esse reperio, quam cupio*. ubi forte *minus* legendum. Quamvis etiam *arca fisci*, ex qua ludos edebant Arcarii, memoratur ex Lampridio in Alex. Sever. cap. XLIII. Ut Civitatibus, sic etiam Vestalibus virginibus Vectigalia quædam data sunt; præcipue agri vectigales, unde ab *Hygin*. & aliis rerum agrariarum auctoribus, *Virginum Vestalium agri Vectigales memorantur*. Hæc beneficia liberalitate Principum postea aucta fuere: de Augusto prodit Sueton. cap. XXXI. eum *commoda sacerdotum, sed præcipue Vestalium auxisse*; quo respexit Ovid. VI. fast. 455.

Nunc bene lucetis sacræ sub Cæsare flammæ.

Templa etiam Romanorum opimis reditibus & vectigalibus erant instructa, quibus sacrificia & sacerdotes tuebantur; aperte de templorum vectigalibus Tertull. Apolog. c. XLII. *certe templorum vectigalia quotidie decoquunt, stipes quotusquisque jam jactat*. & Apolog. cap. XIII. *Publicos Deos æque publico jure fœdatis, quos in hastario vectigales habetis. sic Capitolium, sic Clitorium forum petitur, sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem adnotatione Quæstoris divinitas addicta conducitur*: quod vectigal latius explicat lib. I. ad nationes cap. 10. Unde apparet hæc vectigalia, non tam in templorum & Sacerdotum commodum redundasse, quam publicanorum, qui ea conducebant, nam addit Tertullianus, *plus denique publicanis reficitur, quam sacerdotibus*, quibus reditus erat ex vectigalibus ipsius templis concessus. nam omnis generis reditus habebant templa & eorum antistites, quibus & agri, & jus hereditates adeundi & alia jura data, de quibus videndus Borremansius in var. lect. 15. sic Lupercis vectigalia data a Cæsare colligi potest ex Nonio Marc. in *constut*. ubi ex Epistola ad Cæsarem juniorem producit, *Quum constat Cæsarem Lupercis id vectigal dedisse*, quæ illis ademit Antonius. de quo vide Victor. XIV. var. lect. I. Atque hinc intelligitur, quodnam sit *Vectigal Capitolii*, cujus meminit Senec. consol. ad Helv. c. X. ubi dicit Apicium plus comissationibus suis consumsisse, quam Principes in congiaria pro funere solerent, vel quam vectigal Capitolii fuerit: quæ, quum commoda sit ejus loci sententia, male a Lipsio rejicitur, & emendatio sua præfertur. Etsi vero a Principibus præcipue templa vectigalia & reditus impetrabant, plurimum tamen privatorum liberalitas in illa quotidie conferebat, unde frequens in auctoribus & monumentis publicis mentio fit donariorum, ex voto, Diis & eorum templis ad ornatum & tutelam factorum. Insigne exstat apud Reines. I. inscr. 269. monumentum, ubi pro restituta valetudine *Felicianus* quidam, *ex voto ædiculam cum adjuncto fundo, & ex eo annuo vectigali, Deo Æterno dedicat*. ita Censorinus de die Natali cap. I. *Illi, quod alimenta, patriam, lucem, se denique ipsos Deorum dono habebant, ex omnibus aliquid quærebant, magis adeo ut se gratos approbarent, quam quod Deos iis arbitrabantur indigere. itaque quum perceperant fruges, antequam vescerentur, Diis libare instituerunt. & quum agros atque urbes Deorum munere possiderent, partem quamdam templis sacellisque, ubi eos colerent, dicaverunt*. & ingentes fuisse Capitolio opes ex vectigalibus statutis partim, & partim ex donariis inde efficitur, quod Suetonius narret de Cæsare cap. LIV. illum *tria millia pondo auri furatum esse e Capitolio*, quam jacturam sup-

plevit magnifice Augustus, qui in cellam *Jovis Capitolini sedecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritas quingenties HS. una donatione contulit*, teste Sueton. cap. XXX. & ita Senatum Capitolino Jovi, donum ex auro sacrare passus est Tiberius cap. L. & Nero *barbam suam, conditam in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam, Jovi Capitolino consecravit*. Suet. cap. XII. & de ipso Senatu Petronius cap. LXXXVIII. *Ipse Senatus recti bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet, & ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Jovem quoque peculio exorat*: & ita apud omnes gentes templa vectigalibus & reditibus amplis dotata fuisse constat. de Hierosolymitano vide Abram. ad Cicer. in Vatin. cap. V. sed hoc nunc non agimus: huc respicere etiam *Horatium* puto III. od. 24.

Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat & turba faventum,
Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile
Summi materiam mali
Mittamus.

Vid. J. Rycq. de Capitol. c. XXI.

CAP. VIII.

De jure exercendi & locandi Vectigalia.

HÆc de instituendi Vectigalis jure sufficiant; exercere vero Vectigalia, quod in locando, vendendo & pecuniam ex illis redactam in ærarium importando, consistebat, Senatus Magistratibus permisit. Cura hæc olim incumbebat Censoribus, quorum sub nutu & arbitrio vectigalia erant; unde passim in locis, quæ hactenus adduximus, Censorum jus hoc adstruitur. Hi locaturi vectigalia, publice Romæ tabulas proponebant, quibus leges & conditiones, quibus vectigalia locarent, inscriptæ erant, inde dictas *tabulas Censorias* & *Leges Censorias*. Cic. I. orat. agrar. contr. Rull. Plin. XVIII. c. 3. His etiam multæ contra delinquentes & fraudantes continebantur, unde Varr. II. de rust. dixit *lege Censoria committere*: additum legi Censoriæ, ut si quis frui publico, per hostem non posset, ut ei subveniretur & remitteretur pretium redemtionis. vid. Cicer. de provinc. Proconf. cap. V. & ibi commentatores. Deinde ponebatur hasta in foro, Liv. XLIII. c. 16. ad quam locatio fiebat, quæ trita & omnibus nota, hic indicasse sufficiat. Nihil etiam addam de Præconis voce, qui licitantibus addicebat vectigalia, ut ex Tertulliani locis cap. præced. adductis, & Varrone lib. IV. de L. Lat. pag. 8. & aliis patet; quia hic nihil diversi fere ab auctionibus aliis observatum existimem. Quæstor vero, qui aderat venditioni vectigalium adnotasse pretia, ex eodem Tertulliani Apolog. cap. XII. & XIII. constat, & librum in quo pretia scribebat, *Hastarium* dictum esse, ibi etiam observat Rigaltius. Hoc etiam verbo monere visum, licet hæc vectigalium *locatio* proprie & *conductio* dicatur, sæpe etiam *venditionem* dici. Festus; *venditiones olim dicebantur Censorum locationes, quod velut fructus publicorum locorum venibant*: & hoc non observato Manutius apud Cic. III. ad Famil. 3. *venditiones tributorum* explicat, quum celeriter tributa non possent exigi vendita alicui, qui quanti emerat, tantum statim de suo numerat: quum intelligatur Publicanis facta venditio tributi in capita & ostia. Debebat vero locatio omnium vectigalium, quæ per totum imperium Romanum exigebantur, fieri Romæ. Cic. I. agrar. contr. Rull. cap. 3. *Censoribus Vectigalia locare, nisi in conspectu Populi Romani, non licet, his vendere vel in ultimis terris licebit*. & II. agrar. 21. *Vectigalia locare nusquam licet, nisi in hac urbe, hoc ex loco, hac vestrum frequentia*: hinc Cic. III. Verr. dicit *in Asia constitutam esse Censoriam locationem*, quæ tamen Romæ peragebatur. Hæc porro locatio fiebat mense Martio, ex antiquo instituto, quo ille mensis primus anni habebatur, & Magistratus honores auspicabantur. Macrob. I. Saturn. 12. *Hoc* (mense Martio) *comitia auspicabantur, vectigalia locabant*; hinc & *iduum Martiarum* mentio fit in l. 15. ff. de publican. & in eo vectigalium locatio a fundorum & ædium locatione differebat, quæ peragebatur Calendis Juliis, ut multis docuerunt viri docti, quos laudat Reines. comm. ad inscript. 7. 34. Reinesium vero, quia secutus & candide professus fueram auctorem, errasse scribit Gundelingius in Gundeling. part. XVI. pag. 63. Omnium hic fuit compilatorum Coryphæus, qui sectam etiam in discipulos propagavit, nostrasque in terras transmisit, qui de omnibus, quæ sciunt, quæque nesciunt scribendi audaciam sumunt, & neglectis antiquis auctoribus, ex antiquariorum scriptis immensa volumina, sed in quibus manifesta furta deprehenduntur, conficiunt, plena erroribus & inconsideratis furtis. Quique, quod ridiculum in primis, μετὰ πολλῆς φαντασίας Græca, & si Dis placet, etiam Hebraica ubique scriptis interserunt, quum vix elementa quidem istarum linguarum norint. Talis πολύγραφος me inconsiderate carpens, iratus scilicet quod olim Germanici sermonis in Academiis usum culpaveram, ex Brummeri Exercitatione de Locatione & conductione pag. 393. contendit locationes prædiorum partim Kal. Martiis, partim Juliis initas fuisse: sed si duas leges, quas pro Kal. Martiis adduxit Brummerus, respexisset, facile vidisset, illum errasse, si certum & sollemne tempus locationis in Kal. Martias contulisset: nam in l. 58. ff. de Usufructu, non agi de locationis tempore, sed de tempore, quo pensiones inferre ex contractu debebant, constat. Has jam poterat unusquisque pacisci, ut ante tempus emigrationis inferrent: præterea in locationibus prædiorum diversa sæpe tempora ex pacto fuisse definita docet ipsa l. VII. solut. Matrim. ubi in ʃ. 2. non 8. ut apud Brummerum dicitur, vir fundum dicitur locasse *ex Kal. Martiis*, quod sine dubio inter contrahentes convenerat, vel quia conductor prior tunc emigraverat, vel obierat, vel fundus alio casu vacuus colono esset, ut sæpe etiam hodie incidere solet: quod ut verosimilius fiat, in eadem lege ʃ. I. vir alius *ex Kal. Novembribus* fundum fruendum locaverat. an ergo & eo die solita locari prædia statuendum? ex singulorum ergo contractibus, contra tot loca, quæ Kal. Julias adserunt, nihil certi conficitur; & ipse Reinesius hanc Brummeri sententiam (nam ejus exercitationem legisse credibile est, & hunc juvenem egregie dilexisse) non adprobasse videtur, sed ejus nomini pepercisse, & sine offensione voluisse contrarium sentire. Scribit enim, *solennes etiam locationibus Kal. Martias fuisse quidam adnotarunt, de quo dubito: potuerunt quovis mense & die prædia, fundi, ædes, balneæ &c. locari: sed plurimum Kal. dictis consueverunt*. Denique Thrasonum ille magister, qui, ut de Bailleto Menagius prædicare solebat, compilatorum præcedentium est compilator, non Brummerum, sed, cui ille hanc observatiunculam debet, Brissonium laudare debuisse, qui in Lexico, sive de Verbor. signif. libris in voce *Calendæ* hæc habet; *Ex Calendis autem Martiis*,

fundos & praedia locari iisdemque pensiones inferri consuevisse satis aperte colligitur ex l.58.ff.de Usuf. & l.7. §. 1. sol. matr. Immo ipse etiam auctoritate aliorum inductus id notaveram ad Petron. cap. XXXVIII. sed addideram *de eo nondum liquere* . nunc vero ad priorem sententiam redire, alteramque non pudet repudiare: in lege porro 60. ff. locati, pro *Kalendis illis cujusque anni*, & *Kalendis Juniis* recte viri docti notarunt *Kalen. Juliis* legendum, quae varietas & notatur ab interpretibus in l. XLI. §. 2. de Usur. & l. LXVI. §. 5. de Furtis, unde ad paret facilem hic fuisse librariorum lapsum.

Praeterea locatio haec in quinquennium sive lustrum fiebat: totidem enim annis Censores Magistratum gerebant, & singulis lustris finitis pecunia a publicanis repraesentari debebat. Cic. VI. ad Att. 2. *Populi nullo gemitu Publicanis, quibus hoc lustro nihil solverant, etiam superioris lustri reddiderunt*. Sic omne aes ante quadriennium publicanis solutum fuisse, in Lucull. testatur Plutarch. & in l. III. §. 6. de Jure Fisci. *Quum quinquennium, in quo quis pro publico conductore se obligavit, excessit, sequentis temporis nomine non tenetur*. ubi legendum *publici*, id est vectigalis *conductore*, jure censet Gronovius IV. Observ. 22. nam mox vocantur *conductores vectigalium publicorum*. & hoc infinitis auctorum locis constat: & hinc *Lustrum* dictum, quia quinto quoque anno vectigalia solvebantur, docet Varro de Ling. Latin. lib. V. Nescio an hoc ab Atheniensibus, ut plura alia, acceperint Romani. Xenophon enim scribit de Atheniens. Repb. p. 699. τὸ δὲ μέγιστον εἴρηται, πρὶν εἰ τάξεις τοῦ φόρου. τοῦτο δὲ γίγνεται, ὡς τὰ πολλὰ δι' ἔτους πέμπτου. Quum autem antiqui Romani non recte Annum digesserint, sed pro arbitrio Sacerdotum & Pontificum intercalationibus uterentur, Publicani cum illis colludebant, ut vel subtraherent tempora, vel augerent. vid. Amm. Marcell. XXVI. c. I. Plura de locationibus vectigalium hic possent adnecti, sed quum ea vulgaria, & cuivis, qui mediocriter saltem veterum scripta legerit, nota sint, non amplius his insistemus, duo tantum argumenta, quibus viri docti quidam permoti, non Censoribus solum, sed aliquando etiam Consulibus locandi provinciam competiisse, putant, excutiemus.

Ac primo vectigal, quod ex pascuis scripturae nomine exigebatur, ad Consules pertinuisse, inde putant probari, quod aliquando Consulibus data sit provincia *silvarum & callium*; ut illud refert Sueton. Caes. c. XIX. *operam optimatibus datam esse*, dicens, *ut futuris Consulibus provinciae minimi negotii, id est silvae callesque, darentur*, quem locum Bulenger. de Vect. P. R. c. 10. subjicit aliis, quibus vectigal scripturae datum Romanis probat; Gruchius quoque in resp. ad binas Sigonii reprehensiones pag. 726. Tom. I. Thes. Ant. Roman. putat hanc provinciam ex illo genere provinciarum fuisse, in quibus exercitu nullo modo opus esset, & in quibus administrandis, utpote quietis & ignobilibus provinciis, quae Silvarum & saltuum publicorum, in quibus pascerentur pecora, unde scripturae vectigal conficiebatur, procurationem continebant, legionibus non indigerent. Pighius vero in Annalibus ad Ann. CCCCLXXXVIII. putat hanc provinciam datam Consulibus Caesari & Bibulo, fuisse velut quaestoriam quamdam procurationem, loco provinciarum, in qua nihil materiae bellicae esset, nec aliud illis datum, quam ut provinciam quisque suam praesidiis ordinariis, contra latrocinia subitosque tumultus tuerentur; a cujus sententia non multum abhorreo, & totum hoc negotium, non nisi commentum πολιτικὸν Romanorum optimatum

A fuit, qui, quum Caesaris ingenium turbidum, & ad aliquid contra rempublicam audendum paratum cernerent, noluerunt ipsi ordinariam Consulum provinciam obvenire, ad quam copiis & exercitu indigeret, quibus contra rempublicam uti posset, sed operam dabant, ut ipsi aliqua provincia decerneretur, ad quam nulla manu militari quum opus haberet, nihil reipublicae ab ipso metuendum esset; itaque Caesari *silvae & calles* dati sunt, quae provincia alias a Quaestore administrabatur; ut ex Tacit. IV. ann. 27. patet, ubi memoratur *Curtius Lupus, cui provincia ex vetere more calles evenere*, ubi tamen alii *Cales* legunt, & urbem intelli-
B gunt, in qua Quaestor sedem habebat, unde *Calena* provincia a Pighio dicitur; sed quidquid sit de illa provincia, de hac patet, *Silvarum & Callium* provinciam, non in exigendo vectigali scripturae, sed in purgandis callibus & viis publicis a latronibus, fuisse positam, quod postea sui immemor Bulengerus ex Juvenali etiam confirmat. Et deinde semel tantum hoc in tota republica Romana quum factum sit, nihil hinc praejudicari potest. Ridicule etiam Petr. Crinit. de honest. discipl. lib. IV. c. 5. scribit, Consulibus ideo silvarum provinciam datam, ut inde arbores & materiem navium fabricandarum caederent. quam opinionem etiam
C secutus Caelius Rhodiginus Lect. Antiq. lib. XXVI. c. 5. sed licet haec provincia esset minimi negotii, tamen imperium, sine quo numquam dabatur Consulibus provincia, habebant, & poterant milites conscribere, quot opus esse censebant; & militari potestate uti, ut Sigon. in disputatione cum Gruchio pag. 758. ostendit. & ideo Virgilius Ecl. IV. hoc factum senatus in Augusti gratiam memorans, ait: *Si canimus silvas, silvae sunt Consule dignae*. Manet ergo hoc inconcussum, Censores quoque curam scripturae locandae gessisse, quod & locis veterum autorum declarari apertissime potest. Sic Cic.
D in Brut. XXII. (quamvis ibi alii *silva Sila* legant, de quo jam supra egimus,) dicit *Silvam Scantiam a Censoribus locatam*. & manifestius Varro de re rust. lib. 12. c. I. dicit *greges ovium ad publicanum profiteri, ne, si quis inscriptum pecus pavisset, lege Censoria committat*.

Plus difficultatis habet secundum, quod nobis contrarium videtur, argumentum, quod ex Cic. III. Verr. 7. deducitur, ubi referuntur Consules decumas Siciliae vendidisse; verba sunt: *L. Octavio & C. Cotta Consulibus, Senatus permisit, ut vini & olei decumas & frugum minutarum, quas ante Verrem Quaestores in Sicilia vendere consues-*
E *sent, Romae venderent*. Hottomannus optimus Ciceronis interpres, hic valde fluctuat, & perplexe Cicer. loqui credit, quia hic consulibus hanc potestatem a Senatu factam dicit postea vero leges Censorias appellat; quare ille legit, *L. Octav. & C. Cotta Censoribus*: quia sequitur, *quum locatio fieret, publicani postularunt, quasdam res ut ad legem adderent, neque tamen a Censoriis caeteris legibus recederent*. Eodem errore apud Cicer. I. Verr. 50. ubi legitur *L. Sulla Q. Metello Coss.* ille *Cens.* legit, sed commentatores reliqui egregie errantem confutarunt. & quum priore in loco recte se ha-
F beat lectio loci Ciceronis, neque Hottomannus probet Octavium & Cottam umquam eodem tempore Censores fuisse, quum Consules eos fuisse A. U. C. 678. Cassiodorus & Fasti declarent, in illius sententiam descendere non possum; neque etiam Cicero *Censorias* leges vocat, quas ante a Consulibus datas esse dicit, sed totum negotium ita explicandum mihi videtur, ut, Octavio & Cotta Consulibus (quum ii consules essent) Senatus aliquid immutaverit, in locatione decumarum Siciliae, quas ante Verris praeturam Quaestores in ipsa Sicilia,

(ita

(ita inquit III. in Verr. 6. neque tempus neque locum commutarent) non, ut reliqua Vectigalia, Romæ, vendere consuessent: nunc vero, ob quam rationem non addit Cicero, Romæ venditionem, non a Consulibus, sed a Quæstoribus peragi jusserit, utque Consules leges & conditiones locationi dicerent, quod eorum officii fuisse, infra pluribus demonstrabitur. Quumque Publicani postularent, ut aliquid adderetur legi locationis, quod antea non continebatur, contradixit Sthenius Thermitanus, petiitque ut lege Hieronica venderentur decumæ, quod & factum est. Et quod de *Censoriis legibus* adjungit, id tantum significat, Publicanos petiisse, ut ad exemplum aliarum locationum, quæ a Censoribus fiebant, etiam Siciliæ decumæ venirent, quod non obtinuerunt, obloquente Sthenio, unde prærogativa aliqua usos fuisse Siculos in locationibus suarum decumarum colligitur; quæ præcipue in eo consistebat, ut vectigalia Siciliæ non a Censoribus, sed ab ipsis Magistratibus, qui eam provinciam obtinebant, non Romæ in foro, sed in ipsa insula, non nova lege & conditione, sed veteri & Hieronica vendi debuerint. Hoc Siciliæ & aliarum provinciarum discrimen luculenter paulo ante lib. III. 6. descripserat Cicero, inquiens. *Inter Siciliam ceterasque provincias hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis & plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium & pœna belli, aut Censoria locatio constituta est, ut Asiæ lege Sempronia; Siciliæ civitates sic in amicitiam fidemque recepimus, ut eodem jure essent, quo fuissent, eadem conditione populo Romano parerent, qua suis ante paruissent.* Non autem tota Sicilia æquali jure a Romanis habebatur, sed ea tantum pars, quæ in fidem & obsequium se dediderat, ceteræ vero civitates, quæ bello punico, a Romanis ad Pœnos deficientes, armis provinciæ adjectæ erant, deterioris conditionis habebantur; de quibus sic Cicero. *Perpaucæ civitates Siciliæ sunt bello a Majoribus nostris subactæ, quarum ager, quum esset publicus Populi Romani factus, tamen illis est redditus, is ager a Censoribus locari solet*: locus obscurus & difficilis, & qui Herald. animad. in Salm. ad jus. att. lib. 2. c. 3. §. 27. sollicitum habuit: qui, ut se expediat, putat Ciceronem, indicare illarum civitatum agros, quum jure belli potuerint publicari, redditos fuisse antiquis possessoribus, & eodem jure, quo ceteræ Siciliæ civitates erant, habitas; decumas etiam ab iis exactas, hoc tamen discrimine, ut quum reliquarum decumæ a Magistratu Romano, qui provinciæ præerat, locarentur, harum civitatum ab ipsis Censoribus decumæ venderentur, & in eo meliorem harum conditionem fuisse vult, quod nullis publicanorum exactionibus vel avaritiæ expositæ essent, sed decumas ipsis Censoribus præstarent, hocque illis ex fœdere datum, cujus tamen expositioni non accedimus: nam primo jam ante ostendimus, numquam decumas Siciliæ a Censoribus locatas, quia id privilegium Siculis erat fœdere datum, ut decumæ in ipsa insula venderentur, quod necessario a Prætore debebat peragi, quum Censores Romæ tantum locarent vectigalia; sed præterea ne verbum quidem Cicero facit de decumis venditis, sed de locatione agrorum, qui publici Populi Romani facti, illis sunt redditi; & deinde absurdum haud immerito videri posset, civitatum bello subactarum meliorem esse conditionem, quam earum, quæ deditione & fœdere in ditionem Romanorum cesserant. Ut ergo rectus huic loco constet sensus, sciendum est, in Sicilia non omnes agros fuisse decumanos, sed eos tantum earum civitatum, quæ fœdere & deditione

A Romanis concessere, qui eadem lege & onere, quo quondam Hieroni erant obnoxii, Romanis paruerunt; agri autem civitatum bello subactarum, non videntur tam clementer habiti fuisse, nec potuisse præstatione decumarum defungi, sed toti agri a Romanis publicati quum essent, postea videntur illis esse redditi; quod tamen non tam ample cum Heraldo capimus, ut totus ager ita antiquis possessoribus sit restitutus, ut eodem jure, quo reliqui Siculi, essent: nulla enim tunc pœna defectionis in eos statuta fuisset, & deinde absurde subjungeret Cicero, *eum agrum a Censoribus fuisse locatum*, sed verosimile est Romanos, retento sibi dominio, agros illos publicatos, antiquis possessoribus arandos locasse certa mercede & pretio, quod lege Censoria definiebatur, & quod præstatione decumarum, quas Manutius solvisse putat, erat uberius. Aperte hoc indicat Cicer. in V. Verr. 21. ubi distinctio horum agrorum a decumanis manifesta est. *Qui agros publicos arant, certum est, quid ex lege Censoria dare debeant, cur iis quicquam præterea ex alio genere imperavisti? quid decumani, numquid præter singulas decumas ex lege Hieronica debent?* neque hoc inusitatum erat Romanis, ut agros victis ademptos antiquis possessoribus arandos certa mercede concederent, quo eos illis reddere videbantur. Sic Hygin. de condit. agror. quum dixisset, quosdam agros, qui in divisione superfuerant, & publici remanserant, fuisse locatos per annos quinos vel in annos centenos, addit, *in quo tamen genere sunt aliquibus nominatim redditæ possessiones.* Hi ergo agri videntur a Censoribus esse locati, quia caput patrimonii populi Rom. videbantur esse, cujus omnis cura erat Censori, ut patrifamilias reipublicæ, commissa.

Antequam de his Siciliæ civitatibus abeamus, alter Ciceronis locus excutiendus V. Verr. 47. ubi Tyndaritani hoc modo prædicant. *Nos in septemdecim populis Siciliæ numeramur; nos semper in omnibus Punicis Siciliensibusque bellis amicitiam fidemque Populi Romani secuti sumus &c.* ita editio Græviana, Gronoviana, Verburgiana & nescio an aliæ: nam nihil in notis occurrit, quod suspectum locum faciat lectoribus, quum tamen, si ita legatur, sibi obloquatur Cicero: supra enim vidimus perpaucas fuisse civitates bello subactas, quæ durius reliquis tractatæ fuerunt, quas fuisse septemdecim docuerunt ad illum locum viri docti: si jam Tyndaritani numerantur in XVII. illis civitatibus, quæ cum Carthaginiensibus sentientes bello subactæ fuerunt; quomodo ergo jactare poterant, se in omnibus bellis amicitiam fidemque Populi Romani secutas? sed legenti forte hunc locum apud Sigon. libr. I. de Jur. Prov. cap. 3. reperiebam illum hoc modo citare; *Nos in septemdecim Populis Siciliæ non eramus;* & ita deinde in notis Manutii, & antiquioribus editionibus offendi: unde liquet quam negligenter sæpe curatores novarum editionum agant, & vitia & lapsus librariorum propagent, præsertim qui mercedem captantes, ad omnes auctores edendos, modo Typographis libido incesserit, & recensendos se paratos ostendunt, operamque servilem cum ipso famæ & nominis dispendio, omnibus venditant: nec umquam de auctore edendo cogitant, antequam typographus eorum operam conduxerit, & deinde, dum prælum exercetur, commentari incipiunt. Abunde jam puto Censorum in locationibus vectigalium auctoritatem esse assertam, quæ tanta fuit, ut pro arbitrio illi vel magno locarent, vel parvo etiam addicerent. Insigne acerbitatis Censoriæ exemplum est apud Livium lib. XLIII. c. 16. ubi quum Censores edixissent, *ne quis eorum, qui Q. Fulvio &*

A. Posthumio Censoribus publica vectigalia & ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, sociusque aut affinis ejus conductionis esset, frustra veteres publicani petebant, ut modus Censoriæ potestati fieret. Omnis autem eorum potestas circa locationes finiebatur, pecuniam ex vectigalibus redactam ipsi non recipiebant, sed Quæstorum ea cura erat, qui ærarium & ejus reditus administrabant, quod notissimum est, & in primis ex Oratione Ciceronis in Vatinium cap. v. colligitur, ubi illi objicit fraudes, exactiones & contentiones, quas in Quæstura habuit cum mercatoribus, qui Puteolos merces invehebant. Deinde non licebat Censoribus pecuniam ullam, absque decreto Senatus, ex ærario sumere, etiam ad opera publica facienda. Liv. XLIV. c. 16. *Quum iis* (Censoribus) *dimidium ex vectigalibus ejus anni attributum ex Senatusconsulto a Quæstoribus esset, Ti. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani pone veteres, ad Vortumni signum, lanienasque & tabernas conjunctas in publicum emit, basilicamque faciendam curavit:* & lib. XL. c. 46. *Censoribus postulantibus ut pecuniæ summa sibi, qua in opera publica uterentur, attribueretur, vectigal annuum decretum est*. Immo Quæstores ne minimam quidem summam, etiam ad quotidianos usus, ex ærario poterant promere, sine jussu Senatus, ut hæc luculenter describit Polyb. lib. VI. deinde etiam in locationibus Consulum aliquod officium versatum fuit, & præcipue sub Imperatoribus, quum censores creari desierunt: ut illi nimirum hastæ præessent & inspicerent, an omnia cum fide & sine detrimento reipublicæ peragerentur, & deinde peracta locatione rationes publicorum inspicerent & cum publicanis deducerent; hucque respexisse puto Ovid. epist. ex Pont. lib. IV. epist. 5. v. 19. ad Sextum Pompejum Consulem ita scribentem:

Aut Populi reditus positam componet ad hastam,
Et minui magnæ non finet Urbis opes.

Et epist. IX. v. 45. Græcino Consuli designato gratulatur hoc modo;

Nunc longi reditus hastæ supponere lustri
Cernet, & exacta cuncta locare fide.

Qui loci illud clare videntur innuere; & etiam sub republica aliquas eorum partes fuisse in examinandis rationibus publicanorum docet Cic. IV. ad Att. ep. II. *Dixit Pompejus Crassum a se in Albano exspectari ante diem IV. Kal. quum venisset, Romam esse statim venturos, ut rationes cum Publicanis putarent:* aut enim Consules erant Pompejus & Crassus, aut iis, ut Consularibus, a Senatu erat mandatum; de hoc enim Interpretes non idem sentiunt. Et sic supra vidimus Octavium & Cottam Consules, quum decumæ Siciliæ Romæ venderentur, leges & conditiones locationi dixisse, & totam locationem eorum auspiciis peractam fuisse. Prætoribus etiam fuisse aliquando commissam hastam & locationem vectigalium, posset colligi ex Seneca de Brevitate vitæ cap. XI. ubi agit de illis, *quos hasta prætoris infami lucro, & quandoque suppuraturo exercebat*: quamquam malim de aliis auctionibus & sectionibus capere, quibus præerant, quum ad illos cura ærarii, Quæstoribus ademta, traslata fuit: vid. Gronov. lib. IV. de Pecun. veteri cap. 3.

Hæc fuit Vectigalium administrandorum ratio sub republica, quæ postea ab Imperatoribus multum immutata est, quum ii aut veteres Magistratus abrogarent, vel eadem nomina relinquerent, ademta omni, quæ olim competebat, vi & potestate. Sic Censorum munus fere exstinctum bellorum civilium tempore fuit, quod postea reduxit Augustus. Suet. Aug. XXXVII. creatique Censores sub eo memorantur Paullus Æmil. Lepidus & L. Munacius Plancus A.U.C. 731. nono Augusti Imperii ann. post pugnam Actiacam. ex quo iterum intermissa Censura usque ad A. U. C. 800. quo Claudius ipse Censuram gessit, testibus Sueton. Claud. XVI. & Plin. X. cap. 2. quod deinde posteri Imperatores æmulati sunt, ut Domitianus, & alii, de quibus varia monumenta exstant, & operose de illis egit Illust. Span. in diss. XII. c. 10. p. 472. de Usu & Præst. Num. & per intervalla aliquando privatos iterum fuisse Censores, quibus Vectigalium cura mandata fuit, apparet ex Pollion. Valerian. cap. II. *Tu censibus modum pones: Tu vectigalia firmabis*, &c. Quæstoribus etiam cura ærarii ablata est, & a Julio Cæsare ad Ædiles translata, deinde ab Augusto Prætorii ærario præfecti, & postea valde circa Præfecturam ærarii variatum est, de quo videri possunt Lips. in excursu B. ad Lib. XIII. ann. Tacit. & Gothofr. ad l. 42. ff. de jur. fisc. Unde discimus a Claudio Quæstoribus redditam, a Nerone iterum ablatam, & Præfectis ærarii deinde continuatam: reperimus tamen etiam *Quæstores ærarii*, vel *ab ærario* sub Imperatoribus passim in Lapidibus, ut apud Gruter. CCCCXXXVII. 2. & alibi, ut ibi in notula docemur. & ita sub Hadriano in Lapide Gudiano CXXV. 6. A GABINIUS PRISCUS QUÆSTOR AB ÆRARIO SATURNI. & CXXIX. 6. LEOPIDIUS POLLIO QUÆSTOR ÆRARII SATURNI. & CXXXI. 3. Q. MANLIUS BALEANUS QUÆSTOR ÆRARII SANCTI ET SATURNI, sub Hadriano: & nuper inventus in Patavino agro lapis, quem dederunt nobis Ephemerides Literatorum Venetorum Tom. VII. pag. 475.

A. A.
C. CLVENTIVS. C. F.
ROMVL. PROCVLVS.
ATESTE. AEDILIS. II. VIR.
QVAESTOR.
AERARI. BIS. PONTIFEX. V. S.

Ubi A. A. interpretantur *Aquis Aponis* viri docti. Vectigalia ipsa etiam aliter administrata sunt, neque æqualem & eandem rationem in illis exercendis observatam fuisse credo. Jul. Cæsar *publicis vectigalibus peculiares servos præposuit*, teste Sueton. c. LXXVI. deinde a Tacit. XV. ann. 18. dicuntur a Nerone *tres Consulares, L. Piso, Ducennius Geminus & Pompejus Paulinus, vectigalibus præpositi esse*. Ordinarie vero vectigalium cura spectabat in provinciis ad *Procuratores*, quos Cæsares mittebant, ut fisci reditus & commoda curarent, si parvæ essent provinciæ, solus Procurator mittebatur, qui simul jure Præsidis provinciam regebat, & ut Procurator reditus publicos administrabat: si major esset provincia, cum Proconsule etiam Procurator in illam mittebatur, quæ omnia docte Lipsius ad Tacit. XII. ann. in excurs. B. & Vertran. ibid. & ad I. Hist. 2. & III. Hist. 42. tradiderunt, & de Procuratoribus multa Commen. ad Marmor. Oxon. p. 136. & seq. (qui *Procuratores Patrimonii* dicti videntur) Phil. a Turr. in monum. veteris Antii ad Insc. Aquil. cap. V. & infiniti alii, ut Gutherius, Pancirollus & Commentatores ad Historiam Augustam, quos memorare vix est operæ pretium. Hi Procuratores plurimum ex Equitibus erant, ut ex Tacit. XVI. ann. 17. & in vita Agricol. c. IV. patet. Immo sæpe etiam libertinos Procuratores factos docent lapides veteres. Deinde,

quo tempore variant sententiæ doctorum, instituti sunt *Comites Sacrarum Largitionum*, qui omnibus vectigalibus totius Imperii præerant, & ad quos omne aurum & argentum ex vectigalibus collectum transmittebatur: hujus Magistratus officium & munus describere hic non est animus, adeat Lector Gother. de off. dom. Aug. libr. 3.c.16. & Pancirol. in comm. ad notit. dignit. Imp.orient. & occid. quia tamen incerta quibusdam videtur viris eruditis horum comitum origo, paucis illa illustranda. *Comites* olim sub repb. dictos fuisse omnes, qui in cohorte prætoria cum magistratibus in provincias proficiscebantur, omnibus satis notum: deinde vero a Tiberio cœpisse diversos ordines comitum institui, docuerunt, præter alios, Seldenus ex Sueton. Tib. XLVI. ad Marm. Oxon. pag. 114.& in Titulis honorum: qui inde exemplum cepisse Constantinum putat, qui tres ordines Comitum instituit, inter quos, ærario & fisco duos præfecit, præfectorum ærarii nomine abolito, quorum prior diceretur *Comes Sacrarum Largitionum*, qui vectigalia, tributa & omnes imperii reditus curaret, unde imperatoris nomine ille elargiebatur salaria, stipendia, munera, & omnia imperii onera. vid. Salmas. ad Lampr. Diad. cap. IV. & Vopisc. in Probo cap. XXIII. Cassiod. lib. VI. 7. & alios. *Sacrarum* etiam *remunerationum Comes* dicitur in Lapide apud Gruter. CCCCXLIX. 7. de quo plura adjicere non est instituti nostri. Ut vero in urbe Præfectorum ærarii Comes S. Largitionum vices supplevit; ita in provinciis Procuratores aboliti, quorum post hæc tempora rara, & non nisi in rescriptis paucis priorum Imperatorum in Codice Justinianeo fit mentio: sed adjuncti & subjecti Comiti S. Largitionum fuere *Palatini Sacr. Largit.* qui in provinciis procuratorum munera obirent. vid. t. t. C. de Palatinis Sacr. Largit. & hi etiam aliquando *Comites S. Largit.* vocantur, sed erant inferioris ordinis, & tantum dignitate perfectissimatus ornabantur, quum primus Comes esset Illustrissimus.

Alter Comes a Constantino institutus erat *Comes rerum privatarum*, qui fiscum, & ea, quæ ad patrimonium Principis pertinebant, curabat, qui ex agris, gregibus, saltibus, domibus & aliis rebus dominicis redigebat pecuniam, & in locum *Procuratoris Patrimonii*, de quo Gothofr. ad L. XXXIX. §. 10. de legat. I. successit: qui quum olim etiam vectigalia quædam, quæ fiscum ditabant, colligeret, ut de vicesima Hereditatum infra cap. XI. videbimus, sic etiam hunc Comitem pauca tantum vectigalia curasse credit Pancirollus ad Notit. dignit. Imp. pag. 13. & 54. sed nobis officia domus Augustæ modo tangere, & quantum huic materiæ de vectigalibus illustrandæ sufficit, non penitus excutere, placet.

Quia jam omnia vectigalia sub cura Comitis S. Largitionum erant, hinc plurimæ leges, quæ de vectigalibus latæ sunt, huic Comiti inscriptæ leguntur, ut l.6.8.19.& 12.C. de Vectigal. hic præter Palatinos illos per singulas provincias sub sua dispositione habebat minores Magistratus & Ministros, qui vectigali exigendo incumbebant: qui vel generaliter *Rationales* dicebantur, quorum in unaquaque provincia unus constituebatur; si vero mediocris esset provincia, tres vel plures sub uno Rationali erant; sic in Notitia Imperii Occidentis sub dispositione Comitis S.L. leguntur *Rationales summarum Italiæ, Asiæ, Galliarum &c.& Rationalis summarum trium Provinciarum Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ*. Deinde alius Magistratus in Provinciis erat, qui dicebatur *Præpositus Thesaurorum*, inde dictus, quia omnis pecunia, quæ per totas provincias colligebatur, ab exactoribus vectigalium, statim ut exactio celebrata fuerat, debebat transferri in aliquem locum Provinciæ, qui *Thesaurus* dicebatur: l.I. C.de Canon. Largit. Tit. lib. 10.cui Præpositus eam deinde Comiti S. L. transmittebat. Hinc sub ejus dispositione in notitia dignitatum plurimi Præpositi Thesaurorum enumerantur. Præter hos erant etiam *Comites Comerciorum*, qui in Notitia Orientis sub dispositione Comitis S.L.enumerantur; *Comites Commerciorum per Orientem & Ægyptum, per Mœsiam* &c. quorum quidem præcipuum munus erat, vestes, purpuram, gemmas & sericum domui Augustæ comparare, sed simul tamen operam dabant, ne vectigalibus fraus fieret, ut ex l.7.C.de Vectigal. colligitur; ita apud Grut.433. 4. in lapide reperitur *Comes Orientis Ægypti & Mesopotamiæ*. Reperimus præterea per provincias fuisse varios *Tabularios*, ut *Tabularium* XL. Galliarum; Spon. Misc. pag. 171. sed de quo infra agemus, sic & alii vectigalibus curandis admoti, sed qui non exegisse aut collegisse vectigalia videntur, sed a Rationalibus aut aliis exactoribus accepta in tabulas retulisse, & in saccis conditam pecuniam obsignasse, & Thesaurorum præpositis consignasse, ut exinde ad Comites Sacrarum Largitionum integer omnium titulorum numerus dirigatur: vid. l. 1. Cod. de Canone Largitionalium titulorum, & Pancirol. Notit. Imper. pag. 73. Reperiuntur & non multum ab his diversi; aut forte iidem, *Numerarii*, quos Constantinus etiam *Tabularios* voluit vocari l. 2. Cod. de Numerariis, Actuariis &c. qui olim vilioris sortis, nec multum a servili conditione distantes fuisse videntur; unde addicti huic muneri & quasi mancipati non poterant in alio officio militare, l. 1. Cod. de Tabulariis, sed deinde Arcadius & Honorius constituerunt, ut non nisi liberi homines ordinentur l.2.Cod. eod. & 3.Cod. Theod. eod. ubi & alio nomine *ministros, scribas, logographos*, &c. dictos discimus: vid. Jacob.Goth. & Vales.& Lindenb. ad Amm. Marcell. lib. XXVIII. cap.I. sed *tabularios numerarios* &c. variis, etiam extra vectigalia, fuisse officiis admotos, credibile est, ut & mox de metallorum vectigali videbimus. Deinde etiam vectigalia & tributa municipiorum ab ipsis Decurionibus exigebantur; spectabat vero hoc munus plerumque ad Decem primos, qui erant ii, qui universis muneribus expletis, ad summum gradum pervenissent: de quibus vide Noris. diss. I. c. 3. ad Cenot. Pisan. Hi exigere tenebantur suo periculo. l. I. ff. de muner. & honor.& l.ult.§.26.ff.eod.& l. 6. §.2.de Decur.& alibi in titulo ad Municip. Privatis vero sine Imperatoris jussu nova vectigalia exercere interdictum, qui, si id facerent, Lege Julia de vi tenebantur. L.ult.ff.ad Leg.Jul.de vi publ.& l.unica ff. de L. Jul. Ambitus. *Qui nova Vectigalia instituerit ex Senatusconsulto hac pœna plectitur*: in qua lege vectigalia municipiorum intelligenda sunt. Hæc in genere de cura vectigalium annotavimus; nunc breviter, quid in unoquoque genere obtinuerit, inspiciendum est, quidque diversum ab ceteris in singulis occurat.

Primi vectigalis, quod ex frumento exigebatur, cura erat penes *Præfectum annonæ*; hic non ordinarius sub republica erat Magistratus, sed angustis temporibus, quum Urbs fame premeretur, extra ordinem creabatur, ut frumentum per provincias & vicinas gentes advehi curaret. Sic apud Liv. libr. IV. 12. in summa fame creatus est L. Minucius Præfectus annonæ: quo respicit Augustinus lib.III. de Civit. Dei cap. 17. *Ubi erant, quando rursus populus, quum fame laboraret, præfectum annonæ primum creavit?* Sæpe etiam ordinario Magistratui, ut Quæstori curatio frumentaria data, ut Saturnino, a quo ob male curatam rem

frumentariam, translata ad M. Scaurum principem Senatus & civitatis, teste Cicerone pro Sextio cap. XVII. & de Harusp. Resp. cap. XX. Postea ampliori cum potestate hic Magistratus in Pompejum collatus est, *& omnis potestas rei frumentariæ toto orbe in quinquennium ei data est.* Cic. IV. ad Att. I. vid. & Appian. Alex. lib. II. de Bell. Civil. p.724. Post necem Cæsaris etiam Cassius & Brutus, *præfecti* sunt frumento undecumque advehendo, usque ad tempus abeundi in provincias; Appian. Alex. libr. III. de Bell. Civil. pag. 860. Deinde ad exemplum Pompeii ipse Augustus Præfecturam annonæ suscepit, qui tamen, ne ipse molestia muneris defungeretur, singulis annis binos ex Prætoriis constituit, qui frumentum Populo dividerent, ut narrat Dion. l. LIV. in principio: & hi sunt, quos Suetonius in ejus vita c. 37. vocat *Curatores frumenti populo dividundi*. Nescio autem, unde Pancirol. in comm. ad Notit. dign. Occid. c. 5. asseveret, Augustum ex Equestri ordine unum elegisse Præfectum annonæ, quum ipse manifeste ad Dionis locum respiciat, ex quo meliora discere potuisset; video etiam male viros quosdam eruditos hos *Curatores* confundere cum *Præfecto annonæ*, quum hi inferiores & sub dispositione Præfecti erant. Non videtur vero Augustus Præfecturam hanc retinuisse, sed in alium transtulisse, hinc initio imperii Tiberii memoratur Turranius Præfectus annonæ, Tacit. I. ann. 7. qui ab eodem auctore lib. II. c. 31. dicitur *rei Frumentariæ Præfectus*: hic ab Augusto jam vivente erat huic curæ admotus, & usque ad Caligulam administravit, de quo Seneca de brevitate vitæ cap. ult. *Turranius fuit exactissimæ diligentiæ senex, qui post annum nonagesimum, quum vacationem provocationis a Cajo Cæsare ultro accepisset, componi se in lecto & velut exanimem a circumstante familia plangi jussit*: talis & fuit Paullinus, ad quem idem Seneca eod. lib. cap. XVIII. *cogita*, inquit, *non id egisse te ab ætate prima, omni cultu studiorum liberalium, ut tibi multa millia frumenti bene committerentur*. & mox, *præterea cogita, quantum sollicitudinis sit ad tantam te molem objicere, cum ventre humano tibi negotium est*: & ex illo tempore ordinaria potestas & dignitas fuit. Proximus hic Præfectus erat dignitate Præfecto Urbis, sub cujus dispositione erat, ut in Notitia Utriusque Imperii habetur, ad quam plura de hujus Magistratus officio Pancirolus: vid. & Cassiod. VI. var. 18.

Alterius vectigalis scripturæ cura ad nullos alios, quam Censores pertinuisse videtur, de quibus jam abunde dictum; Ædiles tamen curam etiam gessisse, ut pascua publica rite, & ab iis, quibus competebat jus, depascerentur, ex locis supra adductis posset conjici, quibus eos multa pecuarios, & alios contra legem pascentes affecisse, cap. IV. pag. 43. ostendimus. Sub Imperatoribus vero mutata pascuorum forma & ratione, ut supra pag. 56. diximus, etiam peculiares ministri, qui fisci curam gererent, constituti sunt. Præcipui erant *Procuratores saltus*, quorum mentio fit in l. I. C. de fund. & salt. rei dom. & in inscriptione apud Gruter. p. 474. 4. dicitur *Proc. Saltus Domitian.* in aliis inscriptionibus memorantur *Rationales saltuum*; quis vero sit *Curator saltuum Tribonan.* in lapide apud Gruter. CCCXCIII. 7. ignorare me fateor. *Procurator prædiorum T. Cæsaris* memoratur in lapide Gudiano pag. XLIII. 8. Hi curabant pascua Imperatorum; aliud vero vectigalis genus, quod in carne & pecude præstabatur, curabat Præfectus Annonæ, de quo jam satis egimus pag. 49.

In exercendo etiam Portorio varie Magistratuum cura versata est, & abrogata Censoribus potestate, præcipue hoc munus *Comitum Commerciorum* fuisse puto, de quibus paulo ante egimus, & ex l. 7. C. de vect. quæ, de portorio agens, inscribitur Comiti orienti, colligitur; in portu Hostiensi ubi olim Quæstor erat, ut supra vidimus, deinde peculiaris *Comes Portus Hostiensis* constitutus fuit, qui in notitia Imperii, sub dispositione Præfecti Urbis habetur: hujus præcipua quidem cura erat, providere, ut negotiatores merces tuto in portus inferrent, nec injuriæ obnoxii essent, ut multis docet Pancirol. in comment. & ex Cassiodor. II. var. II. & VII. 23. liquet; sed & vectigalium & portoriorum, quæ pro mercibus solvebantur, credibile est rationem ad eum spectasse. Sub hujus dispositione credo fuisse, qui in inscript. Reines. I. 33. dicitur *Tabularum Ostiensis*: qui & *Tabularius Portuensis* dicitur in inscriptione Gudiana pag. XLIII. 8. & Gruter. CCXXXV. 7. Reines. I. 147. ubi vide Reines. & *Tabularius Rat. Portuens.* apud Sponium in Misc. Erud. pag. 117. Et eo referendi forte *Tabularii* XL. qui quadragesimam exigebant, de quibus cap. seq.

Metalla olim etiam a Censoribus locabantur, ut supra ex Plinio docuimus, & hinc Liv. XLV. c. 18. appellat *Publicanos Metalli Macedonici*. Sub Principibus, quamvis etiam sub illis conductores Metallorum reperiantur l. I. C. de Metallar. hæc cura ad alios Magistratus translata fuit. Præfectum Prætorio (ut alia vectigalia, vid. Zosim. lib. II. 33.) ita & Metalla curasse, docent leges, quæ huic inscriptæ sunt, l. 3. C. de Metall. l. 6. 7. 10. & 11. C. Theod. eod. Distinctione vero, quam antea tradidimus, observata, ut nimirum Metalla vel ut publica vel privata considerentur, etiam diverse officium Magistratuum versabatur circa ea: si enim in patrimonio Principis erant, ea curabat *Comes Rerum Privatarum*, cui inscripta est l. 5. C. Theod. eod. Ordinarie vero omnis proventus, qui ex Metallis reliquis fisco obveniebat, spectabat ad Comitem Sacrarum largitionum, ut plurimarum legum inscriptiones docent. Sub hujus dispositione erant *Comites Metallorum*, ad quos est l. I. C. de Metall. & in Notitia Imperii recensetur sub dispositione Comitis S. L. *Comes Metallorum per Illyricum*. Hi sub se habebant Procuratores & tabularios, quorum opera in colligendo vectigali utebantur. Hi Procuratores ex Decurionibus creabantur l. 4. C. de Metallar. & Metalla curabant, & rationes vectigalis ex illis ad Numerarios deferebant, ut ex l. ult. C. de numer. colligit Pancir. ad Notit. dign. imp. Orient. c. 15. quia in ea lege vocatur *Numerarius scrinii Operum*, quæ *opera* proprie de Metallis vult accipi, quod & ex inscriptione legis, quæ ad Illyricos, qui plurima Metalla exercebant, (unde & *Procurator vectigalium Illyrici* apud Gruter. p. CCCXLVI. I.) data est, & ex ipso contextu patet: conjunguntur enim Numerarii scrinii Macedoniæ, Daciæ, Operum & Auri; & in Nov. 128. c. 18. itidem *scriniarii operum* memorantur, alias autem Numerarii Scrinii Operum possent referri ad opera publica, de quibus v. Pancirol. ibid. & Reines. IX. inscr. 55. Hi Numerarii frequentius *Tabularii* appellantur. Ita apud Reines. IX. inscr. 71. legitur *Tabularius ad Marmora*, & apud Gruter. sæpius: ut in commentario docet Reinesius, qui tamen circa vocem *stationis* errare videtur, & qui & ad class. I. inscr. 31. ostendit, simpliciter *a Metallis & a Lapicidinis*, eos dictos fuisse. In lapide apud Gruter. XI. 5. quem & adtulit Ill. Ez. Spanhem. Epist. I. ad Morellum §. 17. memoratur *optio Tabellariorum stationis marmorum* (sic & *Stationes viarum* dixit Stat. IV. Silv. IX. 19.) unde apparet vitiose edidisse Sponium in Misc. Erud. p. 268. EX STRATIONE MARM. RHOD. & de pavimento in æde sacra aut ædificio publico

intellexisse, quum legendum sit, *ex statione marmoris Rhodii*. Marmor vero Rhodium celebre fuisse docet locus Plinii libr. XXXVII. 10. *Lysimachus marmori Rhodio similis est, aureis venis*. Etiam *procuratori montis Mariani T. Flavio Polychryso* memoriam posuere *Confectores aeris* apud Spon. Misc. Erud. p. 191. & 221. qui in Hispania Tarraconensi aeris fodinas ad hunc montem fuisse notat. A Lazio de repub. Rom. lib. II. cap. 13. ubi agit de Metallis Daciae, inscriptio adfertur, sed quae plenior est apud Gruter. DXCIV. 7. ubi M. Ulpius Libertus Aug. dicitur *Procurator Aurariarum*, quem Guther. de Offic. Dom. Aug. lib. 3. c. 18. interpretatur procuratorem χρυσαργυρίε sive aurariae collationis; melius vero puto, accipi lapidem de procuratore Metallorum auri, nam altera inscriptio, quae ei juncta est, meminit *Collegii aurariarum*, quod est Metalla auri exercentium, quod nullo modo ad aurariam collationem referri potest; & Metalla auri absolute *aurariae* dicuntur a Tacit. VI. ann. c. 19. aliam nobis inventam Zalatinae dedit nuper Sam. Koleserus de Keres in auraria Romano-Dacica pag. 19.

D M.
VLPIAN.
METR.
PHIM. P.
CONIVGI
SANCTIS
SIMAE
NEPTVN.
LISH. GNI.
PROC. HOR.

Et *supprocurator Aurariarum* apud Gruter. IV. 4. Immo & *Metallorum ferri procurator* in lapide, quem dedit Menestr. dissert. V. de origine Urbis Lugduni pag. 35. & Spon. recherch. de l'Antiq. de Lyon pag. 188.

ATTIA ALCIMO
V. E. PROC. FERRAR
ARVM.

Salinae ad eosdem Magistratus, ad quos reliqua Metalla, pertinuerunt. Praefecto Praetorio inscripta est l. II. C. de Vectigal. ubi de venditione salis constituitur, unde eum Salinis vel sali vendendo praefuisse colligas. Comiti quoque Sacrarum Largitionum Salinarum curam incubuisse, ex formula Comitivae, quam exhibet Cassiodor. VI. var. 7. patet; *Salis quoque commercium, inter vestes sericas & pretiosissimam margaritam, non inepte tibi deputavit antiquitas*. & in l. 9. C. de Vectigal. *Vectigal Alabarchiae* committitur Comiti Sacrarum Largitionum, sub quo fuisse Alabarchem, qui vectigal salis curabat, credibile est: de voce vero *Alabarches*, cum jam tot congesserint viri docti, lectorem remittimus ad Cujac. VIII. obs. 37. Pancir. II. var. lect. 204. Gothofr. ad d. l. & commentatores ad Cic. II. ad Att. c. 17. qui avido abunde satisfacient. Bulengerus vero cap. 16. legit ἀλασάρχην vel ἀλοσάρχην. *Salinatores Civitatis Menapiorum* in lapide apud Gruter. MXCXI. & Militem praefectum Salinarum illustravit Cuperus in Monum. Antiquis p. 139. ut supra jam notavimus.

CAP. IX.

De Publicanis & Exactoribus Vectigalium.

Superest, ut quibus vectigalia, quae jam explicuimus, locata & vendita, & deinde per quos ex agris, pascuis, portubus & metallis exacta fuerint, doceamus. Ac primo generaliter de *Publicanis*, qui conducendis vectigalibus operam dabant, agemus, deinde, quaenam differentia in locatione & exactione diversorum vectigalium fuerit, ostendemus.

Generali nomine, omnes qui publicos reipublicae reditus redimunt, *Publicani* dicti sunt, ita appellati, quia *Publico fruuntur*. l. 1. §. 1. ff. de Public. *Publicum* autem apud probatos linguae latinae auctores, omne illud, unde respublica emolumentum & reditum habet, significat: & inde plerumque *publicum* pro vectigali ponitur: sic Suet. Vesp. 1. *Publicum Quadragesimae*, pro vectigali Quadragesimae dixit. Cic. pro Rabir. Post. 2. *magnas partes habuit publicorum*, ut recte ibi legit *Cujacius*: plura possent coacervari exempla, sed linguae studiosus satis magnam copiam reperiet apud Gronov. IV. obs. 23. Lips. & Gruter. ad Tacit. XIII. ann. c. 1. & commentatores ad Valer. Max. VI. IX. 7. ubi *Asiaticum publicum* dicitur; sed, olim legebatur, *Asiatici publicani particula*, unde *publicanum* etiam pro publico, id est vectigali, dictum fuisse quidam conficiunt, & in l. 1. ff. de Publican. & vectig. quod *publicanus ejus publicani nomine*, explicant *publici*, id est vectigalis nomine: sed hanc vocis *publicani* significationem nullo veteris scriptoris loco probari video, nisi hoc corrupto Valerii Maximi: nam quod & adferant ex Cicer. XII. ad Att. 38. *Nam ille ager publicanus, qui est Tribonii & Cusinii* &c. in MSS. varie legitur, *Publicatus*, *Publicianus*; & si jam legeretur *Publicanus*, possit referri ad dominum Terentium Publicanum, quem magnas operas in portu & scriptura Asiae pro magistro dedisse, & ita fuisse publicanum docet lib. XI. Ep. 10. nec si jam *ager publicanus* posset capi pro agro vectigali, ideo sequeretur *publicanum* simpliciter dici pro vectigali, sive *publico*, quod centies ita sumi constat, & in qua voce *vectigal* subaudiendam esse patet, quia & *publicum vectigal* integra locutione dicitur apud Ciceron. III. Verr. 38. & in l. 1. ff. quod cujusque Univers. nom. leg. III. §. 6. ff. de Jure Fisci l. II. §. 16. de Hered. vendit. & saepe apud Livium & alios. Nusquam vero, quantum sciam, *vectigal publicanum* occurrit in veterum scriptis, quare verius est sequi Gronovium, qui lib. IV. obs. 22. in d. l. 1. legit *quod publicanus, quisve publicani nomine*, sensu plano & facili: *publicani* ergo dicti a *publico* κατ' ἐξοχὴν, pro vectigali sumto, quum etiam alii *publicani* dici possent, qui opera publica a Censoribus redimerent, ut apud Valer. Max. V. VI. 8. *Publicani ultro aditos censores hortati sunt, ut omnia sic locarent, tamquam respubl. pecunia abundaret, seque praestaturos cuncta. nec ullum assem, nisi bello confecto petituros, polliciti sunt*: ubi non possunt vectigalium conductores intelligi, qui non exigebant, sed dabant pecuniam reipublicae, sed intelligendi redemtores operum publicorum. Sat clare Livius lib. XXIV. 18. haec narrans ostendit, ubi dicit fuisse illos, qui hastae hujus generis adsueverant. At Publicani, non erant vile & sordidum genus hominum, sed ex Equestri ordine, quos Cic. pro Planc. cap. IX. vocat *Florem Equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicae*: & apud Suet. Aug. XXIV. & apud Ciceronem saepe, ut II.

in Verr. 71. Principes Equestris ordinis. & 1. Verr. 51. C. Mustius Eques R. publicanus, homo cum primis honestus. Sæpius etiam alibi simpliciter *Publicani* pro Equitibus ponuntur, quia eorum maxima pars in vectigalibus conducendis occupabatur. Plura de Equitibus, qui ad publica accedere solebant, passim apud Ciceronem occurrunt. vid. II. ad Att. I. Hinc infeliciter erravit Oliverius ad dictum modo Valerii M. locum lib. VI. IX. 7. qui T. Aufidium dicit turpem quæstum fecisse, quia *particulam exiguam Asiatici publici habebat*, quum hoc posset tenuitatem ejus, non turpitudinem indicare; quod apparet ex sequenti exemplo, de Rupilio, quem non publicanum, ut Aufidius, egisse, sed operas publicanis dedisse addit, qui ergo multo pauperior erat Aufidio: nam addit, *ultimam inopiam auctorato sociis officio sustentavit*, ubi male etiam *socios* de provincialibus explicant, quum sint publicani, quibus ille mercede operas dedit, ut multi, de quibus mox: hunc tamen Rupilium etiam publicanum vocat Ascon. Pedian. ad Cicer. II. Verrin. 13. vel latiori vocabulo etiam ministros ita vocans, vel forte, quod postea liberatus ex operis & capturis diurnis particulam etiam in publicis habuit. Et tales illi τελῶναι in Evangeliis sæpe memorati fuisse videntur, non ipsi publicani, sed promagistri, & operæ publicanorum, qui odio erant Judæis, non tam ob vilitatem conditionis & turpem quæstum, quam quod omnibus provincialibus hi exactores essent invisissimi, quia & inviti jugum & vectigalia patiebantur, & ab his rapacibus harpyis multis injuriis adficiebantur, ut hoc diversis in locis Ciceronis Verrinæ indicant: qui lib. II. in Verr. cap. 3. solos Siculos excipit, *qui ita nostros homines diligunt, ut his solis, neque publicanis, neque negotiatori odio sit*: ubi Asconius; *odiosissima hæc sunt Romanorum hominum per provincias nomina*: vide etiam Tertul. de pudicitia cap. IX. ubi de publicanis in Evangelio memoratis late agit. Nec solum reipublicæ temporibus, sed & sub prioribus Imperatoribus, Equites perseverarunt in conducendis vectigalibus, ut clare id indicat Tacit. IV. ann. 6. *Frumenta & pecuniæ Vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus Equitum Romanorum agitabantur*.

Quum autem vectigalia conducere esset res magni impendii, & ad quam amplo patrimonio & pecunia opus foret, quia totius alicujus Provinciæ vectigalia simul locabantur, immo sæpe plura vectigalium genera ab iisdem conducebantur, ut portorium & scripturas eamdem societatem habuisse dicit Cicer. II. Verr. 70. hinc non erat unius Equitis, etsi ditissimi, ea redimere; quare plerumque Equites societates inibant de emendis vectigalibus, ut collatis opibus sufficerent magnæ & immensæ administrationi. Hinc sæpissime *sociorum* & *societatis* appellatio apud Ciceronem & in commentariis JCtorum occurrit, qua publicanorum societates significantur. Quod licet sit vulgatissimum, tamen sæpe viros etiam doctos errare vidi, qui *socios*, qui publicani deberent exponi, de provincialibus, & sociis civitatibus capiunt: ut apud Plin. XXXIII. 7. de Minio. *Hoc adulteratur in officinis sociorum*, ubi Bæticos intelligit Dalechampius, rectius alii publicanos, qui Romæ, non in Hispania, illud perficiebant & excoquebant, ubi *multis modis adulterabatur, unde præda societatis*; ut paullo ante dixerat, id est publicanorum consociatorum, ut recte Harduinus: male etiam apud Valer. Max. VI. IX. 8. *socios* de provincialibus cepisse modo ostendimus: & apud Cicer. pro Plancio cap. IX. Manutium errantem castigat Cl. Grævius. Et huc pertinet celebre illud *garum sociorum*, de quo explicant quidam epigramma Martialis lib. XIII. 102. cujus lemma in vulgatis est *garum scombrorum*, sed in Thuaneo, Palat. Bongars. & Vossiano uno est *sociorum*.

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fæcosum, munera cara, garum.

Ubi Scaliger *fastosum* legit, ut etiam plurimi codices MS. quos vidi, quia erat divitum & lautorum deliciæ, quum muria esset pauperum. Raderus vero & alii *Garum sociorum* explicant Carthaginiensium in Hispania, & Vinetus ad illa Ausonii Epist. XXI. *Scis me id nomen muriæ, quod in usu vulgi est, nec solere, nec posse dicere, quum scientissimi veterum & Græca vocabula fastidientes, Latinum in gari appellatione non habeant: sed ego quocumque nomine loquar, liquor iste sociorum vocatur*; etiam ab Hispanis sociis Populi Romani appellatum credidit: sæpe illius meminit Plinius, ut commentatores ad Martialem & Ausonium ostenderunt, quare loca illa non laudabo. Scriverius ad oram codicis sui Martialis, qui est in bibliotheca publica Academica, non ab Hispanis sociis dictum credit, sed a sociis mercatoribus, qui monopolia instituerant hujus mercis, & qui emebant pretiosum illum liquorem & vendebant: esse etiam codices Plinianos addit, qui *garum Sosiorum* exhibent, & ad Sosios, illustres ea ætate mercatores, quorum meminit Horatius, locis mox adducendis, referri posse suspicari aliquos: & ideo *fastosum*, quia in tabernis Sosiorum, quorum aliquis ad consulatum Romæ evectus fuit, & cujus nomen fastis erat insertum, prostabat. Dubitat tamen Scriverius, an Sosia gens, quæ plebeja fuit, nec ignota, & cognomine Senecionis, tulerit consulem. Sosiorum Librariorum meminit Horatius I. Ep. XX. 4. quos commentator fratres fuisse, tradit, & eos etiam nominari in Art. Poet. 345. censet, sed hæc omnia conjecturis nituntur, & vana esse videntur. Harduinus ad Plinius XXXI. 8. primo dictum fuisse dicita societate publicanorum, qui vectigal garo impositum exigerent: sed probandum prius, vectigal peculiare garo impositum fuisse, foret, deinde majori, ut dicit, verisimilitudine deducit, a ganeonibus & lurconibus, qui sociatim eo utebantur, & in deliciis haberent, qui *socii* vocabantur, ut nunc Gallis dicitur ganeo, *un bon compagnon*. Ego puto a luxuriosis publicanis, qui ex cetariis Hispaniæ, id est vivariis sive piscinis, in quibus pisces ad saliendum & condiendum servabantur, ex scombris ibi nutritis & salitis garum conficiebant, & magno vendebant, ipsique his deliciis admodum dediti, muriam, quæ ex Thynnis fiebat, contemnebant: eodem modo ut hodie Ostreæ Britannicæ in Selandia in lacubus juxta mare stagnantibus quasi saginantur. Hi publicani erant, qui omnia Hispaniæ vectigalia conduxerant, non unius Gari, sed illud in Hispania confectum Romæ immenso pretio vendebant, ut singulis millibus numum permutarent congios fere binos: addit Plinius nullum liquorem præter unguenta majore esse in pretio cœpisse: sed redeamus in viam & ad societates publicanorum.

Inita societate, cuique pars sua administranda assignabatur, & quo portio, quam quis contulerat, luculentior vel minor erat, attribuebatur. Hinc de Rabirio Postumo cap. II. Cicero dicit, eum *magnas partes habuisse publicorum*, quia scilicet ditissimus, majorem, quam reliqui socii, pecuniæ copiam contulerat. Deinde ditiores Equites, amicos pauperes, & qui redimendis vectiga-

libus non pares erant, hoc beneficio beabant, ut iis minutas aliquas partes concederent, unde rem facere possent: ita de eodem Rabirio testatur Cicero, c. 11. *eum locupletasse amicos, misisse in negotium, dedisse partes:* sic in loco Valerii ante laudato T. Aufidius *exiguam admodum particulam publici Asiatici habuisse* dicitur. Est vero locus obscurissimus apud Cicer. in Vatinium cap. XII. qui an de his partibus capiendus sit nescio. *Eripueris ne partes illo tempore carissimas, partim a Cæsare, partim a publicanis:* certe neque Goveanus nec Abramus potuere extricare aliquid, neque ipse possum aliquid liquidi in illis verbis perspicere, nisi statuamus partes illas in societate non fuisse attributas Vatinio a sociis, sed illum extorsisse illas partim a Cæsare, qui cogeret publicanos, ut eum in societatem reciperent, partim a publicanis ipsis; quod vero *carissimas* vocet has partes, nescio an forte venales & sæpe magno pretio emtæ fuerint, in primis, si spes lucri esset. Addit Cicero Rabirium *misisse* amicos in *negotium*, quod interpretantur, ad obeunda societatum negotia; sed ego de diverso credo agi genere, quod nihil cum vectigalibus habet commune, negotiorum: nam in provinciis non tantum R. equites & locupletes cives, societatibus nomina dabant, sed ipsi sæpe ampla negotia habebant, pecunias suas credebant sub fœnere Provincialibus, pecuariam & alia exercebant: nam ita Cicero distinguit d. l. *Magnas partes habuit publicorum*. Hæc societates publicanorum respiciunt, *credidit populis, in pluribus provinciis ejus versata res est*. Hæc negotia fuere peculiaria, quæ exercebat per amicos tenuiores, quos mittebat in negotium, ut exercerent rem fœnebrem. Talis fuit Atticus, qui a Cicer. I. ad Att. 18. *germanus negotiator* dicitur: talis Seneca falsus ille Philosophus & paupertatis prædicator, qui Britanniam usuris exhauserat. Negotiationem exercuisse fœneratores, docet clare locus Valer. Max. IV. VIII. 3. vid. Gronov. IV. obs. 24. Neque tamen negandum, *negotia* aliquando etiam mercaturam rerum in provinciis promercalium notare, quam Romani cives, qui *negotiatores* centies vocantur, exercebant, & quos male publicanos facit, & a mercatoribus distinguit, Lambinus ad Horat. I. Epist. VI. vs. 33.

Ne Cybaritica, ne Bithyna negotia perdas.

sed non probat, neque nos docet, qua in re negotiator a mercatore differat: idem adfirmat ad illa Horatii I. Sat. VII. 4.

Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis.

Ubi debent *negotia* intelligi de pecunia, quam credebat Clazomeniis, aut de aliis negotiationibus quas ibi exercebat. Ita in l. XXXIII. de rebus Creditis. *Principalibus constitutionibus cavetur, ne hi, qui provinciam regunt, quive circa eos sunt, negotientur, mutuamve pecuniam dent, fœnusve exerceant:* ubi diversas memorat negotiationis species. Si ulla sit distinctio, videntur *mercatores* fuisse, qui ipsi merces mutabant, quum *negotiatores*, essent divites fœneratores, qui negotia per institores servos, aut libertos, aut tenuiores amicos exercebant. Negotiatores vero erant per omnes provincias dispersi, quorum quantus fuerit numerus ostendit cædes negotiatorum a Mithridate facta, qua perierunt centum & quinquaginta, ut Plutarch. in Sylla, vel minimum, octuaginta millia civium Romanorum in Asia negotiandi caussa per urbes dispersa, ut narrat Valer. Max. IX.

A 11. Cicer. pro Fontejo c. 1. *nemo Gallorum sine cive Romano negotii quidquam gerit. Nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commovetur:* quare *negotiatores* alii sic distinguunt a *mercatoribus*, ut hi minutatim merces vendant, illi vero fœnus vel amplissimam generatim exerceant mercaturam, & sint *magnarii* negotiatores, ut Apulejus vocat, qui non tabernas aut officinas exercebant, sed & prædia possidebant amplissima, quorum fructus, & etiam greges equorum, boum &c. quos alebant, deinde vendebant: & ita distinguuntur apud Cicer. II. Verr. 77. *Postulo mihi respondeat, qui sit iste Verrutius; Mercator an* B *negotiator, an arator an pecuarius:* ubi etiam aratores & pecuarios a mercatoribus & negotiatoribus distinguit, quos confuderat etiam Lambinus: sed a publicanis differre, licet eosdem fere Hottomannus faciat, docet locus alter pro Fontejo cap. I. *unum ex toto negotiatorum, colonorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant:* vide & quæ diximus post alios ad Petron. cap. CI. quidquid sit in *negotia mittere*, si de non publicano dicatur, est tenuiorem amicum in provincias mittere, ut tamquam procurator vel institor ibi negotia gerat divitis negotiatoris, quod Græci appellant ἐκπέμπειν κατ' ἐμπορίαν, qui etiam paupe- C riores mittebant, ut apparet ex Isocratis Areopagit. pag. 146. vid. ad Petron. cap. LVI. si vero de publicano dicatur, est mittere aliquem in provinciam, cujus vectigalia conducta habebat: ut ibi operas præstet, & alia ministeria obeat, de quibus mox agendum erit: numquam vero publicani possunt vocari *negotiatores, aratores & pecuarii*, quos accurate Cicero d. l. diversos facit, & sæpe alibi. II. Verr. III. *his solis neque publicanus neque negotiator odio est:* ubi Hottomannus, qui alibi ut Lambinus censuerat, notat, *negotiator præter publicanos, veluti aratores &c. nam,* D addit, *publicanis negotiator est*, quod non puto posse certis testimoniis veterum probari: habet quidem negotia in provinciis, in quæ mittit operas publicanus, sed quum illa in vectigalium exactione, non in reditibus prædiorum, aut pecunia fœnebri constent, *negotiator* proprie dici nequit: sed hæc jam fere nimia.

Hæ societates postea, etsi non ab Equitibus initæ, sed ab alio genere hominum, sub Imperatoribus mansere, unde in pandectis frequens earum memoria fit, & jura de societatibus illis exponuntur in l. 1. ff. quod cujusque. univ. nom. Singulare vero aliquid, & contra naturam reliquarum so- E cietatum, jus constitutum invenimus de vectigalium societate, in l. 59. & 63. §. 8. ff. pro socio, in quibus interpretandis JCti doctissimi varie se exercuerunt, nos breviter, quid de his sentiamus, exponemus.

Privatæ & ordinariæ societates voluntate contrahentium initæ, semper morte unius ex sociis dissolvebantur, ut cuique, qui prima juris elementa gustaverit, notum est, neque pacto poterat ab aliquo sociorum caveri, ut mortuo sibi heres in societatem succedat l. 35. ff. pro socio: nam absurdum & incommodum duplex hinc oriebatur: aut enim certa persona heredis erat pacto compre- F hensa, & eo casu, socius, qui de herede pactus fuerat, amittebat liberam testandi facultatem, l. 53. §. 9. pro socio: quum necessario illum, quem in societatem succedere voluerat, heredem scribere cogeretur: vel incerta persona erat designata, ut quisquis mihi heres futurus erit, in societatem succedat, & tunc pactum erat contra naturam societatis, in qua, quum opera & industria alicujus spectetur, certa debet esse socii persona, ne si minus idoneus sit, damnum reliquis afferat. §. 5. J.

de societ. Hæc ita in privatis societatibus obtinebant, in vectigalium vero societate aliter se res habebat, nec post mortem socii unius reliquorum societas dissolvebatur, sive de herede pactum fuisset, vel non; sive persona heredis idonea esset, vel minus capax: & ratio est, quia hæ societates erant necessariæ. Quod non ita intelligendum est, quasi quis cogeretur societatem inire invitus; sed quod, quum privatæ societati semper, dummodo sine fraude, renuntiari posset, ab hac ante tempus, ad quod vectigalia conducta sunt, discedere non liceat. De ratione singularis hujus juris variæ sunt Interpretum sententiæ, quas recenset & refellit Anth. Matth. de Auction. lib. II. c. 8. §. 6. qui tamen non recte leges JCtorum percepisse mihi videtur, quum statuat, hoc casu tantum, non solvi societatem vectigalium, *si modo heredi defuncti pars adscripta sit*, quæ si non adscripta sit, societatem exstingui, *partem* autem *defuncti adscribere*, esse nihil aliud, quam heredem adsciscere. Nos vero breviter exponemus, quam non recte mentem JCtorum Matthæus viderit, & quid sit hoc in casu, in *societatem adsciscere*, & *partem adscribere*, docebimus: hoc autem vult Pomponius in d. l. 59. societatem vectigalium, post mortem unius ex sociis omnimodo manere, nec quicquam interesse, an heres defuncti in societatem vectigalium a superstitibus adsumatur, nec ne: hoc enim ex arbitrio sociorum pendebat, qui si heredem defuncti idoneum satis judicarent, partem defuncti ipsi adscribebant, quo facto, ipse etiam socius fiebat, si vero minus habilis videbatur heres, ipsi partem defuncti suscipiebant, communicato lucro & damno cum herede, atque tunc heres socius non erat, nec tamen dissolvebatur societas, quæ inter superstites manebat: atque in eo maxima differentia sita erat inter privatam & publicam societatem, quia privata societas morte unius dissoluta & exstincta, non poterat cum ejus herede continuari; sed si superstites heredem socium adsciscere vellent, nova erat societas & novus contractus, l. 37. ff. eod. publica vero numquam morte unius vel alterius interibat, sed semper eadem societas erat, sive heres in societatem esset adscitus sive non; hocque clare in l. 63. §. 8. dicitur, ut *heres socius non sit, nisi fuerit adscitus, verum tamen omne emolumentum societatis ad eum pertineat, simili modo & damnum agnoscat*. Verba legis 59. quæ Interpretes fefellerunt, alio modo etiam sunt accipienda; dicit ibi JCtus, *manere societatem post mortem alicujus: sed ita demum, si pars defuncti ad personam heredis ejus adscripta sit*. Unde putant, societatem eo casu tantum manere, si heres adscitus sit, si vero repudietur, cadere societatem, sed male: nam ita hæc verba sunt exponenda, ut heres ita demum sit socius, si pars ipsi sit adscripta, manente nihilominus societate inter superstites, sed non cum herede, nisi fuerit adscitus; quum in privata societate, si heres adscitus esset, prior solveretur, & nova societas inita haberetur; ut recte hæc interpretatus est JCtus subtilissimus Janus a Costa ad §. 5. J. de societat. Et, ut error errorem trahit, ita ex mala interpretatione horum verborum, etiam sequentia male exposuerunt, *quod ipsum ex caussa æstimandum est, quid enim si is mortuus sit, propter cujus operam maxime societas coita sit, aut sine quo societas administrari non possit*. Quæ ita accipiunt Interpretes, quasi æstimandum sit hoc casu, num utile sit, societatem durare, nec ne, quum JCtus respiciat proxime antecedentia verba, quibus dixerat, *partem defuncti conferri oportere in heredem*, nim. si socii eum adsciscere volunt, quod, num societati expediat, æstimare illos debere, num persona heredis tam idonea sit, ut operam & industriam defuncti impleat, atque ita in rem suam sit, heredi partem defuncti adscribere; nihil vero dicit de societate continuanda, sed manente ea differit, num utile sit sociis adsciscere heredem, an vero sibi administrationem retinere, communicato cum herede lucro & damno.

In his societatibus vectigalium alii conductionem curabant, alii pro illis fidejubebant, alii societatem cum illis contrahebant; ut dicit Polyb. libro IV. capite 15. qui conducebat, ille totius societatis princeps quasi erat, & dicebatur *Manceps, quia in licitatione, qui superior erat, manu sublata significabat, se esse auctorem emptionis. Festus*. quod *manu sublata* dicit Festus, id *digitum tollere* dicit Cicero I. Verr. 54. & *digito licere* III. 11. & hoc in omnibus auctionibus factum docet Gronov. de Pecun. veter. IV. 3. pagina 271. Ab Asconio Ped. in Divination. capite decimo. *Mancipes* explicantur, *publicanorum principes, Romani homines*. vid. & Hottom. ad III. Verr. 74. & hinc eleganter Tertullian. Apolog. capite XI. summum Deum vocat *mancipem divinitatis*, cujus reliqui Dii sunt magistri, & operas ipsi dare coguntur. Horum periculo totum negotium gerebatur, & iidem reipublicæ obligati erant. Asconius ibidem. *Hi omnes exigenda a sociis suo periculo exigunt, & reipublicæ repræsentant*. Diversi ab his erunt Magistri societatis. Sic a Cicerone Plancii pater dicitur capite decimo tertio *maximarum societatum auctor, plurimarum Magister*: (nam auctor hic idem est, quod Manceps, ut ex Festo didicimus:) & ad famil. libro XIII. ep. 9. *P. Rupilius Magister in societate vectigalium Bithyniæ*, & V. ad Attic. 15. *Magistri scripturæ & portuum*. Tales magistri passim memorantur in Ciceronis Verrinis, ut II. 75. & alibi. Fuisse vero Magistrum illum, equitem primarium, qui Romæ omnia societatis negotia administrabat, docet ibidem capite 74. *ad L. Vibium Equitem Roman. virum primarium, quem reperiebam magistrum fuisse eo ipso anno, qui mihi maxime quærendus erat, venio*: quem tabulas habuisse totius societatis, quas novo magistro, (nam videntur annui sæpe fuisse) tradere solebat. III. Ver. 71. P. Vettium Chilonem, *hominem equestris ordinis honestissimum atque ornatissimum* vocat, qui *magister scripturæ & ejus societatis publicanorum*: ubi etiam tres magistri reperiuntur, L. Vettius, L. Servilius, & C. Antistius, qui vel simul fuerunt, vel sibi successerunt. Hic etiam habuisse videtur facultatem paciscendi de debito societatis. l. XIV. ff. de pactis. *Item magistri societatum pactum & prodesse & obesse constat*: ita legendum, non *magistro*, suadet lex sequens: *Tutoris quoque pactum pupillo prodest*: & recte emendavit hoc modo Ant. Augustin. III. Emend. I. Hic Magister etiam rationes societatis conficiebat, & per provinciam, cujus vectigalia conduxerat, alium mittebat, qui ejus vicem gerebat, qui pro Magistro dicebatur. Cicer. II. ad Att. ep. 10. *Terentius meus necessarius, magnas operas in portu & scriptura pro Magistro dedit*, & passim. Talis autem pro magistro videtur fuisse Zacchæus, qui ἀρχιτελώνης dicitur a Luca capite decimo nono, 2. quia omnibus, qui operas dabant, præerat. Ut autem reipublicæ consuleretur, cogebantur hi mancipes, datis fidejussoribus, cavere Populo, qui proprie dicebantur *prædes*. Festus: *Præs est is, qui Populo se obligat, interrogatusque*

que a Magistratu, si praes sit; ille respondet praes. Hi vero vel solam fidem suam interponebant pro conductoribus, vel etiam bona sua publico pro publicanis obligabant, Polyb. lib. IV. cap. 15. quae bona inde dicebantur *Praedia*. Ascon. in lib. I. in Verr. LIV. *Praedia dicuntur bona satisdationibus obnoxia, sive sint in mancipiis, sive in pecunia numerata;* Varro de L.L. lib. IV. pag. 11. *Praedia dicta item ut praedes a praestando, quod ea pignori data publice mancipes fidem praestent*, ubi vel legendum *quod eo pignore dato*, vel potius ut Vertranius, *quod ea pignori data mancipibus fidem praestent*, aliquando autem praediis, non fidejussoribus publicani reipublicae cavebant: Ascon. d. l. aliquando & praediis & praedibus cavere tenebantur. v. Brisson. de formular. lib. VI. pag. 523. & commentar. ad Cicer. I. Verr. 54.

Deinde erant alii equites Romani, qui neque conducebant, neque fidejubebant, sed simpliciter societatem cum Mancipibus inibant, & solum opes & pecuniam suppeditabant: talis fuit Atticus, qui teste Cornel. Nep. cap. 6. *numquam ad hastam publicam accessit, nullius rei neque praes, neque Manceps factus fuit*, sed tamen partes in vectigalibus habuit, ut patet ex Cicer. ad Att. I. ep. 19. Ubi agit de negotio Attici, scilicet exactione pecuniae vectigalis a Sicyoniis, quam vel suo vel publicanorum nomine exigebat, ut ex Epistola sequenti & lib. II. Ep. I. Popma ostendit.

Ultra hos, qui societatem constituebant, erant etiam alii, qui societatis res in provinciis curabant, & ceteris serviebant. De pro Magistro jam egimus, Magistri, qui Romae manebat, vicem gerente, & qui totius provinciae vectigalia curabat, sed alios per urbes dimittebat, qui portoria, scripturam &c. exigerent, qui generatim dicebantur *Operas Publicanis dare*. Sic Valer. Max. lib. VI. cap. 9. §. 8. *P. Rupilius non publicanum in Sicilia egit, sed operas publicanis dedit*, & Cic. ad famil. XIII. cap. 9. *C. Pupius, qui est in operis ejus societatis*. III. Verr. 41. *ornabant eos qui in operis erant*, talis ille Canulejus, qui in portu Syracusis operas dabat, II. Verr. 70. pro Plancio cap. XIX. *pro multis spoponderit, in operas plurimos patris auctoritate & gratia miserit?* quod dictum eodem modo, ut supra *in negotium mittere* vidimus, neque hi, qui operas praestabant, confundendi sunt cum publicanis ipsis, qui conduxerant vectigalia, quod quosdam fecisse video: hi enim ministri erant publicanorum, & mercenarii; quare Valer. Max. VI. IX. 8. de Rupilio, *non publicanum in Sicilia egisse, sed operas publicanis dedisse*, & *auctorato sociis officio se sustentasse*, & *diurnas capturas exegisse* dicit, ubi male *diurnas capturas* vectigalia interpretantur commentatores, quum sint diurnae mercedes, quas a publicanis capiebat: & hinc etiam eum, *qui operas in publico, quod vectigalium caussa locatum est, dat, reipublicae caussa non abesse* dicit, JCt. leg. XXXIV. §. I. ff. quib. ex causis major. quia sui commodi caussa, non coactus abest. Hi debebant tabulas conficere, quae Romam ad Magistrum societatis deferebantur, & cogebantur Romam deportare, judicii caussa. vid. Cicer. II. Verr. 70. Qui vero operas dabant, non omnes fuisse liberos, sed & servos adhibitos patet ex Cicer. ibid cap. 77. *servus societatis, qui tabulas confecerit*. de Provinc. consular. cap. V. *ibi publicanum, aut publicani servum esse vetuit*, quo loco etiam *custodias* sustulisse Gabinius dicitur, quas Publicani habebant; per quas quidam intelligunt apparitores, quorum opera utebantur in exigendis vectigalibus; alii carceres, in quos conjiciebant, qui debebant publicanis. Inter illos fuisse, qui *tabularii* dicebantur, satis constat ex illis, quae de tabulariis supra notavimus cap. VIII. ita *Tabularius Portuensis* in inscriptione Gudiana LXIII. 8. frequens etiam in lapidibus mentio *Tabulariorum* XXXX. Galliarum, ut apud Spon. Miscell. p. 217. Reines. IX. 36. Praeter hos, ut facile quid in provinciis gereretur, Magister & Socii, qui Romae substiterant, nossent, peculiares habebant *tabellarios*, qui continuo literas Romam, & inde iterum in provincias perferebant. Cic. ad Att. V. ep. 15. *Tu autem saepe dare tabellariis Publicanorum poteris, per Magistros scripturae & portus nostrarum dioecesium*, & epist. 18. & 21. & passim.

Quidam autem videntur prohibiti legibus & more fuisse, vectigalia conducere, vel societatem cum publicanis inire; sic Magistratibus, quibus cura redituum reipublicae commissa fuit, vetitum erat, ne ipsi conducerent, vel etiam partes haberent in societatibus. Verres, qui omnia subvertebat, etiam in hanc legem commisit, & quum Praetor esset Siciliae, cum publicanis colludebat, & partes cum iis habebat: Cicero in III. Verrin. 57. vocat hoc *crimen grave & vehemens, & post hominum memoriam, judiciaque de pecuniis repetundis constituta, gravissimum, Praetorem Populi Romani, socios habuisse decumanos;* & inter maxima crimina Verri objectum fuit, quod ille *novum genus publicanorum constituerit Apronium, Veneriosque servos, procuratores quaestus istius, & ministros rapinarum*. III. Verr. cap. 20. & hinc saepe gravissimae publicanis inimicitiae & rixae intercedebant cum provinciarum rectoribus, qui vel, ut Verres, publicanos ipsos spoliabant, vel illis favebant, vel a publicanorum vexationibus & injuriis provinciales tuebantur: ita Rutilius ab Asiatica societate & conspiratione publicanorum fuit perculsus. Vid. Valer. Max. II. X. 5. quia ab injuriis eorum Asianos defenderat. Liv. epit. lib. LXX. A conductione etiam remoti fuisse videntur peregrini & servi, soli cives Romani admissi: hinc salse tangit Verris publicanos Cicero in III. Verrin. 39. *Quum eorum*, inquit, *decumas med.* DCCC. *vendidisses Banobali Venerio, (cognoscite nomina publicanorum) cogis eos plus lucri addere &c.* & hoc ex Asconio patet, qui ad Divinat. dicit *Mancipes, publicanorum principes, Romanos homines*. Feminae videntur non omnino prohibitae fuisse ex lib. XLVII. ff. de jure fisci, ubi Moschis debitrix Fisci ex conductione vectigalis fuisse dicitur, sed vix puto ibi agi de magnis illis totius alicujus provinciae vectigalibus, sed vel de praedio vectigali, vel alio minuto quodam vectigali, quod vel ipsa, vel forte ejus maritus vivus conduxerat, quo mortuo illa reliqua debebat.

Hae societates Publicanorum, quae ab Equitibus agitabantur, maximae dignitatis & auctoritatis in republica Romana erant, ita ut, qui aliquid efficere in republica vellet, maximam curam ageret, ut sibi adjungeret publicanos. Saepe Cicero sibi applaudit de amore & benevolentia, qua ipsum Publicani amplectebantur, ita ut etiam de se scribat, *Publicanis in oculis sumus*, Att. VI. Ep. 2. Et Lentulo commendat, ne ejus *ordinis rem aut voluntatem offenderet, sed eum sibi conciliet & mitiget*, l. I. ad Fam. 9. in fin. & ut omnia fere corpora & collegia aliquem sibi patronum ex principibus civitatis adoptare solebant, ita &

Ciceronem quasi patronum fuisse patet ex l. xiii. Epist. 65. ubi dicit Societatem scripturæ universam *in sua fide* fuisse. Quin & horum maxime opera & studio Cæsar rem publicam pessumdedit: nam quum societas, quæ Asiæ vectigalia conduxerat, calore licitationis abrepta, pluris, quam reddebant vectigalia, emisset, & peteret a Senatu, ut locatio induceretur, Senatus ipsi hanc gratiam fecisset, nisi Cato, (qui orationem habuit de vectigalibus Asiæ, quæ dissuasio vocatur a Festo, in *portisculus*, vid. & Val. Max. ii. x. 7.) præfracte & omnibus viribus ærarium tuendo, contendisset, nullam illis concedendam remissionem, quo facto Equitem a Senatu disjunxit, & Cæsar, callide tempus captans, effecit, ut tertia pars mercedis, qua conduxerat societas, ipsi remitteretur, quo præcipue beneficio Equestrem ordinem sibi devinxit, & rerum potitus fuit. Suet. Cæs. c. xx. Cic. ad Att. lib. i. ep. 17. & lib. ii. ep. i. & passim.

Societas vero illa publicanorum olim in quinquennium, quia censura eo annorum numero terminabatur, conducebat vectigalia, quo elapso ab integro locari debebant, ut jam supra vidimus; sed sub Imperatoribus aliquid mutatum fuit, ut nimirum, si sequenti lustro vectigalia non eodem pretio locari possent, & publicani præcedenti lustro lucrum fecissent, cogerentur eodem pretio suscipere vectigalia, quo antea conduxerant. Verba legis xi. §. ult. ff. de Publicanis sunt; *Qui maximos fructus ex redemtione vectigalium consequuntur, si postea tanto locari non possunt, ipsi ea prioribus pensionibus suscipere compelluntur*, quod tamen ad tempus tantum constitutum fuisse videtur, & Hadriano Imperatori inhumanum visum conductores vectigalium & agrorum, si tantidem locari non possunt, retineri. idem constituit Constantinus in l. iv. Cod. de vectigalibus, qui *finito triennio*, quod pro quinquennio eo tempore sollemne erat vectigalium conductionibus, *omnia jura conductionis recreari, & aliis locari vectigalia voluit*, & ratio æquitatis plenissima redditur in l. 9. §. i. ff. de publicanis, *quia ad conducendum vectigal nemo invitus compellitur, & ideo impleto tempore conductionis elocanda sunt*. Quamdiu vero obtinuit illa ratio, finito lustro cogendi conductores iterum suscipere vectigalia, fidejussores tamen, qui pro priore lustro caverant, sequentis lustri nomine non tenebantur, ut in lege iii. §. de Jure fisci legitur.

Hæc in genere de publicanis; nunc videndum, quid in unoquoque genere vectigalium exigendo observatum fuerit, unde diversa nomina Publicani sortiti sint: hoc docet Ascon. Pedian. in Divinat. cap. x. *Mancipes, si quæstus sui gratia decumas redimunt, decumani appellantur, si portum aut pascua publica*, Portitores *&* Pecuarii, *quorum ratio scriptura dicitur*. Decumani erant, qui Decumas conduxerant exigendas ab aratoribus; de his frequens apud Cicer. in Verrinis mentio est. vid. lib. ii. Verr. 13. & iii. passim, & *Decumani principes & quasi Senatores publicanorum* vocantur lib. ii. in Verr. cap. 71. Hi solebant cum aratoribus pactiones facere de sationibus, secundum quas frumenti certa quantitas illis daretur. Iniquas decumanorum Verrinorum pactiones late describit Cicer. d. l. Hæ autem pactiones conficiebantur, ut lites, quæ inter publicanos & provinciales semper oriebantur, exstinguerentur. Cicer. ad Q. Fratr. i. ep. i. *possunt in pactionibus faciendis, non legem spectare Censoriam, sed potius commoditatem conficiendi negotii & liberationem molestiæ*, per quas pactiones, in vectigalibus erant publicani petitores ac pigneratores, iii. Verr. cap. ii. Secundum has pactiones, Magistratus in provinciis controversias dirimebant, unde sibi in provincia agenti gratulatur Cicero, se *posse omnibus satisfacere, eo facilius, quod in sua provincia confectæ essent pactiones*, ad Att. lib. v. ep. 14. & 15. Solebant etiam Prætores & Proconsules in Provinciis edicta de his pactionibus proponere, quibus profitebantur, *se pacta, quæ nec vi, nec dolo facta erant, inter Publicanos & Provinciales, servaturos*; de quibus agit Cic. vi. ad Att. ep. i. unde etiam colligitur, his pactionibus Publicanos usuras adscripsisse, si intra tempus pacto comprehensum, non solutum esset vectigal, de quo inter eos convenerat; dicit enim: *Usuras eorum, quas pactionibus adscripserant, servavit etiam Servilius, ego sic. Diem statuo satis laxam, quam ante si solverint, dico me centesimas ducturum, si non solverint, ex pactione*; & hinc Gabinio objicit Cicer. in Orat. de Provinc. Consf. cap. v. *illum pactiones sine ulla injuria factas rescidisse*.

Qui pascua publica conduxerant, ut inde vectigal colligerent, ab Asconio vocantur *Pecuarii*, & ita Livius lib. xxxiii. cap. 42. & lib. xxxv. cap. 10. eos appellat; sed & *publicani*, qui pascua conducunt, vocantur a Plinio lib. xix. cap. 3. Aliter etiam *scripturarii* dicuntur, quia pro pecude, quam scribebant sive notabant in rationibus, æs accipiebant, ut supra ostendimus; hujus vectigalis Magistri sæpe apud Ciceronem occurrunt, v. ad Att. ep. 15. & pro Magistris, ad Famil. xiii. ep. 65. & ad Att. ii. ep. 10. ubi & qui operas dant in scriptura.

Portoriorum conductores ab Asconio *Portitores* appellantur, in quo tamen eum errare credimus, quum *portitores* non ipsi publicani vel Mancipes, quos describit ibi Asconius, sed eorum ministri erant, qui operas ipsis in portubus præstabant. Cic. ad Att. ii. ep. 10. Eos sic describit Nonius. *Portitores sunt telonarii, portum obsidentes, omnia sciscitantes, ut ex eo vectigal acciperent*. Horum mores & curiosam indagationem lepide describit Plautus Menæchm. i. 2. v. 6.

> *Rogitas quo eam? quam rem agam? quid negotii geram?*
> *Quid petam? quid feram? quid foris egerim?*
> *Portitorem domum duxi, ita omnem mihi,*
> *Rem necesse loqui est, quidquid egi atque ago.*

Salmasius de fœnore Trapezitico pag. 243. recte hos *portitores* fuisse a publicanis præfectos exigendo vectigali, & *publicanos* fuisse ipsos redemtores, *portitores*, qui exigebant proprie portoria; & deinde etiam ita dictos, qui alia vectigalia colligebant, qui in Evangelio sæpe τελῶναι dicuntur, & male *publicani* vertuntur, cum *portitores* Latine sint dicendi; & multis etiam hanc vocis *portitoris* significationem illustravit Jan. Broukhusius ad Propert. iv. xi. 7. Idem tamen Salmasius pag. 385. ubi idem fere repetit, perperam addere videtur, illos minutos τελώνας, *portitores*, fuisse, qui a publicanis ipsis conducta vectigalia habebant, quod probare debuisset. Eos etiam aperte a publicanis distinguit Donat. ad Terent. Phorm. i. 2. & dicit *Portitores esse, More veterum magistros tributorum, qui operam in portu dabant, inferendarum rerum & efferendarum vectigal exigentes*: horum acerbæ & iniquæ exactiones caus-

ſam præcipue dederunt, ut tollerentur portoria. Cic. I. ad Q. Frat. I. *Illa cauſſa publicanorum quantam acerbitatem afferat ſociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio, quam de nonnullis injuriis portitorum querebantur*. De Metallorum conductoribus, nihil ſingulare invenimus, ſed eos generali publicanorum nomine deſignatos fuiſſe credimus; ſic Livius XLV. cap. 18. agens de Macedoniæ Metallis, dicit, *ea ſine publicano exerceri non poſſe*.

Ita ſub libera republica vectigalium exactio fiebat, quæ deinde ſub Imperatoribus, ut fere omnia, aliquantum immutata eſt: ac primo frumenti & carnis, ſive pecudum, exactio non amplius publicanis commiſſa eſt, neque poſt ea tempora decimanorum vel ſcripturariorum nomen facile reperies, ſed translata cura vectigalium ad quoſdam Magiſtratus, ut ſuperiori capite retulimus; certi ſub eorum diſpoſitione & cura conſtituti ſunt homines, qui per provincias mittebantur, ut vectigalia, tam frumenti, quam pecudum, & vini & olei colligerent, hi vel a ſpeciebus *Frumentarii*, vel *Pecuarii* vel *Suarii* dicuntur, de quibus ſingulis agere non conſtituimus, (ſed vide Reineſ. ad Claſſ. I. Inſc. 105. qui tamen neſcio an recte in Claſſ. VIII. Inſc. 22. ubi PEQUARIUS legitur, corrigit SPECULARIUS. quum diverſa tantum ſit forma ſcribendi, pro *Pecuarius*, ut apud Gruter. CCII. *Pecudes*, & apud ipſum Reineſium Claſſ. I. 29. *Pequnia* pro *pecunia*, & paſſim Q. pro C. in lapidibus & MSS. etiam occurrit.) vel generali voce *Suſceptores* appellantur, de quibus frequens mentio apud poſterioris ævi ſcriptores, & titulus in Utroque Codice. Hi accipiebant a provincialibus frumentum, oleum, vinum, pecudes, & ne cum provincialibus colluderent, illis adjuncti erant *Annotatores* ſive *Tabularii*, qui apochas, quas conlatores a ſuſceptoribus accipiebant, ſervabant, ut inde inlatio tributorum & vectigalium cognoſceretur, l. 2. C. Theod. de annon. & trib. & contra ſuſceptorum & tabulariorum fraudes eſt. l. 27. Cod. Theod. de ſuſcept. Plura de ſuſceptoribus tit. C. Theod. de ſuſcept. habet Jacob. Gothofred. Hi ſuſceptores, præter vectigal, quod a provincialibus exigebant, adhuc augmentum aliquod capiebant, quod *Interpretium* vel *Epimetron* dicitur. Non enim eamdem quantitatem frumenti, vini &c. poterant ſuſceptores Romæ reddere, quam in provinciis receperant, quia vel naturalem deminutionem patiebantur illæ ſpecies, vel corrumpebatur pars aliqua, & hinc neceſſarium damnum illis eveniebat; quapropter Imperatores conſtituerunt, ut illis aliquid Epimetri nomine daretur; non vero unus & idem modus erat Epimetri, ſed pro ratione Provinciarum, vel ſpecierum differentia, major vel minor erat; in remotioribus provinciis plus Epimetri nomine dabatur, quam in propinquioribus l. 9. C. de ſuſcept. Lucania dabat decimæ ſemiſſem carnis porcinæ l. 4. Cod. Theod. de ſuar. pro vino & lardo exigebatur vigeſima, pro frumento quinquageſima, pro hordeo quadrageſima, d. l. 9. l. 15. C. Theod. de ſuſcept. Aridarum frugum, quia eæ facilius tranſportantur, epimetron erat Centeſima l. 3. 14. & 15. Cod. Theod. eod. de qua & agi in l. 11. C. Theod. de jur. fiſc. docet Jac. Gothofr. non autem totum Epimetron ſuſceptores tuliſſe, ſed dimidium cum Annotatoribus communicare debuiſſe, colligitur ex l. 3. Cod. Theod. de ſuſcept. Ab Epimetro immunes erant quædam provinciæ, quarum vectigalia ad certum pretium redacta erant, & qui non ipſas ſpecies, ſed earum loco pecuniam ſuſceptoribus dabant. Caſſiod. II. var.

A 39. *Redactum eſt ad pretium, ubi pati non poterant detrimentum, quod nec itineribus imminuitur, nec laboribus ſauciatur*. Ultra hos ſuſceptores erant etiam *Exactores*, de quibus eſt tit. lib. II. C. Theod. ad quem multa de his Jac. Gothofr. deinde erant etiam *Compulſores*, qui tempore lapſo, quo vectigalia perſolvi debebant, mittebantur, ut compellerent, & ſi ſolvere negarent, excuterent provinciales, l. 34. C. Theod. de Annon. & Tribut. & l. ult. Cod. de exactoribus, & III. Cod. de Lucris Adv. Hos etiam *Exceptores*, quos in lapide invenit, vocari voluit Fabrettus cap. X. pag. 683. quamvis illi & pro actuariis poſ-
B ſent exponi, ut apud Gruter. CCLXXII. 4. ſed hæc nunc excutere non eſt hujus loci. erant etiam *Opinatores*; qui erant milites, miſſi ut annonam militarem a provincialibus exigerent l. 26. Theod. de erogat. milit. annon. l. 7. C. de exactor. tri. l. 11. & 14. de Erogat. milit. ann. hæc ſtrictim modo annotanda duximus, quia jam amplede illis egit vir incomparabilis Jac. Gothofr. ad d. ll. nec nobis rationem officiorum domus Auguſtæ deſcribere animus eſt.

Ut vero commodius ſuſceptores & exactores ſpecies, a frumentariis provinciis exactas, Ro-
C mæ redderent, inſtitutæ ſunt ab Imperatoribus claſſes navium, quibus ſpecies a ſuſceptoribus exactæ, & in provinciarum horrea conditæ, Romam tranſveherentur. Primus Auguſtus inſtituit claſſem Alexandrinam, quæ frumentum, quod quotannis Ægyptius præbebat, deveheret; omne vero frumentum Ægyptium Alexandriam deportabatur, unde dicitur *Frumentum Alexandrinum* in rubrica Cod. Theod. de frument. Alexandr. & ipſa urbs Alexandria in nummis mulieris habitu, ſpicas frumenti dextra tenentis, pingitur, v. Harduin. numiſm. in Alexandria, & Illuſtrem Spanhem. de uſu & præſt. num. diſ. IV. pag. 223.
D Hujus claſſis celebris apud auctores eſt memoria, & multa & præclara de ea congeſſit Caſaub. ad Suet. Aug. c. XCVIII. & Barth. ad Stat. III. Silv. II. 21. & ſeq. ubi ad Claudianum ſe latius egiſſe de Ægyptio frumento ait: ſed horum ſcrinia non compilabimus. Alteram poſtea inſtituit Imperator Commodus, quæ Africana dicta fuit. Lamprid. cap. XVII. *Claſſem Africanam inſtituit, quæ ſubſidio eſſet, ſi forte Alexandrina frumenta ceſſaſſent*. hac claſſe frumenta ex ulteriori Africa, & agro Carthaginenſi & Lybia deferebantur, unde in veteri Inſcriptione apud Reineſ. 3. 21. dicun-
E tur *Naves Carthaginenſes ex Africa*, & in Codice Theodoſiano titulus de *Frumento Carthaginenſi*. Translato deinde imperio Conſtantinopolim, Africana claſſe veteri Romæ alendæ relicta, Alexandrina ſive Ægyptia novæ Romæ deputata eſt. Eleganter admodum Romam de hac diviſione querentem, inducit Claud. de bell. Gildon. v. 52. & ſeqq.

Tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere,
Ut dominam plebem, bellatoremque Senatum
F *Claſſibus æſtivis alerent, geminoque viciſſim*
Litore diverſi complerent horrea venti.
Stabat certa ſalus, Memphis ſi forte negaſſet,
Penſabam Pharium Getulis meſſibus annum;
Frugiferas certare rates, lateque videbam
Punica Niliacis concurrere carbaſa velis.
Quum ſubiit par Roma mihi, diviſaque ſumſit
Æquales Aurora togas. Ægyptia rura
In partem ceſſere novam, ſpes unica nobis
Reſtabat Libyæ. &c.

Hæ classes exercebantur a Naviculariis, qui navium harum domini erant, quorum erat collegium & corpus quoddam, variis legibus & conditionibus obnoxium, vicissim privilegiis quibusdam fruens, l. 5. ff. de muner. & honor. l. 5. §. 3. & 14. ff. de Jure Immunit. & jam ante Claudius illis multa indulserat. vid. Suet. cap. XVIII. ubi vide Comm. & P. Fabr. lib. I. Semestr. cap. ult. & hinc multi, etsi ipsi nec naves fabricassent, nec negotiationem hanc exercerent, corpori naviculariorum se inseri curabant, ut iis immunitatibus & privilegiis fruerentur, quam fraudem inhibuerunt Divi Fratres lib. V. §. 6. ff. de jure immunit. de his in Utroque Codice titulus est, & plura qui de his desiderat, adeat doctissimos commentarios Jacobi Gothofredi.

Sub Imperatoribus Portoria locari solita fuisse, docent l. 4. C. de vectig. & l. 7. C. de locat. & aperte *Conductores Portuum* vocantur in l. 36. Theod. de indul. debitor. qui a Magistratibus, quos vectigalibus præfuisse ante docuimus, redimebant. Appellati hi sunt singulari nomine *Octavarii*, ab Octava, quæ, iis temporibus portorii nomine exigebantur. In eo autem mutatio aliqua accidit, ut, quum antiquioribus reipublicæ seculis, privata auctoritate & propriis ministris Publicani vectigalia exigerent, Octavariis adjuncti sint milites, qui illis contra vim & fraudes mercatorum adessent: hoc colligitur ex Dione. lib. XLVIII. ubi narrat Plebem tumultuantem contra publicanos, *αὐτοῖς ἐκείνοις καὶ τοῖς ὑπηρέταις, τοῖς τε στρατιώταις τοῖς συνεισπράσσουσι σφίσι τὰ χρήματα εἰς χεῖρας ᾔεσαν. cum illis & eorum ministris & militibus, qui illis in exigendis pecuniis opitularentur, ad manus venisse*: Præcipue vero Publicanis adjuncti fuere milites *Stationarii* & *Urbani*. l. 5. C. de vectig. de quibus pauca quædam subjungemus.

Stationariorum militum origo referri debet ad Augustum: *Eum enim, ut grassatores inhiberet, locasse stationes per opportuna loca*, auctor est Sueton. cap. XXXII. Et videtur jam Augusto exemplum præbuisse Sylla, qui quum militares colonias deduceret, etiam milites, quorum opera in bellis civilibus erat usus, opportunis locis disposuit, qui Italiam in potestate continerent. vid. Appian. Alex. lib. I. de bell. civil. p. 683. Præcipua autem causa, quæ Augustum movebat, erat duplex, una, quam prætexeret & præ se ferret, alteram, quia securitati suæ magis, quam Populi consulebat, tegeret: quum enim per belli civilis licentiam, crebræ per Italiam cædes & latrocinia in viis publicis perpetrarentur, militibus tranquillitatem & publicam securitatem asserendam jactabat, itaque stationes quasdam instituit, per quas milites dispositi, possent paci Populorum consulere, sed hoc prætextu iidem milites explorabant, quid ubique in imperio Romano gereretur, & num aliquis nova consilia contra recentem Augusti dominationem iniret, quæ statim ad Augustum deferebant, qui seditiones & machinationes, antequam vires sumserant, evertebat: quare deinde Tiberius, qui suspicax & diffidens erat, has stationes numero auxit, Sueton. cap. XXXVII. & deinde ab Imperatoribus hoc militum genus ad diversa munera adhibitum est, in quorum historiis frequens eorum mentio est, l. I. C. de Curios. & stationar. ita *miles coh.* VI. *Prætoriæ stationis Tiburt.* occurrit in lapide Doniano pag. 48. & apud Plin. lib. X. Ep. 16. *Apulejus miles, qui est in statione Nicomediensi*. in ipsa etiam urbe Roma stationarios fuisse milites colligere forte quis posset ex fistula, quam profert Phil. a Turr. in inscript. Aquilii cap. VIII. in qua STATIO URBANA. AUG. N. quam ille refert ad officinam,

A in qua tubi illi conflabantur. sed an illa Augusti statio dici possit dubito. rectius forte milites stationarios intelligere licet, quamvis nihil certi ex his verbis ita simpliciter positis effici posse concedam. Præcipue eorum indagatione latrones perquirebantur, v. Col. ad Apulej. lib. VII. met. pag. 84. & alia omnia crimina, quæ quietem populi interrumperent, judicibus indicabantur; unde eorum Præfecti, ab hoc munere, dicuntur *Irenarchæ*, quia *debebant ad tutelam provincialium, quietis & pacis concordiam facere*, l. unic. C. de Irenarch. & in l. 18. §. 7. ff. de muner. & honor.
B dicuntur, *Disciplinæ publicæ & corrigendis moribus præfecti.* vide de Irenarchis Masson. vita Aristidis A. U. C. DCCCCXXII. §. 13. & de illis capiunt viri docti l. XXXV. §. 5. ex quibus causs. major. ubi, *qui ad compescendos malos homines mittuntur, reipublicæ caussa abesse intelligi* dicuntur: *mali autem homines sunt* latrones, ut & in l. 3. ff. de off. præsid. & l. 20. commodati, & alibi. Ex quibus patet verus sensus l. I. §. 12. ff. de Off. Præf. Urb. ubi dicitur, *Præfectum Urbi debere dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularium quietem, & referendum sibi, quid in urbe agatur*. ad quam legem Viri docti va-
C ria, ut explicent, quid *Popularium* voce notetur, adferunt. Gothofredus vult *Popularia* esse consessus Theatrales, sed Nerius analect. I. cap. 5. secutus Cujac. VIII. observ. 21. de factionibus Circensibus capit, quum simpliciter, *Popularium quies* possit exponi, Populi & Civium Romanorum tranquillitas, unde Sannio Terentianus, Quiritium fidem invocans, proclamat in Adelph. II. I. I.

Obsecro Populares, ferte misero atque innocenti auxilium.

D Ubi Donatus, *Populares*, *cives* interpretatur: Cicer. I. ad fam. 2. *popularem rationem* dixit, & ita cepit Casaubonus ad Capit. Anton. Philos. cap. XVI. Gothofredi tamen expositionem de theatralibus turbis & turbulentis adclamationibus *popularium*, ut vocantur in l. XXVIII. §. 3. de Pœnis, non omnino absurdam esse credimus, quam & olim Lipsius prodiderat lib. III. Epist. quæst. 18. & de iis etiam egerat lib. I. cap. I. Cujacii vero explicatio de Circensibus factionibus, partem tantum tangit, quum rectius mea sententia ceperit *populares*, de omnibus editionibus ludorum, in
E quibus turbæ excitabantur, Jac. Gothofr. ad L. II. Cod. Theod. de Offic. Rectoris Provinc. qui tamen sui immemor, ad Tertul. de Nat. lib. I. cap. 10. & ad l. VII. Cod. Th. de Annon. civic. *populares* interpretatur, qui Palatinis & militibus opponuntur, quod nuperus quoque præfator Thesauri Juris adnotavit, sed inconsiderate, l. 17. forte, ut sæpe, malo indicio alterius, citavit: quum tantum quindecim sub eo titulo leges exstent, & de spectaculorum tumultibus etiam explicuit Sam. Petitus ad Leges Atticas pag. 78. Salmasius vero ad Spartiani Pescen. Nigr. cap. III. nihil de hac lege docet, sed simpliciter *populares* ibi debere capi de
F infima & minuta plebe. Qui vero de spectaculis capiunt, inducti fuere, quia & ibi tres ordines distincti, senatores in Orchestra, Equites in quatuordecim, Populus in cavea, unde fere omnes seditiones & tumultus oriebantur, quæ caveæ etiam *popularia* dicebantur. vide Sueton. Claud. XXV. Domit. IV. & hoc maxime firmari potest loco Suetonii in Tiberio c. XXXVIII. ubi agit de stationariorum militum dispositione per Italiam, & castris prætorianis, quibus statim subjungit, *Populares tumultus exortos gravissime coercuit, & ne oriren-*

tur sedulo cavit, quod generatim dictum mox exemplo cædis in Theatro factæ confirmat. *Cæde in Theatro per discordiam admissa, capita factionum, histriones, propter quos dissidebatur, relegavit.* & ita in *populo sedere* est idem quod in cavea, apud Martial. XI. 33. sed nihil etiam obstat, quo minus illos tumultus latius explicemus, quam de factionibus Circensibus & Theatralibus, quum sæpe etiam populus in cavea, præsente imperatore tumultuaretur, quum vel artior annona, vel vini inopia & caritas, populo poscenti panem & vinum, tumultuandi locum daret, ut exemplum dat Suetonius in August. cap. XLII. & aliud cap. XXXIV. ubi abolitionem legi Papiæ in spectaculo pertinaciter postulabat eques, sed coercuit Augustus. alia exempla popularium tumultuum in ludis dabit Sirmondus ad Sidon. Apoll. lib. I. Epist. 10. ubi videmus etiam hos maxime ad Præfectum urbi, ut in hac lege, spectare, & sæpe ipsius in caput redundasse. Servos etiam fugitivos reprehendere & in carcerem detrudere, ad stationariorum officium pertinebat; l. 2. §. 2. & 4. ff. de fugitiv. ex qua lege etiam apparet, eos in portubus præsidio & exilio publicanis fuisse: junguntur enim cum *Liminarchis*, qui portus custodirent & trajicientes observarent. clarius vero indicat L. V. Cod. de Vectigalibus. ubi vetatur, *ne pro rebus ad usum vel ad fiscum inlatis vectigal a stationariis exigatur*, ubi etiam *urbani* illis junguntur, quibus pœna capitalis statuitur, si avaritia ducti exigunt vectigalia, aut plus quam statutum est.

Porro Urbani milites, sub Imperatoribus, diversi plane erant ab Urbanis tempore reipublicæ: hi enim ad subita belli conscripti extra ordinem, & qui ad custodiam Urbis relinquebantur, dum legiones in hostem ducerentur, nec genere militiæ vel dignitate distinguebantur; horum frequens apud Livium & alios scriptores mentio fit. Sub Imperatoribus vero Urbani diversi, & ab aliis militibus distinctæ cohortes esse cœpere, & aliis militibus honoratiores habiti, solis cedentes Prætorianis, qui, ut ad custodiam Cæsaris & Palatii erant delegati, ita Urbanis Urbis cura commissa fuit, unde eorum castra in ipsa urbe, quæ dicebantur Castra Urbana l. 15. §. 3. ff. ad L. Jul. de adulter. Horum militum magnus favor erat apud Imperatores, unde in eorum testamentis luculentiora plerumque legata, quam reliqui milites, percipiebant. vid. Tacit. I. ann. 8. & ibi Gronov. & Dion lib. LV. & LIX. variis etiam privilegiis gaudebant, nim. ut, etsi numquam Roma excederent, sed perpetuo ejus custodiæ caussa ibi manerent, tamen beneficio restitutionis, propter absentiam reipublicæ causa, fruerentur, l. 35. §. 4. ff. ex quib. caus. major. ex constitutione Pii. quæ tamen legis fictio in causa adulterii ipsis non prodest. l. 15. §. 3. ff. ad L. Jul. de adulter. aliquando tamen etiam emissas ex urbe fuisse ostendit Ryck. ad Tacit. III. Hist. 41. deinde stipendium sesquiplex accipiebant, dimidium ejus quod Prætoriani, ut docuit Schel. ad Hygin. in addend. Maturiorem etiam vocationem, quam ceteri milites habebant; quod colligere mihi posse videor ex l. 8. §. 9. ff. de excus. ubi dicitur *quis in Urbanis cohortibus permilitasse, licet ante viginti annos mittatur*. Unde reliquos milites teneri viginti annos militare, Urbanos sedecim defungi potuisse conjicio, hincque locum Tacit. I. ann. 17. supplendum esse puto, ubi Percennius in oratione, qua Milites ad seditionem accendit, hoc artificio utitur, ut invidiam Prætorianis & Urbanis Militibus conciliet, qui lautius habebantur, quam ceteri legionarii. *An*, inquit, *Prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, quæ post sexdecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere*. Lipsius hic Tacitum cum Dione pugnare putat, qui tradit Augustum definiisse duodecim annos Prætorianis, Tacitus vero hic sexdecim, sed quum in Tacito infinitæ lacunæ & hiulca loca reperiantur, idem hic accidisse puto, & locum sic constituendum, *An Prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, an Urbanas, quæ post sexdecim annos penatibus reddantur.* Ita ut Percennius Prætorianis invidiam a stipendio, Cohortibus urbanis a matura vacatione moveat: nam has voces, *An Urbanas* ibi desiderari, sequentia innuunt, *Non obtrectari a se Urbanas excubias, sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici*. Quæ verba ad Urbanas cohortes, quæ semper in Urbe excubias agebant, sunt necessario referenda; nam Prætoriani, etsi & illi dici possint urbanas excubias agere, non perpetuo tamen ibi erant, sed Cæsari adhærebant, quem in itineribus & bellis comitabantur; quin etiam, quamvis Imperator domi maneret, aliquando pars quædam Prætorianorum cum ducibus in longinqua bella mittebatur; & ita apud Tacitum nostrum in hac ipsa seditione Percennii, c. 24. legimus, *Tiberium, Drusum filium cum primoribus, duabusque prætoriis cohortibus, misisse*, & ex cap. 27. & 30. apparet, Prætorianos non fuisse expertes longinquæ militiæ. Fabrettus vero ad inscript. pag. 140. duplices Prætorianos fuisse credit, Prætorianos prætorii Urbis, & legionarios, quem vide. Urbanis cohortibus præerat Præfectus urbi: Tacit. hist. III. cap. 64. *Esse illi* (Flavio Sabino Præfecto Urbi) *proprium militem cohortium Urbanarum*. Stat. I. Silv. IV. 8. *Ergo alacres, quæ signa colunt urbana, cohortes*: quia Rutilius Gallicus erat præfectus urbi. de numero Urbanarum cohortium vid. Fabret. ad inscr. p. 127. & sub tribunis singulis fuisse constat. unde Flavius Sabinus Præf. Urbis *scribit Tribunis cohortium, ut militem continerent*, apud Tacit. III. Hist. 98.

Verosimile etiam ad exemplum Urbanorum Militum Romæ, in minoribus civitatibus & oppidis, quosdam milites in perpetuo præsidio fuisse, qui earum curam gererent, & simul vectigalia exigerent, nam quum Urbani Milites Romæ detinerentur, ut jam diximus, & tamen Urbani in l. 5. C. de Vect. dicantur vectigalia exigere, necesse est ut statuamus plures Urbanos in reliquis oppidis, per Imperium Romanorum, fuisse, & fortasse hoc ex Dione lib. LIX. posset confirmari, ubi Tiberii legata recensens, & quid militibus Caligula ex iis solverit, narrat. τοῖς ἀστικοῖν καὶ τοῖς νυκτοφύλαξι, τοῖς τε ἔξω τῆς Ἰταλίας ἐκ τοῦ καταλόγου οὖσιν, εἴτε τι ἄλλο στράτευμα πολιτικὸν ἐν τοῖς μικροτέροις τείχεσιν ἦν, τὰ καταλειφθέντα διέλυσεν. *Urbanis militibus & vigilibus, ut & legionibus, qui extra Italiam militabant, vel si qui alii milites Urbani in minoribus oppidis erant, legata persolvit.*

Salinæ olim a salinatoribus fuerunt exercitæ: ut docet nos fragmentum Catonis apud Serv. ad Virgil. IV. Æn. 244. *De aqua quod attinet, ad salinatores ærarios, cui cura vectigalium, resignat.* unde *Salinatoris* cognomen Livio datum esse verosimile est. Sub Imperatoribus publice locari perseverarunt, hinc in l. 59. §. 1. ff. de Hæred. instit. dicitur *socius in vectigalia Salinarum*: & in l. 11. C. de Vectigal. *Mancipes, id est Salinarum conductores*, memorantur. Hi videntur collegium & corpus quoddam constituisse, eodem modo ut supra de Naviculariis diximus, quod obnoxium erat variis oneribus, & vicissim quibusdam privilegiis gaudebat: hoc colligitur ex Symmach. X. ep. 58. ubi Symmachus ad Imperatorem Theodosium scribit, *Mancipes Salinarum magno ex numero ad paucos redactos, necessitatis publicæ molem ferre non posse*. Præcipue vero cogebantur Mancipes præstare ligna, quæ in usus balnearum, thermarum & la-

vacrorum publicorum desiderabantur, hinc ibid. Symmach. *Navicularios, æque ac Mancipes Salinarum, obnoxios lignorum functioni esse* dicit. Ligna vero, quæ Mancipes præstare solebant, ex Silvis publicis cædebant, quæ balneis erant deputatæ. Aggen. Urbic. com. ad Front. de limit. agror. *Loca autem quæ publica sunt, sunt Silvæ, de quibus lignorum copia, in lavacra publica ministranda cæduntur.* & hinc dicuntur *Salinæ Populi Romani lavacris inservire*, in l. 3. C. Theod. de collat. donatar. quia earum mancipes hoc onere tenebantur. Ex ea lege tertia Cod. de vectig. etiam apparet, Mancipes Salinarum, propter hanc lignorum præstationem, fuisse immunes a collatione, cui donatæ ædes, horrea, ergasteria, domus, cœnacula & salinæ erant obnoxiæ, quam collationem hac lignorum præbitione compensabant: præterea varia illis privilegia indulta ab Imperatoribus fuere, quæ Valentinianus & Valens ipsis confirmarunt in l. unic. C. Theod. de Mancipibus Thermarum. Quum autem plurimi & privati, & etiam Imperatores balnea & thermas in usum populi instituerent, solebant iis adjungere Silvas, ex quibus ligna ad eorum usum suppeditabantur, sic de privatis est inscriptio apud Gruter. p. 81. 7. ubi *Sempronianus* quidam *Thermas, aqua perducta, cum Silvis, sua impensa D. D.* & de Alexandro Severo refert Lampridius c. XXIV. *Illum Thermas fundasse, & Silvas publicis Thermis deputasse*, ubi malo legere, *Silvas publicas Thermis* deputasse. Quin, ultra ligna, etiam oleum addidit, quod luminibus, quæ Thermis incendebantur, quod postea ex reditibus & mercibus locatarum ædium; quæ in porticibus thermarum erant exstructæ, collectum fuit. L. 52. C. Theod. de Oper. publ. & l. 19. C. Justin. de operib. public.

CAP. X.

De Vigesima Manumissionum.

VIdimus jam quid Populo Romano ex agris, pascuis, portubus & terræ visceribus emolumenti obvenerit, quantumque virium & firmamenti, tam luculenta vectigalia conferre potuerint: non sufficiebant vero ea quotidianis sumptibus, quibus respublica obnoxia erat, itaque nova subinde excogitarunt Romanorum Proceres & Principes, quibus ærarium sustinerent, imprimis nobile & pingue vectigal fuit, quod ex manumissione servorum solvebatur, de quo hoc capite disputabimus.

Origo hujus vectigalis refertur ad Cn. Manlium Consulem, qui *A. U. C.* 396. teste Livio lib. VIII. cap. 16. *Legem novo exemplo, ad Sutrium, in castris, tributim, de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset, auctores fuerunt. Tribuni plebis, non tam lege, quam exemplo moti, ne quis postea Populum sevocaret, capite sanxerunt.* Ab hoc tempore vectigal hoc exigi perseveratum ad ultima reipublicæ tempora, & sublatis portoriis & reliquis vectigalibus Italiæ unicum superfuit. Cic. ad Att. II. epist. 16. *Portoriis sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum, præter vicesimam?* nimirum manumissionum: nam male Blondus lib. III. Rom. Triump. putat, hanc vicesimam e re frumentaria præstitam, eodem modo, ut supra decimas ex subacta Sicilia fuisse exactas diximus, hic autem vicesimas aliquas frumenti intelligi: quod quum nullo antiqui auctoris testimonio firmet, repudiamus cum Godelevæo ad Liv. lib. VII. cap. 16. Immo & sub Imperatoribus duravit, ut ex insigni loco Dio-

A nis, lib. LXXIX. qui in excerptis a Constantino, Περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας habetur, apparet; quem postea accuratius, quum de vicesima hereditatium erit agendum, excutiemus: nunc verba Latina tantum damus. *Præter vectigalia, cum alia, quæ ab ipso* (Caracallo) *primum reperta sunt, tum vectigalia decimæ, quam pro vicesima constituit, cum eorum qui manumitterentur. &c.* ex quo & decimam pro vicesima a Caracallo institutam discimus.

Vectigal hoc pro libertate solvebatur; unde disquiri posset, quisnam hoc solvere teneretur, an
B servus manumissus? an vero Dominus? Dominum solvere solitum fuisse ex Arrian. lib. II. cap. 1. diss. in Epict. potest colligi, qui dicit, ὅταν οὖν στρέψῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ αὐτοῦ δοῦλον οὐδὲν ἐποίησε. τί; ἔστρεψε τὸν αὐτοῦ δοῦλον, ἄλλο οὐδέν; ναί, καὶ εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει: *Quum quis servum suum verterit apud Prætorem, nihilne fecit? fecit. quid? vertit servum suum. numquid aliud? Certe, vigesimam pro eo dare oportet.* & ita censuisse videtur Gronovius, qui lib. III. de Pecun. veteri cap. 13. p. 218. vicesimam eorum, qui manumitterentur patronis dependendam ait. Sed verius puto servum ipsum
C debuisse hoc vectigal suis nummis solvere, quum dominus liberalitatem suam satis exseruisse videri possit, dando libertatem, etsi non obligetur vectigal solvere; sed Arriani mens est, dominum, qui manumittit, oportere vigesimam solvere, non jure, sed benevolentia & proprio instinctu, ut ita duplicatum beneficium servo det, & libertatem ipsi immunem & integram largiatur. & eo sensu posset capi *gratuita libertas* apud Sueton. Vespas. XVI. de qua ad ipsum Suetonium plura dicebamus. Non cogi autem dominum vigesimam solvere, ex alio ejusdem *Arriani* loco colligitur. l. III. cap. 26. dissert. in Epict. ὁ δοῦλος εὐθὺς εὔχεται ἀφεθῆναι ἐλεύθερος, διὰ τί δοκεῖτε; ὅτι τοῖς εἰκοστώναις ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον; οὔ. ἀλλ' ὅτι φαντάζεται &c. *servus in*
D *primis se cupit libertate donari, quam ob caussam? an quia vigesimariis argentum dare desiderat? non, sed quia opinatur &c.* Ut recte hunc locum constituit & vertit Lips. in excurs. III. ad lib. 13. ann. Tacit. & Loens. misc. Epiphyl. lib. IX. cap. 8. vid. & Herald. ad Martial. VI. Epig. 88. Huic loco Arriani adstipulatur alter etiam Petronii in fragm. Traguriam. cap. LXXI. ex quo servos solitos fuisse vigesimam solvere, colligitur. Trimalchio ibi jactans liberalitatem suam, servo *Carrioni legat insulam, & vicesimam, & lectum stratum*; frustra & inutiliter autem legaret vicesimam, si servus ab ea sol-
E venda esset immunis, & manumissor eam deberet præstare; quare Carrioni immunem libertatem legat, & heredi vigesimam solvendam injungit. Potest etiam adjungi alius ejusdem fragmenti locus, cap. LVIII. ubi inducitur conlibertus Trimalchionis cum Gitone jurgitans, quem, inter reliqua convicia, hoc modo lacessit. *Pica Cirrata, o saturnalia! Rogo quando mensis december est? quando vicesimam numerasti?* pessime hunc locum explicat *Schefferus*, qui per vigesimam, diem Decembris vigesimam intelligit, qua licentia servorum finiebatur, & ita conlibertus indicaret, se Gitonis proterviam non posse inhibere, nisi finitis Saturna-
F libus: simpliciter vero ita accipi debet Petronius, ut conlibertus, cui indicenti risu Giton insultabat, ipsi objiciat servilem conditionem, unde eum *Picam cirratam* vocat, quia servi capillos nutriebant, liberti vero tondebantur, quod aliunde notum: deinde dicit, impune mihi insultas, quia Saturnalia celebrantur, quibus servis omnibus licentia, quidquid vellent, agendi dabatur, qua Giton abutebatur; sed tamen eum esse servum exprobrabat, quia nondum vigesimam solverat, se vero esse libertum, quem non decebat irrideri a ser-

vo nequam. Dominos tamen etiam aliquid præstitisse in manumissione servorum, videtur erui posse ex loco Festi in Manumitti: *Manumitti servus dicebatur, quum Dominus ejus, aut caput ejusdem servi, aut aliud membrum tenendo dicebat, hunc hominem esse liberum volo, & emittebat eum e manu, ejus tenens modo caput, modo membrum aliud ejusdem servi, ita edicit, hunc hominem liberum esse volo, ac pro eo auri* x... *puri, probi, profani, mei solvo, ut priusquam digrediatur, efficiatur sui juris.* quod idem repetit postea in voce *Puri; probi, profani, sui auri dicitur in manumissione sacrorum caussa.* quæ loca, ut omnia fere in fragmentis istius auctoris, difficillima sunt. Scaliger ad Festum, & eum secutus van Loon de manum. lib. III. cap. 9. & IV. cap. 4. nescio quam manumissionem sacrorum caussa confingunt, in qua aliquid auri præstari debebat, quod arcæ Pontificum inferebatur: sed lepidum hoc commentum de coemtione sacrorum & coemtionalibus senibus, jam profligavit Doctissimus Gronov. de pecun. veter. lib. IV. c. 7. & ad Plaut. Bacchid. IV. 9. 59. & apud Festum, manifeste agitur de manumissione, quæ vindicta celebratur, in qua verbis quibusdam sollemnibus utebantur. l. 23. ff. de manum. vindicta. puto autem Scaligerum & alios Viros doctos deceptos esse, quia in ultimo loco verba *manumissione sacrorum caussa* conjunxerint, cum hoc modo distingui debuerint, *Puri, probi, profani, sui auri dicitur in manumissione; sacrorum caussa*, ut nempe in manumissione vindicta, propter sacra quædam & sollemnia, hæc verba *puri* &c. pronuntientur. & separavit hæc verba etiam Abram. ad Cicer. pro Milone cap. 22. & retulit *ad puri*, non *manumissione*. vel etiam respicere sacrum ærarium, sive sanctum putat. Quænam autem hæc sacra sint, vix est ut conjiciamus in tantis antiquitatum tenebris: an Festus respiciat sacrificia, quæ in Templo Deæ Feroniæ a manumissis peragebantur, quum genubus nixi pileum accipiebant, ut nos docet Serv. ad VIII. Æn. 564. an alia quædam fuerint, ignorare me lubens confiteor. explicari tamen posse *sacrorum caussa*, ut inde sumtus ad sacra, quæcumque illa sint, possint refici. Eodem modo, ut illa pecunia, quæ a litigantibus deponebatur & *sacramentum* dicebatur, *deposita fuit propter ærarii inopiam & sacrorum publicorum multitudinem*, teste Festo in *sacramentum*. De *manumissione sacrorum caussa* multa incertis conjecturis subnixa habet Gutherius de Jure Pontificio lib. II. cap. 6. quæ satis absurda & inepta sunt. idem lib. I. cap. 7. se reperisse in antiquo lapide credit *filium sacrorum*, qui patri sacerdoti in honore succedit: sed Clarissimus Grævius in præfat. ad Tom. V. Thesauri docet, nullos fuisse filios sacrorum, & in lapide, qui est apud Gruter. IX. 5. alia distinctione esse verba separanda, quæ ille conjunxit: ita sæpe ex levibus librariorum, aut sculptorum lapsibus errores satis notabiles exoriuntur. Neque hoc tamen aurum sive argentum sacrorum caussa Dominus præstare cogebatur, ne ipsi liberalitas sua damnosa esset, sed solebant servi (quemadmodum & illi, qui suis de nummis emebant, de quibus agitur in l. 53. de Judic. & quos Plin. VII. 39. vocat *libertatem suam mercatos*. vide Lips. ad Tacit. XIV. ann. 42.) hoc aliunde corradere & dominis suppeditare; hoc conjicio ex loco Plaut. Ruden. V. III. 32. Ubi Gripus jam a Domino manumittendus, a lenone argentum petit, quod Domino propter manumissionem daret.

—— Dandum huc argentum est probum,
Id ego continuo huic dabo, adeo me ut hic emittat manu.

Nam argentum *probum* hic servus petit, ut apud Festum aurum *probum* desideratur. & ita capio *quindecim proba* in l. 40. ff. de reb. credit. & leg. 24. de constit. pecun. *Quinquaginta, quos tibi reddere debebo Idibus maiis, probos*; ubi vide Gotofr. servum solvisse etiam colligi potest ex l. 1. C. de vectigal. ubi Servus commissi nomine appellatus, ideo non minus liber esse pronuntiatur, etsi vectigal nondum solverit, si modo jure manumissus est.

Vectigal hoc plerumque in auro, antiquis saltem temporibus, solvi solebat, quod inde dicebatur *Aurum vicesimarium*, quod in sanctiori Saturni ærario, ad ultimos reipublicæ casus servabatur, ut auctor est Livius l. XXVII. cap. 10. Confundunt hoc aurum vicesimarium cum vicesima hæreditatium, Hottoman. ad Cicer. II. Verr. 75. & Turneb. ad orat. 1. Agrar. cap. 3. Errat etiam Blondus, leg. III. Rom. triumph. qui vult aurum vicesimarium non ex singulari aliquo vectigali vel tributo collectum fuisse, sed ex omnibus reipublicæ introitibus vicesimam partem, ad extremas reipublicæ angustias in ærario depositam fuisse, sed nullo antiqui scriptoris testimonio; quare hoc auctori suo relinquimus.

A vectigali vigesimæ immunes fuerunt ii servi, qui manumissi non justam & omnibus numeris perfectam libertatem consequebantur, qua & jus civitatis Romanæ accipiebant: de qua manumissionum differentia, quum extra nostrum institutum sit, videri possunt Alciat. 1. parerg. c. 16. Raevard. de Auctor. prudent. cap. 7. & reliqui. Abramus ad Cicer. pro Milone cap. XXII. ad servos tantum manumissos vindicta pertinuisse putat: sed etiam aliis modis, quibus jura civitatis consequebantur, manumissos solvisse existimo, non vero quibus aliquid deerat ex pleno civitatis jure. Quid enim solverent illi, qui quotidie a dominis in servitutem revocari poterant, ut exemplum est apud Ciceron. VII. ad Att. 2. & casus est in l. 79. §. 3. ff. de leg. 3. ubi servus *legatus, & interim manumissus, & postea servis factus* occurrit. Hoc quoque inde potest confirmari, quod hæc vigesima semper fere pari passu cum vigesima hæreditatium ambulaverit, & idem juris, quod in ea fuerit, hic obtinuerit; vigesimam vero hereditatium soli solvebant Romani Cives, ut postea docebimus. Peregrinos etiam irrepsisse in Civitatem Romanam, hoc modo, ut se in servitutem Romano civi darent, a quo manumissi Civitatem adipiscebantur & a tributis immunitatem, colligo ex Petron. cap. LVII. *Quare ergo servisti? quia ipse me dedi in servitutem, malui enim civis Romanus esse, quam tributarius.*

Non etiam vigesima exigebatur ab iis servis, qui a peregrino manumittebantur, sed tantum si a Civibus, & optimo jure libertatem consequebantur: & ratio evidens est, quia a peregrino manumissi, nihil accipiebant, neque Civitatem, neque Latinam libertatem, sed jure gentium, quod omnibus commune erat, liberi fiebant; poterant vero rescripto Principis hi manumissi civitatem consequi. Sic Plin. epist. X. 4. Trajanum rogat, ut Medico servo manumisso a peregrina det civitatem, *Rogo des ei civitatem: est enim peregrinæ conditionis manumissus a peregrina*. V. Cujac. XVIII. obs. 20. quod tamen vix consequebantur, nisi patrono & manumissore mortuo: nam addit Plinius: *patronam habuit Thermuthim Theonis, quæ jam pridem defuncta est*. & epist. 22. Civitatem Romanam Harpocrati concessam dicit, quam petierat a *peregrina, quæ jam pridem decesserat, manumisso*.

A cive Romano vero manumissi jure Quiritium non gaudebant, nisi patrono petente, ut ex eadem epistola 4. apparet & aliis. Vide Manut. de Civitat. Rom. pag. 197. in tom. 1. Miscel. Italic. quia licet

libertate donati quasi cives Romani fierent, non tamen Jus Quiritium accipiebant, nisi illis jam libertis hoc patroni peterent. servi etiam municipiorum & civitatum publici si manumitterentur, civitatem Romanam consecutos ex l. 3. Cod. de serv. Reipub. manumittendis, docuit Rutgers. II. Var. lect. 5.

Huic vectigali colligendo Præfecti aliqui fuerunt, qui appellabantur *Vicesimarii*. Petron. fragm. Tragur. cap. LXV. *Scissa sacrum novendiale servo suo misello faciebat, quem mortuum manumiserat, & puto cum vicesimariis magnam mantissam habet: quinquaginta enim millibus existimant mortuum.* quo in loco exponendo mire se exercuerunt Viri docti. Schefferus putat, hinc colligi Scissam habuisse ex bonis servi sui *vicesimarias*, una cum magna aliqua mantissa; *Vicesimarias* vero exponit, pecunias, quæ a manumissis dependebantur patronis, quod qua lege, vel quo more introductum fuerit, vellem addidisset. Hic vero commodus sensus ex obscurissimo illo loco potest elici, Scissam, quæ servum suum mortuum, (ut apud Martial. I. ep. 102. moribundum) manumiserat, vexari a Vicesimariis, qui vectigal pro manumissione servi mortui exigebant, & hoc vectigal vocat mantissam, id est additamentum sacri novendialis: putaverat enim Scissa sacro illo defungi, & nihil ultra præstare se debere. sed quia manumiserat mortuum, cogebatur ultra sacrum etiam vigesimam solvere; qui sensus, si cui non placet, placebit certe conjectura viri Doctissimi Præceptoris nostri Joh. Georg. Grævii, qui quum eum de hoc loco consulerem, corruptum esse mihi suspicionem injiciebat, & forte *mantissam* depravatam vocem esse, & ex repetitione vocis *magnam* enatam, quare legi posset, *magnam litem tristissima cum vicesimariis habet. Quinquaginta enim &c.* vel potius *magnam rixam.* quo pacto omnia clara fient, nim. litem fuisse de æstimatione servi, ad cujus rationem vicesima deduci debebat. male etiam Schefferus putat censum, quem possedit hic servus, fuisse æstimatum, quasi tot millia possedisset. nusquam vero reperi quanti servus æstimari soleret, & variasse hanc æstimationem pro arte aut officio servi puto. ordinariam forte æstimationem fuisse viginti aureorum, possit quis colligere ex l. 8. §. ult. & l. 9. ff. de inofficios. test. ubi si testamentum post quinquennium inofficiosum dici cœptum, non revocandas esse libertates, sed viginti aureos a singulis libertis esse præstandos, constitutum esse dicitur. adde l. II. C. de fideic. libertat. sed quia aliis etiam in locis servi æstimatio variat, nihil adfirmare audeo.

Hi vicesimarii in loco Arriani supra adducto dicuntur *εἰκοσῶναι*: sed melius a viris doctis vocatur *εἰκοσώνης*; qui in Glossario exponitur *τὰς εἰκόσας ἀπαιτῶν vicesimas exigens.* apud Aristophan. in ranis. act. I. sc. 7. dicitur aliquis *εἰκοσόλογος vicesimarius*, qui de Græcorum vigesimis intelligendus, quarum meminit Thucyd. lib. VI. & VII. v. Pancirol. III. var. lect. 31. & Loens. miscel. epiphyll. IX. cap. 8. & supr. pag. 63. Præter vicesimarios, qui tantum colligendæ vicesimæ operam dedisse videntur, alii reperiuntur in antiquis monumentis, qui hoc vectigal & ærarium sanctius curabant; ita *Quæstores Ærarii sancti Saturni* leguntur in lapidibus Gudianis pag. CXXXI. 2. ubi Cl. Hesselius in indice pag. 32. considerandum monet, ibi sub Hadriano *Quæstorem ærarii* dici, quum præfectura ærarii a Quæstoribus ad Præfectos fuerit jam translata. de quo supr. cap. VIII. pag. 114. vidimus. & remittit nos ad Salmasii notas ad Lamprid. Diadum. cap. IV. ex quibus discere possumus alia significatione *sacrum ærarium* dictum hoc tempore, atque sub republ. nam ut sub Imperatoribus omnia *sacra*,

A *divina*, *cœlestia* &c. dicebantur, quæ ad Imperatorem & domum Augustam pertinebant, & ut Comites sacrarum largitionum dicebantur, qui reditus Cæsarum curabant, ita & *ærarium sacrum* erat Imperatoris fiscus, vel arca privata. sed quæ hic intelligi non potest, quia *sanctum ærarium & Saturni* vocatur, quod erat populi. Quare Quæstoribus hujus curam fuisse etiam sub Imperatoribus verosimile est, licet nihil de hac re adfirmare audeam, quum apud historicos nihil repererim. Fabrettus ad inscript. cap. I. pag. 35. putat familiam quamdam exegisse hanc vicesimam libertatis, quia memorantur Arcarii XX. LIB. & VILLICVS. XX.
B LIB. ut ex Lapidibus probat, & apud Gruterum pag. DCCCXI. 14. FAMILIA. XX. & PVB. (id est *publicanus*,) XX. LIB. DXCI. *Tabularii* &c. qui tamen Fabrettus pag. 36. confundere videtur hanc vicesimam, cum illa hereditatium, citando Lipsium ad Plin. Panegyricum, ubi de hac, non illa agitur.

Cap. XI.

De Vigesima Hereditatium.

C Omnium vectigalium, quæ apud Romanos exercita fuere, nobilissima fuit *Vigesima Hæreditatium*, (ita enim frequentius occurrit scriptum, ut *civitatium*, *ætatium*, *calamitatium* & similia passim leguntur, ut critici ex MSS. plures monuerant. vid. Fabret. insc. p. XCIX. l. 68. ff. ad Leg. Falcid. & alibi) commentum callidi Imperatoris Augusti, qui lata lege, quæ Julia, ut pleræque ejus leges, dicta fuit, hoc vectigal instituit: Tulit autem hanc legem Augustus A. U. C. DCCLIX. M. Æmilio & L. Aruntio Coss. teste Dione lib. LV. unde manifesti erroris convincuntur viri docti, qui Alciati vestigiis incedentes, hanc legem
D cum Papia Poppæa confundunt, ejusque caput fuisse contendunt: ita enim sentiunt post Alciat. dispunct. lib. III. cap. 6. Zaz. in catalogo legum antiquar. Loens. Misc. Epiphyl. lib. IX. cap. 8. Sc. Gentil. de jure accrescend. cap. I. & alii. Sed recte alii Papiam Poppæam biennio posteriorem statuunt, latam nempe A. U. C. DCCLXI. M. Papio Mutio & Q. Poppæo Coss. Balduinus vero in Justiniano & Legem Jul. de vices. hered. eam triennio posteriorem fuisse tradit. Ærodius ad Quinctil. decl. CCCXLI. memorat leges Juliam, Papiam & Memmiam de vicesimis hæreditatum ubi vide quæ notavimus.

Rationem & occasionem, quæ Augustum ad
E hanc ferendam legem impulere, nobis explicat Dion. lib. LV. nim. quum ærarium laboraret inopia nummorum, quibus stipendia militum solverentur, Augustus metuens, ne si stipendia illis deessent, ad novas res sollicitarentur, ut ea perpetuo ac sine difficultate expedirentur, ærarium militare instituit, & illud novis vectigalibus instruxit; Sueton. Aug. XLIX. inter quæ præcipuum fuit hoc, de quo agimus, vectigal vigesimæ partis, quæ ex hereditatibus detrahebatur. Jam ante Augustum id cogitaverat instituere J. Cæsar, sed ommissum tunc ab Augusto relatum est, qui ne videretur novo & a
F se reperto vectigali populum gravare, commentus est, se in commentariis & monumentis D. Cæsaris scriptum illud invenisse; non tamen facile legem pertulit, multis ex Senatoribus reclamantibus, & plurimis novum hoc vectigalis genus detrectantibus, ita ut res ad seditionem & motus spectare inciperet: quare Augustus septennio, postquam legem tulisset, in Senatum libellum misit, quo Senatores rogaret, ut aliam viam quærerent augendis Ærarii reditibus, quumque in Senatu magni animorum motus contra vigesimam orti essent, multis

tis Senatoribus palam profitentibus, se quidvis potius, quam vigesimam toleraturos; Augustus metuens, ne fraudaretur hoc emolumento, callidum consilium iniit, quo sibi vigesimam servaret. Instituit itaque, vel saltem simulabat se instituturum, vectigal sive pensionem in agros & domos privatorum, non declarato quantum, aut quo modo cuique pendendum foret, & simul, ut metum incuteret, misit homines, qui privatorum ac civitatum possessiones describerent. Quo perterriti Senatores maluerunt vigesimam intemeratam relinqui, quam majori damno affici. vid. Dionis. l. LVI.

Legis ipsius verba, quum perierint, conjectura adsequi, & ex monumentis Auctorum colligere, necesse est. Dion. libro LV. dicit hac lege Augustum constituisse τὴν εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντες τισὶ, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ καὶ πενήτων, καταλείπωσι: *vicesimam & in hereditatibus, & donationibus, quas morientes quibusdam, exceptis proxime agnatis & pauperibus, relinquebant*. Sed plura hac lege contenta fuisse, indicio est Paulus, qui in lib. IV. sentent. tit. 6. de vigesima agens: plurima de aperiendis, recitandis, inspiciendis & describendis testamenti tabulis adjicit; unde eadem lege de his cautum fuisse manifestum, quod & deinde ex Jurisconsultorum monumentis adstruemus.

Vigesima ergo imposita fuit Hereditatibus, legatis & donationibus, ut absolute dicit Dion. De Hereditatibus nullum dubium, quum semper *hereditatium vicesima* ab Auctoribus & Jurisconsultis appelletur; sed de legatis, & donationibus (quas hic mortis caussa accipere necesse est) dubitat Balduinus, & Dionem imperitiæ legum Romanarum accusat, & vult immunia legata & donationes fuisse a vigesima, quia Auctores numquam meminerint vigesimæ legatorum, vel donationum, sed semper hereditatium; contrarium tamen verum esse putamus, & vigesimam legatis & donationibus fuisse impositam; tum quia, si ea immunia fuissent, facile eludi lex posset, instituendo aliquem heredem, & hereditatem legatis exhauriendo, ita ut penes heredem nil nisi Falcidiæ quarta remaneret, atque ita parum ærario accederet, ex hoc vectigali, deductis prius omnibus legatis. Deinde verosimile est, eodem modo vigesimam a legatis deductam esse, quo Falcidia, quod ex libro 68. ad L. Falcid. colligitur, ubi ad rationem Falcidiæ, Macer in computatione alimentorum, quæ legata erant, vigesimam deducendam esse ostendit, in qua lege, ubicumque vox *Falcidia* legitur, a manu Triboniani est; qui eam vocem *Vigesimæ* substituit. Ex eadem lege etiam colligitur, eodem modo, ut æs alienum, ita & alimenta legata antea deducta fuisse: ex illis enim vicesima non decerpebatur, & videntur procuratores, vel quicumque huic vectigali exigendo præpositi erant, modum alimentorum constituisse & eorum rationem iniisse, ne hoc colore plures res alimentorum nomine deducerentur, & ita fraus ærario fieret: deinde in §. I. ejus legis alter casus proponitur, qui ad legem vicesimariam referri debet, etsi ad Falcidiam detorserit Tribonianus; ut recte Cujacius libr. IX. Obs. 24. nimirum, si heres, quo minus vectigalis nomine solvere obligatus esset, rem aliquam ex hereditate tamquam suam vindicaret, suam non hereditariam esse adseverans: qui deinde convictus illam esse hereditariam, ejus quoque vicesimam solvere cogeretur, quia nihil interfit, subtraxerit, an hereditariam esse negaverit. Ideo autem potissimum vectigal hereditatibus & legatis imposuit Augustus, non aliis rebus & possessionibus, quia videbat, nec grave hoc fore Populo Romano, quum nemo luculentæ & inopinæ hereditatis lucro auctus, modicum vectigal solvere esset recusaturus; ipsi vero utilissimum, quum tot quotidie hereditates Romæ, & in tam vasto imperio adirentur ab his, qui vectigali erant obnoxii. Sed ne novum hoc onus intolerabile subjectis & injustum videretur, callide duas exceptiones adjecit, & immunes esse voluit, Pauperes hereditates, & deinde hereditates τῶν συγγενῶν. Quum absolute Dion pauperem hereditatem dicat, ut Plinius pareg. c. XL. *parvam & exilem* vocat, difficile est definire intra quam summam fuerit pauper hereditas dicta; Balduinus hic hæret, & nihil certi definit, ut nec alii, quorum ad hanc legem commentarios vidi. Fortasse definita fuit hereditati summa centum aureorum; quod deduci posset ex libr. 23. C. de Testam. ubi Justinianus prohibet aliquid mercedis & sumptuum accipi a censum administrantibus, ex hereditate, cujus summa centum aureorum pretium non excedit: sed quum hæc nimis longo intervallo lex a nostra distet, certum statuere in tantis antiquitatum tenebris supersedemus. Et quia *centum aureos*, sæpe a Jurisconsultis exempli caussa poni docuit Gronovius lib. II. de pecun. veter. cap. 5. ideo non certam & definitam semper legibus expressam hanc summam colligere licebit: nam aliis casibus, pauperes æstimari, qui minus quam quinquaginta aureos possident, colligitur ex l. 10. ff. de Accusat. & ex constitutione Justiniani liberti locupletes habentur, qui centum aureos relinquunt: §. 3. Inst. de success. Libert. quare tutius erit hic nihil certi definire.

Secundo excipiuntur a vectigali vicesimæ πάνυ συγγενεῖς *proxime agnati*: quinam hi autem fuerint, videamus. Procul dubio autem per hos Augustus intellexit omnes illos, qui ab intestato ad hereditatem pervenire possent; nam quum ab heredibus ab intestato succedentibus nihil auferretur, non poterat ipsi fraudi esse, etsi ex testamento hereditatem cernerent, quum potuissent omissa caussa testamenti ab intestato succedere. Qui autem ex lege XII. tabularum ab intestato succedebant, erant vel sui, vel his deficientibus consanguinei, id est fratres & sorores eodem patre prognati, & fratres patrueles seu consobrini, & denique, si agnati & cognati deessent, ad gentiles devolvebatur hereditas. Ulpian. tit. XVI. in collat. leg. Mosaicar. Hos omnes, sub verbis πάνυ συγγενῶν Dion comprehendit. Plinius panegyr. c. XXXVI. eos *domesticos heredes* vocat. *Vicesima*, inquit, *tributum tolerabile & facile heredibus dumtaxat extraneis, domesticis grave*. Et paullo post, manifestius omnes gradus indicans, addit. *Itaque illis* (nimirum extraneis) *irrogatum*, *his* (domesticis) *remissum*, *videlicet*, *quod manifestum erat*, *quanto cum dolore laturi*, *seu potius non laturi homines essent*, *destringi aliquid & abradi bonis*, *quæ sanguine*, *gentilitate*, *sacrorum denique societate meruissent*, *quæque numquam ut aliena & speranda*, *sed ut sua semperque possessa*, *ac deinceps proximo cuique transmittenda*, *cepissent*. Hæc erat justitia legis, ut soli extranei, ad quos insperata & inopina hereditas deveniret, hoc onus sentirent, & paterentur aliquid abradi & delibari ab opibus, quas numquam speraverant: consanguineis vero agnatis, qui jam bona proximorum etiam viventium, ut sua semper putassent, illibata hereditas concederetur. Deinde

etiam sacrorum societate gentiles merebantur, ne ipsis aliquid decerperetur: nam quum singulæ gentes & familiæ propria & privata sua sacra habebant (quod notissimum est, & doctissime a Sigonio de Antiq. Jur. Civ. Roman. libr. I. c. 8. expositum) quæ in heredem cum pecunia testatoris transibant, cogebatur heres ea sacra curare, nec pati ut ea interirent; (vide Serv. ad 3. Æneid. v. 104.) magno autem oneri & sumptuosa erant heredi hæc sacra; nam sacrificandum ipsi sæpius erat, unde hæc sacra sacrificia dicta fuisse, ex Cicerone & Livio docet Sigon. d. l. & Rittersh. ad L. XII. tab. clas. I. c. I. adde & de sacrificiis piacularibus gentis Horatiæ Livium I. 20. & de sacris Cupidinis, quæ *a majoribus relicta erant in hereditate sacrorum*; Cicer. IV. Verr. 3. Unde apparet & apud Græcos, quales Siculi erant, sacra heredibus relinqui. & de Muliere Cea Val. Maxim. II. IV. 8. dicit *cultum & domestica sacra filiæ majori tradidisse*. Merebantur ergo sui & gentiles, ad quos, cum pecunia etiam familiæ sacra & onera transibant, immunitatem a vicesima, extranei vero, quibus hereditas sine sacris (ut Plautus eam appellat Capt. IV. I. 8.) id est dives & luculenta sine onere obveniebat, facile & libenter vectigal præstabant.

Deinde vectigal hoc non solvebant Peregrini, id est socii & provinciales, qui non erant cives Romani. Ratio autem manifesta est, quare hi immunes haberentur: nam quum commodis carerent civitatis Romanæ, nec ex testamento civis Romani aliquid capere possent, neque honores Romæ gerere, nec suffragium ferre, neque toga uti (uti hæc docte omnia docet Brisson. select. antiq. lib. I. c. II.) recte etiam huic legi obnoxii non erant, sed ex jure gentium, vel etiam proprio, quo vivebant, parentibus & agnatis suis succedebant, nihilque fisco ex hereditate pendebant; atque ita videri poterat peregrinorum conditio melior, quam Civium Romanorum, nec videbantur facile Peregrini civitatem Romanam appetituri, & voluntarie se vectigali gravi subjecturi; *Inveniebantur tamen*, inquit Plinius d. l. *quibus tantus amor nostri nominis inesset, ut Romanam civitatem, non modo Vicesimæ, verum etiam affinitatum damno bene compensari putarent*. Hi ergo cives facti Vicesimam eodem modo solvebant, ut ceteri cives Romani, si quam civis Romani hereditatem adirent, imo durior etiam horum conditio fuit, quam aliorum civium Romanorum: nam distincti erant cives Romani in novos & veteres, de quibus, quoniam viri docti non eodem modo sentiunt, pauca subnectemus. Hanc distinctionem primum introductam esse post legem Antonini, qua omnes cives in orbe Romano effecti sunt, putat Casaubon. ad Capitol. Anton. Philos. c. VII. & ad Spart. Pescenn. Nigr. c. VII. sed male, quum Plinius h. l. agat de temporibus ante Trajanum, imo de ipso jure, quod circa hos constituit Augustus, quare antiquum jam illud discrimen fuit. Veteres autem cives dicti sunt, qui majoribus civibus Romanis prognati sunt, & quorum tota familia jam civitatis jure gaudebat: Novi vero erant ii, qui aut per Latium in civitatem, vel beneficio Principis venissent, & ex peregrinis cives essent facti: qui enim jus Latii, hoc est, illud jus, quo socii Latini nominis fruebantur, habebant, ut plurimæ civitates, coloniæ & municipia Italiæ, quæ suis legibus & magistratibus vivebant, proximi erant juri civitatis Romanæ, quam consequebantur, aut beneficio Principis, aut si Romam

A transtulissent sedem, aut liberis, iteratione, militia, nave, ædificio, pistrino, & ex Senatusconsulto, si ter enixa erat mulier, ut docet Ulpian. tit. 3. & aliis modis, quos habet Gruch. de comit. II. c. 3. p. 672. Hi ergo hac ratione civitatem adepti dicebantur Novi cives, quemadmodum & ii, qui ex peregrinitate in civitatem beneficio Principis translati erant. Horum conditio in eo erat deterior veterum, quod quum hi possent ex lege XII. tabularum parentibus, agnatis & gentilibus succedere, & immunes esse a vicesima ex lege Augusti, Novi in civitatem adscripti, a parentum hereditatibus & agnatorum excluderentur, Plin. d. l. B *Hæc mansuetudo legis veteribus civibus servabatur: Novi, seu per Latium in civitatem, seu beneficio Principis venissent, nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus conjunctissimi erant*; quæ verba ut intelligantur, notandum est, peregrinum hominem, si per Latium vel alio modo civitatem Romanam adipisceretur, exiisse ex familia sua, quæ in peregrinitate vel jure deteriore manebat, & plane parentibus & agnatis extraneum habitum fuisse, unde neque hereditatem illorum cernere poterat, neque potestati patriæ erat subjectus, sive filius, sive pater jus civitatis C consecutus fuisset, quod quum maximum incommodum esset, solebant civitatem a Principe petentes, simul propinquis suis civitatem & jura cognationis impetrare, ut hoc modo sibi invicem succederent, & omnibus juris Civilis Romani beneficiis gauderent. Sic in Inscriptione apud Reines. class. XI. insc. 4. legitur Calpurnius Asclepiades Prusensis Medicus, a Trajano civitatem Romanam & septem alias impetrasse non tantum sibi, sed Parentibus & fratribus; & hujusmodi petitionis exemplar reliquit nobis Plinius libr. X. epist. 6. qui Trajanum *rogat, ut propinquis ejus* (Posthumii Marini Medici, cui civitatem a Trajano impetra- D verat) *det civitatem, Chrysippo Mitridatis, Uxorique Chrysippi, item liberis ejusdem Epigono Mithridati, ita ut sint in patris potestate*; atque ita se hic res habebat, ut in filio quæsito in servitute, qui patre manumisso non erat in ejus potestate, etsi erat libertinæ conditionis, sed Pater hoc beneficio Principis consequebatur, ut colligitur ex l. ult. ff. de adopt. & ita deportatus & ex indulgentia Principis restitutus, non recipiebat filios in potestatem, nisi impetrasset a Principe, neque filius contra deportationem restitutus, recidebat in patris potestatem, nisi rescripto Principis. l. 6. & & 9. C. de sent. pass. & restit. Si ergo novi hi cives ne- E glexerant impetrare civitatem & jura cognationis, extranei habebantur: aliud observabatur in jure patronatus; nam patronus per deportationem in peregrinitatem redactus, deinde restitutus omnia jura patronatus sibi salva habebat l. IV. §. 6. ff. de in jus voc. Disquiri etiam posset an civitates & gentes, quæ fœdere recipiebantur in talem societatem, ut fratres & cognati Romanorum vocarentur, etiam jura cognationis fœdere consequerentur: ut de Iliensibus constat ex Suet. Claud. XXIV. qui *consanguinei* vocantur: de quo quum nihil adhuc observaverim, eruditis illud exquirendum relinquo, an pro peregrinis habiti, an huic vectigali obnoxii F fuerint: posset tamen videri hanc cognationem magis honoris, quam juris fuisse vocabulum, quia Iliensibus, licet cognatis, tributum, ut aliis provincialibus, fuit impositum, quod illis demum Claudius remisit, quum jam Seleuci temporibus senatus eos *consanguineos* vocaverit: ipsum quoque Virgilium lib. III. Æneid. 5.

Cognatas urbes, populosque propinquos,

In honorem Augusti dixisse accipiunt, quia is quum in Epiro post victoriam Actiacam *Nicopolim conderet, cavit in fœdere civitatis ipsius, ut cognati observarentur a Romanis*: sed de his nihil certi, quamvis putem has civitates jura cognationis non habuisse, nisi simul civitatem Romanam acciperent.

Hæc fuit ratio legis Juliæ ab Augusto latæ; quæ quas mutationes & vicissitudines passa sit, paucis expediemus. Augustum proxime secutos Principes, nihil in ea innovasse legimus: nam, etsi Nero a Suetonio c. X. & Tacit. lib. XIII. in fin. dicatur *graviora vectigalia aut abolevisse aut minuisse*, illud ad vicesimam extendendum non est, sed, ut supra ostendimus, de abolitione Quinquagesimæ & aliarum illicitarum exactionum. Neronem secuti sunt Imperatores, qui aut brevi imperium tenuerunt, aut si diutius rerum potiti sunt, avaritiæ macula notati, ut Vespasianus, qui *omissis sub Galba vectigalibus nova & gravia addidit*. Sueton. c. XVI. Primus, de quo certi aliquid statuere possumus, est optimus & civilis ille Imperator Nerva, qui in gratiam novorum civium statuit, teste ibidem Plinio, *ut, quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis pervenisset ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepissent, quum civitatem adipiscerentur, ejus vigesimam ne darent*. Qua constitutione dabatur filiis peregrinis jus succedendi matri, & matri peregrinæ filiis, & hoc modo æquabantur veteribus civibus, nec repellebantur ab hereditatibus hac exceptione, quasi jura cognationis non inpetrassent, quum Nerva magis ordinem naturalem succedendi, quam juris Romanis subtilitates intueretur: addidit deinde, *ut eadem immunitate in paternis bonis filius gauderet, si modo reductus esset in patris potestatem*: ratio autem hujus exceptionis illa fuisse videtur, quia filii, qui non erant in potestate parentum, non erant sui heredes, itaque neque veterum civium filios emancipatos immunes a vicesima fuisse credo, sed si hereditatem patris cernerent, eodem modo ut extraneos debuisse solvere vigesimam: quare idem etiam jus in novorum civium filiis obtinere debuit, ne horum conditio melior esset quam veterum. Hæc Nerva.

Post eum Trajanus plurima huic legi beneficia & liberalitates addidit, unde amplissimum campum ejus laudes prædicandi aperit Plinius in panegyrico. Primum itaque ille voluit, *ut quemadmodum filius in patris, sic in hæreditate filii pater esset immunis, nec eodem momento, quo pater esse desiisset, hoc quoque amitteret, quod fuisset*. Eleganter subjicit Plinius, *non pati Cæsarem lacrimas parentum esse vectigales*. Deinde etiam exceptionem, quam Nerva reliquerat, removit, nec interesse voluit, *num filius in potestate patris fuisset nec ne, intuitus vim legemque naturæ, quæ semper in ditione parentum esse liberos jussit*. Nec hoc contentus beneficio novam liberalitatem adstruxit, & *cavit, ut in sororis bonis frater, & contra in fratris soror, utque avus, avia in neptis nepotisque, & invicem illi servarentur immunes. His quoque, quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit: omnibusque inter se cognationum jura commisit, simul & pariter & more naturæ*. Atque ita Trajanus omnem distinctionem veterum & novorum civium plane sustulit, & vicesimæ immunitatem ex ordine successionis naturalis omnibus æqualem esse voluit. Ultra hæc Trajanus *etiam summam statuit, quæ publicanum pati posset*, & pauperem hæreditatem, quam Augustus immunem a vicesima servaverat, definivit, &, ut videtur, largior aliquantum Augusto fuit, sed quum summa non exprimatur, nihil certi de

A ea a nobis dici potest. Deinde etiam statuit, ut sumptus funeris deducerentur, antequam vicesimæ computatio iniretur, quumque Trajanus liberaliter indulsisset sumptus etiam maximos facere funeris caussa, aliquando totæ hereditates, præsertim parvæ & exiles, in eos absorbebantur. Addit Plinius: *carebit onere vicesimæ parva & exilis hæreditas, & si ita gratus heres volet, tota funeri servetur*; ultimo addidit, *ut, qui aliquid deberent fisco ex vicesima, nondum tamen intulissent, non inferrent*. Trajanum pro vigesima quadragesimam instituisse credit Gudius in notis ad inscriptionem inter Gudianas editam pag. CXCIX. 3. ubi memoratur ACTOR XL. GALLIARUM, sed quum in aliis

B lapidibus occurrant TABULARIUS XL. GALLIARUM, ut apud Reines. IX. 36. & apud Spon. pag. 219. EX STATIONE XL. GALLIARUM, & alibi, rectius de quadragesima, quæ portorii nomine pro mercibus exigebatur, interpretatur Reinesius: immo PROCURATOR FISCI QUADRAGESIMALIS apud Gudium pag. LVIII. 9. & de his jam pag. 136. egimus.

Post Trajanum etiam Hadrianus circa vicesimam occupatus fuit, ac quum videret indulgentia Trajani, qui sumptus funeris caussa deduci passus fuerat, multas fraudes inveniri, primum statuit mo-

C dum sumptuum. Hoc colligitur ex l. 37. ff. de religios. & sumptib. funer. Ubi Macer JCtus, (male in indice Μαρκος apud Fabric. bibl. Græc. Tom. XII. p. 329.) scribens ad legem vicesimam hereditatium, explicat, quinam sumptus funeris caussa accipiantur, & Edicti Hadriani mentionem facit. Sed præcipue celebris ejus constitutio & edictum fuit, quo, fisco maxime providens, cavit de aperiendo testamento & mittendo in possessionem herede. Voluerat Augustus, ut Paulus IV. Sent. Tit. 6. notat; *ut testamentum statim post mortem testatoris aperiretur, a præsentibus intra triduum, vel quinque dies, ab absentibus quoque intra eosdem dies,*

D *quum supervenerint. Nec enim oportet testamento, heredibus, aut legatariis aut libertatibus, quam necessario vectigali moram fieri*. Quod præcipue introductum est, ut cito vicesima solveretur. Huc pertinet etiam l. 154. ff. de V. S. quæ est Macri ad legem Juliam, ubi occasione hujus juris definitur, quantum absenti temporis concedatur, ut in Urbem perveniat ad aperiendas testamenti tabulas: dantur vero absentibus itineri perficiendo vicena millia singulis diebus: sic etiam in aliis caussis l. 1. si quis caut. in jud. sist. l. 3. ff. de V.S. & hinc Macer disquirit, unde hæc millia nu-

E meranda sint. Hæc Augustus statuerat: addidit Hadrianus, ne mora vectigali fieret, non recipiendam esse appellationem, si res delationem non recipiat, & illud agatur, ne tabulæ testamenti aperiantur, l. 7. ff. de appell. recip. ubi edicti Hadriani de aperiendo testamento fit mentio, sed præcipue eo edicto voluit, ut heres scriptus statim in possessionem mitteretur, etsi testamentum falsum vel inofficiosum diceretur, quod introduxit ideo, ut statim ab herede vigesima solveretur. Sed quum hoc Edictum a Justiniano partim sublatum sit, studiose ejus mentionem ex juris libris removit Tribonianus, ut notat Cujac. & Cl. Schul-

F tingius ad Paulum. Hadrianum edictum proposuisse de vicesima parte hereditatis Fisco adplicanda, & primum instituisse (quod Spartianus ait) Advocatum Fisci, hac occasione censet Baron. in Annal. ad A. Ch. CXXXIV. quem sequitur Franc. Martius in Historia Tiburtina libr. VII. p. 79. tom. VIII. part. IV. Thes. Italic. qui & inscriptionem profert, ubi *Q. Ortentii Faustini Tiburtini Advocati Fisci* mentio fit, quæ apud Gruter. CCCCXIX. 5. exstat, sed ubi *Q. Hortensius* vocatur. Dionys.

Gothofredus a M. Antonino institutum, si Capitolino credendum, Advocatum Fisci dicit, ad l. I. Cod. de Adv. Fisci. Filius Jacobus ad Cod. Theod. h.t. nihil de primo Advocato Fisci adnotavit. Spartianus certe Hadriano tribuit cap. XX. sed de Antonino nihil reperi. an Gothofredus confuderit Imperatores, ut sæpe factum cap. seq. videbimus, nescio.

Antoninus Pius vero totum hoc vectigal abrogavit, si fides habenda sit Zonaræ lib. XII. initio id tradenti, cujus verba citat Valesius ad excerpta ex Dione; sed addit hæc amplius esse consideranda: certe adscribit ille Julio Cæsari Senatusconsultum, quo nulli testamentum facere liceret, nisi partem certam ærario relinqueret, de quo nihil apud alios scriptores occurrit. Nec verosimile videtur, si Antoninus Pius sustulisset vicesimam, illam reductam fuisse ab Antonino Philosopho, qui mansuetissimus & optimus Princeps non facile abrogatum tam grave vectigal restitueret, quum scribat Capitolinus in ejus vita c. XXIII. *eum tributa & vectigalia, ubi necessitas cogebat, remisisse*, nec recte ab eodem c. II. posset dici, *addidisse leges de vicesima*, si abolitum vectigal revocasset. Quidnam autem addiderit Philosophus, non exprimit Capitolinus; puto illum, qua erat animi mansuetudine, immunitates longius extendisse, & iniquas exactiones, quæ per calumnias fiscum locupletabant, restrinxisse. De Imperatoribus, qui eum secuti sunt, nihil tradunt Auctores, qui eorum facta literis mandarunt. Non credo autem ab ullo eorum lucrum hoc neglectum fuisse, quum qui pessimi & crudeles erant, simul etiam rapacissimi essent, ad sustinendos nepotinos sumptus: qui vero civiles & temperanter frena imperii moderarentur, necessarium hoc imperium vectigal ad stipendia militum solvenda minime abolendum censerent: multi etiam avaritiæ maculam non effugerent; sic Pertinax ob pecuniæ aviditatem *ærarius Mergus* dictus fuit, teste Capit. c. IX. & Severus omnes Imperatores lucri cupiditate superasse, narratur ab Herodian. lib. III. c. 8.

Iisdem tenebris involutum esset, quid durus & immitis Imperator Caracallus circa vigesimam constituisset, nisi beneficio Viri Illustris & doctorum Mæcenatis Peirescii, excerpta Constantini Augusti Porphyrogenetæ, publicasset Gallorum doctissimus Henricus Valesius, quæ præclarum constitutionis Caracalli monumentum continent. In his excerptis ex libr. 77. Dionis. pag. 745. legitur Caracallus auxisse vigesimam, & ejus loco instituisse, ut decuma solveretur, & immunitates ab Augusto & aliis Imperatoribus datas restrinxisse. Verba ejus sunt, τῶν τε τελῶν, τῶν τε ἄλλων, ἃ καινὰ προσκατέδειξε, καὶ τοῦ τῆς δεκάτης, ἣν ἀντὶ τῆς εἰκοστῆς ὑπέρ τε τῶν ἀπελευθερουμένων, καὶ ὑπὲρ τῶν καταλειπομένων τισὶ κλήρων καὶ δωρεῶν ἐποίσε, πάσας τάς τε διαδοχὰς καὶ τὰς ἀτελείας τὰς ἐπὶ τούτοις, τὰς δεδομένας τοῖς πάνυ προσήκουσι τῶν τελευτώντων καταλύσας. Ita enim constituuntur & leguntur a Valesio, sed Magnus Salmasius in libro de modo usurarum p. 854. & seqq. ubi Valesii sententiam adprobat; ut & fecit in libro de Re militari cap. XIX. p. 211. docet, legendum esse κλήρων καὶ δωρεᾶς ἐποίησε πάσης, τάς τε &c. & ita recte vertit idem, *Præter vectigalia cum alia, quæ ab ipso primum reperta sunt, tum vectigalia decumæ, quam pro vicesima constituit, tum eorum, qui manumitterentur, tum, quæ aliquibus relinquerentur, hereditatum & omnis donationis, successionibus præterea ab intestato sublatis, & immunitatibus, quæ genere propinquis defunctorum, ab intestato succedentibus, competebant*. Deinde optime docuit Salmasius διαδοχὰς in hoc loco absolute dici successiones ab intestato, & distingui ab iis hereditatibus, quæ testamento relinquebantur, sive hereditates sive legata fuerint: hæc enim dicebantur τὰ καταλειπόμενα τῶν κλήρων, ut discimus ex veteri glossario Vulcanii, ubi καταλειπόμενα vertuntur *legata*: nam nullum Græci nomen habent, quo legata exprimant, unde Theophilus & Græci JCti λήγατα Romana voce dixerunt. Πᾶσαν δωρεὰν vero esse omnem donationem, idem ait, tam mortis caussa, quam inter vivos: non enim verosimile esse, illas immunes reliquisse tam avidum pecuniæ Principem, quum etiam agnatorum hereditates decimæ obnoxias esse voluerit. Ad hanc decimam forte aliquis referret inscriptionem apud Gruter. CCCCXCV. II.

..... ET. CALLEC. PRO.
..... MARITIMAR. PROC. X.
..... B. LEG. VII.
..... GVDVNENSES.

Sed quum mutila sit, potuit & numerus esse vitiosus, ut X. pro XX. & illud B. sit reliquum ex LIB. ut sic procurator XX. Libertatis ut cap. præced. similes lapides, ubi XX. LIB. mentio fit, vidimus. Hanc legem decimariam a Thalelæo dictam esse docet Pithœus ad Collat. leg. Mosaicar. tit. XVI. §. ultim. ubi Ulpianus hujus decumæ meminit, occasione successionis legitimæ patronorum, qui jure Prætorio non antea ad successionem libertorum admittebantur, nisi deessent decem personæ agnatorum, quas enumerat ibi Ulpianus, quod jus correxisse Caracallus ibi ab eo dicitur. *Sed Imperator noster* (id est Caracallus, ut in l. 4. §. 5. ff. de off. proconf. l. 32. ff. de donat. int. vir. & uxor.) *in hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur, eas solas personas voluit admitti, quibus decimæ immunitatem ipse tribuit*. Nimirum solis suis heredibus, exclusis agnatis ab immunitate, & successione, qui antea ad hereditates libertorum ex intestato cernendas admittebantur. Licet ergo ex his videre, Caracallum hac lege cavisse, ut pauciores essent, qui immunitate vicesimæ gauderent, & removisse agnatos & gentiles a successione ab intestato, & nullos præter suos heredes admisisse; deinde, ut altero tanto vectigal augeretur, decumam vicesimæ substituisse. Nec intra hos fines callidi Imperatoris avaritia stetit, sed ut plures essent, a quibus hoc vectigal exigeretur, videtur ab eo institutum & permissum fuisse personis, quibus antea testamenti factio erat denegata, ultima voluntate heredes sibi scribere. Hoc ex l. 7. ff. qui test. fac. poss. possumus colligere: nam jure veteri neque mutus, neque surdus testamentum facere poterat, sed postea introductum, ut eorum testamenta valerent, si a Principe facultatem testandi impetraverint; quam illis non concessisse, nisi ut vicesima ex illorum hereditatibus decerperetur, docet legis illius inscriptio, quæ est Macri ad Legem vicesimam hereditatium: quod postea iterum mutavit Justinianus, qui, distinctione adhibita, quibusdam surdis & mutis permisit testari: l. 10. Cod. & §. 3. Instit. quibus non est perm. test. facere.

Sed nimis angustis adhuc terminis circumscribebatur personarum numerus, ex quarum hereditatibus vectigal hoc detrahebatur; immunes erant in vasto illo imperio, omnes peregrini, Latini, socii & provinciales, & quicunque a jure civitatis Romanæ erant alieni; itaque ut æqualiter ab omnibus hoc vectigal solveretur, æqualem etiam omnium conditionem esse voluit Caracallus, atque omnes, qui in Imperio Romano erant, civitate donavit. Sic enim idem Dion in excerptis scribit, οὗ ἕνεκα καὶ Ρωμαίους πάντας τοὺς ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ λόγῳ μὲν τιμῶν, ἔργῳ δὲ ὅπως πλείω

αὐτῷ καὶ ἐκ τοῦ τοιούτου προσῇ, διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, ἀπέδειξεν. *Cujus rei caussa etiam omnibus, qui in orbe Romano erant, civitatem dedit, specie quidem ipsa eis honorem tribuens, sed re vera ut fiscum suum augeret, quippe cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent.* Qui locus liquido nos docet, quisnam sit ille Antoninus, de quo loquitur Ulpianus in l. 17. ff. de stat. homin. *In orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imperatoris Antonini cives Romani effecti sint*; ut optime ibi docet Valesius. Agnoverunt tamen ante Valesium hujus legis auctorem Caracallum Imperatorem alii. Onuphr. Panvinus in Imperio Rom. cap. XXIV. his verbis, *quum universo orbi Romano civitas diu ante ab Antonino Caracalla Imp. data fuisset*, & de Comit. Imperii cap. IV. p. 44. eadem fere verba habet. Cigalinus etiam de patria Plinii pag. 43. Edd. Gronov. ante Plinii Historiam ait, *post communicatam ab Antonino, quem Caracallam fuisse nonnulli prodidere, cunctis imperio suo subjectis nationibus Romanam civitatem, digestorum lib. I. Tit. V. de statu hominum, Ulpianus auctor est*: item Raderus ad Martialem prolemmatum, cap. I. hoc quidem notavit. *Quum Antoninus Caracallus Imperator constitutionem edidisset, quæ lib. I. ff. sub titulo de statu hominum refertur, qua omnes eos, qui in urbe Romana essent, cives esse voluit*, sed debuisset scribere in *orbe Romano*: & ad verbum sua exscripsit ex Onuph. Panv. de antiquis nominibus, quem etiam laudat. Samuel etiam Petitus nescio an Valesio aliquid debeat, quum eodem fere tempore ejus labor ad LL. Atticas prodierit. Dedicatio enim notam temporis prodit, Januarium mensem Anni CIƆIƆCXXXV. quum Valesius suas notas ediderit ann. priore CIƆIƆCXXXIV. certe videre potuit, quamvis vix putem. Ille tit. III. pag. 136. *atque is Antoninus, quem auctorem hujus constitutionis laudat Ulpianus, est, aut ego valde fallor, Antoninus Divi Severi filius, quo imperante scripsit Ulpianus: nam Antoninum, sive is sit Pius, sive M. Aurelius, non ita nominare solet Ulpianus*, &c. Salmasius vero, licet non nominet, sine dubio Valesium auctorem agnoscit libro de Usurar. modo, loco modo laudato, & de re militari cap. XIX. pag. 211. quare non Salmasium, sed Valesium, debuisset, ut auctorem primum laudare Ryckius ad Tacit. I. Hist. 78. & tamen Salmasius ab Illustr. Spanhemio in orb. Rom. exerc. II. cap. 4. non deberet poni inter eos, cui hoc non subolevisset qui inter eos, qui ante Bignonium & Valesium hoc arcanum detexerunt nominat Wesenbecium, & Petitum: deinde omnia vir illustris repetit eadem, & quæ Valesius, Salmasius, nec non ego, de hac lege & de vicesima observaverant, ampliori oratione & pluribus verbis extendit. Quare si illæ exercitationes ante editionem primam dissertationis meæ de vectigalibus exiissent, ad eas remittere lectorem licuisset, & magnam hujus capitis partem lucrifacere. Sed quia illa editio me a plagii crimine vindicare satis potest, & in hac iterata editione illa, quæ olim mea industria indagaveram, hic repetere placet, & in caussas contentionis, quæ inter viros doctos semper de auctore hujus constitutionis & beneficii intercessit inquirere, &, licet id alii obiter & strictim fecerint, plenius Caracallo hoc munus adserere.

Veteres plerique patres, ut Hieronymus & Chrysostomus, hujus constitutionis auctorem faciunt Imperatorem Adrianum, qui error exinde provenit, quia sæpissime Adrianus a scriptoribus confunditur cum Antonino Pio, & quod hic fecisse narratur, illi adscribitur. Ita in jure sæpe dicitur aliquid constitutum esse ab Hadriano, quod in aliis locis Antonino Pio tribuitur, ut id plurimis exemplis confirmat Bertrand. in vita Titi Caii. & Cujac. in not. poster. ad §. 2. J. de SCto Tertullian. Quod & in rebus, quæ historica fide nituntur, evenit; sic historia illa de Alexandrina muliere a JCto ad Adriani tempora refertur in l. 3. ff. si pars hered. petat. a Capitolino vero ad Antonini Pii Imperium cap. 9. ad quam etiam pertinet l. 36. ff. de solutionibus, & aliæ, quas memorat Freinsh. ad Curt. 6. 54. quem vide; & Ampl. Bynkershoekium lib. III. observat. Jur. Rom. cap. 8. Sic etiam salaria & gymnasia doctoribus constituisse Adrianum narrat Aurelius Victor, quod Antonini Pii commentum esse tradit Capitolin. in ejus vita cap. XI. Deinde aperte huic sententiæ repugnat Spartiani locus in vita Adriani c. XX. ubi dicitur Imperator *Adrianus Latium dedisse multis civitatibus*, ergo nondum jus civitatis promiscuum fecit, ut recte ibi notat Casaubonus, & aliter sentientes refellit. Hinc in alium errorem lapsi sunt viri docti; quia enim Antonino noverant adscribi constitutionem, putarunt hoc esse introductum ab Antonino Pio: ita enim sentiunt plerique doctorum, & Salmas. ad Vopisc. Prob. c. XIV. & Casaub. ad Spart. Sever. c. I. Horum sententiam maxime firmat Justinianus Imperator in Novell. LXXVIII. c. ult. ubi ille expresse hoc Antonini Pii beneficium esse dicit: male autem Aurelius Victor a Valesio, tamquam hujus opinionis auctor, adducitur, quum ille de Marco Antonino Philosopho verba faciat. Sed Justinianum & reliquos, qui id tradiderunt, errare putamus, quum clarissime id Caracalli beneficium esse tradat Dion, auctor certissimus, & qui illis temporibus floruit. Denique etiam Pium non dedisse omnibus civitatem, ex lapide apud Reines. VI. insc. 12. potest probari; nam ibi Camertes (quorum duas cohortes jam Marius civitate donaverat, Valer. M. V. II. 8.) precibus & interpretatione Mænii cujusdam, hospitis quondam Adriani, in jure civium ab Antonino Pio aucti & confirmati dicuntur: nec, si omnibus data esset a Pio Civitas, Camertes, tamquam peculiaris ipsis gratia facta fuisset, monumento publico hoc mandassent. Neque Pii constitutionem hanc fuisse patebit, si docuerimus, neque Marcum hoc primum statuisse, quod tamen plerisque persuasum est. Error autem, cui & affinis fuit Aurelius Victor, ut creditur, ex confusione Antoninorum manavit: quum enim plures Antonini fuerint, scriptores non rite ad rationem temporum attendentes, eorum res gestas & constitutiones confuderunt; ita etiam circa auctorem l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact. variatur; de quo vid. Rævard. var. III. c. 10. & Clarissimum Huberum in digress. lib. I. c. 23. Itaque si lis quædam de Antoninorum gestis oriatur, nulli melius consulendi, ut dirimatur controversia, quam ii scriptores, qui sui ævi & temporis res gestas literis consignarunt; quod si fecissent Viri docti, non Antonino Philosopho, de quo nullus, qui sub ejus Imperio vixit, scriptor, id testatur, adscripsissent, sed secuti fuissent Dionem & Ulpianum, qui, his temporibus proximi, Caracallo hoc tribuerunt. Communi huic errori lepidum sane patrocinium præbet JCtus, cetera doctissimus, Galvanus de Usufructu. c. V. n. 12. Qui inde Philosophi hoc institutum fuisse arguit, quia Marcus philosophiæ Stoicæ præceptis imbutus, secundum ejus axiomata ac placita mores & imperium dirigeret, quumque ex sapientum Stoicorum opinione, natura commune aliquod vinculum & cognationem esse voluisset, absurdum visum fuit summo philosopho Imperatori, hominum non tantum in eodem or-

be, sed uno in Imperio viventium, diversam esse conditionem & jura: itaque, ut omnes æquales haberentur, civitatis jura promiscue illis largitus fuit. Ita, ut errorem tueantur, sæpe viri docti nugas agunt. Deinde neque ex loco Aurelii Victoris, qui plurimos decepit, plane constare puto, eum Antoninum Philosophum hujus munificentiæ autorem facere. Ejus verba sunt, *data cunctis promiscue civitas Romana*, unde male colligitur, omnibus in orbe Romano datam esse civitatem; sed hoc tantum efficitur, Antoninum, nullo habito discrimine, cujus gentis & nationis homines essent, dedisse civitatem plurimis, quum alii Imperatores difficiliores in largienda civitate essent; hoc *promiscue* significat, id est nullo habito discrimine personarum vel conditionis: ita Liv. lib. I. c. 43. dicit *olim a Regibus eodem jure promiscue omnibus datum suffragium*, quum postea gradus a Servio facti sint; eodem modo Suetonius *promiscue spectare* dixit, in Aug. c. XLIV. Domit. c. VIII. & fortasse idem voluit Victor, quod Capitolinus in ejus vita c. XXIV. notat, *Philosophum infinitos ex gentibus in Romano solo collocasse*: quam interpretationem non placuisse Arntzenio in notis ad h. l. video, qui potius errare Victorem credit appellationis similitudine. Fruatur quisque judicio suo, dum errasse Victorem constet. Caracalli ergo hoc, non tam beneficium, quam avaritiæ commentum fuit, ut præter Dionem etiam Ulpianum in d. l. 17. testari hinc probamus, quod Ulpianus, quoties simpliciter *Antoninum* appellet, semper Caracallum designet, quum vero Pium vel Marcum velit significare, semper eos *Divum Marcum & Divum Pium* nominare solitus sit, ut monuit Valesium Vir magnæ doctrinæ & dignitationis Hieronymus Bignonius, & alii deinde post eum plurimi: & ubi Antoninus de Philosopho ponitur, additur fere alius, unde discerni posset, ut in l. XVI. ff. de sponsalib. Imperatores *Antoninus & Commodus*: ut & apud Ulpian. tit. XXVI. II. 6. & alibi. Gajum etiam JC. qui sub Caracallo & post ejus fata vixit, *Antoninum* eum vocare in l. XLII. de donat. inter vir. notavit Spanhem. in orb. Rom. Exc. II. cap. II. p. 175. Multa possent coacervari loca ex juris commentariis, ubi Ulpiani hæc consuetudo observatur, uno aut altero contenti erimus. In l. 4. §. 5. ff. de offic. Proconf. Ulpianus dicit, *Imperator noster Antoninus Augustus*, qui nullus alius quam Caracallus esse potest: & manifestius in l. 32. ff. de donat. inter vir. & uxor. *Imperator noster Antoninus Augustus, ante excessum Divi Severi patris sui*; addi potest l. 12. ff. de Senatoribus & plures. Sed nec solus Ulpianus, & Jurisconsulti, sed & alii scriptores simpliciter *Antoninum* appellando, Caracallum designarunt; sic notante Salmasio ad Spartian. Sever. c. XVIII. Philostratus *Antoninum* pro Caracallo posuit. Unicus est tamen locus, qui sententiæ Valesii, quam huc usque defendimus, contrarius videtur, ex quo, ante Caracallum jam communem civitatem fuisse, posset colligi. Is est Spartiani in vita Sept. Severi c. I. *Severus Africa oriundus imperium obtinuit, cui civitas Leptis, Pater Geta, majores Equites Romani, ante civitatem omnibus datam*. Hinc confici videtur, ante Caracallum jam omnibus fuisse datam civitatem. Respondet ei Valesius, vocem *omnibus*, non de universis in orbe Romano viventibus, sed de *omnibus Leptitanis* esse accipiendam, quæ commoda sane explicatio est; addam tamen & quid ego sentiam de eo loco. Nimirum nequaquam hinc probari, ante Caracallum civitatem datam esse: nam eodem modo jam ante Adrianum ex eo loco colligerem datam civitatem, atque ita nimium hic locus probaret, & aperte omnium sententiis repugnaret: nam si rationem temporum ineas, Severus natus octavo anno Pii, ejus Pater sub Adriano jam floruit, Majores vero longius sub prioribus Imperatoribus necesse est vixisse, & ab iis civitatem accepisse, ut testatur Spartianus. Jam vero non commoda neque congruens Spartiani esset locutio, si, quum de aliquo civitate a Nerone vel Vespasiano donato, vellet agere, eum civem fuisse ante legem & constitutionem Antonini, qua omnibus data est civitas, diceret; sed hoc innuit Spartianus, Majores Severi (inter quos an fuerit ille Septimius Severus, ad quem Statius scripsit carmen Lyricum lib. IV. Silv. 5. nunc non dijudico, certe fuit Afer. vid. ibi Barthium) ob præclara merita ab Imperatoribus prioribus fuisse civitate donatos: solebant enim Imperatores, primores & optimates aliquarum civitatum, si gratam ipsis operam præstitissent, jure civitatis donare: ita Julius Florus Trevirensis & Julius Sacrovir Æduus apud Tacit. III. ann. 40. & primores Galliæ Comatæ, apud eundem XI. ann. 23. civitate gaudebant; tales etiam erant Septimii Severi majores, quibus data fuit civitas. Unde commodius legendum puto, *ante civitate omnibus data*, id est, majores ejus fuere Equites Romani, quum iis omnibus antea civitas esset ab Imperatoribus data; quæ conjectura si cui non placeat, ille doctissimi Valesii amplectatur interpretationem, qui tamen & mecum statuit, singulari privilegio jus civitatis solis Majoribus, vel saltem Leptitanis concessum fuisse. Ampl. Spanhemius dicta exercitatione putat Spartianum cum Victore sentire, & communem errorem errasse, illosque jam cives fuisse ante Marci tempora. Vulcatius etiam Gallic. in vita Avid. Cassii in initio dicit, *Avidius Cassius, ut quidem volunt, ex familia Cassiorum fuisse dicitur, per matrem tamen novo genitus Avido Severo*: ita quidem legendum credimus cum Salmasio, sed *novo* non de *novo homine*, sed de novo cive Romano, de quo supra egimus, capimus. Barth. lib. VIII. Adv. 10. licet ita, ut Salmasius emendat, in MSS. esse testetur, distinctione aliter succurrat, per *matrem tamen: Avo genitus Avidio Severo*. Tristanus T. I. Comm. p. 707. *per matrem tamen, progenitore Avidio Severo*: sed jam id non agimus.

Hæc Antoninus Caracallus circa vicesimam constituit, cui succedens Macrinus, multa contraria Antonini institutis & studiis constituit, & ab eo introducta abrogavit. Dion. in fragm. lib. LXXVIII. τά τε περὶ τοὺς κλήρους, καὶ τὰ περὶ τὰς ἐλευθερίας, καταδειχθέντα ὑπὸ τοῦ Καρακάλλου παύσας. *ea quæ Caracallus circa hereditates & manumissiones constituerat, cessare jussit*. Qui tamen non totum vectigal abrogasse credendus est, sed decimam sustulisse & vicesimam restituisse: nam sub sequentibus Imperatoribus eam non neglectam fuisse, indicio sunt loci, qui vicesimæ meminerunt. Elagabali tempore *mulio ad vicesimam curavit*, teste Lamprid. Elagab. cap. XII. nec a sequentibus facile id lucrum ærario ademptum. Sub Valente adhuc durasse indicat Lapis apud Gruter. p. 286. 4. ubi L. Vocontius Vicasius Procurator XX. Hered. memoratur. Gratianum hoc vectigal plane sustulisse primus affirmavit Alciat. lib. III. dispunct. c. 6. idque Ausonium in gratiarum actione tradere dixit, quem secutus est Pancirollus, in thes. var. lection. lib. III. c. 31. & Goveanus ad l. LXVIII. ff. ad Leg. Falcid. citante Bertrando in vita Æmilii Macri. Alciatum & reliquos viros doctos decepit non recte intellectus locus Ausonii, in gratiarum actione Imperatori Gratiano facta, quem male illos huc trahere & abuti jam ostendit

Cujacius ad Paul. IV. sent. 6. verba Ausonii sunt. *Vel illud unum cujusmodi est, de condonatis residuis tributorum? Quod tu quam cumulata bonitate fecisti? Quis umquam Imperatorum hoc provinciis suis aut uberiore indulgentia dedit, aut certiore securitate prospexit, aut prudentia consultiore munivit? Fecerat & Trajanus olim: sed partibus retentis non habebat tantam oblectationem concessi debiti portio, quam suberat amaritudo servati. Et Antoninus indulserat*, &c. Nemo umquam credo hæc verba legens, hinc de vicesimæ abolitione Ausonium loqui colligeret, quum nulla illius mentio fiat, sed in errorem eos duxit, quod legissent præcipue Trajanum & Antoninum plurima in hoc vectigali mutasse, quorum benevolentiæ & liberalitati Ausonius Gratiani munificentiam comparat & præfert. Sed nihil definit de vicesima, imo generatim de remissione residuorum & reliquorum agit, de qua Imperatorum benignitate supra egimus; atque hoc de Trajano testatur Plinius in panegyric. c. XL. & veteres lapides & nummi. Egregie vero hunc Ausonii locum illustravit Ezech. Spanhemius & simul pro *Trajano*, *Hadrianum* ibi scribendum esse ostendit, quia & antea exemplo Hadriani usus erat: vid. dissert. de usu & præst. numism. XIII. pag. 553. edit. novissimæ. De Antonini, sive Pii sive Philosophi, remissionibus loquuntur auctores, quos citat Jacob. Gothofred. ad l. 1. C. Theod. de indulg. debitor. Male etiam viri docti & interpretes, ut Vinetus ad Ausonium & Lips. ad Plin. paneg. d. l. solam Gratiani beneficentiam ad remissa reliqua hujus tantum vectigalis restringunt, quum in genere de *condonatis residuis tributorum* verba faciat, ut recte vidit Nic. Loens. misc. Epiphyl. lib. IX. cap. 9. Difficile vero dictu est, quis tandem eam sustulerit. Justinianus in l. ult. C. de Edict. Div. Hadr. toll. dicit *vicesimam e republica recessisse*; unde Cujacius ad l. 17. ff. de V. S. (quem secutus videtur Sc. Gentil. de jure accresc. c. 1.) a Justiniano eam sublatam scribit, quod verosimile quidem videri posset, licet illa verba *e republ. recessisse*, etiam capi possent de tempore ante Justinianum. Certe nusquam post ejus tempora vicesima amplius reperitur, & quum ante ejus imperium variæ Imperatorum constitutiones circa hoc vectigal fuerint, & Jurisconsulti sæpius in suis commentariis ejus meminissent, studiose Tribonianus omnem illius memoriam ex monumentis juris removit, vel mutatis quibusdam verbis, aliis speciebus & casibus accommodavit. Multa vestigia vicesimæ jam viri docti indagarunt, quæ breviter, ne quid huic argumento desit, exhibebimus, prætermissis illis legibus, quas jam ante huc retulimus.

Duo memorantur JCti, qui ad hanc legem commentarios scripserunt, primus fuit *C. Aulus Ofilius*, qui tempore Augusti, & ejus familiaris vixit. l. 2. §. 44. ff. de Origin. Jur. Qui videtur hoc in gratiam Augusti suscepisse, ut novam legem Senatoribus & populo commendaret, ut animadvertit Balduinus. Ex hujus libris nihil in Pandectas relatum est. Post eum etiam Æmilius Macer, qui sub Alexandro Severo floruit, duos libros εἰκοστῶν conscripsit, ex quibus quinque leges in Digesta Tribonianus intulit, sed omnes omissa vigesimæ mentione alio detorsit: de legibus 7. ff. qui test. fac. pos. l. 75. de relig. & sumpt. fun. & l. 154. ff. de V. S. & l. 68. ad leg. Falc. jam egimus. In l. 13. ff. de Transact. dicitur, *Nulli Procuratorum Principis, inconsulto Principe, transigere licere*. Quod generale effatum ad solam vicesimam restrinxerat Macer, docendo, non licere Procuratori cum heredibus transigere de vicesima, sed eum secundum æstimationem justam vectigal hoc deducere debere, ne fraudi & collusioni fenestra aperiretur, *quum Procuratori diligenter rem Cæsaris gerere, non alienare commissum sit, neque ei donationis, venditionis vel transactionis caussa quid agere liceat*: l. 1. §. 1. ff. de offic. Procurat.

Præter has leges, quæ manifeste ad vicesimam referri debent, occultiora quædam indicia quibusdam insunt. Sic quod rescribitur in l. 114. §. 14. ff. de legat. 1. huc refert Cujac. v. obs. 16. Dicitur ibi *rerum alienationem in testamento vetitam, neque creditoribus, neque fisco fraudi esse debere*. Quæ fraus in eo consistebat, quod heredes, qui rem alienare prohibebantur, putabant simul eam esse immunem a vicesima; quia si vicesima detraheretur ex ea re, jam portio aliqua alienabatur & fisco cedebat; sed rescripsere Imperatores, nihil hoc prætextu Fisco posse noceri, quia heredes ex reliqua hereditate partem illam vicesimam possent dependere, vel si reliquæ res non sufficerent, non servandam esse alienationis prohibitionem: nam hoc modo maxima legi fraus fieret, quum aliquis omnia bona posset alienari prohibere; quo casu etiam testator ære grandi obrutus alieno, creditores posset decipere, si nec illi, habita ratione alienationis vetitæ, possent debitum suum consequi: quod absurdum & iniquum quum esset, neque creditoribus neque fisco hanc prohibitionem fraudi esse voluerunt; male autem Rævardus var. III. c. 16. hanc legem ad vicesimam rerum venditarum & venalium refert, qualem nunquam fuisse, jam supra ostendimus, & pluribus contra eum probat Cujac. IX. obs. 24. Locus, quo Rævardus innititur, est apud Plin. lib. VII. ep. 14. ubi scribit Corelliæ, *eam partem vicesimam a Publicanis emisse nongentis*: sed eum non recte Plinium intellexisse docet Cujacius: non enim ibi agitur de vicesima, quæ in auctione detrahebatur, sed de hac ipsa vicesima hereditatium: at enim ex epist. 11. ejusdem libri apparet, erant agri, quos ex hereditate aliqua Plinius acceperat, unde vicesima deberet detrahi; vendiderat autem Plinius Corelliæ quincuncem suam per Hermetem libertum, septingentis millibus, modico pretio, quum posset nongentis millibus venire. Videntur vero publicani, qui vicesimam redemerant, in eo fraudem fisco factam esse, contendisse, & vicesimam ad summam nongentorum millium voluisse detrahere, quod pati coacta fuit Corellia; & partem illam vicesimam ad rationem nongentorum a Publicanis redimere, quæ itidem Plinio offerebant nongenta, quia tanti poterant vendi; quod Plinius recusavit, & contractum ab Hermete suo factum servari voluit. Nihil hic ergo de vicesima rerum venalium, sed aperte de vicesima, quæ ex rebus hereditariis detrahebatur: vid. etiam Gronov. de pecun. vet. lib. IV. cap. 5. doctissime hunc locum explicantem. Antequam vero ad alia transeamus, scrupulus ex d. l. 114. §. 14. de Legatis 1. est tollendus, qui Grammaticum aliquem sollicitum posset habere: verba sunt: *Divi Severus & Antoninus rescripserunt, eos, qui testamento vetant quid alienari, nec caussam exprimunt, propter quam id fieri velint, nisi invenitur persona, cujus respectu hoc a testatore dispositum est, nullius esse momenti scripturam*: nihil in hac periodo reperitur quo referri possit τὸ *eos*, ideoque memini Cl. Cornelium Eekium, collegam quondam meum, voluisse legi, *eorum*, sed quia plura exempla ἀνακολούθου similis passim occurrant; ego nihil temere novandum puto: sæpe enim initio longioris periodi casus ponitur a scriptore in animo habente deinde verbum subjicere, quod isti casui respondeat, & tamen excidit forte aliud verbum, quod diversum a posi-

to exigat. sic in l. 17. ff. de in jus vocando. *Item eum, qui apud acta exhibiturum se esse quem promittit, & si officio non caveat, ad exhibendum tamen cogitur*: ubi ratio constructionis vulgatæ exigit vel *is*, vel *cogi*: sed vindicavit contra Holoandrum, qui *eum* ejecit, locum Barth. XXV. Adv. 15. Eodem modo & in l. XIX. ff. de judiciis. *Numquid dicimus, eum, qui a mercatore quid comparavit advena, vel ei vendidit, quem scit inde confestim profecturum, non oportet ibi bona possidere, sed domicilium sequi ejus*: & ibi alii *oportere* supposuerant; sive ergo illud ἀνακόλουθον sive σολοικοφανὲς appellare libet, non temere ad canonas Grammatistarum componi fas est, quia similia centies apud omnes auctores Græcos & Latinos occurrunt: vid. Voss. ad Catul. Carm. LXIX. ad Manl. pag. 296. Gronov. & alios ad Liv. 11. 57. Davis. ad Cæs. 1. de Bell. Gall. 39. & quos non?

Ad vicesimam etiam refert Cujac. IX. obs. 24. l. 2. C. de transact. ubi proponitur frater cum sorore transegisse de aliqua hereditate, de qua lis inter eos metuebatur, & sorori cavisse certam pecuniam debere, postea ex ea caussa aliquid fisco solvisse, quod an repetere possit, ibi quæritur. Cujacium in exponenda hac lege errare putat Anton. Fab. conject. XVII. c. 4. quum lex accipi debeat, de hereditate paterna, de qua transactio interposita sit, & ex qua vigesima non debebatur, & idcirco nullus locus fisco: quare ille corrigit, & legit, ex *qua causa si ilico solvisses*, sed revera neque Faber probat, ibi agi de hereditate patris, quum nullum de ea verbum fiat, neque emendationem MSS. fide firmat. Potest itaque lex de hereditate extranei, vel patrui, vel alterius sumi, unde vicesima debebatur: quum autem lis inter sororem & fratrem metuebatur, cauta certa pecuniæ summa, frater eam totam adiit, qui ut heres a fisco conventus ad vicesimæ solutionem, ejus nomine postea a sorore repetere voluit, quod fisco solverat, & hoc ei negabatur, quia transactione omne negotium in eum translatum, & totius hereditatis ille possessor factus fuerat, sorori vero transactione certa illa summa debebatur, ex qua illa nihil fisco debebat, utpote quæ hereditati renuntiaverat, & omne jus in fratrem transtulerat.

Huc etiam respicere puto JCtum in l. 32. ff. de jure fisci: ubi agitur de jure obsidum. In l. 31. dixerat ex rescripto Commodi, *obsidum bona, ut captivorum, in fiscum esse redigenda*, postea autem hoc effatum certis limitibus definit, *sed si accepto jure & usu togæ, Romæ, ut cives Romani, semper egerint, eorum jus esse separatum ab obsidum, & illis esse servandum, quod habent, si a legitimis civibus Romanis heredes instituti fuerant*. Nim. obsides erant peregrini, ideoque non poterant heredes institui a cive Romano, sed iis legata & relicta caduca fiebant, & fisco cedebant, d. l. 31. nam eam non ita accipere debemus, ut video interpretes fecisse, quasi obsidibus non licuisset de suo patrimonio disponere, & mortuorum omnia bona in fiscum redigenda essent; hoc enim contra omnem æquitatem constitueretur, quum obsides filios & agnatos domi haberent, qui sine injuria non poterant privari hereditate; sed tantum voluit Commodus, eos nihil posse acquirere ex testamento Civis Romani, quia erant Peregrini, nec capaces juris Civilis Romani; si vero beneficio Principis togæ usus illis erat concessus, (de quo multa ibi Gothofredus & Ferrar. de re vest. part. 2. lib. 4. c. 3.) cives facti esse videbantur, & jure ex civium testamento capere legata & hereditates poterant, sed eo casu vicesimam debebant præstare fisco, quod colligitur inde: quia hoc Divi Fratres *Procuratoribus hereditatum* rescripse-

A runt, de quibus mox agendi locus. Ultima tamen verba non videntur satis respondere casui in leg. 31. & initio l. 32. proposito. ubi non videtur agi de bonis, quæ obsidi testamento civis relicta fuerunt; sed de bonis, quæ obses testamento suo aliis legat: de his enim erat controversia, an liceret obsidibus testamentum facere, & ita heredes relinquere; quod, si loco peregrinorum haberentur, illis non permittebatur, scilicet jure civili Quiritium, sed si *jus togæ accepissent*, sive ut in l. XI. ff. qui testam. fac. pos. *si illis permissum esset*, testari poterant: quare dicendum fuisset, idem jus eis servandum, quod habent legitimi cives Romani, qui heredes instituissent: sed idem B sensus exibit, si per *eos* intelligamus eorum heredes aut legatarios, aut cum Fabro in Jurispr. Papinian. pag. 241. legamus *Idem jus heredibus servandum, quod haberent si* &c. quidquid sit, ex his patet retulisse ad Imperatores Procuratores hereditatium, an testamentum obsidis esset irritum, & ideo bona, ut caduca, Fisco vindicanda, an si testamentum valeret, vicesima esset decerpenda, ut ex aliis civium hereditatibus.

Ad vicesimam etiam referri posse puto l. 1. C. de Usur. rei judic. tum quia auctorem habet Antoninum, id est Caracallum, quem plurima excogitasse ut vectigali huic exigendo, & ampliando C fines proferret, jam vidimus, tum quia est data ad procuratores hereditatium; verba sunt: *Is qui bona secundum dictam sententiam prosequitur, eas quoque rationes habiturus est, ut qui post legitimum tempus placitis non obtemperavit, usuram centesimam temporis, quod postea fluxerit, solvat*. Unde discimus tempus præscriptum fuisse solvendo vectigali, ultra quod si moras fecerit debitor fisci, centesimas usuras solvat, quamvis non repugnem, si quis de hereditate fisco ex quocumque casu debita legem intelligendam esse contenD deret, ut mox Phil. a Turre fecisse videbimus.

Vicesimæ Vectigal, ut cetera omnia vectigalia, a Publicanis publice redimebatur, ut jam manifestum est ex plurimis Auctorum locis, quos in hoc capite adduximus. Plin. lib. VII. ep. 14. & in panegyr. c. XXXVII. *Ratus insolenter, ac pene impie, his nominibus inseri Publicanum*: & apud Gruter. pag. 591. legitur PUBL. XX. Hi publicani etiam societates habuerunt, ut de reliquis supra ostendimus, quod colligo ex inscriptione apud Gruter. pag. 426. 5. & 454. 8. ubi mentio fit *Promagistri XX. hæreditatium*, qui erat, qui vices Magistri societatis gerebat, de quo alio loco E egimus; dicebantur etiam simpliciter *Vicesimarii*, ut apud Reines. inscr. XIII. 43.

Deinde proprio & peculiari etiam Magistratui commissa fuit hujus vectigalis cura, qui *Præfectus ærarii militaris* dicebatur, de quo mox in fine capitis agemus, ad quem reliqui, vectigali huic Romæ & per provincias colligendo præpositi, pecunias deferre debebant. Reperimus autem hos fuisse varii discriminis & dignitatis, diversis etiam nominibus appellatos: in primis vero frequenter occurrit *Procurator*, de quo plurima apud Auctores & in veteribus lapidibus mentio; & quum varii procuratores essent instituti, ut supra F pag. 114. vidimus, hic dicebatur sæpius simpliciter *Procurator Cæsaris*, ut in l. 13. ff. de transact. forte, quia sæpe in provinciis Procuratoribus, qui res Cæsaris curabant, etiam hujus vectigalis commissa fuit exactio, unde sæpe conjunctum legitur fuisse munus patrimonii Cæsaris & hujus vectigalis, ut apud Gruter. pag. 59. 11. plurimum vero quidam Procurator erat solius vicesimæ, qui vel *hereditatium Procurator*, ut in l. 31. de jur. fisc. & apud Rein. VI. insc. 51. vel *Procurator XX.*

here-

hereditatium, ut apud Gruter. pag. 389. Reinef. VI. infcr. 123. & paffim. vel etiam *Procurator* XX. apud Gruter. pag. 286. 4. Repeiuntur etiam *Procuratores Augufti XX. Hered.* apud Gruter. p. 259. 3. *Procurator Augg. Stationis Hereditatium*, apud Urfin. de famil. Rom. in gente Petronia, & Gruter. 451. 3. plurimas enim *ftationes* habebat fifcus, quæ erant diverfæ manfiones, in quibus officia fifcalia erant conftituta, fere fimiles, quas in Gallia *Bureaux* vocant. Cujac. ad l. 1. C. ne fifc. rem quam vend. Unde tot fuere ftationes fifci, quot genera vectigalium & tributorum; & hinc in l. 1. C. de compenfat. dicitur, *compenfationi in caufa fifcali ita demum locum effe, fi eadem ftatio quid debeat, quæ petiit:* ubi plura Gothofred. ita *Stationes Marmorum* in antiquo lapide inveniuntur, quod immerito repudiat Reinef. comm. ad infcr. IX. 71. de quibus fup. cap. VIII. pag. 121. Dicebatur etiam fimpliciter *fuper Hereditates*, ὁ ἐπὶ τῶν κληρονομιῶν, ut ex Scribonio Largo oftendunt Cafaub. ad Suet. Claud. 2. Salm. ad Spart. Hadr. 2. & Reinef. ad IX. infcr. 17. & ad *vicefimam curare* dixit Lamprid. in Elagab. c. 12. Hæc Procuratoria dignitas ampla fatis & honefta quondam fuiffe videtur: nam in infcriptionibus hoc munus fæpe a nobilioribus & illuftribus viris legitur adminiftratum. Sic a Præfecto Urbi apud Gruter. p. 286. 4. a Præfecto cohortis, Tribuno Militum &c. apud Reinef. VI. 123. a Confule apud Gruter. CCCLXXXIX. 2. Vir Doctiffimus Philippus a Turre in monum. veteris Antii, de infcriptione Aquilii cap. VI. quæ circa Ann. 1699. Antii inventa, ita fe habet.

M. AQVILIO. M. F.
FABIA. FELICI.
ACENSVS. EQVIT. ROMAN.
PRAEF. CL. PR. RAVENNAT.
PROC. PATRIM. BIS. PROC. HERED.
PATRIM. PRIVAT. PROC. OPER. PVB.
PRAEP. VEXILLAT. P. P. LEG. XI. CL.
Ↄ. FR. PATRON. COL. OB. MER. EIVS.
ANTIAT. PVBL.

Credit Procuratorem hereditatium non fignificare illum, qui vigefimæ curam agebat, fed jungenda effe verba *Procuratori hereditatium patrimonii privati*, & illum effe, qui hereditates a privatis Imperatori relictas capiebat. Et certum eft fæpe heredes fcriptos Cæfares, ut ex Suetonio, Tacito & aliis probat vir eruditiffimus, & qui illas exigebant, vocari fimpliciter *procuratores hereditatium* in l. 1. Cod. de Ufur. rei judicat. de qua modo egimus, quia ibi nulla mentio fifci fit: & apud Gruter. pag. DXC. occurrunt *rationales hereditatium*, *Exactores hereditatium, legatorum, peculiorum, Tabularii rationum hereditatium*, &c. neque negamus procuratores patrimonii privati curam harum hereditatium, ut rerum omnium, quæ ad privatum patrimonium pertinebant, egiffe: ideoque inutile videtur, aliquem procuratorem *hereditatium patrimonii privati* appellare, cum fub patrimonio privato hereditates comprehenderentur; quare forte fieri potuit, ut in illa infcriptione vel omiffa fit vox PROC. quæ diverfis procurationibus, quas hic Aquilius geffit, præponitur & legi poffit, PROC. HERED. PROC. PATRIM. PRIVAT. vel ET PATRIM. PRIVAT. fic apud Gruter. DLXXXIX. 12. & Fabret. infc. cap. III. p. 198. LEMNO. AVG. L. PROC. PATRIMONI. ET. HERED. ubi videmus diftinctas fuiffe procurationes duas, fed uni commiffas: qui

A in lapide vel fimili vel eodem correctiore apud Gorium in Infc. Florent. pag. 17. dicitur *Procurator Germanici Cæfaris*: qui an Domitianus fit nefcio: nec hanc infcriptionem præterit Turrius; junctæ ergo hæ potuerunt effe duæ procurationes: nam & caducorum erat procuratio, quæ juncta procurationi XX. Hered. legitur apud Spon. Mifc. Erud. p. 61. ubi P. CURIUS PROC. XX. HERED. IMP. CÆS. TRAJANI HADRIANI AUG. PROVINC. HISP. CITER. PROC. CADUCORUM. exhibetur: quam procurationem Sept. Severum inftituiffe Spartianus narrat cap. XII. fub nomine procurationis rerum privatarum, cujus
B fidem elevat Salmafius: Pancirol. vero comm. ad Notit. Imper. Orient. cap. 87. putat olim diftinctos Procuratores vicefimæ hereditatium, & caducorum, fed utramque curam uni Procuratori titulo rerum privatarum fuiffe datam. Phil. a Turre vero cap. V. ad Infcr. Aquilii, cenfet tunc bona, quæ in Fifcum redigebantur, diftingui cœpta a rebus privatis, five patrimonio Cæfaris, & ante Severum patrimonium fifcale & proprium uni Procuratori fuiffe curæ, tunc duos inftitutos, quorum unus Fifcum, in quem caduca &c. redigebantur, alterum privatum patrimonium curaffe: vid. fupr. pag. 115. Sed ut fæpe in procurationibus illis varia-
C tum fuiffe credibile eft, & fæpe uni duas, tres plurefve procurationes creditas lapides oftendunt, ita Procuratorem XX. hereditatium nihil ad Fifcum, nec ad patrimonium privatum pertinuiffe credo, quum hoc vectigal in ærarium militare non fifcum inferri deberet: caduca fine dubio in fifcum: ideoque etiam in l. 1. C. de Ufur. rei judic. nullam mentionem fifci fieri puto. Quidquid in his dubiis & incertis fæpe obfervationibus fit, non admitti etiam poffet fententia Turrii, qui ex infcriptione illa *Procuratores hereditatium patrimonii privati* diverfos facit a *procuratoribus XX.*
D *hered.* & præter hos etiam fuiffe patet, *procuratores caducorum*, qui & dicuntur *procuratores Hereditatium caducarum* apud Fabret. capit. III. pag. 197. 198. & cap. X. pag. 710. quos eofdem fuiffe certum eft, & eos quoque a procuratoribus patrimonii diftinguit lapis apud Fabret. cap. III. infc. 473. apud eumdem Fabrettum pag. 146. in lapide legitur. P. ÆLIUS. AUG. LIB. FLORUS. QUI PROC. IN RATIONE HERED. AD LEGES PRÆDIORUM dicitur: qui qualis fuerit me ignorare fateor, nifi illa procuratio tantum fpectaverit ad prædia Cæfari relicta, quum alia bona, pecunia, fervi, fu-
E pellex, &c. procuratori patrimonii effent curæ, nec puto omnia, quæ in lapidibus reperiuntur, ita ad liquidum poffe perduci, ubi fcriptorum teftimoniis deftituimur, ut non fuperfint plurimi nodi: & quis nefcit, ut hodie, ita & olim in aulis Imperatorum quotidianas viciffitudines & mutationes in muneribus, aut novis inftituendis, aut veteribus, fi ampla nimis aut negotiofa funt, in plures homines diftribuendis, aut fæpe uni pluribus mandandis, aut denique fub nominibus antiquis novis curis adfignandis: fic apud Spon. Mifc. p. 148. videmus C. Furium Sabinum fuiffe *procuratorem tam patrimonii, quam rationum privatarum*,
F quæ munera alias fuiffe divifa hinc colligi poteft, quum in aliis *Procurator patrimonii*, & *rationum privatarum* idem fit; deinde idem Furius fuit *procurator vice* XX. & XL. & *Proc. patrimonii prov. Belgicæ* &c. deinde *procurator in urbe magiftro* XX. quæ omnes procurationes non fimul in eum congeftæ videntur, fed ille ab una ad aliam translatus fuiffe: unde & legimus, quofdam bis eadem procuratione functos, ut in infcriptione Aquilii: quid autem *procurator magiftro* XX. fit, æque ob-

scurum est, an ille societatis publicanorum fuerit magister, an quia *procurator* additur, a Procuratore Cæsaris sit constitutus, ut XX. exigeret & legendum, *Procuratoris magistro* XX. ut ita sit quasi subprocurator, ut explicat Guther. de off. dom. August. III. 35. lapidem apud Gruter. CCCCXXVI. 5. ubi *promagister* XX. *Hereditatium* legitur, & CCCCLIV. 8. & 9. eodem modo, ut in Sponiano lapide, PROC. AVG. PROMAGISTRO. XX. HEREDITATIVM. id est *Procuratoris promagistro*. ex quibus omnibus se extricent, qui officia domus Augusti exsequi volent, nos in viam redimus. Non vero semper viros illustres huic procurationi præfectos docent infiniti alii lapides, ut apud Spon. pag. 203. *miles leg.* V. etiam *procurator vigesimæ hereditatium* legitur, & credibile est in illis lapidibus, qui tot honoribus & muneribus cumulatos viros nobis ostendunt, multos a tenuibus principiis & minoribus muneribus, ad summos magistratus progressos fuisse: certe Libertos jam ab ipsis Augusti, Tiberii & seq. Imperatorum temporibus adhibitos, docent multi lapides, ut apud Gruter. pag. LIX. 10. & II. Reinesf. XIV. Insc. 162. qui ibi videndus, ut & Philipp. a Turre & alii plurimi: qui & Antherotis meminerunt Liberti Tiberii *super Hereditates* apud Scribon. Larg. comp. CLXII. Ad summam vero vilitatem redegit Elagabalus, qui teste Lampridio cap. XII. *Mulionem ad vicesimam curare jussit*. Muliones vero plerique aut servi erant, ut passim obvii tales sunt, unde & institor vocatur in l. V. §. 4. ff. de Instit. act. aut si liberi essent, extremæ sortis homines, qui rhedas publicas, & mulas agere solerent. l. X. & XXXI. Cod. Theod. de Curs. Publ. & ut ostendi ad Petron. cap. CXXXVI. Varios autem Procurator hic vigesimæ sub sua dispositione habuit ministros & in Urbe & in Provinciis, quorum diversæ reperiuntur in lapidibus appellationes, & a viris doctis fere sine ullo ordine, aut accurata partis, quam administrabant, designatione, enumerari solent. Neque etiam facile esse puto omnium exactam notitiam tradere, quæ maxime ex Codicibus Juris & Lapidibus peti debet. Reperitur *supprocurator* XX. apud Gruter. pag. DXCV. I. quem & *promagistrum* Gutherium fecisse vidimus: reperiuntur & *Tabularii*, (ut aliorum vectigalium supra vidimus pag. 117. & 136. XX.) *Hereditatium* apud Gruter. CXLIX. 6. & MXCI. 3. & Reinesf. IX. 36. & XIII. 43. *Arcarii* XX. *Hered.* apud Spon. Misc. pag. 211. & Reinesf. VI. 70. ubi male ARC. X. legitur XX. *vigesimæ Hered.* vide Fabret. pag. 36. & seq. ubi & *Præsignator Hereditat.* occurrit, ut & *dispensator* XX. *Hered.* apud Grut. CXXIV. I. apud quem etiam pag. DCCCCLXIII. 7. BERVLLVS ESSE LIB. XX. de quo videndus Reinesf. ad class. XIV. 162. qui exponit *libertus vigesimarius* vel vigesimæ colligendæ, quamvis & posset pro *Librario* exponi. *Exactores* etiam apud Gruter. IↃLXXXIX. 2. & 3. *Rationales* passim & apud Gruter. ibid. 7. & *ex numero rationis Hereditatium* apud Fabret. cap. II. pag. 99. *a commentariis rat. Hered.* Grut. DXCIX. I. & *a Comment.* DLXXXIX. 9. *Villicum summarum ex vigesima Heredit.* in inscriptione apud Reinesf. XIII. 43. quam ex Gualtheri Tabulis Siciliæ emendatiorem profert Fabret. pag. 36. & plures fortasse aliis titulis, in quibus morari non libet.

Omne autem ex vectigali vicesimæ argentum coactum in ærarium Militare inferebatur, ut Dion. & Suet. locis supra adductis testantur: cui etiam inlata est centesima rerum venalium. Tacit. I. ann. 78. Hoc ærarium curasse tres Prætorios scribit Balduinus, idque Dionem testari, quod falsum; scribit vero Dion. li. LV. Augustum adhibuisse tres Consulares ad sumptus contrahendos. Nihil de cura hujus ærarii, quæ spectabit ad *Præfectos Ærarii Militaris*: quorum sæpe mentio apud auctores. Tacit. 5. ann. 8. de Vitellio dicit, *eum claustra ærarii, cui præfectus erat, & militarem pecuniam novis rebus obtulisse*, sic in veteri lapide, quem profert Lipf. ad Tacit. I. Ann. 78. Memoratur *Neratius Præfectus Ærarii militaris*. V. & Reinesf. 6. inscr. 130. & apud Gruter. V. 3. & CCLIX. 3. & alibi. Reperimus & *Quæstorem Ærarii Saturni*, qui idem & *procurator* fuit XX. *Hered.* apud Spon. Misc. pag. CLXXVII. & fortasse, ut in aliis caussis ad fiscum & Ærarium pertinentibus, apud hos procuratores, & præfectos Ærarii militaris, controversiæ ex hereditatibus ortæ, si vicesimæ ratio esset habenda, agitatæ fuere: argumento l. XII. de his quibus ut indig. auf. & l. VIII. §. 19. de Transact. ad quam vide Cujacii notas. Sæpe etiam iidem erant & Præfecti Ærarii Saturni & Militaris, ut C. Plinius Cæcilius in lapide apud Lazi de republ. Roman. libr. II. c. 14. & Gruter. CCCCLIII. 3. & 4.

CAP. XII.

De reliquis Populi Romani vectigalibus.

HUc usque præcipua vectigalia recensuimus, quæ æraria Populi Romani ditabant; hoc capite minuta quædam vectigalia, quæ neque pinguia, neque etiam diuturna & quasi perpetua semper fuere, enumerabimus, deinde etiam quædam vectigalia falso credita ostendemus.

Primum occurrit vectigal, quod *pro aquæductibus* pendebatur; loca enim circa Romam pleraque sicca erant, & aqua destituebantur, unde publicis impensis e longinquis regionibus aqua per canales ducebatur, ex quibus privatis jus ducendæ aquæ concedebatur sub pensitatione annua. De origine & tempore, quo aquæductus primum Romæ in usu esse cœperunt, non consentiunt viri docti. Lipf. de Magnit. Rom. lib. III. c. II. ex Frontino de aquæd. lib. I. art. 4. ad A. U. C. 441. refert, quo tempore Appius aquam, ab eo Appiam dictam, primus perduxit. Diversi a Lipsio abeunt Keuchenius ad Front. & ut videtur etiam Rittershusius ad Leg. XII. tab. clas. III. part. 2. c. 5. qui jam ante tempus XII. tabularum aquæductus, & jus circa eos institutum fuisse, conantur probare duobus argumentis. Primo ex Plinio XXXI. c. 3. ubi Aquam Marciam ab Anco Marcio rege derivatam videtur innuere; sed infirmum valde hoc argumentum, quum Aqua Marcia non ab Anco, sed a Q. Marcio, qui Prætor fuit A. U. C. 608. sit perducta, & appellata; neque Plinius etiam dicat Ancum perduxisse, sed auspicatum fuisse, unde eum non absolvisse apparet, & aperte Frontinus, (cui hac in re fides habenda, utpote qui consularis, & cui cura aquarum Romanarum a Nerva fuerat commissa, & omnia denique ex antiquis monumentis conquisivit) dicat, *ab Urbe condita per annos* CCCCXLI. *contentos fuisse Romanos usu aquarum, quas aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut ex fontibus hauriebant*: ad quem locum vir Doctissimus Polenus est consulendus n. VII. qui Frontini sententiam tuetur. Secundum argumentum, quo antiquiores aquæductus putant demonstrari, petitur, ex l. 5. ff. ne quid in loco publ. ubi dicitur, *si per publicum locum rivus aquæductus privato nocebit, erit actio privato ex lege duodecim tabularum, uti noxæ domino caveatur*: unde aquæductus jam tempore Decemvirorum, quod longe ante A. U. C. 441. fuit,

fuisse probari putant. Duplex vero responsio ad hanc l. dari potest, primo legem illam non loqui de aquæductibus, de quibus nobis sermo est, qui per canales ac tubos, & in latericiis fornicibus Romam deducebantur, sed de naturali derivatione aquæ, quæ ex flumine vel rivo aliquo publico ad irrigandos agros privatorum deducebatur, quæ non per lapidem stratum, sed per fistulas ducebatur l. 17. §. 1. ff. de aq. & aq. pluv. arcend. quæ proprie dicebatur *aquagium*: l. 15. ff. de servitut. præd. rust. l. 9. ff. quomod. servit. amit. & l. 3. §. 5. de aqua quotid. & a Festo explicatur, dictum *aquæ agium, id est aquæductus*: græcis dicitur ὑδραγωγεῖον & ὑδρωγία, ut in glossis habetur, non autem ita sollicite hæc distinctio aquagii & aquæductus observata fuit, quin sæpe confunderentur, & vectigal aquæductuum dictum fuerit τέλος ὑδραγωγίας; deinde etiam, etsi concedamus Jurisconsultum loqui de aquæductibus, non tamen inde probatur lege XII. tabularum de iis cautum fuisse, sed, ut recte Marcilius c. 54. ad L. XII. tab. animadvertit, non ejusmodi actio ex l. XII. tab. sed interpretatione prudentum, ex capite legis, quod agebat de noxa & damno infecto, derivata fuit, nequicquam obloquente Rittershusio, sed Poleno adsentiente, qui etiam Aquam Marciam ex ultimis Pelignorum montibus ductam, Anci Marcii opus non fuisse inde colligit, quia fines regni eo usque non extendebantur.

Constitutis itaque aquæductibus publicis Romæ, vetitum fuit privatis aliquam inde aquæ partem decerpere, sed testante Frontin. lib. II. n. 95. Edit. Polen. *Apud Antiquos omnis aqua in publicos usus erogabatur; nec privatis quicquam aquæ, nisi quæ ex lacu abundarit, ducere licuit, & hæc ipsa non in alium usum, quam in balnearum aut fullonicarum dabatur, eratque vectigalis statuta merces, quæ in publicum penderetur*. Deinde sensim jus aquam ex publicis canalibus deducendi a Censoribus, vel quoties ii in Republica non essent, ab Ædilibus, privatis concessum, qui inde ductis rivis & canalibus agros suos irrigabant, dato certo vectigali. & etiam in ipsa urbe in domos ex aquæductibus in usum quotidianum aquam derivabant: quo respicit Horat. I. Ep. X. 20.

Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum.
Quam quæ per pronum trepidat cum murmure rivum.

Ubi videndus Torrentius: & hinc Martialis petit a Cæsare Domitiano jus aquæ Marciæ deducendæ in domum, lib. IX. Ep. 19.

Est mihi, sitque precor longum te præside, Cæsar,
Rus minimum, parvi sunt & in urbe lares.
Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis,
Curva laboratas antlia tollit aquas.
Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
Quum mihi vicino Marcia fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

Postea soli Cæsares sibi jus, aquam publicam concedendi, servarunt, nec voluerunt, ut *quisquam sine literis Cæsaris ducat*. v. leg. 2. C. Theod. de aquæduct. & ibi Jac. Goth. Hoc vectigal ordinarie dicebatur *vectigal ex aquæductibus* l. 41. ff. de act. emt. Front. l. 2. *Commoda publicæ familiæ ex Ærario dantur, quod impendium exoneratur vectigalium reditu ad jus aquarum pertinentium*: deinde appellatum etiam fuit *vectigal formæ*; sic in l. 27. §. 5. ff. de usufr. & l. 39. §. 5. ff. de legat. I. dicitur *aliquid deberi ob formam aquæductus*. Formæ vero aquæ dicebantur ductus & canales, per quos aqua ex publico in privatorum agros & domos derivabatur, sic Frontinus dixit, *formas ductuum*, & ceteri posterioris ævi scriptores, ut Symmachus, Cassiodorus & reliqui ita hac voce usi sunt; sic & in inscriptionibus sæpius reperitur: apud Gruter. 177. 1. *restituta forma*. & 180. 2. *per formam cursu factam*. Hoc vectigal etiam idem esse, quod dicitur τέλος τῶν κηπίων, *vectigal hortorum*, & a Polyb. lib. VI. inter reliqua Populi Romani vectigalia recensetur, puto: nam præcipue ideo aqua ex publicis ductibus, a privatis deducebatur, ut eorum horti & rura, quæ aquis destituebantur, irrigarentur: sic expresse Frontin. lib. II. loquens de vectigalibus ex aquæductibus, dicit, *ea constare ex hortis ædificiisve, quæ sunt circa ductus aut castella &c.* & eod. libro. *ductus publici hominibus privatis ad hortorum usum subserviunt*: & ita aqua Alsietina sive Augusta, quæ parum salubris erat, ab *Augusto privatis concessa hortis subjacentibus ad irrigandum*. Neque per hortos hic solum intelligendi sunt illi agri, qui obsepti solis voluptatibus & deliciis inserviebant, sed hortorum nomine omnes omnino villæ comprehenduntur, Festus: *Hortus apud antiquos omnis villa dicebatur, quod ibi, qui arma capere possent, orirentur*: unde Plin. lib. XIX. c. 4. testatur in *XII. tabulis nusquam nominari villam, sed semper in ea significatione Hortum*: & lib. XXXIII. 3. de aquis Marcia & Virgine, dicit, *utriusque jam pridem urbi periisse voluptatem, ambitione avaritiaque in villas ac suburbana detorquentibus publicam salutem*: unde recte colligitur multos fraude & furto derivasse aquas in villas & hortos suos. Et hinc pœna fuit quædam statuta in eos, *qui furtivis aquæ meatibus ad hortorum delicias utebantur*, cujus mentio in l. IV. Cod. de Aquæductu. Etiam in municipiis aquam in hortos & villas sub vectigali datam fuisse, docet Cicer. III. Agrar. cap. 2. *Immunia commodiore conditione sint, quam illa quæ pensitant: ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia a municipio fundum accepi, si a Sylla mihi datus esset, Rulli lege non penderem*. Hujus aquæ Crabræ meminit etiam l. XVI. ad Fam. Ep. 18. Hujus vectigalis cura antiquitus ad Censores, & si ii non essent, ad Ædiles spectasse, ex loco Frontini supra adducto patet. Hi tutelam aquarum redemtoribus locare solebant, ut cetera opera publica; postea Agrippa, qui aquas etiam plurimas in Urbem perduxit, Suetonius August. capit. XLII. *ipse operum suorum & munerum perpetuus curator fuit*: vid. & Frontin. lib. II. Deinde Censura jam pereunte Augustus, ut plures, qui sibi gratam operam in bellis civilibus præstiterant, obligaret, *nova officia excogitavit*, in quibus erat *cura aquarum*, Suet. Aug. c. XXXVII. Et primum *curatorem creavit Messalam Corvinum, & adjutores ei dedit Posthumium Sulpitium Prætorium, & L. Comitium Pedarium, & insignia quasi Magistratibus iis concessit, & de eorum officio SCtum factum*, quod exhibet Frontinus lib. II. qui seriem nobis dat omnium Curatorum, ab Agrippa ad se ipsum: & fuisse ordinariam dignitatem postea factam satis constat. Deinde etiam reperitur *Consularis Aquarum*, qui aquæductuum curam gerebat, ut ex l. 1. C. Th. de aquæd. apparet, ubi v. Jacob. Gothofr. & l. 1. C. Just. eod. Et a sequentibus Imperatoribus constitutus fuit Comes Formarum, de quo videndus Panciról. ad notit. dign. occid. c. 7. Ad tutelam etiam aquæductuum institutæ sunt duæ familiæ, una ab Agrippa, quam deinde Augustus hereditatem sibi relictam publicavit,

quæ publica inde dicta, & altera, quam Claudius instituit, quæ Cæsarea appellata est. Hæc familia erat servorum, qui *Aquarii* appellabantur (ita in inscriptione quam laudat Pignor. de serv. p. 500. *Aquarius* Augusti memoratur: vid. Grut. XCIII.6.) qui erant aquarum custodes, ὑδροφύλακες l. penul. C. de aquæduct. Hos *custodes* appellat Tacit. XV. ann. 43. ubi Lipsius non recte his Castellarios solos significari docet, qui tantum species aquariorum erant, ut docet Frontinus, qui eos *diductos in villicos, castellarios, curatores, silicarios, tectores & alios opifices* dicit: sic apud Malvasiam in Marmor. Felsin. pag. 371. est PUBLICUS POP. R. AQUARIUS AQUÆ ANIENIS VETERIS CASTELLI NOVÆ LATINÆ CONTRA DRACONES. Hi accipiebant stipendia & *commoda sua ex vectigalibus, quæ ad jus aquarum pertinebant*. Frontin. lib. II. Male autem Brissonius de Verbor. signif. in *aquarius*, putat, de his accipiendam esse l. 12. §. 42. ff. de instr. legat. Sed manifestum est ibi agi de familia privata, quæ aquas curabat domini, quæ in multiplicem usum habebantur. De his vid. Pign. de servis. p. 499. & seqq. & talis ille in lapide Gudiano pag. XXXI. M. AURELIUS CARICUS AQUARIUS HUJUS LOCI. & SECUNDIO JULIÆ AUG. AQUARIUS, in sepulchro servorum Domus Augustæ, quod illustravit Bianchinus. pag. XX.

Proximum vectigali ex aqua est vectigal, quod pro cloacis solvebatur, *Cloacarium* vulgo dictum. Hæ cloacæ primum a Tarquinio Prisco institutæ fuere, ut sordes, quæ Urbem deformarent, per eas in Tiberim deveherentur, Liv. I. c. 38. Admirandum plane opus, & in quibus prædicandis Auctores magnifice sibi indulgent, vid. Lips. de Magnit. Rom. lib. III. c. 12. Harum cloacarum cura antiquitus ad Censores spectabat, qui eas purgandas & reficiendas locabant redemtoribus, quod, ut notum, non multis adstruemus: maximi autem sumptus fiebant in has cloacas ex publico, ita ut, teste Dionysio Halicarnas. lib. III. *aliquando neglectas cloacas, nec amplius transmittentes aquas, Censores mille talentis purgandas & reparandas locaverint*. Ne autem damnum hinc sentiret ærarium, institutum fuit vectigal, ex quo cloacæ purgari & reparari potuerunt, quod dicebatur *cloacarium*, ut appellatur in l. 27. §. 5. ff. de usufr. & l. 39. §. 5. ff. de l. 1. Cloacæ postea sub Imperatoribus ad *Curatores* pertinebant, qui earum curam gererent; hi in veteribus monumentis plerumque appellantur *Curatores Alvei Tiberis & riparum & cloacarum Urbis*, V. Grut. insc. p. 197. & 198. per tot. Hi, ut minori impendio eæ purgarentur, utebantur pœnæ damnatis. Trajanus ad Plin. lib. X. ep. 41. *Solent enim ejusmodi ad balneum, ad purgationes cloacarum, item munitiones viarum & vicorum dari*. Præter has cloacas erant Romæ latrinæ publicæ, in quibus prætereuntes ventris onus deponere poterant: de quibus intelligendus Suetonius, qui in Tiber. cap. LVIII. *nummum vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse*, capital fuisse narrans: nam ibi de publicis latrinis agi certum est, ut etiam ita vocat in vita Lucani: *adeo ut quondam in latrinis publicis clariore cum strepitu ventris omisso* &c. de his etiam in vita Neronis cap. XXIV. *abjici in Latrinas omnium statuas & imagines imperavit*; neque ex his etiam lucrum aspernata est Roma, sed eas vilibus hominibus locabant, qui vectigal exigebant ab his, qui subita necessitudine deprehensi se ibi exonerare cogebantur; ut recte rationem hujus sordidi vectigalis explicuit Cujac. XXII. obs. 24. de his loquitur Juvenal. III. v. 38.

Conducunt foricas, & cur non omnia?

A Hi appellantur in l. 17. §. 5. ff. de usur. *Foricarii*, quos male Salmasius de usuris c. 18. interpretatur, qui redimunt purgandas latrinas, quum ii non debeant inferre pecuniam fisco, ut in d. l. dicitur, sed accipere. Latrinis adjungo *Amphoras* publice positas in angiportis, de quibus Macrob. III. Satur. cap. 16. has amphoras intelligit Lucretius libr. IV. vs. 1021.

Puri sæpe lacum propter, se, ac dolia curta
Somno devincti credunt extollere vestem,
Totius humorem saccatum ut corporis fundant:

B Ubi vide notas Fabri. eas intelligit etiam Martialis lib. XII. Epig. 48.

Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ;
Vel quicumque canis junctaque testa viæ.

Ubi recte Raderus *testam* de hujus generis amphora explicat. Non videtur autem Romæ licuisse urinam publice facere, nisi in his amphoris, quæ in eum usum erant positæ in viis. In has autem gratis urinam conjicere licuit usque ad tempora Vespasiani, qui, quum esset avarissimus, *commentus est vectigal urinæ*, Suet. Vesp. XXIII. quod ad similitudinem foricarum, ut puto, vectigal instituit, & has Amphoras sordidis hominibus locavit, qui stipem ab hominibus, qui necessitate coacti in iis lotium reddebant, exigebant; nam quæ viri docti de *Fullonibus* excogitarunt, fidem penes me non inveniunt: nam si vectigal aliquod fullones solvebant, erat propter aquæ usum ex publicis aquæductibus, ut supra ex Frontino docuimus. De eodem Vespasiano testatur etiam Tzetzes, illum vectigal ex fimo equino coegisse, ut notat doctissimus interpres Suetonii Casaubonus. Nescio autem qua specie Marcilius ad Suet. Vespas. cap. XVII. & XXIII. hoc vectigal vocet *Judaicum vectigal e lotio*, & in capita Judæorum impositum fuisse velit, nullo adducto, quo hoc probet, argumento. plura & fere eadem, quæ priores, de hoc vectigali habet Henelius in otio Uratislav. cap. XXII.

Nullo magis argumento opulentia & magnificentia Romanorum declarari potest, quam admirandis illis viis, quas lapide sternebant, de quibus v. Lips. de magnit. Rom. c. X. de ipsis viis & earum munitionibus hic agere locus non est, & hoc egregie Bergerius in libro de viis militaribus argumentum illustravit: tantum noto, Pœnos fuisse, qui primi vias lapide straverunt, ut adnotat Servius ad illa Virgil. I. Æneid. 422. *Miratur Molem Æneas, & strata viarum*: Romani vero omnes in hoc quoque opere gentes superarunt. Sed ne nimio impendio ærarium exhauriretur, etiam ad illarum munitiones & tutelam privatos contulisse pecunias, declarant antiqua monumenta. Hoc clare docet Sicul. Flacc. de condit. agror. pag. 9. *Sunt viæ publicæ regalesque, quæ publice muniuntur, & auctorum nomina obtinent, nam & curatores accipiunt & per redemptores muniuntur; in quarumdam tutelam a possessoribus per tempora summa certa exigitur*. Sæpius etiam in jure nostro hujus collationis a possessoribus agrorum viæ affinium, memoria a JCtis facta reperitur, ut in l. 27. §. 5. ff. de usufr. & reliquis, quas ibi adducit Gothofr. Has vias reficiendas & muniendas olim Censores curabant, qui eas redemptoribus locabant. Liv. XLI. c. 27. *Censores vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substernendas marginandasque primi omnium locavere*. Qui locus ita accipiendus, eos Censores primo ex glarea, quæ minutissimi lapilli sunt, vias fecisse, quum antea ex grandibus & e montibus excisis saxis munitæ fuissent, ut Appia

via. Deinde a Censoribus translata hæc potestas ad Quatuorviros l. II. §. 30. ff. de orig. jur. & postea Curatores viarum ab Augusto constituti; Sueton. Aug. XXXVII. Vide Lips. in excurs. ad Tacit. III. annal. Ad Augustales hanc curam postea etiam delatam credit Reines. ad Insc. clas. I. 12. motus lapidibus duobus apud Gruterum, qui tamen id non videntur probare: nam in primo pag. CLXIX. 5. legitur tantum, *municipii magistros Augustales viam Augustam ab via Annia extra portam ad Cereris silice sternendam curasse pecunia sua pro ludis*: id est, se sumtus non in ludis, sed fecisse in via sternenda, non habuisse curam, ut munus ordinarium isti ordini injunctum, vias tuendi & sternendi. Nam & hac liberalitate sæpe privatos insignes fuisse, qui sua pecunia vias sterni jusserunt, patet, ut in altero lapide pag. CLII. 3. *Arius tertius Aug. testamento sterni jussit*, & aliæ ibidem inscriptiones hoc docent: etiam privatos de suo vias faciundas curavisse, ut in lapide 2. ejusdem paginæ: sed hi non ideo erant curatores viarum, qui proprie ita dicebantur. Fuisse etiam ante Augustum curatores quosdam viarum posset colligi ex Varrone l. IV. L. L. qui *viocurum* memorat, quem Gothofr. in notis pag. 1571. eumdem esse, qui curator viæ, judicat. *Curatores* viarum sternendarum etiam aliquando a vicinis lectos, sed auctoritate imperatorum, lapis indicio est apud Gruter. p. CCCCLIV. I. ubi *P. Plautius Pulcher curator viarum sternendarum a vicinis lectus ex auctoritate Ti. Claudii Cæsaris Augusti* legitur. Gundelingius vero, insignis ille alienorum scriptorum compilator, ubi in Gundel. t. XVI. pag. 53. & seqq. eadem fere omnia, quæ olim huc congesseram, retulisset, ne videretur plagii reus, adjicit tandem se, quum illa scripsisset, animadvertisse eadem scripsisse Burmannum in Dissertatione de vectigalibus: sed hoc sollemne scribacibus istis heroibus, qui de omnibus se posse libros componere ostendunt, etiam de quibus antea numquam cogitarunt. Ad Ædiles vero curam viarum muniendarum pertinuisse, quod quosdam affirmare video, non puto, sed illorum tantum officium fuisse, curare, ne impeditum iter per vias sit, utque omnes sordes, effluxiones, & quicquid tandem viarum usui officeret, removeri juberent: hoc colligi potest ex Sueton. Vesp. c. V. & l. XII. ff. de per. & comm. rei vend. l. unic. ff. de via publ. Vel si forte legatur, illis etiam muniendi & reficiendi viarum curam fuisse commissam, illud accipiendum est, ut supra de aquæductuum cura ex Frontino docuimus, ut, si Censores in republica non essent, Ædilibus illud incubuerit. Legimus tamen, *ex multatitia pecunia ædiles saxo quadrato a Capena porta ad Martis semitam stravisse*, apud Livium lib. X. 23. & alibi bis terve: sed hoc extra ordinem factum credibile est, ut ex multatitia pecunia etiam templa & alia opera publica excitata fuerunt. Bergerius etiam de viis milit. lib. I. cap. IV. §. 2. putat curatores viarum locasse hoc vectigal, & præterea alia vectigalia, quæ in viis publicis, aliisque, nec non ad earumdum opus pendebantur: sed vellem simul auctorum loca, quibus hoc probaret, adjecisset: nam locus ex Capitolin. Anton. Phil. c. XI. quem §. 6. adfert: *dedit præterea Curatoribus regionum ac viarum potestatem, ut vel punirent, vel ad præfectum urbi puniendos remitterent eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent*; hoc novum & extraordinarium ab Antonino constitutum docet, neque ibi de locatione vectigalium aliquid memoratur: plura de Curatoribus viarum tam intra urbem, quam extra eam hic differere nihil attinet, & de illis Bergerius & alii abunde satis omnia congesserunt.

A Succedit *Solarium*, quod vectigal erat, quod pro solo pendebatur. leg. II. §. 17. ff. ne quid in loco public. apud alias gentes simile huic vectigali, aliquid exactum fuisse ab illis, qui vellent ædificare, ex Didonis historia patet, quæ quum Carthaginem conderet, id fecit consentientibus Afris, sed statuto *annuo vectigali pro solo urbis*, teste Justino lib. XVIII. 5. qui & lib. XIX. I. narrat, *adversus Afros vectigal pro solo Urbis multorum annorum repetentes*, ducibus Hasdrubale & Hamilcare dimicatum, quod cap. seq. *stipendium urbis conditæ* vocat. Recte vero Berneccerus monet, hinc antiquitatem solarii patere: male vero D. Gotho-
B fredus in notis ad Varr. de L. L. lib. IV. pag. 1574. & ad L. XV. ff. qui potiores in pign. confundit *locarium* & *solarium*, quum ipsa Varronis verba, *locarium datur in stabulo & taberna, ubi consistunt* doceant, *locarium* esse, quod datur pro mansione in stabulo, vel pro mercibus, quas ibi negotiatores, vel in taberna aliquamdiu locant. sed eo sensu numquam *solarium* dici credo: de ædificando vero leges antiquas fuisse colligitur ex eodem Varrone lib. IV. de L. L. p. 14. *ubi in ædificiorum legibus parietes posticos muros esse scriptos* dicit, an in illis de solario fuerit aliquid scriptum non constat; sed plerumque exigebatur ex ædifi-
C ciis, quæ privati in publico excitarunt, quod vetitum erat, t. t. ff. ne quid in loco publ. l. 22. C. Theod. de operib. public. Sed si quis ædificasset, *Præses provinciæ æstimare potest, utrum vindicanda in publicum sint, an potius iis satius sit vectigal imponi*. l. 5. §. I. ff. de operib. publ. Sæpe vero controversiæ incidebant de ædificiis & locis, an privati, an vero publici juris essent, quas dirimebant Imperatores. Sic Augustus *loca in urbe publica juris ambigui, possessoribus adjudicavit*, Suet. c. XXXII. Et hinc, notante Casaubono, *Curatores locorum publicorum judicandorum* in lapi-
D dibus leguntur. Ad Censores etiam spectasse locorum publicorum, & in iis inædificatorum, curam patet ex Valer. Max. VI. V. 3. Rutilius Trib. pleb. Censoribus Ti. Graccho & C. Claudio *diem dixit, privata etiam ira accensus, quia necessarium ejus in publico loco parietem demoliri jusserant*: & reperimus etiam III. VIR. LOCOR. P. PERSEQUENDORUM apud Gruter. pag. CCCXCVIII. 6. & apud Spon. Misc. Erud. Ant. p. CCCV. sed de his magistratibus & aliis huic rei adsignatis agere non est institutum nostrum, hoc solum, de Roma urbe, ut in omnibus fere & in hodiernum diem observatur, notandum, summam fuisse cu-
E ram, ut loca publica a privatis secernerentur, nec ædificaretur in publico, aut privata ædificia extenderentur in publicum ultra fines præscriptos, quod teste Festo *proædificatum dicitur, quod ex privato loco processit in publicum*. Et apud Athenienses idem vetitum fuisse docet Polyæn. lib. III. Strateg. cap. IX. ex 30. ubi Iphicrates in summa ærarii angustia, dicitur suasisse Atheniensibus, ut ædificia, quæ eminerent in publicas vias, aut rescinderent, aut venderent: & hinc dominos ædium collata pecunia redemisse, ne mutilarentur aut labefactarentur ædificia. ubi Casaubonus alte-
F rum exemplum de Hippia profert ex Aristotelis Oeconomicis, & Romanos sæpe ex privato in publicum restituisse loca docet lapis apud Gruter. pag. CC. 5. & Malvas. Marm. Felf. pag. CCLXIV. sed integrior apud Fabrett. pag. DCLXXV. qui legit, *Dedicandorum locorum publicorum*, quum Gruterus habeat, *dicandorum*: sed meliori jure inde, *judicandorum* potest effici. Non licuisse etiam in locis pollutis sanguine & cæde ædificia excitare, nisi ex decreto Pontificum expiata essent, ostendit Guther. de Jur. Pont. lib. II. c. 8. Apud

Romanos jam hi magistratus publicorum locorum A judicandorum, vel persequendorum, vel quocumque nomine sæpe insigniti fuerunt, ordinarie vel ædificia publicabant, vel iis vectigal & pensionem annuam imponebant, quæ *solarium* a JCtis sæpe dicitur. v. l. 39. §. 5. ff. de leg. I. hinc Imperator Julianus in l. 1. C. de divers. præd. urban. & rustic. jubet pro *ædibus, quas nonnulli in solo reipublicæ extruxerant, placitam pensionem præstare*: non voluerat dirui ædificia, quæ sub Constantino maxime in publicis locis erant excitata, sed solario contentus fuit. v. Amm. Marcel. lib. XXV. c. 5. & ibi Vales. de eodem solario accipienda videtur l. XVII. ff. de pignerat. action. ubi Divi *Severus & Antoninus rescripsere, superficiarium prædium pignori posse dari, ita tamen, ut sine diminutione mercedis soli obligaretur*. Quod tamen B & de privatorum jure, qui in alieno solo superficiem possident, posset intelligi, ut in l. XXIV. de Rei. vind. & l. VI. ff. qui pot. in pignor. sed de publico vectigali videtur loqui l. VII. §. 2. de Usufr. *quoniam & alia onera agnoscit usufructu legato, ut puto stipendium, vel tributum, vel solarium &c.* ubi male *salarium* editiones aliquæ. Postea Imperatores sæpe domos & ædificia publica donare solebant, & inde pensionem seu collationem quamdam sibi capere, de qua est tit. in Cod. Theod. de conlatione donatar. vel relevat. possession. ubi C videndus doctissimus Interpres. Præcipue etiam hoc solarium capiebatur ex ædibus, quæ in porticibus balneorum & lavacrorum publicorum exstructæ erant, quibus fruentes solario obligati erant, ut patet ex l. 52. C. Theod. de oper. public.

Fuit etiam acerbum olim vectigal, quod pro columnis & ostiis ædium exigebatur, dictum *Columnarium & Ostiarium*. A Scipione illud exactum docet Jul. Cæs. III. de bell. civ. c. 32. *Interim acerbissime imperatæ pecuniæ tota provincia exigebantur, multa præterea generatim ad avaritiam excogitabantur, in capita singula servorum, ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma,* D *tormenta, vecturæ imperabantur*. De eo etiam agit Cic. III. ad famil. epist. 8. dicens *acerbissimam exactionem capitum atque ostiorum*. Institutum illud vectigal a J. Cæsare putarunt viri docti, ut Brantius ad Cæs. & alii, sed rectius Bosius & Popma ad Cic. XIII. ad Att. 6. statuunt, hoc referendum esse ad legem sumptuariam Juliam, qua quum omnium impensarum modus & numerus esset definitus, etiam insanum columnarum & ostiorum studium inhibitum est, imposito vectigali, si quis plures columnas, quam lex permitteret, haberet. E Male etiam locis, ubi *Columnarii* leguntur apud Cicer. legunt alii *Columnarii*, sic lib. VIII. ad fam. ep. 5. *Nolo te putare Favonium a columnariis præteritum esse*; de quo v. Nic. Loens. misc. epiph. lib. VIII. c. 19. Qui eos interpretatur hujus vectigalis exactores, quamvis ab eo dissentiat Manutius. Bartholom. Barrientus cap. v. Annotat. de *columnario* hoc disputans diversum esse censet *columnarium* in l. XI. ff. de Aur. Arg. Mund. Leg. & esse vas ad modum columnæ factum, sed ibi alii legunt *colum nivarium*, alii *colum vinarium*.

Non diuturnum autem hoc vectigal fuit, ut nec F aliud, quod in gratiam ejusdem J. Cæsaris in Mutinensi bello a Senatoribus præstitum est. Auctor enim est Dion. lib. XLV. Senatores quaternos obolos in singulas tegulas ædium, quas in urbe aut suas, aut conductitias habebant, dedisse. Vir Doctissimus Falconerius tributum vel vectigal aliquod se reperisse putat, quod quidam populus vel oppidum deberet dare, quod constabat in vasis Figulinis, quia reperit lancem seu patinam, in qua legebatur, TERT. D. L. EX. F. CAN. OP. DOLI. I. TIT. ET. GALLO COSS. quæ verba explicat; *Tertullus Decii Libertus ex figulina Canonis operis doliarii*: & canonem esse tributi genus. sed Amplissimus Cuperus in monum. antiquis pag. 231. putat, CAN indicare nomen proprium *Canii*, vel *Caninii* vel *Canuleii*, &c. & fuisse illum artificem figulum, qui plurimas figulinas haberet: ita unicuique licet in monumentis veteribus hariolari.

Fuit etiam *Vectigal Artium*, quod artifices & negotiatores, præsertim qui exercebant artes & negotiationes, magis ad luxum, quam vitæ necessaria adcommodatas, quotannis solvere cogebantur, pro libero exercitio artium. Hoc primus instituit Alexander Severus. Lamprid. Sever. cap. XXIV. *Braccariorum, linteonum, vitreariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum & ceterarum artium vectigal pulcherrimum instituit, ex eoque jussit thermas, & quas ipse fundaverat, & superiores populi usibus exhiberi*. Hoc vectigal sub sequentibus Imperatoribus duravit, & dictum fuit *Lustralis collatio*; quia quum antea singulis annis solvebatur, postea a Constantino in singula lustra pendi jussum est. v. Jacob. Gothofr. ad l. 1. C. Theod. de lustral. conlat. dictum etiam fuit *aurum negotiatorium*, quod Alexander Romæ remisit. Lampr. c. XXXII. Non solum autem negotiatores honesti, sed & sordidi & infames huic præstationi obnoxii fuere: Lenones enim & meretrices vectigales erant. Primus id exegit Caligula teste Suet. c. XL. ex quo id duravit sub sequentibus Imperatoribus: hinc Lamprid. de Severo scribit c. XXIV. eum *vetuisse Lenonum vectigal, & meretricium & exoletorum in sacrum ærarium inferri, sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri & ærarii deputasse*: & Constantinum illud exegisse testatur Zosimus, & Athenis etiam fuisse solutum vectigal meretricium docet Sc. Gentil. ad Apulej. Apol. n. 734. Plurima de hoc vectigali possent dici, sed quum aliorum scrinia compilare nolimus, remittimus lectorem ad Casaubon. ad Sueton. Calig. c. XL. Henel. Ot. Uratislav. cap. L. & inprimis ad doctissimum Jac. Gothofr. commentarium in l. 1. C. Theod. de lustrali collatione, qui pluribus ibi de eo agit, & Pagi. de Consul. Cæsar. p. 126. & seqq. *Auri lustralis coactor* occurrit apud Gruter. CCCXLVII. 4.

Instituit etiam Caligula *Octavam partem ex diurnis gerulorum quæstibus*, teste eodem Sueton. c. XL. Geruli autem erant vilissimum hominum genus, qui portandis mercibus & aliis rebus vitam sustinebant: hinc in contemtum ille apud Petron. in fragm. Trag. cap. XLVI. *modo, modo collo suo circumferebat onera venalia*. Ubi plura diximus. Apud Festum, *Bajulos dicebant antiqui, quos nunc operarios: unde adhuc bajulari dicitur*: ubi nescio an melius sit legere *onerarios*. Nam Gell. v. 3. *Vecturas onerum corpore facere* vocat, & Græce *βασάζοντας* dictos, vel ut alii, *ἀχθοφόρους*, Latine *Bajulos*: ita in Gloss. *βασακτὴς bajulator*; & Symmach. x. ep. 27. *frugis & olei bajulos* dixit. Et *ἀχθοφόρος Gerulus, onera ferens, Sarcinarius, bajulator*, in Glossis. Veteres autem videntur servis Bajulis usos fuisse. Plaut. Asin. III. III. 70.

Ego bajulabo, tu ut decet dominum, ante me
ito inanis.

& ex Mercat. III. I. etiam servas bajulas habuisse colligitur, ubi Pasicompsa negat *se didicisse bajulare*. Horum Gerulorum opera præcipue utebantur Redemptores operum publicorum, ad ferendam materiem ædificiorum. Horat. II. ep. II. v. 70.

Festinat calidus mulis gerulisque redemtor.

Sed & homines lecticis impositos portare solebant. Senec. de benef. lib. III. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus:* Sic Capitol. in Elagab. c. XVI. dicit, *Bajulos vice lecticariorum homines lecticis impositos portasse*. Hoc hominum genus etiam *portitores* postea dictum fuit a portando, qui præcipue literis portandis operam dabant. Cassiod. I. var. 40. Sidon. Apoll. 45. & 6. 3. l. I. C. Theod. si cert. petat. Denique sub posterioribus Cæsaribus constitutum est corpus aliquod & collegium gerulorum, quod corpus *Gerulanorum* vocatur in Inscript. Gudianis pag. XXXII. I. 6. & 8. & de quibus Cl. Hesselius in notis suis amplius agit: *Geruli* & *Geruli Decuriales* in lapidibus apud Gruterum occurrunt, ut index Artium docet. An huc referri etiam possit, *Bastaga*, sive *Vastaga*, onus possessorum & colonorum quævis necessaria portandi in castra &c. in l. II. C. Theod. de cohort. nescio: a Βαστάζειν certe illud derivat Reines. ad clas. I. Insc. 10. Huc etiam spectant, qui dicebantur *Saccarii Portus Romæ*, constituti ad portandas merces ex portu in horrea; neque licebat cuiquam, per alios, immo ne per suos quidem, merces vel onera transferre in horrea, constituta pœna quintæ partis ejus speciei, quæ per alios portata erat, fisco vindicandæ. l. unic. C. Theod. de Saccar. port. Rom. Horum meminit & Paullus in l. 40. §. 3. ff. de contr. empt. *Si quid ex sacco saccarii cecidit*. Hi *Saccarii* sæpe in auctoribus ob soni similitudinem confunduntur cum *Sagariis*, qui erant Sagorum confectores, & quorum etiam corpus & collegium erat Romæ, de quibus est l. 52. §. 4. ff. pro socio. l. 5. §. 15. ff. de tribut. act. & Reines. insc. x. 9. sic apud Apulej. lib. I. Jacob. Gothofr. ad d. l. unic. C. Theod. de sacc. recte restituit *Saccariam facere*, pro *sagariam*, quia ille, qui Saccariam ibi facere narratur, *vegetus* dicitur, quod Epitheton maxime Saccario convenit, qui expedite & celeriter merces transportare debet, hincque puto in glossis *Gerulum* verti ἀνύτην, id est, *festinantem*, & ex supra adducto loco Horatii,

Festinat calidus mulis gerulisque redemtor.

hoc colligitur. Qui vero *saccarius* in Gloss. vertitur σακόπλοκος, non est bajulus, sed saccorum confector. Ammonio Philosopho, *Saccas* cognomen fuit, quia bajulus erat: vid. Amm. Marc. lib. XXII. 16. & ibi Vales.

Neque intra hos terminos avaritia Imperatorum stetit, ut sordida & inaudita hæc vectigalia solum extorquerent, sed & alia exigerent pro rebus, quas natura omnibus communes fecerat. Aer, quem omnes haurimus, non immunis subjectis Imperio Romano fuit. Minatus id olim fuerat Palæstinis Pescennius Niger apud Spart. c. VII. *quibus rogantibus, ut eorum censitio levaretur, respondit, vos terras vestras levari censitione vultis, ego etiam aerem vestrum censere vellem*. Tandem revera institutum fuit τέλος ἀερικὸν *vectigal aericum*, quod Cedrenus Michaelis Paphlagonis inventum esse scribit: vid. plura de hoc vectigali apud Cujac. X. obs. 7. & Buleng. de vectigal. P. R. cap. 17. Deinde etiam pro fumo exactum fuit vectigal, quod originem debet Nicephoro Imperatori, & exigebatur pro singulo fumante, vel pro unaquaque domo & lare, ut ex Zonara docuerunt Bulenger. d. l. & Pancirol. var. lect. III. 31. antiquius hoc vectigal fuisse, & a Claudio Imperatore institutum narrat Joh. Malala in Chronog. lib. X. pag. 317. qui dicit Claudium tributum fumi, λειτουργίαν ἣν παρεῖχον ὑπὲρ καπνοῦ, a sodalitiis Antiochiensibus pendi solitum, ipsis remisisse, in porticuum a Tiberio exstructarum instaurationem & contignationem: sed quum auctor ille levioris sit auctoritatis, neque quisquam hoc de Claudio memorat, in medio relinquimus. Editor tamen Malalæ Edm. Chilmeadi, antiquius Nicephoro esse contendit. Video autem viros doctos, ut Cujacium & Bulengerum, his duobus addere tertium vectigal *pro umbra* solutum, quod ex arboribus exactum fuit, quale tamen nullum umquam exstitisse, plane mihi persuasum est. Utuntur, ut hoc probent, loco Plin. lib. XII. c. I. ubi de Platano agens, dicit, *gentes & vectigal pro umbra pendere*. Sed revera nihil magis menti Plinii contrarium, quam inde novum & inauditum vectigal eruere; Oratorie autem magis, quam historice ibi in luxuriam invehitur, quæ eo tempore maxime homines afflaverat, ut Platanum arborem, quæ nihil frugum ferret, sed ad solas delicias & umbræ caussa in summo honore & pretio habebatur, ex longinquis terris adveherent. Sic in Italiam per mare Jonium erat translata, ubi Romani & Itali ita delectabantur Platano, ut in prædiis loca, quæ voluptati & libidini consecrabant, Platanis confererent, ut ex Mart. III. ep. 19. Plin. I. Epist. 3. Petron. c. LXXXVI. & infinitis auctorum locis patet. Apud Ovidium ingeniose Nux arbor frugifera de Platano queritur vs. 17.

At postquam Platanis, steriles præbentibus umbras,
Uberior quavis arbore venit honos.

Et hunc seculi sui luxum notavit etiam Horat. II. od. 15. *Platanusque cælebs evincet ulmos*: ubi videndi Acron & Porphyrion, & Quinctil. lib. VIII. de inst. orat. I. pag. 680. His ergo arboribus infructuosis *opacas deambulationes* (ut vocat JCtus l. XIII. §. 4. ff. de usufr.) & gestationes facere non erat frugi patrisfamilias in Italia, utpote qui nihil inde reditus possent capere, sed solam voluptatem ex umbra. Nam in redituum censum vix venire posse credo, quod ex ligno Platani radii rotarum fierent, ut Plin. lib. XVI. 40. & Scheff. I. de Re veh. 3. quia id tenue erat, & post longos annos demum breve admodum vectigal: sed multo magis, innuit Plinius, id mirandum esse in iis gentibus, qui solum tributarium arabant, & coacti erant quotannis tributum Romanæ reipublicæ pendere. Deberent enim ii, ut tributa & vectigalia hæc facile & sine incommodo solverent, agros suos frugibus & frumento exercere, ut inde vectigalis præstatio ipsis compensaretur; sed eo dementiæ eos pervenisse dicit, ut agros, pro quibus tributum deberent, confererent arboribus, quæ nihil nisi delicias & patulam umbram domino soli præberent, atque ita vectigal pro sola umbra penderent.

Errat quoque Bulengerus, qui in libro de Vectigalibus P. R. peculiare aliquod vectigal *Macelli* statuit, de quo agit c. XV. idque iterum ex Plinio adstruere conatur: is lib. XIX. c. 4. dicit, *itaque hercule nullum macelli vectigal majus fuit Romæ*: sed si verba sequentia recte considerasset, non singulare vectigal Macelli fuisse, sed portorium, quod omnibus mercibus impositum, etiam ex Macello exactum, vidisset. *Macelli* autem appellatione, omnia obsonia & edulia, quibus vita humana sustentatur, continentur. Sic eodem capite Plin. dixit. *Ex horto Plebei macellum, quanto innocentiore victu*: hinc apud Suet. Tib. c. XXXIV. legimus, *Tiberium annonam Macelli Senatus arbitratu quotannis temperandam censuisse*. Macelli

vero, vel annonæ Macelli nomine non intelligebantur pisces, quod & Victorius lib. XVII. var. lect. 3. colligit ex Festo in *Piscatorii*. *Piscatorii ludi vocantur, qui quotannis mense Junio trans Tiberim fieri solent a Prætore urbano pro piscatoribus Tiberinis, quorum quæstus non in macellum venit, sed fere in arcam* (vel ut citat Tomasin. de Donar. cap. XXXII. *Volcani, quod id genus pisciculorum vivorum datur ei Deo pro animis humanis*: sed recte hoc restringitur ad pisces illos vivos, quos in Tiberi capiebant piscatores Tiberini, de quibus & Ovid. VI. Fast. 235. nam licet præcipue carnes ibi venderentur, unde & Plutarch. Quæst. Rom. LIII. κρεοπώλιον vocat, tamen & pisces ibi venditos docet Plaut. Aul. II. VIII. 3. *venio ad macellum, rogito pisces, indicant caros &c.* & apud Terent. Eun. II. 2. ex Macello Gnathoni occurrunt *cetarii & piscatores*: & Juven. Sat. V. 93.

Dum gula sævit
Retibus adsiduis penitus scrutante macello.

Hinc & apud Sueton. Vesp. XIX. *Convivabatur adsidue, ac sæpius recta ac dapsili, ut macellarios adjuvaret*: ubi an dapsilis cœna etiam pisces an solas carnes notet, nescio: certe *dapsilis* est ubi magnificis dapibus instructa est cœna, quam & *dapalem* vocari notat Ursin. ad Ciaccon. de Triclinio pag. 176. qui & pag. 189. *puram* dicit vocatam, carnibus, non piscibus instructam. Venditores obsoniorum dicebantur *Macellarii*, quos male Bulengerus pro redemtoribus fictitii sui vectigalis sumsisse videtur. Sueton. Jul. Cæs. XXVI. *Munus Populo epulumque pronuntiavit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo. Quorum ut quam maxima exspectatio esset, ea quæ ad epulum pertinerent, quamvis Macellariis oblocata, etiam domesticatim apparabat*; eosdem autem, qui & dicuntur Lanii, puto fuisse *Macellarios*, qui agnos & ceteras pecudes subministrabant epulis, & quibus locabantur oves mactandæ & præbendæ, de quo more v. Gronov. I. obs. 20. in fin. Macellarios vero, quia & Lanii erant, habitos inter vilissimos docet locus Valerii Max. III. IV. 4. *Miro quoque gradu Varro ad consulatum ex macellaria patris taberna conscendit, & quidem Fortuna parum duxit sordidissimæ mercis capturis alito XII. Fasces largiri, nisi etiam L. Æmilium Paullum dedisset collegam*: & hinc Lanium Melanthium, eleganter Ovidius Epist. I. 95. inter vilissimos ponit & Iro conjungit,

Irus egens, pecorisque Melanthius auctor edendi,
Ultimus accedunt in tua damna pudor.

Denique ex vectigalium etiam catalogo eradendum est *Ædilitium vectigal*, quod plerisque persuasum est, fuisse aliquod pecuniæ genus, quod provinciales ludorum nomine Ædilibus Romanis pendebant. Subsidium petit Bulenger. de vect. P. R. c. 40. ex Cic. lib. I. ad Q. Fratr. Ep. I. §. 9. ubi scribit. *Quantum vero illud est beneficium tuum, quod iniquo & gravi vectigali Ædilitiorum, magnis nostris simultatibus, Asiam liberasti*. Idem sentit Turneb. XXVII. advers. I. cujus verba exscripsit Bulengerus. Sed error hic inde provenit, quod non recte mores antiquorum Ædilium considerarint, qui honorem auspicaturi debebant ludos edere, in quos maximæ impensæ & sumptus fieri consueverant, quos quum vix sustinere possint, ab amicis, imo & a civitatibus sociis, & subjectis populis, hospitibus & clientibus solebant Ædiles commodare, quæ ad magnificentiam & pompam ludorum & ornatum fori conferrent, ut tabulas, signa & reliqua. v. Guth. de Jur. Pont. 3. cap. 21. Hoc manifestum est ex IV. Verr. cap. 3. *C. Claudius, cujus ædilitatem magnificentissimam scimus fuisse, usus est hoc Cupidine, tamdiu, dum forum Diis immortalibus, populoque Romano habuit ornatum, & quum esset hospes Hejorum, Mamertini autem populi patronus, ut illis benignis usus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum*: ubi addit *spoliis provinciarum* etiam fuisse ornatum forum ac basilicas.

Ita olim erat moris, sed invalescente avaritia, provinciales cogebantur Ædilibus in ludos & ornatum fori, non commodare, sed plane donare res, & bestias venari ad spectacula. Hoc patet ex Cic. l. II. ad fam. II. & VIII. ep. 9. ad Att. V. ep. ult. & VI. ep. I. & Tributi meminit ad *statuam*, vel ut alii *templum*, Appio erigendum lib. III. ad fam. ep. 7. quin & deinde extortæ fuere provincialibus stipes & pecuniæ, quas conferre deberent ad ludorum exhibitionem, de quibus multa reperiet lector apud Lips. ad Tacit. XIV. ann. c. 15. & hinc sæpe in nummis figuras animalium, quæ provinciales venari cogebantur magistratibus, conspici docet vir Illustris Ez. Spanh. dissert. IV. de usu & præst. num. pag. 206. Ed. ult. & simile fuit hoc tributum fere auro coronario, quod Imperatores imperabant Provinciis, quum aut victoria insigni potiti essent, vel lætum & faustum diem aliquem celebrarent. De quo, quoniam extra institutum nostrum sit, v. Casaub. ad Spart. Adr. cap. VI. Vales. & Lindenbr. ad Ammian. Marcel. lib. LXXII. c. 4. Hoc autem onus, quod Ædiles provincialibus imponebant, eleganter Cicero vocat *vectigal Ædilitiorum*, eodem modo, ut ad Att. 5. ep. ult. vocat *vectigal Prætorium*, pecuniam, quam provinciales solebant Prætoribus dare, ne milites in hyberna reciperent, unde ipsis damnum eveniebat, & quod malebant pecunia redimere; quod onus postea dictum fuit *Epidemeticum*: de quo V. Tit. C. Just. de Metatis & Epidemeticis. In vectigalium etiam censum venire non debet *linguarium*, cujus meminit Senec. de Benef. lib. VI. 36. *Ecce ut doleat, ut postea consideratim loquaris, Quod dicere solemus, linguarium dabo*. Ubi multa intelligitur, aut pœna, quæ temere aut male loquentibus imponi solet; non de ordinario agitur vectigali, sed quasi vectigali: vid. Lips. & Gronov. ibi, & Muret. XII. Var. lect. 5. eodem modo ut *uxorium, quod pependisse dicitur, qui quod uxorem non haberet æs populo dedit*, teste Festo in *Uxorium*: neque huc pertinet, quod Suetonius in Caligula ait cap. XL. ut *tenerentur publico*, id est vectigali, *& obnoxia essent matrimonia*: de quo ad ipsum Suetonium quædam notavimus.

Atque hæc sunt, quæ circa vectigalia Populi Romani observaveram; si majus otium, huic materiæ accuratius retractandæ, vita occupata aliis dedisset, adjici plura potuissent: sed quum ætas ingravescens, & aliæ curæ me distringant, his contentum lectorem esse jubeo, & rogo, ut quum hos primos studiorum meorum conatus benigne suscipere voluerit, nec jam pro ætate, & tempore longo, quo eos augere & magis ornare debuissem & forte potuissem, nimis acerbe exigere singula velit; cuum toto illo intervallo, de recudendis illis numquam cogitaverim.

F I N I S.

BAL-

BALTHASSARIS
BONIFACII J. C.
In Venetorum Gymnasio Juris Civilis Interpretis
DE ARCHIVIS
LIBER SINGULARIS.

SERENISSIMO MAGNÆ VENETORUM REIPUBLICÆ PRINCIPI FRANCISCO ERICIO

Balthassar Bonifacius

S. D.


Reviter, & jucunde cum Principibus esse loquendum, monuit nos pridem Græcia prudentia. Missa igitur tristi pestilentiæ recordatione, quæ non tam nos, quam auditores nostros, atque adeo mortales omnes a suis muneribus avulsit, & ab hominum cætu, ac frequentia, si qua fuit uspiam, distraxit; protinus atque intermissa aliquandiu studia resumere licuit, quod mihi a Sapientissimo Senatu est onus injunctum, ut Juris Civilis rudimenta cum iis, quæ ad officium tabellionum spectant præceptionibus docendo conjungerem, & re ipsa pro virili mea præstiti, & hisce opusculis tam in arctum contraxi, ut, si temporum tuorum, nobis profecto, reique literariæ valde felicium, unam, aut alteram horam subtraxero, non adeodum videar in publica commoda peccasse. Vale.

Prid. Id. Mart. MDCXXXII. Venetiis.

BALTHASSARIS BONIFACII DE ARCHIVIS LIBER SINGULARIS

Ad Amplissimum Senatorem

DOMINICUM MOLINUM.



ICEBAT mihi Cardinalis Cleselius, dum ei redeunti in Germaniam occurrerem, esse se vivum quoddam Austriacæ domus Archivum, cum quatuor ejus familiæ Cæsarib. sexaginta propemodum annos serviret. Te vero, Senatorum optime, & sapientissime, qui patrios annales, & penitissima quæque istius Imperii fortunatissimi arcana tum assidue perlegeris, tum memoriæ fideli commiseris, vivum rei Venetæ Archivum verius multo appellabimus. Cumque nullus sit pene liber, quem non evolveris, & excusseris, acrique judicio censueris, ut ex eo præclara quæque depromeres, rectius te, quam Longinum Cassium animatam bibliothecam, & museum ambulantem vocabimus. Quamquam igitur nihil a nobis ex autoribus priscis, aut recentioribus colligi possit, quod ipse prius non excerpseris, jubes tamen, ut es alienæ industriæ mirus excitator, me de Archivis quæcunque inter legendum obvia mihi fuerunt in literas dare. Ego vero, qui ab istiusmodi studiis procul absum, & nullam pene antiquitatis notitiam habeo, cum nihil eruditione tua dignum scribere valeam, malo omnibus indoctus, quam tibi uni comtumax videri.

CAP. I.

Quid sit Archivum.

ΑΡΧΕΙΟΝ Græci recentiores dixere, quod recentiores Latini eadem prorsus notione, & eisdem propemodum literis ARCHIVUM appellarunt. At vetustiores Græci Γραμματοφυλάκιον, & Χαρτοφυλάκιον, vetustiores Latini Tabularium, & Tablinum vocare maluerunt. Sed & Cameram idem cum Archivo fuisse liquet ex Innocentii rescripto. Librum, inquit, censualem non habuimus suspectum, licet non in nostra, sed in Cardinalis Sancti Adriani Camera sit inventus, qui eum, quando Camerarius fuerat, de Camera Beati Petri suscepit. Est autem Archivum, ex Servii Mauri definitione, locus in quo acta publica asservantur. Sive, ex Jurisconsultorum glossematis, publicum tabularum, & monumentorum repositorium. Vel denique, ut censuit Ulpianus, locus publicus, in quo instrumenta deponuntur.

(c. ad audientiam de præscriptionibus.) (l. moris, ff. de pœnis.)

Ubi vero Doctorum virorum lucubrationes collocabantur, id Græci Ἀθηνεῖον, Latini Pluteum dixerunt, sic enim Juvenalis. *Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.* Quanquam vero Μουσεῖον priscis Ægyptiis nihil aliud esset, quamquod Atheniensibus Πρυτανεῖον, hoc est mensa, ad quam cunctis, quos tota passim Ægypto celebres eruditio fecisset, aditus patebat, quemadmodum testatur Philostratus; usus tamen, quem penes, ut ait Venusinus, est arbitrium loquendi, librorum, & voluminum reconditorium, tanquam penetrale quoddam Musis sacrum, Museum maluit appellare.

CAP. II.

Quando Instituta sint Archiva.

SUNT qui putent non admodum ab ætate proavorum nostrorum remotam esse Archivorum institutionem; ita enim per omnes Italiæ Civitates ante quingentos, aut paulo amplius annos ea loca, ubi acta publica servarentur, fuisse constructa. Horum tamen vel imperitiam arguere, vel ineptiam refellere nullius est negocii. Nam Sanctus Deusdedit Romanus Pontifex annos abhinc mille rescripsit Gordiano Episcopo Hispalensi, se in Archivis Apostolicæ Sedis invenisse memorias Ephesiorum. Justinianus Imperator ante annos centum supra mille sancivit chartam, quæ proferretur ex Archivo publico, publicum testimonium habere. Divus Hieronymus ante annos mille ac ducentos scripsit Paulæ, & Eustochio se librum Esther de Archivis Hebræorum relevatum, verbum e verbo expressius transtulisse. In Synodo Milevitana decretum est circa annum Christi quadringentesimum, ut Matricula, & Archivus Numidiæ esset in Metropoli Constantina. Est autem Archivus, ut Cæsar Baronius interpretatur, idem prorsus quod Archivum, locus scilicet ubi scripturæ publicæ ad perpetuam memoriam asservantur. Ulpianus, Alexandri Imperatoris temporibus, annos ab hinc mille, &

(c. pervenit. 30. q. 1.) (De iis quod ingre. ad appell. §. illud etiam judicavimus, collat. 5.) (In præfatione ad li. Esther) (Conc. Afric. c. 53 Ann. 591 cap. 41.) (l. moris. ff. de pœnis.)

quadringentos, Archivum, & grammatophylacium diserte nominavit ac definivit, quemadmodum paulo ante dicebamus. Satis vetusta horum testimoniis videri potest Archivorum publice constituendorum consuetudo. Sed his omnibus antiquior Tertullianus, ad comprobandam universi Orbis ab Augusto factam recensionem, Romani Archivi censuum tabulas profert; in eum quippe cujusque census tabulæ inferebantur. Flavius demum Josephus, qui claruit sub Vespasiano, hoc est ante ætatem nostram annos propemodum mille, & sexcentos, testatur seditiosos ignem Archivo, quod erat Hierosolymis injecisse, nempe ut omnibus creditæ pecuniæ monumentis exustis, tota eis obæratorum novas tabulas poscentium factio sese conjungeret. Nobis igitur prima Archivorum institutio non modo antiqua, & vetusta, verum etiam ab ipsius mundi origine repetenda videtur. Scribit enim idem Flavius Josephus Sethi filios Noæ nepotes turres geminas ædificasse, alteram lateritiam, marmoream alteram, illam scilicet conflagrationibus, hanc eluvionibus opponentes, in quas, quæcunque ipsi memoria digna invenissent, comportarentur; cum ab Adamo didicissent, orbem terrarum bis periturum, & primo quidem aqua mersum, postremo igni consumptum iri. Quas profecto turres ego aliud nihil, quam Archiva fuisse existimo.

l. de Carne Christi.

Belli Judaici li. 2. c. 18.

Antiquitat. l. 1. cap. 3.

CAP. III.

De Antiquorum Archivis.

IN ARCHIVO Saidis Ægyptiæ Urbis octo millium annorum memorias servari asserit sacerdos ejus nationis apud Platonem. Annorum vero septemdecim millium apud eosdem esse memorias testatur Herodotus. Mira hæc, & incredibilia nobis, qui juxta Hebræorum Chronologiam ab orbe condito sex tantummodo annorum millia numeramus. Sed longe portentosius fabulantur Ægyptii; ajunt enim a Vulcano Nili filio ad Magnum Alexandrum fluxisse quater centena, eoque amplius annorum millia; quibus contendunt Solem trecentis sexaginta tribus vicibus, Lunam octingentis triginta duabus defecisse, quemadmodum refert Laertius. Ajunt præterea, teste Mela, se usque ad Amasin trecentos triginta Reges habuisse, sub quibus, ut ex eorum ephemeridibus apparebat, tredecim annorum millibus elapsis, astra omnia quater motum suum absolute compleverunt, & Sol contrario cursu bis ab occasu exortus erat. Chaldæi vero impudentius mentiti se siderum observationes a tribus, & quadringentis retro annorum millibus usque ad Alexandrum Macedonem habere jactarunt, ut prodit Diodorus. Addit Cicero Chaldæos profiteri ex publicis scripta posse proferre quadringentorum septuaginta millium annorum res gestas complectentia.

l. 1.

De divi. l. 1.

CAP. IV.

De Græcorum, & Romanorum Archivis.

LACEDÆMONIOS Amyclis societatum, & fœderum tabulas fidei custodia diligentissime conservare perhibet Alexander Alexandræus. Sed & in Areopago, & in æde Minervæ fuisse publicorum instrumentorum custodiam alicubi invenio. Romanos quoque in æde Saturni tum ærarium, tum Archivum habuisse; testamenta vero, & codicillos; & syngraphas, & apochas in delubro Apollinis Capitolini condidisse, aut Vestalium Virginum fidei credidisse testatur Suetonius, aliique ab eo plures. Bibliothecas autem, quæ Archiva quædam librorum recte dici possunt; Archivos enim armaria codicum Glossa vocavit, omnes fere nationes habuere. Memorabiles in primis, & insignes præ cæteris fuerunt, Hebræa, quæ in Templo erat, ubi Prophetarum oracula, Judicum acta, Regumque gesta asservabantur: quam Bibliothecam fuisse antiquissimam, sacræ paginæ confirmatur autoritate. Babylonica item, & Persica, de quib. divinæ pariter literæ meminerunt. Claruit deinde Bibliotheca Græcorum, quam Pisistratus Athenis primus instituit, Xerxes ad Persas asportavit, Seleucus Athenas referendam curavit. Alexandrinam Ptolemæus Philadelphus construxit, ac septingentis, ut ait Gellius, voluminum millibus locupletavit. Romæ vero bibliothecas publicas undetriginta extitisse Publius Victor asseruit; quas inter præcipuæ fuerunt Juliana ab Julio Cæsare, Palatina ab Augusto, Ulpia a Trajano, Domitiana, & Gordiana ab his, quorum nominibus censebantur, Romanis Principibus institutæ. Hodie vero inter Romanas, imo inter omnes totius orbis bibliothechas extat multum atque eminet Vaticana, patrum nostrorum memoria a Sisto Quinto apud Basilicam Principis Apostolorum ædificata.

l. 5. c. 3

Cle. unica. Glossa ultim. de jurejnran.

Exod. 17. 2. Maca. 1. Esther. Daniel.

l. 6. c. 17.

CAP. V.

De Barbarorum Archivis.

NUMEROS Barbaris adeo literarum vicem interdum supplevisse comperimus, ut non tantum domesticorum, sed etiam publicorum eventuum historiam per numeros contexant. Nam in Peruvia, quemadmodum legimus apud Oviedum, & Pharanusinum, extant in maximis quibusque civitatibus Archiva satis ampla; quorum ministri, ejus rei peritissimi, chordulas aliquot, quas illi quippos vocant, variis coloribus, pro rerum, quas significant, varietate, inficientes, & multiformibus nodorum nexibus complicantes; ac denique, pro temporum diversitate, diversis locis disponentes, quicquid uspiam memoratu dignum contigerit, scite admodum atque expedite enarrare possunt. At Chini, quos nonnulli Sinos esse arbitrantur, non modo literis non carent, verum etiam, pro duabus, & viginti Græcorum literis, sex eoque amplius characterum millibus utun-

Hist. Ind. occid. Epist. nuncupat. ad Fracastoricm. navig. vol. 3.

tur, quorum singulis non unam tantum literam, aut syllabam, sed integrum vocabulum, & absolutam plerumque orationem conficiunt; ut in ejus regionis historia scripsit Joannes Consalvus Mendoza. Antiquior multo apud Chinos, quam apud nos dicitur esse usus typographiæ, quæ ars cum in Europa nostra credatur fuisse inventa anno humanæ salutis MCDIIX. a Joanne Cutembergo Moguntino, extant tamen apud Chinos volumina typis affabre excusa ante annos octingentos. Eaque propter in eorum Archivis adeo vetustæ, rerum memoriæ comperiuntur, ut constet ex eorum historiis, a Vitejo ad hanc ætatem ducentos quinquaginta Reges per annos quater mille, ac trecentos rerum ibi fuisse potitos. Dicti fides est apud Mendozam, si tamen aut mendo, aut mendacio vacat: Nos enim quæ a scriptoribus Hispanis de nationibus sub opposito nobis cœli cardine viventibus traduntur, nec facile agnoscimus, nec temere confutamus.

l.3.c.13.

Epist. 52. ad Pammach.

CAP. VI.

De Nostratium Archivis.

NON ita novam esse Archivorum institutionem, uti nonnulli perperam censuerunt, præter ea, quæ superius diximus, constat ex iterata Divi Hieronymi attestatione. Scripsit enim summus ille sacræ paginæ interpres adeo, celebre temporibus suis fuisse Romanorum Archivum, in quo oecumenica Concilia, cæteraque religionis arcana servabantur, ut ad illud pro dubiorum resolutione ex omnibus Christiani orbis partibus concurreretur. In Romana quoque Synodo, paulo post Hieronymi excessum sub Gelasio Pontifice celebrata, de Archivo, & scrinio Romano, de bibliothecariis, scribis, & scriniariis frequens habetur commemoratio. In pluribus etiam Italiæ civitatibus antiquissima Archiva fuisse apparet ex ipsorum locorum, & monumentorum, quæ ibi reperiuntur, vetustate. Nam, ut de cæteris sileam, in Archivo nostro Canonicali apud antiquissimum hujus Tarvisinæ Urbis Dominicum autographum habemus annos abhinc sexcentos confectum, in quem relata est legatio Canonicorum decessorum nostrorum ad Summorum Pontificem pro confirmatione obtinenda ejus Episcopi, quem ipsi Canonici elegerunt. Ut vero natura comparatum est, posteriores curas, quod vel Græcorum sermone tritum olim erat adagium, prioribus esse meliores, Tu, magne Senator, tu literarum custos, tu literatorum Mecœnas, tu renovator antiquitatis, tu memoriæ labentis accuratissime instaurator, Bibliothecam, & Archivum in Academia Patavina nuper instituisti, complures in eam tum excusos, tum manuscriptos codices congessisti, redditibus, & proventibus locupletasti, libros quoque tuos autorum celebritate nobilissimos, eruditione electissimos, typis emendatissimos, tempore recentissimos, ornatu pulcherrimos, notis, additamentis, & scoliis uberrimos, varietate argumentorum, & materiarum iucundissimos, numero denique pene dixerim infinitos eidem legaturus.

CAP. VII.

De Utilitate Archivorum.

QUI Principes Archivorum, & Bibliothecarum utilitatem non sentiunt, ii profecto Caligulas, & Jovinianos, Romani Imperii portenta, & propudia, pessimi exempli deterrimi sectatores æmulantur, quorum detestabili sacrilegio complures bibliothecæ qua optimis quibusque scriptoribus viduatæ, qua dejectæ atque exustæ fuisse memorantur: Nihil est enim adeo sanctum, quod non furiosa tyrannorum libido, & impunis audacia profanet. Qui vero in ea loca, memoriæ sacra, libros ac tabulas condiderunt, e quibus a sera posteritate, præteritarum rerum ignara, ad suam, & successorum eruditionem, tamquam e penu, depromerentur, ii Magnos Alexandros, ii Julios Cæsares, Octavianos Augustos, & maximos Constantinos imitantur, quorum generosæ magnificentiæ quicquid reliquiarum superest nobis obtruncatæ, & prope deletæ vetustatis acceptum ferimus. Quibus preciosis analectis si penitus destituti fuissemus, omnes quidem certe cum in historia, tum in reliquis disciplinis cæcutire, & manu tentare cogeremur. Nihil est enim ad instruendos atque edocendos homines utilius, nihil ad res obscuras eruendas, ac illustrandas, nihil ad patrimonia, Regnaque, ac demum privata, & publica omnia conservanda magis necessarium, quam voluminum, & monumentorum, ac tabularum bene instructa supellex; tanto melior navalibus, tanto præstantior armamentariis, quanto ratione, quam violentia, jure quam injuria vincere præclarius censetur. Neque profecto notitiam vetustatis ullo alio modo, quam per Archivos, & Bibliothecas assequemur. Quis enim hoc tempore Judæorum traditiones, & arcanas illas Caballistarum artes, & prodigiosam Esdræ memoriam possit nobis repræsentare, ut absque literarum elementis transactæ ætatis facta, & proavorum negocia disquiramus?

CAP. VIII.

De Archivorum Ministris.

FRUSTRA in unum quempiam locum scripta reconderentur, nisi hominum cura ac diligentia injuriis temporis obviam iretur; eædem siquidem blattæ, eadem caries, idem situs, iidem mures ea paulatim corrumperent atque exederent in repositorium congesta, perinde ac si sparsim per varia loca negligerentur: optimo igitur consilio Bibliothecis, & Archivis præficiebantur periti accuratique viri, publicisque stipendiis a Principum liberalitate ad munus injunctum noviter obeundum alliciebantur. Eos autem vel Archivistas, vel bibliothecarios, vel custodes, vel grammatophylacas, vel scriniarios appellabant. Scrinium quippe, ut hoc transeunter dicamus, non nummorum, sed librorum & scripturarum proprie locus est; nam & librariorum scrinia legimus apud Catullum, & epistolarum scrinia penes Plinium, &

Horatius orto statim Sole, calamum & chartas & scrinia poscit. Aliis præterea nominibus Archivorum ministri censebantur; eosque vocarunt majores nostri camerarios, chartularios, chartophylacas, ac denique ædiles; ita enim Pomponius. *l. 1. ff. de orig. jur.* Qui ædibus præessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos constituerunt, qui ædiles appellati. Hos hodie Massarios, & Camerlingos vocari testatur Glossa. Eos vero qui acta publica excipiunt, eorumque exempla poscentibus impertiuntur, notarios, tabelliones, amanuenses, scribas, exceptores, commentarienses, exscriptores, libelliones appellamus. Porro Archivorum solicitudo non nisi doctis, & magnis viris mandabatur. A Cajo Julio Cæsare Palatinæ Bibliothecæ præpositum legimus Marcum Terentium Varronem Romanorum doctissimum a doctissimis judicatum. Alexandrinæ bibliothecæ a Ptolemæo Philadelpho Demetrius Phalereus, & Zenodotus Ephesius præfecti fuerunt. Cajus Melinus Umber bibliothecæ Augustæ in Octaviæ porticu curam suscepit. Albinus Flaccus, Caroli Magni Imperatoris præceptor, Eboracensi bibliothecæ in Anglia præfuit. Marcus Antonius Sabellicus Marcianæ bibliothecæ Venetiis præsedit. Platina, & Baronius Vaticanæ bibliothecæ procurationem susceperunt. Quorum omnium quanta vel dignitas, vel sapientia fuerit, editæ ab eis lucubrationes ostendunt, gesti honores testantur.

Cap. IX.

De ordine in Archivis servando.

Perfecte ordinare Dei solius est, & ordo ipse est quiddam divinum. Cum enim omnia prius incomposita ac indigesta non modo inconcinne ac præpostere se se haberent, verum etiam turbulentissime inter se dissiderent, ordinem rebus confusis induxit Deus, unde statim pulcherrimus iste mundi vultus enituit, formosissima cœli facies emicuit, admirabilis Universi armonia concrepuit. Ordine igitur indito rebus informibus formam dedit; meritoque ordo ipse anima mundi ab Academicis appellatur. Archivorum quoque animam nihil aliud quam ordinem esse jure dixerimus. *l. 2. de dic. & fact. socrat.* Nam quemadmodum lateres, ligna, ac tegulæ, ut præclare a Xenophonte dictum accepimus, perperam posita, ac inordinate projecta, visu horrida, usu inutilia sunt, suis autem locis aptata in pulcherrima, & magnificentissima ædificia consurgunt; ita profecto omnis generis scripta, si ea confuse, & permixtim habeas, nulli usui futura sunt. Contra si ea recte per scrinia disponas, præterquam quod pulveri, ac tineis minus obnoxia erunt, sine ullo inquisitionis labore singula ad manum opportune ac facile habebis. Et ordo quidem in Archivis servandus a natura ipsa cuique demonstratur; prius enim loca partiri convenit, mox negocia, tandemque tempora: Quam partitionem si per alphabeti seriem digestis indicibus adjuvemus, nihil erit nobis inventu difficile. Primum igitur, exempli gratia, quæ pertinent ad Urbem Urbium Venetias, deinde quæ Patavium, mox Veronam attinent disparemus. Singularum postea civitatum negocia singula dispescamus; ut alibi testamenta, alibi permutationes, alibi alios contractus disponamus. Denique ab antiquissimis incipientes, per annorum, & mensium ordinem ad novissima procedamus. Indices demum & syllabos conscribamus, elenchos, & catalogos conficiamus, quibus literarum ordinem servantes, & suos quibusque materiis indiculos adaptantes, quæcunque opus erunt nullo negocio statim ad oculum sic habeamus, ut in manus nostras potius incurrisse sponte, quam casu incidisse videantur.

Cap. X.

De Religione Archivorum.

Ipsa loci sanctitas religionem Archivorum demonstrat, erant enim in templis, ut proxime dicebamus. Neque vero Archiva, quanquam in templis hodie non sunt, sancta esse desierunt, nam proprie dicimus sancta, ait Ulpianus, quæ nec sacra, nec profana sunt, sed sanctione quadam confirmata; quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi Deo non sit consecratum. *l. sacra. ff. de rerum divis.* Martianus quoque, Sanctum est, inquit, quod ab injuria hominum defensum atque munitum est. Et sacrarium etiam in ædificio privato esse potest. *l. sancitum ff. de rer. divis.* Sancta igitur etiam num Archiva nominare licet, cum præsertim accesserit eis publica autoritas, ac tutela Principis, cujus in patrocinio loca publica sunt. Ut propterea violatores Archivorum non modo sacrilegii, verum etiam Majestatis rei indicentur, & Pontificum Romanorum constitutionibus anathemate feriantur. Violant autem Archivos falsarii, qui publicorum instrumentorum sinceritatem corrumpunt: expilatores, qui, quæ ibi deposita sunt monumenta furantur, aut rapiunt; incendiarii, qui, flammis injectis, loca ipsa, in quibus acta civitatum servari oportet, conantur comburere. Tanta est porro Archivorum reverentia, ut instrumentis ex publico Archivo productis plane sit credendum, faciantque, ut Jurisconsulti loquuntur, plenam fidem. Ita enim statuunt Glossa, Joannes Andræjus, Hostiensis, Panormitanus, Archidiaconus, cæterique universim Canonistæ in cap. Cum causam. De probationibus in cap. Ad audientiam. De præscriptionibus, & in cap. Pervenit. xxx. quæst. primum. Quibus assentiuntur Bartholus, Baldus, Alexander, Jason, Castrensis, aliique passim civilium legum interpretes in Authentica, Ad hæc. Codice. De fide instrumentorum. Ac ne per hominum scelestorum injuriam in Archivorum sanctitatem, ac religionem quid peccaretur; neve per incuriam, & neglectum periret quicquid reliqui esset publicorum instrumentorum, jussit providentissimus Princeps Justinianus in singulis Romani orbis civitatibus Archivos constitui, Joanni Præfecto Prætoriorum scribens in hæc *De defensorib. civit. §. & judica re. col. 3.*

verba: Præcepta faciat Tua Eminentia per unamquamque Provinciam, ut in civitatibus habitatio quædam publica distribuatur, in quam Defensores monumenta recondant, eligendo quendam qui horum habeat custodiam; quatenus incorrupta maneant, & velociter inveniantur a requirentibus: Et sit apud eos Archivum, & quod hactenus prætermissum est in ci- A vitatibus emendetur. Hæc Imperator; cujus ex verbis apparet, ut id obiter attingamus, Eminentiæ titulum, quo nuper Octavus Urbanus summus Universalis Ecclesiæ Pontifex Cardinales condecoravit, fuisse olim Præfectorum Prætorio, quorum tanta erat dignitas, ut eam Eunapius ἀπόρφυρον βασιλείαν, hoc est, Regnum sine purpura, nuncuparit.



ALBERTINI BARISONI
EPISCOPI CENETENSIS
DE ARCHIVIS
COMMENTARIUS.

ALBERTINI BARISONI
EPISCOPI CENETENSIS
DE ARCHIVIS
COMMENTARIUS.

CAP. I.

Archii nomen, & synonima. Chartophylacium, Grammatophylacium, Tabularium, Tablinum, Singulorum etymon & explicatio, & quid a Pinacotheca differant.



RECEPTACULUM eorum quæ scriptis mandata, servari interest; Archium, Chartophylacium, Grammatophylacium, Tabularium, & Tablinum appellari, fatentur omnes.

Sed Archium, Armarium esse ad eadem servanda constitutum (*a*) quidam existimant, & Armarium Archii nomine indicasse videtur Justinianus in auth. quibus modis naturales eciantur legitimi §. Illud quoque, collatione 6. quicquid dixerit Acursius hunc locum explicans in aut. de defensoribus civitatum §. Præcepta collatione 3.

Verum Archium receptius ædes aut ædium partem significat ubi tabulæ, & scripta reponantur, quod apud auctores passim est obvium, & in d. §. Præcepta ita aperit Justinianus. *Præcepta*, inquit, *faciat tua Eminentia ut in civitatibus habitatio quædam publica distribuatur, in qua conveniens est defensores monumenta reponere, & sit apud eos Archium*. Justiniano assentit Suidas, qui Archium esse, dixit ἔνθα οἱ δημόσιοι χάρτα, ἀπόκεινται, ϗ χαρτοφυλάκια, idest, *ubi publicæ chartæ reponuntur, & chartophylacia*. quare Archium non est armarium, sed locus ubi Armaria collocantur.

Chartophylacium itaque hic apud Suidam *Armarium* est; prout Armarium interpretantur omnes pene Pontificii juris interpretes in cap. 1. de probationib.

Utrum tamen alteram Archii significationem etiam chartophylacii nomen recipere ex d. cap. 1. constat; & aperte tradit Gretserius in Commentariis ad Georgium Codinum Curopalatam lib. 1. cap. 4. *locus*, inquit, *in quo jus dicebat chartophylax, & quæ suæ functionis erant tam asservabat, quam peragebat, Chartophylactum dicebatur*. Ad quod affert Tom. 1. Juris Græco-Rom. fol. 256.

Neque aliud quam locum hujusmodi Grammatophylacii appellatione intellexit Ulpianus, dum in l. Moris 9. de pœnis *Solet*, inquit, *& sic vel Advocatis, vel Tabellionibus interdici ne eo loci sedeant, quo in publico instrumenta deponuntur, Archio forte, vel Grammatophylacio*.

Idem indicat Tabularium & Tablinum. Tabularium apud Cic. lib. 3. de natura Deorum, in Oratione pro Cœlio, & alibi, apud Virg. 2. Georgic. apud alios, & præsertim Jurisconsultos passim est

a *Jo. de Genua in Opere Grammatico, quod Catholicum inscripsit.*

A obvium. Tablini meminerunt Plin. lib. 35. cap. 2. & Vitruv. lib 6. cap. 4.

Tabularium a Tablino (*a*) quidam ita distinguunt, ut illud Archium publicum significet, hoc privatum. Sed hæc distinctio perpetuo vera non est. Nam quemadmodum in d. l. Moris, Budæus existimare videtur, Tablini nomine publicum coram hujusmodi locum intelligi; ita Paulus JC. in l. si mihi Moevia 92. de legatis lib. 3. privatarum ædium partem, ubi privatæ Tabulæ servarentur, Tabularium appellavit.

Archii nomine ejusque Synonimis explicatis, singulorum jam etymon facile occurret.

B Qui Archium idem ac Armarium esse voluerunt, Archium ab Arca deducunt ita ut scribendum Arcium censeant. Alii vel ab ἀρχαῖον, quia in ipso antiqua conserventur, quibus favet Justin. qui in d. auth. de defens. civit. §. Si vero, ideo dixit apud plures civitates antiqua monumenta non inveniri, quia nullum habeant archivum in quo gesta apud se reponant: vel melius ab ἀρχὸς aut ἄρχων quæ Principem indicant & Magistratum. Hinc primo ἀρχεῖον descendit, quod pro ipso Principe usurpat Aristoteles lib. 2. cap. 8. & alibi in Politicis. Sed (*b*) ἀρχεῖον frequentius Græcis significat Re-

C giam, Palatium publicum, prætorium, locum juris, aliaque hujusmodi ad Magistratus & Principes pertinentia, unde Archium nostrum nomen obtinuit, quia ut plurimum a Principibus, & Magistratibus, sub eorum cura, & intra publicarum ædium ambitum sit constitutum.

Reliquorum apertissima notatio est, Grammatophylacium enim & Chartophylacium inde dicuntur, quia scripta & chartas, Tabularium, & Tablinum quia Tabulas custodiunt.

Licet tamen Pinacotheca, & Tabularium sive Tablinum etymologia idem videantur, cum Græcis idem πίναξ sit ac Latinis Tabula; receptum esse li-

D quet ex Plin. lib. 35. cap. 2. ut Pinacotheca tabulas pictas, tabularium & Tablinum scriptas contineat.

CAP. II.

Operis distributio. Prima Tabulariorum origo. Prima eorundem Romæ institutio. Census Romæ Rege Servio Tullo.

ABsolutis quæ ad nomen spectant, rem ipsam per singulas causas percurram. Ad efficien-

E tem Auctores referam, & originem; Ad materiam locum & Tabulas; Ad formam Præsides, Administros, Administrationem; Ad finem Utilitatem, Necessitatem.

Archiorum origo vetustissima ab ipsis juris Gentium primordiis petenda est. Nam simul ac permutare, acquirere, alienare, contrahere, uno ver-

a *Apud Jo. Lud. de la Cerda 2 Georgic.*
b *Bud. in l. Moris 9. ff. de pœn. & in Comment. Linguæ Græcæ ex Pausania.*

bo agere inventum est, simul etiam & scribere necesse fuit, & scripta alicubi servare & disponere; ne præsentium fluxa fide ac memoria posterorum inscitia, quæ acta erant infringerentur.

Sed ego Romanis rebus hærere institui. Ibi enim ut hujus (*a*) noster admonuit: *Omnis exempli documenta in illustri posita monumento intueri licet, inde cuicumque Reip. quid imitandum capiat, quod fugiendum animadvertat.*

Urbem Romam nullo unquam tempore sine aliquo Tabulario fuisse perspicuum est. Nam (*b*) Romulus ipse, ejus adhuc rudis, Rector & conditor, leges condidit & scripsit, judicia exercuit, tributa exegit, ærarium habuit, Senatum legit, populum distribuit, pedites, equitesque conscripsit, sacra plura, pluresque formulas agendi instituit, quæ nec sine tabulis perfici, nec tabulas sine tabulario asservari licuit; nec tabulis non asservatis, quicquam statui certi vel æqui, neque in jure, neque in militia, neque in ordinibus, neque in tributis. Romulum igitur Tabularia habuisse necesse est, atque hæc sub aliis deinceps Regibus prout Urbs ingeniis & viribus augescebat in ampliorem semper, aptioremque formam cervisse. Idque præsertim sub Servio Tullo, cum ipse primo (*c*) censum instituit, quo non viritim ut antea, sed pro habitu pecuniarum belli ac pacis munia quilibet sustineret. Tunc enim urbe opibus ac viris aucta, in tot classes in tot Centurias distributa; dum perscribenda perpetuo erant tum singulorum nomina & opes, & quid quisque deberet, quid pensitaret, tum quæcumque & ærario erogarentur, & accepti, expensique rationes conferendæ; peculiaris ac sepositus locus assignandus fuit, ubi ingentes tabularum acervi scriberentur, custodirentur ac confluentis assidue populi pensiones exigerentur: quæ eo erant frequentiores quia (*d*) signati æris usus, tunc apud Romanos frequens non erat: quare vectigalia non pecuniis sed pecoribus, non annua, sed pene quotidiana pendebantur.

CAP. III.

Tabularia Romæ sub Regibus in ipsis Regiis. Mox in Æde Saturni. De hac accuratius, quo tempore condita, quo refecta, quo dedicata, ubi sita fuerit. Saturni numen, Collis, Urbs. Capitolium, Forum, Miliarium auctum, Vicus Jugarius. Tacitus, Suetonius, Plutarchus, Plinius, Macrobius, Victor explicati.

Antiquissima Tabularia, ut præcipue occasione censuum & tributorum, ita ibi primo erecta conjicio, ubi Tributa exigebantur. Conjecturæ favet tum ratio, tum posteriorum usus quem mox aperiam. Tributa vero in ipsis Regum ædibus tunc primo exigi consuevisse, admonet & Regia Majestas quam tumultus, quæ rapinas omnes arcessit, tum ipsa omnis circuitus expers antiquitas, quæ ad illos opes recta attulisse credenda est, quorum dispensationi destinabantur.

Accedit (*e*) Plutarchi autoritas, qui vix ejectis Regibus, Valerium Poplicolam Consulem, *cum publicas*, inquit, *pecunias, in privatam domum inferri æquum non duceret, ærarium Saturni ædem constituisse quæ hodie etiam manet.* Ærarium igi-

a in Proœm.
b *Liv. lib.* 1. *Dionys. Hal. lib.* 2. *Plutarch. in Rom. aliisque.*
c *Liv. lib.* 1. *Dionys.* 2.
d *Plutarch. in Poplic.*
e *in Poplic.*

A tur antea in domibus, iis vero non privatis, id enim minime æquum, sed publicis nempe Regum. Ac propterea cum domus Regiæ pulsis Regibus desiissent, ædem Publicam nempe Saturni, ærarii loco constituerunt.

Cur vero Saturno ærarium commendaverint, plura apud (*a*) Plutarchum & (*b*) Macrobium videre est, sed hæc præcipua quia Saturnus Agriculturæ parens unde omnes opes fluxisse existimabant, & quia Saturno Rege non avaritiam, non furta, non quicquam alicujus privatum fuisse, sed omnia omnium communia, & summam ubique justitiam fidemque acceperant. Præter fabulas Plu-
B tarchus addit, Poplicolam ideo hanc ædem prætulisse, *quia locum tum apertum & ab insidiis tutum, tum in primis munitum animadvertit.*

Ad hoc vero ærarium etiam Tabularium fuisse perspicuum est, id apertissime testatur Servius ad Virgilii carmen lib. 2. Geo.

Insanumque forum & populi tabularia vidit.

nec obscurius Plut. Problem. 41. *ædem*, inquit, *Saturni & pecuniæ publicæ sacrarium, & ærarium esse, & in eo tabulas publicas conservari, & tabularium appellari.*

C Quo tempore hæc ædes condita aut ubi sita fuerit cum scriptorum dictis involvatur, utrumque hic breviter est perpendendum;

(*c*) Solinus antiquissimam ipsam constituit *Aedem*, inquit, *quæ Saturni ærarium fertur, comites Herculis condiderunt in honorem Saturni quem cultorem Regionis illius cognoverunt extitisse.* (*d*) Dionys. Hal. erectam a Tatio Rege tradidit qui cum Romulo regnavit. (*e*) Macrobius, scriptum testatur a Marco Varrone lib. 6. de Sacris Ædibus, *Tullum Hostilium Saturno fanum ex voto consecravisse, L. vero Tarquinium ædem Saturni ad forum, faciendam locasse*, atque idem Macrobius an-
D tea tradiderat *Gellium scribere, Senatum decresse ut ædes Saturni fieret, eique rei L. Furium Tribunum Militum præfuisse*, L. vero Furius, Tribunus Militum fuit A. U. C. 322. annis nempe 76. post primum Poplicolæ consulatum. Minus quidem sed tamen abesse ab hac historia videtur (*f*) Livius, qui anno post hunc consulatum 11. A. Sempronio, M. Minutio Coss. ædem Saturni dedicatam fuisse tradit. Sed hæc ita demum sunt capienda ut ædes eadem ab Herculis Sociis condita, a Tatio Rege referta, a Tullo Hostilio fano ditata, a Lucio Tarquinio ampliata, ac forte non semel
E postea & referta & ampliata sit, ita ut potuerit & Sempronio Minutioque Coss. dedicari, & L. Furio Tribuno Militum iterum refici.

Ubi vero ædes hæc sita fuerit non minus reddi ambiguum ex antiquorum scriptis videtur quibus quidam recentiorum jactati in varias sententias abierunt. (*g*) Majoragius in arce capitolina collocat, (*h*) Vives in faucibus montis Capitolini, (*i*) Fulvius Ursinus radices ejusdem montis attigisse ex veteri inscriptione conjicit. Nec minus pugnare antiqui videntur. Nam Macrobius proxime allatus *ad forum* statuit; Tacitus, & Sueto-
F nius quos statim referam *ad Miliarium Aureum*, Victor *in vico Jugario*. *Ædes*, inquit, *Opis & Sa-*

a *Plutarchus in Problem.*
b *Macrob. lib.* 1. *Saturn. cap.* 8.
c *Sol. cap.* 2.
d *Dionys. lib.* 2.
e *Macrob. lib.* 2.
f *Liv. lib.* 2.
g *Majorag. in Libello de Senatu cap.* 11.
h *Vives in Divum Augustinum de Civit. Dei lib.* 7. *cap.* 4.
i *F. Ursinus, ad* 1. *Hist. Taciti.*

turni in Vico Jugario. Ad pugnam hanc penitus inspicientes ludicram comperiemus.

In capitolio ædes hæc procul dubio constituenda tum quia Romanis vetustissima ut vidimus Saturni religio, quos neque fas neque credibile est a Capitolio Saturni numen expulisse. Nam in (*a*) monte Capitolino Urbs olim fuit, a Saturno condita Saturnia dicta, immo ipse collis Saturnius est appellatus. Neque alibi Herculis Socii ædem Saturno regionis cultori condidisse credendi sunt quam ubi ipse præcipue vixit. Accedit Ursini lapis & quæ subdam dubitationem omnino auferent. Fuit igitur hæc ædes in Capitolio qua foro imminet. Nam forum sub Capitolio fuisse certum est, (*b*) tradit enim id aperte Dionys. *Romulus*, inquit, *& Tatius in planitie quæ Capitolio subjacet excisa sylva &c. constituerunt forum quo ad hanc usque diem Romani utuntur*. Dum itaque Macrobius dixit *L. Tarquinium ædem Saturni ad forum faciendam locasse* ædem hanc intellexit quæ est prope forum. Nam ad idem ac prope sæpe significat Virgil. lib. 1. Æn.

veterisque memor Saturnia belli
Prima quod ad Trojam pro caris gesserat argis.

Cicero in Oratione pro Cœlio, *Habes hortos ad Tyrim*. Liv. lib. 21. *uno Consule ad Ticinum victo*, & 22. *Hæc est nobilis ad Trasimenum pugna*, & Cic. *de Divin. Si fatum fuit exercitum Populi Romani ad Lacum Trasimenum interire*: cum innumeris similibus quæ passim occurrunt. Erat autem sic prope forum ut ex colle Capitolino ipsi foro immineret. Tacit. (*c*) *Otho*, inquit, *innixus Liberto per Tiberianas ædes ad Miliarium aureum, sub ædem Saturni pergit*. Imminebat igitur *Miliario aureo*, quare imminebat & foro, nam *Miliarium aureum* (*d*) Plinius collocat *in capite Romani Fori* & (*e*) Plutarchus: *Otho*, inquit, *descendens per ædes quæ Tiberii vocantur ad forum ibat ubi aurea columna* (hæc Miliarium aureum appellabatur) *in quam omnes viæ Italiæ finiunt*. Sed apertissime Suetonius, (*f*) *Præmonitis consciis Otho, ut se sub æde Saturni in Foro, ad miliarium aureum opperirentur*. Victor denique qui magis urgere videbatur omnes hæsitationes aufert dum *ædem Saturni, & Opis* ejus uxoris *in Vico Jugario* constituit juxta *milliarium aureum*. Nam Vicum Jugarium sub Capitolio fuisse a Livio discimus, qui (*g*) *Saxum*, inquit, *ingens, sive imbribus sive motu terræ leniore, quam ut alioqui sentiretur labefactatum, in Vicum Jugarium ex Capitolio procidit, & multos oppressit*. Ex quibus omnibus ita Saturni ædem in Capitolio sitam fuisse conspicimus, ut Foro, & Vico Jugario impendens, Vicum latere fronte vero Miliarium aureum & forum aspiceret. Atque ita nedum antiquos sed recentiores percipiemus & conciliabimus, dum cum Ludovico Vive Saturni Fanum in Capitolii faucibus, & cum Ursino Capitolii radices ejusdem ædem ita demum ratione attigisse statuamus, ut tamen ipsa ædes tota in Capitolio sita fundamentis forte, vel etiam Ostio in ipsas radices, in ipsas Capitolii fauces incumberet hinc nempe in Forum inde vero in viam quæ Vici Jugarii pars, ut ex Livio aspicimus, Capitolio

a *Dionys. Hal. lib.* 2. *Solin. c.* 2. *& c.* 8. *Virgil. lib.* 8. *Cato, seu quis alius ejus nomine in originum fragmentis.*
b *Dionys. Hal. lib.* 2.
c *Tacit. Hist. p.*
d *Plin. lib.* 3. *c.* 5.
e *Plutarch. in Galba.*
f *Sueton. in Oth. c.* 6.
g *Liv. Lib.* 35.

A subjiciebatur. Et Plutarchi hinc etiam patebit dictum, quo ædem hanc ærarium a Poplicola constitutam fuisse dixit, quia locum apertum, ab insidiis tutum, & in primis munitum animadvertit; inde enim apertum & ab insidiis tutum quia foro imminens erat, inde munitum, quia in ipso Capitolio, pronunciavit.

CAP. IV.

Livii novus & verus intellectus. Atrium libertatis: leges figere quid. Tabularia ad Ædes Nympharum, Cereris, aliasque Sacras, præcipue Vestæ: ad Ærarium militare, ad singula saltem Fora Judicialia. Hæc quinque, Romanum, Julium, Augustum, Nervæ, Ulpium. Singulorum explicationes & Nomina.

QUidam tamen Livii locus insignes (*a*) quosdam viros adeo deterruit, ut Tabularii Saturni prorsus obliti, publicum Tabularium & publicas Tabulas in atrio Libertatis posuerint. Livius vero lib. 45. ita scripsit, *Censores ex templo in Atrium libertatis ascenderunt, & ibi signatis Tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis servis publicis negaverunt se prius quicquam publici negotii gesturos quam judicium populi de se factum esset.*

Sed ego locum hunc attentius pertentans, nedum Tabularium Saturni minime tollo, sed nullas propterea publicas Tabulas in atrio libertatis constituo. Nam quemadmodum Tabularii ad Saturni, sexcentis in locis scriptores veteres meminerunt, quorum adhuc quædam subjiciam, ita si ad libertatis Atrium publicum tabularium extitisset, fieri vix posset, ut illud unus Livius unico dumtaxat loco commemorasset. Si autem hujusmodi tabularium non extitit, neque Livio hujusmodi sententia a vera aberrans est tribuenda. Ita igitur exponendus est, ut τὸ ibi non ad *signatas tabellas*, nec ad *Tabularium clausum*, sed ad *negaverunt*, sit referendum. Nec Livius quod obscure locutus fuerit merito arguetur, dum vulgo manifestum Romæ fuerit, nec publicas tabulas, nec tabularium ad Atrium libertatis fuisse. Prout Venetiis minime obscure scriberetur: *Ærarii Curatores ex templo in Aulam Senatus ascenderunt, & ibi, clausis publicis scriniis & ipso ærario, & dimissis publicis Rationalibus negaverunt se prius quicquam publici negotii gesturos quam judicium de se factum esset*. Si quis enim ita Venetiis scriberet, nullus propterea existimaret, in aula Senatus, scrinia, ærarium aut rationales publicos esse.

Nullum igitur Tabularium ad Atrium libertatis Livius hic collocat. Prout nec Festus id sibi voluit, ubi tradidit *legem veterem de Virginum Vestalium probro fixam in atrio libertatis cum multis aliis legibus incendio consumptam esse*. Nam si de Tabulario locutus esset, conditam, aut repositam dixisset, sed fixam dixit, omnium oculis publice expositam intelligens: (*b*) *fixæ* enim, ut inquit Servius, *dicebantur leges, quæ in æreis tabulis incisæ parietibus affigebantur*: quo respicit illud Taciti, (*c*) *Aspiciuntur etiam nunc in ære publicandis Plebiscitis* (Lipsius corrigit *scitis*) *per Fora & Templa Fixo*. Atque id Livius in publico proponere dixit, (*d*) *leges quibus duodecim Tabulis est nomen in æs incisas in publico proposuerunt*.

Sed præter hoc ad ærarium, aliud præterea ta-

a *Lips.* 5. *Ann. Tacit.* *Cerda* 2. *Georg.* *alii præsertim ab hoc allati.*
b *Serv.* 6. *Æn. ad illud Virgilii*: fixit leges pretio atque refixit.
c *Tacit. lib.* 2.
d *Liv. lib.* 3.

bularium & illud Publicis Tabulis dicatum in æde Nympharum fuit; Cicero pro Milone ita de Clodio; *qui ædem Nympharum incendit ut memoriam publicam recensionis, Tabulis Publicis impressam extingueret*: & de eodem incendio (*a*) alibi; *qui ædem earum inflammavit Dearum quarum ope aliis incendiis subvenitur*; unde colligo larium forte numini publicas tabulas commendatas, ut eas ab incendiis, quibus plerumque obnoxiæ sunt, tueretur.

(*b*) Aliud insuper Tabularium publicum erat ad ædem Cereris, quo institutum est a L. Valerio, Marco Horatio Coss. ut deferrentur Senatusconsulta ad ædiles plebis, ne in posterum, quod ante usurpatum fuerat, arbitrio consulum vitiarentur aut supprimerentur.

Constat etiam Augustum rerum potitum ærarium novum quod militare appellavit instituisse, quod (*c*) Suetonius & (*d*) Dionys. tradunt; id verum cum proprios præfectos habuerit, proprium etiam tabularium habuisse necesse est ob eas etiam rationes, quas supra retuli. De Præfectis vero militari ærario satis sit properanti mihi Taciti locus: (*e*) *Illum*, inquit (P. Vitellium) *indices arguebant claustra ærarii cui Præfectus erat, & Militarem pecuniam rebus novis obtulisse*.

Ad sacras præterea ædes, & præcipue ad Vestæ Tabularia erant, ubi etiam & privatorum, & Magistratuum & Principum tabulæ asservabantur, de quibus quædam infra dicturus hic supersedeo.

Denique ad quodcumque Judicum tribunal, ad quæcumque subsellia ubi jus redderetur peculiare Tabularium ad tabulas, ad Acta servanda fuisse credo, vel unum saltem in quolibet judiciali foro, in plures cellas, pro jusdicentium numero, distinctum.

Fora autem (non loquor de venalibus, Boario, Suario, Piscatorio, Pistorio, Olitorio, similibus) ad lites & negotiationem pertinentia Romæ omnino quinque fuerunt.

Unicum florente Repub. jam ante, ut tetigi, a (*f*) Romulo Tatioque Regibus constitutum, quod (*g*) Romanum & (*h*) latinum, & posterioribus collatum, & (*i*) Vetus & (*k*) Magnum appellatum est.

Alterum moriente Repub. inchoatum est, perfectum extincta; quod a conditore Julio Cæsare Julium est appellatum. (*l*) Inchoavit Gn. Pompejo Magno tertium Consule solo anno urbis 702. (*m*) perfecit dum ipse quartum sine Collega Consul esset anno 708.

Tertium Augustum dictum est ab Augusto qui illud struxit: Suetonii verba non prætermitto, quia valde ad rem nostram causam attexunt. (*n*) *Plurima*, inquit, *Opera publica extruxit, ex quibus vel præcipua forum cum æde Martis Ultoris*, & post pauca, *fori extruendi causa fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur non sufficientibus duobus*, Romano & Julio, *etiam tertio indigere*.

Quartum & Nervæ & Transitorium est appellatum, (*o*) quod Domitianus inchoavit, Nerva perfecit.

a *Cic. de Arusp. resp.*
b *Liv. lib.* 3.
c *Sueton. Aug.* 49.
d *Dionys. lib.* 55.
e *Tacit. lib.* 5. *Ann. loquitur de P. Vitellio.*
f *Dionys. Hal. lib.* 2.
g *Virgil.* 8. *Æneid. Propert. lib.* 4. *Eleg.* 2. *Martial. lib.* 1. *Plin. & Suet. sæpissime.*
h *Ovid.* 4. *Fastor. Stat. in Sylva de equo Domit.*
i *Strabo aliique passim.*
k *Dionys. lib.* 43.
l *Suet. Cæs.* 26.
m *Appian. lib.* 2. *Civil. Dio Cass. lib.* 43. *Fasti Capitolini, & Triumphi Capitolini ad hunc annum.*
n *Suet. Aug.* 29.
o *Suet. Domit. Lamprid. in Alex.*

Quintum denique a Trajano conditum, (*a*) ab ipso, Trajani, & Ulpium forum est dictum, quia Ulpius gentile fuit Trajani nomen.

Ad singula igitur hæc fora singula Tabularia sufficisse vix credo: nam si, ut ajebat Suetonius, ipsis dumtaxat judiciis duo fora satis non erant, quot tabulariis indiguisse credenda sunt tot judiciorum genera, tot negotiorum & contractuum, tot gestorum, actorum, tabularum, de quibus subdam; si ita erant omnia disponenda ut facile reperirentur? Plura igitur ad singula fora tabularia fuisse infero, neque casu aut temere Virgilium forum unius, Tabularia plurium numero protulisse, (*b*) ubi ait:

Insanumque forum, & Populi tabularia vidit.

CAP. V.

Tabularum summa Divisio. Acta prorsus Publica definiuntur. Eadem vel Regum, vel Senatus, vel Populi, vel Plebis, vel Principum, vel Magistratuum. Singulorum in Romano Imperio Potestas. De lege Regia plura, & de Magistratuum præcipueque Consulum creatione sub Principibus.

QUæ vero in Tabulariis proprie struantur, quod ipsum etiam nomen indicat, Tabulæ sunt. Tabulæ vero vel sunt publicæ, vel privatæ. Rursus publicæ, quædam prorsus publicæ sunt, quia & a publica auctoritate originem habuerunt, & publica auctoritate in scripta redactæ sunt; quædam vero ea dumtaxat ratione sunt publicæ, quia in publica scripta relatæ, licet origine privatæ sint. Utræque tamen & publicæ tabulæ, & publica acta recte dicuntur.

Primo igitur Acta hujusmodi, quæ prorsus publica dixi, ita ex Ciceronis sententia definio: (*c*) *Acta sunt quæ vel a Principe, vel ab ordine, qui rerum in Repub. potiatur, vel a Magistratu, aut jus dicente, qui in eadem cum Imperio aut jurisdictione versetur, togata auctoritate gesta, publicis literis mandata sunt.*

Actorum hujusmodi præter Magistratuum omnium, ac jusdicentium acta, quæ sub unico tantum genere brevitatis causa complector, quinque insuper genera in Romana historia reperio. Regum, Senatus, Populi, Plebis, & Principum.

Ut Regum, ita Senatus, Populi, Plebis, & Principum acta erant, quæ a Regum, vel a Senatus, vel a Populi, vel a Plebis, vel a Principum auctoritate proxime procedebant nulla minore intermedia potestate: nam quæ ab his per Magistratus & Judices gerebantur, acta potius Judicum ac Magistratuum ut appellarentur invaluit.

Horum omnium ut rectius acta percipiamus, circa quæ singulorum auctoritas versaretur, breviter perstringo.

Regum summum olim Imperium fuisse ex (*d*) Livio magis & (*e*) Plutarcho disco, quam ut (*f*) Dionysio assentiar, modicum illud asserenti, ac

a *A Gellius lib.* 13. *c.* 24. *Capitolinus de M. Antonio:* nobilibus, *inquit*, viris bello Germanico defunctis statuas in Foro Ulpio collocavit. De hoc Foro & Bibliotheca circum ipsum quæ Ulpia dicta *idem Gellius lib.* 11, *c.* 17. *Vopiscus io Probo, & in Aureliano.*
b *Virgil.* 2. *Georg.*
c *Cicero prima Philipp.*
d *Livius lib.* 1.
e *Plutarchus in Romul.*
f *Dionys. Hal. lib.* 2.

A cum Senatu ac Populo communiter pene gestum: licet hic attentius introspectus ab illis haud admodum distet. Nam cogendi Senatum, convocandi Populum, primo loco sententiam dicendi, in graviora crimina animadvertendi, leges ferendi ac condendi plenum jus penes Reges fuisse tradit, & præterea in Sacris Principatum, summam in re bellica potestatem.

Inanis itaque species erat auctoritatis quæ Senatui & Populo relinquebatur. Senatus enim de levioribus quidem causis eodem (*a*) Dionysio teste cognoscebat; sed Rege sibi curam reservante, ne in his etiam judiciis peccaretur: & ita jure decernendi suffragiorum numero idem Senatus utebatur, B ut suffragiis decerneret de his dumtaxat quæ Regi referre visum esset. Sed Populus Magistratus quidem creabat, sed ex Patribus, & quos forte Rex prætulisset: leges sanciebat, sed quas Rex ferret, & condidisset: Bella denique pacemque decernebat, sed *quoties*, inquit Dionysius, *Rex permisisset, & Senatus assentiretur*. Quæ quantumvis modica & pauca, semper tamen Majestatis intuitu, judiciorum metu, juris nomine, sacrorum obtentu, terrore armorum, sensim imbecillioribus imminuta, & Regibus aucta sunt, donec Regnum primo in Tyrranidem, mox ut fit in C Democratiam delaberetur.

Cæterum Senatus expulsis Regibus maxima auctoritas, crebris deinceps Plebis contentionibus depressa est. Sed quoad Romæ libertatis reliquiæ viguerunt (*b*) hæc fere Senatui permittebantur, ut vectigalibus, pecuniis publicis, & ærario præesset; ut legationes exterarum gentium audiret, ac easdem ad exteros populos quacumque ex causa decerneret; ut provincias administrandas demandaret; ut Imperatores ad bella eligeret; & ut cognosceret de criminibus per Italiam commissis, de quibus publice judicium erat faciendum. (*c*) Id vero integra Repub. vel Senatus per se præstaret, D ut Polybius videtur auctor, vel per Senatores ad hoc electos (quod tamen perpetuum non fuit) ut plurimi recentiorum tradiderunt; Principum tempore procul dubio id per se munus Senatus obiit, ut ex (*d*) Suetonio & (*e*) Tacito frequentissime videre licet. (*f*) Triumphos præterea decernere Senatus inter sua jura semper enumeravit, licet hoc jus invito Senatu sibi quandoque etiam Populus usurpaverit.

Populi, Plebisque nomina prout etiam auctoritas sæpe invicem confunduntur. Sed *Populus proprie sumptus*, ut inquit (*g*) Imperator, *differt a Plebe, ut genus a specie* (sin verius ut totum a parte) E *Nam* (pergit Imperator) *appellatione populi universi cives significantur connumeratis etiam Patritiis, & Senatoribus, Plebis autem appellatione sine Patritiis & Senatoribus cæteri cives*. Ex quibus constat (*h*) Plebem & Senatum species Populi recte non dici, cum neutra Populus ita appellari recte possit, ut vere dicatur Senatus est Populus, Plebs est Populus. Populi tamen vocabulum solam etiam quandoque Plebem significat. Hinc frequens illud in historiis, in lapidibus, in vexillis *Senatus Populusque Romanus*, quasi populus non Senatum contineret, sed id quod Senatus non esset, nempe plebem significaret; quare Martialis: F

a *Dionys. ibidem.*
b *Polyb. lib. 6. Livius passim & alii. Cic. ad Att. lib. 1. & Orat. pro Lege Manilia.*
c *Polib. lib. 6.*
d *Suet. in Tib. cap. 73. Nero. 17.*
e *Tacitus lib. 2. 3. 4. 16. & passim.*
f *Liv. lib. 3. 7. Dionys. lib. 11.*
g *Imper. Instit. tit de Jure Natur. Gent. & Civil.* §. Lex est.
h *Porphir. in Prædicabilibus cap. de Genere.*

> *Dat populus, dat gratus, eques dat thura Senatus.*

Plebs nimirum, Senatus, & equites. Nam tertius ordo equitum in Ciceronis consulatu Reip. additus est, ut auctor est (*a*) Plinius, quo etiam respexit (*b*) Ovid. lib. 4. Tristium.

> *Plebs pia, cumque pia lætatur plebe Senatus,*
> *Parvaque cujus eram pars ego nuper, eques.*

Hinc populares, plebejos non raro indicant, ut docet (*c*) Donatus ad illud Terentii:

> *Amicus summus meus & popularis Geta.*

Quare (*d*) Cicero in Oratione de Aruspicum responsis, P. Clodium dixit popularem repente factum, plebejum intelligens, quia adoptione ad Tribunatum plebis assequendum, quod plebeiis dumtaxat tribunos creari permitteretur, in plebejam familiam transierat.

Sed populus, ut quoddam totum Senatum plebemque continens, summam potestatem in Repub. obtinebat. Nam (*e*) & dissentientibus patribus, & quocumque Magistratu intercedente, ad populum referebatur, & quicquid de Senatus consultis jussisset populus, id obtinebat. Quare (*f*) Cicero in Philippicis *Senatus auctoritatem*, dixit, *populi vero Majestatem*, & (*g*) alibi *autoritatem in Senatu, in Populo vero potestatem esse collocatam*. Et (*h*) Livius *censere Senatum*, dixit, *jubere Populum. Senatus*, inquit, *eam pacem servandam censuit, & post paucos dies populus jussit*. Et (*i*) alibi, *bellum Samnitibus & patres censuerunt, & populus jussit*.

Sed (*k*) tria illa, quæ specie saltem Reges populo permisisse jam retuli, liber populus semper retinuit: Magistratuum creationem; Legum confirmationem, aut abrogationem; Belli pacisve susceptionem.

Atque (*l*) hæc eadem pari pene jure plebs sibi arripuit. Quæ nedum prout una cum Senatu populum constituebat. Sed per se etiam sola quosdam sibi Magistratus creandi jus invasit Anno Urbis Conditæ 261. & 283. ac mordicus inde retinuit. Et post annos 23. M. Horatius Barbatus, L. Valerius Potitus Coss. (*m*) *Cum*, inquit Livius, *velut in controverso jure esset tenerentur ne Patres plebis citis, legem centuriatis comitiis tulere, ut quod tributim plebes jussisset populum teneret*. Quam legem vel a patribus impugnatam, vel desuetudine interceptam (*n*) anno 415. Q. Publilius Philo, & (*o*) anno 467. Q. Hortensius Dictatores, ille iterum, hic tertio tulit. Et lata demum Hortensia lege omnes de plebiscitorum robore contentiones desiisse auctores sunt (*p*) Pomponius JC. & (*q*)

a *Plin. lib. 33. cap. 2.*
b *Ovid. lib. 4. Tristium eleg. 2.*
c *Terent. & Donatus in Phorm. sc. 1.*
d *Cicero in Orat. de Arusp. Reip.*
e *Cicero pro l. Man. Lælius ep. 8. lib. 8. Epist. Fam. Cic. Dionys. lib. 2. & alii passim.*
f *Cic. 3. Philipp.*
g *Cic. de Legibus.*
h *Liv. lib. 7.*
i *Liv. lib. 10.*
k *Sup. cap. 1. ex Dionys. lib. 2. & 4. & aliis.*
l *Liv. lib. 2. Dionys. lib. 6. & 9. Pompon. lib. 2. de Origine Jur.* §. iisdem temporibus, &c.
m *Liv. lib. 3.*
n *Liv. lib. 8.*
o *Flor. in Epit. lib. 11. Gell. lib. 15. cap. 27. Plin. lib. 16. cap. 10.*
p *L. 2.* §. deinde cum esset *de origine jur.*
q *Inst. titul. de jure nat. Gent. & Civili* §. Plebiscitum.

Justinianus Imperator adeo ut postea non minus hæc quam leges valuisse, licet constituendispe cie dissiderent, uterque tradat.

Principes vero una cum libertate omnia Populi jura ad se traxerunt, atque hac de causa quicquid dicat (*a*) Pomponius, Senatum non Populum consulebant, ne se ipsos qui jura Populi obtinebant consulere videbantur. Quare (*b*) Justinianus de Principe loquens, *Lege*, inquit, *Regia, quæ de ejus Imperio lata est Populus ei & in eum omne suum jus potestatemque contulit*. An vero legem hanc Regiam posteriores Principes somniaverint ad initia occupatæ Tyrannidis obtegenda, sive Priores eo violentiæ processerint, ut populus vi in servitutem detrusus, eadem vi voluntariam servitutem profiteri compelleretur, inter auctores ambiguum est. Nulla certe hujus Regiæ Legis nisi a Vespesiani Imperio vestigia extant cujus eo tempore latæ fragmentum quoddam inter antiqua Romana Epigrammata legitur, quo decernitur licere Vespesiano ea omnia, jubere, mandari, &c. quæ licuit jubere &c. Augusto, Tiberio &c. neque ullibi dicitur ea Augusto aut Tiberio, aut aliis Principibus a Senatu, aut a Populo decreta. Insuper legem hanc Regiam sub Prioribus Principibus latam minime credendum est, qui cruda adhuc servitute Regium nomen invisum Populo non admiserunt. Quare Cæsar non Rex sed dictator est dictus, neque apud alium, quam apud (*c*) Plutarchum certa optati ab eo Regii nominis indicia quod meminerim legi, ubi illum egredi cunctantem & deterritum uxoris somniis, prodigiis, sacrificiis, divinationibus Senatum dimittere decernentem, D. Brutus ut in Senatu trucidandum ad conjuratos deduceret, *Prompta*, inquit, *esse omnium suffragia, ut ipsum cunctarum per Italiam Provinciarum Regem crearent, atque per cæteras terras, & maria diadema gestaret*.

Quæ vero refert (*d*) Suetonius illum statuam inter Reges habuisse, & Tribunos potestate privasse, quia e turba hominem in vincula duci jussissent qui coronam lauream candida fascia (insigni nempe Regio) præligatam ejus statuæ imposuisset; nudæ suspiciones sunt, & ab eodem Suetonio repulsi etiam a Cæsare Regii nominis conjectionibus copulantur. Nam ideo ipsum *Postetate privasse Tribunos obtendisse*, ait, *quia sibi gloriam recusandi insignis Regii eripuisent. Immo Plebi Regem se salutanti, respondisse Cæsarem se non Regem esse, & pro rostris a Cos. Antonio admotum sæpius capiti suo diadema repulisse, atque in Capitolium Jovi Opt. Max. misisse*, cujus etiam ad Cæsarem laudis in Philippicis meminit Cicero.

Sed quicquid Cæsar in mente habuerit, ipsum Regem nunquam fuisse certum est, nec legem Regiam unquam de ejus Imperio latam qua Populus in eum omne suum jus transferret. Nam lex de qua Plutarchus non de Rege per Populum, sed per Senatum, non Romæ, sed per Provincias constituendo loquebatur, quæ lex antequam ferretur conspiratorum pugionibus inducta, & futuri Regis sanguine obducta fuit.

De Augusto aperte (*e*) Tacitus: *non regno neque dictatura, regendam a se Rempublicam, sed Principis nomine constituisse*.

Tiberius, ut idem est auctor, (*f*) *cuncta per consules incipiebat tanquam vetere Republica & ambiguus imperandi, & ne edictum quidem, quo Patres in curiam vocabat nisi tribunitiæ potestatis præscriptione sub Augusto acceptæ posuit*, (*a*) *qui perpetuo vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis Senatui præbebat*.

Caligula semel dumtaxat (*b*) *super coronam de sumendo diademate specieque Principatus in Regni formam convertenda* legitur hæsitasse, *sed admonitus se & Principum & Regum excessisse fastigium*, Regio jam contempto nomine, *Divinam ex eo Majestatem asserere sibi cepit*.

Claudius (*c*) *in semet augendo parcus atque civilis, prænomine etiam Imperatoris abstinuit, nec solum nimios novosque honores recusavit sed non parum & antiquæ auctoritatis Senatui Magistratibusque concessit*.

Nero ipse inter innumera Reipublicæ illata dedecora a Regni meditationibus tamen absuit; (*d*) *nulla vero quam augendi Imperii ne dum nominis Regii assequendi spe aut voluntate motus*. Immo minora Principe, minora ingenuo tum timuit, tum amavit. (*e*) *Prædictum a Mathematicis* ei fuerat *fore ut* quandoque destitueretur; *quare Citharædicam artem amplexus est sibi & ut Principi gratam, & ut privato necessariam*. Quis igitur unquam Regium nomen adeo Populo invisum sibi postulasse Neronem credat, (*f*) popularibus adeo deditum studiis Musicæ, Scenæ, Aurigationis, atque ex his palmam a Populo suppliciter, immo serviliter exposcentem?

(*g*) Galbæ erga Rempublicam civile ingenium; Othoni & Vitellio ad luxum, quam ad ambitum proclivius fuit. His & illi breve Imperium & turbidum. Cui tuendo dum omnibus studiis, omnibus viribus frustra incumbentes non suffecerunt, sed sub ipso pondere oppressi sunt, nec naturæ impulsu, nec Dominationis diuturnitate, nec fortunæ blanditiis allici potuerunt ut vanis novisque Imperii nominibus ipsum Imperium everterent ut postremum sibi discrimen properantius accerserent.

Nulla igitur ante Vespesianum Augustum Regia lex, sed ne sub ipso Vespesiano legem ullam Regiam appellatam prorsus existimo. Nam neque legis illius de Vespesiano latæ, reliquiæ, Regiam legem ullibi referunt, aut regium nomen, at usque ad Alexandri Imperatoris tempora non Regia sed Imperii lex appellata est, qua summa Imperatoris potestas decernebatur, vel decreta dicebatur, (*h*) *Licet enim lex Imperii solemnibus juris Imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium Imperii est quam legibus vivere*. Hæc sunt ipsius Alexandri Imperatoris verba. Quia tamen tunc temporis ita Imperium degeneraverat ut jam nec Imperatores, nec milites, nec Senatores, nec Populus Romæ commorantes Romani essent; mirum non est si ipsius Alexandri (*i*) Sinchronus Ulpianus hanc legem fortasse primus Regiam appellaverit, post quem non semel Regia appellata est a (*k*) Justiniano, quo tempore jam usu etiam receptum erat ut (*l*) Imperatores Regum nomine appellarentur, Sed

a *Pompon. L.* 2. §. Deinde quia difficile, *de orig. jur.*
b *Justin. in tit. de jur. nat. in inst.* §. Sed & quod Principi *Pomponius lib. 2. de Orig. Iur.* §.
c *Plutarch. in Cæsare.*
d *Suet. Cæs. c. 76. & c. 79.*
e *Tacit. 1. anno.*
f *Ibidem.*

a *Tacit. Anno 3.*
b *Sueton. Calig. 22.*
c *Sueton. Claud. 12.*
d *Sueton. Nero. 18.*
e *Suet. Ner. 40.*
f *Ibidem* 20. 21. 22. 23. 24. 25. *Tacit. Ann. 14.*
g *Pluth. in Galba & Oth. Suet. in Galba, Oth. Vit. Tacit. Hist. p. 2. 3.*
h *L. 3. C. de Testamentis.*
i *Ulp. l. p. de constit. Princip.*
k *Just. inst. tit. de jure Nat.* §. Sedet quod Principi, & *L.* 1. §. Cum enim Lege. *C. de vet. jur. enucl.*
l *Just. L. ult. C. de legib.*

Sed quicquid de hujus legis nomine fuerit, eam certe primo latam suspicor Vespasiano Imperatore. Nam a Julio Cæsare ad Neronem Imperium armis disquisitum, & successione per manus traditum, (*a*) *unius*, ut Galba, *familiæ hereditas fuit*, ex qua quicumque Principatum susceperant magis quid per vires quam quid per jura liceret, attendebat, & quid superiores Principes egissent, in quorum & acta jurabant, quam quid Populus statuisset. Nec Galbæ, Othonis, Vitellii mores aut tempora novis hujusmodi excogitandis legibus congruebant. Quare postquam Vespesianus, (*b*) *incertum diu & quasi vagum Imperium suscepit firmavitque*, & postquam (*c*) *Civilia arma velut expiato terrarum orbe cepisse finem videbantur*. Tunc (*d*) *Senatus cuncta Principibus solita* (*e*) *Vespesiano decrevit* adhuc absenti: qui *mediocritatem præseferens*, *nec ornamenta extrinsecus*, *nec Tribunitiam potestatem*, *nec eximias appellationes appetens*, sed tantummodo (*f*) *afflictam nutantemque Rempublicam stabilire & ornare*. Augere forte, & ornare Rempublicam existimavit, si lege lata, jubente Populo, ipsi Imperatoria Potestas constitueretur; quam alii armis sibi aut hæreditate constituerant. Quam forte ob rem lex lata fuit cujus adhuc fragmentum extat, quæ nihil de Imperio, simili lege, aliis Imperatoribus decreto meminit.

Sed ut ad rem revertamur, unde nos hæc lex Regia plus nimio abduxit; Principes, ut ostendi, omnia Populi munera ad se traxerunt, excepta creatione Magistratuum. Hæc enim primo Julius Cæsar (*g*) *cum populo partitus est*; *ut exceptis Consulatus competitoribus de cætero numero candidatorum pro parte dimidia quos Populus vellet pronunciarentur*, *pro parte altera quos ipse dedisset*. Triumviratus tempore hoc Cæsaris institutum turbatum restituit Augustus auctore (*h*) Suet. & Dione. Sed Tiberius (*i*) *comitia e campo*, *& a Populo ad Patres transtulit*. Consules vero sub Augusto & Julio Principi & Senatui reservati sunt sed fere Principi præcipue sub Tiberio ut ex Dione lib. 58. (*k*) colligimus. Sed fatendum sub ipso Tiberio & deinceps *diversa adeo fuisse hæc comitia*, ut de ipsis *vix quicquam* (*l*) *Tacitus ipse firmare audeat*, cum tamen omnes, ac in primis ipse, fateantur numquam Populo jus creandorum Magistratuum redditum fuisse: (*m*) *Etsi enim tentavit Caligula*, Suetonio teste, *Comitiorum more revocato suffragia Populo reddere*, abstinuit postea & omisit.

Magistratuum autem aut Judicum singulorum munera, si hinc singillatim persequar, hoc uno capite justum volumen excedam. Quod itaque ad rem nostram attinet hæc breviter monuisse satis sit.

Magistratibus quibusdam more majorum, quibusdam jure extraordinario, aliis nulla ratione licebat Senatum consulere, aut cum Populo agere. More Majorum Senatum consulebant, quos ex Varrone nominat (*n*) Gellius, *Dictator*, *Consules*, *Prætores*, *Tribuni Plebis*, *Interrex*, *& Præfectus Urbis*, jure adeo extraordinario *Tribuni Militum*, *& Decemviri qui cum consulari Imperio fuerunt*, *prout Triumviri Reipublicæ consti-*

a *Galba apud Tacit.* 1. *Hist.*
b *Suet. Vesp.* 1.
c *Tacit.* 4. *Hist.*
d *Ibidem.*
e *Suet. Vesp.* 12.
f *Ibidem* 8.
g *Suet. Cæs.* 41.
h *Suet. Aug.* 40. *Dio lib.* 53.
i *Tacit. Ann.* 1.
k *Dio. lib.* 58.
l *Tacit. lib.* 1.
m *Suet. Calig.* 16.
n *Gell. lib.* 14. *c.* 7. *&* 8. *lib.* 13. *c.* 14.

A *tuendæ causa constituti*, *& Præfectus Urbis latinarum causa relictus hoc jus habuerunt*. (*a*) His Cicero Magistro equitum addito, & Præfecto Urbis dempto omnibus tam consulendi Senatum, quam cum Populo agendi jus tribuit. Iisdem etiam (*b*) jus erat Senatusconsultis intercedendi. Senatum autem consulere erat Senatum rogare, ut ex Senatus sententia Senatusconsultum perscriberetur. (*c*) Agere vero cum populo rogare Populum, *quid suffragiis suis decerneret aut vetaret*, quod nihil erat aliud quam legem ferre.

B Agebat eadem ratione cum Plebe Tribunus Plebis, quo rogato plebiscita ferebantur & condebantur, quæ, ut mox ostendi, ejusdem ponderis atque auctoritatis erant ac leges.

Sed cæteri Magistratus (Magistratus autem hic nomine prout latissime patet, intelligo quoscumque qui autoritate publica, aut potestate tam more majorum quam extra ordinem alicui negotio præsunt & jurisdictionem aliquam habent) Cæteri, inquam, Magistratus qui nec cum Populo agendi, nec Senatum consulendi jus habebant, cum nullum legum genus possent proponere, edicta quædam ad negotia sibi demandata pertinentia
C proponebant, quorum vi suam jurisdictionem exequebantur publicis tamen legibus innixam. Sed tam hi, quam illi de peculiaribus quibusdam causis cognoscebant & judicabant, & circa quas quædam etiam eorum acta versabantur.

CAP. VI.

Alia horum Actorum divisio in Decreta & Monumenta. Utraque Regum, Senatus, Populi, Plebis, Principum, Magistratuum. Singula in quibus Tabulariis reponerentur. De Commentariis Senatus & Populi accuratius. Legis nomen quam late pateat. Instrumentum Imperii a Vespesiano confectum. Fasti, Ædes, Mo-
D *netæ, Cereris, Liberi, Liberæ, Nympharum. Alia.*

Regum, Senatus, Populi, Plebis, Principum, & Magistratuum omnium, in duplici differentia acta considero, de quibus nunc sermo est.

Quædam enim acta sunt quo præcipue eorum fertur intentio, & in quibus nihil ulterius appetens conquiescat; quædam quæ ad hæc primo quæsita diriguntur atque ipsa necessaria quadam connexione vel antecedunt, vel comitantur, vel consequuntur.

E Sub primo actorum genere collocantur leges, Senatusconsulta, plebiscita, operumque rogationes, edicta, creationes Magistratuum, judiciales sententiæ quas definitiones appellant, cujuscumque demum generis sint, atque alia hujusmodi, si quæ sunt in quibus potestas quælibet aut jurisdictio consideat: quæ omnia doctrinæ saltem brevitatisque gratia unico complecti nomine, & Decreta appellare mihi liceat.

Sub altero actorum genere monumenta omnia reponenda sunt, quibus memoriæ tradebantur, quisnam Magistratus, quibus comitiis, quo die,
F quo loco legem tulisset, quibus nundinis promulgata esset, quis suasisset, quis dissuasisset, quis intercessisset, quibus suffragiis approbata, quibus rejecta fuisset. Horum pleraque & in Senatusconsultis & in plebiscitis ferendis, & in edictis proponendis observata, eadem ratione scribebantur. In Comitiis itaque Magistratuum creandorum, ac

a *Cicero* 3. *de legibus.*
b *Gell. ibidem.*
c *Just. in* §. *Lex. inst. de jure nat. Gen. & civili.* *Gell. lib.* 13. *c.* 15. *alique.*

insuper candidati qui simul eundem Magistratum petiissent, qui suffragiis propinquiores electo, quinam invicem accessissent. Prout in re judiciali litis contestatio, accusatio, defensio, petitio, recusatio, libelli editio, tabularum ac tertium productio, eorundemque dicta, cum aliis innumeris quæ facilius intelligi hic possunt quam enumerari. Atq; hoc Actorum genus quod Græci ὑπομνήματα commodissime dixerunt, a Latinis sub monumentorum, aut Commentariorum vocabulis explicatur.

Publicorum itaque hujusmodi actorum quædam decreta hic appellemus, quædam vera monumenta.

Ex antiquissimis Regum actis, Decreta dicenda sunt Leges, edicta, sententiæ in quocumque judicio latæ, Senatus electio, Populi distributio, exercitus conscriptio, census ac vectigalium institutio, bellorum susceptio, pactiones pacis aut Fœderum cum aliis hujusmodi. Monumenta vero illa Regum intelligimus, quæ ut dixi decreta hæc aut præcedunt, aut consequuntur aut comitantur. De quibus omnibus quantum conjectura assequi licuit & qua ratione & quo tempore initium habuerint, & quib. reponi tabulariis consueverint jam disserui.

Sed Senatus decreta quælibet sub Senatus Consulti nomine comprehensa sunt, tam si in deliberatione quam si in judiciis versarentur. Hæc olim, ut (*a*) Livius est auctor, *arbitrio Consulum supprimebantur enunciabanturque*. Sed L. Valerius, & M. Horatius Coss. an. Urbis conditæ 306. instituerunt *ut in ædem Cereris ad Ædiles Plebis deferrentur*; id vero nulla alia de causa, quam ut omnia Senatus decreta Plebi etiam nota & vulgata essent. Sed nihilominus ad Tabularium quod ad Saturni ærarium erat deferebantur ut ibi asservarentur, quod ante hanc legem Horatiam Valeriam factum esse rationibus, quas supra examinavi, omnino ut credam adducor. Nec desunt posteriorum temporum testimonia quæ id tam sub Republica, quam sub Principibus servatum aperte aperiant. (*b*) Livius: *Quid ab eo posse recti expectari quod furtim & per infrequentiam factum Senatusconsultum ad ærarium detulerit*. (*c*) Cicero item in Antonium: *Sed Senatusconsulta, pecunia accepta, falsa referebat, syngraphe obsignabantur, S.C. tanquam facta ad ærarium deferebantur*. Immo adeo deferebantur, ut antequam deferrentur rata non essent. (*d*) Suet. in Augusto. *Auctor est falsus Marathus, ante paucos quam nasceretur* (Octavius Augustus) *menses prodigium Romæ factum publice, quo denunciabatur Regem Populo Romano naturam parturire. Senatum exterritum censuisse, ne quis eo anno genitus educaretur. Eos qui gravidas uxores haberent, quo ad se quisque spem traheret, curasse ne Senatusconsultum ad ærarium deferretur*. Et apud Tacitum in Annalib. Cum Tiberius solitis sibi ambagibus deprecatus esset Senatum, ne præceps in eos qui verbis dumtaxat læsissent Principem, neque tam acriter animadverteret: *factum*, (*e*) inquit, *Sen. Cons. ne decreta Patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque vitæ spatium damnatis prorogaretur*. Nec solum robore, sed etiam Senatus consultorum nomine, donec deferrentur ad ærarium, destituebantur. (*f*) Cœlius apud Ciceronem in Epistolis Familiaribus quasdam Senatus consultorum formulas refert quæ his verbis tan-

a *Liv. lib.* 3.
b *Liv. lib.* 35.
c *Cic.* 5. *Philipp.*
d *Suet. August. cap.* 94.
e *Tacit. Ann.* 3.
f *Cœlius in Epist. famil. Cic. lib.* 8. *epist.* 8. *Aliam item SCti formulam affert Ulpianus* L. *Item veniunt* 22. §. *Pridie de Pet. hæred. Item alia exemplar. sunt apud Cicer. in Philipp.* 3. *& in* 9.

A dem clauduntur: *Si quis huic Senatus consulto intercesserit, Senatui placere Auctoritatem perscribi, & de ea re ad Senatum Populumque referri*. Et quia Tribuni Senatusconsulto intercesserunt, scribit Cœlius, *Senatusconsultum quod tibi misi factum est, auctoritatisque perscriptæ*: factum enim erat Senatusconsultum, sed non perscriptum nisi nomine Auctoritatis, nam intercessio impediebat ne ad ærarium deferretur. Atque hæc de Actis Senatus, quæ decreta appellanda duximus.

Superest de illis actis, quæ *monumenta* aut *commentarios* distinctionis gratia diximus, aliquid addere. Hæc vero illa sunt quæ publicis, ut sæpius B dixi, literis mandabantur, quia Senatus decretis necessaria connexione cohærebant tam in deliberationibus quam in judiciis. De his loquitur (*a*) Suet. in Cæsare, de Cæsare sermonem habens, *Inito honore Consulatus cum M. Bibulo, primus omnium instituit, ut tam Senatus quam Populi diurna Acta conficerentur & publicarentur*. Nam hæc si de Actis intelliguntur quæ decreta dicimus falsa sunt, nam ut ex Livio vidimus quadringentos fere ante annos SCta ad ædem Cereris Plebi ejusque Magistratibus vulgabantur: Decreta vero tam Senatus quam Plebis singula conscripta fuisse nullus est qui ambigere possit. Primus itaque Cæ- C sar confici & publicari jussit Senatus Commentarios diurnos, quid singulis nempe diebus apud Patres non solum decerneretur, sed differeretur, & quacumque ratione diceretur.

Hos Commentarios prout cum Decretis & Senatusconsultis connectebantur, magna quidem ex parte semper confectos fuisse existimo, ita tamen ut quæ mandari literis e Senatorum dignitate non esset, vel sine alicujus offensæ periculo non liceret, omitterentur, quemadmodum prætermissa plerumque fuisse credo quæ ad nihil decernendum tetendissent. Sed Cæsar plebi fidens, optimatibus D infensus, eoque invisus, nihil jam in Senatu quod non scriberetur, tractari; nihil scribi quod Plebi non vulgaretur instituit. Ut hinc Plebi in Repub. sibi apud Plebem autoritatem augeret, & Senatoribus libertatem, Senatui vires infringens, nulla jam eorum consilia pertimesceret.

Sed Augustus Imperium adeptus, nec ulla ratione jam Plebis indigens, vulgare Imperii arcana nec e re, nec e dignitate Reipublicæ existimavit: quare ut est apud (*b*) Suetonium *Auctor fuit ne Acta Senatus publicarentur*. Ut tamen conficerentur retinuit, compescendis procul dubio Senatorum dictis, quorum nimia libertas Principatui E pericula quandoque intendit & ne quid in Senatu prolatum aut gestum Principem unquam lateret. Hinc frequenter hujusmodi Senatus acta Imperatores legebant, nam de his loquitur (*c*) Suetonius, dum Tiberium magna indignatione infremuisse refert: *Cum in Actis Senatus legisset, dimissos ac ne auditos quidem quosdam reos, de quibus strictim, & nihil aliud quam nominatos ab judice scripserat*. Nec aliam ob causam quam ut omnia perscriberentur, qui hæc acta conficeret, ab Imperatore, non a Senatu deligebatur, (*d*) Tacitus: *Fuit in Senatu Junius Rusticus componendis Patrum Actis dilectus a Cæsare, eoque Medita-* F *tiones ejus introspicere creditus*.

An vero Commentarii Senatus una cum præcipuis ejusdem actis quæ Decreta Senatus diximus ad ærarium deferrentur, vel reponerentur in ædibus ubi Senatus habebatur, cum nullibi traditum viderim, ambigo; licet ad ærarium latos potius existimem

a *Sueton. Cæs.* 20.
b *Suet. Aug.* 36.
c *Suet. Tib.* 73.
d *Tacitus Ann.* 5.

quo omnia pene ad Rempublicam pertinentia delata invenio. Sed de his postea.

Nunc ad Populi Acta procedens quæ circa ea versabantur, de quibus memini. Quæcumque tam Populi quam Plebis decreta legum nomine una excepta creatione Magistratuum comprehenduntur. Nam quodcumque scriptis mandatum quo aliquid vel a Populo vel a Plebe juberetur, aut vetaretur legem appellabant, quod adeo receptum erat, ut (*a*) Cicero huic consuetudini obtemperandum necessario pronunciaverit. (*b*) *Et licet Atejus Capito, publici*, ut inquit Gellius, *privatique juris peritissimus* legem celebri hac definitione exposuisset: *lex est generale jussum Populi aut Plebis rogante Magistratu*, cujus definitionis vi, ut idem Gellius affirmat, nullæ justæ leges dici possent, quæ aut, exempli gratia, de Ciceronis reditu, aut de Cnei Pompeii Imperio, aut id genus aliis, quæ non in universum, sed de singulis aliquid statuant, hæc tamen licet verius privilegia dicenda essent, leges tamen appellari recepta consuetudine, & ab optimis auctoribus accepta ibidem tradit ac probat, nihil ambigens an leges dicendæ sint, quia a Plebe sunt scitæ, sed quia generalia jussa non sint. Nam Plebiscita legis nomine appellari etiam in jure receptum est. (*c*) *Lex enim Aquilia*, ut inquit Ulpianus, *Plebiscitum est, cum eam Aquilius Tribunus Plebis a Plebe rogaverit*. Et plurium hujusmodi Plebiscitorum, quæ legum nomine vocantur, occurrunt passim exempla.

Has igitur leges quæ omnia pene plebis populique decreta continent ad ærarium delatas fuisse perspicuum est, tum ex his, quæ infra afferam ubi de censoribus agam, tum ex celebri (*d*) Suetonii loco, qui in Cæsare hæc habet: *Acciderat autem ut is legem de jure Magistratuum ferens, eo capite quo a petitione honorum absentes summovebantur, ne Cæsarem quidem exciperet, per oblivionem, ac mox lege jam in æs incisa, & in ærarium condita corrigeret errorem*. Atque hæc omnia non minus egregie ex eodem in Vespesiano confirmantur: (*e*) *Ipse* Vespesianus *restitutionem Capitolii aggressus tabularum tria millia, quæ simul cum ipso conflagraverant restituenda suscepit undique investigatis exemplaribus Instrumentum Imperii pulcherrimum & vetustissimum confecit, quo continebantur pene ab exordio urbis Senatusconsulta, plebiscita de societate ac fœdere ac privilegio cuicumque concessis*. Hinc igitur constat & Senatusconsulta, & Plebiscita, & fœdera, & societates & privilegia simul in Capitolio collocata fuisse, nec alibi in Capitolio quam in ærario, ubi & SC. & Leges servatas jam abunde ostensum est.

Sed Magistratuum quos Plebs aut Populus creaverant nomina scriptis procul dubio mandata fuisse omnes qui scripserunt historias auctores sunt, Dictatores, Magistri equitum, Consules, Tribuni Militum cum consulari potestate Decemviri, Decemviri item legum scribendarum, & denique Censores, fastis inscribebantur, quod ex Fastis Capitolinis, & ex Verrii Flacci fragmentis videre licet: quæ cum inter Capitolii ruinas reperta sint satis indicant in Capitolio hæc Magistratuum nomina servari consuevisse. Antiquitus Magistratuum Libri in æde Monetæ repositi erant ut ex Licinio Macro (*f*) Livius non semel asserit. Moneta vero Junonis cognomen fuit cultæ a Romanis si (*g*) Suidæ credimus, quia Romanos contra Pir-

a *Cic. lib. 1. de Legibus.*
b *Atejus Capito ap. Gell. 10. c. 20.*
c *Ulpian. lib. 18. ad edictum L. p. ad L. Aquiliam.*
d *Suet. Cæs. 28.*
e *Suet. Vesp. 8.*
f *Liv. lib. 4.*
g *Suidas lib. 4.*

A rhum bellantes juvisset, si (*a*) Livio, quia eisdem contra Auruncos præliantibus auxilio fuerat, qua de causa illi ædes vota est a Lucio Furio Dictatore, ac sequenti anno dedicata Marcio Rutilio III. T. Manlio Torquato II. Coss. in ipsa arce, & in area ædium, quæ M. Manlii Capitolini fuerant, quorum ego, præter (*b*) Livium, (*c*) Plutarchum etiam auctorem habeo. Sed quemadmodum in Capitolinarum ædium aliqua servatos semper fuisse hos Libros pro certo habeo, ita ubinam postremis Reipublicæ temporibus fuerint incertum est.

Verum acta Populi ac Plebis, quæ monumenta, ac commentarios dixi, ad hæc decreta attinentia, B iisdem forte in locis ac tabulariis, ubi ipsa Decreta collocabantur, reponi consuevisse iisdem rationibus credo. Nisi forte ubi in campo comitia fierent, ad ædem Martis Commentarios reponere & forte legum etiam constitutiones, & Magistratuum creationis exemplaria consuevissent. Et Plebis præcipue tam scita quam Magistratus vel in aliqua ædium, quæ erant in Aventino, qui olim Plebi concessus fuerat; vel in æde Cereris, aut Liberi Patris aut Nympharum, quorum numinum præcipua apud Plebem Religio fuit. Nam Plebs, (*d*) cujus prima annonæ est cura, Deos illos, qui annonæ præsunt, præcipue coluit. Hinc, ut tradidi, C (*e*) SCta ad ædiles Plebis in ædem Cereris deferebantur. Et in lege de Tribunis lata Sp. Cassio, Posthumio Cominio Coss. hæc in eum, qui Tribunum Plebis violasset, (*f*) Dionysio teste habebantur. *Si quis contra hæc fecerit Sacer esto, bonaque ejus Cereri sacra sunto*. Et in alia lege Populari LIV. post annos lata, M. Horatio Barbato, L. Valeri Coss. cavebatur, auctore (*g*) Livio, ut si quis Plebis Magistratibus nocuisset, *Caput ejus Jovi sacrum esset, familia ad ædem Cereris liberi, liberæque venum iret*. De Nympharum æde his, quæ jam retuli, quædam ad hanc rem postea addam.

D

CAP. VII.

Principum Acta examinantur. Horum pleraque leges esse. Jurare in Acta Principum quid, unde ortum. Commentarii Principum Publici. Quædam etiam de Privatis. Principum plures per se ipsos jus redidisse.

Acta Principum eadem ratione distinguere possumus ut quædam Principum decreta, quædam monumenta vel Commentarii sint. Præcipuum inter primi generis acta locum sibi vindicant leges, vel quæ legis vigorem habeant. Nam, E ut inquit (*h*) Justinianus *quodcumque Imperator per Epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit legem esse constat*, quia vero quemadmodum tradidit (*i*) Cicero *in publicis actis nihil est lege gravius nec est aliquid quod tam proprie dici possit actum Principis quam lex*. Propterea omnia Decreta Principum, cujuscumque generis sint, leges esse censentur: Cum igitur, ut est apud (*k*) Tacitum, Tiberius *in acta sua jurari quanquam censente Senatu non permisit*. Et Nero Consul cum L. Antistio (*l*) *Cum in acta Principum jurarent Magistratus, in sua Acta collegam*

F

a *Liv. lib. 7.*
b *Liv. lib. 7. lib. 6.*
c *Plutarc. Cam.*
d *Tacit. lib. 1. Ann.*
e *Liv. lib. 3.*
f *Dionys. Hal. lib. 6.*
g *Liv. lib. 3.*
h *Justin. in instit. tit. 2. in fine.*
i *Cic. prima & secunda Philipp.*
k *Tacit. Ann. 1.*
l *Tacit. lib. 13.*

Antistium jurare prohibuit. Et cum Capito Cossutianus in nostrum Thraseam allatrabat: (*a*) *Ejusdem animi est Poppæam Divam non credere, & in Acta Divi Augusti, & Divi Julii non jurare*. Hæc omnia procul dubio de Principum decretis quibuslibet intelliguntur, quæ omnia robur legis habent. Mos vero jurandi in Principum acta a Triumviris processit, qui juraverunt, (*b*) teste Dione, & alios jurare compulerunt in omnia Julii Cæsaris acta, quo exemplo unusquisque postea Princeps in decessorum acta juravit, ac omnes ad jurandum in eadem adegit. Quæ omnia acta cum leges essent ad ærarium, cujus usus neque sub Principibus destitit, delata sunt.

Sed Principum Commentarii qui actorum publicorum nomen sibi vendicant duplices sunt, vel enim sunt judicialia monumenta eorum quæ *Imperatores cognoscentes*, hoc est jus per se reddentes, *decreverant*. Nam Julium Cæsarem, Augustum, Tiberium, Claudium, Trajanum, Domitianum, Marcum Philosophum, quosdam sæpe, assidue plures jus reddidisse, Suetonius, Dion, Spartianus, Capitolinus, Tacitus, aliique in eorum gestis scripserunt. Nec de his ubi reponerentur plura quæ scribam habeo quam quæ scripsi de aliis judicialibus monumentis. Commentarii vero Principis frequentius sunt libri, in quibus sine publicis solemnibus scribebant Principes, vel scribi jubebant quædam, quæ ex hoc dumtaxat quod ibi scripta essent rata intelligebantur. Quare (*c*) Modestinus *Tribunos militum, & præfectos & comites legatorum abesse Reipublicæ causa intelligi*, docet *tam si ad ærarium quam si in commentarium Principis relati sunt*. Ut mirum sit (*d*) Budæum virum doctissimum & eruditissimum ad illam legem existimasse, Commentarios privatam esse memoriam, cum privata memoria nihil juris publici cuiquam conferat, quod infra pluribus ostendam; hic unica auctoritate confirmo (*e*) Trajani ad Plinium: *Dedisse me jus trium liberorum Suetonio Tranquillo referri in Commentarios meos jussi*: quod nihil Suetonio addidisset dum privata solum memoria Commentarii hujusmodi intelligerentur. Commentarios quidem quosdam Principum ad solam memoriam conditos fuisse fateor, sed de his hic nobis sermo non est. Quia vero Commentariorum Principis nomine hæc frequentius monumenta intelliguntur, vix est ut credam acta judicialia Principum unquam Commentarios appellata. Quare apud (*f*) Suetonium acti Commentariis opponuntur, cum Domitianum, inquit, *Præter Commentarios & acta Tiberii Cæsaris, nihil lectitasse*. quanquam hic Commentarios Tiberii esse suspicer commentarium privatum, quem de vita sua Tiberium summatim breviterque composuisse idem (*g*) Suetonius tradidit in Tiberio. Cujusmodi & Actorum meminit (*h*) Tacitus in Historiis: *Signo*, inquit, *ultionis in accusatores dato, petit a Cæsare Junius Mauricus ut Commentariorum Principalium potestatem Senatui faceret per quos nosceret quem quisque accusandum poposcisset*.

a *Tacit. lib.* 16.
b *Dionys. lib.* 47.
c *Modestinus L. abesse* 32. *ff. ex quibus causis majores*.
d *Bud. d. L. abesse*.
e *lib.* 10. *epist.* 99.
f *Suet. Domit.* 20.
g *Suet. Tib.* 61.
h *Tacit. Hist.* 4.

CAP. VIII.

De Magistratuum Actis quædam. Accuratius de Tabulis Publicis. Has omnes ad Ærarium delatas. Publicum unde dictum. Proprie de Populo Romano, de aliis Populis abusive. Populi cum Poplicola. Tabulis publicis quid scriberetur. Censorum origo, & munera. Census origo. Numus Census sub Servio Tullo. Nativitates in Acta. Tiberii & Caligulæ cur dubiæ. Pecunia quid. Familia, Domicilia, Sartatecta, Vectigalia, Rationes Publicæ, Censorum Pascua. Matrimonia, Divortia, Repudia. Lex Julia, Lex Papia Poppæa. Legum Custodia, Morum Regimen, Censoria nota & Severitas. Recensus, Recensio.

Sed Magistratuum acta jam perpendamus. Decreta Magistratuum sunt, ut vidimus, leges, aut si quid legum nomine complectimur, edicta, sententiæ in quolibet judicio pronunciatæ. Leges in ærario recondi ostendimus, edicta & sententias ubi jus a quolibet reddebatur, vel judicia exercebantur. (*a*) Plurima edictorum genera apud JC. reperimus. Sed hic dixisse sufficiat hæc plerumque in Alba Tabula proponi solita ut civibus nota essent: eadem ratione qua leges in æneis tabulis figebantur ut diximus, vel etiam in æneis columnis ut apud veteres Auctores sæpissime videre est: (*b*) Sed horum edictorum exemplaria in monumentis descripta, in archiis cum cæteris actis reponebantur, ubi quisque jus dicere consueverat. Quæ ne eadem singulis capitibus repetam, de Magistratuum ac jusdicentium & decretis & commentariis dixisse satis sit, nam de his intelligendus est (*c*) Cicero aliique scriptores, dum Dictatorum, Consulum, Tribunorum, Prætorum, Judicum acta commemorant.

His generatim expositis, quæ ex superius allatis facile percipientur. De illis tamen actis quas publicas Tabulas appellant aliquid addere necesse est, cum Publicæ tabulæ præcipue id sint quod in Publicis tabulariis deponitur.

Publicas Tabulas hic intelligo, non illas dumtaxat quæ acta continent, publica auctoritate celebrata, & publica auctoritate conscripta, sed quæ insuper sint ad statum, ad jus, ad rem, ad dignitatem, ad utilitatem Publicam pertinentia. Publica autem dicta sunt quasi Populica, & quia Romanus Populus tum rerum potiebatur Publicum adeo de Populo Romano intelligebatur, ut civitates loco privatorum haberentur; quemadmodum (*d*) Cajus JC. aperte statuit. Et (*e*) Ulpianus Publicum jus definit *quod ad statum rei Romanæ spectat*. Pro subjecta tamen materia publicum & id quandoque intelligitur quod cujuscumque Populi est vel Regis, Principis, ordinis, qui in Populi jura successerint, quamvis hoc abusive tantum dici non proprie idem (*f*) Ulpianus alibi scripserit. *Sola enim*, inquit, *ea publica proprie sunt quæ Populi Romani sunt*. Hinc M. Valerius Publicola quasi Poplicola dictus est, & in vetustissimis fastis Capitolinis semper Poplicola scribitur. Et M. Valerius Corvinus apud (*g*) Livium huc respiciens ita milites alloquebatur: *Non si mihi novum hoc Corvini cognomen Diis auctoribus homi-*

a *Dionys. lib.* 5.
b *Dionys. lib.* 2. *& alii*.
c *Cicero, præsertim Philipp. prima & secunda*.
d *Cajus in L. Cum* 16. *de Ver. Sign.*
e *Ulp. in L. p. de inst. & jur. ex lib.* 1. *inst.*
f *Ulp. L. bona* 15. *de verb. sign. ex lib.* 10. *ad edictum*.
g *Liv. lib.* 7. *& idem lib.* 2. *de primo Poplicola*.

nes dedistis Publicolarum vetustum familiæ nostræ cognomen memoria excessit. Semper ego Plebem Romanam militiæ domique .... colo atque colui.

Quid vero publicis in his tabulis scriberetur unico fere (*a*) Cicerone duce exponere possumus ubi Censorum munera in libris de legibus expressit. Nam Censoribus ab ipsius Censuræ primordiis *scribarum ministerium custodiæque & tabularum cura & arbitrium formulæ censendi*, auctore (*b*) Livio præcipue inter alia quamplurima, *subjiciebantur*. Sed verba, quæ ad Censorum munera exponenda antiquarum legum formulis Cicero affert singillatim afferamus & perpendamus.

Primo igitur Censores, inquit, *Populi ævitates, soboles, familias, pecuniasque censento*. Census itaque præcipue publicis tabulis scribi & in ærario reponi consuevit, nam ad censum maxime & ærarium & tabularium instituta fuisse certum est. (*c*) Ætates autem & civium numerum ita antiquum censum institueret Servius Tullius exploravit. (*d*) Numum enim quendam a cognatis jurejurando adactis jussit inferri in ædem Junonis Lucinæ pro singulis qui nascerentur, & in ædem Veneris Libitinæ pro singulis qui morerentur, & in ædem Juventutis pro singulis qui inter viros referri inciperent. Hinc ætatum distinctio ex censu originem traxit Tabulæque publicæ primo per ætates Populum distribuebant (*e*) *ut eos qui arma ferre possent, præcipue noscerent.*

Soboles vero ita publicis tabulis inferebantur ut (*f*) Servius ad secundum Georg. tanquam præcipuum eorum quæ ad Saturni ærarium referrentur in acta, nativitates recenseat. Hujus moris meminit (*g*) JC. in l. Imperatores 29. de probationibus. Et (*h*) Capitolinus in Gordianis aperte astruit: *Filium*, inquit, *Gordianum nomine Antonini, & signo illustravit, cum apud Præfectum ærarii more Romano professus filium publicis actis nomen ejus insereret*. (*i*) Lipsius id confirmare nititur ex (*k*) Suetonio in Tiberio & Caligula ubi ex actis, horum refert nativitates. Sed ego ex his Suetonii locis ambigendi potius ansam invenio. Cur enim, si publica hæc Acta fidem faciunt tanta apud hunc auctorem, opinionum discordia de illorum Principum ortu, ut plerique contra hæc publica acta contenderent? (*l*) Sed Tiberius natus est in ipsis Rerum Romanarum tumultibus bello Philippensi vel urgenti, vel vix confecto, parentibus qui devictas partes secuti erant huc illuc vagantibus rerumque suarum incertis. Quare mirum non est illum statim publicis actis inscriptum non fuisse. Immo multos post annos etiam cum ille jam summæ fortunæ appropinquaret id peractum esse conjicio, quia in fastis etiam, nedum in publica acta hæc nativitas relata est. (*m*) In fastos vero Privatorum nativitates minime referri potuisse nemo ambiget qui sciat quid Fastorum nomine intelligatur, & quam breviter & concise fastis summorum Magistratuum nomina, & quidem solum celebres Reipublicæ eventus commemorarentur. Quare mirum non est contra hanc relationem multo post

a *Cic. 3. de Legibus.*
b *Liv. lib. 4.*
c *Plutar. in Rom. in Publicola, Serv. 2. Geor.*
d *Dionys. Hal. lib. 4.*
e *Ex Fabio Dictatore Liv. lib. 1.*
f *Serv. ad illud Virgilii:* Insanumque forum *&c.*
g *Scævola lib. 19. Digestorum, cujus dictum est in ff.* L. 29. *de Probat.*
h *Capitolinus in Gordd.*
i *Lipsius ad 1. Ann. Tacit.*
k *Suet. Tib. 5. Calig. 8.*
l *Suet. Tib. c. 4. & 6.*
m *Panut. in Præfat. & Comment. ad fastos Capitolinos. Antonius Fan. in Præfat. ad fastos Ovidii ex pluribus id probat.*

A tempore actam, alias conjecturas & auctoritates ibi perpendi. Sed Caligula ipse etiam extra urbem natus est (*a*) Suetonius qui actis credit Antii natum scribit, Lentulus Getulicus Tiburi, Plinius II. in Treveris. Seu igitur absentia ab actis seu summa fortuna minime legibus subdita hanc nativitatem serius in actis repositam, ideoque ambiguam reddiderunt. Hujus certe cunctationis incommodis itar novam M. Aurelius legem objecit, ut quemadmodum est apud eundem (*b*) Capitolinum *primus juberet apud Præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri intra tertium diem nomine imposito*

B Post sobolem *familiæ pecuniæque* civium apud Ciceronem sequuntur. (*c*) Nam *ut non viritim ut antea* rudi adhuc urbe, *sed pro habitu pecuniarum belli pacisque munia fierent census institutus est*: familiæ vero nomine hic servos intelligit, nam pro servorum numero qui usum Domini excederent portoria, & vectigalia pendebantur quod (*d*) Alphonsus Varus tradidit *lege censoria* jussum esse. Pecuniæ item nomine quicquid in bonis haberet quilibet significabatur, quod egregie docet his verbis (*e*) Hermogenianus JC. *Pecuniæ*, inquit, *nomine non solum numerata pecunia, sed etiam omnes res tam soli, quam mobiles, & tam corpora*
C *quam jura continentur*; quod etiam eodem titulo tradiderat (*f*) Ulpianus, quo refero illud quod pro Archia tradidit (*g*) Cicero. *Immo vero*, inquit, *domicilium iis tabulis est professus quæ solæ ex illa professione collegioque Prætorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem*. Profitebantur enim domicilium apud Prætores sed has postea tabulas ad Censores deferri consuevisse infra apparebit. (*h*) tum quia erant tabulæ a Magistratibus vel eorum auctoritate confectæ, tum quia his & cives ostendebantur, & eorum census.

Sed cum Cicerone Censorum munera persequa-
D mur. *Urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuento*. (*i*) Livius apertius, *ut sub ditione ejus Magistratibus publicorum jus, privatorumque locorum, vectigalia Populi Romani sub Nutu & arbitrio essent*.

Horum quæ dicit Cicero *Urbis templa, vias, aquas*; & Livius, loca publica & privata (privata vero hic considerantur in quantum publicis cohærent illisque aliqua ratione officere possint) Horum, inquam, omnium curam veteres *Sartorum tectorum curam* dixerunt, *Sarte*, inquit, *factus ponebant pro integre, ob quam causam Opera Publica quæ locantur ut integra præstentur Sarta tecta vocan-*
E *tur sarcire enim est integrum facere*. Id vero munus ad Censores præcipue pertinuit. (*k*) Livius noster: *Censorem, cui sarta tecta exigere Sacris publicis, & loca tuenda more majorum traditum esset* & (*l*) Asconius item noster aperte: *Harum rerum cura propria censoribus datur, idest sartorum tectorum*.

Pergit Cicero *Ærarium & Vectigalia tuento*. Ærarium & præcipua cura & præcipua sedes censorum fuit, quare Censura abituri ad ærarium ascendebant Censores, ibique ærarium una cum Magistratu relinquebant, & resignabant.

F
a *Sueton. Calig. 8.*
b *Capitolin. in M. Anto.*
c *Liv. lib. 1.*
d *Alph. Var. in L. in Lege Censoria 203. de verb. significatione.*
e *Hermog. L Pecuniæ 222. de verb. signif.*
f *Ulp. in* L. 178. *et.*
g *Cic. pro Archia Poeta.*
h *Cic. pro Archia.*
i *Liv. lib. 4.*
k *Liv. lib. 42.*
l *Ascon. 3. Verr.*

Quare (*a*) Livius de C. Claudio & M. Livio Censoribus: *Exitu*, inquit, *Censuræ, cum in leges jurasset C. Claudius, & in ærarium ascendisset, inter nomina eorum quos ærarios relinquebat dedit Collegæ nomen. Deinde M. Livius in ærarium venit, & præter Tribum Metiam .... Populum Romanum omnem quattuor & triginta Tribus ærarios reliquit.* Ærarii nomine, & Tabularium & Publicas Tabulas Ciceronem complecti necesse est, (*b*) alioqui quod primum instituendæ Censuræ propositum fuit, a Cicerone esset prætermissum. Sed cum Tabularium pars quædam ærarii esset, de ærario quod Tabularium ut partem continebat dicere satis habuit.

Et quia ærarium illud intelligitur quo pecuniæ publicæ inferuntur, & reponuntur, ac unde ad publicos usus depromuntur, Rationes publicæ & Tabulæ publicæ harum rationum ærario affines in ipso reponebantur. Hæ vero erant Tabulæ accepti & expensi. (*c*) Asconius *Quæstores*, inquit, *Urbani ærarium curabant, ejusque pecunias expensas & acceptas in Tabulas publicas referre consueverant.* Sed qua ratione quæstores qua censores ærarium curarent, infra. Rationes vero, etiam a Magistratibus ad ærarium ferebantur, etiam eorum quæ ex ipso ærario vere non habuerant, nisi ex quadam fictione. (*d*) Cicero de *Verre: rationes ad ærarium antequam Dolabella condemnatus est non audet referre. Impetrat a Senatu ut dies sibi prorogetur, quod Tabulas suas ab Accusatoribus Dolabellæ obsignatas diceret*: & statim subdit: *Solus est hic qui nunquam rationes ad ærarium referat*. Sed Provinciarum Magistratibus Lege Julia, ut alibi. (*e*) Cicero: *Relinquere rationes in provincia necesse erat, easque totidem verbis referre ad ærarium Romam.* His rationum tabulis referebantur etiam beneficia vel virtutis gratia militibus concessa, vel a civibus ex hæreditatibus ærario publico assignata. Nam Ciceronis (*f*) Interpretes dissident. (*g*) Cicero de Archia: *in beneficiis ad ærarium delatus est a L. Lucullo Prætore & Consule.*

Mox (*h*) Cicero Censoribus curam imponit ut *vectigalia tueantur*, qui eandem curam etiam alibi Censoribus tribuit: *Veneat*, inquit Rullus, *Sylva Scantia. Utrum tandem hanc sylvam in relictis possessionibus an in Censorum pascuis invenisti?* Censorum autem Pascua vectigalia sunt; quare idem subdit in eundem Rullum: *Siquid est quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris; quanquam iniquum est, tamen consume sane, quoniam quidem tu attulisti. Sylvam vero tu Scantiam vendas? tu ullum Vectigal attingas?* Apertius (*i*) Plinius: *Etiam nunc*, inquit, *in Tabulis Censoriis, Pascua dicuntur omnia, ex quibus Populus reditus habet, quia diu id solum vectigal fuerat.*

Alia Censoribus assignans munera Cicero subdit: *Populique partes in Tribus distribuunto, exin pecunias, ævitates, ordines, partiunto, equitum, peditumque prolem describunto.* Nemo est qui nesciat tres primo Tribus Romæ fuisse. Postea tribuum numerum ad quatuor super triginta ascendisse. Atque hanc distributionem primo a Censoribus fieri consuevisse: mox singulos in suos ordines ex censu partiebantur, & ætatis insuper habita ratione singulis sua munera assignabant, in equites peditesque conscribebant & singulis pecuniam quam vel persolverent ærario, vel ex ærario exigerent ascribebant: quæ omnia cum ex Livio, Dionysio, Plutarcho, Valerio Maximo, Floro aliisque passim videre contingat, hic exemplis aut auctoritatibus comprobare, nugari verius videri posset.

Sequitur (*a*) Cicero: *Cœlibes esse prohibento*: id etiam antiquum Censorum munus, nam ab anno usque urbis 351. M. Posthumius Regillensis Albinus, & M. Furius Camillus Censores, ut tradit (*b*) Valerius Maximus, in quosdam pœnas inflixerunt, quia cœlibes senuissent. Hac de causa in publica acta Matrimonia referebant tum ut has pœnas effugerent, tum ut præmia Maritis Patribusque proposita consequerentur. Quæ persequitur late Lipsius ad tertium Ann. Taciti ubi capita Legum Juliæ & Papiæ Poppææ de his pœnis præmiisque statuentium luculenter exponit. Et de his actis intellexit Satyricus, cum detestanda quædam, ac ideo clandestina Matrimonia exagitans tandem exclamat:

(*c*) *Fient ista palam, cupient & in acta referri.*

Nec Matrimonia solum, sed divortia & repudia in acta referebantur (*d*). Suetonius in Caligula: *Quibusdam ex illustrioribus fœminis absentium maritorum nomine ipse* Caligula *repudium misit jussitque in acta referri.* Nam lege Julia tam vidui quam disparati iterum ad matrimonia compellebantur, brevi unius anni a viduitate, sex mensium a divortio vix vacatione permissa. Lex autem Papia Poppæa clementior biennium a morte annum unum & menses sex a divortio intervalli indulsit. Quorum testimonia a Lipsio ibidem petenda non repeto. Sed omnes hæ tabulæ, publicæ etiam dicebantur, quia publicam utilitatem respiciebant. Quare (*e*) Terentius *JC. legem*, inquit, *utilem Reipublicæ Sobolis procreandæ causa latam adjuvandam interpretatione.*

Sed Cicero pluribus interpositis, quæ ad alios Magistratus pertinent, his verbis concludit: *Censores fide legem custodiunto, Privati ad eos acta referunto, nec eo magis lege liberi sunto.* Leges a Censoribus custodiri solitas (*f*) idem ipse explicat, ita ut & litteras legum & facta hominum iidem censores observarent & revocarent ad legum normam. Quod vero subdit de Magistratibus, ut cum se Magistratu abdicaverint & privati facti sint, acta ad Censores referant, ita etiam explicari potest, ut non solum perjudicent Censores de iis, quæ singuli in Magistratu egissent, integra tamen lege servata judicio, si quis accusator accedat; sed ut etiam acta publica publicis litteris in quolibet Magistratu mandata post Magistratum ad Censores in ærario servanda referantur.

Hæc itaque omnia ad Censorum munus attinentia cum publicam utilitatem, dignitatem, publicum statum, publica jura, publicas rationes contineant, ideo publicas tabulas constituunt, & in publico Tabulario, quod ad ærarium Saturni erat, hac de causa recondebatur.

Idem de Censorum decretis ad mores Populi attinentibus dicendum est, quæ expressa sunt a Ci-

a *Liv. lib.* 29.
b *Liv. lib.* 4.
c *Ascon. initio tertiæ Verrinæ.*
d *Cicero Verrina* 3.
e *Cic. Epist. lib.* 5. *Epist.* 18.
f *Interpretes Cicer. in Orat. pro Archia.*
g *Cicero dicta Oratione.*
h *Cicero circa Rullum.*
i *Plinius lib.* 18. *c.* 3.

a *Fragmenta Fastorum Capitolinorum & ibi opt. Panv.*
b *Valer. Max. lib.* 2. *c.* 4.
c *Juven. Sat.*
d *Suet. Calig. c.* 36.
e *Terentius JC. L. Hoc modo* 63. *de conditionibus & demonstrationibus.*
f *Cicero ad finem* 3. *de Legibus.*

cerone illis verbis: *Mores Populi regunto, Probrum in Senatu ne relinquunto*: in quibus tanquam notissimæ significationis hærendum minime existimo. (*a*) Nihil enim celebrius est auctoritate, sententiisque censorum, nihil frequentius, nihil vulgatius, adeo ut & *nota* & *severitas* Censoria pene in proverbium abierit, cujus frequentissima apud Romanos historicos exempla hic congerere puerilis pene laboris esset. Hujusmodi animadversionum tabulas, & publicas Tabulas dictas, & ad ærarium delatas fuisse eadem ratione pro certo habendum est. Nam quæ ad Censorum munus præcipue spectant, præcipue ubi Censorum acta reponuntur, reposita fuisse perspicuum est.

His tamen obsistere videtur (*b*) Cicero dum pro Milone de Clodio loquens: *qui ædem*, inquit, *Nympharum incendit, ut memoriam publicam recensionis, Tabulis Publicis impressam extingueret*. Hic enim non solum Publicas Tabulas, sed etiam censum ad ædem Nympharum delatum ostendit. Recensionem enim censum esse, (*c*) idem de eodem incendio sermonem habens alibi explicat: *qui ædes sacras, qui censum Populi Romani, qui memoriam publicam suis manibus incendit*. Sed Cicero id sibi noluit. Recensionem enim censum non intelligit, sed recensum. In Oratione vero pro Cœlio census vocabulum tanquam affine usurpavit ad crimen augendum & figura usus est qua genus pro specie sumitur ut crimen latius patere videatur. Recensus vero, ut eruditissime ostendit (*d*) Lipsius, brevis quædam disquisitio, & examen erat in eos, qui jure aut injuria publicum frumentum acciperent. (*e*) Suetonius narrans non amplificans & proprio suo more loquutus & recensionem & recensum id esse ostendit: *Recensum Populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per Dominos Insularum egit, atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne qui novi cœtus recensionis causa moveri quandoque possent, instituit quotannis in demortuorum locum ex his qui recensiti non essent subsortitio a Prætore fieret*. Recensu igitur & recensione quidam & plurimi a frumentationis beneficio excludebantur. Atque id in causa fuit cur Clodius audacissime popularis ædem Nympharum & Recensionem incenderit. Tulerat enim legem (*f*) Asconio teste Reipublicæ perniciosam, sed maxime Popularem, *ut frumentum Populo, quod antea semisse æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur*. Quæ lex omnes frumentarias leges largitione superavit. Conjicio itaque hoc incendium ab illo excitatum, ut omne civium discrimen aboleret universumque Populum hujus profusionis participem redderet. Recensio igitur a censu distinguitur quia dumtaxat circa rem frumentariam versabatur ut quilibet pro rei familiaris angustiis a publicis horreis frumentum acciperet. (*g*) Quare id ad rem annonariam proxime spectans ad Ædiles, ad Præfectos, ad Curatores annonæ proxime pertinebat, non autem ad Censores nisi remote. Ad ærarium enim & ad Censores in Magistratus exitu & ædiles & præfectos & curatores annonæ, omnes tabulas, omnes rationes detulisse, ex his quæ diximus ambigendum non est.

a *De his vide Livium lib. 4. & deinceps passim Plutar. in Æmilio & in Catone. Val. Max. lib. 2. c. 9. Asconium in Divinat.*
b *Cic. Orat. pro Milone.*
c *Idem Orat. pro M. Cœlio.*
d *Livius lib. 1. Elect. cap. 8.*
e *Suet. Cæs. cap. 41.*
f *Asconius in Cic. Orat. contra Pisonem.*
g *Liv. lib. 33. Dionys. lib. 43. & 54. Sueton. August. 37. Tacitus sæpissime. & alii.*

CAP. IX.

Alterum Actorum genus definitum. Monumenta, ὑπομνήματα, Tabellionum auctoritas recentior. Memorabilia, in acta relata ad Ærarium. Publica Persona, Manus Publica. Perscribere. Libellus, Chirographus. Commentariolus.

SEd jam acta definiamus & examinemus, quæ ideo publica sunt, quia sunt publica auctoritate conscripta, vel inter publica scripta redacta, licet origine a privatis etiam Personis procedant & a privata auctoritate. Actorum in hanc sententiam nunc nomen frequentius receptum est, quæ hac ratione describi possunt. *Acta sunt monumenta eorum, quæ vel a personis tam privatis quam publicis gesta sunt vel quacunque ratione evenerunt, ita per publicam personam perscripta, ut perpetuæ fidei robur accipiant.*

Acta hæc primo sunt *monumenta* quia res ipsæ quæ sunt gestæ, vel evenerunt acta non sunt sed earum commemoratio publicis scriptis mandata. Et quemadmodum acta illa, quæ proxime explicavimus, quia natura & origine publica sunt acta publica aliqua ratione dici possunt etiam prout res, & prout gesta sunt, licet in præsentem sententiam ideo dumtaxat dicuntur acta, quia sunt conscripta. Ita hæc quæ nulla ratione acta aut publica dicuntur, nisi prout sunt scripta, fortius monumenta sunt appellanda. (*a*) Propterea & Jurisconsulti & (*b*) Imperator hæc acta ὑπομνήματα Græce dixerunt; non enim, ut existimavit (*c*) Lipsius, peculiare fuit actorum Senatus aut Populi, quæ Latini Commentarios dixere, ut ὑπομνήματα dicerentur, sed omnia acta etiam judicialia ὑπομνήματα allatis locis appellantur: ὑπόμνημα vero illud est, quod alicujus reminisci facit, aut memoriam revocat, quo vocabulo usus etiam in hanc sententiam est (*d*) Appianus ὑπομνήματα τῶν Καίσαρι βεβουλευμένων, καὶ πεπραγμένων: Acta eorum quæ decreverat Cæsar aut fecerat. Hic enim acta monumenta aperte sunt non res gestæ.

Subdidi *eorum*, quæ a Personis tam privatis quam publicis gesta sunt. Nam non solum receptum fuit præsertim apud Jurisconsultos ut acta appellarentur quæcumque apud jusdicentem gesta sub ejus nomine scriptis mandata essent, ut (*e*) Imperator, Jurisconsulti & Doctores passim ostendunt; sed acta publica etiam appellata sunt quæcumque a privatis & inter privatos gesta essent, dummodo inter acta judicum aut magistratuum insinuata publicarentur: quod sæpissime (*f*) Imperatores decernunt & testantur. Quæ nisi peracta essent, omnia privatorum acta etiam per publicum scribam, seu tabellionem confecta, & a testibus obsignata mortuo tabellione & testibus omni fide destituebantur quod aperte tradit Imperator in §. *si vero moriantur authentic. de instrumentorum cautela & fide*. Sed coram judice & in ejus actis publicata mortuo etiam judice fidem perpetuam faciebant ut deciditur in allegata Lege ult. C. de re judicata. Non enim publica hæc auctori-

a *Modestinus in L. εἰδέναι 13. ff. de excusat. tut.*
b *Imperator in novellis sæpissime.*
c *Lipsius ad 5. ann. Tac.*
d *Appian. lib. 3. Civ.*
e *Imper. & D. D. §. ult. Instit. de Adopt. §. Instit. de Donat. L. 2. C. de edendo. Paul. in L. Acta 45. & in L. seq. de Re Jud.*
f *Justin. in L. p. §. humilique modo si Dominus C. de latina libertate tollenda. Honorius & Theodosius in L. ult. C. de Re Jud. Alex. lib. 2. C. de Testam. Arcad. & Hon. L. 18. Honor. & Theod. L. 19. C. eodem, & alibi frequentissime.*

A tas tunc tabellionibus concessa erat, ut eorum fidei universa hæc actorum moles committeretur & crederetur. Quæ auctoritas quo tempore exordium sumpserit, adhuc non vidi. Obscura quædam initia forsan sunt apud (*a*) Cassiodorum lib. 12. Variarum, & quædam lib. 1. item Variarum tangit (*b*) Pancirolus. Hæc tamen probatur sæpissime in (*c*) Jure Canonico & illam tam Pontificum, quam Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, qui Regia, ac summa Potestatis plenitudine funguntur, Privilegia quotidie actuariis & tabellionibus concedunt.

Nec tantum publica acta conficiebantur eorum, B quæ homines invicem gesserant, aut de suis bonis statuerant; sed quarundam etiam quæ quacumque ratione evenissent, dummodo vel ingentia essent, vel quavis de causa admiranda. Hinc in acta relatum affert (*d*) Tacitus Amphitheatrum quod Nero extruxerat: (*e*) Plinius insignem canis cujusdam fidem in Dominum interfectum; (*f*) Pseudophœnicem Censore Claudio Romam allatum; & (*g*) alibi: *Invenitur*, inquit, *in actis, Felice Russato auriga elato unum e faventibus in rogum ejus jecisse sese*. Huc conjicit (*h*) Tertullianus solis defectus, ac hujusmodi sexcenta quæ C ut a Scribis Publicis conscripta fuisse certum est, ita ubi asservarentur ambigi potest. In ærario tamen servata fuisse admonet Plinius ubi de falso Phœnice loquitur. *Allatus est & in urbem Claudii Principis censura anno Urbis DCCC. quod actis testatum est, sed quem falsum esse nemo dubitaret*. Cur enim *Claudii censura*, inquit, *non Principatu?* Principatus certe Augustior & censuram omnesque continet Magistratus. Tempus per annum Urbis præfixit, quod si satis non erat Consules potius addere expediebat A. Vitellium, L. Vipsanium, (*i*) quam hanc censuram, quæ licet hoc anno gesta, annum tamen signare censuris minime receptum est. Ideo igitur Censuram D Claudii refert, quia hæc acta ad Censores pertinebant, & hinc ad ærarium ferebantur. Confirmatur ex (*k*) Livio qui *scribarum ministerium Censori subjicit*. Si quod vero ministerium scribarum Censoribus proxime subesse debebat, hoc omnium maxime, quod ad nullos alios Magistratus aut jusdicentes pertinuisse perspicuum est.

Pergit actorum descriptio ita per publicam personam perscripta. (*l*) Nam persona publica perscribere hæc acta debuit. (*m*) Perscribere vero est in Tabulas publicas & in acta referre: (*n*) non enim necesse est, ut acta manu publica scripta sint, E sed satis est si publica manu, (*o*) ut SS. Pontifices in decretalibus loquuntur, sint perscripta, quod præsertim in testamentis usurpare notissimi juris est.

Adjeci denique *ita ut perpetuæ fidei robur accipiant*, ut alia quæ in tabellionibus aliisque inferioribus requiruntur solemnia includerentur (*p*) nimirum testium aut eorum si quæ alia requiruntur; etiam ut in summis Principibus, qui legum saltem solemnibus sunt soluti, constet omnino ea mente (*a*) illos aliquid in suis Commentariis perscripsisse, ut illud publicum redderent, & illi hoc perpetuæ fidei robur tribuerent. (*b*) *Hinc Cicero in Actis Cæsaris non numerabat, quæ in libellum, chirographum, aut commentariolum retulerat memoriæ causa*. Et Summus Pontifex, *Instrumenta*, inquit, *a Tabellione redacta in nota, eo defuncto antequam illa perfecisset perpetuam firmitatem non habent, nisi ab alio Tabellione auctoritate Judicis ordinarii in publicam formam redigantur*. Quia nimirum in Cæsaris libellis intentio, in hujus Tabellionis instrumentis solemnia requisita desiderabantur. Atque hæc de publicis Tabulis dicta sufficiunt. Nunc privatas breviter exponamus.

CAP. X.

Tabularum Privatarum brevis explicatio.

PUblicis tabulis descriptis, privatas nullo negotio percipiemus. Nam Privatæ Tabulæ sunt, quæ Publicæ dici non possunt.

Privatæ itaque Tabulæ erunt Commentarii, Libelli, Chirographi Principum, memoriæ dumtaxat, aut alia qualibet de causa conscripti, qui ut actorum illis vim tribuant, idem de aliarum etiam publicam auctoritatem obtinentium Personarum tabulis dicendum est, quæ aut hac mente non sint conscriptæ, aut necessariis juris solemnibus destituantur. Privatorum autem Tabulæ vel quælibet ab illis in proprias rationes relatæ procul dubio privata sunt; quæ omnia cum per se sint perspicua, his diutius immorari operæ pretium non est.

CAP. XI.

In Tabulariis Publicis, Tabulæ tum Publicæ, tum Privatæ. In Sacris tum Sacræ tum Profanæ. Pacis Triumvirum cum Sex. Pompejo. Tabulæ in æde Vestæ. Ibidem testamenta, ac ad alias ædes Sacras. Virgo maxima Fordicidia.

TAbularia alia publica, alia privata esse jam ostendi. In Publicis Tabulariis, ut vidimus, omnia decreta, omnia monumenta, omnes Tabulæ Publicæ reponuntur, ac omnes præterea Tabulæ, omnia scripta quamvis privata quæ servari interest ob publicam utilitatem, dignitatem, tranquillitatem, vel Principis, vel Urbis, vel Civium tam proximam quam remotam, licet proximam singulorum potius quam omnium utilitatem respicere viderentur. Quare in publicis Tabulariis recte deponentur privati Principum Commentarii vel ab ipsis vel ab aliis eorum jussu conscripti, ac omnia præterea quæ a quocumque privato quacumque ratione scripta sunt, ut ipsum Principem vel alios Rempublicam administrantes moneant, instruant, memores reddant, licet ita conscripta sint, ut nullam fidem facere possint. Sive hæc ad earum rerum guber- F nationem spectent, quæ Publicæ Principis sunt, sive ad earum quæ ejusdem Privatæ dicuntur, (*c*) de quibus plura apud Jurisconsultos, Imperatores & Doctores cernere est.

Præterea singulorum & Civium contractus,

a *Cassiod. lib. Variarum 12. Epist. 21.*
b *Pancir. lib. 1. Variarum c. 26.*
c *Jus Canonicum præsertim in c. 1. & 2. de fide Instrum.*
d *Tac. lib. 13.*
e *Plin. lib. 8. c. 40.*
f *Plin. lib. 10. c. 2.*
g *Idem lib. 7. c. 13.*
h *Tertull. in Apolog. c. 21.*
i *Sueto. in Vitellio & Claudio. Tacit. lib. 11. Solinus cap. 48.*
k *Liv. lib. 4.*
l *L. 3. C. de Tabulariis &c.*
m *Bud. in L. Herennius ad Municip.*
n *Imp. sæpius & præsertim non semel in auth. de Instr. caut. & fide.*
o *In c. 2. de fide Instrum.*
p *de quib. d. auth. de Instrum. caut. & fide: & alibi sæpissime.*

a *L. 3. C. de Testam.*
b *Cic. prima Philipp.*
c *Ulp. in L. 2. §. hoc interdictum. ff. ne quid in loco vel itinere publico Imperatores L. p. C. tit. 32. 33. 34. ubi plura Cujacius.*

contro-

controverſiarumque acta, & tabulæ, teſtamenta inſuper & ſi quæ ſunt talia in Publicis Tabulariis collocata fuiſſe ex his quæ diximus ſatis apparet. Nullum enim diſcrimen actorum quæ erant conſervanda ſervatum fuiſſe conſtat dummodo in loco publico & tuto reponerentur, quare nedum privata, apud loca & perſonas publicas. Sed profana apud Sacras depoſita non ſemel legimus, & in æde præcipuæ Veſtæ ac apud Veſtales. Nam apud ipſas Antonium Teſtamentum ſuum depoſuiſſe ex (*a*) Plutarcho, quemadmodum etiam Auguſtum ex Tacito diſcimus. Sed ante hos Julius Cæſar teſte (*b*) Sueton. Suum etiam *Virgini Veſtali Maximæ demandavit*. Erat autem Virgo maxima, quæ aliis præerat, præerat vero ætate vetuſtiſſima. Quare quam (*c*) Suetonius maximam appellare conſuevit, (*d*) Tacitus Virginum Veſtalium vetuſtiſſimam dixit. Vetuſtiſſimam vero aliis præfuiſſe conſpicimus ex (*e*) Ovidio, ubi non quælibet Veſtalis Virgo, sed Vetuſtiſſima in Fordicidiis vitulos Telluri ſacrificat,

Igne cremat vitulos, quæ natu Maxima Virgo.

Pacis etiam tabulas firmatæ a Triumviris cum Sex. Pompejo miſſas Romam ad Virgines Veſtales, & in earum templo depoſitas auctor eſt (*f*) Dio. Sed teſtamentorum tabulas æque publicis ſacriſque Perſonis ſervandas tradi conſueviſſe, autor eſt (*g*) Ulpianus. Quæ omnia hic congeſſi ut oſtenderem non ratione actorum aut tabularum quæ Archiorum materia ſunt, ſed ratione eorum, quæ ad formam ſpectant, Archia invicem diſtingui. Nam in privatis etiam Tabulariis publica acta frequentius deponi ſtatim videbimus.

CAP. XII.

In Privatis Tabulariis Tabulæ tum Privatæ tum Publicæ. Quædam de utriſque. Domeſticæ Tabulæ, Codices, Rationes, Paginæ. Earum nomina, ſeu capita. Item genera, Diarium, Diurnum, Ephemeris, Epinyctis, Calendarium, Adverſaria. Codex.

IN Privatis Tabulariis ea præcipue reponuntur quæ ſpectant ad privatam utilitatem vel dignitatem. (*h*) Paulus in Privato Tabulario hæc reponit. *In fundo*, inquit, *uno ex his qui prælegati ſunt Tabularium eſt, in quo ſunt & complurium mancipiorum emptiones, ſed & fundorum & variorum contractuum inſtrumenta, præterea & nomina debitorum.* (*i*) Plinius vero de Privatis Tablinis ita loquitur: *Tablina Codicibus implebantur & monumentis rerum in Magiſtratu geſtarum.* Debitorum nomina procul dubio privata ſunt. Emptiones, & inſtrumenta contractuum pro temporum moribus tum privata, tum publica poſſunt intelligi. Monumenta rerum in Magiſtratu geſtarum publica eſſe nemo dubitat. Sed ratio cur Privati Tabularia habere debeant, & ipſa rerum Magiſtra experientia nos inſtruit, Privata tabularia publicis potius actis referta ſemper conſpici quam Tabulis privatis. Parum enim ad familiarum dignitatem aut utilitatem privatæ Tabulæ conferunt, quæ cum nullam faciant fidem aut pene nullam;

a *Plut. in Ant. Tacit. lib.* 1. *ann.*
b *Suet. in Cæſ. cap.* 83.
c *Suet. ibi, & in Domit. cap.* 7.
d *Tacit. lib.* 11.
e *Ovid.* 4. *Faſtor.*
f *Dio Lib.* 48.
g *Ulp. L. locum habet* 3. *de Tabulis exhibendis.*
h *Paulus in L. ſi mihi Mœvia* 92. *de Legat. lib.* 3.
i *Plin. lib.* 35. *cap.* 2.

A non his opum augendarum ſpem alimus, non his res noſtras tuendi, non majorum decora, honores, præmia, virtutes, opes oſtentamus. Quare in Tabulariis Privatorum plerumque ſervantur Majorum teſtamenta, legatorum, aut fideicommiſſorum tabulæ, prout acquiſitionum permutationum omniumque contractuum: proceſſus inſuper quos vocant judiciales, in forenſibus controverſiis agitati, Judicum ſententiæ, tranſactiones, atque alia hujuſmodi, quæ ad opes tuendas pertinent vel acquirendas. Ac præterea monumenta ſi quæ adſint eorum quæ a nobis, vel a noſtris Majoribus utiliter in publicis muneribus domi aut militiæ ſint geſta, vel quæ a Magiſtratibus, a Belli B Ducibus, a Principibus virtutis gratia aut honoris, aut emolumenti, Majoribus noſtris aut nobis collata ſint. Atque ad hæc præcipue capita referri exiſtimo quicquid publici privata Tabularia recipiunt, quibus reſpondentia procul dubio antiquos collocaſſe licet ex auctoribus in re, de qua nihil pene ſcriptum ſit, non acceperimus; pro certo habere tamen debemus quæ Plinius indicat, ubi *impleviſſe illos Tablina dicit monumentis rerum in Magiſtratu geſtarum*, quibus honores omnes publice acquiſiti aut continentur aut ſunt affines.

C Sed inter privata ſcripta, prout noſtris etiam moribus congruit, ita apud antiquos præcipuum locum ſibi vendicabant Tabulæ, quas accepti & expenſi, aut domeſticas, aut codicem, aut rationes vocabant, ut paſſim (*a*) apud Ciceronem, Plautum, Plinium, & alios obvium eſt, quas ita nobis exponit noſter (*b*) Aſconius: *Moris*, inquit, *fuit unumquemque domeſticam rationem ſibi totius vitæ ſuæ per dies ſingulos ſcribere, in quo appareret quid quiſque de redditibus ſuis, quid de arte, fœnere lucrove ſepoſuiſſet quo die, & quid item ſumptus damnive feciſſet. Sed poſtquam aſſignandis litteris reorum ex ſuis quiſque Tabulis damnari* D *cepit ad noſtram memoriam tota hæc vetus conſuetudo ceſſavit.* Hæc Aſconius. Alia harum Tabularum nomina, alias appellationes refert (*c*) Budæus in ſuis Annotationibus ad Pandectas. Nomina ſeu capita ſunt Artificii, Negociationum, Fœneris, Adventitiorum, ut Legatorum, & hæreditatum, & ſimilium, quibus addamus ex (*d*) Suetonio Donationes, Manumiſſiones, Peculium: *Nec quicquam*, inquit de Tiberio, *poſt hanc adoptionem pro Patre familias egit; nam neque donavit, neque manumiſit, nec hæreditatem quidem aut legata percepit ulla aliter quam ut peculio* E *referret accepta.* Appellationes, quas Budæus ex Veterum ſcriptis addit, harum Tabularum, ſeu verius earum dicamus genera ſunt Diarium, Diurnum, Ephemeris, Epinyctis, Calendarium, Adverſaria, Codex, quæ quiſque apud ipſum videat. Hic ego unicum (*e*) Plinium afferam qui quemadmodum (*f*) Cicero has accepti, & expenſi Codicem ſic Accepti, & Expenſi paginas dicit: *Locis*, inquit, *omnibus, omnibus horis, Fortuna ſola invocatur, una nominatur, una agitur, una cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conviciis colitur. Huic omnia expenſa huic omnia feruntur accepta. Et in tota Ratione Mortalium ſo-* F *la utramque Paginam facit.*

a *Cic. pro Roſcio Com. & Verr.* 3. *& A. Ceci. Plaut. in Moſt. Plin. infra afferendus.*
b *Aſcon. Verr.* 3.
c *Bud. in L. tali ſtipulatione §. Socer, de jure dotium.*
d *Suet. Tib.* 15.
e *Plin. lib.* 2. *cap.* 7.
f *Cic. pro Roſcio Com.*

CAP. XIII.

Materia in qua vicissim scriptum. Folia & Libri Arborum. Plumbea & lintea Volumina. Lignum, Smilax, Ebur, Cera illita. Tabulæ. Codicilli. Pugillares. Stilus. Dypticha. Dyptichia. Chartæ ex papyro. Augusta, Livia, Hieratica, Fannia, Amphitheatrica, Saitica, Teniotica, Emporetica. Membranæ, Pergamenæ. Jovis Dipthera, Proverbium. Longobardi in quo scripserint. Nostræ Chartæ origo incerta, & auctor. Romanis insuper Tabulæ æneæ, marmoreæ, argenteæ, aureæ.

AD omnia explicanda quæ ad Tabulariorum materiam attinent, dicendum superesset ex quanam materia conficerentur hæ tabulæ, in quibus hæc acta, hæc monumenta perscribebantur. (*a*) Ulpianus *Tabulas recte dici*, ait, *sive sint ligneæ, sive cujuscumque alterius materiæ, sive chartæ, sive membranæ sint, vel si corium alicujus animalis*, uno verbo, *omnem materiæ figuram*. In quacunque igitur materia sit scriptum Tabulæ erunt. Sed multiplicem hanc materiam ego hic non explico latius, ne actum agam. Nihil enim pene addi posset his quæ eruditissimus(*b*)Pancir.ad hoc congessit ex Scriptoribus Sacris, Profanis, Græcis, Latinis, Barbaris, Antiquis, Mediis. Quæ ab ipso petenda & testimoniis ab eo productis confirmanda, cursim hic ego dumtaxat referam. Antiquissimos mortalium arborum,ac præcipue palmarum foliis scripsisse (*c*) constat. Deinde quarundam arborum libris, postea plumbeis, mox linteis voluminibus, donec tabulas cera illitas invenerunt: quarum diuturnus fuit usus, (*d*) & ante Trojana tempora cognitus. Hæ tabulæ (*e*) tenuiter sectæ erant geminatæque semper jungebantur, & simul adversæ colligabantur: qua de causa plurium semper numero cum earum synonimis proferuntur, Tabulæ, Codicilli. Pugillares,Pugillares,alii a pugno, ipse Pancirolus a pungendo deducit quod stylo ferreo pungerentur. (*f*) Stylus qua parte pungendo scribebat acutus erat,altera ad scripta delenda in latum exibat. Codicilli a Codice per diminutionem dicti, (*g*) codex lignum est sub cortice quod etiam caudex appellatur. Erant autem omnes hæ tabellæ, (*h*) nobiliores quidem eburneæ, aliæ ex ligno & præcipuæ ex smilace: quæ ideo quia geminatæ erant, & bipatentes, ut ait (*i*) Ausonius, (*k*) diptycha etiam & diptychia apud medios scriptores appellata sunt. (*l*) Sed in Ægypto a Macedonibus subacta, postea inventa papyrus est, genus fruticis, junco similis, ex cujus scissi pertenuibus philyris acuque divisis, charta fieri cepit nomen sortita a Charta civitate ubi ejus usus primo est inventus, quæ prope Tyrum sita est.(*m*) Charta ex interiore papyri phylira pretiosior erat reliquarum, quo magis a medio abe-

a *Ulp. in l. 1. de bonorum Possessione secundum Tab.*
b *Pancirol. lib. 1. Var. c. 28.*
c *Virgil. Ænead. 3. & 6. Plin. lib. 13. cap. 11.*
d *Homer. Iliad. 6. Plin. ibidem.*
e *Martialis Epigr. lib. 13. Auson. Epigr. 150.*
f *D. Augustinus de vera Religione c. 20.*
g *Colum. lib. 4. c. 8. Plin. lib. 12. c. 14. Virg. 2. Georg. & ibi interpp.*
h *D. Augustin. ad Romanianum ep. 113. Mart. d. libro Plin. lib. 16. c. 35.*
i *Ausonius loco citato.*
k *Symmachus Ep. 94 D. August. lib. 15. cap. 4. contra Faustum Manichæum. Metaphrastes die 5. Decembris in D. Saba.*
l *Plin. lib. 13. c. 11. & 12. Ulp. in L. librorum §. Chartis ff. de legat. 3*
m *Plinius ibidem.*

A rat nobilitas, imminuebatur. Media & preciosissima Hieratica, quæ Augusta postea Augusti adulatione appellata est, Sacris tantum Voluminibus olim dicata. Sed postquam hæc Augustæ nomen concessit, Livia secundum ordinem usurpante, tertia Hieraticæ nomen obtinuit, post quas Fannia, Amphitheatrica, Saitica, Tæniotica, & Emporetica subsequebantur, ut ordine, ita usu & pulchritudine viliores, adeo ut Emporetica scribendo prorsus inutili merces dumtaxat involverentur.Cæterum Ptolemæo Philadelpho prohibente Ægypto Papyrum extrahi, membranarum usum Eumenes Attaliæ Rex auctore (*a*) Plinio primus invenit, seu verius perficit aut restituit, aut B Asiæ primus & Romæ ostendit; quo ab urbe Pergamo cum ingentem earum copiam Attalus Rex Eumenis frater misisset, hinc Pergamenarum nomen ad (*b*) Divi usque Hieronymi tempora, ipso pene admirante retinuerunt, quod magis admiraretur duodecim post ipsum circiter sæcula pertinuisse. Sed Ptolemæi aut Eumenis temporibus antiquiorem fuisse membranarum usum quicquid Plinius & Varro tradiderint certum est. (*c*) Nam antiquissimum proverbium de Jovis diphthera,hoc est Capræ Amaltheæ pelle, ubi ajebant Jovem humanas res scribere:aut (*d*) Jonum vocabulum quo diphthera- C rum nomine libros appellabant quia ovinis & caprinispellibus aliquando papyri inopia usi essent;longo temporum intervallo Eumenis ævum præcesserunt. Post hæc Longobardos tenues tilias e tabula abrasa glutineq; compactas pro charta habuisse & earum quasdam paginas vetustissimas penes se fuisse ipse Pancirolus testatur. & novissime Romanorum extincto Imperio ex panniculis contusis & aqua ante maceratis chartas fieri cepisse, quæ nunc frequenti in usu sunt, & chartæ nomen exemplo papyri retinent, quarum tamen inventor & initium ignorantur. His a Pancirolo enumeratis si D addamus æneas Tabulas, quibus leges & scita incisa, & in ærario condita fuisse vel in publico proposita retuli prout in æneis etiam columnis; & præterea marmoreas tabulas quibus Fasti & triumphi Capitolini publicati conspiciebantur, ac denique aureas argenteasque quibus nedum æneis Principum Orationes Populique acclamationes incidebantur & vulgabantur, (*e*) ut partim ex Plinio ad Trajanum, partim ex Lipsio ad Plinium discimus, omnia pene quæ ad hoc faciunt nos tetigisse haud falsus forsitan profitebor.

CAP. XIV.

E *Magistratus & Jusdicentes Tabulariis Judicialibus præfuisse. Ad ærarium primo Reges, mox Consules, inde Censores. Jam hi quam Coss. inter majores Magistratus. Custodiæ Militum ad Deorum ædes. Quæstores antiquissimi, Magistratus tamen minor, sine prehensione, vocatione, lictore, Viatore. Penes hos ærarii cura, & Tabularum Publicarum quæ fuerit. His interjecti, Prætores, & Præfecti. Censura quibus temporibus intermissa, qua sublata Præfecti ærario, Comites Sacrarum Largitionum, Patrimonii Privati & Sacri, Logotheta ærarii* F *generalis, Magnus Logotheta.*

SEd jam Tabularum & Præsides & administros expediamus. Judicialibus actis,& tabulis,prout

a *Plinius d. c. 11.*
b *D. Hieronym. ad Chromatium Epist. 43.*
c *Aristæas in lib. de Legis Divinæ in linguam græcam translatione.*
d *Herodotus in Terpsic. lib. 5.*
e *Plinius in Panegyr. & ibi Lipsius.*

tabulariis, ubi hæc omnia servabantur, Magistratus & jusdicentes quibus coram confecta acta fuissent præfuisse ambiguum non est. Quæ tamen dum ad ærarium delata essent iisdem tunc Magistratibus subesse debuerunt quibus ærarium. Ærarium autem hic semper intelligo Tabularium quod ad ærarium situm erat. In hoc præcipuum locum sibi usurpasse tabulas illas ostendi quæ magis proprie & receptius ex origine, ex Scripturarum forma, sed & quia publicam utilitatem, autoritatem, dignitatemque continerent, publicarum tabularum appellationem sortitæ erant. Quæ tamen appellatio primo & præcipue tabulas publicarum rationum, redituumque & accepti expensique ex publico continebat. Sed ærario universisque ejus tabulis. Primo Reges, deinde Consules, postea Censores, denique Principes præfuerunt. Probatur hoc paucissimis ex (*a*) Livio qui ideo censuram institutam scribit, quia *Consulibus cum tot Populorum bella imminerent operæ non erat id negotium agere. Quare mentio illata ab Senatu est rem operosam ac minime consularem suo proprio Magistratu agere, cui scribarum ministerium, Custodiæque & Tabularum cura, cui arbitrium formulæ censendi subjiceretur:* ubi idem plura ad censuram attinentia persequitur. Observandum tamen in his verbis est, Livium non *Publicarum Tabularum*, sed absolute *Tabularum* dixisse, ne illarum dumtaxat Tabularum curam Censoribus assignasse videretur quæ κατ' ἐξοχὴν Publicæ appellari solent, quia publicas rationes *Accepti, Expensique* contineant. Nullo igitur epitheto *Tabularum* significationem coartavit ut omnes & quascunque Tabulas, quæ quacumque ratione publicæ curæ subessent, Censorum curæ subjectas fuisse ostenderet. Ad Censores igitur a Consulibus hæc cura translata est, ad Consules vero a Regibus; (*a*) Livius aperte. *Libertatis autem originem inde magis numeres, quia annuum Imperium Consulare factum est, quam quod diminutum quicquam sit ex regia potestate. Omnia jura, omnia insignia primi Consules tenuere.* Processu itaque temporis domi quidem aliquid potuit Consulibus eorum quæ Regibus permittebantur; nihil autem addi illis, qui jam Regum jura omnia obtinuissent. Quicquid igitur autoritatis, quicquid potestatis, quicquid Imperii Consules aut amiserant, aut retinuerant, penes Reges ante fuisse certum est, quibus in hac etiam maxima ærarii & tabularum cura successerunt. Sed Livii ex Libro quarto locus allatus, ubi Censuræ originem tradit, mihi non semel admirationem incussit, cur ærarium tantam rem, præcipuamque Censorum curam, cum primis a Cicerone aliisque huic Magistratui demandatam aperte non nominet. Quare si divinari aliqua ratione fas mihi sit, ærarium custodiæ nomine hic indicari conjicio. Custodias militum ad Deorum ædes & templa dispositas ab antiquis fuisse certum est, hac potissimum de causa, quia in ipsis templis, & ipsorum templorum & Civium opes quamplurimæ asservabantur. (*b*) Herodianus de incendio, quo Pacis templum conflagraverat. *Erat*, inquit, *omnium templorum ditissimum, quia tutissimum. Unusquisque enim quæcumque habebat ibi congesserat. Sed ignis unica nocte multos ex divitibus pauperes fecit.* Hoc etiam (*c*) Juvenalis Interpretes animadvertunt ad illud:

& ad vigilem ponendi Castora nummi.

a *Livius lib.* 4.
b *Liv. lib.* 2.
c *Herod. lib.* 1.
d *Juvenalis Sat.* 14. *lib.* 5. *Asean. & Bern. Autumn*

A ubi Castora vigilem ob militum excubias vocari intelligunt. (*a*) Tertullianus etiam Christianum militem scribi prohibet, ne pro inanium Deorum foribus excubans illas custodiat. *Et excubabit*, inquit, *pro templis quibus renunciavit, & quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit?* & (*b*) alibi: *Ædes suas Dii tuerentur, & imagines, quæ ut opinor Cæsarum milites excubiis salva præstant.* Si itaque ad ea templa Custodiæ militum erant ubi privatorum opes servabantur, quis Saturni templo, quis publico ærario, publicis opibus, juribus, tabulis, custodiam auferat? Custodiæ igitur nomine hic per quandam excellentiam ipsum

B ærarium intelligi, ubi præcipua custodia esset, prorsus existimo, vix aptum ex his Livii verbis sensum alia ratione expressurus. Sed quicquid de hoc sit, admirari non desinunt qui apud Auctores, Publicas Tabulas, & ipsum ærarium frequenter inveniunt, vel a Quæstoribus, vel a Præfectis, vel a Prætoribus, nulla Censorum mentione, administrari. (*c*) Tacitus de Nerone: *Dein Princeps curam Tabularum Publicarum a Quæstoribus ad Præfectos transtulit. Varie habita ac sæpe immutata ejus rei forma. Nam Augustus permisit Senatui deligere Præfectos. Dein ambitu suffragiorum suspecto sor-*

C *te ducebantur ex numero Prætorum qui præessent. Neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius Quæstores rursum imposuit. Sed deerat robur ætatis eum primum Magistratum capessentibus. Igitur Nero præfectura perfunctos ex experientia probatos delegit.* Et quas dicit Tacitus Tabulas Publicas (*d*) Suetonius, ne ambigeremus, ærarium appellavit: *Auctor etiam* Augustus *fuit, ut cura ærarii a Quæstoribus urbanis ad Prætorios*, de quibus proxime allatus Tacitus, *Prætoresve transiret.* Nam ut est Auctor (*e*) Asconius: *Quæstores Urbani ærarium curabant ejusque pecunias expensas, & acceptas in Tabulas pu-*

D *blicas referre consueverant.* Id autem ita se habuit, ut Quæstores quidem & Præfecti, & Prætorii, vel Prætores, ordine quem subjiciam, ærarii, publicarumque Tabularum curam exercuerint, ita tamen ut harum ipsiusque ærarii summa Potestas penes Reges primo, deinde penes Coss. tandem penes Censores fuerit, donec Censura sublata moriens Respublica in Monarchiam degeneravit. Nam Reges ab ipso Urbis initio Quæstores qui publicam pecuniam quærerent habuisse omnino, quicquid auctores ambigant, necesse est. Negantibus enim facile forsan hoc Magistratus nomen, hanc vel creandi, vel eligendi, vel exercendi formam vel Rege

E Servio Tullo, vel Poplicola Consule primo institutam concessero, sed sine aliquo qui Quæstorum munere fungeretur, nec Regnum, nec publicas unquam vires constitisse fatebor, imo nec capiam. Junius Gracchanus apud (*f*) Ulpianum Romulo & Numæ Quæstores tribuebat, quorum electionem populo permisissent & Numa & Romulus. Sed hanc Populi electionem Gracchanus, hoc cognomine a C. Gracchi amicitia appellatus est, ut ex (*g*) Plinio discimus, forte ut Plebejorum blandiretur auribus excogitavit. Ulpianus Servii Tulli dumtaxat temporibus Quæstores fuisse affirmat,

F quod tamen in dubium etiam libellus revocat, qui Fenestellæ nomine circumfertur. (*h*) Plutarchus primo Consulatu Poplicolæ quæsturam institu-

a *Tertullianus de corona.*
b *Idem in Apologet.*
c *Tacit. lib.* 13.
d *Sueton. August.* 36.
e *Ascon. Verr.* 3.
f *Ulp. L. und. de Off. Quæst.*
g *Plin. lib.* 33. *cap.* 2.
h *Plut. Poplic.*

tam videtur tradere. Sed (a) Tacitus antiquissimam Quæsturam fuisse tradit, & comprobat: *Quæstores*, inquit, *Regibus etiam tum imperantibus instituti sunt, quod Lex Curiata ostendit ab L. Bruto repetita: mansitque Consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem Populus mandaret*. Quæstorum potestatem hæc etiam autorum dubitatio certam reddit: magistratus enim sine quo nullæ publicæ vires esse potuerunt ita fuit, ut plerique ambigant an fuerit. Certe ætatis robore destitutis, & primum eum Magistratum capessentibus, nunquam ingens hoc munus cum illa potestate tributum fuisse credi potest quod tanquam periculosæ plenum aleæ, ut ajebat (b) Tacitus, ipse Poplicola Consul omnino recusavit, & a quo omnes quos amabat deterruit. Ita igitur Quæstores ærarium curabant, ut penes Majores Magistratus ærarii potestas esset. (c) Majores autem Magistratus post exactos Reges fuerunt Consules, Prætores, Censores, minores alii omnes qui annis singulis creabantur vel saltem nunquam omittebantur. Quare minimos Magistratus Quæstores jure appellaverimus, qui (d) neque prehensionem, neque vocationem, neque lictorem, neque viatorem habuerunt, quorum quædam minores etiam Magistratus non pauci habebant.

Quæstores tamen provinciales, Lictores & Magistratus insignia habebant. Nam ne Magistratuum numero provinciæ gravarentur de quibusdam caussis Quæstorum erat cognitio, qui tamen sub Prætorum Majorumque Magistratuum potestate erant, ut a (e) Cicerone in Verrem ostenditur. Quare minima urbanorum autoritas & hinc patet, quia nullis Magistratuum insignibus, nullis publicorum servorum comitantibus incedebant, & majoribus Magistratibus suberant quam Provinciales. Sed jam publicarum Tabularum historiam expediamus. Quæstores itaque publicas Tabulas conficiebant, in eas acceptum & expensum referentes. Mansit hoc munus penes Quæstores usque ad ann. Urbis 709. Tunc enim absente Cæsare qui eam Rempublicam invaserat, nullis creatis Quæstoribus hæc cura ædilibus commissa est. (f) Sed hæc cura (quo tempore mihi ambiguum) ad Quæstores rediit. Nam Augustus illam, ut vidimus, (g) *a Quæstoribus Urbanis ad Prætorios aut Prætores transtulit*, & ex (h) Tacito ante Prætores Præfecti fuerunt etiam sub Augusto. Quare id munus crediderim sub ipso Julio Cæsare ad Quæstores rediisse; id suadent allata verba Taciti. *Varie habita ac sæpe immutata ejus rei forma: nam Augustus permisit Senatui deligere Præfectos*. Hæc igitur prima hujus rei & formæ immutatio quæ sit animadvertenda, nam hinc brevissimam fuisse conjicio ædilium curam, & statim forte post reditum Cæsaris ad Quæstores antiquo ex more rediisse. Sed num sub Augusto Quæstores iterum intermedii inter Præfectos & Prætores? omittit Tacitus, forte, quia brevis hæc repetita Quæstorum administratio. (i) Tranquillus expresse affirmat loco relato; qui rem non a Præfectis, sed a Quæstoribus ærarii ad Prætorios aut Prætores transfert. (k) Quod concordat cum Tacito, in insequentibus nam tradit: *Claudium curam ærarii*

a *Tacit. lib.* 11.
b *Tacit. d. l.* 13.
c *M. Messalla augur apud Gell. lib.* 13. *cap.* 14.
d *M. Varro Rerum Humanarum lib.* 21. *apud Gell. lib.* 12. *cap.* 12. & 13.
e *Cicero in Divinat.*
f *Dio lib.* 43.
g *Sueton. August.* 36.
h *Tacit. lib.* 13.
i *Suet. Aug.* 36.
k *Idem Claud.* 24.

A
Saturni Quæstoribus reddidisse; quam medio tempore Prætores aut Prætura functi sustinuerant. Sed Quæstoribus & Magistratum qui annuus ante erat ad triennium protulit, & jus addidit exacta quæstura statim præturam adipiscendi: quod rotunde tradidit Dio., & (a) Tacitus his verbis indicat, *iisque Quæstoribus, ne metu offensionum segnius consulerent extra ordinem honores permisit*. Sed tandem Nero hanc *curam a Quæstoribus ad Præfectos transtulit*, quæ, aut fallor, universo Occidentalis Imperii tempore mansit. Nam quod ait (b) Tacitus in Historiis, *tum* Vespesiani tempore *a Prætoribus tractabatur ærarium*; Intermissa Censura,
B
afflictis publicis rebus, Capitolio combusto, exhaustis per bella civilia publicis opibus, &, ut ait ibidem Tacitus, *in publica paupertate* curabant ærarium Prætores non ad curam ærarii creati, sed quia cum omnes forsan Præfecturam ærarii capessere recusarent (c) id munus Prætores ut Collegæ Consulum, Consulibus ad alia Reipublicæ munera inter tot calamitates conversis, id tanquam proprio jure exercebant. Intermissa enim Censura Censorum munera, & Consules & Prætores tractasse, (d) & ex Cicerone, & ex Asconio in Verrinis conspicimus. Certe ab hoc tempore sub Præfectis ærarium
C
semper invenimus. (e) A. Gellius de suo ævo: *Cura*, inquit, *ærarii nunc ad Præfectos a Quæstoribus translata est*. (f) Plinius ad Trajanum: *Nobis*, inquit, *Præfectis ærario Consulatum antequam successorem dedisti*. Idem Marci Antonini tempore receptum fuisse testes sunt (g) Capitolinus, & (h) Papinianus JC. prout ante ipsum Marcum Adriani nempe Imperio idem receptum fuisse conspicimus, ex (i) JC. Julio Mauriciano. (k) Capitolinus idem testatur fuisse sub Gordianis, ac denique omnia vetera monumenta hoc unanimi consensu comprobant. Sed Præfectis majorem autoritatem fuisse quam Quæstoribus existimo, tum
D
(l) *quia Præfectura perfunctis, & experientia probatis* major potestas tribuenda erat, tum quia sub Principibus nulli Magistratuum præterquam Principi apparet hos Præfectos paruisse. Consulum enim potestas modica, in Senatu cogendo & consulendo versabatur. Censura, extremæ etiam Reipublicæ temporibus (m) valde viribus imminuta fuit, immo si (n) Asconio credimus, omnino per *plurimos annos sublata erat*. Sub Principibus, *Augustus Censores creari desitos longo intervallo creavit* quidem autore (o) Suetonio, semel dumtaxat anno U.C. 732. M. Claudio Marcello, L. Arruntio
E
Coss. Sed hi (p) vix Censores fuerunt nomine: nam Augustus ipse & lustrum condidit, & alia multa, quæ ad eos pertinebant, peregit. Atque hi postremi privatorum Censores fuerunt, quod etiam prodigio significatum est. Nam ipsis ascendentibus tribunal eorum repente perfractum concidit. Deinceps (q) Claudius Imperator Censor fuit cum

a *Tacit. lib.* 13.
b *Tacit. hist.* 4.
c *Gellius lib.* 13. *cap.* 14. *ex M. Messalla Aug. lib.* 1. *de Auspiciis*.
d *Cic. & Ascon.* 3. *Verr.*
e *A. Gellius. lib.* 13. *cap.* 24.
F
f *Plinius in Paneg.*
g *Capitol. in Mar. Antonino*.
h *Papin. in l.* 13. *de his quæ ut indignis*
i *J. Mauricianus l. Senatus censuit* 15. *de jure fisci*.
k *Capitol. in Gordd.*
l *Tacitus ubi supra*.
m *Cicero in Miloniana & in Pisonem*.
n *Ascon. in Divinatione*.
o *Suet. Aug.* 3.
p *Vellej. lib.* 2. *Panut. qui alios affert. Fast. lib.* 2. *anno* 732.
q *Solin. c.* 46. *Tacit. lib.* 11. *Plin. lib.* 7. *c.* 48. & *lib.* 10. *c.* 2. & *Panvin. in fastis ad hunc annum*.

L. Vitellio A. U. 800. (*a*) Veſpeſianus cum T. Filio anno 826. (*b*) Domitianus perpetuam Cenſuram, Imperium adeptus ſolus ſuſcepit. Cæteri Principes ſine Cenſuræ Magiſtratu, ſolo Principatus jure omnia Cenſuræ munia exercuerunt. Nec alius uſque ad Decii tempora Cenſor appellatus eſt. Decius autem Imperator Cenſorem unicum ex SC. creari juſſit A. U. 1003. creatuſque eſt (*c*) Valerianus, qui poſtea Imperator fuit, & poſt Decium ipſum etiam Cenſuræ nomen ſublatum eſt. Nulla igitur ſub Principibus cura ærarii Cenſoribus fuit. Nec poſt Præfectos Ærario conſtitutos aliis hi quam Principibus paruerunt; quare ſumma horum auctoritas fuit, & de pluribus cauſis, (*d*) ut ſæpe in jure obvium eſt judicabant. Qua de cauſa ſumma etiam auctoritate cenſendi ſunt & ærarium, & tabularium curaſſe.

Præfecti ærarii munus, Imperio in Orientem translato, Sacrum largitionum Comes ſuſcepit, vel illius Præfecti nomen in hujus nomen Comitis tranſivit, quod omnibus Magiſtratibus datum eſt, qui ſacrarum Comitatum obſervarent. Sed haud admodum ab hujuſmodi munere diſtabant Comites Patrimonii privati, & ſacri, qui omnes ſubſtantias & opes Principis curabant, ut obſervavit (*e*) Cujacius & illuſtravit, & diſcimus ex (*f*) Caſſiodoro, ex (*g*) Imperatoribus noſtris, ex aliiſque antiquis auctoribus, & monumentis. Quod inter hos tres Comites diſcrimen interceſſerit, explicat idem Cujacius, ut Sacrarum Largitionum Comes publicarum opum curam exerceret, quæ Principis & Imperatoris non eſſent, niſi eſſet Imperator, & tranſirent ad ſucceſſorem in Imperio, non autem ad hæredem in familia. Comes vero Patrimonii, opes Principis, quæ in ejus Patrimonio ſunt, curaret, & quæ ad ſucceſſorem in familia non in Imperio deferrentur. Comes denique Sacri Patrimonii, tanquam Procurator penus eſſet, qui *Regias*, ut (*h*) Caſſiodorus ait, *epulas ſollicita ordinatione diſponebat Judex aulici apparatus & epularum*. Extat autem Græca (*i*) Juſtiniani Imperatoris conſtitutio, ubi prout publicum Patrimonium in peculiari Codicis titulo, ita etiam privatum largitionum nomine dignatur plauſibile eligens vocabulum, ut quæ in contrarios plerumque uſus inſumebantur, & ex rapinis, ut (*k*) ſcriptores tradunt, ſubditorumque Populorum ſubſtantiis corraſerat, mendaci ſaltem nomine cohoneſtaret.

Hæc itaque ſub antiquo Orientali Imperio ærarii adminiſtratio, publicorumque tabulariorum fuiſſe videtur. Cæterum, ſuſpicor, Ærarii generalis Logothetam, de quo (*l*) Georgius Codinus in Officialibus Palatii Conſtantinopolitani ſermonem habet, ſub poſterioribus Imperatoribus hanc adminiſtrationem ſuſcepiſſe; licet enim (*m*) idem Codinus alibi hujus Logothetæ functionem ignotam ſtatuat, vix aliud ipſum nomen mihi ſuggerit, cum maxime præcipuum in aula Conſtantinopolitana munus id fuerit. Theodorus enim Methochita, de quo plura (*a*) idem Codinus, & (*b*) Nicephorus Gregoras hoc munere functus eſt, quod dum exerceret ab Andronico primo Palæologo illum extollere valde exoptante Magnus Logotheta appellatus fuit, ut appareret honorem ſuapte vi ingentem unica hujus epitheti adjectione ſatis Imperatorem illum extollere cenſuiſſe. Quamvis haud inficier Magni Logothetæ præcipue fuiſſe, ut (*c*) idem Codinus alibi ait, Curare mandata & Chryſobullas ad Reges Sultanos & Toparchas. Quare vel id Munus, cum Magnus appellatus fuit, Logothetæ ærarii fuit ſuperadditum, vel alius fuit Magnus Logotheta, alius Logotheta ærarii generalis, ſed quacumque id tandem ſe ratione habuerit, huic Logothetæ præcipuam ærarii curam mandatam fuiſſe ambigere vix licet. Atque hæc de Tabulariorum ærariique Præſidibus tradidiſſe ſatis ſit. Nunc pauciſſima quædam de eorum adminiſtris ſubjiciamus, poſtquam de Præſide Tabularii Magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ quædam dixerimus.

a *Idem Panvin. ad hunc annum. Sueton. in Veſpeſ. cap. 8. in Tito cap. 6.*
b *Ex Dione idem Panvin. ad annum 934.*
c *Trebellius Pollio in Valeriano.*
d *L. 42. de jure Fiſci, & alibi paſſim.*
e *Cujac. in paratit. C. t. de Off. Sacr. Largit. & tit. de Off. com. rer. Prin. & tit. de Off. Com. Sacr. Patr.*
f *Caſſiodorus lib. 6. & lib. 9.*
g *Imper. dd. titt. Codicis & L. 3. C. de Bonis Vacat. & L. ult. C. de Petit. bon. ſublat. & paſſim alibi.*
h *Caſſiod. l. 6. ac eadem pene lib. 12.*
i *Juſtin. in* L. *ult. C. de adſeſſorib. & eadem L. properandum. §. Sin autem utraque C. de Judic.*
k *Procopius in Aventinis.*
l *Codin. Cap. 2. n. 18.*
m *Codin. Cap. 5. n. 29.*

CAP. XV.

Magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Archium. Ejus Præſes Chartophylax. Hujus Etymon, Dignitas, Juriſdictio, Inſignia. Sanctorum Notariorum Supplicatio. Patriarchalis Equus. Alia.

ARchio Magnæ Byzantinæ Eccleſiæ qui præſidebat Chartophylax nuncupabatur, quaſi Chartarum Cuſtos. Quod tum ex ipſo vocabulo, tum ex (*d*) Balſamone, (*e*) Anaſtaſio Bibliothecario, aliiſque ejuſdem Notæ ſcriptoribus, eſt perſpicuum. Cæterum ut hujus muneris dignitas auguſtior appareret, plurima ipſi cum hac cura committebantur; quare nedum Archii adminiſtratio ad eum pertinebat, ſed Judex erat omnium Matrimonialum & ealetraſticarum, & quarumcumque inter Clericos verterentur cauſarum: adeo ut Dextra Patriarchæ manus appellaretur, & Patriarchalis Cardinalis. Magno enim Concilio præſidebat: neque ullæ Patriarchæ ſententiæ aut deciſiones ratæ habebantur, niſi Chartophylacis ſigillo & ſubſcriptione roborarentur. Hic aurea tiara in ſanctorum Notariorum ſupplicatione utebatur, eique uni equo Patriarchali vehi permittebatur: quæ omnia ex (*f*) Balſamone didicimus. Addit (*g*) Anaſtaſius Bibliothecarius Chartophylacem Conſtantinopoli fungi officio quo Bibliothecarius Romæ: & inſuper egiſſe eccleſiaſtica cuncta prorſus obſequia. Sine illo nullum Clericum aut Præſulem in conſpectum Patriarchæ intromiſſum, nullum eccleſiaſtico conventui præſentatum fuiſſe, nullius Epiſtolam a Patriarcha receptam, nullum ad Præſulatus, nullum ad Monaſteriorum Præpoſituras, nullum ad Ordines provectum, niſi illum Chartophylax approbaſſet, commendaſſet, & præſentaſſet. Quæ adeo ad Chartophylacem pertinebant, ut (*h*) Joannes Epiſcopus Citri ſtatuat hæc munera alteri committere, neque ipſi Antiſtiti licuiſſe.

a *Codinus d. c. 2. n. 18.*
b *Nicephorus Greg. in ſua Hiſt. præcipue lib. 7. prope finem.*
c *Codinus c. 5. n. 18.*
d *Balſam. in Melet. de Chartophyl. contra Propteticum & ad Photii Nomcoanonem Tit. 8. c. p. & alibi paſſim.*
e *Anaſt. Biblioth. in Notis ad Act. 2. Synodi octavæ.*
f *Balſamon loco citato.*
g *Anaſtaſius loco citato.*
h *Jo. Citricus in reſponſionibus ad Conſtantinum Cabaſilum Dyrrachii Epiſcopum.*

CAP. XVI.

Tabulariorum Administri. Hi olim Servi Publici, mox tantum liberi Homines. Illorum plura genera. Cyprii, Lucani, Brutii qui? De Scribis & Librariis plura. Tabularii, Tabelliones, Actuarii explicati. Pluscula de Chartulariis. Tractatores. Chartularius Homo quis olim Longobardis & Francis? De Notariis item plura, quædam de Notis. Notariorum Primicerii, Secundicerii, Tertiocerii. Protonotarii. Medogrammatei. Fiscales, Censuales, Rationales, Numerarii, Logographi, Logistæ, Scriniarii, Scriniorum Principes, Scriniorum Magistri, Comites dispositionum, Scriniorum proximi, & Melloproximi. Signatores, Subscribendarii, Diurnarii, Regerendarii, Diastolei, Adjutores Boethi, Subadjuvæ ἀγοραῖοι, Conditionales, Archettæ.

UT Chartophylaci plures ministros adstitisse non semel in (*a*) Volumine Juris Græco-Romani conspicimus, præcipueque duodecim Notarios, qui aliis præerant, & Chartophylaci perpetuo subserviebant. Ita in Reipublicæ Principumque Tabulariis, plurima administrantium munera, plura nomina passim occurrunt.

Scribarum nomen florente Republica frequens est in hoc Ministerio referendo. (*b*) Livius de Censore primo instituto; *Cui scribarum ministerium custodiaque & tabularum cura*. Et (*c*) Cicero in Verrem: *Scribarum fidei tabulæ publicæ, periculaque Magistratuum committuntur*. Licet igitur a scribendo scribæ appellarentur, non solum scribere, sed tabulas etiam servare eorum munus erat.

Sed Servorum etiam publicorum nomine plerumque tunc etiam temporis continebantur quicumque tum in Tabulario tum apud Judices, aut Magistratus publico quopiam ministerio fungerentur. (*d*) Livius de Tabulario supra allatis verbis: *Censores signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis servis publicis, negaverunt, &c.* Servi igitur publici erant tabularii administri. Quare (*e*) apud Jurisconsultos & Imperatores Servus Publicus ille dicitur, coram quo tanquam persona publica instrumenta celebrantur. Prout servus publicus etiam stipulatur rem pupilli salvam fore apud (*f*) Ulpianum. Quæ munera adeo servilia habebantur, ut apud Imperatores (*g*) Diocletianum & Maximianum quæsitum sit, an libertus Civitatis Tabulariam exercendo, libertatem amittat. Sed id munus ad liberos tandem homines ab Arcadio & Honorio Imperatoribus translatum est inhibitumque Servis ne illud amplius administrarent. Servos autem publicos Magistratibus apparuisse; lictorumque ac viatorum munere fungi consuevisse (*h*), ut ex Gellio, Frontino, Petronio, aliisque passim est obvium, ita ad rem nostram non est. Illud tamen prætermittendum minime videtur servos publicos non solum fuisse illos, qui ære publico empti fuissent ut noster (*a*) Pignorius tradidit, sed tum qui e publicis servis nati essent, quod minime ambiguum esse potest, tum qui ex captis Provinciis captivi ad publicos usus seponebantur. (*b*) Hujusmodi sunt apud Dionem Cyprii, apud Strabonem Lucani, apud Livium, qui victa Carthagine nova ad duo millia hominum publico Populi Romani usui a Scipione sunt destinati. Nam Brutios, quos (*c*) vir doctissimus ex Gellio Publicos Servos fuisse existimat, *non Servos fuisse, sed Magistratibus paruisse, & præministrasse servorum vice*, ex eodem liquet.

a *Juris Græco-Rom. Tom. p. pag. 249. 256. Gretserus ad Georg. Codinum lib. p. c. 1.*
b *Liv. lib. 4.*
c *Cic. in Verrem. 5.*
d *Liv. lib. 43.*
e *Marcellus L. non aliter 18. de adoptionibus. Diocletianus & Maximianus L. 2.*
f *Ulpian. L. p. §. Privilegium de Magis. Conven.*
g *Diocl. & Maxim. L. ult. C. de Serv. Reipub. Manumitt. Gellius lib. 10. c. 3. Frontinus de Aquæductibus. Petr. cap. 57. & 58.*
h *Pignorius Comment. de Serv. ex Dionys. lib. pr. & ex Livio lib. pr. & 9.*

Librariorum etiam nomen vigente adhuc Republica ad Tabularium & ad ærarium, & ad publicas Tabulas pertinuit. (*d*) Cicero: *Cum scirem ita indicium in publicas tabulas relatum; non occultavi, non continui domi, sed describi ab omnibus statim librariis, atque pervulgari & edi Pop. Rom. imperavi.* Hinc apud (*e*) Jurisconsultos nostros Librarius est, qui stipulationes scribit, & contractus, & etiam libros, a quibus Librarium dictum fuisse certum est. Vel si antiquissima repetamus, ut est auctor (*f*) D. Hieronymus, a libris arborum. Hinc fuit ut & qui in scribendis, & qui in componendis, & qui in transcribendis libris versaretur librarius etiam dictus sit; sed quæ ad nos non faciunt prætereo. Librarius certe præcipue dictus est, qui Libros & scripta publica, & publicas rationes curabat & conscribebat. Quare apud (*g*) Vegetium Librarii etiam in Castris sunt, qui rationes ad milites pertinentes in Libros referunt, & apud (*h*) Arcadium Jurisconsultum ad eadem castra pertinent Librarii depositorum, & librarii caducorum, de quibus (*i*) videndi sunt Vegetius & Gothofredus. Prout apud (*k*) eundem Jurisconsultum Librarii etiam horreorum sunt qui omnes jure immunitatis fruuntur. Librarii etiam & scribæ inter Decuriarum ordines a Constantino Imperatore enumerantur, atque inter easdem decurias ipsis dumtaxat, & studiorum liberalium usu & exercitatione pollentibus primum ordinem adipisci ab (*l*) eodem Imperatore permittitur.

Sed ne in his diutius immorer, ut a Libris Librarii, ita a Tabulis Tabularii, a Tabellis Tabelliones, ab Actis Actuarii, a Chartis Chartularii, a Notis Notarii dicti sunt; quæ nomina licet origine diversa, & in diversas etiam sententias plerumque a Scriptoribus usurpata, usu tamen apud eosdem scriptores recepto, quantum ad rem nostram faciunt, in idem concidunt. Omnia enim publicos scribas significant, & velut horum quædam genera indicant, quorum & species significare non raro consueverant; ut de Tabulariis videre licet apud Imperatores nostros, & apud Jurisconsultos, & (*m*) præcipue Arcadium & Honorium Augustos, Constantinum Imperatorem, Ulpianum & Arcadium JCC. & alios sæpissime. De Ta-

a *Dionys. lib. 39. Strabo lib. 5. Liv. lib. 26.*
b *Lips. Elect. lib. c. 21. ex Gell. lib. 10. c. 3.*
c *Cic. pro Sylla.*
d *Scævola L. Si Librarius 92. de reg. Jur. Cajus L. Duorum 49. de Operis libert. Imper. L. ult. prope finem C. de Vet. Jure enucl.*
e *D. Hieronymus ad Heciam.*
f *Vegetius lib. 2. c. 7.*
g *Arcad. L. ult. de jure immun. alibi Tarruntenus.*
h *Veget. lib. 2. c. 20. Gottofr. L. 2. C. de Hær. decur.*
i *Idem Tarruntenus seu Arcad. ibidem.*
K *Constantinus Imperator in C. Theodos. L. pr. lucr. Offic.*
l *Idem. L. pr. de decur. Urb. Rom. in eodem C.*
m *Arcad. & Honor. L. Missi, 7. C. de exact. lib. 10. & L. & L. ult. §. Hi quoque ff. de mun. & hon. Generali 3. C. de Tabulariis Constant. L. p. C. de exact. Ulp. L. ult. ff. Si mensor falsum &c. & L. 3. ff. de Tab. exhib.*

bellionibus loquitur (a) Constantinus Imperator in C. Theodos. sub titulo *de Decurionibus*, & (b) Imperator Leo in Codice Justiniani sub titulo *Ut nemo ad suum Patrocinium*, & sub tit. *de Eunuch.* (c) Justinianus in eodem Codice sub tit. *de Testamentis*, & in auth. *de Tabellionibus*, & alibi frequentissime in jure nostro hujus vocabuli usurpatio est. Actuarii etiam nomen in eodem jure est receptissimum, præcipue vero apud (d) Imperatores Gratianum, Valentem, Theodosium, Anastasium, Arcadium, Honorium, Leonem, Justinianum, aliosque. Neque hæc vox aliis (e) Scriptoribus inusitata, Capitolino, Suetonio, Senecæ, Spartiano, aliis ejusdem Sæculi, aut ab ipso non remotis. Quorum mores ita in Gallieno Victor decerpit: *Actuarii, genus hominum nequam, venale, callidum, seditiosum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandasque quasi ab natura factum: annonæ dominans, eoque utilia curantibus & fortunis aratorum infestum: prudens in tempore his largiendi quorum vecordia damnoque opes contraxerit*. Chartularios in hanc procul dubio sententiam usurparunt (f) Imperatores Justinianus, Leo, Zeno, aliique non semel. Et Chartularium inde dici quod Chartas tractet, præter ipsam notationem nominis (g) viri etiam præcipuæ doctrinæ eruditionisque observaverunt. Quare licet posterioribus temporibus ad alias significationes hoc nomen translatum fuerit, quas enumerat eruditissimus (h) Gretserus in suis Commentariis ad Georgii Codini Curopolatæ caput primum, & caput tertium; vix tamen aliunde Chartularium denominatum unquam existimaverim quam quia chartas tractaret. Quare dum apud (i) Zonaram Chartularius appellatur *qui præficitur Imperatoriis equis, vel equisonibus*, & apud (k) Leonem Imperatorem Chartularius est *qui præficitur exercitui describendo & recensendo*: uterque, ut alii hujusmodi apud eundem Gretserum relati, ideo Chartularii dicti, quia chartas tractabant, & chartis præerant, in quibus equi, equisones, milites describebantur. Quare (l) Cujacius acute perspicit Chartularios eosdem esse ac tractatores, quos ita appellant (m) Imperatores Zeno & Justinianus. Tractatores enim dictos, quia chartas tractarent, censuit. Ceterum homo aut servus chartularius, de quo sequioris sæculi (n) leges Longobardorum aut Francorum, licet a charta dictus ad hanc rem non pertinet. Hominem enim per chartam manumissum apud ipsos significat, quod etiam (o) Viri eruditissimi Hieronymus Bignonius, & Fridericus Landenbrogius animadvertunt. (p) Notarios a notis primo dictos fuisse certum est. Notas vero quibus compendio, & velocissime scribebatur.

a *Const. L. 3. C. Th. de Decur.*
b *Leo L. pr. C. ut nemo &c. lib. 11. & L. 2. c. de Eunun.*
c *Justin. L. ambiguitates 24. C. de Testam. & auth. de Tabell. per totum & alibi.*
d *Imperatores Gratianus &c. L. actuariis, & L. pen. C. de numer. Nov. 108. & alibi.*
e *Capit. Gord. Suet. Jul. 55. Sen. Ep. 23.*
f *Just. in rub. C. de numer. &c. Leo L. Præcept. 3. C. de com. Larg. Zeno in Lege Nulli 10. C. de Numerariis.*
g *Cujac. ad L. 3. C. de com. Largit. tit. Gottof. ad L. 10. C. ubi caus. fisc. Jun. ad Georgii Codini c. pr. Gretserus ad ejusdem c. 3. Pancirolus Var. c. 27. aliique.*
h *Grets. Comment. ad Curop. lib. pr. c. 13. & lib. 2. c. 3.*
i *Zonar. in Zen. Isaur.* K *Leo. Imp. Const.*
l *Cujac. d. L. 3. C. de Com. largit. tit.*
m *Zeno Imp. L. nulli C. de num. & L. ult. C. de exact. & Just. n. 28. 30. 128. 129. 147.*
n *Longob. lib. 2. tit. 34. Capitularium lib. 6. t. 208. & alibi. Gregor. Turon. Hist. lib. 9. tit. 26.*
o *Bignon. ad Marchulph. lib. 2. c. 32. Landenb. in glossario ad Codicem Legum Antiquarum.*
p *Plut. in Cat. Utic. Festus in verbo* Nota. *Alcuin. in gramm. c. 2. Vide Plut. in Cat. Utic. Pancir. Var. lib. pr. c. 30.*

Qui igitur dictante aliquo, vel etiam orante aut dicente ejus dicta velocissimo per notas scribendi genere excipiebant. Notarii primo dicti sunt. Notæ ut plurimum per literas singulas ita scribebantur, ut plerumque unica litera verbum integrum ac plura etiam indicaret. Quare (a) Manilius in Astronomicis dum Notarios sub Virgine plerumque nasci traderet, ita cecinit:

Hic & scriptor erit velox, cui littera verbum est,
Quique notis linguam superet, cursimque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.

De horum velocitate extant elegantissimum (b) Dystichon Martialis, & (c) Ausonii Dimetron, prout plures harum notarum reliquias, & explicationes apud (d) Grammaticos adhuc conspicimus. Sed licet hinc primo Notarii dicti sint, & olim per hujusmodi notarum compendia tum testamenta tum contractus quoscumque, tum Magistratuum placita scriberent, (e) quod ex Paulo Modestinoque Jurisconsultis alibique discimus; (f) sublatis tamen magna ex parte hujusmodi notis, quia ipsarum usus fraudum, & errorum sæpe occasionem præberet; Notariorum nomen retinuerunt quicumque Principum, Magistratuum, Privatorumque decreta, acta, contractus, aut voluntates perscriberent, ne eorum memoria periret.

Inter Notarios qui primus erat (g) Primicerius dicebatur, qui secundus Secundicerius, vel a cera, & cerata tabula, ut placuit Pacio post Alciatum, vel ex productione vocabuli, ut Cujacio & Gretsero. Proculdubio cujuscumque ordinis primus, Primicerius Suidæ est. Primicerius iisdem Cujacio & Pacio idem est ac Protonotarius, de quo tamen consulendus est (h) Gretserus ad Georgium Codinum acutissime ambigens ac forte solvens; & perpendendus (i) Georgius Codinus in officiis & officialibus tum Magnæ Aulæ, tum Magnæ Ecclesiæ. Et de his quædam sunt etiam apud (k) Pancirolum in suis variis Lectionibus.

Ut Notarii a notis dicti sunt, ita (l) exceptores, quia verba Magistratuum exciperent, (m) Demogrammatei quia scribæ Populi aut Publici, aut Medogrammatei, quia a Scribis consulerentur; nam ambigua est lectio, ubi de his mentio fit. Eadem ratione pro munerum diversitate appellati sunt (n) Fiscales, qui Fiscalia, (o) Censuales, qui Censualia tractarent: qui vero rationes præcipue publicas, (p) Rationales, Numerarii, Logogra-

a *Man. lib. 4.*
b *Mart. lib. 14. Epigr. 208.*
c *Auson. Epigr. 137.*
d *Val. Probum, Magnonem, Petr. Diaconum, Papiam, alios a Putschio collectos & in fine Cod. Theodosiani & de his plura Pancirolus Var. lib. pr. c. 30.*
e *Paulus in L. L. Titius ff. de Militari Testamento. Modestinus L. inter eos, §. pr. in quibus ca. mai.*
f *Suet. in Galb. c. 5. L. p. §. ulr. L. 2. §. penult. C. de Vet. Jur. enucl. L. sed cum Patrono §. ult. ff. de bon. possess. §. pr. auth. de lest. impub.*
g *C. de Primic. Pac. ad C. Justinianum lib. 12. tit. 7. Cujac. ibidem Gretserus Observ. ad Cod. lib. pr. c. 11. n. 7.*
h *Grets. ibid. n. 5.*
i *Codinus. c. pr. n. 8. c. 2. n. 57.*
K *Pancir. lib. pr. Var. c. 85.*
l *L. In Sacris in C. de prox. Sacr. Scrin. imprimis, & alibi passim Codicis lib. 12. ubi Cujac. Suet. in Cæsare. Just. auth. de defens. §. ex provinciali coll. 3. aliique.*
m *Boethos 4. C. de Tabulariis, & item Cujacius, & plura hujusmodi vocabula reperire est apud Theodos. & Valer. Imp. d. L. Boethos d. C. de Tabulariis, & toto tit. C. de Numer.*
n *In C. Theodosiano L. pr. de Decuriis Urb. Rom.*
o *L. 2. C. de principiis agentum in rebus alibique Capitol. in Gordd. Cujacius ad d. L.*
p *Toto tit. & præsertim L. ult. C. de Tabulariis itaque Cujac. toto tit. C. de Numerar. Alciatus ad tit. C. de Tabulariis.*

phi, Logistæ, & Scriniarii. (a) Horum majores qui scriniis publicorum monumentorum præerant Ministrorum Principes, seu Magistri (qui & dispositionum Comites) Scriniorum Proximi, & Melloproximi appellati sunt. (b) Signatores sunt qui instrumenta signabant, (c) Subscribendarii, qui subscribebant, (d) Diurnarii qui diurnum conficiebant aut curabant, (e) Regerendarii qui in librum referebant, (f) Diastolæi qui accepta, & expensa conferebant, a διαστέλλειν. Horum pene omnium (g) Adjutores erant, quos & (h) Boethos dixerunt: Adjutorum vero adjutores (i) Subadiuvæ appellabantur. Cæterum quemadmodum hujusmodi Administrorum plerique (k) ἀγοραῖοι a foro ubi stationes habebant, ita etiam (l) Conditionales dicebantur, quia huic conditioni adjecti erant, ne ad aliam militiam aut dignitatem aspirare possent si essent liberi, vel ad aliud munus exercendum, dum servi Tabulariis ministeriis fungebantur. Sed hæc, aliaque hujusmodi vocabula variosque eorum usus persequi diligentius, diuturnius opus exigeretur; quare de his dixisse satis sit, postquam meminero inter Archii Administros etiam Archeotas recenseri ab (m) Arcadio Jurisconsulto, quos Archiorum Custodes fuisse existimant Interpretes nostri, vulgatæ loci illius editioni hærentes, quæ tamen Florentino Codici alia est, haud tamen quæ Archeotam alium quam Archii Administrum quempiam fuisse nobis indicet, licet magis ambiguum illius munus nobis relinquat.

CAP. XVII.

Archiorum finis, utilitas, & necessitas.

Nobiliorem nunc causam, cujus gratia Archia sunt inventa, nempe finem discutiamus, quam ideo postremo huic capiti seposui, quia quamvis finem ante alia omnia appetamus, ad illum post alia omnia pervenire licet. Archiorum finem paucis sed elegantissimis verbis nobis aperuit (a) Imperator Justinianus, adeo ut ab ejus oraculo divagari operæ pretium non sit. *Habitatio*, inquit, *Publica distribuatur, in qua conveniens est defensores monumenta recondere, eligendo quendam in provincia, qui horum habeat custodiam. Quatenus incorrupta maneant hæc, & velociter inveniantur a Requirentibus.* Duas igitur præcipue ob rationes Archia inventa sunt, Ut monumenta incorrupta maneant, & ut velociter, quotiescumque id occasio exigat, inveniantur. Fidis igitur ad hoc tum custodia, & ministerio, tum ordine opus est, nam si hic desit, quanam unquam ratione quod volumus reperiemus, si illa, quænam aut non servabuntur, aut servabuntur incorrupta? Omnia ut vidimus tum publica tum privata jura in Archiis sunt asservanda, quæ in authenticis monumentis dumtaxat constant, alioqui omni prorsus fide destituuntur. Historiæ, inscitia scribentium, assentandi libidine, ira, & odio, sed spe præcipue aut metu plerumque mendaciis scatent. Quare nedum consilia sed ipsi rerum eventus pro historicorum studiis nedum invicem discrepant, sed repugnant. Sola igitur penes publica acta, & monumenta fides reperitur: hæc vero, ut ait (b) idem Imperator, *ubi nullum est Archivum, vel pereunt vel nulla fide sunt digna, & in tantum cadunt, ut in similitudinem non actorum sint.*

Ex his igitur quæ in universo hoc opusculo discussimus, satis liquet, quanta utilitas, quanta necessitas Archiorum Publicorum sit. Dum non Regnum, non Reipublicæ formam ullam sine Archiis fuisse conspeximus, immo neque complecti mente possimus ullam Civitatis aut Imperii faciem, quæ hujusmodi subsidio careat. Neque id solum appareat ex Tabulis, Monumentis, Actisque, quæ in Tabulariis reponebantur, sed ex locis ubi hujusmodi Tabularia sunt constituta, in ipsis nempe Regiis, in Deorum Templis, in summa Arce, ut majestate, loco munitissimo, religioneque defenderentur, quibus insuper militares etiam custodias addebant, ne quid quod ea tuta reddere posset omitteretur. Vidimus insuper quantam administrorum catervam hujusmodi locis addixerint, quos Magistratus præfecerint, qui cum summa dumtaxat Reipublicæ Imperiique curarent. Summam hanc Reipublicæ Imperiique curam semper habendam esse nos admonent. Quæ cum ex singulis quæ congessi perpetuo appareant, ne diuturnioribus nugis lectorem meum detineam, calamum ad magis urgentia studia converto.

a *De Scriniis plura sunt apud Panc. lib. 2. Var. cap. 188. Cujacius ad tit. Codicis de proximis Sacris Scrin. ubi & textus.*
b *Vide plura apud Panc. lib. pr.*
c *Variarum c. 26. apud Cujac.*
d *Tit. Cod. de Tabulariis, Scribis, &c.*
e *lib. 12. & præsertim ad tres præcipue Libros posterioris Codicis.*
f *L. Boethos ult. & alibi.*
g *In notitia Romani Imperii post Novell. 8. L. nulli* 10. *C. de Numerar.*
h *L. Boethos 4. C. de Tabulariis.*
i *L. 3. C. Theodosiani, de agentibus in rebus, in fine ejusdem Leg. 3.*
k *Pancir. Var. lib. pr. c. 26.*
l *In Codice Theodosiano tit. de numerariis, actuariis &c. L. 3. 5. 7. 8. Constantinus Imper. in C. Justiniani tit. de jure fisci L. 7. & ibi Cujac.*
m *Arcadius Jurisconsultus, in L. Munerum, ut §. Hi quoque ff. de Muneribus, & Honoribus.*

a *Justin. Auth. de defens. Civ. collat. 3. §. Præcepta.*
b *Justin. in auth. §. Si vero quædam.*

SCIPIONIS GENTILIS
DISPUTATIONUM
ILLUSTRIUM,
SIVE
DE JURE PUBLICO
POPULI ROMANI
LIBER.

AD NOBILISSIMUM

CHRISTOPHORUM PFLUGIUM

AB EITERN, EQU. MISN.

SCIPIO GENTILIS

S. D.

CHRISTOPHORO PFLUGIO

S U O.



Eneficium qui recte ponit, accipit. Hunc versiculum, si nullius veteris Poetæ est, pro tuo vendito. Disputatio una tua de justitia & jure, quam nomini meo inscripsisti, peperit tibi has quatuor de jure publico disputationes. Tibi, inquam, mi Pflugi: qui non solum cupis scire, quid populus Rom. de jure parietum aut aquarum cautum habuerit, sed etiam & multo magis quid de jure majestatis, de imperio, de libertate, de fœderibus, de bello, de jure sociorum, summa sapientia & invenerit & servaverit. His enim rebus scientia illa continetur, quam in Disputatione tua doctissima omnium humanarum disciplinarum principem & architectonicam appellas, recte; quod ab ea juris prudentiam distinguis, id etiam recte, etiam ex sensu meo. Ancillam vero hanc vocare, non te puduit? Dominam debuisti: imperat enim & præscribit omnia omnibus, etiam summo illi moderatori tuo. Sed ita est, jurisprudentia hodie putatur in stillicidiis, & cautionibus, aliisque juris privati rebus consistere: atque hac scientia scilicet Servius, Papinianus, Paulus, Ulpianus, innumerabiles alii, non Reipub. solum Rom. sed orbi terrarum præfuere. In aulam potentissimi & illustrissimi principis venisti, adscriptus es in familiarium illico numerum. Mirifice sum, cum id intelligerem, utriusque caussa gavisus. Sentio enim, quantus ille virtutis & doctrinæ amator & æstimator sit, & quam tu dignus, qui ameris & æstimeris. Nosti me minime hominem esse blandum: sed faveo mirabiliter gloriæ tuæ: neque te mihi quisquam est charior. Titulum illustrium quod his disputationibus præfigi passus sim, non eo factum est, quod res per se fortasse parvas nobilitare magnificis verbis voluerim; sed ut a vulgaribus & omnium jam ante puerorum ingenio atque exercitatione tritis disputationibus disjungerem. Si non omnia exacte a me tractata fuerint; primum cogita, has Theses esse, non tractatus: deinde quibus studiis me muneris & professionis meæ ratio devinxerit. Ad scopulos mihi vides Accursii & Bartoli consenescendum esse; atque hanc adeo me habere illi mentis bonæ sorori gratiam, æquum est. Bene vale!

Altdorph. in Provincia Norici.

AD CLARISSIMUM VIRUM,

SCIPIONEM GENTILEM JURISCONSULTUM, CHRISTOPHORI COLERI EPIGRAMMA.

Quod quondam Maro, quod divino Tullius ore,
Scaliger hoc aliquis Lipsiadesve hodie
Cumque suo æstimio tenet; atque ita vertice cœlum
Tangit, & hinc aliquid fertur habere DEI.
SCIPIO *tu quod utrumque tenes; quod versibus istum*
Quod linguæ vincis huncce lepore virum,
Non satis esse putas. Parta en jam tertia palma,
Defregit propriis quam Themis arboribus.
Jure adeo quisquam insinuando dixerit in te
Virgilium, Marcum, vivere Sulpitium.
SCIPIO *quid miramur adhuc tria corda Rudini?*
Tu tria corda simul tresque tenes animas.

IN THESES POLITICAS *VIRI CLARISSIMI* SCIPIONIS GENTILIS JURISCONSULTI.

Cui te, SCIPIO, *comparem Deorum?*
O quem te rear? alterum anne Phœbum?
(Te namque Aonides patrem salutant)
An Hermem potius, disertioris
Cui vis lucida tanta dictionis?
Cui tam copia suppetat beata?
At te progeniem suam Minerva
Agnoscunt potius paterque Consus:
Namque hoc edita scripta nunc loquuntur,
Et præscivimus ante, & ipsa nobis
Fassa est INVIDIA *ore virulento,*
Te nil cultius esse doctiusve,
Nil venustius elegantiusve;
Nec prudens mage, nec magis decorum.

Michael Virdungus, Fr.

DISPUTATIO DE PRINCIPATU ROMANO.

THESIS I.



Regio Imperio Romæ fuerunt hi, Reges, Consules, Decemviri legibus scribundis, Dictatores, Triumviri Reipublicæ constituendæ, denique & omnium maxime & diutissime Principes.

II. Quod Pomponius scribit, Initio civitatis nostræ omnia manu a Regibus gubernabantur, quod nihil aliud est, quam summum omnium rerum arbitrium ac judicium penes eos fuisse: id de Regibus Romanis dici non posse, nec a Pomponio dictum existimamus.

III. Provocationem a regibus non fuisse, contra Ciceronem & Senecam defendemus.

IV. Consulum imperium plane regium fuit ante legem Valeriam, quam & aliæ complures deinceps secutæ, Consulari minuendo imperio latæ.

V. Ne Senatusconsulti quidem illius extremi: *Darent operam Consules, ne quid Respubl. detrimenti caperet*: ea potestas fuit, quam omnes ex Sallustii præcipue verbis in Catilinario colligunt, ut summum & sine provocatione imperium, & animadversio in caput civis Consuli concederetur.

VI. Imo nec relegandi jus Consulibus fuit, quæ minor exilio est pœna. Turpissimus & hac in re Gabinius Consul, qui L. Lamiam equitem Rom. quod ausus fuisset pro M. Tullio deprecari, in concione relegavit.

VII. Militiæ tamen Consul imperium summum habuit, utilissimo instituto: contra quam aliæ Respublicæ, nostri præsertim temporis, atque Italicæ.

VIII. A Decemviris legibus scribundis pariter provocatio non fuit.

IX. Sicut neque a Dictatoribus, etiam iis, qui creati sine illa adjectione, OPTIMA LEGE.

X. Dictatura L. Sullæ, & C. Cæsaris, regna, non Dictaturæ fuerunt. Quare ut reges rogatione Junia Tribunitia, sic Dictatores lege Pompeja, dein lege Antonia non sine execrationibus a Republ. summoti sunt.

XI. Triumviri Reipub. constituendæ, potestatem illis temporibus necessariam, quamvis teterrime exercuerint proscriptionibus: jure tamen quodam belli atque hostium exercuisse dici possunt. Hæc enim in proscriptione etiam Florus nominat L. Sullæ, cujus illi discipuli tres, ut Satyricus loquitur. Juste etiam Cicero, proscriptorum liberos ab honoribus atque administratione Reipublicæ summovit, quamvis causam non improbaret.

XII. PRINCIPIS nomine Rempublic. primus constituit Octavianus Cæsar, qui postea Augu-
A stus: optimo consilio & Reipub. ac generi humano salutari.

XIII. Principatus & dominatio, id est, regnum, a Plinio in Panegyrico diversa natura dicuntur, itemque Princeps & dominus, id est, rex. Similiter Ovid. ad Romulum de Augusto: Tu domini nomen, Principis ille tenet.

XIV. Neque id ad speciem tantum externam insigniaque pertinet, qua ratione dixit fortasse Tranquillus de Caligula: nec multum abfuit quin statim diadema sumeret, speciemque principatus in Regni formam converteret.

B XV. Sed ad rem atque vim, si ex Augusti institutis aliorumque bonorum principum, non sceleratorum & furiosorum æstimetur.

XVI. Veterum Rempublic. principatu Cæsarum non mansisse quis neget? at fuisse aliquam certe credimus: & quæ media inter regnum & optimatum statum esset. Sicut antea mista ex optimatum & populari fuit.

XVII Nam Augustus provincias etiam imperii inter se & Senatum partitus est, & Consilium publicum magna cum usurpatione libertatis reliquit, legibus se solvi noluit, & consilio in omnibus rebus est delectorum Senatorum, exemplo Romuli,
C usus, & in leges, ut cæteri magistratus, juravit, &c.

XVIII. Verum enim vero secuti Imperatores vim Principatus nimis intendere: & simulachra potius, quam jura libertatis, sub illis erant. Denique quod de Deo Tertullianus scribit, ab illis translatum est: imperium summæ dominationis penes unum, officia ejus penes multos esse. Apologet. cap. 24.

XIX. Nemo acrius & frequentius, quam Cornelius Tacitus simulachra ista & imagines antiquæ Reipubl. ac libertatis notavit. Eaque nos tanquam speciem Arcanorum Imperii ponimus.

D XX. Arcana imperii sic definimus: Rationes Principatus maxime occultas, quibus aliud agitur, aliud agi simulatur, ut de dolo scripsit Servius, sive Aquilius. Sed addamus: Bono publico.

XXI. Vir prudentissimus Tiber. Decianus Jurisconf. Rempublic. Romanam post Cæsaris potentiam iis rationibus liberam fuisse adfirmat. Primum, quod non ab aliquo rege vel populo victa, & statum mutare coacta fuerit, sed a cive & suis armis legem acceperit. Deinde civitas ipsa, lege regia, quæ de imperio Principis lata ab Ulpiano dicitur, potestatem tantam detulit civi suo. Denique post mortem cujusque Imperatoris novum
E ipsa sibi Principem eligebat, repetita in singulis eadem lege regia, sicut ex tabula marmorea constat, in qua lex incisa de imperio Vespasiani, alisque veterum testimoniis. Adde, quod & memoriam mortuorum Principum damnare, atque ignominia notare Senatus populusque consueverunt, si qui male scelerateque egissent.

XXII. Pacta etiam & fœdera cum Republ. li-

bera icta factaque manere sub principatu existimamus.

XXIII. Libertatis ambiguum nomen est. Alias pro forma Reipubl. ponitur, eaque populari vel optimatium: alias pro conditione & jure optimo parentium, id est, civium.

XXIV. Sic Nerva in edicto suo apud Cæcilium Plinium: CIVES MEI. Contra sceleratus princeps: SENATUI POPULOQUE COMMODIANO.

XXV. Non igitur ubi regnum est, ibi libertas non est. Eleganter & vere Claudianus. — Nusquam libertas gratior ulla est, quam sub rege pio. Et reges olim habitos a Romanis scribit Sallustius conservandæ libertatis atque augendæ Reipublicæ caussa.

XXVI. Neque tamen non illi falluntur, qui ex populi, & unius, id est, Principis imperio Romanam Rempubl. nobis componunt. Hujusmodi enim forma aut non est in ullo Rerumpublic. numero habenda, aut deterrima est, ut recte Aristoteles adversus Socratem disputat in Politicis.

XXVII. Senatus magnam video sub principibus dignitatem ac potestatem fuisse, populi nullam.

XXVIII. Denique omnem potestatem suam, omneque imperium in Principem populus transtulit, ut Ulpianus scribit: quam tamen cum Senatu fere Principes boni communicavere, ut & Reges olim, excepto Superbo.

XXIX. Cujus potestatis operæ pretium est præcipua quædam capita exponere: quæ alii jura majestatis; Salisburiensis, quæ de regni majestate licent, appellant.

XXX. Eam omnem potestatem duabus rebus contineri putamus, & ut princeps legibus solutus sit, & ut legem cæteris det. Utrumque recte ordine, & ex usu Reipub.

XXXI. Legibus solutus, id est, omni jure scripto, ut Dio & Zonaras scribunt. Pessime, qui ad certas leges hoc referunt.

XXXII. Sed tamen est aurea, vel divina potius illa Imperat. Theodosii & Valent. sententia. Revera majus imperio est, submittere legibus principatum. Cur majus? Nam facere recte cives suos Princeps optimus faciendo docet; quumque sit imperio maximus, exemplo major est, ait Vellejus Paterculus. Causam si altius, & cur exemplo major, sciscitens, illam dabimus, verbis Symmachi, judicio nostro; Quia amari, diligi, coli majus imperio est. Item Corn. Taciti: Obsequium inde in principem, & æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus, & metus.

XXXIII. Sed an suis legibus Princeps obligatur? non putamus: nisi ipse nominatim se iis adstrinxerit: ut nostro sæculo PHILIPPUS Austriacus, maximus Regum, in Pragmatica sanctione de Titulis ordinum ac dignitatum, memorabili exemplo & dignissimo æternitate.

XXXIV. Antecessorum quoque suorum legibus non teneri, verius est. Alia ratio est, Donationum atque pactorum, &c. de quibus postea.

XXXV. Filii principis autem, ipsaque Augusta omnibus legibus tenentur, licet negent summi viri.

XXXVI. Proprium Principis est, alium legibus solvere certis, non omnibus, aut omni tempore. Id olim Senatus consueverat facere. Divus Augustus, ut conjux Livia lege Voconia solveretur, a Senatu petiit: Tiberius, ut liberi sui, legibus Annariis.

XXXVII. Eo pertinet, quoties solemnitates legum Princeps supplet, in testamentis, in adoptionibus, in liberis non jure quæsitis, aliisque rebus. Eodem & Privilegia.

XXXVIII. Quare & supra leges Principem esse, recte dicitur, ut dictatura a Dionysio Halicarnasseo supra leges, & tamen legitima quædam tyrannis appellatur.

XXXIX. Sed & jus Dominationis (quod vulgo Itali & Galli, Ragion di stato, appellant, omniumque passim cum Philosophorum, tum aliorum disputationibus & convicio vapulat) nos & huc referendum putamus, & justissimum, si recte intelligatur, esse dicimus.

XL. Definimusque ut sit superior quædam ratio atque jus, derogans alicui juri usitato atque communi, boni publici caussa; dum ne fides aut religio violetur.

XLI. Exempli gratia, Claudius Imperator Agrippinam fratris filiam contra leges & jus civile duxit: Tiberius Cæsar Agrippinam nubere iterum prohibuit; justissime uterque, nec alio, quam hoc jure Dominationis.

XLII. Jure gentium obligari Principem dubitari non debet, sive cum externis sive cum suis aliquid gerat aut contrahat.

XLIII. Pacta igitur & conventiones, etiam nudas servare Princeps tenetur, obligaturque illis: cum privati conventionibus nudis non obligentur.

XLIV. Antecessorum suorum contractus etiam observare debet, nec distinguimus, jurene hæreditario, an liberis suffragiis successerit.

XLV. Donationes aliaque beneficia, a superioribus concessa principibus, ex instituto Tiberii Cæsaris non aliter rata habebantur a successoribus, quam si eadem iisdem & ipsi dedissent. Primus præterita omnia uno confirmavit edicto Tit. Vespasianus; deinde id Nerva Cæsar æmulatus.

XLVI. Sed donationes si modum excesserint, aut in indignos collatæ fuerint, meritissime revocantur, ut Senatus olim post mortem Neronis, ut Parisiensis Curia non semel.

XLVII. Conventionibus publicis sive cum hostibus & barbaris factis quin valide Princeps obligetur, dubitari non debet. Servanda enim fides omni hosti data est, dum justo.

XLVIII. Contra sentimus de Piratis, Prædonibus, Fugitivis, aliisque similibus, cum quibus nulla esse commercia belli debent. Ergo nec legationes ab iis recte mittuntur, & legatis eorum retentis aut occisis jus gentium & fas armorum non violatur.

XLIX. Legi Tribunitiæ, quæ de imperio Decemvirum legibus scrib. lata, simul & Consularem & Tribunitiam potestatem in eos contulisse a Dionysio dicitur, hoc est, omnium rerum agendarum vel prohibendarum jus: simillima lex Regia de Imperio Principis lata nobis videtur.

L. Primum quæ ad res divinas religionemque pertinerent, ad arbitrium Principis delata sunt; quod olim non tam penes collegium Pontificium, ut vulgo putant, quam penes Senatum fuisse summum illud quidem, & maximum, nobis constat.

LI. Novos deos adsciscere vel repudiari etiam sub Principibus, & cum illi pontifices Max. forent, jus Senatus erat. Qua de re memorabile decretum vetus Tertullianus refert, quo Christum Servatorem nostrum inter deos accipere Tiberius prohibitus est.

LII. In rebus humanis primum locum obtinent, legumlatio & magistratuum creatio. Utrumque in ditionem Principum datum est, translatumque a populo.

LIII. Sed & alia summi imperii, quorum quædam tantum & breviter subnotabimus, aliterque quam ab aliis factum sit. Primum est, extrema provocatio, quam licet cum Senatu sæpe com-

municaverint Principes, eorum tamen propria fuit.

LIV. Secundum, jus vitæ & necis, cujus insigne pugio de collo suspensus, ut in Vitellii historia legimus. Solus igitur Princeps condemnatos absolvere potuit.

LV. Tertium, Legatos de quavis re publice mittere ac missos suscipere, quod unicum majestatis simulacrum Reges Galliæ olim sub Præfectis prætorio retinebant.

LVI. Pars etiam majestatis fuit, ne quis præter Principem publice ad Senatum scriberet.

LVII. Quartum, jus monetæ percutiendæ. Quod tanti semper fecere Turcarum Imperatores, ut receptis in fidem Regibus ac Dynastis, cum omnia permitterent, hoc unum, ac præterea Hutbas, id est, preces, quæ pro salute Principis in templis concipiuntur, perpetuo exceperint. Rectissime.

LVIII. Quintum, Summum militiæ judicium habere, bellique suscipiendi, gerendi, finiendique summam potestatem.

LIX. Non est justum bellum, nisi quod Princeps ipse indixit, vel indictum illatumque suscepit, quæ potestas olim populi fuit. Nec tamen Cato recte, qui C. Cæsarem nudum vinctumque dedendum Germanis censebat, quod bellum iis injussu populi intulisset. Idem & de Britannis petitis existimamus.

LX. Inducias faceres dux exercitus sive legatus Principis potest, easque non longas. Pacem si cum hoste fecerit, ita valebit, si Princeps ratum habuerit.

LXI. De pace Caudina ita sentimus, jure rescissam a Senatu Romano, jure deditos Consules. Sponsio ea fuit, non pax.

LXII. Sextum, idque omnium latissime patet, quod omnia princeps possideat, imperio tamen (ut Seneca ait) non dominio.

LXIII. Adimere privatis aut civitatibus suas res suaque jura ita Princeps juste potest, si & caussa publica urgeat, & aliquo pretio, vel alia re iis, quibus ademit, satisfaciat.

LXIV. In externos autem alienare provincias aut res imperii nullo modo eum posse credimus.

LXV. Augusti consilium coercendi intra certos terminos imperii, in ipso prudentia (Ita enim metum apud Tacitum interpretamur) in Hadriano invidia fuit.

LXVI. Vel ex hoc uno deprehenditur stultitia illius sententiæ Interpretum juris, qui Rom. Imperatorem totius orbis terræ sine exceptione dominum esse contendunt, aut jus in omnia regna habere.

LXVII. Imo nec in ea quidem jus habet, quorum aliquando fuit dominus & jam amisit: quoniam quo jure quæsierat, eodem perdidit &c. Lud. Vives in lib. 5. de civ. Dei, cap. 25. ubi ad finem addit: impiam hanc esse & indoctam Juris consultorum argutationem. Vere: sed non omnium tamen.

LXVIII. Si quæ regna aut provinciæ testamento Regum donatæ sint Cæsari, ut a Polemone Cottiæ Alpis, a Prasutago Iceni Neroni de iis liberum arbitrium Cæsarem habere etiam usque ad alienandi potestatem & donandi censemus.

LXIX. Secus est, si quæ populo Romano, ut Ægyptus testamento Alexandri Regis, ut Attali

A Pergamus, Ptolomæi Cyræne. Quæ exempla non ignoravit doctissimus Kranzius, imo diserte ea exprimit lib. 2. Dan. cap. 4. ut absurditatis & ἀνιϛορησίας tam graviter accusari ab Hotomanno non meruerit.

LXX. Res sacras, puta templa & numinum effigies cærimoniasque, in Italicis oppidis juris atque imperii Romani esse, Taciti lib. 3. Ann. scribitur. Nos in tutela potius, quam in ditione Cæsaris collocamus.

LXXI. Loca publica & possessiones atque agros si utilitas Reipub. postulet, alienari a Principe Rom. posse dicimus.

B LXXII. Solus populus (non etiam Senatus) olim potuit largiri de ærario, stipendia constituere, agros dividere, urbes donare, vectigalia imponere vel remittere: item publicanis partem remittere, ut Manutius recte. Et Princeps igitur solus.

LXXIII. Quæ in jure civili Universitatis esse dicuntur, communibusque usibus serviunt, in iis quoque judicium Princeps summum habet, ædificando, reficiendo, mutando. Huc pertinet, quod licere Principi dicitur concedere privato aquam per viam publicam ducere: sed sine incommodo publico.

C LXXIV. Alia quoque ad ærarium populi proprie, alia ad Fiscum Principis, alia ad civitatium communes arcas pertinent.

LXXV. Res fisci sunt illæ quidem propriæ Principis, sed ut Principis, id est, jure & ratione principatus: ut Thesauri, ut prædia, quos agros Cæsaris Tacitus vocat. Pauci, inquit, per Italiam Cæsaris agri: ut vectigalia, mulctæ pecuniariæ, damnatorum bona, & similia, data Principi ad dignitatem suam tuendam ornandamque.

LXXVI. Aliæ sunt res patrimoniales, & pa-
D trimonium Principis, res dominicæ, res privatæ Principis, substantia principis &c. Hæ res enim plenissimo jure ad eum pertinent, alienandique & donandi summum arbitrium habet. Et testamentarium, & legitimum in iis heredem habet.

LXXVII. Quod Zonaras scribit, legibus permissum esse Principi res alienas donare, de bonis vacantibus, vel reorum & damnatorum, intelligendum est.

PARERGA MILITARIA.

I.

E *NON esse peditatus, quam equitatus majorem rationem habendam, eamque ad rem perperam vulgo atque a prudentissimis viris objici instituta Romana.*

II.

Vere a Q. Curtio & aliis dictum: Nervos belli pecuniam esse: verius a Muciano: Belli civilis.

III.

Arces & propugnacula adversus hostes extrui, utilissimum: neque aliud sensisse Romanos, contra quam scriptor callidissimus putat. Denique non aliam ob caussam clade Variana tam fœde exterritum Augustum existimamus.

F

IV.

Germanos non tam disciplina militari a Romanis superatos fuisse, quam genere pugnæ, genere armorum.

DISPUTATIO
DE
LEGE CLODIA
DE VI.

THESIS I.



DE LEGE CLODIA bipartita disputatio est. Una est, de Vi & jure ipsius Legis. Altera, de Restitutione Ciceronis adversum Legem.

II. Primum, valueritne Lex Clodia, & Ciceronem tenuerit, magna quæstio est. Vitia in ea fuisse videntur summa quatuor. Primum ducitur a persona Clodii legislatoris. Secundum a latione seu solennib. Legum. Tertium ab inepta scriptione, inutilique promulgatione legis. Quartum a re lege comprehensa. De quibus ordine videndum est.

III. A persona Clodii dupliciter lex illa reprehenditur. Cum enim Tribunus plebis eam tulerit, probare Cicero conatur, non fuisse eum Tribunum plebis; primum, quia non juste, non rite patricius ad plebem trasinerit adoptione Fonteii: deinde quia Tribunus vitio creatus fuerit.

IV. In adoptione Clodii multa reprehenduntur; quædam vere, quædam falso, nulla sic, ut negari debeat, Tribunum pleb. potuisse Clodium fieri.

V. Falsum est, potuisse patricium adoptari a plebejo, in quo tamen vehementissimus est Cicero in Orat. pro Domo. Neque obstat illa ratio generum, dignitatis, sacrorum & magistratuum patriciorum, quæ omnia deleri & confundi dicit cum pernicie Reip. si ejusmodi adoptiones recipiantur.

VI. Nos contra & juste hoc fieri posse, & multos clarissimos patricios sine ulla reprehensione a plebeiis hominibus adoptatos fuisse, & vanum illum metum Ciceronis, accusatoriumque dicimus.

VII. Falsum, hoc jus adoptionis esse, ut is tantum adoptet, qui neque procreare jam liberos possit, & cum potuerit, sit expertus.

VIII. Falsum, non rite adoptionem Clodii factam esse, nam & lege Curiata, uti oportebat, a C. Cæsare traductus est ad plebem Clodius: & jus Augurale in ea vel servatum est, vel servari non debuit abrogata lege Ælia: &, quod caput est, Pontificum intercessit cognitio atque decretum.

IX. Falsum, simulatam istam adoptionem fuisse Clodii. Et collectio ista sane mendosa, Emancipatus paullo post est a Fontejo Clodius. Ergo adoptio quasi simulata minime valuit.

X. Nec ignoro, cum alia nobis, tum gravissimum Senatusconsultum illud objici posse, quo simulatas adoptiones, & ad exiguum tempus factas, emancipatione secuta, Cornel. Tacitus scribit, rescissas fuisse, principatu Neronis.

XI. Illa ficta adoptio videtur mihi, incesti nomine notanda, de qua sic scribit D. Hieronymus in epistola quadam ad Rusticum, Novi ego quas-

A dam jam maturioris ætatis, libertini generis adolescentibus delectari, & filios quærere spirituales, paulatimque pudore superato, ficta matrum nomina erumpere in licentiam maritalem. Alio modo fiunt filii spirituales per capilli desectionem.

XII. Nec tamen jus illud cognationis spiritualis admodum probo; nec vetustate, aut religione, aut sapientia commendari potest, quamvis jure pontificio, orientali præsertim, diligenter sancitum atque munitum. Vereque Cujacius in lib. 4. Decretalium scribens, juris hujus arbitrium totum in hominibus esse ait.

B XIII. Verum est, majorem ætate a minori adoptari non posse, quamvis fortasse interdum justa de caussa concedendum videatur: veluit si rex sit, qui procreare non possit, & liberis egeat, munimentis dominationis verissimis, omniumque maximis.

XIV. Cicero: *Factusque ejus filius contra fas, cujus pater esse potuisti*: Id nos ut concederemus, tamen cognitioni & decreto Pontificum standum dicimus.

XV. Verum & illud, ad perniciem Ciceronis, & animo pravo, ut Rempub. perturbaret, adoptionem illam a Clodio quæsitam fuisse, neque tamen propterea injusta habenda est, aut irrita. Aliud

C diceremus; si calumnia, si fraus, si dolus, ut Cicero pugnat, adhibitus fuisset.

XVI. Verum denique concedatur, non transiisse in nomen Fonteii Clodium: sed Parologismus est. Ergo nec suam familiam perdidit, nec in alienam transiivit; quod versute Cicero involvit.

XVII. De nomine etiam tentabimus dicere; nec necessario imo nec usitato nomen adoptivi filii perdi, si patricius præsertim a plebejo adoptetur. Cicero 2. de Legibus: Quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius.

XVIII. Juste igitur riteque P. Clodius adopta-

D tus. Sed an & ita creatus Tribunuspl. de quo sic Quinctilianus lib. 2. Instit. c. 4. ubi exponit ea quæ de legibus communiter quæri solent. *Ut cum de jure, inquit, dubitari potest ejus, qui rogat, ut de P. Clodii, qui non rite creatus Tribunuspl. arguebatur.*

XIX. Nos juste riteque creatum defendemus.

XX. Ex his conficitur, cum Tribunuspl. fuerit, si aliud nihil obstaret, rogationes ab eo recte institutoque majorum ferri potuisse, & valuisse latas. Idemque & Cato non solum voce, sed etiam factis manuque defendit, etiam adversus ipsum Ciceronem, cum is Leges Clodias resti-

E tutas e Capitolio revelleret.

XXI. Secundum vitium a solennitatibus legum ducitur, quas non esse servatas in Lege Clodia dicit Cicero. Quod nos pariter falsum & inane existimamus.

XXII. At Trinundino promulgata non fuit, at per vim fuit. De vi, falsum est. de Trinundino, ridiculum.

XXIII. Tertium vitium illud in Lege Clodia carpitur, quod inepte & non necessario scripta fuerit.

XXIV. Inepte, quia non legitimis verbis. Nam in Lege Clodia nullum fuisse verbum ait, quo sua domus consecraretur. Sed hoc quid ad rem? non igitur non legitimum, si nullum fuit, esse potuit. Nec sequitur, Lex Papiria Tribunitia vetat, injussu plebis ædes consecrari: ergo hoc verbo utendum est consecranti. Sed de hoc postea.

XXV. Deinde, quod his verbis latum sit, ut AQUA ET IGNI INTERDICTUM SIT. Debuisse enim sic scribi, ut INTERDICATUR; multis & vehementibus verbis contendit, quia non possit fieri, ut interdictum sit, cui non sit interdictum; & quod factum non est, ut sit factum. Nemo non videt, dolori potius, quam sapientiæ hanc reprehensionem adscribi Ciceronis oportere.

XXVI. Illa gravior quæstio est, rectene, an accusatorie tantum reprehenderit edictum C. Verris in verbis similibus Cicero. Edixit enim secundum legem Voconiam Verres. SI QUIS MULIEREM HÆREDEM FECIT, FECERIT. Negat Cicero præteritum tempus comprehendi oportuisse, & recte meo judicio negat.

XXVII. Sed est acerrima Francisci Hotomani pro Verre disputatio, lib. I. observat. cap. I. mihi etiam illo excepto, tota vera. Moveor cum rationibus gravissimis, tum illis D. Augustini verbis lib. 3. de Civitate DEI, cap. 20. Qua Lege (id est, Voconia) quid iniquius dici aut cogitari possit, ignoro.

XXVIII. Denique negat Cicero scripsisse in sua lege Clodium quicquam, quo minus Cicero in civium numero esset. Sed hæc reprehensio aut ad superiorem illam pertinet, ut interdictum sit: aut alienissima est. Carpit autem Cicero illa verba legis, quibus Clodius tulit. Ne Cicero RECIPERETUR, non autem ut EXIRET.

XXIX. In eo, quod scriptore Sex. Clodio usus Pulcher est; notandus nobis mos est veterum Romanorum, a me aliis etiam ex locis observatus, munus hoc etiam fuisse Jurisconsulti, dictare & scribere magistratibus leges, quo quid splendidius aut magnificentius dici potest?

XXX. Non necessario nova Lex lata a Clodio videtur, ideo, quod essent antea in civitate cum leges de Vi, puta cæde, tum nominatim plurimæ eæque sanctissimæ adversus magistratus, qui injussu populi civem Romanum necassent.

XXXI. Eadem ratione reprehendit, timide tamen, Cn. Pompejum Cicero, quod de cæde in via Appia facta tulisset. Nam & erant etiam leges de vi, ut Cicero ait; & privilegium in Milonem ferri videbatur; ut Cœlius Tribunus pleb. clamabat. Injustissime uterque.

XXXII. Est quidem in Repub. perniciosum multas de eadem re leges ferre, ac præstat veteres, quamvis incommodiores tueri, quam novas licet meliores sancire, ut prudentissime Cilnius Mœcenas monet Augustum apud Dionem.

XXXIII. Sed & Leges ipsæ senium patiuntur, ut renovari iterum debeant, ut accidit legibus sæpe XII. Tabularum, quæ in aliarum nomina legum abiere, teste Macrobio: & in hac ipsa re nostra, tres Valeriæ leges ex eadem familia extitere: quia plus paucorum opes, inquit Livius, quam libertas plebis poterant.

XXXIV. Accedit & illa ratio, quod alia quoque, & alio modo novis legibus sanciantur, quod in lege Clodia factum est, præsertim in sanctione ejus, ac pœna.

XXXV. Jam vero in eo tanquam imperfecte scriptam carpit Cicero legem, quod non esset ea cautum, ne suo eum loco Censor in Senatum legeret. Quod omnibus, inquit, etiam quibus damnatis interdictum est, scriptum est in legibus.

XXXVI. Sed facilis defensio est; primum, qui civis non est, is nec Senator est: deinde etiamsi civis esset, tamen ea clausula superflua esset, idque propter legem Cassiam, qua cautum erat, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in Senatu ne esset.

XXXVII. Quartum & postremum vitium legis Clodiæ ducitur a re pœnaque ea lege sancita: quod sanciri jure, more institutoque majorum non potuerit. Idque vitium bifariam partitur, atque exagitat Cicero.

XXXVIII. Primum, quod lex Clodia ista, non lex, sed Privilegium sit; quod ferri de cive & irrogari vetant leges tum sacratæ, tum XII. Tabularum. sic & a Cælio, ut dixi, oppugnata lex Pompeja, Pædiano teste.

XXXIX. De Pompeja difficilior res est. Sed animadverti, quia ea lex ex authoritate Senatus lata est, qui vim illam CONTRA REMPUBLICAM factam judicavit, idcirco non videri obstare veteres illas leges, atque instituta majorum. Adhæc, nominatus illic non est Annius. Denique & gravior pœna, & forma judicii brevior atque expeditior ea lege sancita est.

XL. Legem Clodiam, aperte nego privilegium dici posse. in quo animadvertenda est ingeniosi & ardentis & vulnerati Oratoris calliditas. Duas enim tulit Clodius leges: Unam generalem de Vi. QUI CIVEM INDEMNATUM NECASSET. Fuit igitur scripta in omnes. Verum tamen est, quamvis ea lege non nominaretur Cicero, solus tamen (ut Velleii verbis utar) petebatur.

XLI. Huic legi quod Cicero cessit, vestemque mutavit, postremo in exilium abiit, timide & imprudenter ab eo factum est. Quod & ipse agnovit: Cæci, cæci, inquit ad Atticum scribens, fuimus in vestitu mutando, &c. lib. 3. epist. 15.

XLII. Alteram specialem quidem, & nominatim adversus M. Tullium Ciceronem, sed justam tamen, ut exilium illud ei justum ratumque esset, definito etiam spatio locorum, intra quod aqua atque igni arcebatur: item pœna in recipientes, & ipsum Ciceronem, ni paruisset.

XLIII. Huic legi cedere debuit tanquam rei judicatæ & quidem a populo.

XLIV. Superioris legis vim tribus modis effugere eum putamus, etiam laudabiliter, potuisse. Primo, Senatum, equites, & bonos omnes opponendo rogationi. Deinde disceptatione ad populum & contentione judiciaria. Tertio legatione sibi a C. Cæsare, cui Gallia provincia obvenerat, humanissime oblata ad hoc ipsum.

XLV. Turpis igitur ejus fuga fuit, & merito non in ulla re aut facto suo defendendo magis laboravit, quam in hoc diluendo crimine; ut tum homines appellabant. Duo enim sibi objecta crimina ait, Crudelitatis unum (id est in Lentulum aliosque:) Discessus alterum, cum fugit.

XLVI. Latere autem & se occultare, turpe ei fuisset: raro enim non est turpe latitare.

Sed Ulpianus nimis calumniose Ciceronem reprehendit, quod latitare sic definivisset, turpis occultatio sui.

XLVII. Primum igitur hoc vitium de privilegio nullum est in Lege Clodia. Alterum objicitur, quod eædem Leges XII. Tabularum de capite civis rogari, nisi maximo comitatu, vetent: id est, comitiis Centuriatis. Lex Clodia tributis rogata est, male.

XLVIII. Sed neque hoc quidquam valere debet ad Legis Clodiæ authoritatem elevandam. Neque enim de capite civis rogata est, & ut esset, judicio tamen populi reum tradebat, quod neque contra Leges fiebat, neque carebat exemplo. Et de Tributis, contra suo.

B XLIX. Sic in lege Pompeja, in qua nominatim cædes in via Appia facta comprehendebatur, præscriptum fuit, ut Quæsitor suffragio populi ex iis, qui Consules fuerant, crearetur: creatusque Cn. Domitius Ænobarbus.

L. Quod autem posteriori lege nominatim Ciceroni pœna irrogata est capitis, id est, aquæ & ignis interdictio: ita interpretari debemus, quemadmodum Fulvio olim, cui dies ad populum dicta fuerat, in exilium voluntarium profecto, latum ad populum est, ut id ei exilium justum esset: teste Livio.

C LI. Sed instat atque urget Cicero his verbis in Orat. pro domo: Nego potuisse jure publico, legibus iis, quibus hæc civitas utitur, quenquam civem ulla ejusmodi calamitate affici, sine judicio. Hoc jus in hac civitate etiam tum, cum reges essent, dico fuisse: hoc nobis esse a majoribus traditum: hoc esse denique proprium liberæ civitatis, ut nihil de capite civis, aut de bonis, sine judicio Senatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re constituti judices sint, detrahi possit.

D LII. Vera hæc sunt omnia (nisi forte quod de Senatus judicio ait) sed Ciceronem nihil juvant: cum judicium non expectarit, exiliumque sibi ipse irrogaverit.

LIII. Ad idem genus vitii, ex re scilicet ac pœna sancita ductum, pertinet, quod objicit Cicero Clodio, de pluribus eum rebus conjunctim & uno sortitu tulisse; de capite, inquam, de bonis fortunisque omnibus, idque contra legem Cæciliam & Didiam: item contra morem judiciorum a majorib. institutum, ne pœna capitis cum pecunia conjungeretur. Sed nihil hæc aut parum legem Clodiam tangunt.

E LIV. In hunc locum nobilissima illa quæstio incidit, possitne absens damnari, de crimine capitali. Nam posterior Lex Clodia judicii & damnationis instar habuit. Aberat autem Cicero eo tempore Vibonemque pervenerat. A Vibone, inquit, quo tempore arcessebamus, subito discessimus: allata est enim nobis rogatio de pernicie mea.

LV. De hac quæstione, omnium juris interpretum ingeniis ac disputationibus mirifice agitata, sic sentimus. Jure antiquo Romanorum reos capitalium criminum absentes damnari potuisse, exilioque & publicatione bonorum mulctari, si prius citati, non adfuissent: idque jus etiam sub regibus servatum: sic enim Marcii a Tullio Rege damnati, apud Dionys. Halicarn. lib. 4.

F LVI. Falso igitur, & accusatorio more Cicero C. Verrem accusat in libr. de Jurisdictione Sicil. quod Sthenium Thermitanum absentem inter reos recepisset capitalis criminis postulatum. Licebat id enim jure moreque; ut recte C. Verres pater aliique amici Romæ contendebant:

A idque etiamsi lis vel accusatio nunquam cum præsente instituta fuisset.

LVII. Una erat exceptio, si quis Reipubl. caussa abesset, is neque accusari neque damnari poterat, neque in judicium citari: in quo cæcus fuit Cicero, qui legationem a C. Cæsare oblatam repudiavit, deceptus Clodii, qui id timens, humanissime de eo loqui cœperat, simulatione, ut est apud Plutarchum.

LVIII. Nec movere nos aut C. Dolabellæ exemplum, de quo Cicero in prætura Siciliensi, aut Messii debet; de quo idem ad Atticum libr. 4. epistol. 14. Dolabellæ enim damnatio rescissa fuit: Messius e legatione tantum revocatus edicto Servilii prætoris, a Cicerone deinde defensus est.

B LIX. Si damnari absentes possunt, & defendi igitur, saltem quod ad caussam & excusationem absentiæ allegandam, non item quod ad agendam caussam. Sic cognitor Sthenio Thermitano datus.

LX. Successit postea jus, ne absentes inter reos referri possent, nisi accusatione prius instituta, liteve contestata cum præsentibus.

LXI. Lite autem non contestata absens damnari non potest. Neque tamen improbanda consuetudo horum temporum est, ut etiam capitalis sententia in absentem feratur, ut postea,

C si capiatur, capite mulctetur, quod & veteri Rep. & hac ipsa in caussa Catilinaria usurpatum scio a Senatu.

LXII. Neque propterea impune erit nocenti, qui abesse in crimine capitali quomodocunque cœpit, nam inter reos adnotatur requirendus, ejusque interim bona describuntur & obsignantur.

LXIII. Cujus rei is est effectus, ut, si intra annum redierit, recipiat bona, & innocentiam suam demonstrare possit; post annum autem rediens non recipit bona, ad defendendam innocentiam tantum admittitur.

D LXIV. Annus autem sic ponendus est, in eo quidem, qui accusatus abesse cœpit, ut a die accusationis institutæ; in eo, qui nondum accusatus, a die citationis numeretur.

LXV. Ad Ciceronem nostrum quod attinet, validissimum contra legem Clodiam argumentum est, quod nec citatus fuerit, ut ipse queritur & exaggerat; id enim fieri debuisse, ipsa ratio humanitatis, ut cætera taceam, docet: quamvis in evidentissimo crimine deprehensus quis esset, ut Marcii illi in cæde Tarquinii Regis.

E LXVI. Contra, subtilissime defendi potest, nec citari Ciceronem oportuisse, qui se ipse præsens in reos etiam retulisset, mutatione vestis & squalore & deprecatione, cesseritque urbe in exilium sua voluntate.

LXVII. Concludendum est igitur rite & salvis legibus salvoque more majorum Ciceronem Lege Clodia damnatum atque ejectum in exilium fuisse. Idque est, quod prudentissimi viri, & principes civitatis & amici ejus dicere solebant, Funus illud quidem Reip. fuisse, sed tamen JURE INDICTUM, & JURE egisse Clodium

F quod salvis auspiciis tulisset.

LXVIII. De crimine, propter quod crimen Lex Clodia eum urbe pepulit, disseramus. Quale sit, & verene an juste Ciceroni objectum sit.

LXIX. Duplex objectum fuit, ut conjicio, sed re unum: Tulit enim Clodius, quod cives indemnatos necasset, & quod falsum Senatusconsultum retulisset.

LXX. Duo hæc sunt. NECARE ET INDEMNATOS. Hoc Lex XII. Tabularum vetuit, teste Salviano, quam legem etiam regum temporibus fuisse docti putant, rectissime. Nam Lucretia ante XII. Tabulas se ipsa interfecit, quam Augustinus libr. I. de Civitate Dei multis capitibus tanquam ream homicidii agit, legesque & judices Romanos appellat. Nempe inquit, post patrata facinora nec quenquam scelestum indemnatum impune voluistis occidi, cap. 19.

LXXI. Illud necare civem, cum legibus populi Romani multis & sanctissimis, tum insigniter lege Porcia prohibitum fuit, quam etiam Ciceroni Consuli objicit vel Didio Silano Cæsar apud Sallustium, & ipse sibi in defensionibus suis Cicero.

LXXII. Sed defensiones quidem Ciceronis partim ex ejus scriptis observatæ, partim ingenio & doctrina erutæ, alio loco proponentur.

LXXIII. Pœna, si non paruisset legi Cicero, hæc erat in lege adjecta, ut a quovis impune interficeretur, quæ videtur nobis ex vetustis legibus repetita, cum caput ejus, qui contra legem faceret, consecrabatur.

LXXIV. Qua de caussa & proscriptionem sæpe eam legem Cicero nominat, non minus invidioso, quam absurdo vocabulo. Item, quia indicta caussa exterminatus. Sed hoc eodem nomine Sallustius in invectiva, animadversionem in conjuratos, atque eadem de caussa, vocat.

LXXV. Bifariam autem non parere legi videbatur, primum si intra certam diem, quam ei ad discedendum rogatio constituit, ultra quadraginta millia non pervenisset: deinde si post eam diem aliquo in loco intra illud spatium visus fuisset.

LXXVI. Eadem pœna & in alios lata fuit, qui M. Tullium tecto recepissent, quam pœnam (inquit ipse pro Domo) omnes neglexerunt; oratorie. Duo enim soli sunt M. Lænius Flaccus, & Sicca, & forte Cn. Plancius Quæstor. C. quidem Virginius Prætor Siciliæ, ne eo accederet, literis ei denunciavit. At Vibius homo Siculus & vafer, beneficiis Ciceronis usus, fraudem fecisse legi videtur, cum negavit se eum in ædes recipere, sed fundum aliquem assignare velle, quo lateret.

PARERGA.

I.

Imprudentes faciunt principes, qui in collocutionem ipsi descendunt: longe enim præstat, ut res controversas & odiosas, curent per legatos viros bonos & prudentes componi.

II.

Legati non sunt violandi, etiam si sub prætextu legationis aliud moliantur.

III.

Domesticum militem externo & ascito esse præferendum.

IV.

Cum justum bellum suscipitur ut aperte pugnet quis, aut ex insidiis, nihil ad justitiam pertinet. Imo facinorum militarium ea esse minoris laudis cum Polybio asserimus, quæ propalam & per vim perpetrantur, his quæ ex occasione, & per dolum. Non utilia ergo solum stratagemata, sed etiam gloriosa.

V.

In Imperio militari mandando, peritia rei militaris potius, quam virtus spectanda.

DISPUTATIO DE LEGE CORNELIA, DE RESTITUTIONE M. T. CICERONIS.

THESIS I.



CICERO ob cives Romanos & contra Legem Porciam, & indicta caussa necatos, lege Clodia juste pulsus est: justius adversus eam legem restitutus.

II. De hac restitutione igitur hæc nobis ordine exponenda sunt, ad disputandum. Primo caussæ, & rationes restitutionis. Secundo, cum sine restitutione aliqua recuperare statum & civitatem non potuerit, cujusmodi ea restitutio esse debuerit. Tertio, quænam illa restitutione contineantur.

III. Rationes nunc appello, non amorem populi Romani judiciumque de virtute & beneficio Ciceronis, bonorumque de ipsius salute consensum. Sed ea, quibus, si judicio contendere voluisset, caussam suam tueri potuisse videatur, ut qui nihil peccasset, propter quod in exilium e jici debuerit. Quas rationes ita tractabimus, ut eas nihil legi Clodiæ (quod ad jus vimque ejus, id est, justæ damnationis attinet) nocuisse ostendamus, & profuisse tamen Ciceroni ad summam gloriam fructumque restitutionis.

IV. Prima ratio. Cato sic judicavit, quem Senatus secutus est. Quare Catonis dicitur sententia de animadversione fuisse, non quod solus eam, aut primus dixerit, (ut turpiter errabat M. Brutus, derisus ob id a M. Tullio) sed quod gravissimis & luculentissimis verbis.

V. Respondetur. Non omnia, quamvis omnium prudentissimus, & sine dubitatione sanctissimus, aut vidit in Republica Cato, aut juste egit. Peccata enim ejus profecto sunt: Vectigalia nimis præfracte defendisse; atque ea re concordiam Senatus atque Equitum dissolvisse, divino consilio a Cicerone constitutam. Repudiasse affinitatem Cn. Pompeii, eumque a se & a Republ. abalienatum Cæsari adjunxisse. Nihil unquam Cæsari in dissensione illa, qua Respub. concidit, concessisse. Regem Cypri, nullo ejus delicto, amicissimum populi Romani Rogatione Clodia publicasse. Acta & Tribunatum Clodii defendisse. Et vere igitur Cicero, conversum esse orbem Reipub. culpa Catonis.

VI. Secunda ratio; quæ in Catonis sententia continebatur. De confessis, tanquam de manifestis rerum capitalium, more majorum supplicium sumendum esse.

VII. Respondetur. Obstant lex Porcia, legesque Semproniæ, murus libertatis civium, quæ

A exilium damnato permitti, non animam eripi voluerunt.

VIII. Tertia. In confitentes nullæ sunt judicis partes, inquit Ulpianus Jurisconsultus. Item deprehensi in ipso facinore, indicta caussa damnandi sunt, ut Catonem hac ipsa in re censuisse scribit Appianus.

IX. Respondetur. Et hæc sententia in rebus capitalibus locum non habet; & in rebus civilibus, ac pecuniariis sic habet, ut condemnatio tamen requiratur. Neque illi deprehensi fuerunt; sed tanquam in deprehensos, inquit Appianus, tanquam de manifestis, Sallustius.

B X. Quarta. Mos majorum, quem sæpe Cicero allegat, confirmatus exemplis, Grachorum, Fulvii Coss. Saturnini, Melii, aliorumque jure & bono publico occisorum, etiam a privatis hominibus. Cum hoc jure majorum misceri sæpe animadverti SCtum ultimæ necessitatis, de quo infra.

XI. Respond. Negandus hic mos est, & qui illum secuti, fere gravissimas pœnas populo Rom. dederunt, aut in odium periculumque pertracti sunt. Ut Ahala, ut Rabirius, ut Opimius Consul, ut Nasica Scipio. Exempla & facta non faciunt morem majorum, sed res potius judicatæ,

C quod & Cicero mihi videtur agnoscere: si quis subtiliter rimetur ejus hæc verba Orat. 1. Catilinaria. Quid tandem impedit te? Mosne majorum, &c.

XII. Quinta ratio, ab usu & interpretatione legis Porciæ, aliarumque similium ducitur: In eadem oratione, eodem loco. An leges (te impediant) quæ de civium Romanorum supplicio rogatæ sunt? At nunquam in hac urbe ii, quia Repub. defecerunt, civium jura tenuerunt. Eodem pertinet, quod Catilinam & reliquos hostes sæpissime appellat. Nam defectores hostium species est.

XIII. Respondetur. Cives neque defectores dici possunt, cum non ab alieno Imperio desciscant;

D neque etiam hostes prius, quam a Senatu more majorum hostes judicati fuerint, quod factum post supplicium de Lentulo & Cethego sumptum, in Catilinam & alios.

XIV. Sexta. Carcerem, inquit alibi Cicero, vindicem manifestorum, ac nefariorum scelerum, majores nostri esse voluerunt. Quem locum ego Ciceronis de supplicio, quod in carcere sumeretur, interpretor. Non, ut vulgo etiam doctissimi viri, quasi carcerem ipsum ad pœnam constitutum dicant. Quod negat recte Ulpianus noster.

E XV. Respon. Instituere majores, abrogavere posteri. Id est, tot leges, quæ supplicium de cive sumi prohibuerunt. Notum est autem, quod postremo populus jusserit, id justum ratumque esse oportere.

XVI. Supplicium more majorum sumptum,

cum apud scriptores veteres legitur, intelligitur fere modus & forma ejus supplicii, id est, sub furca ad necem cædi: de quo alibi.

XVII. Septima est a verbis ipsis, quibus Lex Clodia usa est, QUI INDEMNATUM NECASSET. At Cicero non indemnatos necavit, sed & confessos, & judicio Senatus damnatos. Et huc spectat Cicero ad Attic. lib. 3. cum dicit: Hanc legem sibi omnino nihil nocere, & potuisse etiam a se laudari, vel negligi.

XVIII. Respondeo cum Ulpiano. Non est damnatus dicendus, qui rite damnatus non est. De confessione, an confessi Lentulus aliique fuerint, vel ipsæ Ciceronis Catilinariæ dubitare me cogunt. Neque literæ illæ, atque judicia satis ad damnationem, talem præsertim, & tantorum civium, valere sola potuerunt.

XIX. Octava. Atqui certum est, fuisse illos sceleſtissimos & vere reos, & patriæ (ut ait Divus Augustinus) parricidas. Rectissime.

XX. Sed nemo tamen inauditus, & indicta causa damnari debet, quamvis palam nocens, ut Tacitus ait. Deinde quod Africanus apud Ciceronem lib. de Repub. 6. ait de perditissimis civibus. Patiamur: Et si hujusmodi cives melius est a Censore, quam a Poeta notari, idem & hic valet. Melius justiusque est a populo, quam a Consule damnari.

XXI. Est σκέμμα πολιτικὸν, propositum a Dionysio Halicarnasseo, prudentissimo Historico. Rectene, & ex usu Reipubl. inductus fuerit ille mos Romæ, ad judicium populi vocandi nobilissimum quemque civem, ac patricium? Et assentimur Dionysio, utilem, ac prope necessarium fuisse.

XXII. Nona. Omnium est illa Lex sanctissima, & quasi Lex legum a Cicerone, & aliis sepe laudata. SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. Nulla igitur mora conjuratorum interponenda supplicio fuit, quod sine summo periculo fieri Reipub. totius non poterat.

XXIII. Contradicere sibi ipse Cicero hac in parte nobis videtur, cum toties Senatui populoque confirmet, omnia a se diligentissime parata provisaque esse; Ne quis contra Rempublicam se commovere posset. Et quantulum spatium in colligendis populi suffragiis, præsertim præsentis & imminentis magna frequentia, & damnaturi sine dubio parricidas?

XXIV. Verius hæc ratio, & defensio tueatur Servilium Ahalam, Scipionem Nasicam, L. Opimium, cæterosque qui seditione jam concitata, armisque a civibus in hostilem modum seditiosis arreptis, eos contrucidarunt.

XXV. Neque displicere adeo debebat C. Cæsaris sententia, qui per municipia eos distribuendos, atque in custodiis habendos, publicata familia censuerat. Sicut & Tiberius Nero teste Appiano, quoad Catilina bello profligatus esset.

XXVI. Decima est vehementissima. Nam Lex Porcia, ut & leges Valeriæ, provocantem ad populum civem necari, aut verberari prohibuerunt: Unde & leges de provocatione nominantur, indicatque vetus nummus, in quo est PORCIUS LÆCA. In altera parte, PROVOCO. Non provocantem igitur, necare impune licuit. Nec conjuratos provocasse legimus.

XXVII. Torsit me diu hæc dubitatio. Eo magis quod Cicero de ea re nec verbum fecerit, non omissurus tam gravem defensionem sui, si competiisset. Sed acutissime aliquis, verissimeque dixerit, non competiisse eam defensionem M. Tullio, quia nec caussam apud Senatum, Consulesve, conjurati dixere, nec damnati a Senatu, vel consulibus fuere, ac ne convicti quidem satis, aut legitime: ut provocationi jure locus non fuerit. Et si jure fuisset: tamen ereptam iis provocandi facultatem dicimus.

XXVIII. Et hoc fuisse consilium Pulchri putamus, quum his verbis tulit. Qui civem INDEMNATUM necasset; non autem, qui adversus provocationem, ut aliæ priores leges, Valeriæ præsertim: quas imitatæ hac in parte longissimo post intervallo sunt leges Juliæ publicorum judiciorum.

XXIX. Undecima. Nam & summa voluntas populi Romani fuit, ut supplicium de conjuratis sumeretur, quod in IV. Catilinaria alibique legas; & supplicio sumpto summa lætitia ac velut ratihabitio quædam, quæ a nostris Jurisconsultis mandato jussuique comparatur: ut dici posse videatur, eos jussu populi necatos esse.

XXX. Respondetur. Neque ratihabitionem semper mandato comparari, præsertim ubi jussus requiritur; & in talibus tantisque rebus. Et apud Romanos, ne concionis quidem ulla potestas fuit. Quod majorum institutum, merito, & maximis laudibus tollit alibi Cicero, adversus levitatem Græcarum concionum. Suffragiis & summo ordine populus Rom. utebatur.

XXXI. Duodecima & postrema defensio: sed revera & judicio Ciceronis atque omnium, prima ac validissima est, ab judicio & authoritate Senatus, diversis adhibita, & temporibus & modis: qua usus ac fretus Cicero, non dubitarit comprehensos Catilinarios interficere.

XXXII. Igitur hæc Senatusconsulta facta de conjuratis reperio. Primum est Senatusconsultum illud extremi atque ultimi temporis, darent operam Consules, ne quid detrimenti Respublica caperet. Quo SCto ait Sallustius summum imperium more Romano magistratui permitti domi, militiæque. Et addit nominatim, cives sociosque omnibus modis coercere.

XXXIII. In quo SCto, valde se jactat Cic. 1. Catilinaria. Nos contra omnium sententiam defendemus, jus necis, & animadversionem eo non concedi Consuli. Et si hoc Senatus voluit, non tamen jure & more voluit invito populo, & Tribunis plebis.

XXXIV. Secundum fuit, cum indicia exposita editaque fuerunt, quod Cicero artificiosissime, in plures partes, tanquam plura Senatus judicia, ac decreta dividit, Catilinaria quarta cum ait: Hæc omnia Indices detulerunt, rei confessi sunt, vos multis jam judiciis judicavistis. Primum, quod mihi gratias egistis, singularibus verbis, & mea virtute atque diligentia perditorum hominum patefactam esse conjurationem decrevistis. Deinde, quod P. Lentulum, ut se abdicaret Prætura, coegistis. Tum quod eum & cæteros, de quibus judicavistis, in custodiam dandos censuistis. Maximeque quod meo nomine supplicationem decrevistis, qui honos togato habitus ante me est nemini. Postremo, hesterno die præmia legatis Allobrogum, Titoq; Vulturcio dedistis amplissima. Quia sunt omnia ejusmodi, ut ii, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione a vobis damnati esse videantur.

XXXV. Tertium. Cum & in sententiam Catonis, quæ & Didii Silani fuerat, itum est, quo die etiam Lentulo aliisque gula in carcere per vindices rerum capitalium laqueo fracta est, imperio Ciceronis Consulis.

XXXVI. Quod ad secundum illud SCtum attinet, non contineri eo damnationem, sive supplicium, quo affecti fuere conjurati, dicimus. Et valde est illud Oratorium, quod Cicero sic urget, In custodiam dati sunt. Ergo damnati sunt.

XXXVII. De tertio illo Senatusconsulto, maxima difficultas est quomodo responderi possit. Eaque mihi ex eo oritur, quod Clodius lege sua in Ciceronem lata nominatim hanc caussam comprehendit: Quod M. TULLIUS FALSUM SENATUSCONSULTUM RETULERIT. De quo sic ipse scribit. Si igitur retulit falsum Senatusconsultum, tum est rogatio: si non retulit, nulla est. Satisne tibi videtur a Senatu judicatum, me non modo non ementitum esse auctoritatem hujus ordinis, sed etiam unum post urbem conditam diligentissime Senatui paruisse? Orat. pro Domo.

XXXVIII. Quid dicemus? Senatusconsultum non fuisse, sed authoritatem tantum Senatus? ut ipse vocat: Hæc enim duo differunt, quod Senatusconsultum sit decretum Senatus ad ærarium delatum, ex quo tempore primum valere incipit. Authoritas, decretum, quod ad ærarium delatum non est, aut non potest, quia ei intercessum sit, aut aliud impedimentum fuerit. Sed hæc solutio refellitur verbis legis Clodiæ. Retulerit enim, inquit, ad ærarium, igitur. Nec de intercessione legimus.

XXXIX. An dicemus, Senatusconsultum a Cicerone relatum, quod factum non erat? Sic enim ipse Philippica I. falsum Senatusconsultum exponit. Ne hoc quidem; constat enim factum fuisse in sententiam M. Catonis.

XL. Ergo illuc labor, ut credam falsum ideo dici: Quia varietas fuerit mira animorum in Senatu, ob duas diversas sententias Silani & Cæsaris: imo & inconstantia, cum modo hanc modo illam amplecterentur: ipseque adeo Silanus ridicule summum supplicium, quod decreverat, audita postea oratione Cæsaris, cui usque ad M. Catonem omnes adsenserant, de carcere se dixit intelligere. Quid si falsum relatum Senatusconsultum interpretemur, id est, non relatum eo tempore, quo debuit? Nam eo ipso die Cicero supplicium de conjuratis sumpsit sub vespera, quo Senatusconsultum factum est, nullum ut intercesserit prope tempus. Atqui Senatusconsulta non valent, neque executio ex iis fieri potest, nisi postquam delata & condita in ærarium fuerunt. Falsum igitur SCtum, ex quo, priusquam valeret, & Senatusconsultum esset, executio facta est.

XLI. Posset & illa defensio pro Cicerone adferri: Insidiatores occidit. Nam, ut innumerabiles conjuratorum insidias sileamus, quantulum abfuit, ne in suo lecto confoderetur, nisi Fulviæ paulo antea fuisset indicio admonitus? Sed neque Cicero hoc jure Conjuratos occidit; neque jure potuisset, cum aliter periculum evitare potuerit.

XLII. Nunc de Restitutione M. T. Ciceronis videamus. Perperam illi, ut L. Aurelius Cotta, & Aculeo Ciceronis cognatus, dicebant nulla egere Ciceronem restitutione, utpote de quo nihil latum esset. Ideo autem nihil latum, quod nihil jure, nihil more majorum, nihil legibus actum esset. Doctores nostri, barbare Nullitatem vocant; quæ ubi occurrit, ipso jure sententia non valet, neque vel restitutione, vel appellatione opus est.

XLIII. Quare Cicero quamvis exultet in sententia sæpe Cottæ, tamen restitui omnino voluit, & quidem lege Judicioque populi, ut invidiam popularem, & pericula fugeret. Imo & lege sibi opus esse judicavit, qua diserte abrogaretur lex Clodia posterior.

XLIV. Difficultas tamen restitutioni ejus objecta est, ex sanctione legis Clodiæ, in qua erat: Ne quis ad Senatum referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset.

A XLV. Sed recte Cicero ad Pomponium suum scribens, nunquam valuisse sanctiones earum legum ait, quæ abrogarentur. Alioquin nullam legem abrogari posse, cum fere nulla sit, quæ non se ipsa sepiat difficultate abrogationis.

XLVI. Quo igitur illæ sanctiones? Præsertim cum ipse Cicero, in ea pro Domo sæpe dicat: si Lex Clodia Lex fuisset, impune adversus ejus sanctionem fieri a tot clarissimis hominibus, principibusque civitatis non potuisse. Sed tum caussæ suæ & dolori serviebat.

XLVII. Melior ratio sanctionum sacrandarum est, obtestatio, & consecratio legis aut pœnæ (ut B pro Balbo Cicero loquitur) sive jusjurandum lege comprehensum, quod cum nollet præstare in lege Apulea Metellus, die ab illo dicta in exilium abiit.

XLVIII. Senatusconsultum sibi non sufficere merito existimavit ad restitutionem, scribens Attico. Quamvis in Orat. ad Quirites post reditum glorietur, se solum authoritate Senatus restitutum fuisse, cum P. Popilius, & Q. Metellus Tribunitiis tantum rogationibus restituti fuissent.

XLIX. At qui Senatus abrogare leges potuit. Ita enim est in Fragmentis Orationis primæ pro C Cornelio. Quatuor genera esse, in quibus per Senatum more majorum statuatur aliquid de legibus. Unum est ejusmodi placere legem abrogari, &c. Respondetur. Statuebat Senatus ut abrogarentur, ut illic mox dicitur; at non propterea ipse abrogabat: Iisdem igitur solemnibus abrogabantur, quibus rogari mos erat: Et populus rogabatur cum lex ferenda esset, ut ferri: Et cum tollenda, idem contra rogabatur, ut tolli vellet.

L. Plus dicimus, nec eos quos ipse Senatus hostes judicavisset, restitui ab eo sine lege, judicioque populi potuisse. Fides tamen publica iis dari potuit: a consule non potuit. Perfidiosissi-D mus tamen Cos. Marius in Saturnino occidendo fuit.

LI. Lege a Publ. Cornelio Lentulo Consule Centuriatis comitiis, quæ maxime majores justa dici, haberique voluerunt, restitutus est, incredibili totius Italiæ consensu, atque lætitia. In qua lege illud notabile Cicero duxit, quod non est ut REDIRET in patriam, sed ut VENIRET, quasi non restitutus, sed adcitus imperio populi Rom. videretur.

LII. Si sine lege restitutus fuisset, aut rediisset, pœna eum legis Clodiæ tenebat, quæ hæc erat, ut si intra spatium locorum lege definitum, id est, E quadringenta millia visus esset, impune a quovis interficeretur.

LIII. Postremo de effectu restitutionis hujus videamus. Recepit videlicet Cicero ea, quæ amiserat aquæ & ignis interdictione, existimationem, ordinem, sive dignitatem, jura civitatis. Denique domum & bona.

LIV. Honestas & decus quin illa interdictione perderetur, dubitari non debet. Qua de re tamen sic jocatus est Q. Metellus Numidicus in Epistola, quam exul ad Domitios misit. Illi vero omni jure atque honestate interdicti. Ego neque aqua neque igni careo, & summa gloria fruiscor, F apud Gellium, lib. 17 c. 2.

LV. Eo pertinet & maledictum Gabinii in Senatu, itemque Clodii, qui eum exulem appellarunt, quod ipse in ea pro Domo removet diligentissime: illic. Quid est enim Exul? ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis. Quando igitur est turpe? Revera cum est pœna peccati, opinione autem hominum, etiamsi est pœna damnati. Utrum igitur peccato meo exulis nomen subeo, an re judicata?

LVI. Quibus in verbis illud notavimus, Ciceroni aliam esse turpitudinem, sive infamiam revera, aliam opinione hominum. Illam ex peccato oriri, hanc ex re judicata. Aliter hæc in jure civili; ubi hæc duo unum sunt, reipsa & opinione hominum & infamiam denotant eam, quam Cicero peccati, Doctores nostri vulgo facti appellant; cum illam, quæ ex lege vel sententia judicii oritur, juris infamiam vocent, a l. 2. D. de obseq. par.

LVII. Primum igitur honos restitutus est: Deinde & dignitas sive ordo, & locus Senatorius, cæterique honores, quæ omnia restitutionis ipso verbo comprehenduntur, ut eleganter Imp. Antoninus, cum procederet, quendam sibi oblatum restituens, declaravit.

LVIII. Jura quoque civitatis, restitutione recipiuntur: Puta testamenti factio, patria potestas, jus patronatus & similia. Quæ omnia sicut & ordinem Senatorium, non sibi erepta fuisse lege Clodia Cicero adprobare conatur, cum & in Senatu non sit præteritus, & hæreditates, legataque absens cœperit &c. Sed de facto, ut loquuntur, non de jure.

LIX. Quin & jus Togæ amittitur aquæ & ignis interdictione, ut Cæcilius scribit lib. 4. Epist. 11. Et hoc igitur restitutione recuperatur.

LX. Cur non & illud ademptum? Ne liceret deinceps Latine in publico loqui. Nam & in lingua sua scrupulosos & majestatis nimium retinentes Romanos fuisse, vel ex eo apparet, quod Cumanis petentibus permissum scribit Livius, ut publice Latine loquerentur, & præconibus Latine jus vendendi esset,

LXI. Neque contrarium est, quod dicitur studiosissimos eos propagandæ linguæ suæ fuisse. Nullum autem vinculum majus ad continendas in imperio subactas nationes reperitur, quam commercio linguæ victos cum victoribus conglutinari.

LXII. De bonis videamus, quæ restitutione recipiuntur, non item indulgentia, per quam sola pœna remittitur, nisi specialiter & de bonis dictum fuerit.

LXIII. Sed hæc dubitatio in M. T. restituendo sublata est, cum & de bonis, præcipueque de domo ejus lege Cornelia comprehensum fuerit.

LXIV. Ingens tamen de domo contentio exorta est, & propter religionem dedicationis, & propter Haruspicum responsa. Undæ illæ orationes pulcherrimæ duæ, pro Domo ad Pontifices, & de Haruspicum Responsis.

LXV. De dedicatione illud tenemus. Si recte riteque Ciceronis domus consecrata fuisset, ne populum quidem ea potestate fuisse ut exaugurarct eam, & restitueret, utpote cum Deorum jam esset; vel Diis debita, quod de sua mulcta olim Romilius dixit, cui volebant eam Tribuni pleb. remittere,

LXVI. Imo etsi ædes rite dedicata postea collapsa foret, locus tamen non, ut antea, esset; Religio enim occupavit ejus solum, ut est in quadam Imp. Trajani epistola Plinio Procos. rescripta.

LXVII. Argumenta Ciceronis contra dedicationem hæc ex ipsius scriptis collegimus, quibus probare nititur, non fuisse domum suam a Clodio dedicatam, sive non intulisse eum ea dedicatione in domum suam religionem. I. Quia ipse Clodius ex domo Pontificis Max. religionem antea eripuit, stuproque incesto polluit Ceremonias Bonæ Deæ. II. Quia in religionibus suscipiendis caput est interpretari, quæ voluntas Deorum immortalium esse videatur, quod omissum a Clodio, vel potius contra Clodium fuit. III. Quia domus unicuique sanctissimum perfugium est, & omnium minime religione obligari debet, more majorum. IV. Quia Libertatis signum in ea domo posuerit, cum ipse Clodius infinitis modis libertatem civitatis extinxerit. V. Quod simulachrum libertatis ait fuisse imaginem meretricis Tanagreæ, in sepulchro ejus positum & a fure inde sublatum, a sacrilego, id est, a Clodio collocatum. VI. Quia non rite dedicaverit Clodius Ciceronis domum, eaque vitia dedicationis copiose persequitur, & quidem ex jure publico, ut ait, non jure Pontificio. Postremo: Quia cum nihil dum erat latum de ipso Cicerone, non adesse erat jussus, non citatus fuerat, etiam Clodii judicio civis incolumis: tum domum in Palatio, villa in Tusculano, altera ad alterum Consulem transferebatur &c.

LXVIII. Hæc argumenta, pleraque omnia Dialectica, vel Oratoria potius, & popularia esse existimamus. Recte tamen, quod & Senatus, & Pontificum decretis, judiciis, ac lege omni ea domus religione liberata fuerit.

LXIX. Illud validissimum ex lege veteri Papiria Tribunitia, quæ vetabat ædes, atque agros injussu plebis consecrari (quamvis eam legem de sacris, non de privatis ædibus Cicero intelligendam putet.) Nulla enim Lex Clodia, vel alia de Domo Ciceronis consecranda lata est ad plebem. Sed perinde est, tulit enim ut consecrare sibi liceret.

LXX. De Haruspicum responsis, ob terribiles fremitus redditis, mera calumnia Clodii fuit. Ciceronis in eis exponendis tanta sagacitas fuit, ut divino adflatu ac numine mihi dixisse ea videatur. Sicut Cornelius Nepos in vita Attici de libris epistolarum ad eum scriptis loquens, atque hac eadem ipsa re; Ut facile, inquit, existimari possit Prudentiam quodammodo esse Divinationem. Non enim Cicero ea solum quæ vivo se acciderunt futura prædixit: Sed etiam quæ nunc usu veniunt, cecinit ut vates.

PARERGA.

I.

AN in bene administrata Repub. summum debeat esse tribunal, ad quod fiat appellatio. Affirmantem partem tuebimur.

II.

In Repub. non licet auscultatores & exploratores passim habere.

III.

Tyrannum patri illegitime succedentem e vita tollere non licet.

DISPUTATIO DE LEGE PORCIA DE SUPPLICIIS, SIVE DE LIBERTATE ROMANA.

THESIS I.



Uod sæpenumero Cicero aliique dicunt, Libertatem esse propriam Rom. generis ac nominis: id nos nulla ex re alia clarius demonstrari posse existimamus, quam ex iis legibus, quæ pro vita atq; tergo civium Romanorum latæ fuerunt. Quare a veteribus scriptoribus, præcipueque a T. Livio, muri, præsidia, propugnacula, fundamenta, arces libertatis appellantur.

II. Earum legum omnium, quas multas observavimus, longe nobilissima est Lex PORCIA, diutissimeque in Repub. viguit, neque dominatu Cæsarum plane extincta est: ut suo loco infra demonstrabitur.

III. Ea caussa est, quod sola in hanc rem nominari etiam extremis temporibus soleat, quamvis post eam leges Semproniæ diligenter severeque a C. Graccho Trib. Pleb. latæ fuerint, quæ interdum cum lege Porcia conjunguntur, rarissime solæ nominantur. Sed & aliæ postea leges extitere de civibus indicta caussa, vel contra provocationem necatis, ut lex Clodia, lexque Julia de vi publica.

IV. Lex Porcia a M. Porcio non illo Catone (ut Manutius & Turnebus existimant) sed Læca Trib. pl. rogata est. De qua insigne Livii præconium lib. 10. Porcia tamen lex, inquit, sola pro tergo civium lata videtur: quod gravi pœna, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit.

V. De hac igitur tam insigni populi Rom. lege, cujus etiam auxilium non erubuit D. Paulus implorare, expositur, hoc ordine ibimus. Primum caput erit de Personis, adversus quarum vim atque imperium lata est. Secundum de iis, quibus ea lex prospectum voluit. Tertium de Rebus sive suppliciis, quæ vetat. Quartum de eo, quod damnato vel reo permitti jubet, id est, Exilio. Quintum & ultimum de judicio & potestate in hac re populi, de criminibus quibusdam, in quibus verbera necesque irrogari fas fuit.

VI. Primum igitur hoc ponimus, adversus imperia magistratuum eam latam esse & valuisse:

A non adversus injuriam privatorum hominum: quod temere adfirmant doctissimi tamen viri.

VII. Neque magistratum ullum excipimus, præter Dictaturam & si qua alia similis potestas omnibus legibus soluta interdum Reipub. præfuit, ut Decemviri illi legibus scribundis, ut Triumviri Reipub. constituendæ. His enim summum jus atque animadversionem sine provocatione, sine intercessione concessum, recte etiam & ex usu Reipub. dicimus.

VIII. Vere tamen Cicero, omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis appellat eam, quam L. Valerius Flaccus interrex de Sylla tulit,

B ut ei quemvis interficere indicta caussa liceret.

IX. De consulibus magna quæstio, an saltem illo Senatusconsulto, quod ultimæ necessitatis, extremique temporis Livius & Cæsar appellant, Darent operam Coss. &c. animadversio in caput civis iis permitteretur? quod licet Sallustius aliique planissime adfirmare videantur, Cujaciusque, ut hunc pro omnibus nominem, id tradiderit: nos tamen negamus.

X. Una tantum ratione Senatus de capite civis judicare poterat, si prius eum hostem more majorum judicasset. Idem per Italiam in omnes, ex-

C ceptis civibus Rom. teste Polybio, animadversionem habuit. Sed & extra ordinem interdum Romæ, ut in conjuratione Bacchanalium.

XI. Tribuni plebis etiam hac potestate caruerunt, utpote quorum ipsorum potestas ad auxilium libertatis creata erat.

XII. Prætores postquam legibus Calphurniis atque Corneliis perpetuæ fieri quæstiones, iisque demandari cœpere, an merum imperium & jus gladii habuerint, quæritur? Dicimus, verberare & necare eos ob nullum crimen, ne parricidii quidem potuisse civem. Summum fuit penes eos, aqua & igni interdicere, ubi hæc pœna lege sta-

D tuta esset.

XIII. Sequitur de Personis, quibus lex Porcia cavit. Eæ sunt, Cives Romani.

XIV. Sed hoc loco bellissime quæritur, pulchrumne & laudabile sit hoc institutum sive jus populi Romani? Nam & magistratuum vim enervare, & licentiam alere improborum atque audacium civium, tanta proposita impunitate videtur. Quorum utrumque civitati dissolvendæ esse, nemo dubitet.

XV. Laudari scio a scriptoribus passim ardentissime illud in Verrina de suppliciis: O jus eximium

mium nostræ civitatis ! o lex Porcia, legesque Semproniæ ! Nam illud, Eximium, & proprium significat & præclarum. Tale & jus patriæ potestatis fuit, apud Romanos.

XVI. Rationem aliquam πολιτικὴν desideramus. Eam autem mihi videor eruere hoc fragmento Ciceronis, quod Nonius Marcellus ex lib. II. de Repub. citat: Statuo, inquit, esse optime constitutam Rempub. quæ ex tribus generibus illis, regali, optimo, & populari confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo, licentia cives deteriores reddat.

XVII. Huc facit etiam dignitas ac libertas principis terrarum populi. In ea pro Rabirio perduellionis reo: Deinde multorum fortium virorum, qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt.

XVIII. Sed an omnium sine exceptione civium Romanorum hoc jus fuit? & ait in eadem oratione Cicero, omnium civium.

XIX. Igitur & Libertini hoc eximio jure muniti erant. Quod ego accipio tantum de iis, quibus justa manumissione libertas data esset. Cujus tres species apud Romanos: Census ex lege Servia Regis Tullii; Vindicta ex lege Junia Bruti; Testamentum ex lege XII. Tabularum.

XX. Dedititii & Latini Juniani non eodem loco ac jure. Nam nec cives Rom. sunt. Idemque & de adoptatis a domino servis, ex sententia Catonis, & de in orbe manumissis, de quibus apud Cajum in institutionibus scriptum est, adfirmamus.

XXI. De statu liberis, an ut servi puniri debeant, dissentire Jurisconsulti veteres videntur. Et verius est, ut liberos puniendos.

XXII. Major ergo Patronorum quam Magistratuum in libertos etiam justos, id est, cives Romanos, potestas fuit. Nam patrono & in servitutem redigere ingratum libertum (quæ mors civilis dicitur) & deprehensum in facinore necare licuit, ut existimo, ex Valerio lib. 6. cap. de Pudicitia. Relegandi quoque in Campaniam libertos jus patronis fuisse more veteri, apud Tacitum legimus.

XXIII. Tenues, atque infimæ sortis homines, dummodo cives Romani, quin eodem jure ac conditione fuerint, non dubito. Nec sine causa Cicero Verri exprobat, quod plebem Rom. verberibus solitus esset in Prætura urbana concidere. Impune tamen fuisse fere ex hoc ipso apparet. Nam, ut scribit Juvenalis, Libertas pauperis hæc est, Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat.

XXVI. Male igitur vir doctissimus, qui in ejusmodi homines imperium Tresviris capitalibus dat, de quibus ad columnam Mæniam supplicium sumerent: quod concedo in servos & peregrinos; non in cives. Tales autem lenones, lanii, coqui, similes fere erant.

XXV. Ne meretrici quidem, si civis esset, non auxiliata lex Porcia est. Et de meretrice dici etiam ad populum dies potuit, ut Manuliæ: cui ne ab Ædili curuli dies diceretur, appellatione Tribunorum pl. factum est. Gellius lib. 4. c. 14.

XXVI. De Histrionibus & scenicis subsisto. Lego quidem divum Augustum, immunes verberum histriones respondisse: item jus virgarum frustra in eos in Senatu petitum, Tiberio principe, cum Haterius Agrippa Trib. pl. SCto. intercederet.

XXVII. Sed contra revocant me D. Augustini verba: qui prolatis Ciceronis ex libris de Republ. verbis, quibus ille affirmat scenicos a Censoribus tribu moveri solitos; addit non modo honore ci-

A vium reliquorum, sed & tribu caruisse, item remotos a societate civitatis, turpes ignominiososque fuisse, lib. 2. de Civit. c. 13. & 14. & 28. Et ne quis dubitet, an ullum jus civium tenuerint, cap. ult. sic scribit: Non putastis habendos in numero qualicunque civium Romanorum.

XXVIII. Ego exaggerasse hæc nimis Augustinum non ignoratione vetustatis (quis enim illo doctior?) sed odio histrionum puto. Certe falsa hæc consecutio est: Tribu quis motus est, ergo omni tribu motus est. Imo omnibus tribubus, id est, triginta & quinque, nemo moveri potuit. Mutatio igitur Tribus illa erat.

B XXIX. De Militibus videamus, idque cum clarissimo doctore nostro Lipsio, qui lib. 5. de Militia Rom. quærit, an militiæ lex Porcia valuerit? Ut enim valuisse aliquando videatur, movetur ex eo, quod Sallustius, cum Turpilium quemdam Metelli præfectum verberatum & capite pœnas dedisse scripsisset, statim adjecit: Nam is civis ex Latio erat. Quasi in veteres verosque cives (inquit Lipsius) non idem jus: Sed Polybii tamen tempore aliter fuisse videmus: & de morte hic passim, atque alii etiam scriptores. Nihil explicat: Nam lex Porcia certe, ut alias superiores taceam, ad Polybii tempora refertur.

C XXX. Ergo paullo accuratius de hac tota quæstione disseramus. Et duobus temporibus Coonsuli sive alii Duci, jus in cives est, in delectu, & post delectum; item aliud in urbe, aliud extra urbem.

XXXI. Si civis ad delectum olim non respondisset, hæc pœna erat, ut bona ejus publice juberentur, ipseque adeo venire, si adprehensus esset: quæ servitus, mors est civilis, ut supra dictum.

XXXII. Post delectum in urbe quidem & ab urbe mille passus non summum imperium Consul habuit Nam & provocandi intra illud spatium,

D & Tribunorum pl. appellandi jus fuit.

XXXIII. Longius ab urbe mille passuum plane sine provocatione imperium fuit: ut & si eo Tribuni pl. venissent, in alia turba Quiritium subjecti Consulari imperio futuri fuerint.

XXXIV. De militibus in urbem ob facinus reductis missisve, aut metu & fuga reversis videamus. De utrisque observavi insignia maxime exempla. Prioris generis est Fabius ille Magister equitum sub Dictatore Papirio Cursore, qui damnatus in urbem profugit, & ad populum provocavit, maxima ubi contentione res acta est. Posterioris Pleminius legatus P. Scipionis, qui

E Romam vinctus missus, conditusque in carcerem & extinctus est.

XXXV. In neutris defecisse legem Porciam existimo, aliasque leges, quæ provocationem ad populum sanxere. Nam Pleminius a Trib. pleb. ad populum cum aliis productus est: Fabius precario quidem auxilio Tribunorum liberatus est, qui jure fuisset, si cum alio quam cum Dictatore certasset.

XXXVI. De Classiariis, quamvis distingui a militibus soleant, idem est judicium nostrum. Eoque pertinere arbitramur M. Catonis verba apud

F Festum, in Portisculo. Cato in dissuasione de Rege Attalo & vectigalibus Asiæ: C. Licianio Prætore remiges scripti cives Romani sub flagrum conscripti veniere passim.

XXXVII. Superest ut quod objicitur ex Sallustii loco, diluamus. Ita existimo, ex eo loco non recte colligi, aliud jus in milites Romanos cives, & alios cives ex Latio fuisse: sed hoc tantum, in præfectos, Tribunos, legatos, qui cives Rom. essent, non potuisse animadverti, sicut in eos, qui essent ex Latio.

XXXVIII. Vere igitur dicas in omnes milites etiam cives Rom. animadverti militiæ potuit : at non in Tribunos & similes duces præfectosque militares. Neque enim hi proprie milites sunt. Quod vel ex eo patet, quod a veterib. Jurisconsultis dubitatum est, an jura militaris testamenti ad Tribunos mil. pertinerent.

XXXIX. Quæ interpretatio nostra ex institutis quoque Augusti probatur. Nam præsidi vel legato Cæsaris jus animadvertendi in milites fuit: in præfectos militares minimos etiam, ut centuriones, non fuit, sed ii ad Cæsarem remitti debuere. Dio, Plinius, Cæcilius, alii.

B XL. In municipiis coloniis Romanis, an lex Porcia valuerit, jure quæras. Et extat apud A. Gellium de hac re fragmentum orationis veteris li. 10. cap. 3. Legebamus, inquit, orationem Gracchi de Legibus promulgatis, in qua M. Marium & quosdam ex municipiis Italicis honestos viros virgis per injuriam cæsos a magistratibus populi Rom. quanta maxime invidia potest, conqueritur, &c.

XLI. Peregrini igitur nihil ad legem Porciam pertinuere; Quare & Romæ animadverti in eos a Prætore peregrino potuit. Hinc illud Plinii de Corn. Balbo: De jure virgarum in eum judicum in consilium missus, id est reus peregrinitatis fuit.

C XLII. Tales sunt, peregrini scilicet, qui cives Romani deportati sunt, quos Ulpianus ἀπόλιδας vocat. Nulla enim civitatis jura retinent.

XLIII. Si quis ex peregrinis exterisve civitate esset donatus, ei civi Rom. ut aliæ leges, sic & lex Porcia opitulata est. Idque jus etiam sub Imperatoribus diu usurpatum: Sicut ex Pauli Apostoli exemplo, & Plinii epistolis lib. 10. ad Imp. Trajanum liquido perspicitur.

XLIV. Quid quod in Decurionibus eorumque filiis simile quoddam legi Porciæ constitutum fuit ac valet: ex Jure Justinianeo multis locis cognoscitur.

D XLV. Filii quoque familias & uxores a lege Porcia excipiendi sunt, quod ad judicia domestica attinet, domesticosque (ut Seneca appellat) magistratus. Nam & verberari & necari judicio patrum & cognatorum etiam interdum incognita caussa potuisse, multis testimoniis atque exemplis demonstrari potest.

XLVI. Si a privato quis verberatus, vinctus, necatusve esset, nihil hoc ad legem Porciam legesque Sempronias: Sed erant aliæ leges, puta lex Favia, leges Corneliæ, &c. vel actionum formulæ, quibus hæc vindicarentur.

E XLVII. Similiter & nexos ob æs alienum, qui cum alia infanda patiebantur, tum servilibus sæpe verberibus adficiebantur a creditoribus nihil lex Porcia juvit, sed aliæ, ut Petilia, de quibus non est hujus instituti nostri disserere.

XLVIII. Cæterum civibus Romanis omnibus in locis & adversus omnes magistratus, qui cum summo imperio provinciæ præsiderent, auxilium tulit. Cicero de suppliciis: Retineri enim putatis oportere jura libertatis non modo hic, ubi Tribuni pleb. sunt, ubi cæteri magistratus, ubi plenum forum judiciorum, ubi Senatus auctoritas: sed ubicunque terrarum & gentium violatum jus civium Roman. sit, statutis id pertinere ad communem caussam libertatis & dignitatis.

F XLIX. Sed & apud reges ac civitates & nationes externas ac barbaras illam vocem, CIVIS ROMANUS sum, præsidium & opem tulisse ibidem ait, exaggeratque multis verbis: publiceque vindicatum vel vindicandum in illos scribit ob unum civem privatum necatum, vel atroci injuria adfectum. Tanta enim, inquit, hujus imperii est amplitudo, tanta nominis Romani dignitas est apud omnes nationes, ut ista in nostros homines crudelitas nemini concessa videatur.

L. Tertius locus est de Rebus, id est, de Suppliciis ac pœnis, quas irrogari civi Rom. lex Porcia vetuit. Et video in ea nihil nisi Verbera & Necem ab authoribus nominari.

LI. Sed vincula & quæstiones sive tormenta ad eamdem caussam pertinere videntur.

LII. Verrina de Suppliciis: Facinus est vinciri civem Romanum: Scelus, verberari: prope parricidium, necari: quid dicam in crucem tollere? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. De singulis ordine exponamus.

LIII. De vinculis Pomponius JCtus jam inde a prima lege Valeria id tantum relictum Consulibus esse scribit, ut coercere possent, & in vincula publica duci juberent. Aliud est vinciri, aliud in vincula, hoc est in carcerem duci. In quo ineptus est Accursius ad l. 216. D. de verb. sign. ubi colligit neminem, qui in carcere continetur, vinciendum esse.

LIV. Sane indicta caussa neminem in vincula duci oportet. De quo graviter Appius Decemvir, tum reus, adversus Virginium Trib. queritur. Liv. lib. 3. dicerem & juste, nisi cum eo tanquam humani juris experto recte Virginius egisset.

LV. Si tamen de fuga reus suspectus esset, & crimen flagitaret ut præsens esset, quo de eo supplicium sumi posset, ut alius Tribunus in Cæsonis Fabii caussa dicebat, non immerito trudi in carcerem posset, nec recipi vades deberent.

LVI. Nobiliores cives, puta Senatores, in liberis custodiis haberi debent: utique ante confessionem delicti. Confessos in vincula publica duci mos & jus fuit: quæ & jure Justinianeo probantur, ut Ræward. in Var. scribit.

LVII. De verberibus. Ea vel seorsim & sola adhiberi, vel cum alio supplicio solita. Utrumque pariter lege Porcia interdictum in cive Romano.

LVIII. In summovendo tamen permissum Lictoribus verisimile est, item in jure, si quis coram Prætore contumacius ageret aut loqueretur: aliter non idque etiam valde exprobat Verri Cicero in C. Servilio, aliisque.

LIX. Verberibus ad necem cædi donec exspiraret, usurpatum jure moreque post legem Porciam in eo qui virginem Vestalem stupro incestasset: item in hoste judicato.

LX. Conjunctim adhibita fuerunt, quoties securi feriri aliquem more Romano oportuit: prius enim virgis corpus lacerabatur. Virgis non flagellis: illæ liberorum, hæc servorum sunt. Male igitur Lud. Vives in August. de civ. Dei, virgis aut aliis verberibus cædi vetasse legem Porciam. Interdum virgis cæsi de saxo dejiciebantur.

LXI. Virgis tamen servi a dominis cæsi: sed illæ fere ex ulmo fuere; unde Plauto ulmorum Acheruns servus vocatur: illæ aliæ liberales, ut ita loquar, ex frutice aliquo sanguineo. Unde & sanguineæ dictæ Plinio & Marciano Jurisconsulto, apud quem pessime Corasius in Sacmineas mutat.

LXII. Non sine infamia igitur & pœna hoc mutare judex posse videtur: quo spectat illud M. Tullii in T. Labienum Trib. pl. Porcia lex virgas ab omnium civium corpore amovit: hic misericors flagella retulit. Sicut neque Centurioni alia virga quam vite cædere militem licuit: de qua idem Plinius, Et in delictis, inquit, pœnam honorat.

LXIII. In summa, etiam jure Justinianeo moribusque nostris non impune judici est instrumenti genus legitimum ad mortem inferendam mutare, aut lora pro virgis usurpare.

LXIV. Quod Vives idem scribit verbera citra mortem apud Romanos irrogata, ubi levius facinus esset: item quod Cujacius, verberandi jus post leges Valerias Consulibus relictum fuisse; falsum nobis videtur. Decepti forte sunt Pomponii verbis, vel illa lege Ciceronis lib. 3. Magistratus nec obedientem & noxium civem multa, verberibusque coerceto. In quem locum Turnebus recte: Quod ait, verberibusve, id abrogatum lege Porcia fuit.

LXV. Festus: Pro Scapulis cum dicit M. Cato, significat pro injuria verberum. Nam complures leges erant in cives rogatæ, quibus sanciebatur pœna verberum. Is significat prohibuisse se multos cives in ea oratione, quæ est contra M. Cælium. Si eum percussi, sæpe incolumis abii. Præterea pro Republ. pro Scapulis, atque ærario multum Reipubl. profui.

LXVI. Vinculorum ac verberum species quædam Tormenta haberi solent. quæ perinde ac verbera, a corporibus civium Romanorum amota fuere. De qua re videndus Sigonius lib. de Judiciis.

LXVII. Quod jus in illustrioribus personis, item in decurionibus semper mansit, manetque adhuc. Interpretes juris, etiam ad Doctores referunt; comi facilitate in privilegiis suis promovendis, ut & l. ad egregias. D. de jurejurand. ad uxores etiam Doctorum porrigunt.

LXVIII. Memorabile est, quod Damhouderus scribit, efficaciora se vidisse virgarum in quæstionibus verbera quam tormenta alia. Non tamen legitime putem pro tormentis usurpari; ne sit potius pœnæ genus: ut vice versa non potest judex tormentis uti pro pœna, puta ut quis quot diebus vel mensibus in equuleo vel fidiculis torqueatur. Quæ est sententia rescripti D. Hadriani in l. pen. D. de quæstion.

LXIX. De Nece videamus. Lex Porcia, ait apud Sallustium Cæsar, aliæque leges paratæ sunt, quæ damnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti jubent: cum antea Græciæ morem imitati majores verberibus in cives animadverterent.

LXX. Et hoc igitur nos Romanorum institutum, ut alia ferme omnia domestica publicaque, Græcorum moribus institutisq; præstare censemus.

LXXI. Modi autem, quibus ante legem Porciam vel etiam post eam legem quibusdam in criminibus ultimum supplicium irrogaretur, hi fere sunt: Crux, Laqueus, Saxum, Robus, Inedia, Culleus, Securis, Virgæ.

LXXII. Atrocia hæc omnia: Nec jam Livium audio, qui excusans immanem illam, & parum (ut ipse vocat) memorem legum humanarum pœnam, in Metio Suffetio Albanorum Rege adhibitam, ita scribit: In aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuisse pœnas.

LXXIII. De cruce jam a temporibus Regum usitata, sic existimo aliam fuisse, in qua damnati reste suspenderentur; aliam, in qua clavis suffigerentur.

LXXIV. Reste, ut in veteri illo atque horrendo legis carmine, i lictor colliga manus, verbera intra vel extra pomœrium, arbori infelici reste suspendito. Quod institutum Cicero cur Tarquinio Superbo tribuat, mirantur docti viri. Neque probem oratorie ad invidiam Labieni dictum esse, cum Romulum & Numam nominet, quorum illud non fuerit. Sed vere & ad finem historiæ Cicero. Nam Serv. Tullius non ipse judicavit (caussas apud Dionys. Liviumque vide) sed Duumviros Horatio secundum legem dedit.

LXXV. Clavis suffigi, suspendique mortuorum corpora, repertum ejusdem Tarquinii fuit, qui

A hoc supplicio sive ignominia eos adficiebat, qui mortem sibi consciviſsent ipsi. Quid est igitur, quod vir doctissimus scribit, Mortuos in crucem datos, nondum se legisse de Romanis.

LXXVI. Libertate & Republ. a Junio Bruto instituta mansit servile hoc supplicium crucis, non in servos solum, sed & in liberos ipsosque cives perduellionis damnatos. Sed illud Tarquinii præclarum in ἀυτοχεῖρας hodieque manet.

LXXVII. Ad crucis supplicium referri debet, quod indigitare veteres scriptores solent illo adjecto, More majorum, cum sub furca virgis ad necem verberatur. Imo non aliud hoc fuisse putem

B ab pœna illa perduellionis. Nam Livius diserte in Horatiano judicio, sub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre potestis? & caussa par, atque eadem perduellionis, atque hostilitatis in cive. Nisi quod non memini legere hostem judicatum etiam in crucem sublatum fuisse.

LXXVIII. Laqueus etsi restis sit, tamen hic distincte ponitur a nobis, cum in carcere soleret interventu Triumvirorum rerum capitalium gula a carnifice frangi sine verberibus, sine furca, sine cruce. Sic necati in Tulliano Cethegus aliique.

LXXIX. Hoc loco tria mihi notatu dignissima

C exempla laqueo necatorum occurrunt. Unum in filio adolescentulo M. Fulvii a L. Opimio interfecti, ipso in robore necato. Secundum in puella & virgine Seiani illius filia. Tertium in puero illo impubere a Triumviris Reipub. const. necato. Primum a Plutarcho aliisque historicis immane & nefarium dicitur: a nobis justum & pium defendetur. Reliqua duo, quamvis magna specie juris tegantur, injusta tamen & nefaria ducimus.

XXC. De Inedia est ita, usitatum ac legitimum fuit virginibus Vestalibus, incesti damnatis, supplicium. Vivæ enim in specu defodiebantur adposita mensula, in qua panis, aqua, oleum, lumen:

D ne fame extinctæ & in tenebris viderentur, præsides perpetui ignis Vestæque, quæ eadem Ceres putabatur, sacerdotes, ut equidem judico.

XXCI. Male eruditissimus Manutius, Ne corpora sacrosancta cujusquam manu violarentur. Nam qui sacrosancta, cum exaugurari eas antea oporteret, ut in libro de Auguribus Cato scripsit, teste Festo, in verbo Probrum?

XXCII. Utrumque ex veteri Rom. Pontificum jure, & de Exauguratione inquam, & de pœna inediæ, imitati mihi Pontifices Christiani videntur. Nam & exaugurari, sive, ut vocant, Degradari, virgines aliosque clericos & Ecclesiastici or-

E dinis, antequam de iis supplicium sumatur, jubetur: Et concessum illo jure Canonico est, ad carceres perpetuos sic aliquem damnari, ut tenuissimo præbito cibo sensim eum interire necesse sit, quod merito abominatur jus civile.

XXCIII. Saxi, id est, Rupis Tarpejæ supplicium sic describit Lucretius: Carcer & horribilis de saxo jactus deorsum. Ubi carcerem interpretor Robur: licet aliter hoc apud Turneb. lib 23. Adv. 1.21. de quo præcipitari sontes solebant, ut de Saxo Tarpejo. Erudite igitur utrumque Lucretius conjunxit.

XXCIV. Neque hanc igitur pœnam lex Porcia

F sustulit, cum ob crimen fere perduellionis & hostilitatis infligeretur. Ea olim M. Manlius jussu populi adfectus servator arcis & illius ipsius rupis nobilissimus: & multi, credo, P. Dolabellæ Consulis edicto, si quis ad columnam sive aram Cæsaris supplicaret, aut eam restituere vellet. Hinc illud Ciceronis laudantis mire Dolabellam. De saxo, in crucem.

XXCV. Huc pertinet uncus, qui impingi ... lioribus solebat, ut illi, qui in C. Marii nomen ...

vaserat. nam sic in scalas Gemonias trahebantur, atque inde in Tyberim præcipitabantur. Lex Porcia & hunc removit. Cicero pro Rabirio perd. reo. Carnificem & laqueum jam pridem, abolita, inquit Tiberius apud Tacitum: quod ad legem Porciam proprie referendum est: vel ad leges Censorias, quibus carnifici in urbe domicilium habere, nefas fuit, ut Cicero scribit in eadem oratione: ubi erudita Turnebi nota, In capitis suppliciis, quæ tum irrogabantur peregrinis & servis, non civibus, carnifice non lictore usos fuisse.

XXCVI. Solemne ac maxime proprium Romanorum, securi necare, quam propterea removisse a capite vel cervicibus civium lex Porcia dicitur. Ab eadem igitur re & imperium populi Rom. significari solitum, velut cum fascibus & securibus subjectam provinciam aliquam dicunt.

XXCVII. Etiam a lege Valeria institutoque Poplicolæ in urbe Consularibus fascibus secures detractæ. Ad Decemviri leg. scrib. de suo imperio. Neque attinuisse domi securim, cum sine provocatione creati essent.

XXCVIII Gladius, ut opinor, insolens Reipub. temporibus in supplicio fuit, nisi militiæ, aut in milites, qui in scrobe sic animadvertebantur. Falsum est, quod Car. Sigonius peritissimus omnis antiquitatis vir scripsit, ut Hastam in judiciis centumviralibus, & pecuniariis, sic gladium in capitalibus positum fuisse, veluti signum. Nec locus ille Cypriani id probat. Sed & de Hasta aliter ego doctus sum, & in capitalibus scilicet positam eam.

XXCIX. Atque hæc de supplicio mortis in damnatos cives. Militiæ in usu maxime olim fuit, fustibus necare, unde Fustuarium, pro tali nece: de quo Polybius videndus lib. 6. Male Porphyrio illud Horatii: - vertere modum formidine fustis, fustuarium exponit.

XC. De morte civili, quam appellant, nonnihil disseramus. Duplicem eam pono: Unam qua libertas illa naturalis & communis eripitur, altera, qua libertas civilis, id est, Quiritium.

XCI. Libertas naturalis amittitur maxima capitis quam vocant Jurisconsulti diminutione, quæ irrogatur per eas pœnas, quibus damnati servi fieri dicuntur, quod contingit, vel recta & nominatim, vel oblique. Recta, cum quis civis tanquam servus venditur. Quod duobus in criminibus usurpatum, si quis ad delectum non respondisset, item si ad Censum.

XCII. Vendi filiosfam. a patribus non potuisse post leges XII. Tabularum nisi imaginarie ob emancipationem existimamus. Imp. igitur Constantinus, aliqua ex causa venditionem concedendo, revocavit jus perperam regium Romuli. Quod tamen jus perperam a Doctoribus nostris ad licentiam oppignerandi trahitur.

XCIII. Oblique, vel per consequentiam potius, si quis in metallum vel in opus metalli datus sit. Itemque si quis ut olim, præsertim Repub. veteri ac libera, deportatus esset in insulam aut solitudinem aliquam. quo pacto fortasse nobilissima illa ex l. 5. §. 3. D. de extraord. cognit. antinomia solvi videatur debere.

XCIV. Potest & quis se ipsum servum facere vendendo pretii participandi caussa: vel (quod unico tantum loco scriptum est) actus gerendi gratia.

XCV. Libertas Quiritium sive civilis, iisdem modis amittitur, quibus civitas. Imo civitatem amitti sine hac libertate non posse judicamus, Ciceronique, quem sic hac in re exagitant doctissimi viri, plane adsentimur, neminem qui civis non sit, jure Quiritium liberum esse.

XCVI. Hæc libertas deportatione quacunque amittitur. Idque Callistrato ad d. l. 5. adjiciendum putamus.

XCVII. Quartus locus est de Exilio, quod lex Porcia permitti damnato jussit. Recte, Permitti, non infligi. Quod sic ex Ciceronis pro Cæcina explicandum est.

XCVIII. Nulla enim, inquit, in lege nostra reperietur, ut apud cæteras civitates, maleficium ullum exilio esse mulctatum. Sed cum homines vincula, neces, ignominias vitant, quæ sint legibus constituta, confugiunt quasi ad aram in exilium.

XCIX. Quod rursum ita intelligendum, nulla in lege directo & nominatim exilii pœnam sancitam fuisse; oblique autem, & vi reque ipsa multis in legibus. Cicero in Antoniana 1. Aqua vero, inquit, & igni interdicere, nihil aliud est, quam exilium non nominatim, sed re ipsa inferre. Damnato enim necessitas imponitur exilii, ope ea denegata, atque interdicta, sine qua vivi non potest. Ex quo intelligimus, id, de quo multis in locis Orationum Cicero disputat, nemini invito civitatem adimi posse, cum tamen vita possit.

C. Sed incidit hoc loco gravis difficilisque explicatu quæstio, quæ ratio legis Porciæ fuerit in prohibendo, ne civis Romanus necaretur aut verberaretur? Variæ enim esse possunt, & certe fuerunt, ut mihi videntur, pro numero & varietate legum, de hac Rom. libertate latarum.

CI Leges Valeriæ non simpliciter occidi aut verberari vetuerunt, sed contra provocationem. Unde & leges de Provocatione appellatæ. Neque, aliter si intelligas, verum dixit Pomponius noster, qui interdictum iis injussu populi necare & verberare scribit.

CII. Hinc sequitur, ut non provocantem necari & verberari licuerit. Sed rarum ut quis non provocet, & supplicium pati malit, vel ut non alius pro eo. Nam & pro invito provocare licet. Eo igitur res redit, ut injussu populi, vel eorum, quos populus constituerit, eæ pœnæ interdictæ sint.

CIII. De lege Porcia merito addubites: nam eandem, ut Valeria de provocatione, sanxisse, vel ex numo veteri apparet, in quo est, M. Porcius LÆCA: in altera parte PROVOCO. Non igitur præcise potestatem animadvertendi ademit ea lex, sed ita, si quis ad populum provocasset.

CIV. Et ita Livius Porciam legem cum Valeria comparat, eique anteponit non ratione interdicendi, sed sanctione pœnæ gravioris. Quam subodorari videor ex Verrina 7. hanc fuisse, ut magistratus accusari ad populum majestatis possit, id enim judicium minatur Verri Cicero; deinde, crimen adjicit, cives Rom. sublatos in crucem, vel securi percussos.

CV. Legem Semproniam, quæ Porciam secuta est, severius & simplicius sanxisse existimo, non de provocatione, sed omnino, ne injussu populi supplicium de cive sumeretur.

CVI. Utcunque sit; lege Porcia & Sempronia aliisque, ut ex Sallustio colligere licet, sancitum est, ne vita civi Rom. adimeretur, sed ut exilium ei permitteretur. (Sancitum autem adversus magistratus. Nam populus quidem ipse se potestate animadvertendi prorsus spoliare nec voluit, nec debuit, in caussis præsertim perduellionis atque incestus.)

CVII. Permitti jubent, inquit Sallustius. Sed quid si reus sive damnatus uti permisso nolit? Id quidem vix fieri potest: sed tamen si quis nolit, legum pœnæ illi subeundæ erunt, a quibus in exilium tanquam in portum aut ad aram confugere homines solere, Cicero ait.

CVIII. Sed post damnationemne permissum an ante? Deinde quæ nam illæ pœnæ, quarum vitandi gratia in exilium reus confugiat? Utrumque enim explicationem non obviam nec facilem habet.

CIX. De posteriori prius. Et Cicero de hac re loquens, nominat vincula, ignominiam, necem, &c. Quæ omnia graviora sunt exilio. De vinculis aperta res, cognita enim caussa in vincula publica, dubium non est quin conjici rei possint, ut serventur supplicio.

CX. De ignominia, an ea vitatur exilio? Puto differentiam aliquam esse. Gravius est, si damnatus in exilium exeat, levius, si sua velut sponte ante damnationem, de quo mox. Semper quidem exilii ignominia comes.

CXI. De nece rarum videtur. Per paucas enim res capite etiam illi veteres Romani sanxerunt teste eodem Cicerone de Republica. Post legem vero Porciam non videtur huic supplicio locus fuisse, nisi apud populum & in uno alterove crimine.

CXII. Exilium permitti duobus temporibus potest ante & post damnationem. C. Verres aliique non expectarunt, donec damnarentur, sed in exilium sponte iverunt. Hic quoque distinguenda mihi tamen tempora videntur, ante accusationem & post accusationem.

CXIII. Ante accusationem si quis fugiat, ut Cicero, in exilium: quæri potest, an illud exilium sit? Et in M. Tullio fuisse dubium non est, licet oratorie interdum neget ipse, quo enim tantopere restitui, & quidem lege cupiit, si non exulabat? Sed quomodo, inquiet, exilium sine damnatione, sine accusatione?

CXIV. Atque ego triplex genus exilii voluntarii facio. Unum quod in usu non fuisse Romanis puto, sed Græci habuerunt, apud quos exilio voluntario luebant cædem per imprudentiam admissam: cujus moris Græcorum facit mentionem Callistratus noster in l. aut facta D. de Pœnis.

CXV. Apud Romanos tamen simile quiddam fuisse reperio, expiandæ ejusmodi cædis caussa, institutum, unde Februorum dies, & aries ille in concione subjici solitus, si Cincio Jurisconsulto veteri, & Servio Honorato credimus. Sed Novella Valentin. Imperat. constitutione non aliter, quam principis annotatione expiatur: quod non ab Mose, ut videtur Cujacio, sumpsit, sed a Romanis, ut existimo, vel Italis veteribus. Ita expono, quæ apud Priscianum legi, M. Catonis illa verba ex III. Originum libro. Exules duo lege publica execrati, id est, καθαραθέντες: Et hoc igitur, ut cætera, a populo in potestatem Imperatorum translatum est.

CXVI. Alterum genus exilii voluntarii est, cum quis suasioni aut authoritati magistratus vel alterius cedit sine ullo crimine, sed boni publici caussa. Sic Tarquinius Collatinus oratione Bruti, cum quo reges ejecerat, primusque Consul factus erat, & socer Sp. Lucretii urbe Roma discessit: metu tamen, ne postea invitus cum ignominia & omissis bonis cogeretur. Quo facto tulit rogationem Brutus, ut omnes Tarquiniæ gentis exules essent. Liv. 2.

CXVII. Tertium genus est, posse accusationem vel imminentem, vel institutam. Imminentem, ut occiso Graccho Lentulus, alii. Institutam, ut Verres, aliique plurimi.

CXVIII. Necessarium exilium unum est, quod lege vel damnatione judicis irrogatur. Quamquam & illa superiora quodammodo necessaria, cum metu damnationis & pœnæ alicujus eo confugiant homines, ut solum vertant. Minus proprie tamen exilia dicuntur, quæ non irrogata sunt.

CXIX. Medium quiddam inter exilium voluntarium & necessarium; sed utroque tamen honestius observasse videor: cum quis scilicet specie honoris in aliquam urbem vel provinciam amovetur. Quod proximum atque adfine Græcorum ostracismo putari debet. Quo caruit Resp. Rom. magno suo & malo & dedecore: malo, ut in M. Coriolano: dedecore, ut in Scipione Africano.

CXX. Princeps excogitavere, rimatusque exempla Tacitus est acutissime, notatque fere illis verbis, SPECIE HONORIS, vel studiorum, vel amicitiæ, &c. Explicavit prudentissimus Taciti interpres Scipio Ammiratus.

CXXI. De tempore & loco exilii quædam dignissima observatu hic adscribenda sunt. Ac veteri Repub. & jure non memini legere de temporario exilio. Omne perpetuum erat, nisi restitutus deinceps quis esset.

CXXII. Et restitui a nemine potuit, nisi a populo: lege igitur, non Senatusconsulto: sic Popillius, Metellus, Cicero restituti sunt rogationibus, illi Tribunitiis, hic Consulari, cui & Senatusconsultum adcessit: quod maximo honori sibi Cicero duxit; extollitque, illorum comparatione, quibus non id contigit. Lege Pompeja de ambitu damnatos etiam per populum restituit Cæsar jam Dictator, jam Dominus.

CXXIII. Sed statim lege Regia & hoc suæ potestatis fecere Principes. Nullus igitur, quantumvis summus, restituere ab exilio, vel alia simili pœna potest.

CXXIV. De loco, is vel definitus lege vel sententia judicis est, vel indefinitus. Si definitus est, is utique servandus est, veluti M. Tullio lege Clodia aqua & igni interdictum est intra quadraginta millia passuum.

CXXV. Sed quæ pœna, si intra eum locum versetur aut conspiciatur? Interdum ea damnatione adjicitur, ut in eadem lege Clodia, ut impune posset a quovis interfici; aut si adjecta nulla est, exasperari pœna solet pro arbitrio Principis, de qua re extat elegans rescriptum Trajani lib. 10. epist. Plinii, & Juliani Imperatoris, illius Apostatæ simile ad Alexandrinos de Athanasio, si memini.

CXXVI. Locus etiam duobus modis adjici & definiri potest, cum non solum spatium certum, sed etiam certa regio certave insula, aut urbs nominata est, in qua se continere exul debeat.

CXXVII. Indefinite, nullo loco aut spatio designato, si exilium irrogetur, vel aqua & igni cui interdicatur, ut plerumque fieri olim consuevit: tum quovis in loco, Roma excepta, versari & commorari exuli licuit. Imo, excepto oppido Romæ, ut puto. Hæc enim tria distinguimus, Romam, Urbem Romam, Oppidum Romam.

CXXVIII. De Roma & urbe nota sunt quæ Jurisconsulti nostri exposuere. Sic igitur Oppianicus veneficii damnatus cum esset, vagusque & exul erraret, tamen & ad urbem proficisci, & intra urbem aliquid habere conducti solebat: in ea pro Cluentio.

CXXIX. Ut cuique igitur magis locus aliquis aut regio placebat, ita in eam se conferebat, vel in Italia, vel in provincia.

CXXX. Exilio quamvis omnia jura civium Roman. amitterentur, civitas tamen non amittebatur, quod multis in locis Cicero scribit, præsertim in Oratione pro domo, & in ea pro Corn. Balbo: nisi quis volens se in alienam civitatem adscripsisset, aut recipi passus fuisset.

CXXXI. Honorem tamen & dignitatem suam mansisse apud exteras nationes aut civitates Romano etiam exuli puto. Quidam etiam a Senatu liberis civitatibus aliisque gentibus diligentissime commendati fuerunt, ut M. Cicero rogatione Clodia exul.

CXXXII. Quod diximus liberum cuique fuisse, ut quem luberet locum sibi exilio deligeret: hac in re nonnullæ nobiles quæstiones incidere possunt, de quibus explicandum est.

CXXXIII. Primum igitur, teneaturne Princeps aut populus aliquis recipere exules, quæritur? Et videtur jure gentium ad id teneri. Sic enim Persei Regis legati criminationes Eumenis Regis in Rom. Senatu diluere apud Appianum in Eclogis de legationibus: κοινῷγε πάντων ἀνθρώπων νόμῳ, καθάπερ καὶ ἡμεῖς τοὺς ἑταίρων φεύγοντας ὑποδέχεσθαι.

CXXXIV. Notandum est quod ait ἑταίρων, id est, sociorum, quod non alii exules temere in urbem reciperentur. Sic accipe Ciceronis illa lib. I. de Oratore: qui Romam in exilium venisset, cui Romæ exulare jus esset, si se ad aliquem quasi patronum applicuisset, &c.

CXXXV. Denique quæritur, an propter exules receptos juste bellum moveri possit? quod non videtur: Sit enim locus exilii oportet. Ejicere tamen Rex potest eum, qui simul sit exul & hostis sociorum, ut Porsenna Tarquinium. Similiter & consceleratos homines. De quo incusati ab Epaminonda Athenienses, quod Orestem recepissent.

CXXXVI. De civitate, quod supra ex M. Tullio diximus, merito dubites. Et certe verius est eam amitti aquæ & ignis interdictione, vel exilio, etiamsi in aliam civitatem non sit ascriptus. Idem dicimus & de aliis generibus pœnarum, quibus non amitti civitatem & libertatem ait, nisi a volente. Amittitur enim utique semper ab invito.

CXXXVII. De eo qui hostibus deditus est, eleganter quæritur, an civis hostium fiat, & an hostes inviti deditum accipere cogantur. Utrumque negamus, in utroque pueriles ambages Sp. Posthumii Cos. Samnitium populo dediti, improbamus. Livius libro 7.

CXXXVIII. Quod Polybius scribit exulibus Romanis patuisse urbes agrosque fœderatorum, nominatque Neapolim, Præneste, Tibur: id non eo pertinet, ut illæ civitates invitæ eos recipere cogerentur, vel ipsi in aliqua illarum ingratiis desidere. Contra in lege Moysis, urbes quædam proprie designatæ fuerunt, in quas exules, præsertim cædis imprudentis rei, sese reciperent.

CXXXIX. Item quæritur, ullumne imperium populi Rom. ipsius aut magistratui in exules Romanos fuerit? Et non dubito fuisse in iis locis, ubi populus Rom. imperium haberet.

CXL. Quin & retractos quosdam ab exilio legimus: ut L. Tubulum illum Prætorium, de quo in Bruto Ciceronis: qui ipse postea, ne in carcere necaretur, venenum bibit, teste Asconio. Sed cur metuit, tanto auxilio legis Porciæ civibus omnibus parato, necari.

CXLI. De Judicio populi videamus. Et Regum quidem temporibus non putamus a regibus provocationem ad populum, ne in perduellionis quidem caussa fuisse: licet sciam contrarium a Seneca adfirmari.

CXLII. Postea semper & in omnibus criminibus ea potestas populi fuit, ut judicium ad eum vel primario, vel per provocationem deferri liceret. Nam & de stupro die ad populum dicta damnatas matronas legimus, & pecuarios.

CXLIII. Et vel ipse judicabat centuriatis comitiis præsertim de capite civis, mox & tributis: vel Quæstores creabat, qui parricidii dicti sunt, vel Tribunis pleb. aliisve quæstiones demandabat.

CXLIV. Imo & Dictator interdum quæstionum exercendarum causa creatus, ut C. Mœnius de quo Livius lib. 9. videndus. Eum, nos excessisse mandati fines in illa cognitione judicamus.

CXLV. Illud notandum est, quod mandatam sibi quæstionem aliis demandare poterant & solebant, ut Tribuni pl. Senatui, Senatus iterum Consulibus. Quod omnino adversatur posteriori juri, & Papiniani illi nobilissimæ definitioni, quæ extat in l. 1. D. de offic. ejus cui mand. est jurisd. Jus scil. gladii mandari & transferri in alium non potest.

CXLVI. Unum est perduellionis crimen, de quo nemo magistratus judicare potuit, sed solius populi cognitio & judicatio fuit. Et pessime igitur T. Labienus in C. Rabirium perduellionis rerum Quæstores a Prætore creandos curavit.

CXLVII. Hic quæritur, cur T. Livius Horatium illum, qui sororem interfecit, perduellionis judicatum scribat, cum potius parricidium fuisset, ut alii recte nominant? Et placet mihi non Manutii & aliorum doctissimorum, sed Charisii Sosipatri veteris Grammatici ratio: quia visus est contra Rempublicam egisse Horatius, qui per tempus belli sororem occidisset. Hostilitas quædam ea fuit.

CXLVIII. Ad hoc crimen Perduellionis non pertinuisse legem Porciam, verius dici puto. In quo & illud singulare fuit, quod in ea sola voce non tabella suffragium ferebat: exceptum id lege Cassia. Sed lege Cœlia & hic tabella postea data est.

CXLIX. De incestu quoque proprium judicium populi fuisse existimamus.

CL. De Parricidio lege Cornelia, dein lege Pompeia prætores judicavere: neque alia iis legibus pœna, quam aquæ & ignis interdictio. Cullei pœna moribus potius, quam lege inducta. Et solus igitur populus ejus infligendæ potestatem post legem Porciam habuerit.

PARERGA

EX LEGIBUS ET USIBUS FEUDORUM.

I.

Caussæ matrimoniales non sunt spirituales: nec ad Ecclesiasticos judices pertinent.

II.

Vidua nullo casu dotem amittit ob stuprum. At Vasallus in viduam defuncti domini peccans, privari feudo potest.

III.

Miles non solum jure militari, quod est privilegium & præmium militiæ, sed etiam jure communi testatur. At si damnatus capitis sit ob flagitium militare, non potest jure communi testari: militari tantum concessum est.

IV.

Puberes sine curatoribus suis civili jure obligantur.

V.

In rebus mobilibus non est locus remedio l. 2. C.

de rescind. vendit. In qua l. justum pretium idem est quod verum pretium.

VI.

Emphyteuta jus suum etiam inconsulto domino recte alteri donat.

VII.

Furto hæreditati facto, hæres agere furti non A *potest. Secus est, si defuncto factum sit.*

VIII.

Princeps non est magistratus.

IX.

Patre feudum refutante in gratiam filiæ, consensus est agnatorum necessarius. Filia id redimente, non est necessarius.

DISPUTATIO DE JURE BELLI.

THESIS I.



JUs belli est pars juris gentium. Eo igitur jure, non civili, non publico alicujus populi controversiæ bellicæ atque armorum dijudicari debent.

II. Bellum est publicorum armorum justa contentio: dictum olim duellum, quod inter duos & pares fit.

III. Justam contentionem non eo solum sensu dicimus, quod justitia in bello versari debeat: sed etiam quod plenus & perfectus quidam apparatus armorum sit oportet, quod bellum dicimus. Incursiones & deprædationes latronum & similia non sunt bella.

IV. Inter Principes populosve liberos proprie bellum est. Hique proprie hostes, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decrevimus.

V. Necessitas bella peperit, cum aliter jus obtineri non potest. Si aliter potest, puta, arbitrio & disceptatore sumto aliquo rege vel populo, temere & inhumaniter res bello repetuntur.

VI. Etiam sæpe injuste, quamvis justam alter causam belligerandi habeat.

VII. Privatus si bellum pacemve fecerit, sine publico scitu, capitale esse Plato voluit, Romani eum majestatis teneri: rectissime.

VIII. Principes qui fœdere, vel etiam feudo alterius majestatem comiter tueri, vel ei præstare servitia aliqua tenentur, injussu ejus bellum facere aliis possunt: nisi tenor fœderis aut investituræ refragetur.

IX. Latrones, fugitivi, prædones, piratæ, quamvis magnis exercitib. rem agant, non sunt tamen justi hostes, nec bellum cum iis, aut jura ulla belli, ulla gentium sunt, ne legationis quidem illud sanctissimum, licet contra sentiant doctissimi viri.

X. Potest tamen ex latrone quis fieri justus hostis, assumta scil. publica causa, ut Viriathus Lusitanus.

XI. Maxime in bellis justitia requiritur; Et finis belli ipsum bonum justumque est, nimirum pax & improborum coercitio.

XII. Bellum utrinque juste geri potest, puta C cum probabiliter dubitatur de justitia causæ; ut de bello civili inter Pompejum & Cæsarem Cic. scribit orat. pro Marcel. Erat obscuritas quædam, erat certamen inter clarissimos duces.

XIII. Nec tamen, si altera pars injustiorem causam habeat, neganda ei belli jura dicimus.

XIV. In causis bellorum, hæc considerari debent. Primum ne leves aliquæ causæ sint, ut bene Arist. 7. Polit. Deinde, ne dubiæ nimis aut antiquæ.

XV. Causæ aliæ divinæ, aliæ humanæ. Divinæ semper justæ. Hoc genus belli, inquit Augustin. sine dubitatione justum est quod DEUS imperat.

D XVI. Nec hic distinguimus inter veram & falsam religionem. Nam & infidelibus suæ justæ causæ bellorum sunt, ratione religionis suæ vel certe justitia humana institutisque sectarum. Sic definitiones non reprehendendas ex secta definientis traditas, Galenus scribit.

XVII. Bellum injustum dicimus, quod infertur, ut ad religionem quamvis veram cogas populum, aut gentem aliquam quietam & non injuriosam tibi.

XVIII. Justissima vero causa, ut religionis tuæ homines adversus impios defendas.

E XIX. Alia quæstio est de Principe & subditis ejus: sed tamen & hic mitius judicamus, non esse subditos ad religionem cogendos bello atque armis, nisi aliquid detrimenti inde Resp. capiat.

XX. Multo minus justum bellum putamus si subditi arma contra Principem sumant, ut ad religionem suam cogant & retrahant, quantumvis veterem & receptam: præsertim si nihil ipse adversus eos ob eam rem moliatur.

XXI. Justissima causa belli est defensio, eaque triplex, necessaria, utilis, & honesta.

XXII. Necessariæ defensionis duæ species fiunt: Una ejus qui bello petitur ac lacessitur: altera ejus F adversus quem hostis bellum molitur atque apparat.

XXIII. Livius: Justum bellum, quibus necessarium: & pia arma quibus nulla nisi in armis relinquitur spes, lib. 8. Quæ igitur alias injusta sunt, hac ratione sunt justissima.

XXIV. Utilis defensio est, quum justus aliquis metus est, ne si non prior arma moveas, ab altero opprimaris. Et metum hic magis ex edicto de damno infecto, quam ex edicto, quod metus causa æstimandum putamus: id est leviorem sufficere.

XXV. Huc pertinet quod Aristotelis lib. 5. Pol. scribit, satius esse cavere ne alii potentia nimium augeantur, quam cum potentiores sunt facti, remedium quærere. Et Dionysii; Ratio imperiorum, ne nocere possit.

XXVI. Honesta defensio est, cum nullo periculi nostri metu, opem aliis ferimus, vel sola ratione societatis & cognitionis quam homini cum homine esse natura voluit.

XXVII. Imo & tenetur quis alterum defendere, præsertim sine periculo suo. Eleganter Bl. JC. Culpa est defensionem alterius omittere, sui, dolus.

XXVIII. Multo magis tenetur quis vicinum vel socium fœderatumque defendere. Et quod Bodinus disputat, si nihil de auxiliis fœdere cautum fuerit, non teneri quem sociis opem ferre, absurdum videtur.

XXIX. An subditos adversus principem eorum defendere liceat quæritur? Et magis est licere, si illi præsertim necessarii aut vicini, impotenti imperio nimium premantur, quamvis injusti ipsi & injustam causam habeant. Nam & injustos filios adversus sævitiam parentum, servos dominorum juste pieque defendimus.

XXX. Nunc exempla & species quasdam causarum belli suscipiendi insigniores cognoscamus.

XXXI. Justa igitur & necessaria causa Romulo fuit rapiendi Sabinas belloque factum suum defendendi. Justa pariter iis qui sedibus suis pulsi, aut propter multitudinem nimiam emissi, novas sedes bello sibi atque armis parant.

XXXII. Nec juste negat Princeps aut populus, præsertim si ager vacet, aut paludibus, aut alia re sterile solum: & recepta gens imperio se ejus Principis subjiciat, vel idonee caveat, quieturam se.

XXXIII. Justa etiam causa illa est, si exercitus aliquis itinere ac via prohibeatur in alios arma portans. Sunt enim naturaliter omnia itinera libera: Nisi timendi tibi ab armatis justa ratio fuerit.

XXXIV. Item prohibere commercio, & ad id mari, littoribus portubusque arcere.

XXXV. Item injuria aliqua insignis vel scelus admissum in Principem populumve vel etiam in privatos, ut Romani, qui ob mercatores & navicularios violatos gravissima bella susceperunt.

XXXVI. Quid si privati aliqui homines peccarunt, an adversus eorum Principem arma justa sumentur? nequaquam: præsertim si is princeps in suos ipse animadvertat aut eos dedat. Hinc illa formula fœderum, *si defecit publico consilio*.

XXXVII. Satius tamen hic fuerit, pignorationes, quas vulgo Repressalias vocant adhibere vel permittere, ut denegata justitia solet.

XXXVIII. Illa justa causa belli non est, vetusta & obsoleta crimina afferre, aut antiquas majorum possessiones; ut si Cæsar hoc prætextu Galliam, Angliam aliaque regna invadere velit, quod sub ditione olim Romani imperii fuerint.

XXXIX. Nam & præscriptio in Imperiis valet, probamusque hac in parte disputationem Laur. Vallæ in libello de donat. Constant.

XL. Cujacio & aliis, si qui sunt, qui Roman. hodie Imperium nullum esse contendunt, non assentimur: est enim certum in Germania. Hotomanno etiam non, qui Majestatis P. R. accusat, quod Carolum Francorum Regem, Imperatorem Pop. Romani creaverit. Populus magis creavit, jureque potuit: confirmavere Constantinopolitani Principes.

XLI. Successores hostium justo bello persequimur, ut Alexander Persas, quamvis Arrianus
A hanc vindictam Alexandri improbet, summus alioquin admirator ejus.

XLII. Sed & illa honestatis justitiæque plena causa inferendi belli est, si quæ natio scelera magna quædam fieri impune, decerneret: ut homines immolare, quem morem in Africa Galliisque abolevere magni illi Romani.

XLIII. Hæc ratio adversus omnes justa bella facit, qui jus gentium & fœdus humanæ societatis rupere, ut sunt latrones, piratæ, similes: ut etiam humanissimæ gentes, si hæc in se scelera admiserint, puta Lacedæmonii, qui supplices e templo egressos trucidarunt, quos ulti Athenien-
B ses sunt.

XLIV. Illa quæstio difficilem habere explicationem videtur, an subditi juste pugnent pro Principe suo, injustam habente belli causam? Et verius est non esse ipsorum judicii, aut virium discernere, utra pars justiorem causam habeat.

XLV. In Vasallis ita distinguimus. Ipse se Vasallus adversus injustum dominum justo pioque bello defendit: At contra dominum stare vel consulere etiam juste belligeranti non debet.

XLVI. Si perfidiam Vasalli Dominus arguat, nec probare possit, duello se tueri ac purgare va-
C sallus debet, non ut ipse dominus cum eo dimicet, sed alius singularis ac compar: aut si talis nullus sit, jurejurando se purget: ut cautum jure Feudario.

XLVII. Si dominus injustam causam habeat, bellumque inferat alteri, vasallus sine perfidiæ crimine eum non sequitur aut juvat. Contra est, si ab alio vis ac bellum, licet justum, inferatur domino.

XLVIII. Nam & contra patrem, contraque filium suum vasallus tenetur dominum defendere, non item contra antiquiorem dominum, non contra Imperium, aut Regem, nisi sit ligius, non e-
D tiam contra patrem, ut recte Cujac.

XLIX. Domino etiam bannito vel excommunicato auxilium ferre non tenetur: imo solutus est interim sacramento.

L. Vasallus ad delectum non respondens, certa bonorum parte mulctatur.

LI. Hæc hactenus de justis bellorum causis: Deinceps de justis belli suscipiendi & gerendi rationibus cognoscamus.

LII. In suscipiendo bello primum requiritur, ut indicatur hosti: Nullum enim bellum, ait Cic. justum haberi videtur, nisi nuntiatum, nisi indictum, nisi repetitis rebus.

E LIII. Amplius etiam dicimus, si amicitia vel societas antea intervenit, huic prius renuntiari oportet quam bellum denuntiari; nisi insigni aliqua re vel testificatione hostis jura amicitiæ societatisque violasset; tunc enim superfluo nos amicitiæ renunciemus.

LIV. Plane bellum indici etiam, cum gravissimæ injuriæ nobis illatæ sunt, æquius & magis Romanum videtur, imo non nisi prius repetitis nec redditis rebus.

LV. Hic igitur ordo. Repetendæ res raptæ sunt primo per clarigationem vel legatos; deinde
F renunciandum amicitiæ, si qua intercessit: postremo bellum indicendum, non simul tamen, sed post aliquod legitimum spatium, & rursus non statim suscipiendum, sed post aliquod tempus, quale apud Romanos fuit XXXIII. dierum.

LVI. Interdum tamen jure prætermittitur hæc belli denunciatio sicut & citatio forensis interdum.

LVII. Defensivum bellum non recipit hanc regulam denunciationis: quod vero ultro infertur,

tur, etiamsi necessario, puta ab exulibus, denunciandum est. A

LIIX. Adversus eos qui bellum nobis non indictum intulere, si eos ulciscendi causa bello persequi velimus, jure id absque ullo prædicto & clarigatione faciemus.

LIX. Item hostibus perpetuis & quibus cum nulla nobis est pactio, denuntiari non oportet.

LX. Item cum res non patitur moram. Sine jussu populi, non poterat bellum a Romano duce inferri ulli genti. Juste tamen Ariovisto intulit Cæsar; injuste Cato eum dedendum Germanis censuit.

LXI. An Princeps beneficiario sive Vasallo suo bellum illaturus, id indicere debeat, controversia inter Galliæ & Angliæ Reges coram Imperatore fuit; recteque Gallus dicebat, non debere, quoties talis esset contra Vasallum accusatio domini, de qua ad ipsum dominum, tanquam Judicem competentem eundum esset. B

LXII. Nec rebellibus & defectoribus, qui antea sub ditione nostra erant, indicendum est: Contra est, si qui ab amicitia, fœdere, comi etiam obsequio defecerunt.

LXIII. Induciis factis etiam longis, post eas elapsas, indici bellum non esse necesse. Contra dicendum, si cum nullum antea bellum fuisset pactioque interposita, ut post biennium, puta, bellum differetur, fuisset.

LXIV. Si auxilium ferimus sociis, bello se defendentibus nos id indicere non tenemur eorum hostibus, nisi sint nobiscum fœderati; tunc enim indicendum esset; ut indixere Romani Carthaginensibus, Saguntum oppugnantibus. Similiter, si tanquam pars & in communem rem bellaturi simus, tanquam necessarium & id bellum esset, utique denunciandum est.

LXV. Si ad offendendum arma conjungimus, i. e. auxilia submittimus, denunciare nos non debemus: quamvis ob id justas causas nobis belli inferendi hostis habeat. D

LXVI. Bellum si quis non indicat, proditorie agere dicitur. Et tale bellum ἄσπονδον, internecinum, execrabile est.

LXVII. Bellum licet indictum sit, tamen juste etiam gerendum est, nec minus quam fortiter, ut ait apud Livium Fur. Camillus. Primum igitur de dolis & stratagematis videamus.

LXVIII. Nobilis est illa Augustini sententia, & in corpus Jur. Canonici, recepta: quum justum bellum susceperis, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincas, nihil ad justitiam interest. E

LXIX. Denique dolus bonus est in hostes latronesque, sed dissimiliter. Latroni enim fides prestanda non est, nec jurata quidem fortasse.

LXX. Dolus duplex, in verbis & in factis. Verborum omnis dolus ac deceptio debet a pactis abesse, omnisque cavillatio, alioquin in perfidiæ crimen incidit.

LXXI. Mendacio tamen hostes fallere quibusdam modis & causis licitum est, puta, si nihil hostibus promiserimus, vel cum iis collocuti fuerimus: sed quædam jecimus aut scripsimus verba, quibus illi ad falsam nostrorum consiliorum conjecturam deducantur. F

LXXII. Sed etsi hostem ipsum alloquamur, per mendacium, dum tamen nihil ipsi promittamus contrahamusve cum eo, religione mendacii exsoluti sumus.

LXXIII. Mendacium non solum in verbis, sed etiam in factis est: ita Arist. recte. Ita Phil. Melanchthon, Mendacium est petulanter, aut cupiditate nocendi aliud loqui seu gestu significare, & aliud sentire.

LXXIV. Veneficiis, quæ doli in factis versantis species est, adversus hostes uti, nefas: quare nec telis venenatis uti jus est, nec aquas venenis corrumpere, etiam tum cum defendendi causa sit: neque enim justa est defensio quæ jura hostium, imo gentium & naturam tollit. Idem judicium de magica omni arte.

LXXV. Idem & de venenatis bestiis: ut Annibal serpentibus adversus regem Eumenem, Atreni adversus Imperatorem Severum usi. At ursi, leones, apri, canes, elephanti a multis in prælia inducuntur non omnes jure fortasse.

LXXXVI. Armis autem omnibus quamvis novis uti fas est, puta bombardis, similibusque tormentis. Nec verum est ea internecina esse aut virtutis discrimen sustulisse.

LXXVII. Falsis etiam & mentitis armis vestibusque uti licet. Idem si quid fiat quod contra superstitionem hostis sit, deterreatque hostem.

LXXVIII. Cædem Principis vel Imperatoris hostium per te tuosve vel per ejus milites fraude & occultis procurare, infame, abominandum.

LXXIX. Sed nec pecunia milites corrumpere, aut urbes mercari proditione, laudem meretur. Non decet enim cauponari bellum & quod virtute effici debet, id tentare pecunia.

LXXX. Neque omni loco interficere hostem licet. Annibal Marcellum prope castra sua lavantem interfecit juste: non juste facturus, si in Tyberi natantem. Pessime Baldus, hostis bene interficitur ubique. Impie Vitellius, hostem mortuum semper bene olere, melius civem.

LXXXI. Doli ac fraudes transfugiorum improbabiles minimeque Romanæ sunt. Sic & Zopyrus improbandus. Et tamen per transfugas & speculatores, scrutari res, consiliaque hostium licet.

LXXXII. Proditiones contra ipsos proditores vertere, laudandum est.

LXXXIII. Nunc de rebus per se licitis, puta de pactionibus ducum vel militum videamus.

LXXXIV. Duces belli sunt, quorum auspiciis bellum geritur. Pacem tamen illi injussu populi vel Principis Romani facere non possunt, quamvis libera administratio illis permissa sit: Inducias possunt, dum non longas.

LXXXV. Si pacem fœdusve, aut aliud extra bellum munus dux fecerit, ipse se obligat solum: & a Principe vel populo dedi hosti potest. Recte igitur Postumius Consul, qui fœdus cum Samnitibus fecerat, solum se ea sponsione obligatum, cum aliis sponsoribus disseruit.

LXXXVI. Fides etiam a milite privatim data hosti justo servanda est, quamvis acriter contra disputet doctissimus Zasius in libro adversus Eckium Theologum.

LXXXVII. Si servare promissa non potest, redire ad hostem tenetur, alioquin proditorie detestabiliterque agit & remitti a principe debet petenti hosti. Una illa exceptio est, si quid contra jus publicum, aut militare promissum fuerit. Datis obsidibus nemo liberatur.

LXXXVIII. Induciæ sunt cum in breve & in præsens tempus convenit, ne invicem se lacessant, ait JCtus.

LXXXIX. Nec tamen inducias ad paucos dies tantum cogimus: nam & plurium mensium, imo & annorum multorum esse pactæ induciæ possunt.

XC. Induciæ sanctiores pace videntur. Sed an offensus in induciis offendere hostem in-

vicem potest? Plerique negant, nos affirmamus, nec tantum in continenti id licere (cum id defensio potius sit) sed etiam ex intervallo.

XCI. In induciis bonam fidem semper spectari oportet. Igitur si quis aliquo casu fortuito coactus ultra tempus induciarum apud hostem retineatur, violari non debet, tantum abest, ut interfici possit, quod Bartolus tamen putat.

XCII. Si edictum fuerit, ne quis ex hostibus ad suos vel commercii causa accedat, accedens jure interficitur.

XCIII. Nihil tempore induciarum moliri quis debet quod noceat hosti, vel quo sui difficiliorem persecutionem hosti faciat, vel omnino deteriorem ejus conditionem.

XCIV. Pactum de personis tantum non lædendis interpositum, non trahitur ad res rapiendas corrumpendasve. Et vice versa. Nec tamen induciæ violantur, si pro rerum defensione personæ offendantur.

XCV. Induciarum quædam species est, fides publica hosti data, quam vulgo salvum conductum vocant & datus ad veniendum, intelligitur & ad abeundum datus. Similiter datus personæ, intelligitur & rebus ejus datus etiamque aliis personis conjunctissimis, puta liberis uxorique.

XCVI. Illustris est quæstio & facto agitata; An ita dimissus ut alter ejus loco daretur: si hic interim forte moriatur sine culpa moraque dimissi, cogatur ipse se hosti restituere? Negandum videtur.

XCVII. Dux, qui alterius auspicio rem gerit, potest tamen captivos dimittere ac permutare. Sicut & donare prædam omnem bello partam.

A

B

C

XCVIII. Si ipse dimissus, habita de pretio fide, moriatur, teneri ejus heredes, contra Accursium, sentimus. Et si quid captivus clam habet, puta torquem, pactam mercedem ex eo, tanquam suo, posse solvere, recte Scanderbego Duci placuit.

XCIX. Captum ut & deditum, occidi nefas est, nisi resistat aut repugnet. In acie occidi milites debent: quid si teneri non possunt, aut propter multitudinem periculum immineat nobis, aut aliter oneri sunt? Dimittere honestius quam necare est.

C. In pertinaces & obstinatos, præsertim si sine ratione, puta si ignobile vel immunitum oppidum defendere adversus magnas copias hostium voluerint, exempla pœnarum juste eduntur.

CI. Dedita non vi capta urbs censeri debet, etiam quæ vi & prælio aliisque modis ad deditionem compulsa est. A deditis, non a captis, jus belli abstinere oportet.

CII. Honesta est tamen illa Cæsaris denunciatio lib. 2. B. G. Aduaticis facta, civitatem conservaturum, si prius quam aries murum attigisset, sese dedidissent. Aliæ quoque causæ justæ incidunt, propter quas non oporteat sese dedentes recipi: sed in eos sævire liceat.

CIII. Obsides male captivis comparantur. Testamentum tamen facere non possunt, quamvis liberi & patresfamilias.

CIV. Supplicibus non minus prope quam hospitibus parcendum est: nisi aliquo facto omnia belli commercia diremerint, aut religio dissuadeat.

CV. Pueris & feminis parcendum, nisi arma ferant.



DISPUTATIO AD CONSTITUTIONEM IMPERAT. FRIDERICI I. AHENOBARBI DE REGALIBUS.

THESIS I.



Omen REGALIA (quæ & Regaliæ licet rarius dicuntur) abscise positum, cum in Jure Feudali, tum in aliis scriptis varias habet significationes. Nam & Feuda majora omnia, puta Ducatus, Marchionatus, Comitatus: & jus ipsum regalia conferendi, vel de iis investituram faciendi; & jura supremitatis, ac majestatis, sive quæ de majestate regni licent, ut Salisberiensis in Policratico loquitur: & jura omnia fisci, prædiaque fiscalia: Denique insignia, & ornamenta regia, sive Imperatoria (Græcis σύμβολα, & γνωρίσματα, &c.) veluti pomum, lanceam, crucem, coronam, sceptrum significat.

II. Sunt & aliæ quædam significationes rariores. Nam Regalia numero singulari a Gallis vocatur per excellentiam jus, quod Galliæ Reges perpetuo habuerunt conferendi, cathedrali sede vacante, majora sacerdotia, fructusque ex iis percipiendi, juramentumque fidelitatis a novo Episcopo recipiendi, quod investituræ veræ vice habetur apud eos. *Annæus Robert. lib. 3. Rer. judicat. cap. 1.*

III. Similiter κατ' ἐξοχὴν *Regium* appellatur Census, sive Tributum, quod Regi, vel Imperatori debetur, distingiturque a Fodro, & cæteris Regalibus in c. XXIII. de Jur. patron. & ibi gloss. in c. tributum XI. quæst. 1. & c. convenior. 23. quæst. 8.

IV. Regalia vero Persarum in Apologia L. Apuleii sunt illa, quæ βασιλικὰ appellat in Alcibiade priori Plato: institutio inquam, & disciplina regia. Quomodo institutio D. Augusti, & Principum institutio olim dici, & laudari ab ipsis etiam Principibus consuevit.

V. Sed his, & si quæ sunt his similia, prætermissis, instituti nostri est, de his tantum Regalibus disputare, de quibus hæc Constitutio Friderici agit, similibusque, quæ Interpp. nostri Fiscalia jura appellant, latius hoc nomine accepto. Quare & Cujacius de jure Fisci huic constitutioni Titulum fecit: & Fisci nomine interdum Principem ipsum vocari notat. lib. x. C.

VI. Nam proprie Fisci jus, & nomen ad commoda pecuniaria, possessionesque, ad Principem ratione Imperii pertinentes refertur, & quæ in iis jura, vel Privilegia habet: cujusmodi non sunt quædam, quæ in hac Constitutione Regalia nominantur.

VII. Et vice versa quædam sunt Fiscalia, vel Fisci, quæ non recte inter Regalia jura numeres, certe quorum hæc Constitutio nullam mentionem facit, neque ad ea pertinet.

VIII. Sed neque omnia jura Imperatoria, sive Regia, ut Guntherus Poeta vocat, recenset, ac sancit, sed ea fere, de quibus in Italia motam quæstionem fuisse idem, & alii ejus ævi scriptores tradunt: quod summe notandum est, propter quasdam quæstiones, quæ Interpretes hujus Constitutionis varie perplexos habuerunt.

IX. Nec tamen Topica, vel particularis hæc Constitutio est, sed generalis, & ad omnes Imperii ditiones pertinens, imo & ad alias, præsertim in quibus jus Romanum, & Feudarium receptum est.

X. Ejusmodi enim sunt hæc jura, quæ hic recensentur, ut ad omnes Principes supremos ex æquo pertineant, vel ad Respublicas neminem superiorem, præter Deum, recognoscentes, qualis est Veneta.

XI. Quod autem Reges, Principesque alii summi, vel Respublicæ Romanum Pontificem se superiorem agnoscunt, eique etiam fidelitatem, vel obedientiam jurant, id & de rebus spiritualibus intelligi debet; & parum, vel nihil, ad nostram rem quod attinet, eorum Juri supremo derogat.

XII. Exquisita, & excellenti quadam ratione Rex, & Princeps supremus ille dicitur, qui nulli, præterquam Deo, in re ulla subjacet, omniaque solus potest, & ut Aristoteles definit: πάντων κύριος, εἷς ὤν. *Lib. 3. Politicor.* 10.

XIII. Cur autem ea jura, de quibus hæc Constitutio agit, Regalia potius vocentur, quam Imperialia, vel Imperatoria, inde factum est, quod Imperatorem Regem vocari posterioribus temporibus mos fuerit, & imperium ipsum Regnum apud Græcos, Germanosque. Quo nomine veteres Imperatores Romani abstinuerunt, propter execrationem illam veterem Bruto duce, Regibus pulsis, factam. Cui similis Lex Antonia de abolenda Dictatura fuit, occiso Cæsare.

XIV. Re tamen ipsa, & potestate Reges erant, ut Dio scribit: quamvis multa civilitatis, & liber-

tatis signa in speciem senatui, populoque relinquerent, quæ πολιτικὰ σοφίσματα dixeris, & in quibus notandis creber, & acutissimus est Cornel. Tacitus.

XV. Regalia ita definiri, vel describi possunt, Jura, quæ Regi in signum supremæ potestatis, atque Imperii competunt, atque debentur.

XVI. Neque mutat, quod magnam partem etiam inferioribus, & subditis illa communicantur; non enim ideo Regalia esse, vel vocari desinent.

XVII. Neque ideo ii, quibus communicata sunt, potestatem, & dignitatem regiam consequentur. Eleganter D. Hieronymus, in Epistola ad Titum, in principio: Deum solum naturaliter esse, & immortalem, & verum; cæteros vero, (ut Angelos, & homines) immortalitatem, & veritatem ex illius largitione consequi; cum aliud sit, inquit, verum esse, & quid habere per semet; aliud, in potestate donantis esse, quod habeas.

XVIII. Per similitudinem Regalia exta dicuntur, quæ potentibus insperatum honorem pollicentur: privatis, & humilioribus hereditates: filiisfamilias dominationem, ut scribit Sex. Pompejus.

XIX. Unde æstimare licet, quid de illa vulgari voce Doctorum nostrorum judicari debeat: *Tantum Dux, vel Marchio, vel Comes, vel Civitas in suo principatu, vel territorio potest, quantum Imperator in suo Imperio.*

XX. Illud Homericum magis placeat Aristoteli, & aliis, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, vel ut acute Antonius Musa Augusti Medicus apud eum leniter inflectens dicebat, οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη. Sed hæc a nobis in libris de Imperio Principis, & accuratius, & subtilius tractata sunt.

XXI. Hic apte quæritur, quibus modis communicentur, vel acquirantur hæc Regalia inferioribus, aut subditis. Et duos modos vulgo omnes statuunt, Privilegium, seu concessionem summi Principis, & prescriptionem temporis ultra memoriam hominum, sive immemorialis, ut vocant.

XXII. Quidam & Consuetudinem adjiciunt, qua etiam Jure Romano docere conantur Jurisdictionem acquiri: perperam. Alii consuetudinem, & præscriptionem confundunt. *V. Zas. consil.* 16. *num.* 14. *lib.* 2.

XXIII. Nos ita existimamus, non solum illis modis, quos diximus, sed etiam lege, & conventionibus, cum Imperatore, Regeve initis Regalia obtineri posse, cum a Principibus, tum a civitatibus: quod jus multo est præstantius, ac nobilius, quam beneficium, & privilegium, vel præscriptio.

XXIV. Et generaliter, si quæ civitas, vel populus, Princepsve certis legibus in alicujus potestatem, aut deditionem venerit, eæ leges plane servandæ sunt; nec alia ratione subditus dicitur, quam illis legibus, ut Alciatus respondit, & exemplo Civitatum Imperii declarat. *Consil.* 4. & 3. *præsumpt.* 8.

XXV. Pontifices Romani Regalia sua appellarunt Regalia B. Petri, quasi Petro concessa, collataque in Ecclesiam: quo nomine non solum Episcopatus, aliasque dignitates Ecclesiasticas intelligunt, sed & bona temporalia, civitates, Ducatus, castra, &c. De quibus tamen Regalibus ingentia inter ipsos, & Imperatores certamina olim fuerunt, sæpeque Pontifices illa remittere, (ut loquebantur) vel resignare, ac reddere Imperatoribus coacti fuerunt. Interdum & Imperatores ipsis Pontificibus, ut hi vel illi opibus, & factionibus prævalebant; ut passim in historiis, & Constitutionibus Imperatorum prioris sæculi videre licet.

A XXVI. Consilium Imp. Caroli Magni minime nobis reprehendendum videtur, qui ideo in Saxonia Pontificibus, aliisque personis Ecclesiasticis concessisse Regalia dicitur ab Alberto Krantzio, quod intelligeret, populum infrænem religione posse contineri, armis vero placari non posse. *Lib.* 11. *Saxon. cap.* 23. *quo alludit Decretum Paschalis P.* 11. *de Investituris Ecclesiasticorum ad Henricum V. Imperat.* Prædecessores enim vestri, inquit, Ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipsum maxime Episcoporum, vel Abbatum præsidiis oporteat communiri, & populares dissensiones, quæ in Electis omnibus sæpe contingunt, Regali oporteat Majestate
B compesci.

XXVII. Priusquam illa genera duo acquirendi Regalia explicentur, necessarium est intelligere, quænam sit Regalium divisio: quod non omnia pariter acquiri putent. Igitur Regalia vulgo dividunt in Majora, & Minora: quæ divisio recipi potest; non item explicatio, cum ajunt, de Minoribus tantum in hac Constitutione Friderici agi; cum omnia sint maxima, & amplissima, & in quibus opes, decus, & salus imperii continentur. Et quid absurdius dici potest, quam creare tabellionem, vel poetam laureatum, vel Doctorem bullatum,
C de Majoribus; at magistratus, præsidesque provinciarum cum summo imperio constituere, de Minoribus esse regalibus?

XXVIII. Ego ne illa quidem, quæ illi summo loco ponunt, inter Regalia referenda puto, Potestatem, inquam, legis condendæ, belli indicendi, & inferendi, pacis constituendæ, fœderum faciendorum, aliaque plurima, ac pene innumerabilia, quæ Isernius, aliique magno apparatu recensent, atque exponunt. Aliud est, quod Regalia appellamus: aliud Majestas, seu suprema potestas, quam Græci ἄκραν ἐξουσίαν, κυρίαν ἀρχὴν,
D κύριον πολίτευμα appellant.

XXIX. Fefellit eos, (opinor) hoc nomen Regalium, quasi omne, quod Rex vel habet, vel potest, eo nomine significetur.

XXX. Amplius, nec ea quidem omnia, quæ si quis usurpet, læsæ majestatis crimen incurret, inter Regalia hoc loco numeraverim. E.G. In vestitu cum multa alia (de quibus in Tit. C. de vestibus Holober. lib. 11.) tum purpureos etiam calceos, de quibus est apud Marcellinum lib. 22. p. 237. lepida narratio. In frænis æquestribus gemmas, &c. (de quibus in Tit. C. Null. lic. in fræn.) In literis, & rescriptis encaustum. l. 6. C. de div. rescript; In luctu, ve-
E stes albi & citrini coloris: teste Curopalate. In processu, ignis prælationem, quem morem a Persarum regibus acceptum veteres Imperatores Romani usurpaverunt: & inter σύμβολα τῆς βασιλείας refert Herodianus lib. 1 Histor. Rom.

XXXI. Zasius, vir gravissimo judicio, Regalia quædam dicit Communia, quædam Potiora. Communia inquit, quæ facile concedi solent, ut confiscatio bonorum, jus vectigalium jam impositorum, jus in flumine publico piscandi, angaria, parangaria, & similia. Potiora vero, quæ non nisi cum difficultate conceduntur, & regum sunt, & Principum, veluti cudere monetam, legitimare, crea-
F re Notarios, eligere magistratus, erigere universitates, & cætera id genus. Citat Raphael & Barbat. & Bald. &c. *In Epit. Feud. par.* 5.

XXXII. Item de concessione Regalium paucas ex Doctorum, quos allegat, disciplina collectas, sed valde probandas, definitiones exponit, quarum primam vocat Doctrinam, id est, Regulam a DD. constitutam, cæteras limitationes.

XXXIII. Regula hæc: In generali concessione, sive meri, & mixti imperii, sive per quæcunque

alia verba, non venire cætera Regalia, nisi motu proprio, vel certa scientia exprimerentur.

XXXIV. Limitatio I. Si aliqua ex Regalibus essent expressa, & postea verba generalia sequerentur, ut si diceret Princeps; Concedo tibi telonea, vectigalia, & quæcunque alia, jam cætera regalia venirent.

XXXV. II. Si Princeps, qui verbis generalibus in loco concesso nihil nisi Regalia haberet, tunc per indultum suum omnia Regalia ex sermonis necessitate venirent.

XXXVI. III. Si propter onus adjunctum sumeretur conjectura, utpote quod hoc onus sine regalibus expediri commode non possit, ut si Comiti facultas tesseram publicæ securitatis, id est, salvum conductum præstandi daretur, hic concedens, telonea, ac vectigalia adjungere voluisse præsumitur.

XXXVII. IV. Si illustri personæ dignitatum concessio fieret, ut si Rex cognato suo Comitatum concederet, tunc Regalia transirent. Unde cum Marchiones eorum territoria dividunt, & fratri hunc Comitatum, vel alium adsignant, jam & Regalia transeunt. Prædicta (cum dixi, in dubio, venire regalia) intellige, inquit, de communibus Regalibus, non de potioribus, &c. additque mox, sed hodie sæpenumero talia misceri videas.

XXXVIII. His aliæ quædam propositiones addendæ sunt: Si aliqua ex Regalibus in concessione excipiantur, cætera non excepta, concessa videntur, non secus, ac si nominatim fuissent concessa, ut maximi Doctores responderunt. *Roman. Consil.* 271. *Dec. conf.* 197. *Alciat. conf.* 1. *l.* 1.

XXXIX. Quod si inconcessione dicatur, Regalia omnia, vel Reservata Principi concedi, quamvis species nominatæ non sint, omnia concessa videntur, exceptis iis, quæ Principis personæ plane, & mere cohærent. *Loffrea in §. filii nati versic.* 7. *si de feud. suor. controv.*

XL. Cujusmodi Regalia Isernius † Personalia vocat, quale est superindictum. Tametsi recte si æstimemus, Regalia omnia sint personalia, * non realia. Sed alia ratione Isernius Personalium nomine, ut apparet, usus est. † *Isern. in c. quæ sint regal. in verb. Extraordinaria*, * *arg. const. de pact. Constant. §. nolumus.*

XLI. In Feudis maxime spectatur investirura, in qua nominatim solent omnia exprimi Regalia, quæ conceduntur. Alioquin non intelligerentur ulla concessa. Idque etiam in Regalibus Feudis dicendum putamus, veluti Ducatu, Marchia, Comitatu, nisi generaliter saltem in his essent concessa.

XLII. Multo minus, castro aliquo cum pertinentiis (ut loquuntur) concesso, Regalia venient: ne minora quidem, licet plerique aliter de minoribus sentiant. *Ant. Peregr. lib.* 1. *de jur. Fisc. c.* 2. *arg. gl. in c. ex literis de jur. patron.*

XLIII. Sicut & tributa omnimoda jurisdictione, non etiam regalia ulla tributa intelligentur, cum ista diversa sint. *Wesemb. conf.* 45.

XLIV. Creato aliquo Rege, quia & Regalia ei concessa sunt, & competunt etiam, nulla eorum facta mentione, dubitandum non videtur.

XLV. Illud non puto, quod vulgo DD. requirunt, ut in concessione, quantumvis speciali Regalium, adjici clausulam illam oportere, Motu proprio; &, Ex certa scientia. *arg. l.* 1. *C. de de pet. bon. subl. lib.* 10. *Jas. in prælud. feud. & alii passim.*

XLVI. Imperator vel Rex concedendo alicui Regalia nunquam amittit supremam illam potestatem, vel jus superioritatis, quo non magis se exuere potest, quam efficere, ne sit Princeps. *V. Rol. Vall. conf.* 1. *vol.* 2.

XLVII. Similiter etiamsi omnimodam supremam jurisdictionem se concedere dicat in aliquo castro, terra, vel districtu, semper tamen retinet penes se majorem jurisdictionem, & potestatem. *c. dudum. de præb. in* 6. *ibi. penes nos tamen Major remansit. c. quamvis secundo, & ibi gloss. in verbo, conferamus. eod. tit. Afflict. in §. ad hæc. de pact. jur. firm. Collegium. Consil. Imp. Ferd. in caussa. Finar. n.* 50.

XLVIII. Imo nec regalia concedere, vel transferre in alterum potest, si ea re nimis debilitentur vires Imperii, aut grave præjudicium ei adferatur; qua re nobilis controversia extitit Caroli IV. Imp. temporibus. *V. Hottoman. Illustr. quæst.* 1.

XLIX. Distinctio hic tamen aliqua Regalium adhibenda est. Nam quæ ad supremum jus potestatemque Imperii pertinent, & reservata Principi dicuntur, commodoque pecuniario carent, ea semper retinet. Quæ vero ad commoda pecuniaria pertinent, ea alii concedendo sic transfert, ut ipse iis privetur; veluti vectigalia.

L. Nisi gravis aliqua, & necessaria Reipublicæ caussa suadeat, ut ex his vectigalibus, vel collectis Regi succurrendum sit. Quo casu & Vasalli sui subditis cum hæc tum alia onera imponere potest; dumne proprii eorum Domini jam ante imposuerint. *V. Isern. in c. quæ sint regal. in verb. extraordinaria, & ibi additio. eruditissimi Ursilli.*

LI. Si Princeps aliquis vel Dux concesserit civitati alicui subditæ immunitatem omnium onerum: de oneribus, quæ in ditione ejus imponuntur, intelligendum est, non de collectis Imperii universalibus, ut quæ ad bellum Turcicum in Comitiis Imperii decerni solent.

LII. De Præscriptione diximus, eam duntaxat valere ad Regalia acquirenda, quæ ultra memoriam hominum sit: id est, centum annorum, quo spatio, & vita hominis longissima definitur. *c. super quibusdam §. præterea ex de verb. signif. Constitut. Imp. in Comitiis August. Anno* 1548.

LIII. Talis enim præscriptio, seu tale tempus immemoriale pro constituto & privilegio habetur, imo & pro lege * ideoque & concessio quædam dici aliquo modo potest, sicut usucapio alienationis species. *l. hoc jure §. ductus aquæ D. de aq. quot. & æst. l.* 1. *§. ult. l. in summa D. de aq. pluv. l. alienation. D. de V. S.* * *pro veritate Bald. in c. cum caussam, vers. pono de probat.*

LIV. Neque scientia, atque patientia Principis supremi in hac præscriptione requiritur: imo nec titulus, nec bona etiam fides acquirentis. Quamvis de his rebus magna sit Interpretum concertatio. *V. Ferdin. Vasq. lib. select. controv. Illust. c.* 81. *& alii.*

LV. Quæ in signum, & recognitionem singularis eminentiæ, & prærogativæ Principi summo debentur, puta Census, vel Tributum, ea verum est a nemine, qui modo ejus imperium agnoscat præscribi posse. At collectarum immunitas, si titulus nullus adsit, immemoriali tempore præscribitur: si aliquis titulus 40. annorum spatio, cum bona fide. Excipiendæ sunt collectæ extraordinariæ, ob necessitatem publicam indictæ. *Geil. lib.* 2. *Obs.* 52. *Zas. consil.* 16. *num.* 11. *nu.* 12. *lib.* 2. *V. Fr. Balb. de præscript. par.* 2. *quintæ par princip. quæst.* 1. *& quæst.* 7. *Mynsing. conf.* 70. *Decian.* 7. *& cent.* 5. *obs.* 29. *qui & de requisitis præterea quibusdam videndi sunt.*

LVI. Libertatem vero præscribi posse, licet Doctores plerique existimant, ita, ut civitas, vel Dominus territorium habens plane liber ab imperio summi Principis fiat, non tamen temere admi-

ferim. Imo nec immunitas collectarum, etiam ordinariarum facile adversus Imperatorem præscribitur, sed adversus inferiores, ut Duces, Comites, Civitates. *Minsing. d. consil.* 70.

LVII. Amittuntur autem Regalia primum voluntate, & revocatione ejus, qui concessit illa, vel donavit, ut alia beneficia, si ex mera gratia concessa sunt. Contra dicendum est, si ob merita: vel, si contractus jure, & pactionibus obtineantur. Deinde & præscriptione contraria alterius, de qua supra diximus.

LVIII. Concessa cum Feudo Regalia amittuntur iisdem de caussis, quibus Feudum amitti constitutum est, puta felonia.

LIX. Maxime autem proscriptione, & banno Imperiali amittuntur, sicut & omnia alia beneficia; juraque civilia. *Geil. lib. de pac. publ. c.* 1. *& seqq.*

LX. Sed & ii Regalibus privantur, qui alteri ea vendunt, vel aliter concedunt. *V. Wesemb. Cons.* 45. *num.* 30.

LXI. Delinquendo in subditos, ac Vasallos potest justa ex caussa Comes, Baro, vel alius privari non solum Regalibus, sed & utili dominio; non ita Rex, vel supremus Princeps, nisi imperio privetur, ut Henricus IV. qui etiam manu Electoris Moguntini in villa Lingelheim Regalibus spoliatus fuit, corona scilicet, purpura, &c. Ideoque in Rescripto Principum Imperii e castris ad Coloniam, An. 1106. dicitur is invitus Regalia reddidisse. *Luc. Pennes. in l. in sacris C. de prox. scrin.*

LXII. Civitas aratrum passa, si iterum restituatur, quæsitum fuit, an recuperet Regalia, quæ possidebat? Et verius est, ea quoque recuperare, si vi hostili aratrum in eam sit inductum. Non æque; si delicto merita fuerit, & damnata a Principe, uti Mediolanum olim a Friderico I. aliæ ab aliis in Germania. *Geil. d. lib.* 2. *cap.* 9.

LXIII. Illud postremo observandum est de Præscriptione Regalium, non fieri extensionem, ut videatur, qui unam vel plures species regalium præscripsit, etiam alias species præscripsisse: nisi ejusdem generis sint, puta auri, argenti, ferri, &c. fodinæ, quæ omnes sub genere metalli continentur. *V. omnino Zas. d. consil.* 16. *maxime sub numero* 59.

LXIV. Primo loco in Regalibus ponuntur *Armandiæ*. Cujus vocabuli variæ & miræ interpretationes & interpolationes sunt apud Doctores. Sed verissimum est, quod primus vidit Eguinar. Baro, Armandias dici officinas publicas, in quibus arma fabricantur ad usum Reipubl. Unde & sacræ fabricæ appellantur; itidem & *Armamentaria*: in quibus fabricata arma statim reponere Fabricenses illi, & Deputati jubentur *l. penult. de Fabricens. C. lib. XI. Pancirol. in Notit. utr. Imper.*

LXV. Armorum etiam ipse usus privatis interdictus est jure Civili, imo & ferrariarum possessio. Et lege Julia de vi publica tenetur, qui arma, tela, domi suæ, agrove in villa, nisi propter usum venationis, vel itineris, vel navigationis coegerit, vel promercii caussa habuerit, vel hereditate acceperit, vel quæ salutis suæ caussa gerat. *l.* 1. *C. ut armor. usus Nov. LXXXV. l.* 1. *l.* 2. *l.* 15. *§. ult. D. ad L. Jul. de vi publ. l. ult. §. Magnus D. de publ. & vect. Alciat. in l.* 41. *D. de ver. sign.*

LXVI. Quare hodieque principes quidam in Italia jus gladii gerendi a se peti volunt, quod cum adolescentulus quidam nobilis, & cognatus, a magno Etruriæ Duce Cosmo petivisset supplici libello, rescripsit ei princeps sapientissimus: *Commodum videri, si id a patre suo prius impe-* A *travisset. Scip. Ammirat. in Discurs. in Tacit. Idem jus retinuerunt sibi & Principes Romani olim, ut testis est Epistola Imperat. Juliani. Ap. ad Leotinum.*

LXVII. Dominum etiam Vasallis, & subditis suis arma auferre jure posse, Menochius docet lib. 11. de arbitr. Judic. quæstion. Cas. 394. Sed hæc in Italia forte valeant: a moribus Germanorum fere abhorrent: etiam priscorum illorum, de quibus Corn. Tacitus scribit, nihil neque publicæ neque privatæ rei nisi armatos agere.

LXVIII. Olim tamen Germaniæ quidam populi noluerunt arma inpromiscuo haberi, sed B clausa sub custode, & quidem servo, tenuerunt, teste eodem Cornel. Tacito, cap. 22. nec improbabili ratione, quod otiosa armatorum manus facile lasciviat; non quia barbarum sit (ut Aristoteles scribit) in pace arma gestare. Quare & constit. Friderici (primi vel secundi) armorum usus rusticis tantum, & mercatoribus ad aliquem modum, interdictus est. Const. de pac. ten. §. siquis rusticus.

LXIX. Nec Regale hoc solum est, sed & Arcanum dominationis, quo pulchre usus Cumarum olim Tyrannus, cum sibi timeret, jussis civi- C bus comportare arma omnia in publicum templum, illa specie, quod iis contra hostes non contra seipsos uti debeant, ut refert Dionys. Halicarnas. lib. 7.

LXX. Secundo loco nominantur, *Viæ publicæ*, quæ & βασιλικαὶ Græcis, id est, Regiæ, & Militares, & Prætoriæ, & consulares appellantur, quarum solum Ulpianus publicum esse dicit. *V. Sicul. Flaccum lib.* 2. *de condit. Agror. l.* 2. *§. viarum D. Ne quid in loc. publ. l. ult. D. de Loc. & itin. publ.*

LXXI. Quare & earum cura, atque munitio maxime ad Principem spectat, quæ olim censo- D rum in Republic. fuerat, vel peculiarium Curatorum, sicut hodie in Galliis est Magnus Viarum totius Regni curator. *l. ad instructionem. C. de SS. Eccles. cum simil.*

LXXII. Sed non tam ipsa munitio, ac refectio viarum, quam jus muniendi, & reficiendi proprie est Regale. Idemque *de muris civitatum* dicendum est, adeo quidem, ut jus hoc interdum magna pecunia Principes vendere soleant. *l. sacra.* 9. *§. pen. D. de rer. divis. l.* 2. *l.* 3. *D. Ne quid in loc. publ. l.* 1. *D. de oper. publ. glos. & Bart. in l.* 3. *C. de divers. præd. rust. & urb.*

LXXIII. Cæterum munus & jus reficiendi, E muniendique vias, muros, pontes plerumque civitatibus, aliisque universitatibus injunctum, concessumque est. *V. Luc. Penens. in l. pro ædibus C. de divers. præd. & Hottom. Cons.* 3. *ubi docet, jus permittendi fenestram in muro municipii facere, non ad Consiliarios Principis, sed ad Decuriones pertinere. Quod non in omnibus civitatibus aut locis, præsertim in quibus præsidia imponuntur, admittendum est.*

LXXIV. Civitatibus autem liberis, & imperialibus non solum jus reficiendi est, sed etiam muros omni ratione muniendi puta fossa, vallo, propugnaculis, turribus.

F LXXV. Ad hoc Regale referendum puto, quod in via regia jacentia, vel aberrantia animalia, si Dominus eorum non compareat, vel ignoretur, ad Regem, vel supremum loci Dominum pertineant; quæ tamen ad certum tempus servantur, & si Dominus compareat, ei restituuntur. Galli hæc appellant *Espauue*, ut scribit Jahan. Faber. in §. examen apum. Inst. de rer. divis.

LXXVI. Si homicidium, vel aliud male-

ficium in via publica, regiaque admissum fuerit, ad eum spectare judicium, & coercitionem, qui in ea regione territorium, merumque imperium habet, verius est. *Alciat. conf. 1. vol. 2. & ad l. paries. D. de V. S.*

LXXVII. Quod si via illa media sit inter duorum Principum, vel Civitatum territoria, & ditiones, cum de coercitione maleficii, tum de sepultura hominis occisi, variæ sunt Doctorum opiniones, distinctionesque mirifice multæ. Ego eam distinctionem probo, si latro in alterius territorio steterit, aut ex eo impetum, ictumque fecerit, ad ejus territorii dominum potestas omnis pertineat: sin vero in ipsa via publica steterit, aut dubium sit; ad eum pertineat, in cujus territorium versus, propiusque procubuit vulneratus. Si nihil horum sciri, discernique potest, *præventioni locum esse*, vel communiter ad utrumque magistratum eam rem pertinere existimarim.

LXXVIII. Hæc certe tota quæstio, cum non solum mire sit inter Doctores controversa, sed etiam magna sæpe inter vicinos certamina, cædesque pariat, maxime in Germania, in qua mordicus, & armatis hominibus Principes, Civitatesque liberæ tuentur hoc jus, quod illi *Fraisch* appellant, & inde commentarios de talibus rebus confectos *Fraischbücher* quibus actus possessorii, &c. comprehenduntur, Imp. decisione eget.

LXXIX. Huic assidet illa quæstio de securitate in viis, locisque publicis præstanda, & de damno farciendo, quod in iis alicui datum sit. De qua nihil fere definiri potest, cum varia sint de hac re provinciarum statuta, & consuetudines. Aristoteles quidem in librum *de rebus admirabilibus* retulit legem provinciæ cujusdam Italiæ, qua cautum erat, ut omne damnum, furtumque proxima civitas, aut vicus resarciret.

LXXX. Sed hoc profecto durum est, nec admittendum, ubi statutum, vel consuetudo talis non reperitur, exceptis tribus, ut opinor, casibus. I. Si Dominus territorii salvoconductum alicui dederit: vel volens, vel (ut tempore Francofurtensis mercatus) coactus lege Imperii jubente. II. Si pro itinere, ac viarum munitione vectigal, quod vulgo pedagium appellatur, domino territorii pedatur. III. Si ejus Domini lata aliqua culpa damnum detur, puta si prævidit maleficium: aut si prohibere potuit. Qua de re extat etiam insigne Bartoli Consilium, *V. & Geil. 2. observ. 64.*

LXXXI. Tertio, inter Regalia numerantur *Flumina publica navigabilia*, & ex quibus alia navigabilia fiunt, ut hæc Imp. Frid. Constitutio loquitur. Radevicus autem de ead. re scribens, *Omnem utilitatem ex decursu fluminum provenientem*, dicit nimis restricte.

LXXXII. Horum fluminum usus publicus est, proprietas & jurisdictio & cura ad Cæsarem, aliumve supremum Principem pertinet: non ad eos, per quorum territorium fluunt, nisi præscriptione, aut privilegio id quæsierint; (ut de civitatibus Lombardiæ quidam dicunt beneficio pacis Constantianæ.) *l. fluminum D. de damn. infect. l. 1. D. ut in flu. publ. navi lic. l. 1. §. 1. l. quo minus. D. de flum. l. si autem plures §. fin. D. de aq. pluv. arc. Dec. Conf. 224.*

LXXXIII. Usum publicum cum Accursio, & Bartolo accipio, non omnem, sed navigandi alios usus ad supremum Principem pertinere, verius est. *in d. l. quo minus. D. de flumin.*

LXXXIV. Imo etiam prohiberi a principe supremo, eoque ad quem flumina publica regalium jure pertinent, posse hunc navigandi usum, recte idem Bartolus affirmat in Rubr. D. ut in flum. publ. navig. lic. quæ sententia a compluribus

A comprobata est. *V. Peregrin. lib. 1. de Jur. Fisc. tit. 2. Raucbar. lib. 1. quæst. 23.*

LXXXV. Amplius navigationem in sinu Adriatico prohibendi jus Venetos habere, Baldus, Jason, aliique dicunt, recte. Si tamen id justis de causis fiat, aut aliquo metu, aut ratione Politica, & dominationis. Nam in his rebus publicis vehementer probo illam quasi regulam a Dionys. Halicarnas. proditam: *Ratio imperiorum est, ne possit noceri*; neque hæc ad juris civilis definitiones redigi semper possunt, vel debent.

LXXXVI. Molendinum in flumine publico ædificare privatis non licet sine permissu Principis,
B vel superioris Magistratus, etiamsi neque usus deterior fieret, neque ulli præjudicium adferretur. Nam est hoc etiam inter Regalia, quod testatur etiam Guntherus lib. 8.

Cumque Molendinis, telonea, flumina, pontes,

LXXXVII. Quarto loco Regalibus annumerantur *Portus*, quo nomine non portoria tantum, ut Guntherus & Matth. de Afflictis, & Hottomanus, aliique exponunt, id est, vectiga-
C lia, significantur, sed & Dominium, & jus omne comprehenditur.

LXXXVIII. Alia conditio est stationis, vel littoris existimanda. Hæc enim usu publica, & communia sunt omnibus gentibus: juris dictionem tamen, & imperium in ea habet Princeps, vel populus Romanus, aut alius, cujus ditioni illa cohærent. Virgil. lib. 1.

—— Aut quæ tam barbara morem
Permittit patria, hospitio prohibemur arenæ.

D *l. littora D. Ne quid in loc. publ.*

LXXXIX. *Jus Anchoragii* inter Regalia numerandum existimamus, & ad Regem pertinere, Matth. de Afflictis scribit, licet alii contra disputent. *V Frec. de offic. Admiral. maris num. 22. & Liparul. in addit. ad Isernium, h. tit. in princip.*

XC. Testamentum in portu, puta Sarracenorum, a Christiano factum, nullas desiderare solemnitates Juris civilis, sed duobus tribusve testibus Jure gentium valere, & ratio supra dicta, & æquitas naturalis & summorum Interpretum sententia suadent. *Bartol. in l. 2. D. Testam. quemad. aper. Bald. in l. Justitiæ. D. de Justitia. & Jur. li-*
E *cet. alii contra in Rubr. D. de rerum divis. Afflict. hic.*

XCI. Ejecta in littus navigia, vel naufragio expulsa bona, manent Dominorum: nec licet cuiquam vel privato, vel Principi ea invadere, vel sibi adjudicare, nisi sint piratarum, aut hostium Imperii, ut præclare Fridericus II. Imper. sancivit. *Auth. navigia. C. de furt. & ser. corr.*

XCII. Quinto loco inter Regalia numerantur *Ripatica*. Quo nomine vectigalis genus significari omnes consentiunt; sed quale sit, aut pro qua re pendatur, non satis constare videtur. Sed
F verissimum nobis videtur, id vectigal intelligi, quod ob appulsum navium ad ripas fluminum penditur: ut portorium, quod ob appulsum in portum. *l. inter publicæ §. publica D. de V. S.*

XCIII. Neque id solum intelligi debet de navibus, quæ ex mari ad ostia, ripasque fluminum impelluntur, sed etiam de transitu ripæ ad alteram ejusdem fluminis ripam. Uti moris est in Gallia & Germania, pontonibus certo loco flumina transmitti; nec conto solum, sed fune ad utramque ripam alligato navis expelli solet. Unde quod

colligitur a viatoribus, maxima ex parte ad fiscum regium pertinet.

XCIV. Simile huic vectigali est, quod pro transitu pontis multis in locis imperatur: & ita Guntherus quoque *pontes* inter Regalia seu regia jura numerat: *& pedagium pontis* a Baldo dicitur in l. si cum pecuniam num. 4. C de privil. fisc.

XCV. De hoc vectigali & Seneca libro 11. de Tranquillitate, & Labeo meminerunt in l. cum in plures §. pen. D. Locat. ubi portorium nominatur, & pro jumentis quoque & oneribus pendi significatur. *Transituræ* vocantur in legibus Ludovici Aug. & Lotharii Cæsaris, in quibus est, ut nullus ad palatium, vel in hostem pergens Tributum, quod Transituras vocant, solvere cogatur.

XCVI. Sed quod de Ripatico diximus, id non tam jure, quam consuetudine defendi videtur, cum & usus riparum publicus sit jure ipso gentium, & dominium non ad Principem, sed ad eos, quorum prædiis adhærent, pertineat, ut recte Isernius, & Afflictus hic docent *l. riparum D. de rer. divis. §. riparum. Instit. eod. tit. Bartol. & alii in l. quo minus D. de flumin.*

XCVII. Sexto loco inter Regalia collocantur *Vectigalia*, quæ vulgo dicuntur *Telonea*, ut hæc constitutio loquitur. Græcis & τέλη, inde τελῶναι, *Publicani*. Vulgo etiam *Gabellæ*; & præcise in jure nostro, atque alibi, *Publica*. In constitutione alia Friderici I. de pace Mediolanensi, regalia dicuntur, *Monetæ*, *Teloneum*, *Pedaticum*, & alia similia.

XCVIII. Inter omnia Regalia hoc maximum est, & fructuosissimum, & in quo nervi, opesque Imperii continentur: præsertim si hoc nomen, ut scriptores etiamque Juris Cons. ipsi solent, latius accipiamus de quo postea.

XCIX. Capit autem hoc solus Fiscus, sive Imperator, quamvis, & civitatibus olim imperio Romano subjectis quædam ex hoc genere concessa fuerint ad onera, muneraque publica sustinenda, vel iis communicata, sic quidem, ut ipse Fiscus duas partes, illæ tertiam haberent. *l. 3. C. de compensat. l. 10. l. ult. C. de Vestigal. & comm.*

C. Sed mutata postea Reipubl. forma, ut alia multa, sic & hoc mutavit, & varie quidem, præsertim in Germania, ubi tot Principes, Comites, tot Civitates liberæ, & imperiales, quibus hoc jus exigendi vectigalia competere, atque exerceri passim, atque optimo jure videmus: ut plane ridiculum sit, eas ex subditis olim Rom. Imperio civitatibus, & ex præceptis regulisque Juris Justiniani æstimare. Qua de re & alibi diximus libro scilicet II. de Jurisdictione.

CI. Vectigalia nova instituere, vel vetera augeri nemini concessum est, nisi summo Principi, vel cui is concesserit. Quod & lege Imperii cautum est severissime in comitiis Ratisponensibus, Anno LXXVI. Jure autem veteri hoc crimen lege Julia de vi publica coercentur. *Tit. C. Vectigal. nov. inst. non. pos. l. 1. l. ult. D. ad Jul. de vi publ.*

CII. Sed neque diminuere ea licet in fraudem, & detrimentum ærarii publici, multoque minus tollere sine Imperatoris permissu. Hæc enim ad jus Imperii, & majestatis maxime pertinent. *l. vectigalia, D. de publ. & vect. Bodin. lib. 1. de Repub. c. X.*

CIII. Vectigal stricte, & proprie dicitur *Portorium*, sive quod ex mercium importatione, & exportatione capitur. Item, quod ex rebus venalibus quibuscunque. *l. inter publica §. fin. de verb. signific. & tot. Tit. de vectigal. in D. & C.*

CIV. Ac de hoc tantum vectigalis genere hæc Constitutio cavit, ut subjecta illa expositio declarat, quæ *Telonea* dicuntur. Late enim accepto vocabulo etiam *tributa*, & *stipendia*, aliaque plura veniunt, ut eruditissimus Cujacius lib. 7. cap. 4. observ. docet.

CV. *Vectigal* quoque *Vicesimæ* olim celeberrimum fuit, quod de hereditatibus, & legatis detrahebatur, auctore Augusto primum institutum ærarii augendi causa. Unde & *Lex Vicesimaria*. Quod Vectigal, ut iniquum, postea sublatum fuit, ut testatur Justin. in l. ult. C. de Ed. D. Adrian. toll. in pr. Sed moribus jam in multis provinciis iterum varie restitutum, auctumque non sine querela subditorum. Sed tamen hujusmodi consuetudines & statuta etiam constitutionibus Imperii comprobantur, quæ in Comitiis Ratisponensibus An. 94. latæ sunt. Eas tamen non pertinere ad hereditates parentum & liberorum, recte docent, exemplo veteris Legis vicesimariæ: de qua Dio l. 55. & Plin. in Panegyr. ad Trajanum.

CVI. Cæterum cum hoc genus deductionis non modo odiosum sit, sed etiam inter Regalia merito numeretur, nulli civitati, aliive Universitati, vel Domino competere dicendum est, nisi iis, quibus hoc jus privilegio concessum, vel alio jure legitimo quæsitum est.

CVII. Quod & de illo simili vectigalis genere dicendum est, quod alio domicilium transferentes solvere coguntur (& *Nachsteur* appellatur;) Atque ita de utroque vectigali, ne solveretur a Professoribus, liberisve eorum, item aliis, qui ad corpus Academiæ pertinent. Transactio inita fuit inter Oppidanum Senatum Wittebergensem, & Academiam, comprobataque Electoris Augusti decreto, ut D. Raucbarus testatur lib. 1. quæst. XV.

CVIII. Communia sane, & æqua vectigalia non temere solent, aut debent remitti. Etsi enim boni Principis sit non quamplurima e subditis colligere, sed quamplurium eis prodesse; tamen Reipubl. rationes nequaquam sunt negligendæ, ut in hac ipsa re scribit in quadam Epistola ad Zenonem Imp. Julian. ὁ παραβάτης.

CIX. Quare & Senatus Rom. Neronem pulcherrimum munus generi humano dare conantem, abolitis omnibus vectigalibus, prudenter, & pie repressit.

CX. Dodechinus Abbas, & alii, & decretum Paschalis II. quo regalia renunciat Henrico V. post Vectigalia, sive Telonea *Mercatus* ponunt. Nam & hoc Jus Nundinarum scilicet habendarum inter regia jura censetur, quamvis & privatis olim in eorum agris indulgeri hoc ab Imperatore solitum sit, ut apparet ex epistolis Plinii Cœcilii *lib. 5. ep. 4. quod Imp. Claudius legibus se subjiciens a Coss. petiit. Suet. in Claud. cap. 12.*

CXI. Septimo loco Regalibus adnumerantur *Monetæ*, vel ut Guntherus ait, *cudendæ Jura monetæ*.

CXII. Hoc jus, atque Regale merito maximum habetur apud omnes gentes. Imperatores quidem Turcici, si quos Reges, Principesque constituunt, vel in fidem & clientelam suam recipiunt, duo ista semper excipere, ac sibi reservare, nec communicare solent monetas, inquam, & Preces publicas pro salute Principis, quas illi Hutbas vocant. *Annal. Turc. in Maum. 1.*

CXIII. Neque alia ratione efficacius decepit Imp. Severus Albinum, ut ei fidem faceret benevolentiæ, & communicati cum ipso imperii, quam quod permisit ei, ut sua imagine nummos cuderet, quod & Gallienus cum Odenato servavit. *Herodian. lib. 2. Trebell. Poll. in Gall.*

CXIV. Et Tyrannidis affectatæ hoc summum argumentum fuit, quo Perennius periit Imp. Commodi

modi jussu necatus, & Præfectus quidam Ægypti jussu Regis Persarum. *Herod. lib. 4.*

CXV. Cæterum nihil hodie magis vulgatum est, pejusque acceptum, & administratum, quam hoc jus: ut experientia quotidiana docet, in Germania præsertim.

CXVI. Hinc tot Constitutiones, decretaque Imperii, tot conventus publici in singulis Imperii circulis, ordinarii constituti, ut monetaria res ne prorsus labefactetur, & corrumpatur, cum maximo Reip. detrimento. *Vid. cum alii, tum inprimis nobiliss. & doctiss. JC. Marq. Freherus in lia. de re monet.*

CXVII. Præclare Erasmus: *Bonum Principem in hac re eam fidem præstare debere, quam DEO debet, & populo*, qui in moneta quatuor ferme modis expilatur. I. Si numismatis materia mixtura quapiam vitietur. II. Si ponderi detrahatur. III. Si circumcisione minuatur. IV. Si æstimatio aut intendatur, aut remittatur, utcumque visum est Principis fisco conducere.

CXVIII. Reprobare etiam, & abolere, vel mutare monetam, ejusve pretium, merito inter regia jura censetur. Nec impune privato sit, regium nummum improbare, ut est apud Epictetum. *l. 1. C. de vet. num. potest.*

CXIX. Similiter & pœnæ gravissimæ in eos constitutæ sunt, qui falsam monetam cudunt, vel aliqua ratione adulterant, & vitiant, imo & in eos, qui probam fabricant, homines ipsi privati; vel qui jus cudendi non habent. Rescriptumque Imperatoris, quo hoc permitteretur privato, pro subreptitio habebitur, nec prodest ad evitandas legum pœnas. *l. 2. C. de fal. mon. & ibi DD.*

CXX. Ex Constitutionibus Imperii, quarum supra mentio facta est, hoc Regale amittitur, si quis id quocunque modo alienet, aut locet: vel si ejus consensu, & scientia moneta confletur, & in aliam convertatur, aliaque similia.

CXXI. Octavo inter Regalia recenset hæc Constitutio, *Multarum pœnarumque compendia*. Nam & illa Imperatorio fisco debentur, quamvis sæpe in necessarios pauperum usus impendantur. *l. mulctarum. C. de mod. mult. l. quicunque §. si vero ignorant. C. de hæreticis. l. 3. §. Divus D. sept. viol. l. clerici. C. de Epis. aud.*

CXXII. Sed & hoc Regale hodie plerique obtinent, qui jurisdictionem in aliquo loco, & merum imperium habent; eoque progressa res est, ut *etiam inter fructus Jurisdictionis numerentur, eoque & Jurisdictionis ratione, non Regalium, jure Magistratibus concedantur. Wesemb. in Paratit. C. Tit. de mod. mulct. & Zas. in epi. Feud.*

CXXIII. Compendia, dicit hæc Constitutio. Nam jus ipsum, & potestas quidem multæ dicendæ, pœnæque inferendæ, jure Magistratus iis, quibus publice judicium est, competit, etiamque Magistratibus municipalibus, ut doctissimi viri sentiunt, contra quos disputavi lib. 1. de Jurisdict. cap. 7. *l. aliud est fraus §. 1. D. de S. l. 2. §. fin. D. de Judic.*

CXXIV. Pœna a mulcta ita differt, ut genus a specie. Sed hic alibique pœna pro specie ponitur differente a mulcta. Sicut Adoptio, Jurisdictio, Cognatio, & alia similia in Jure nostro. Differentia illa præcipua est, quod pœna dicitur proprie, quæ delicto alicui certo, nominatoque a lege imponitur, puta furto: at mulcta, quæ incerto, & innominato a magistratu irrogatur, vel extra ordinem pro arbitrio ejus. *d. l. aliud fraus est, & l. si qua pœna est. de V. S. & ibi Alciat. Cujac. aliique Interpp.*

CXXV. Nono, Regalibus adgregantur *Bona vacantia*, quo nomine varia continentur. Primum quidem, ac proprie vacantia dicuntur eorum bona, quibus nemo legitimus heres est, neque agnatus, neque cognatus, neque conjux, neque consors aliquis, id est, ejusdem corporis vel collegii socius, aut miles ejusdem vexillationis, vel liberalitatis Imperialis socius, & si qui similes alii. *l. ult. C. de bon. vac. l. 10. l. ult C. de pet. bon. subl. lib. 10. l. un. C. Und. vir. & ux. l. 1. 2. 3. C. de hered. decur. l. 2. D. de extr. & mill. succes. l. un. si lib. Imp. soc. sin. hered. decess. C. lib. 10.*

CXXVI. Deinde ea, quæ specialiter *Caduca* appellantur, ex eo, quod in Fiscum cadant, de quibus extat nobilissima Justiniani Oratio, in l. un. C. de caduc. toll. quam, ut & alias omnes Orationes Principum, peculiariari Commentario interpretati sumus.

CXXVII. Tertio Vacantia dicuntur derelicta a dominis, vel inculta, ut possessiones desertæ, quibus inquirendis, & annotandis peculiaris Magistratus in Ægyto fuit ab Imperatoribus Romanis constitutus; ut Strabo testatur. Idemque jus in Italia exercuit Rex Theodoricus per Comitem rerum privatarum: teste Cassiodoro lib. 6. in formul. Com. rer. priv.

CXXVIII. Postremo omnia hoc nomine appellantur, quorum Dominus nullus extat, vel reperitur. Græcis ἀδέσποτα vocantur

CXXIX. Vacantia bona non prius esse incipiunt, quam solemnitas præscripta in d. l. ult. C. de bon. vac. observata fuerit: neque antea licet cuiquam ea, tanquam fisco incorporata, petere. *d. l. ult. C. de pet. bon. subl. Videndus de hac re est P. Faber lib. 1. Semestr. cap. ult. circa fin.*

CXXX. Amplius: nec audiendæ civitates ullæ dicuntur, quæ bonorum vacantium jus sibi arrogant, licet Imperatoris jussum prætexant: quod de subditis in illo Imperii Rom. statu civitatibus; & de jure Civili capiendum est. Nam hodie alia est ratio, & conditio Civitatum Imperii, quibus Regalia magna ex parte competunt.

CXXXI. Privilegio tamen, & concessu Cæsaris etiam subditis civitatibus bonorum vacantium, sive intestatorum suorum jus, & vindicatio interdum competit, ut ab Augusto Nicensibus. De quo extat rescriptum Trajani ad Plin. Proc. Bithiniæ. lib. 10. Epist. in quo hanc cognitionem sic Plinio mandat, ut tamen Procuratores suos ei adjungat. Adeo hæc ad Fisci jus & Regalia pertinent: pluribus in Commentario illius libri diximus.

CXXXII. Decimo inter Regalia referuntur, *Bona quæ Indignis a Fisco eripiuntur*: eoque & *Ereptitia* ab Ulpiano dicuntur. Ea sunt, quæ heredibus quidem acquiruntur, sed certis de caussis Fiscus iis aufert, tanquam indignis, ut si quis necem defuncti non vindicarit, si falsum testamentum dixerit, si item fidem testatori obligarit de fideicommisso incapaci restituendo, quo alludit Synesius in Epistola 1. ἔχει ᾗ κέρδος, ὅ, τι ἂν αὐτῷ λάθρα χαρίσωμαι. *Tit. de his, quæ ut indign. &c. & Tit. ad SC. Silan. l. 2. C. si quis aliq. test. prob. cum simil. l. in fraudem. cum simil. D. de jure. Fisci.*

CXXXIII. Unde non ineleganter Andr. Isernius Fiscum appellat Saccum male acquisitorum: in Tit. de prohib. Feud. alienat. per Frider. Alii, nebulonum, & sceleratorum successorem: licet proprie neque heres sit, neque hereditario jure succedat. *gloss. in l. non intelligitur §. cum ex caussa. D. de jur. Fisc. Zasi Consil. 17. lib. 2.*

CXXXIV. Alii sunt indigni, alii incapaces. Illi capiunt, & acquirunt relicta, sed retinere non possunt, vindicante, & extorquente Fisco. Hi ab initio

non capiunt. Quare quæ iis relicta sunt, pro non scriptis habentur; ideoque nec Fisco acquiruntur, sed vel substituto, vel coheredi, adcrescendi scilicet jure, vel legitimis heredibus, puta si deportati, vel peregrini heredes instituantur. *Tot Tit. de his, quæ pro non script. l. un §. in primo. C de caduc. toll. ubi plene de his exposui. l. 1. C. de hered. instit. l. cum quidam D. de his, quæ ut indignis. l. sed si hac. §. sed si per pœnam. D. de in jus vocant.*

CXXXV. Sed adjicit hæc constitutio Friderici exceptionem. Nisi quæ, inquit, specialiter quibusdam conceduntur. Ut legatum, quod aufertur tutori excusanti se a tutela, quod pupillo cedit, non Fisco; & quod aufertur ei, qui celavit tabulas testamenti, quod heredi scripto; vel si heres coactus jussu magistratus hereditatem restituit, cui Trebellianus quadrans aufertur, & fideicommissario datur, aliique casus a Matth. de Afflictis commemorantur. *l. post legatum §. amittere D. de his, quæ ut indign. l. pen. C. de leg. l. si patroni. §. quod ergo l. quia poterat. D. ad SC. Trebell.*

CXXXV. Undecimo loco nominantur in hac Constitutione *Bona eorum, qui incestum commiserunt, vel incestum matrimonium contraxerunt* præsertim si jure gentium incestum sit. *l. si quis incesti, C. de inc. nupt. Nov. 12 §. sancimus l. ult. D. de rit. nupt.*

CXXXVII. Sed in his bonis liberi damnatorum Fisco præferuntur ex d. Nov. 12. cum antea & parentes, & frater, ac soror patruusque, & amita Fiscum excluderent, ut cautum est in d. l. si quis incesti. Sed Imp. Fridericus d. Nov. 12. hic intelligit, ac confirmat, quam nec abrogavit Nov. 134. §. ultim. ut putatur.

CXXXVIII. Illa etiam differentia est inter jus vetus, id est *d. l. si quis incesti*, & novum, quod jure veteri vivis ipsis delinquentibus bona non eripiuntur, sed mortuis: novo, statim publicantur, vel liberis deferuntur, qui tamen alere parentes tenentur. d. Nov. 12.

CXXXIX. Duodecimo his annumerantur generaliter *Bona damnatorum, & proscriptorum*, id est, eorum, qui ultimo supplicio affecti sunt, & qui deportati, ut recte Isernius exponit, aliique eum secuti Juris Feudarii Doctores. *arg. Nov. 134. cap. ult. ibi: in quibus Leges mortem, aut proscriptionem definiunt, quasi mors naturalis opponatur civili, quæ deportatione contingit.*

CXL. Est & illa elegans apud Isernium explicatio; *Damnati, ad pœnam corporalem: Proscripti, ad pœnam bonorum publicationis*: Et ita Proscriptos interpretati sunt etiam Cujacius, & Duarenus de confiscatione. Sed longe aliter, quam Isernius hanc publicationem intelligunt. Cujacius etiam Proscriptos a Damnatis mire distinguit.

CXLI. Rectius dicas hæc vocabula accipi pro eadem ἐν διὰ δυοῖν, ut Grammatici loquuntur, usitata etiam in legibus figura, vel, ut Ulpianus noster loquitur, idem κατὰ τῦ αὐτῦ. Sic certe in Rubr. C. accipienda esse videtur inscriptio, De bonis proscriptorum, seu damnatorum, ut appareat dubitationis tollendæ caussa, ut Ulpianus ait, illud, seu damnatorum, esse adjectum; ut prius verbum latissime patere, & ad omnem damnationem, ex qua bona publicantur, pertinere intelligeremus.

CXLII. Addit vero Imp. Fridericus moderationem, ut secundum novas constitutiones hæc intelligantur, alludens haud dubie ad Novell. 134. cap. ult. unde desumpta est Auth. bona C. de bon. proscrpt. quam ita docti intelligunt; ut jus vetus tantum corrigat in casibus, vel criminibus, quibus tacite & ipso jure bona publicabantur.

CXLIII. Proscripti proprie dicuntur, quos ut olim, auctore L. Sulla, licebat omnibus impune occidere, tanquam hostes Reipublicæ: quod hodieque in Rom. Imperii banno constitutum est, publica Imperii lege, ut non dubitem, quin & tales Proscripti, seu banniti hac Friderici constitutione comprehendantur.

CXLIV. Tertiodecimo inter Regalia collocantur *Angariarum, Parangariarumque & Plaustrorum, & navium præstationes*. Angariarum verbo onera significantur, quæ ratione publici cursus injunguntur, & sunt proprie, qua publicus cursus est dispositus: cum Parangariæ sint, cum alio versum, vel in obliquum itur, ut Cujac. ex lib. 1. βασιλικῶν, ut apparet. *l. ult. C. de Fabr. & Tit. de cur. publ. ang. & parang. lib. 12.*

CXLV. Verbum est Persicum. Nam Angari a Persis dicuntur itemque Astandæ, equites cursores; quales sunt, quæ vulgo Postæ dicuntur, ut J. Lipsius, Doctor meus docet Cent. III. Epist. 59. in qua de tota ratione cursorum eruditissime exposuit.

CXLVI. Onera autem illa angariarum, & parangariarum consistunt in præstatione jumentorum ad cursum publicum: atque ita in hac Friderici constitutione distinguuntur a præstationibus navium, & plaustrorum. *Sicut & in l. 2. Cod. de SS. Eccles. l. nullus 25. C. de curs. publ. lib. 12. l. 2. Cod. de quib. mun. vel præstat. nem. lic. se excus. lib. 10. Interdum tamen angariarum verbum latius accipitur, ut & plaustrum contineat, & naves, l. pen. §. ult. D. de Veter. l. ult. C. de Fabricens. lib. 11.*

CXLVII. Neque vero ad cursum duntaxat publicum Ang. & Parang. pertinent, sed latius ad alios etiam usus, sicut plaustra, navesque: puta, ad transvectionem armorum, aliaque onera, instrumenta, sarcinas, impedimenta exercitus, & similia portanda. *V Tit. C. de curs. publ. & ibi.* Alciat. & Cujac & Pancirol. *in notit. Imper.*

CXLVIII. Erant quidem olim, ut hodieque in quibusdam provinciis, publici equi, vel muli, aliaque jumenta ad cursum istum publicum constituta, & quidem statim post tempora Julii Cæsaris: sed tamen & privatorum jumentis ad id uti mos primo fuit, deinde lex & necessitas. Nam olim privati per sese mercede locare equos solebant aliis, etiam Principibus & Magistratibus summis, ad iter celerius conficiendum: postea vero onus hoc provincialibus injunctum est, exigente necessitate, & cum ordinaria, publicaque jumenta non sufficerent, qui equi, vel muli veredi, paraveredi, parhippi, equi cursuales, id est publico cursui deputati, & aliis forte nominibus in libris Juris appellantur, & usibus etiam distinguuntur.

CXLIX. Hæ præstationes non inter personalia, vel mixta, (ut Alciat. & Feudistæ sentiunt. Vid. Gail. lib. de Arest. cap. 10.) sed inter patrimonialia munera referendæ sunt. Indicuntur enim rebus & possessionibus, non personis. *l. ult. §. patrimonium D. de muner. & honor. l. 2. Cod. de præpos. sac. lib. 11. l. 11. C. de SS. Eccles.*

CL. Ab hujusmodi autem præstationibus, ac muneribus nemo fere excusatur: Præsertim cum Imperator in expeditionem aliquam proficiscitur, vel aliqua publica necessitas urget. *d. l. nullus 25. C. de curs. publ. l. nemini. C. de quib. mun. & l. jubemus. Cod. de SS. Eccles. l. 4. D. de Veter. l. 2. C. de navib. non excus. & hac Frider. Const.*

CLI. Adeo vero inter Regalia habitum est talium præstationum jus, ut privato nemini, ne magistratibus quidem, & præsidibus provinciarum sine permissu Cæsaris & diplomate, vel eorum, quibus id concedendi jus erat, tali cursu publico, seu publicis jumentis uti licuerit, ut ex Epistolis Plinii ad

Trajanum cognoscitur. *& l. 2. cum similib. Cod. de curs. publ. l. ult. Cod. de curios. lib.* 12. A

CLII. Sed & hoc Regale, ut alia pleraque, vel simile quiddam sibi vindicare, vel usurpare ex privilegio, aut præscriptione cœperunt inferiores etiam principes, Comitesque, &c. dum a subditis jumenta, plaustraque exigunt, & alia similia; qui tamen, si nimis eos gravent, mandatis sine clausula a Camera coerceri solent. *Vid.* Andr.Gail. *lib.* 1. *obs.* 7.

CLIII. Quoniam vero hoc onus Angariarum gravissimum provincialibus erat, inde factum opinor ut angariari, pro onerari postea dictum fuerit, & ita naves angariari in l. pen. D. de veter. In quo B tamen impie lusit Petrus Rex Ungariæ, quam per Germanos suos ministros crudeliter divexabat. Dicebat enim, Ungariam dictam esse ab angariando, quia debeat angariari: sed eum ulta Nemesis est. *Theourocz. in Annal. Ungar.*

CLIV. Quarto decimo inter Regalia numeratur *Extraordinaria collatio ad felicissimam Regalis numinis expeditionem*: quod plurimi, & in his etiam Hottomanus, Fodrum interpretantur, quod inter Regalia refert Constit. de pac. Constantiæ §. nobis, & Guntherus l. 8. de reb. gest. Frid. I.

CLV. Est enim Fodrum, collatio annonæ militaris, puta Frumenti, hordei, &c. quæ extra ordinem indicitur ob aliquam Imperatoris expeditionem, C qualis est, quæ significatur in l. Pendentes fructus §. si quid D. de Usufr. l. neminem C. de SS. Eccles. De Superindicto interpretantur vulgo D. D. de quo est Tit. lib. X. Cod. & ibi Cujac.

CLVI. Sed verissimum in hac Friderici Constitutione, & aliis (maximeque Imp. Caroli Crassi, quam Marq. Freherus edidit, notisque eruditiss. illustravit, acceptam a summo illo viro, & antiquitatum omnium scientissimo. Mar. Welsero) expeditionem Italicam, sive Romanam proprie intelligi: quam Franci, & Germani Impp. suscipiebant, vel coronæ sumendæ causa, vel alias ob D necessitates, quæ hic alibique in Jure Feudario ab Impp. vocatur Regalis, vel nostri numinis expeditio, sicut & in Cod. Justiniani.

CLVII. Illud etiam existimo, considerata hodierna Reip. forma, omnibus Principibus & aliis Dominis, ac civitatibus liberis, licere in suis ditionibus non modo angarias, sed etiam novas collectas subditis extra ordinem imponere ex aliqua justa causa, & necessitate publica urgente. Quamvis Jure Civili ne Præsidibus quidem Provinciarum id liceat, sine concessu Principis aut Præf. Præt. excepta causa refectionis murorum, pontium, viarum, & similium * a qua nec immunes E alias excusantur etiam militiæ: quo pertinet severitas illa Censorum memorata Valerio lib. 11. cap. 9. n. 7. *l. placet. C. de excusat. mun. lib. X. & ibi Bartol. atque alii.* * *l. ad instaurationes. C. de SS. Eccles. l. turres. l. omnes C. de oper. publ. l.* 4. *C. de privil. Dom. August. lib. XI. Dixi pluribus ad Orationem D. Marci de restitutione ædium communium.*

CLVIII. Præsides enim Provinciarum, aliique Magistratus populi Rom. quantumvis summæ dignitatis, & potestatis cum Principibus, & Rebuspubl. nostri temporis, minus recte comparari posse mihi videntur: veluti Præfectus Prætorio F cum Electore Saxoniæ; Quæstor & Candidatus Cæsaris, cum Electore Moguntino; imo & cum Cancellario alicujus Regis, puta Galliarum; nedum Cancellarii veteris urbis Romæ, ut V. C. Is. Casaubonus, a magno illo Scaligero non secundum, sed alterum literarum decus, demonstravit: apud Vopisc. in vita Car. Carin. Numer.

CLIX. Quintum & decimum regale numeratur *Potestas creandorum Magistratuum ad justitiam expediendam*: quod unum in hac constitutione videtur ad opes & commoda pecuniaria non pertinere, & omnium maximum est.

CLX. In historiis temporum illorum, Friderici, & aliorum Impp. & constitutionibus appellantur, *Consulatus*. Veluti in Constitutione hujus Friderici de pace Mediolanensi, in qua hoc jus sibi inter alia regia reservat confirmandi, vel creandi Consules, quos & sibi, legatisve suis jurare fidelitatem jubet.

CXLI. Alia & nova significatione *Consulatus* accipitur ab Alb. Krantzio lib. 4. & lib. 5. Metropol. ubi & *Vicedominatus* dicitur. In dicta constitutione autem Friderici, & aliis generaliter pro quovis summo magistratu, vel Judice, qui Tribunali præsit, accipitur.

CLXII. Etiam Jure veteri Romano hæc potestas ad solum Imperatorem pertinet, translata in eum a populo, ad alia omnia, Lege Regia. Quare cessare hodie Lex Julia de ambitu a Modestino dicitur. *l. un. D. ad L. Jul. de amb.*

CLXIII. *Ad Justitiam expediendam*, inquit Imp. Fridericus. Quod adjecit, ut officium, ac finem Magistratuum significaret, & ab iis omnes nundinationes, turpiaque lucra removeret, quibus nihil turpius, & pernitiosius in Rep. fieri potest; placetque viri doctissimi vox, qui sententiam illam Imp. Justiniani Novel. VIII. Ἀργυρολογεῖν τὰς ἀρχὰς πάσης ἐςὶ πονηρίας προοίμιον τε καὶ πέρας, aureis literis in omnibus Principum Palatiis scribendam esse censet.

CLXIV. In iisdem Constitutionibus Imperatorum Germanic. & in decreto Paschalis II. PP. quo Regalia resignavit Imp. Henrico V. inter Regalia numerari video etiam *Advocatias* & *jura Centurionum*. Quo posteriori præfecti militares significantur, latius vocabulo accepto. Advocatia vero, & Advocatus accipitur cum in Jure Feudali, tum in aliis libris Francorum, pro Dignitate & Jure Defensionis ac Patronatus, quod Princeps aliquis, vel Comes, Episcopus, aut similis quispiam habet in civitatem, aliamve universitatem, in monasterium, vel collegium, ut cum alii, tum Cujacius docet in Constit. Frider. de pac. tenen. lib. 5. Feudor.

CLXV. Sextodecimo loco Regalibus adnumerantur, *Argentariæ*, quo nomine Metallorum fere omnium fodinæ intelliguntur. Unde & Comes Metallorum. *l.* 1. *C. de metall. & metallar. & procur. l.* 11.

CLXVI. Aurea Bulla Imp. Caroli IV. Electoribus Imperii, Regique Bohemiæ hoc Regale nominatim conceditur: quod eo pertinet, ut ii soli simpliciter, & absque ulla recognitione, vel pensione id obtinere intelligantur. M. Wesembecc. Consil. XLV. Vide & Dubravium hist. Bohem. lib. 18. ubi de bello Imp. Alberti contra Wenceslaum Regem Bohemiæ gesto infeliciter pro Decimis auri, & aliorum metallorum in fodinis Cuthnensibus.

CLXVII. Distinctio autem hic adhibenda est inter loca in quibus metalla effodiuntur. Nam si ea publica sint, dubitari non debet, quin plane sint Cæsaris, & ad Regalia pertineant.

CLXVIII. Quod si in prædiis Fiscalibus, quæ ταμιακὰ χωρία Modestinus vocat, vel in propriis Cæsaris agris, quos plurimos per Italiam fuisse Cornel. Tacit. alicubi scribit, & prudentissimus Scipio Ammiratus, ad eum declarat, ea non Jure ullo Regalium, sed potius Jure Fisci, vel proprio, & communi privatorum, id est, dominii ad ipsum pertinerent, tanquam fructus prædiorum. *l. item si fundi §. sed si lapidicinas l. si cujus §. inde D. de usufr. l. vend. §. si constat. D. comm. præd. l. divortio.*

§. si vir. D. solut. matr. Zas. *Consil.* 16. *n.* 2. *lib.* 2. Goed. *cons.* 1.

CLXIX. In privatis autem illud observandum est, debere ex earum fodinarum reditu certam pecuniam, sive canonem aut tributum Cæsari pendi jure Regalium: quod tamen in viliorum metallorum reditu non necesse esse, nec deberi, arbitramur. *l. inter publica §. ult. D. de V. S. l. si quis C. de vectigal. l.* 2. *&* 3. *C. de metall. &c. Wesembec. d. consil. Rauchbar. lib.* 1. *quæst.* 22.

CLXX. In alienis vero prædiis nemini licere privato existimamus metalla inquirere, fodinas instituere: quamvis dissentiant doctissimi viri, * nisi Domini consensus accesserit, vel Principis jussus; quod tamen posterius improbat Matth. de Afflict. *l. venditor. §. si constat. D. comm. præd. l. un. §. in alienis. C. de thesaur. lib.* 10. * *Paul. Castrens. l. divortio. §. si. vir. D. sol. matr. V. Henning. Goed. cons.* 2. *& cons.* 3.

CLXXI. Principi quidem ipsi, vel superiori alii omnino id licere putamus, etiam invito domino: præsertim si sine superficiei damno id fiat, vel pretium prædii domino solvat, vel denique partem proventuum ei præstet † Clujacius & privato id licere ait, præstito domino loci solatio, quod non probo in domino invito. † *in l. quosdam C. de metallor. per l.* 3. *d. tit.*

CLXXII. Sed in his maxime spectanda consuetudo est. Nam in plerisque provinciis, totum id jus metalli fodinarum sibi Principes vindicant; maximasque ex iis opes cogunt, ut de Dalecarlorum terra Johan. Upsalensis Archiepiscopus adfirmat, inexhaustas argenti, cupri, plumbi, ferri fodinas ibi esse, unde Sueonum Regi maximi perpetui proventus adcrescant. *In præfatione Histor. Gothicæ cap.* 4. *& de Suec. ac Goth. lib.* 22. *cap.* 3.

CLXXIII. Septimo decimo inter Regalia ponit Imperator Fridericus *Palatia in civitatibus consuetis;* ut hic legitur, vel consueta, ut forte legi debet. Sed illud rectius: civitates enim intelligit eas Italiæ, in quibus forum agebatur, hoc est jus provincialibus ex more dicebatur, quæ erant certæ, ut olim in Rom. Imperio.

CLXXIV. Palatia non existimamus hoc loco Regias, Sedesque Imperatorias (de quibus tit. C. de Palat. & Dom.) multoque minus castra atque arces, quale est in Germania Goslariense & Norimbergense, in quo ex Aurea Bulla Caroli IV. prima curia ab Imperatore teneri debet, *Burgos* vulgo appellant. Decretum Paschalis II. & conventionis forma cum Henrico V. inita, *Turres.* Jura Centurionum. Item Turres (& villas) quæ regni erant cum suis pertinentiis, militiam & castra.

CLXXV. Minime vero ingeniosissimi Hottomanni sententiam probamus, qui pro Palatia hoc loco legit, *Placita*, quod interpretatur forum a Germanica voce Platz & nundinarum jus, sive mercatus intelligit, de quo supra diximus. Et hoc jus fori puto esse, quod omnes civitates Germaniæ habere, M. Wesembeccius scribit, eoque & forensem pecuniam jure obtinere *Cons.* 12. *n.* 55.

CLXXVI. Sed Palatia hic dicuntur *Prætoria*, in quibus Præsides provinciæ, aliique Magistratus civitatum habitant, & jura reddunt, & regia sunt: ad Cæsarem enim pertinent, Palatiaque etiam inde appellantur; qualia in provinciis passim erant, ut, Hierosolymis Prætorium Procurat. Cæsaris. In Italia quoque temporibus Friderici I. ut etiam hodie tales Magistratuum sedes in civitatibus visuntur, non ita, quod sciam, in Germania. Curia enim in ea sunt Senatus habendi, & Juris dicendi causa, quæ non Cæsaris, sed universitatum sunt, nec Magistratus in iis habitant.

CLXXVII. Eodem pertinet quod in Constitu-

A tione Friderici hujus I. de pace Mediolan. Attic. VII. ita scriptum est; Legati Domini Imperatoris in Italiam directi, si civitatem adierint, in Palatio sedeant, & placita ad eos delata ad honorem Imperii diffiniant.

CLXXVIII. Octavo decimo Regalibus adscribuntur, *Piscationum reditus*, non Picariarum, ut vir doctissimus legendum putat. Nam & Picariæ ad Metalli fodinas pertinent, de quibus supra dictum; nec tam insignes sunt, ut nominatim & specialiter earum mentio fieri debuerit. *Cujac. in l. inter* 17. *§. fin. D. de V. S.*

B CLXXIX. Piscatio quidem ipsa jure gentium omnibus permissa est: quamvis moribus nostris, ut alia multa, etiam hæc facultas mirifice coercita sit. At publicus reditus, id est, pars aliqua prædæ, vel certa pecunia, quæ ex piscationibus capi solet, est de Regalibus, ideoque nec præscriptione acquiritur, nisi temporis immemorialis. *l.* 2. *l.* 3. *D. de acq. rer. dom. l. injuriarum. D. de injur. c. super quibusdam §. præterea. ex de V. S.*

CLXXX. In Constitutione Henrici II. Imper. de Regalibus B. Petro concessis, cum plurimæ civitates, aliæque provinciæ numerantur, tum oppida cum Piscariis suis Reate, Amiternum, &c.

C quo nomine non solum vectigal, sed & ipsarum proprietatem Piscariarum intelligit. Quo jure olim Romæ a Censoribus piscationes locari solebant, quarum Princeps vel boni ominis caussa Lacus Lucrini habebatur; quia a lucro diceretur, ut Festus scribit.

CLXXXI. Ita vero reditus piscationum ad Principem pertinet, si piscatio fit ex flumine, lacuve aliquo publico. Nam ex privato lacu, vel stagno, clausaque aqua non deberi putamus: in quo & jus omne prohibendi dominus habet. *d. l. injuriarum §. ult. Dixi in Disput. de Venat.*

CLXXXII. Mirum videri potest, cur Imp. Fri-

D dericus nullam Venationum mentionem fecerit. Sed frustra hoc in Italia, maximeque Lombardia cavisset, in qua exiguæ venationes, neque eæ ad jus Regalium pertinentes, ut in Germania, quæ venationes amplissimas habet, & de iis maximæ inter Principes, Civitates, aliosque controversiæ sunt, & concertationes.

CLXXXIII. Quo pertinent & pignorationes earum caussa factæ, & jurisdictio, ut vocant, præfecturaque Venatoria, quæ a sylvestri etiam distingui solet, ut muneribus, sic etiam jure, & rebus ipsis. De qua German. Venatione scripsit etiam eruditissimus Franc. Zoannetus Bononiensis, In-

E golstadii olim primarius professor, in l. 2. C. de pact. int. empt. & vendit.

CLXXXIV. Sed inprimis distinguendum inter Venationes, quæ Jure gentium exercentur, & eas, quæ jure impositio, id est, servitutis alicujus obtinentur, de quibus in Disputatione nostra de Venat. scripsimus: & denique eas, quas jure supremæ cujusdam jurisdictionis, & imperii, ac territorii in aliquo loco Principes, liberæve civitates sibi vendicant in alienis sylvis, privatis publicisve.

CLXXXV. In postremis existimo omnes sine ex-

F ceptione ulla fructus pertinere ad dominos sylvarum. In illis autem, quas jure impositio obtineri diximus, etiam fructus omnes ad dominos sylvæ pertinere arbitror, non, ut alii summi licet viri, ad eum, cujus est Venationis servitus: ne tamen feræ alimentis omnino priventur, atque ita Venatio omnis pereat, & servitus.

CLXXXVI. Undevicesimo ponuntur inter Regalia *Salinarum reditus;* quæ tamen, si in prædiis privatorum sint, a privatis, ut ipsorum propriæ jure possidentur, atque exercentur. Reditus tamen

& canon, ex iis, sive vectigal ad Regalia pertinet, & inter vectigalia publica numeratur, quod jure Pontificio *Salinarium* vocatur. Sin in publico loco sint, in solidum ad Principem pertinent, etiam jure dominii. *l. generalis §. uxori D. de usufr. leg. l. forma §. Salina. D. de cens. l. magis. §. 1. D. reb. eor. &c. l. inter publ. D. de V. S. l. 1. D. quod cui. univers. l. si quis C. de vectig.*

CLXXXVII. Idcirco specialem earum mentionem factam ab Imp. Friderico putamus, quia maxime insigne, & opulentissimum est hoc vectigal, atque Regale, de quo etiam maxima bella, seditionesque pernitiosissimæ nostro seculo extiterunt, ut inter Julium II. Pontific. M. & Ducem Ferrariensem: de quo bello Guiciardinus; & seditio in Aquitania temporibus Henrici II Regis, quam describit magnus Thuanus lib. 4. Histor.

CLXXXVIII. Ex Constitutione, sive Aurea Bulla Caroli IV. Rex Bohemiæ, & Electores Imperii in locis publicis, vel in propriis ditionibus repertas sibi vindicant, nec quicquam de iis Cesari pendunt. *V. Henning. Goed. de consil. 3. & Wesembec. cons. 45.*

CLXXXIX. Vicesimo inter Regalia referuntur *Bona committentium crimen læsæ majestatis*, de quibus ideo specialiter quoque cavit, & distincto ab aliis criminibus loco, quia plurima habet specialia hoc crimen, quod etiam omnium gravissimum est. *l. quisquis & ibi dixi lib. 1. de Conjuration. C. ad L. Jul. Majest.*

CXC. Et notandum est, quod neminem video animadvertisse, duo tantum crimina specialiter, & nominatim in hac Constitutione Friderici notari, læsæ majestatis, & incestus, ut omnium gravissima. Quare & populus Rom. olim, penes quem Jura Majestatis erant, duo hæc crimina tantum excepit, de quibus suum judicium vellet esse, cum reliqua Prætoribus fere, præsertim post Legem Calpurniam, qua perpetuæ fieri quæstiones cæpere, commisisset, aut extra ordinem Senatui delegaret, aut alium cognoscere lege lata juberet. *Dixi in Comment. ad L. Valer. de Suppliciis.*

CXCI. Uno & vicesimo loco, atque ultimo Regalibus adcensetur in hac Constitutione *Dimidium Thesauri in loco Cæsaris inventi* non data opera, vel in loco religioso. Sin data opera sit inventus, totum Cæsari, Fiscoque adjudicatur.

CXCII. Thesaurus proprie est vetus depositio pecuniæ, cujus memoria non extat, ut jam dominum non habeat. *l. numquam §. 1. D. de acq. rer. dom. l. un. C. de Thesaur. lib. 10.*

CXCIII. Est autem hæc quæstio de Thesauro; Utrum ad inventorem, an ad Dominum loci, vel ad Principem, aliumve pertineat, mirifice olim inter veteres JCtos vexata, variæque de ea fuerunt & ipsorum, & Imperatorum sententiæ. Imp. autem Fridericus de ea exponit, quatenus institutum ejus postulabat, id est, quatenus ad Regalia, & jus Fisci Thesaurus inventus pertineat, DD. Fratrum Constitutionem de religioso loco secutus *l. 3. §. pen. D. de jur. fisc.*

CXCIV. Quod autem attinet ad id, quod de loco cum privato, & patrimoniali Cæsaris, tum Fiscali. Etsi enim inter has res differentia est maxime, quod ad jus, potestatemque alienandi, tamen in multis idem in utrisque jus est. Imo idem & de locis publicis dicendum censeam. Idem enim jus in hac re statuitur de locis fiscalibus, religiosis, publicis, & Cæsaris, *in d. l. 3. §. pen.*

CXCV. Dedita opera, inquit. Unde quæsitum est, si quis arte magica Thesaurum inquisiverit, an idem statuendum sit? Et non dubito, quin idem: etiam amplius puniri hunc a Cæsare posse dicimus ob magiam.

CXCVI. Non idem existimandum est de eo casu, quem Collenutius lib. 3. Histor. Neapolit. commemorat. Inventa est in Apulia statua marmorea caput circulo redimita ex oricalco, cui hæc verba inscripta: KALENDIS MAIIS ORIENTE SOLE AUREUM CAPUT HABEBO quam captivus Saracenus artis Magicæ peritus Regi Roberto cum explicavisset, (jussit enim Kal. Maiis observare punctum in plano terræ, quod umbra de statuæ capite projecta attingebat) magnum Thesaurum effoso loco reperit, qui in multis expeditionibus ei utilis fuit, Saracenus libertate, magnisque præmiis donatus est.

CXCVII. De Cæsaris autem loco, id est, proprie privato, & patrimonialii Cæsaris, aliter Fridericus constituit, aliter DD. Fratres, vel potius distinctionem a DD. Fratribus omissam induxit, Dedita opera, an fortuito inventus sit: *d. l. 3. §. pen. ff. de jur. fisc.*

DISPUTATIO DE JURE SINGULARI STUDIOSORUM.

Ad Auth. habita. C. Ne filius pro Patr. &c.

THESIS PRIMA.

Obilissimæ hujus Constitutionis, quam Studiosorum Patronam jure dicere possumus, autorem FRIDERICUM I. Cognomento Ænorbarbum, non ejus nepotem FRIDERICUM II. ut plerisque visum est, existimamus.

II. Dividi ea potest in tres partes principales: quarum prima est de personis, quibus privilegia conceduntur. Secunda de causis, ob quas conceduntur. Tertia de privilegiis ipsis, quænam illa & qualia sint, quibus, more legum, additur Sanctio.

III. Personæ sunt omnes Scholares, qui studiorum causa in Academiis versantur, qui honestiori nomine Studiosi appellantur.

IV. Quo numero non continentur ii, qui in privatis & trivialibus Scholis prima literarum rudimenta discunt, puta Grammaticam. Illustres tamen Scholas, quæ plurimæ in Germania sunt, quamvis Academiæ non sint, ab his privilegiis excludi fortasse durum fuerit.

V. Scholarium & Studiosorum appellatione etiam eos, qui in Academia docent intelligi oportet, & consequenter ad eos quoque omnia beneficia Constitutionis hujus pertinent.

VI. Cæterum ut quis Scholaris sive Studiosus habeatur, necessaria est inscriptio in matriculam Academiæ, cui conjunctum est Jusjurandum, quod Studiosi Rectori præstant.

VII. Quod de Academiis & Scholis Universalibus legitime constitutis intelligendum est, in quibus scilicet ex concessione Imperatorum & Pontificum, vel etiam, ut Bartolus recte censet, ex præscriptione artes liberales docentur. Cujusmodi concessio de Academia sive studio Neapolitano FRIDERICI II. extat apud ejus Cancellarium Petr. de Vineis *lib.* 3. *Epist.*

VIII. In Germania requiritur ex consuetudine quadam generali, Ritus depositionis, quem vocant, qui imitatione & exemplo Atheniensium videtur introductus, apud quos novitii, pallio quodam Sophistico, ut appellabant, induti, comitante Studiosorum caterva, publice cum risu & jocis ad balneum deducebantur, ut refert ex Olympiodoro Photius in sua Bibliotheca & Gregor. Nazianzenus, de laudibus Basilii Magni, quem ob reverentiam & eximiam doctrinam eo ludibrio solutum fuisse, narrat.

IX. Ait Constitutio, *qui Studiorum causa.* Unde argumentum sumitur, non concedi iis Studiosorum privilegia, qui plane non student, sed alia omnia potius in Academia agunt, tempusque inutiliter terunt in otio atque luxu, quod & rationes in hac Constitutione additæ convincunt.

X. Neque tamen continuo dicendum est, eos Jurisdictioni Academicæ eximi.

XI. De iis quæsitum est, qui in Academia pa- A tria docent, vel discunt, an beneficiis hujus Constitutionis frui debeant? Et verius est, debere.

XII. Secunda hujus Constitutionis pars continet causas, quibus Imperator Fridericus cum proceribus Imperii Consiliariisque suis se motum profitetur, ut hanc Constitutionem in Studiosorum gratiam ederet; maxime vero & præ cæteris eorum, qui Juri civili operam dant.

XIII. Male Seneca Platonis Leges ob hanc causam reprehendit vel irridet, quod proœmio utantur, id est, rationes quibus latæ sunt exponant.

XIV. Imperatoris autem Friderici factum tum aliæ causæ defendunt, probantque, tum illa, B quod privilegia & jura singularia non temere indulgeri debeant, nec nisi magnis justisque ex causis.

XV. Præsertim vero cum Privilegia ad imminutionem quandam aliorum, vel derogationem Juris publici pertinere videntur.

XVI. Quare & beneficia, quæ privatis personis Principes concedunt, strictissime interpretari, si in alterius præjudicium aliquod aperte vergant, verius est, si in ipsius Principis, latissime: In dubio autem semper ita intelligenda sunt, ut ut nihil de jure tertii detrahatur.

XVII. Sed cum hæc Constitutio universo Studiosorum generi privilegia concedat, idque gra- C vissimis, & saluberrimis Reip. causis, interpretatione magis adjuvanda ampliandaque est, quam restringenda, quod & usus postea experientiaque omnium gentium comprobavit.

XVIII. Prima igitur causa est, quod, ut Imp. ait, *illorum scientia totus illuminetur mundus*, quod præcipue & nominatim de Juris Civilis scientia dicit, meritissimo.

XIX. Secunda causa est, *quoniam eorum scientia ad obediendum Deo & Principi vita subjectorum informatur.*

XX. Tertia est a personis Studiosorum ducta D idque varie 1. Ab Peregrinatione & quasi Exilio, in quo doctrinæ amore se sponte conjiciunt, quæ res multa secum trahere incommoda solet.

XXI. 2. Ab indigentia & paupertate: quia ex divitibus pauperes fiant, suasque facultates in studiis ipsi exhauriant, aut aliis possessiones suas relinquant.

XXII. 3. A periculis quæ multa peregrinantibus terra marique impendent; injuriisque & contumeliis, quibus sæpenumero Scholares etiam a vilissimis hominibus affici contingit, quod *graviter ferendum esse*, Imperator ait.

XXIII. Quo enim honestior est persona, cui E injuria infertur, quoque vilior ejus, quæ infert, eo major ac gravior existimari injuria debet, gravioribusque pœnis Jure Civili punitur.

XXIV. Cum contra vili personæ in homines graves & honoratos injuriarum actio concedi non debeat.

XXV. Tertia pars hujus Constitutionis versatur circa privilegia ipsa, quæ Imperator Fridericus Studiosis tribuit, vel aliis propter ipsos.

XXVI. Primum est quod illis verbis Constitutionis continetur, ut ad loca, in quibus literarum

exercentur studia, tam ipsi, quam eorum nuncii veniant, & in iis secure habitent. Duo sunt. I. Tuto venire ad loca studiorum. II. Secure in iis habitare.

XXVII. Quod ad prius attinet, videtur nullum admodum beneficium (ut ipse Imper. appellat & quidem addito, pietatis nostræ & indulgemus) hic versari: cum id omnibus hominibus ex æquo concessum sit, jure communi ac publico.

XXVIII. Sed nobis præter liberum adcessum, plura & quidem magni momenti beneficia his verbis contineri videntur. Primum est, quod Studiosi ab omnibus vectigalibus atque portoriis immunes sint, cum quod ad personas ipsorum, tum quod ad libros supellectilemque attinet, ut recte Doctores censent, communisque usus in Germania & alibi observat.

XXIX. Deinde, quod Magistratibus aliisque locorum Rectoribus commendati hac ratione intelliguntur, ut omni studio eos defendant atque adjuvent, quo commodius iter suum peragere possint. Cujusmodi Commendatio fuit, illa Romani Senatus, cum Ciceronem Reip. causa exulem L. Clodia factum omnibus Magistratibus, qua iter facturus erat, diligentissime commendavit, eoque restituto, gratias omnibus civitatibus, quæ illum recepissent, agendas censuit.

XXX. Præterea & illud his verbis significatur, omnibus, nullo patriæ vel nationis respectu, licere in quas velint Academias libere proficisci, dum ne aliqua privatim de causa expresse interdictum fuerit a Principe, vel alio supremo Domino.

XXXI. Postremo concesso adcessu libero etiam recessus concessus Bartolo recte videtur, neque enim secure vel tuto dici potest venire, cui non liceat etiam discedere.

XXXII. Eadem tribuuntur diserte hac Constitutione etiam nunciis studiosorum, id est, sive qui ad eos, sive qui ab iis alio mittuntur.

XXXIII. Idem beneficium justa interpretatione porrectum est & ad alias personas, quæ studiosis inserviunt, puta famulos, librarios, bibliopolas, &c. maximeque Academiæ ministrum Pedellum.

XXXIV. Sed perperam, ut existimamus, ad parentes, fratres, sorores, cognatos studiosorum extenditur, qui ad eos interdum invisunt, nisi studiosi causa & necessitatibus id fiat.

XXXV. Alterum illud, ut secure in iis locis habitent, etiam multa nobis complecti videtur. 1. est, quod hospitium ipsis, & quidem commodum justaque mercede locari debeat: qua de re diligentissime humanissimeque Imp. Fridericus hujus nostri nepos in studio Neapolitano cavit, ut legere est apud Petrum de Vineis *lib.* 3. *Epist.* 11.

XXXVI. 2. Quod non sit studioso necesse a Principe vel magistratu id petere, ut sibi eo loci inhabitare liceat, quod olim Romæ præsertim necessarium fuit, ut apparet ex lib. 1. & 4. variar. Cassiodori.

XXXVII. 3. Quod permissum sit studiosis in civitate vel oppido, ubi Academia est, habitare, inscii & inconsultis civibus, vel magistratu municipali.

XXXVIII. 4. Quod studiosi non subjiciuntur magistratibus vel præfectis municipalibus: cum incolæ & peregrini subjiciantur.

XXXIX. 5. Quod liberi & exempti sunt ab omnibus oneribus muneribusq; publicis & civilibus.

XL. 6. Quod nec leges municipales observare teneantur, ut alii incolæ, sed Superiorum tantum, nec libri eorum tacito pignori pro mercede hospitii retineri, vel in caussa judicati capi possint, ut post alios Zasius docet.

XLI. Quamvis Princeps vel alius Dominus lo-
A ci, in quo est Academia, studiosis concedat; ut eodem jure censeantur, quo cives, hæc tamen concessio nihil derogat huic Imp. Friderici Constitutioni, quin ejus beneficiis fruantur.

XLII. 7. Quod studiosis ratione habitationis, & domicilii sui competat actio injuriarum ex lege Cornelia, quæ loquitur de domo vi introita.

XLIII. Ad conditionem & jus civium redigitur studiosus. I. Si ipse se civem faciat. II. Si per decennium in aliqua Academia moretur, quasi contracto in civitate domicilio. III. Si mentiatur, vel simulet, se studiorum causa in civitate hærere. Quare prudenter in Camera Imperii Spirensi
B cautum est, ut partes litigantes aliique, qui specie addiscendi usus forenses, revera autem immunitatum causa ibi commorantur, ne in albo Cameræ tolerentur, sed urbano Senatui indicentur.

XLIV. Aliud beneficium hac Constitutione studiosis concessum, illud est, quod severe & lege perpetuo valitura vetat *ne quis de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam scholaribus injuriam inferre præsumat*, ut sunt ejus verba.

XLV. In quo beneficio hæc continentur. Quod lege tam adcurate sancita hoc caverit specialiter de studiosis ut significaret, eos ad peculiarem Impp.
C curam pertinere, ut de pupillis alicubi Imp. Severus scripsit, eoque magis omnes ab inferenda iis injuria se abstineant, videturque nobis ea pœna his verbis indicari, quæ vulgo indignatio Principis dicitur, quam idem Imp. Fridericus I. clare expressit in Constitutione de pace tenenda, in §. receptatoribus.

XLVI. Nec solæ minæ ea continentur, sed pœna, ut dixi, quæ quanta sit, in arbitrio Principis constitutum est. In vasallis quidem trahere secum solet pœnam feloniæ, ut Baldo videtur.

XLVII. Talis, id est, simillima huic Friderici denunciationi fuit illa scriptura Tiberii Principis,
D quam Potamoni Philosopho a se discedenti dedit: Ποτάμωνα τὸν τοῦ λεσβώνακτος εἴτις ἀδικεῖν τελμήσει, σκεψάσθω εἰ μοὶ πολεμεῖν δυνήσεται.

XLVIII. Sed hoc intelligendum est, si sine causa studiosi injurias perferant, ut supra in hac constitutione scriptum est, & alioqui ex communi jure intelligitur. Et quemadmodum D. Severus rescripsit, senatum deceptis, non decipientibus mulieribus subvenire voluisse.

XLIX. Aliud longe maximum beneficium hæc constitutio studiosis tribuit eadem oratione, illis verbis, *Nec ab alterius cujuscunque provinciæ de-*
E *lictum sive debitum, quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus, aliquod damnum inferat.*

L. In aliis Codicibus legitur, Nec ob alterius cujuscunque provinciæ delictum sive debitum, &c. ubi illud, Alterius exponunt de personis, quasi dicat, Ne studiosus ob alterius hominis delictum vel debitum, cujuscumque ille provinciæ sit, damnum ullum patiatur aut molestiam.

LI. Quæ scriptura si vera est, prohibentur hac Constitutione ea quæ vulgo Represaliæ appellantur, quanquam magis latine pignorationes alii vocant, Græci ἐνεχυρασμὸς, de quibus est Imp.
F Justiniani Constitutio.

LII. Sed quodnam privilegium studiosorum hic versatur, cum generaliter pignorationes sint prohibitæ dicta Constitutione? Duo sunt privilegia. I. Quod ne ex iis quidem causis, in quibus pignorationes jure concessæ sunt, capi vel detineri possint. II. Quod decretis contra aliquam civitatem gentemve Represaliis studiosi ejus civitatis vel gentis, iis eximantur.

LIII. Maximum vero privilegium consistit in judicibus, quos eis hæc Constitutio proprios con-

cessit. Ii sunt Dominus vel Magister ipsorum, vel ipsius civitatis Episcopus, *quibus hanc jurisdictionem dedimus*, inquit Imperator.

LIV. Magistri nomen hic positum multi putant ἐκ παλλήλων sive ἐξηγητικῶς, quasi idem sit qui Dominus antea appellatus erat. Nos utroque nomine designari maxime dicimus Professorem juris, quem Antecessorem Justinianus aliique appellant, quomodo in Epistola Friderici II. de Academia Neapolitana judex appellatur Magister R. de Varano, qui civilis scientiæ professor ibidem dicitur, cum Magistro B. de Hybernia. Et in veteribus glossis græcolatinis Professores juris dicuntur σχολαρχαὶ, & καθηγηταὶ.

LV. Rectoris idcirco nulla mentionem factam existimamus, quod vel nondum hic magistratus, uti nunc, institutus esset: vel quia Rectoris, sicut & Conrectoris nomina præsidibus & præfectis provinciarum olim tribui consueverunt, quod & in hac Constit. observatum est.

LVI. Optionem studiosis hæc Constitutio tribuit, coram quo ex hisce judicibus conveniri velint, in quo & jus singulare versatur, cum alias actoris hæc electio, non Rei esse debeat.

LVII. Si unum studiosus elegerit, variare non poterit, & alterum eligere, maxime post litem contestatam. Ante sic videtur permittendum, ut semel tantum variare ei liceat.

LVIII. Postea vero quam Rector ordinarius magistratus in Academiis creari cepit, ejus est, non alius cujuspiam vel Doctoris vel Magistri jurisdictio, quam evitare non licet aut eludere: salva tamen in omnibus authoritate ac potestate Superiorum, id est, Dominorum, qui in suis civitatibus Academias constitutas habent, salvisque concessionibus & consuetudinibus quæ variæ sunt, & multum differentes; ut nulla fere sit Academia, eodem plane jure, quo alia.

LIX. Hinc illa formula in quibusdam Imperatorum diplomatis, Ut Academia eodem jure, &c. fruatur, quo Parisiensis, Oxoniensis, Bononiensis, & Salmaticensis, Clem. 1. de Magistr.

LX. Si privilegia Gymnasii puta Parisiensis concedantur alii, puta Toletano, de iis solum privilegiis intelligendum est, quæ de præsenti Parisiensi competunt, non de futuris.

LXI. Eadem varietas est in modo jurisdictionis, quam aliæ Academiæ amplissimam habent, etiam in capitalibus causis, aliæ tenuiorem, aliæ infimam & pene nullam.

LXII. Sed de hac Friderici Constitutione, utrum in civilibus tantum causis, an etiam in criminalibus studiosorum judicibus jurisdictionem tribuat, sententiis inter juris Interpretes certatum est. Nobis sententia Cyni probatur, qui censet in levioribus duntaxat criminibus, quorum pœna sit mulcta, carcer, relegatio, & similes, jurisdictionem & imperium tributum esse.

LXIII. An Studioso competat jus revocandi domum atque ita declinandi fori Academici, quæritur? Et verum est, si in Academia deliquit vel contraxit, non competere, contra si antea, vel extra Academiam.

LXIV. Studiosus a cive vel alio non Academico homine conventus coram Rectore, an possit eum coram eodem reconvenire, inter Dd. non constat. Sed verum est ex jure Justinianeo licere, quo jure reconventio apud eundem Judicem institui debet; Sed contrarium in plerisque locis consuetudine observatur. Illud vero eximium jus Academiæ Leidensis est, quod Studiosus ultro agens, civem sive oppidanum ad Rectorem trahere potest.

A LXV. Superest Sanctio. Ea duplex est. Una de injuriis studioso factis, rebusque ablatis, vel aliis damnis injuria datis. Altera de evocatione ejus ad incompetentem judicem.

LXVI. Prior illis verbis Constitutionis continetur: *Scituris ejusmodi sacræ Constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum Rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum, notaque infamiæ ipso jure eis irroganda dignitate sua se carituros in perpetuum.*

B LXVII. Prima igitur pœna est restitutio rerum ablatarum, & quidem in quadruplum. Hæc pœna Rectores locorum quoque tenet, qui vindicare ista neglexerint. Et quod ait, *omnibus*, hoc verbo significari putamus, sic omnes teneri, qui rapuerunt, ut singuli in solidum hac pœna teneantur, nec unius solutio alios liberet.

LXVIII. Quadruplum etiam totum pœna est, nec simplum ei inest, sive res ablatæ earumve æstimatio, quamvis aliud Edicto de vi bonis raptis cautum sit, & Edicto de publicanis, quorum ex illo quadrupli, ex hoc dupli pœnæ inest rei persecutio. Utroque autem publicani conveniri possunt, sicut & actione damni, injuria, vel furti; Sed una actio quæ gravior sit, alias consumit.

C LXIX. Secunda pœna est infamiæ nota, quam ipso jure irrogandam, vel ut alii Codices habent, irrogatam, Constitutio dicit. Neque tamen non sententia saltem declaratoria hic quoq; requiritur.

LXX. Tertia pœna est, amissio cinguli, ut olim loquebantur, id est, privatio magistratus, vel cujuscunque alterius dignitatis atque officii publici perpetua.

LXXI. Jure Canonico si quis hæc in Clerico admiserit, pœna excommunicationis constituta est, qua etiam civitas teneri jubetur, quæ intra mensem concessas contra Clericum pignorationes non revocaverit, vel tale factum non correxit.

D LXXII. Posterior Sanctio his verbis Constitutionis exprimitur, *qui vero ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiamsi causa justissima fuerit, a tali conamine cadat.* Legendum putamus, ea (id est, caussa vel lite) tali conamine cadat.

LXXIII. Conatum autem intelligere debemus non simplicem, & nullo actu extrinsecus assumpto, sed qui ad citationem saltem vel vocationem sit progressus, libellive oblationem.

LXXIV. In matriculam Studiosorum nondum inscriptus, licet (exemplo militum, qui nondum in numeros relati sunt) pro Studioso vel membro Academiæ haberi non debeat; tamen si recens in Academiam advenerit, neque inscriptionem diu, aut malitiose distulerit, æquissimum videtur, Academiæ privilegiis & jure Studiosorum singulari frui.

E LXXV. Hæc de humanissima & celeberrima Constitutione Imp. Friderici ad disputandum proponere libuit. Tulit autem eam Imperator maximus in Comitiis curiatis Imperii ad flumen camposque Padi in loco, qui Roncalia appellatus est, ubi & alias plurimas Constitutiones, præsertim de jure Feudario sancivit, quæ ad hunc usque diem in maxima veneratione habentur, præcipuamque juris authoritatem obtinent.

F LXXVI. Cum autem in Curia, Senatuque Imperii hanc Constitutionem, ut diximus, tulerit, merito Imp. Friderici Oratio a nobis appellabitur. Sic enim Constitutiones omnes Principum vocatæ olim fuerunt, teste Plinio, & aliis, quas ipsi quæstoresve & candidati eorum in Senatu recitabant.

FINIS.

A. G.
JC. CLARISSIMI,
PROFESSORIS
REGII,
DE
ARMIS ROMANIS
LIBRI DUO,

Ad Illustrissimum Comitem Essexiæ, Archimareschallum Angliæ.

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS.

ROB. DEUREUXO

COMITI

DE ESSEX, ET EV.

VICECOMITI

DE HEREFORD, ET BOURGCHER.

BARONI

DE FERRERS, ET LOVAIN. &c.

Regio consiliario fideliss.

EQUITI GARTERIÆ,

MAGISTRO EQUOR.

PRÆF. MACHIN. MILIT.

Archimareschallo Angliæ fortiss.

Supremogub. Hiberniæ providentiss. &c.

ARM. ET BEL. PRÆSTANTISS.

LIT. ET PAC. ART. ORNATISS.

Reip. regendæ sapientiss.

SUUS REFERT HÆC SUA,

ET DD. BM.

A. G.

INDEX CAPITUM
IN HIS DUOBUS LIBRIS
DE
ARMIS ROMANIS
CONTENTORUM.

LIBRI SECUNDI.

A. G.
DE
ARMIS ROMANIS
LIBER PRIMUS.
VEL,
De injustitia bellica Romanorum
ACTIO.

CAP. I.

Rerum Romanarum veritatem vitiatam.



EST M. Ciceronis illa vox, in controversia militaris rei, & Sapientiæ civilis, (*a*) *Virtus militaris populo Romano nomen, urbi æternam gloriam peperit, orbem terrarum parere huic imperio coegit*: & a nobis existimata semper verissima est vox, quum veritas oppressa malis malorum scriptorum artibus jacuit aut submersa, aut demersa profundissime: de quibus populum Romanum sanctum, populum Romanum pulcrum, populum Romanum invictum, populum Romanum omni laudis genere sic florentem, tantum inter alios caput extollentem, (*b*)

Quantum lenta solent inter viburna cupressi,

ut de eo alter ocellus Virgil. cecinit: & id genus alia oculis hausimus attentissimis, & specie ducti eruditionis auctorum summæ, & blandiloquenti oratione perducti eorum, credidimus, & decepti sumus. Evaluit persuasionis vultus, & oratio gratiosa nos a tramite transverso rapuit veritatis (*c*). Hæ scilicet res duæ non hic solum turbant, sed passim inferunt veritati cladem. (*d*) Ut tanta sit sæpe res, non quanta est ipsa per se, at quanta dicentis virtus fuerit, & eloquentia: & omnes omnium virtutes tantæ sint, quantas videri voluerunt illorum ingenia, qui descripserunt. (*e*) *Nemo rem veritate ponderat, sed ornatu*: rectissime Lactantius. (*f*) Et ergo exclamavit ad Achillis tumulum Alexander, exclamavit Scipio,

Felix Æacide, cui tali contigit ore
Gentibus ostendi: crevit tua carmine virtus.

Crevit? Imo credita virtus, quæ longissime abfuit a virtute. Longissime abfuit, si res respicimus laudati herois, quas ipsi habent laudatores, non obstupefacti, & attoniti ad laudes stamus. Adeamus ad Platonis libros de rep. & ex ipso Homero

a *Cic. pro Muræ.* b *Virgil. ecl.* 1. c *Plut. de Hero. mali.* d *Vop. Prob. Diod.* 1. *Herodia.* 1. e *Lact.* 5. *Inst.* 1. f *Cic. pro Arch. & 5. fam.* 12.

A vitia exprimemus Achillis, quæ laudes legeramus. (*a*) *O fides alma, apta pinnis jurandum Jovis*: huc, huc pro gemina tibi veritate contra mendacia turpissima, & calumnias iniquissimas adsis. Veritatem alis in altum sublatam tuis, & Jovis patris magni assertam manu jam tandem conspicere fas sit: orbemque terrarum nunc demum, tot respublicas, tot imperia urbi uni virtute non concessisse intelligamus. Age, exponantur omnia simpliciter, quando fucum illum, & illam fallaciam orationis vituperamus in aliis non immerito. Age, producantur res ipsæ nudæ: ut sine omni periculo, faciliusque judicium fieri rerum B possit. Eripiatur nostris illis Hortensiis artificium omne, quo Romani populi injusta facta, & aliena virtute bellica tegere, & contrario veluti velamento ornare solent. Advocentur illico testes: (*b*) & testimonia singulorum expendantur. Testibus, non testimoniis credatur: ut providum Adriani Imperatoris consilium est, & relatum in leges est. Sed & in persona testium exploretur, quod eædem jubent leges, an quis inimicus ei sit, adversus quem tulerit testimonium: vel amicus ei sit, pro quo testimonium dederit. (*c*) Cetera in personis, & in testimoniis expendantur: quæ considerat sapiens judex, & religiosus, & qui fidem testium C dictis credulus non adcommodat. Judex religiosus Græculis testibus, servis illis Romanorum, fidem non adcommodaverit. Romani contemnunt, M. Tullius de omni dejicit fide. (*d*) *Testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio colit: totiusque hujusce rei quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant: unde illud est, Da mihi testimonium mutuum? Num Gallorum, num Hispanorum putatur? Totum istud Græcorum est, ut, etiam quæ Græce nesciunt, hoc quibus verbis a Græcis dici soleat, sciant*; & cetera, quæ Cicero contra Græcos testes detonat; & cetera, quæ alii D de Græca fide, (*e*) ipsi etiam Græci tradidere. Aut sic sunt Græcorum testimonia levia, historiæ non sunt leves? Quasi, qui jurati nesciunt dicere verum, ubi & redargui in os possunt ab offensis, & puniri a judicibus, iidem injurati, nec arguendi forte, nec puniendi certe, verum amabunt? Quasi pater historiæ Græcæ Herodotus non audiat mendacissimus? Quasi Græcia mendax non audiat in historiis, veluti multum propriumque vitium suum? Hispanis sane, M. Tulli, Gallisque credemus magis. Ego Hispanum Orosium,

a *Cic.* 3. *de off.* b *l.* 3. *de testi.* c *Cic. pro Font.* d *Cic. pro Sext.* e *Polyb. lib.* 6.

Gallum Trogum adducam testes, te judice, M. Tulli, meliores. Etiam illi Græci, viri exteri, nec versati satis in re Romana. Hæc mihi attendantur; hæc discutiantur. (a) *Quicquid non discutitur, justitia non putatur.* Equidem alios dum audio, & Livium Romanæ ejus historiæ primum, qui nominant hostes omnes, contra quos gererent Romani bellum, suspectas habeam ipsorum historias, necesse est: nam profitentur palam, inimicos se esse omnibus, qui inimici Romanis exstitissent. Amici Romanorum fuere omnino: & itaque gratiæ (an dubitamus) dederit plurimum. Visus idem Livius est plurimum Pompejanus: & non æquo tractasse calamo Julianas partes. Et non fuerit plurimum, atque plurimum Romanus: hostibus Romanorum iniquus plurimum, atque plurimum? Quid quum historiam ejus, & aliorum testium Romanorum in narrationibus rerum falsam, atque mendacem; in judicationibus temerariam, variam, vanam certissimis argumentis deprehendimus sæpe, & sæpe rationibus vincimus indubitatis? (b) Instrumentum, falsum in uno, censetur falsum in omnibus: ut est recepta juris consultorum sententia: & est ratio, quia deficiat fides, quæ individua est. Et testis, falsus in uno, falsus in omnibus intelligitur. (c) Vel si in uno admittatur aut scripturæ sacræ quodlibet mendacium, tota scripturæ sacræ fides vacillat, & nulla fit auctoritas: ut sanctissime scribitur ab Augustino. Quid cum libris hominum fiet, quorum est proprium, esse mendaces? (d) *Omnis homo mendax.* (e) Contendit magnus auctor Cardanus, non Tacito, non Tranquillo oportere contra Neronem credere: quoniam essent viri illi senatoriæ factionis, principi adversæ. Etiam contra Neronem. (f) Non ipse Tacitus testatur, odiis recentibus multa adversum defunctos principes scripta? (g) Non contestatur Josephus, etiam contra Neronem & impudentia, & aperta exstitisse mendacia? Nos vero viris Romanis credemus adversum Romanorum hostes loquentibus? & eos non sane Nerones, sed principes fortissimos, aut civitates, & gentes præstantissimas. (h) Et non cognoscimus, quod Orosius ait in hac ipsa caussa, separata hostis esse, & victoris judicia? (i) Et non ille ingeniose, qui sæpe hoc inquit, aliter proculdubio scripturum fuisse Gothum, quam Romanus fecerit? Sunt autem hic genera rerum duo, de quibus disputetur, narrationes nudæ factorum, & adjectæ sententiæ. Et quamquam est in censendis narrationibus major, quam in dijudicandis sententiis difficultas: si tamen aut non conveniunt testimonia, aut verisimilia non sunt, aut quid eorum aliud patiuntur, propter quæ fidem elevari testimoniorum tradunt late auctores juris: jam superest & in genere isto nobis facultas non minima ad refellendos scriptores, in quibus vitia notare isthæc valemus. Non mihi excitatus ab inferis Philenius est, aut Sosilus, aut Eumacus, aut alius, qui partium Romanarum non studiosus suggerat argumenta, per quæ vanissimas illas reliquorum narrationes, & testimonia levissima arguam. (k) Nihil de Carthaginensium habeo rebus gestis, nisi quod scripserunt hostes eorum: nihil de aliis, cum quibus contentiones, & bella Romanorum fuerunt. Sed sunt vel in his ipsis hostibus plura, & disjecta passim, & quasi in amplo quodam naufragio dissipata, quæ per sedulam operam collecta vincere vulgi opinionem, consensum hominum inveteratum

a *Cassiod. 7. Var.* 18. b *Alciat.* 5. *cons.* 1. 9. 7. 4. & 9. 7. c *cap.* 7. *dist.* 9. d *Rom.* 3. e *Card. enco. Nero.* f *Tac.* 1. *hist.* g *Jose.* 20. *antiq.* h *Oros. lib.* 3. *cap.* 2. i *Vict. ep. an. pol. Arist.* k *Vict. ep. an. pol. Arist.*

A superare, persuasionem de virtute Romanorum bellica tollere possunt. Et verum hoc est, verum, etsi credibile, aut verisimile non videtur: (a) quemadmodum credibilia existimantur multa, ac similia veris, quæ falsa sunt. Nam in altero, quod est de censendis sententiis, si dico, deferri nobis oportere aliquid amplius, quam adversariis scriptoribus, id arrogantiæ nullius nomine condemnari potest. Ut enim non moveam, quod gravem habet virorum eruditorum litem, si non perperam, & præter historici munus faciant, qui non modo facta, dicta narrant, verum etiam de his judicium apponunt suum: hoc certe contro-

B versiam habere non debet; quod, cum eodem nos, atque illi fuerint, simus loco, aut etiam meliori, qui studio partium non imbuti, & seculis succedentibus magis instructi, artibusque nonnullis rei isti necessariis subornati fortasse magis, accedimus ad judicandum: & nobis esse oportet facultatem disputandi, &, quæ illis fuit, censendi, etiam contra illos. Quamquam non illis fuit, non sane ista facultas. Non est testi judicandi facultas. (b) Et testem, qui judicat, non audiendum, prudentes jamdudum docent. Scilicet is ostendit affectum se; & propensum ad partem alteram omnino hominem levem, & itaque levis

C fidei, qui officii sui fines transiliit. (c) Valebit autem in utroque genere Socratis sapientis ejus documentum sapientissimum, ut rationi uni magis, quam mille credamus testibus. Ratio est vera regula: testimonium est illa flexilis Lesbia, quod sic est, ut persona est testis, inimicum inimici, improbum improbi, ineptum inepti. Sed ratio est natura altera, consilium prudentiæ, lux veritatis. Agite, mortalium acerrimi Europæi, Lybes prudentissimi, potentissimi magnæ Asiæ reges, agite, huc convenite: & mecum una genti Romuleæ coronam trahite; quam gerit, & de no-

D bis omnibus partam triumphat. Huc mihi fortis conveniat Italus, durus Germanus, bellicosus Gallus, indomitus Hispanus, (d) *invictus Romano Marte Britannus*: & triumphantem per dolos malos de nobis, & per malitias malas Romuli populum vincant. Quid tu Græcia nobilis? Quid gentium domitrix Macedonia? Quid tu Africæ tuæ perfectissimum columen Carthago? Quid Persæ, Medi, Assyrii, vetustissima, & latissima regna? An illam audire, & ferre vocem potestis, *Virtus militaris populo Romano nomen, urbi Romæ æternam gloriam peperit, orbem terrarum parere imperio Romano coegit.* Imo, ut pro orbis reliqui

E dignitate jam tandem contendere incipiamus, imo non ita est, M. Tulli. Sed fraus, perfidia, avaritia, audacia, crudelitas, illud nobis imperium pepererunt: orbem terræ aliquem, & orbis punctum, ut nominas (e) alibi, simpliciorem, justiorem, humaniorem, faciliorem, moderatiorem subegerunt: nam gloriam, quam fingis tibi æternam, & nomen laudatum falsiloqui homines effecerunt.

CAP. II.

F

De varia Romuli injustitia.

Atque fraus quæ est, & perfidia major, quam ut sacrilego incestu nati Deum sibi patrem vindicarent? (f) Fabulam tu quidem Cicero dicis: sed exsecrabili imposturæ nomen suum non imponis: & ludos hæc nobis crimina fuisse significas. Educti illi sub fornice, latronum coacta manu, & seminario futurorum lato bellorum

a *Arist. Quinct.* b *Dec. cons.* 83. c *Pla. Gorg.* d *Tib.* 4. *eleg.* 1. e *Cic. Somn.* f *Cic.*

injustissimorum, agrum occupant alienum: ubi novam, sed tetriorem, Caci cavernam, aperto asylo, aliis quibusque perditissimis futuram receptui, exædificarunt. (*a*) Quam tu aliam, Philippe rex πονηρόπολιν appellasti? (*b*) Aut quæ alia est ἀσελγὴς dicta vulgo? Hæc civitas injustorum, vitiosorum. Hæc una improborum colluvies improba barbarorum. (*c*) si barbaros recte notavit Plato eos esse, qui nulla inter se morum, sermonisque communione devincti sunt. Huc enim Troja profugi, ex Etruria, ex Opicis, ex Latio, ex Græcia, undique transfugæ, linguis diversi, institutis discordes convenerunt. (*d*) *Populus de sceleratis, & nocentibus congregatur*: ait Cyprianus: & Augustinus itidem facinorosorum asylum constitutum scribit: & collectam, & armatam manum contra suas civitates: quæ videlicet leges, & magistratus timeret. (*e*) Omnes recipiebat in asylum Romulus: nec servum domino, nec creditoribus nexum, nec magistratibus criminosum reddebat; ita Plutarchus: non soli Ætoli, non solus Mithridates dicebat, Etruscorum vernas esse Romanos. (*f*)

Romulus infami complevit mœnia lacu:

Lucanus, historicus verius, quam poeta. (*g*) Et poeta, si aut Juvenalis poeta, qui mentiri nescius,

Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Latronem dicere noluit, aliumve facinorosum, & improbum. Hæc improborum civitas improba; in qua primum facinus parricidium a nepote scilicet Dardani parricidæ patratum a conditore. (*h*) *Parricidio Roma dedicata*: ait Hieronymus. *Prima certe victima Remus munitionem urbis novæ sanguine suo consecravit*: Id Augustinus, id Cyprianus, id omnes exprobrant (*i*) fratricidæ: ut inquit Tertullianus.

Fraterno maduerunt sanguine muri.

(*k*) Et qui Remum occidit, in gratiæ facti vicem meruit a fratricida tribunus equitum fieri. Et Romulum tamen aliquis historicorum, vel poetarum dixit, aut finxit, nec occidisse fratrem, nec aliquod perpetrasse flagitium: ut id Augustinus notat valde. Et nos habemus notare valde, & validam ex eo capere conjecturam, quemadmodum nihil sit a Romanis umquam, & maximum, & clara luce factum turpe, quod scriptores mendaciis suis non invertant, & omni machinatione non pervertant. Ceterum parricidii hujus memoria certa manet, & perpetuis consignata monumentis perdurat. Quæ igitur, Iliæ fili, quæ caussa tibi parricidii fuit? Nam facinus tibi defendendum est, quod admissum negare non potes. (*l*) At vero audias maximum Jurisconsultum prius, qui parricidium patrari facilius, quam excusari, Cæsari Bassiano, itidem patricidæ respondit. (*m*) *In parricidio nulla satis justa caussa ad sceleris patrocinium prætexi potest.* Ludibrio, ais tu, mea habuit mœnia & per ludibrium trajecit. Tua, Romule? in quibus condendis æque ac tu laboravit frater: qui itaque consors audit, (*a*) *Mœnia consorti non habitanda Remo.* Ludibrio habuit? (*b*) Qui imo te monuit, & docuit saltu illo, ad tutelam urbis non fuisse vallum satis, ut id quoque est in historia. Imo, imo fratrem, nihil in te mali perpetrantem, occidisti nulla justitiæ vindicta, sed cupidine principatus; quod illi iidem theologi magni probant. (*c*) Ast pronunciet hic ipsus Romulus Arpinas, *Muri species honestatis nec probabilis, nec sane idonea; peccasti Quirine.* (*d*) Tu ante juniorem Dionysium, illum Siciliæ tyrannum, huic, cui debebas regni consortium, ne spiritus quidem consortium reliquisti. Quæ item tua, Romule, perfidia in augurio renunciando? Vidit augurium frater primus, an potius solus? an tibi ullum conspectum est, qui duplicatum avium numerum dupliciter ementiris? Illam tu tertio regi Romano, & Cæsari tuo præivisti sententiam, regni caussa violare jus, pietatem in reliquis colere oportere? Recolamus auguria hic, aves rapto viventes: sed & horum puerorum altricem picum, furacissimam, audacissimam avem. Sed & altricem feram, cujus dentes famelicos, & profundum in explebile nullæ umquam satiare rapinæ possint. (*e*)

Lacte quis infantes nescit crevisse ferino?
Et picum expositis sæpe tulisse cibos?

Ostenta hæc, & portenta sunt civitatis futuræ, Romuli jam unius filiolæ: quæ quotidie aliena per infinitam rapinam sibi arripere, de aliis undique eripere habuisset. Hic Antiochus ille Hierax, qui annos quattuordecim natus, & fratri, partem regni donanti, latronis more totum eripere voluit: & in alienis eripiendis sectatus vitam accipitris, cognomen illud sibi peperit. Age tu, M. Tulli, respice ad parentis virtutem vestri: qui novæ urbis agro fines non ponit, quo vicinis subinde præriperet: & bellandi libidine insanus (hoc ei nomen Plutarchus tribuit) occasionem bellandi primo statim die nascentis urbis nancisceretur. Quid? Quum nec fraude ista proficeret: essentque Itali almæ studiosiores pacis, quam ut cum barbaris turpissimis, & perditis parricidis digladiari vellent: tum sacris in spectaculis mediis, tum verus Martis pullus, hoc est, ut voluit Aristophanes, homo ad omnem audaciam projectissimus, mulieres ad se invitatas rapit: & jura divina disturbat: jura gentium profligat: hospitalem gratiam, apud alias barbaras gentes omnes inviolabilem, violat: sanctissimum fidei pignus penitus tollit perfidus. Adde sacrilegium hominis: qui Consi Dei consilium sceleri huic obtendit scelerosissimo. (*f*) Et quæ improbarentur facta ab homine quovis, ea interposito divino nomine defenduntur? Etiam atrocissimum est, facere hoc prætextu, si quid non licet. (*g*) Invectus autem in facinus facinorosum sæpe Tertullianus, invectus Augustinus, invectus Minutius: qui, desponsatasque destinatas, maritas, raptas, scribit: contra quam persuadere alii de virginibus solis voluerunt. (*h*) Exclamat Virgiliusque,

Et raptas sine more Sabinas:

sine exemplo, contra decus, malo more, & contra leges. Et de quo mores tamen fuere: quod damnat facinus magis: (*i*)

a *Plut. de curios.* b *Lib. dem. adv. Mid. Jun. Tert. de p.* 3. c *Pla. polit.* d *Cypr.* 4. *de ido. na. Aug.* 1. *de co. eu.* 12. e *Plut. Rom. Just.* 28. 38. f *Luca* 7. g *Juv. satyr.* 8. 3. h *Hier. ep* 4. & *cap.* 41. 7. *q.* 1. *Flor.* 1. i *Tert. de Spect.* k *Servius* 11. *Æneid.* l *Spart. Carac.* m *Just. lib.* 16. *Pla.* 9. *de legi.*

a *Tib.* 2. *eleg.* 5. b *P. Diac.* 1. c *Cic.* 3. *de offic.* d *Justin.* 21. e *Ovid.* 3. *Fast. Plut. probl. Ro.* 21. f *Demost. Leptin.* g *Tert. de spect.* & *adu. Val. Aug.* 2. *de civ. Minut. Oct.* h *Virg.* 8. *Æn. Schop.* 4. *veris.* 4. *Serv. Æneid.* 7. i *Prop.* 2. *eleg.* 6.

Tu criminis auctor,
Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.
Tu rapere intactas docuiſti impune Sabinas.

Quod ſi nobiles illi populi connubia vobis denegarunt: an tu jure indignari potes Romule: (*a*) qui in tua illa ſicariorum turba vix centum deprehendiſti, qui patrem ciere potuerint: quos & ſenatores feciſti? cum reliqui omnes, tui ſimiles, ſine lare, ſine nomine, nothi, ignoti, terræ filii aut filii potius Erebi eſſent. Vos, patriciis cum populi veſtri reliquis, cum aliis civibus veſtris jus nuptiarum eſſe non voluiſtis. Alienos a vobis hic ſocios etiam Latinos feciſtis. (*b*) Hos & per turpem fraudem afflixiſtis, connubia veſtra petentes: per quæ exſoleſcens neceſſitudo vos inter, & illos inſtauraretur. Et vobis olim illuſtres illæ gentes connubia non denegaſſent? Et dominæ in manum fugitivorum conveniſſent? Ingenuæ nupſiſſent ſervis? Honeſtæ ſceleſtis traditæ fuiſſent? Sed negaverint etiam injuſte, & non probe vobiſcum detrectaverint affinitatem: num tu propterea juſte talem, ac tantum raptum confeceris? (*c*) Prædo eſt, qui ſua auctoritate capit, quod ſibi eſt debitum. Neceſſitas (quod dicebas) vim excuſabit? At non vis turpitudinem. (*d*) At neceſſitas non excuſat, ſi exemplo, auctoritateve aut generali, aut ſpeciali factum non adfirmatur. Ubi exemplum ſine more facti? Ubi auctoritas vituperati ab omnibus auctoribus facti? Bello quæſiiſſes negatas nuptias non ſpectaculi fraude: ut ſic Auguſtinus tibi reſpondet. (*e*) *Sed an etiam ſi neceſſe fuit facere, ignoſcendum propterea eſt? Ad quædam nulla debet neceſſitas compellere.* (*f*) Fœda, flagitioſa ne conſervandæ quidem patriæ cauſa facienda ſunt. Contra naturam eſt, & contra leges populorum, hominis incommodo ſuum commodum augere. Etiamſi omnia incommoda eſſent ſubeunda, vel externa, vel corporis, vel etiam ipſius animi, quæ injuſtitia vacent: non tamen de commodis alienis licet detrahere. Ait Cicero. (*g*) Non hic excuſat neceſſitas adverſus hominem. (*h*) Nullibi excuſat neceſſitas, quæ non neceſſitas eſſe poteſt. (*i*) Neque enim vere eſt neceſſitas, quum poteſt caſui aliter provideri. An a patribus Albanis, an ab avo rege Albanorum, qui & manu tua reſtitutus in regnum erat, ſicuti viros, ita etiam mulieres impetrare non potuiſſes, ſi non belli cauſſam quæſiiſſes cum aliis? Et non vobis, quemadmodum viri, pares & conjuges in aſylo inventæ? *Ut matrimonium facias, rem concordiæ per diſcordiam auſpicaris: rapis, ferocis, fallis, & nuptiæ tibi ſunt rupta hoſpitii fœdera.* Quæ tibi Cyprianus. Ecce autem nobis virtutis illius Romanæ ſpecimina prima. Ecce ſpecimina militaris virtutis. Strenui iſti, hoſpitum inermium, puellarumque victores, & muliercularum, dum armatos mox habent, etiam mœnibus, & parietibus ſuæ urbis incluſos, cum quibus conſerant manus, fugantur in illa ſua urbe trepidi, & conciduntur. Et qui regni conſortem, regni confundatorem, & fratrem ferre geminum, atque (*k*) primogenitum nequiit, is hoſtem in regni partem habere coactus eſt. Habes, Romule, quod meruiſti. Non fratrem, hoc eſt, te alterum, (*l*) & eum geminum, quod plus eſt aliquid, ferebas: &, feras peregrinum, hoſtemque, neceſſe eſt. Imo vero neceſſe non eſt. Quem enim ſpoliare armis per Tarpejæ virginis

a *Plut. pr. Ro.* 58. *Manut.* 9. *fam.* 21. b *Macr.* 1. *Satyr.* 11. c *l.* 5. *de adq. poſ.* d *Cuch. Dec. l.* 122. *de reg. ju.* e *Sen.* 7. *contr.* 2. f *Cic.* 13. *de off.* g *Ceph. conſ.* 451. h *Tertu. exh. caſt.* i *Alc.* 8. *conſ.* 35. k *Jor. de re ſucc.* l *Sen.* 9. *contr.* 3.

A dolum non potuit: nec ſatis per allegatas fraudare Sabellas: inſidiis illum obtruncari Lanuviorum, ſibique de medio tolli curat. (*a*) Legimus apud Dionyſium, quam virgo illa vafram inierit rationem, ut hoſtes perderet. Pacta arcis deditionem, ſi acciperet geſta hoſtium in ſiniſtris: ut ita ſcutis nudaret, & ita traderet cædendos ſuis. De ſcutis, non de armillis pepigit, & ſcutis obruta eſt. An vero puellæ commentum exiſtimamus? An virorum verius, qui Tarpejæ inferias conſtituere ſolennes, annuas, perpetuas? Quid etiam per Sabellas tentatum exiſtimamus? Non eæ ſponte ſua inter tela volantia ſe tulerunt, ut B pulcra eſt Livii fabula, ſed legatæ miſſæ ab iiſdem ſunt viris Romanis, ut Dionyſius ſcribit, fidus ille, & cautus ſcriptor, & Livio inventus certior. (*b*) Quod ſcribunt critici doctiſſimi. Tentata proculdubio fuerunt alia omnia quam partitio, quæ ſecuta regni eſt. Tatii porro cædem nec ſine (*c*) auctoribus adſcribimus Romulo, nec ſine ratione damus parricidæ ſolenni: quæ & patrata a cognatis Laviniensibus, & bono eidem fuit. (*d*) Facti ſuſpicio confirmatur, ſi adeptio commodi, vitatio incommodi oſtendatur. Inquis Cicero. (*e*) Qui quid lucratur ex crimine, is conſilium ad crimen dediſſe, is tractaſſe de crimi- C ne creditur, ei geſtum negotium intelligitur. Id Baldus, & reliqui juriſconſulti. De quibus illud jam vulgatum, *Semel malus*. Dico autem parricidam ſolennem, (*f*) qui non fratrem ſolum, ſed & avum Numitorem, aut avum Amulium (quid moremur nominis varietatem?) interfecit avum. Avum, an patrem Amulium? ſemper parentem occidit patricida. (*g*) Parricida ſemper, etſi nec legitimum (qualis propatruus fuit Amulius) occidit: quia jus ſanguinis in natura eſt, non in lege. Parricida etiam qui occidit patruum: adeoque & propatruum. Quod propter ſcelus inex- D piabile hereditate Romulum Albani regni excidiſſe, unum ſive Numitoris, ſive Amulii hæredem, aut quam aliam ob cauſſam non regnaſſe Albæ exiſtimemus? Verum non fuerit Romulus auctor cædis Tatii: cur tamen nec ultionem quærit ſocii regis? An deſiit bellicoſus eſſe? Aut pius, iſtuſque fuit numquam? Et imo ex ſequenti hoc facto apparet auctor. Siſtentes ſe noxios ad ipſius tribunal abſolvit: & judicat, cædem jure factam, vi ſcilicet pro vi reddita. Et vim fecerit Tatius, qui Sabinos ſuos, a te vinctos, inimiciſque deditos, eripuerit? Et neglexerit Tatius juſtiſſimas Lanuviorum querelas: an propterea Romulus, nihil cun- E ctatus (ſic Dionyſius) alterius ſibi partes aſſumpſerit? Et quoniam, id in ſe fieri, non eſt paſſus Tatius, cæſus jure a Lanuvinis erit? Et quoniam iſtis illico non fit a Tatio ſatis, regem propterea, ſacrum gentibus quibuſque caput, etiam interque aras deorum, & in ſolenni ſacrificio tamquam victimam mactare, fas fuerit? Lavinium ad ſolenne ſacrificium venerat ſenex Tatius. Num credimus, in Lavinienſes, admiſſi ullius a ſe peccati fuiſſe conſcium? (*h*) Periti docent, innocentiæ ſignum eſſe maximum, ſi veniat in carcerem ſponte, qui accuſatus criminis eſt. Cenſent adverſum fugientes: cenſent pro manentibus: & magis F igitur pro venientibus in periculi locum. Innocentia præſtat ſecuritatem. Et ſic Tatius Lanuvium venit: & ibi hoſpes, rex, ſacerdos, in conſpectu deorum immortalium, interficitur juſte. Sed ecce dii illi, late immiſſa in noxios peſti-

a *Dionyſ.* 2. b *Manut. Aſco. pro Cor. Lipſ. de mag. c.* 16. c *Oroſ.* 2. *cap.* 4. *P. Diac.* 1. d *Cic. part.* e *Bal.* 5. *co.* 506. f *Oroſ. Cedr. Friſ.* 2. *c.* 3. g *Inſt. de nupt. l.* 1. *de par. l.* 6. *de in jus vo. l.* 50. *de V. S.* h *Ceph. conſ.* 721. *Alc.* 5. *conſ.* 6. *Deci.* 3. *conſ.* 96. 104.

lentia,

lentia, cædem vindicant, quam Romulus justam pronunciavit. (*a*) Et Remique cædem paria vindicarunt mala: de quibus Plutarchus, & alii exposuerunt. Hic vero fraudis, & perfidiæ a raptu mulierum finis. Verum ex finibus agro non positis fraus, quam ardentissime quæsiit, infinita. Romule, terminos cur agro non ponis tuo? (*b*) *Dimensiones terrarum, terminis positis, vagantibus, ac discordantibus populis pacis utilia præstiterunt*. At pacem Romulus non quærebat. (*c*) Audiamus Plutarchum, *Noluit Romulus mensura proprii agri prodere mensuram alieni, siquidem virium compedes terminos esse, si servarentur: & injuriæ indicium, si non servarentur*. Aut quid testes advocamus? Re ipsa tu, hoc tuum fuisse consilium, ostendisti, Romule. Nam hinc arripis belli caussam in Fidenates: ac si isti de tuo agro Romano prædas abegerint. Et eripi vobis quidquam valuerit: quorum partii soli ((*d*) ut Florus loquitur) gleba nulla esset, sed statim pomœrium, & omnibus portis in alienum exiretur. Ista autem (quod idem scribit) contagione per singulos itum est: & proximis quibusque correptis totam sub vos redegistis Italiam. (*e*) *Assumptis semel armis numquam quies*. (en testem alterum) *quippe quibus egestas turpis, atq; obscœna fames domi timerentur, si paci umquam, aut fœderi adquievissent*. Vi igitur, atque injuria sub Romulo occupatum imperium, scribit idem Florus verissime. Nam bella inferre finitimis, & inde in cetera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, & subdere, dic, age, responde Augustino, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum est? Immane hujus unius latrocinium regis: qui non supra tria hominum millia habuit primum, & non habuit pedem terræ: moriens ad mare usque tenebat, hominum vero millibus quinquaginta imperitabat. Sed an exorsi longissimam orationem non sumus, si regum omnium, ducumque gesta expendimus? Utar deinceps compendio: nam & stat generale testimonium. (*f*) *Cum Romulo, regibus ceteris, postremisque ducibus disciplinam communem: prædamque audaciæ esse, quicquid Romani sub imperium retinerent*. (*g*) Sane vero & Cicero, & Livius, & alii faciunt reges omnes, excepto Superbo, pares: etsi probos. At de probitate nunc in Romulo ostensum contrarium est. Et id ergo sequitur nobis bellissime, quod si pares fuerunt omnes: & Romulus, divus ille unus in omnibus, fuit improbissimus: omnes improbissimi multo fuerunt. Et ego tamen excipio item unum, sed Numam. Vidit omnium improbitatem Orosius, & ostendit: quod si unus fuisset rex improbus, non sustulissent regnum Romani, sed illum regem. Et itaque urbis exordium hoc, & Romuli virtus hæc est.

CAP. III.

De Numa, & reliquis regibus.

Quis procul ille autem, ramis insignis olivæ
Sacra ferens? nosco crines, incanaque menta
Regis Romani: primus qui legibus urbe
Fundabit.

Recte a sanguinario Romulo, & illege procul, qui sequitur Numa, ut alibi etiam longe a templis, domiciliis deorum, sunt inferi: *hinc procul addit tartareas etiam sedes*. Procul a Romulo iste: vir Italicus: & fidei colentissimus, & pacis: & justissimus unus. Sub cujus regno longissimo animi illi feri quievere Romulidarum: & aurea patris Jani sæcula Latio rursus, regnata per arva Saturno quodam, condita sunt. Neque enim finitimi populi, læsi licet vehementer a Romulo fuerint, licet & Numæ contemnere animum potuissent, pacem umquam sollicitarunt. Ut intelligamus, bella omnia fuisse Romanis volentibus, moventibus. Ecce hi pacem sollicitant mox a Numa: qui frenum effreni alioqui, & impotenti belluæ fuit.

Cui deinde subibit,
Ocia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros.

(*a*) Tullus: cujus incunabula agreste tugurium cœpit: & adolescentia in pecore pascendo fuit occupata. (*b*) Quem in patres Albanos nihil aliud movit, Virgilio dicente, Augustino adnotante, nisi resides ut moveret in arma viros. Et hæc justa Romanis bellandi caussa scilicet, arma ne rubiginem traherent, aut otiarentur. Non audis Suetonium narrantem, bellum ab Augusto nullum cuiquam sine justis, & necessariis caussis fuisse illatum? (*c*) & Vellejum, & Dionem, illatum ab Augusto bellum Pannoniis, quo arma Romana exercerentur? (*d*) Ecquis ille Fabius, qui Cretam invadit, ne haberet (ita Livius) provinciam ociosam? Sed de Tullo. *Ferocior Romulo, undique materiam excitandi belli quærebat*: quod itidem Livius. Apud quem, & apud Dionysium, & apud alios legimus reliquas Albani belli rationes regis hujus improbissimas, & crudelissimas: & una hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba steterat, urbem regiam a primo ortu, urbem Latii principem, urbem parentem excidio datam a suis colonis, qui filii parricidæ, & parricidæ ipsi, & parricidarum parentes. Jam audies.

Sequitur jactantior Ancus.

(*e*) Id est, qui plurimum sibi arrogat: *& nimium gaudens popularibus auris*: favoribus populi, quos non quærunt sapientes. (*f*) Et is condemnavit superiores: quod vidisse dicitur, populum Romanum ardentem amore bellorum, inferentemque gentibus bella plerunque ratione nulla justa exstante: & itaque fecialia jura (remedium huic iniquitati) de Æquicolis accepisse. Hoc Servii Honorati testimonium. At remedium, an emplastrum, atque fucum dicimus potius? Fucum potius. (*g*) Ecce nobis Picenus noster Firmianus Lactantius: *Quantum a justitia recedat utilitas, populus ipse Romanus docet: qui per feciales bella indicendo, & legitime injurias inferendo, semperque aliena cupiendo, atque rapiendo, possessionem sibi totius orbis comparavit*. De Prisco, Servio, Superbo, tribus invasoribus regni, hoc satis. Et Superbus, qui laudatur foris, (etiam istum laudant) num fraude mala non aggressus est Gabios? Num contra Rutulos bellum non movit, quia divites erant? Num per scelus inauditum non sustulit Hordeonium Turnum? Sed de regibus reliquis, simul & de superioribus nunc notemus, quemadmodum senatorum manibus Romulus discerptus fuit. Hic raptus in cælum. (*h*) *Rude illud, & ferox sæculum conditoris sui cruore fœde maculatum ne summa quidem posteritatis dissimulare pietas potest*. Hoc aliorum, hoc Valerii Maximi.

a *Cedr. Serv.* 1. *Æneid.* b *Boeth. geometr.* c *Plut. Nu & pr. R.* 15. d *Flor. lib.* 1. e *P. Diac.* 1. f *Minut. Oct.* g *Cic.* 1. *Parad. Liv.* 2.

a *Val.* 3. *c.* 4. b *Aug.* 3. *de civ.* 14. c *Dio.* 49. d *Liv.* 37. e *Donatus.* f *Serv.* 10. *Æn.* g *Lact.* 4. *Inst.* 9. h *Val.* 5. *c.* 3.

(*a*) Tullus cum tota domo exustus per insidias Anci. Et Ancus per insidias Prisci sublatus est: certe per insidias: (*b*) nam, excepto Numa, absumtus suo fato (sic Plutarchus) est nemo: sed insidiis occubuere: & Superbus actus in exilium fuit: quæ civilis mors. Priscum scimus occisum procurantibus filiis Anci. Servium generi manu cæsum, & filiæ calcatum pedibus cernimus. Superbum a filio sororis Bruto, a cognato Tarquinio spoliatum regno, spoliatum domo non ignoramus. Et virtutis quidquam in ea civitate fuisse credamus; in qua aliud super aliud scelera tragica, & parricidia infanda tenemus? Num foris justi cum aliis fuerint: qui domi ne tantillum quidem justitiæ habuerunt? Quasi scilicet ut aliæ sunt domi vestes, aliæ foris, aliæ viatoriæ, ita isti in civitate per omnem viventes injustitiam cum externis justitiam colerent. Atque hæc infantia populi Romani dicitur; quum in visceribus matris catulus viperinus luctatus, & grassatus est. (*c*)

Viperei coeunt abrupto corpore nodi.

C A P. IV.

De Brutis duobus, & Scævola, & aliis similibus.

SEcundus conditor civitatis ille est: (*d*) cui a brutis moribus nomen obtigit. Non eum magis decuisset, hominem ante mori, quam agere vitam brutorum, & bruti appellationem subire? Sane accepimus, Socratem nec orationem unam recitare sustinuisse paullo molliorem: atque, quod superesset, ex vita perire sibi, quam quod præterierat, maluisse. Vita brevis: vita hominis nulla: & ad mundi ævitatem collata, ferme nulla. Quo argumento a scientia rerum, & harum quidem obviarum, ducto docemur, nec magni facere rem paruam, nec oportere pro re parua retinenda peccare. Brutus is, alter reipublicæ Romanæ pater, in regem perfidus, & avunculum suum censebitur nihilo minus, quam progenies ejus perfida in Cæsarem dictatorem exstiterit: (*e*) quæ damnata sententiis summorum virorum, & summorum theologorum est. (*f*) Mitto posterioris hujus aliam brutitatem: qui, in magna republica instaurari libertatem, ut in parva, potuisse, opinatus est stulte & speravit, ibi libertatem futuram, ubi tam magnum erat præmium imperandi, & tanta serviendi voluntas: & existimavit, civitatem in priorem formam posse revocari, amissis pristinis moribus: & credidit, futuram ibi æqualitatem juris civilis, & staturas suo loco leges, ubi viderat, tot millia hominum pugnare, non si servirent, sed cui servirent domino. Quanta illum aut rerum naturæ, aut urbis suæ tenuit oblivio: qui, uno interemto, defuturum alium, censuit, qui idem vellet: cum Tarquinius esset inventus post tot reges ferro, ac flammis occisos? Hæc prudentiæ cum Bruto non exputo. Animum illi exprobro immanem: qui vitam adimere Cæsari potuit: a quo fuerat in vita conservatus: ornatus dignitatibus: quasi filius habitus. Injustitiam illius vitupero: qui optimum reipublicæ statum, qui sub rege justo est & ad illud temporis necessarium subvertere conatus est. (*g*) Popularis status ad magnum evectus imperium recte se habere deinceps nequit. Et id ratio, & id experientia contestatur. Quid mihi libertatem obtendis patriæ: & justitiam propterea unam cordi tibi fuisse contendis? Obsistere potueris invadenti principatum: factum principem tollere non potuisti. Non hæ sunt partes subditorum: non tuæ qui magno in Cæsaris principatum obstrinxisti te juramento. (*a*) In principatum Cæsaris te obstrinxisti, maximo studio (sic historia) senatus exquisitum, atque delatum. Sed ecce ulciscitur velox nemesis istum, & reliquos parricidas: ecce brevi temporis spatio miserabiliter exstinctos omnes. Ulta Nemesis facinus prioris Bruti: qui uno quasi momento cæcidit super occisos filios parricida.

Infelix, utcunque ferant ea fata minores:

de Bruto isto cecinisse Virgilium, scimus. Et iste quod auferre regnum cognatis Tarquiniis voluit, an etiam studio libertatis? Certe osculum terræ tulit, quo præriperet regnum sibi: & prærepti retinendi viam præivit. Quem hic a Tarquinio rege magistratum tenebat, in Tarquinium exercuit perfidus. (*b*) Perfidus & in collegam, bonum, atque innocentem virum, levicula, aut nulla potius nominis occasione: quod Augustinus adnotavit. (*c*) Et, tu, Cicero, scribis, factum non admodum cum honestate conjunctum: etsi eo colore tentas defendere, quod patriæ exstiterit utilissimum: in quo discedis tu a te, & a documentis tuis. Nihil enim utile, quod non honestum: & quod non honestum est, id ne servandæ patriæ quidem disputas admittendum. Ecce autem nobis in bello hoc regio injustissimum illud Scævolæ facinus, quod Romano adprobante senatu sicarius ille aggressus est. Neque enim licet, non licet, latronis, & sicarii more hostibus insidiari. Latuit inter Etruscos Scævola: (*d*) edoctus jam a nutrice Etruscam linguam: (*e*) Non licet, non in bello uti desperatis his rationibus: ut cum aliena cæde, cui inhies uni, certam semper cædem tuam conjunctam velis. Hi mali sunt, qui mortem non timent: nec enim abstinent a delictis. Sed audi etiam Sinonem Romanum: & quid regi optimo pro clementissimo in se affectu respondit: *Quandoquidem est apud te virtuti honos, ut beneficio tuleris a me, quod minis nequisti: trecenti conjuravimus juventutis Romanæ, ut in te hac via grassaremur* & cetera, quæ sequuntur apud Livium plusquam Sinonica. Et hæc Romanæ virtutis sexcenta sunt. (*f*) Ita idem senatus probavit dolos turpes Martii; calliditatem Græcam, versutiam Punicam ait Livius; & patrias Romanas artes dixisset rectius. Audiamus & istum: *Favent pietati fideique dii: per quæ populus Romanus ad tantum fastigii venerit.* Sic Martius loquitur: qui & suis habitus turpis impostor. (*g*) Quid dicam Fabii præstigias (ut sic Valerius nominat) in secando naves Antiochi omnes? (*h*) Quid quod ille divum genus Scipio bellum, & perniciem extremam Siphaci parat intentissime: & de pace interim legatos ad regem mittit, qui specularentur apta insidiis, & pacis spe incautum, improvidum hostem facerent: cumque omnia parata sibi sensisset, tum nuntiat regi, placere quidem sibi tractata omnia, sed consilio suo improbari: itaque redeundum esse ad bellum. Ita ne magnanimus ille Scipio, a Punicis abhorrens factis? Hic mihi de aliis di-

a *Zonara.* b *Plut. Nu.* c *Lucan. Ser. 3. Geor. Apul. Apol. 2.* d *Macr. 3. Sat. ult.* e *Dio. 44. Marty. 3. Jud. Dant. inf. Melan. epit. ph. mo.* f *Card. 3. de sap. Sen. 2. de benef.* g *Dio. 47. 54.*

a *Val. 1. c. 6.* b *Aug. 2. de civ. 17.* c *Cic. 3. de off.* d *Diony. 5.* e *Dio lib. 46.* f *Liv. 42.* g *Val. 7. c. 3.* h *Polyb. 14. Liv. 30.*

cendum esset. (*a*) De triumphatore Illyrii: qui Gentium regem, venientem publica sua ad se fide, supplicem retinet, in triumphum ducit. Qui urbibus Illyrii septuaginta pollicitus veniam, si omne argentum darent, eas depredatur, quæ omne argentum dederant. Sed, ut dico, sunt hæc plurima. Neque ego intelligo facta privatorum, aut non probatorum Romæ hominum, at publica; at eorum magistratuum, qui exempla aliis effulsere virtutis in civitate universa: & quorum si convellimus existimationem, salva civitatis existimatio esse non valet. (*b*) Neque enim aliud est civitas, quam cives, magistratusque in quibus si indigni sint, qui digniores habiti sunt: reliqui minus digni quales erunt?

CAP. V.

Romani bellis victi.

PORRO autem facere non valeo hic, quin in mancipia Romana, in Romanorum rerum scriptores non commovear vehementer: quorum est illud, (*c*) *Populus Romanus victus vi, & superatus præliis sæpe est multis, bello vero numquam, in quo sunt omnia.* Numquam, Lucili, numquam, Livi, victus bello populus Romanus? At vicit Tatius: qui regemque se, & Sabinos, Curetes suos in urbem intulit: (*d*) quique nomen mutavit isti populo, & de Romanis Quirites fecit, non solum dedit nomen uni colli Aventino, uni trium tribuum Tatiensi. At bello hoc regio vicit Porsena: qui Romanos agro multavit: sub præsidiis posuit: spoliavit armis, & omni ferro, præter quam in agriculturæ usum. Huic regi liberum judicium, quod bello quærebatur, in caussa pulsi Tarquinii permissum est: huic dedita Roma est. (*e*) Quæ Dionysius, Tacitus, Plutarchus, Plinius commemorarunt. (*f*) Alii & tributa memorant: atque, quod audis ex his, probe: ut idem Plutarchus non hos auctores, non hoc probet. At vicit Romanos Brennus, vicerunt Senones: scelere Romanorum provocati: sceleratis Romanorum armis petiti: Urbem illi tenuerunt: etiam rupem illam Tarpejam, etiam (*g*) *Capitolium Senones occupaverunt*: sic Tertullianus. *Tarpeja sede perusta Gallorum facibus*: ita Lucanus. *Infelices vix mille hominum reliquiæ fame, peste, desperatione, formidine territæ subactæ, venditæ mille auri libris*: quod Orosius. Non bello victi? Non *Capitolia capta?* quod apud Silium, & non *capti Quirites?* Nam cæsos, fugatosve a Camillo Gallos post fuisse, hoc demum impudentium mancipiorum est scribere. Quandoquidem exulem inopem, re publica accisa, & prostrata, id potuisse, tum credere homines potuissent, quum fortisque viri vim truncatus pedum, manuumque, & trunco reliquo afflictus humi vincere visus fuisset. Aut num fatebimur Gallos victos ex Polyeni etiam testimonio? (*h*) *Capta urbe*, inquit ille *fœdus est cum Gallis ictum, ut his Romani tributa penderent, & portam apertam omni tempore præberent, terram darent, & aquam.* Et hactenus Romani victi: & sub servitutem Gallorum ex conventu adacti. *Sed Romani mox tamquam ad amicos munera mittunt hospitalia, & in his vinum: quo Galli inebriati occidione deleti omnes ab eis sunt.* Sic Romani victores: sed proditores, perfidi, fœdifragi. (*i*) Quæ victoriæ partæ contra æquum deteriores om-

A nibus sunt cladibus. (*a*) Verum de Polybii, & aliorum libris, pacem cum Gallis pro istorum arbitrio initam, naves ad Tyberim transeundum Gallis tributas, & alio exercitum invictum proficiscentem, de victoria, & urbe subacta, longumque possessa, litteras ad suos exaravisse, adeosque tandem fortunis integris omnibus rediisse, constat. (*b*) Sic Livius Drusus proprætore ex provincia Gallia retulisse traditur aurum, Senonibus olim in obsidione Capitolii datum, nec, ut fama, extortum a Camillo. Sic Suetonius. Quid tamen vetera ista conquiro, & me quasi in obscurum aliquod antiquitatis antrum concludo? Nos,
B nos Piceni, ducibus Asculanis meis, amantissimis illis patriæ meæ, amantissimis familiæ: nos in summo Romani imperii fastigio Romanos bello vicimus. (*c*) Et nostra justissima caussa fuit. Petebamus enim eam civitatem: cujus imperium armis defendebamus: & per annos omnes, per omnia bella duplicem illi militum, equitumque numerum explebamus: necdum tamen in jus ejus recipiebamur: at, qui illa in id ipsum deduximus fastigium, homines ejusdem & gentis, & sanguinis, ut externi alienique fastidiebamur. Quæ Vellejus omnia. Et quæ virtutem, humani-
C tatem, gratitudinem, & justitiam Romanam satis ostendunt. At quod Vellejus addit, & concludunt alii, bellatum ab Italicis pro civitate Romana consequenda: eosque civitatem consecutos: sed bello tamen fuisse victos hoc quidem est, de quo dicimus: & in quo scriptores isti deridendi sunt maxime. Nam cur victos Italicos affirmant? Quia victi præliis multis sunt, & plures ipsorum urbes, & ipsum Asculum, captæ sunt? At non hoc est bello vinci, sed præliis. Bello vinci est, petitis excidere, hostibus certata relinquere. Non id etiam est vinci pro tribunalibus? Non sumtus, non damna litis, non contrariæ interlocutiones victum efficiunt, sed sententia, quæ finem controversiis facit re judicata, adjudicata. Et
D igitur Italici non victi, sed victores justissime censeantur: qui potiti voto sunt, re petita. Etiam nec ridebat Roma, quum lugeret Italia. Sileant, si qui putant, victis voluisse Romanos dare hostibus, quod amicis, armatis noluissent. (*d*) Prætextas, ornamenta magistratuum posita, saga sumta Romæ scimus. Debilitatas manus, & murcios illic factos non ignoramus: in civitate nepotum Veneris timidissimos homines, qui vitandæ militiæ præciderent pollices sibi, sæpe visos, invisos alibi gentium. Etiam ad auxilia Latini nominis, externarumque gentium abiit inclita
E Roma: & (quod nunquam antea) libertinos milites sumpsit. Fugatus ab Asculo Pompejus: recepti populi complures: capti Romani magistratus: cæsi legati: cæsi consules: expugnatæ urbes: deleti exercitus. Et, quum isthæc ita se haberent, delata nobis civitas est. Nos victi sumus? Quid nunc memorem Parthos, Romanorum victores semper? (*e*) Memorat Trogus. Vincendos ego dixerim Romanos semper: nisi unus, itidem noster Picenus, Ventidius ille Asculanus exstitisset: qui Parthos semper victores ipse unus victos effecisset Romanis. (*f*) Tribus præliis eos fudit: & de eis trium-
F phavit solus, aut certe primus, aut etiam merito solus. (*g*) Nolo hic aut Antonii invidiam vestri, non vestrum, non Planci tui, Cicero, contumelias indignas dicere, quibus virum fortissimum lacerare solebatis. Hæc ad cæteras virtutes vestras accedant per me tacita. Ostendi, vos vi-

a *App. Illy.* b *l. 2. de re. du.* c *Non. diff. dict. Liv. 9.* d *Festus. Dionys. Serv. 5. 7.* e *D. 2. T. 3. hist. Plut. de clar. mul. Pli. 34. c. 14.* f *Plut. pr. R. 18.* g *Tertu. apolog. c. 40. Luc. 5. Oros. 2. c. ult.* h *Polyen. lib. 8.* i *Isocr. pana.*

a *P. 1. 2. Front. 2. c. 6. Bod. 5. de rep. 5.* b *Suet. Tyb.* c *Paterc. 2.* d *Val. 6. c. 3. Front. 3. c. 17. App. 1. civ. Liv. 72. seq.* e *Justi. 40.* f *Gell. 15. c. 4. App. Parth. Flor. 4.* g *Dio 49. Cic. 10. fa.*

ctos variis, pluribusque bellis. Ostendi mendacia historicorum. Mendacia, non quod facere consueverunt poetæ, qui res scribebant vestras, ut vestras præterirent calamitates: (*a*) ut apud te legimus: sed mendacia quæ historicos dedecent.

C A P. VI.

Fraus Romanorum in fœderibus.

Mihi redire ad Gallos placet, & ad tertium civitatis fundatorem Camillum. Gallos iste (cæsi Galli, aut fugati credantur) cur fugat, cur cædit? (*b*) Numquid senatus, populus, & quicquid erat Romæ sine isto magistro pacisci cum Gallis victoribus nequiit? (*c*) Cur ergo Caudinæ pactioni non statur, quam tot magistratus pepigerunt? Pallium scilicet ((*d*) ut est in proverbio) revolvitur hic: &, magistratus absque populi, & senatus auctoritate non convenire potuisse, contenditur. (*e*) Itaque Corsi, ita decepti Numantini. Et ita sive in urbe cum istis contraxeris, sive peregre, certum nihil, & nihil recte contractum censebant, quod libidini ipsorum non satisfaceret. Ita Mithridates, ita Jugurtha, ita alii circumventi. Atque est illud utique importunissimum in argumento hoc fœderum, quod Romani ducum suorum pactionibus se obstringi non posse contendant, nisi easque ratas ipsi habuerint: alios populos tamen eorum ducum conventis obligare velint, nec si populi illi conventiones ducum adfirmassent. (*f*) Id in fœdere cum Asdrubale icto voluerunt: quo Carthaginenses se non teneri, ab se nonsancito, justissime respondebant. Et vana est Livii, Polybiiq; contraria disceptatio: qui Romanos tuentur, quia adjici ex Romanorum ducum parte diserte soleret in fœdere, *Ita id ratum fore, si populus censuisset*: ex Asdrubalis autem latere exceptum quicquam tale non fuerit: & tot annorum silentio ita vivo eo comprobatum sit fœdus, ut ne mortuo quidem quicquam mutaretur. Quid enim si disceptationis caput primum, quod hujus est proprium loci, brevicula interrogatione disperdo? An igitur si sine illa exceptione dux Romanus ineat fœdus, hoc Romanos tenebit? Eccur igitur tenuerit Carthaginenses? Et tantos historicos vanitatis tantæ non pudet? Alterum caput de silentio per juris itidem imperitiam induxerunt: quando non ex silentio, re nihili, sed ex verbis, factisve obligari homines, jus ostendat. *Qui tacet non consentit*: ut regula juris est, & vulgi: (*g*) *Silentium nihil est: nec umquam invenies dictum, silendo aliquos concordasse.* Patientia non est verus hominis actus: quia silentium est quædam privatio, non actus. Cum id genus aliis: quæ maximi interpretes juris docuere. Quid præterea si Asdrubalis fœdus non sic observatum fuit tacite, ac si ratificatum, aut ictum expresse fuisset? id est, quid si non publico tacito fuit observatum, sed aliquorum privato? & privatum dico etiam ducum, & magistratuum, & ipsius Asdrubalis: quem servasse pactum suum, nec mirum sit. (*h*) Isto casu non obligari universitatem, certum est: & si aliqui universitatis non observassent, vel pauci; hi jura universitatis omnibus conservassent. Ecce Annibal non observat. Sed quam illud difficile, ut ostendatur, publico observatum consensu quid exstitisse? Ceterum si vos, Romani, pactiones ducum vestrorum non tenent: & illas vos pro libitu, & libidine vestra respuitis: num etiam non censebitis æquum, integra omnia adversariis conservari? (*a*) *Restitutio ita facienda est; ut unusquisque in integrum suum recipiat*: ait Paulus. *Restituere videtur, qui in pristinum statum reducit*: inquit Ulpianus. *Restituere est possessorem facere*: dicit Cajus. *Est caussam reddere, & omnem conditionem*: ut Proculus loquitur. *Est id facere, quod fuerat*: ut scribit Tertullianus. Quid ni igitur, Romane, si sponsionis ad furculas Caudinas factæ pœnitebat, legiones restitueris, unde per sponsionem eductæ sunt? Quid ni recipiat Samnis, quod integrumque illi fuit, pro arbitrio statuere de legionibus vestris? Recipiat saltus illos, & vos imis inclusos angustiis? Possessionem corporum vestrorum recipiat? Caussam vestram, & conditionem omnem deploratissimam ex integro habeat? (*b*) Hæc vobis & Samnites dixerunt: & dicunt postea Numantini; aut pro Numantinis Orosius. Numquamne caussa deficiet, cur victi pacto non stetis? Obsides Porsenæ dedistis: furto (hoc credam, non tranasse Tyberim illas puellas) subduxistis. Auro civitatem a Gallis redemistis: inter accipiendum aurum cæsi sunt. Pacem cum Samnitibus pepigistis: eam irritam facitis: & semper aliquam fraudi speciem juris imponitis. Quid ludibria illa religionum referam: & pueris vix dignas ambages, quas senes vestri, ac consulares fallendæ fidei exquisiverunt? Juste, Livi, hæc tu: & caute tamen ex persona hostis Romanorum dictas: ne cum Patavinitate, & studio partium etiam hostilitas tibi objiceretur. Dum Samnitibus deditur Posthumius, qui sponsionem inierat, fæciali Romano femur perculit, & clara voce ait, se Samnitem civem esse: fæcialem a se contra jus gentium violatum: eo justius bellum Romanos gesturos. An hæc ludibria non sunt, & lusus? Et his fides publica liberatur? *Forsitan* ais, Livi, *Forsitan*: & rides ridicula. Hæccine restitutio? Civis Samnis Posthumius, quem Samnites non receperunt? (*c*) Civis an Romanus manserit, disputent Manilius, Scævola, Brutus, Pomponius, Modestinus, alii Jurisconsulti: sed factum civem Samnitem nullus dixerit. (*d*) Ut enim donatio, ita deditio intelligi sine acceptione non potest: quod etiam Cicero scribit. (*e*) *Etiam qui erant Romæ rerum capitalium condemnati, nec prius eam civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli caussa venerant. Non universi populi Romani potestas aliter potuit.* Certe & civis manserat Romanus Posthumius. (*f*) Quod alteri non adquiritur, id non perditur. Quod non adquiritur recipienti, id remanet penes dantem, inquit Baldus. (*g*) *Si fidem fœderis, quam sibi Romani servari a subjectis volunt, ipsi subjecti Samnitibus servassent, hodie aut omnino non essent, aut Samnio dominante servirent.* Hic ita concludant verba historiæ.

a *Cic. pro le. Ma.* b *Liv.* 5. c *Liv.* 9. 56. d *Alc. lib.* 4. *de V. S.* e *App. Hisp. Val.* 9. *c.* 3. f *Liv.* 11. *Polyb.* 3. g *Bal.* 1. *cons.* 396. 437. 5. 321. *Rom.* 311. *Alex.* 1. 136. 6. 191. h *Alc.* 1. *cons.* 3.

a *l.* 2. *neq. in lo. p. l.* 38. *de usur. l.* 22. 35. *ult. de V. S. Tert. apol.* b *Oros.* 5. *c.* 1. c *Cic. Top. l. ult. de lega. Alc.* 8. *cons.* 14. d *l.* 19. *de don.* e *Cic. pro do. su.* f *Bal. l.* 3. *de off. præt. l.* 21. *de sta. ho.* g *P. Diac.* 2.

CAP. VII.

Samnitici belli caussa injusta.

AT vero caussam Samnitici belli etiam intelligamus. Decet enim, & cœpimus confutare historicos, (*a*) qui, arma numquam nisi justis de caussis sumta a Romanis, tradunt. Scilicet justą caussa (ut audivimus) ad arma ipsa exercenda, & ad otium fugiendum. Justa est caussa, bellis petere ignotos, & quietos, (*b*) ut hoc Romani fecerunt: (*c*) & itaque etiam belli jura, etsi (ridiculum) non bellum cum his esse, non esse hos hostes voluerunt. Justa est caussa, occasiones quasvis cupide arripere (*d*) & hoc Romani) augendi imperii. (*e*) Negant Campanis auxilia contra veteres socios: in ditionem tamen venientibus largiter opitulantur. Quid tamen aut in ditionem accipiunt litigiosam rem? & sociis ferme adquisitam? (*f*) Feram vulneratam intercipi vulneranti ab alio non oportere, Trebatius jurisconsultus admonuit: cujus & opinio probata a Friderico Cæsare: & moribus adfirmata, atque recepta est. (*g*) *Scilicet honestum non est, competentia compendia aliis, vel debita, vel parata avertere:* ait Ambros. (*h*) Non potest quis absque facto suo privari spe sua. Spes etiam ex conditione sic est. Actio etiam est pro spe, & id genus alia, quæ tradunt periti juris. Spes pro veritate habetur. Neque tu mihi diversam plerorumque sententiam, & probatam a Justiniano Cæsare renarres: ut non aliter intelligatur facta fera vulnerantis, quam si & capta eidem fuerit. Tractarunt enim posteriores imperatores, & jurisconsulti quædam diligentius, quam fecerunt priores: quod magnus Galliæ jurisconsultus scribit Cujacius: inque certa hac ratione adfirmat. Mirandum sane, fuisse desertam Trebatii sententiam de fera vulnerata. Sed evaluit consuetudine, quod erat naturaliter verum. *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.* Scilicet natura est, quod verum est. (*i*) Et id quidem sic factum alibi cum opinionibus Trebatii est, & aliorum: ut, quod naturalem habet rationem, in usu obtineat, etsi est in disputationibus rejectum. Aut num rationem naturalem non habet, ut parata aliis compendia non avertantur? (*k*) *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem.* Illud rationem naturalem non habet, *Omnia, quæ volumus alios nobis facere, nos & aliis faciamus?* (*l*) quæ volumus, id est, quæ velle debemus. (*m*) Non habet rationem naturalem, quod ex sensu & affectu est communi? Sed me dies hic deficeret, si omnia velim dicere, quæ naturalem rationem ostendunt. Etiam ego dico captum, quod aufugere non potest: pro actu enim est potentia proxima actui: condemnandus in proximo est pro condemnato, & id genus alia: quæ vel in subtili disceptatione pro Trebatio afferuntur. (*n*) Quid, quod reliquorum quoque jurisconsultorum mens hac stat? Ratio enim, cur non tribuant alii feram vulneranti, illa est, quoniam accidere possint multa, ut eam ille non capiat. Itaque si nihil multum possit accidere, cur non capiat, feram ei interverti non oporteat. (*o*) Examen, quod evolaverit ex alveo nostro, manet nostrum, donec in conspectu nostro est, nec difficilis ejus persecutio est. Manet nostrum: hoc est, interverti nobis non oportet. (*a*) Nam feræ, pisces, aves desinunt nostra esse, quum effugerunt: etsi recuperari adhuc possunt. (*b*) Ut libertatis species est fugisse. Et nec igitur dico quæsitam vulneranti; sed non averti illi oportere spem tantam quærendi. (*c*) Videndum & hoc ait Proculus, utrum in laqueo ita hæserit aper, ut expedire se non possit ipse; an diutius luctando expediturus se fuerit: ut si quis eum exemerit, teneatur mihi, qui laqueum venandi caussa posui. Videlicet ut non sit aper statim meus, atque incidit vel tenacissime in laqueum: hoc tamen casu, actionem esse mihi adversus eximentem, semper est verius: aut jurisconsultus videndum voluit, quod attinebat nihil. Huc modo advertatur disputatio, si Campanos vulneratos a Samnitibus potenter, & jam jam capiendos, sic eripuerint Romani juste? (*d*) Pro capto est reus, qui sub oculis est magistratus: itaque delinquat, qui illum offendit nunc, alias offensurus impune. Disserit ad quæstionem vulneratæ feræ plura in sententiam nostram Joannes Cephalus, jurisconsultus primus in academia prima, Patavina. Concludit, quod qui hostes persequebatur, & jam assequebatur, is agere saltem possit pro suis damnis, & interesse omni adversus interceptorem: qui caussa fuerit, quominus ipse tanti laboris, atque discriminis mercedem meritam consequeretur. Hæc, Romani, effecistis Samnitibus sociis. Hæc illis debita retinetis. Verum dicite nunc, quare etiam Sidicinos, itidem dedentes se vobis, non recepistis, & contra eosdem Samnites non defenditis? Seram deditionem, ultimaque tandem necessitate expressam aspernamini? An magis illicuere cupidinem vestram Campanæ majores opes, uberrimus ille totius Italiæ ager, certamen (*e*) ut dicunt) Liberi, Cererisque, & naturæ gaudentis opus? Hoc verius in pari alioqui caussa Sidicinorum, & Campanorum. Et sic puncto tempore, fidem esse utilitate antiquiorem, obliti estis. Fidem utilitate antiquiorem, paullo ante deditionem, Campanis respondebatis: & fœdus vobis cum Samnitibus servandum esse. Quid jam alias memorem Italicas gentes, iniquis Romanorum armis oppressas? Aut quomodo memorem? (*f*) Nos, in ultimo temporum positi, mala Romanorum scire non possumus nisi per eos, qui laudavere Romanos. Sed intelligimus tamen, quam valde multa injusta fuerint Romanorum facta, qui videmus, emanasse non pauca injustissima in tanto studio laudandi. Deleta Ausonum gens vix certo defectionis crimine, perinde ac si internecino bello certatum esset: ut scribit Livius. (*g*) Calabriæ arma illata: quasi excepissent Pyrrhum Calabri: sed re vera ut Brundusio potirentur, portu in Græciam oportuno: ut alii adnotarunt: de quibus Zonara retulerit. At placet, a patriis calamitatibus avertere alio animum, & in regiones alias convertertere orationen. Hæc vero populi Romani adolescentia fuisse dicitur, quum Italiam subjugavit.

a *Diony.* 2. b *Oros.* 3. *cap.* 20. c *l.* 5. *de capt.* d *App. Mitr.* e *Liv.* 7. f *l.* 5. *de ad. re. do. Cuja.* 1. *feud.* 1. g *Ambr.* 3. *de off.* 9. h *Decian.* 2. *conf.* 17. i *l.* 30. *de statu.* k *l.* 206. *de reg. tur.* l *Decian.* 2. *conf.* 29. m *Decian.* 2. *conf.* 9. n *Ceph. conf.* 136. o *l.* 5. *de ad. re. do.*

a *l.* 44. *de ad. re. do.* b *l.* 17. *de æd. ed.* c *l.* 55. *de ad. re. do.* d *Bal. l.* 4. *de sta. ho.* e *Jor. de re. succ. Pli.* 3. *c.* 5. f *Oros.* 4. *c.* 5. g *Zonara.*

CAP. VIII.

De bellis Punicis.

IN Siciliam quæ caussa devexit arma Romana? (*a*) Quum viderent (ait Florus) opulentissimam in proximo prædam, cupiditate ejus exarserunt. Et hac quidem præda sollicitante, sed specie Messanæ oppugnatæ, & fabulosæ originis, (*b*) qua se Mamertini imputavere Romanis, arma illa in Siciliam devecta sunt. (*c*) Et judicatum Romæ tamen turpissimum fuit, juvare Mamertinos, flagitiosissimos homines. Hinc autem primum cum Pœnis, veterrimis sociis. (*d*) Nam auxilia tandem cum decreta Mamertinis essent, nec mitterentur: Mamertinique ad Pœnos refugerent, atque accepissent a Pœnis: tum Romani Messanam, factam Carthaginensium, libertati reddere volunt. Vincuntur autem primo, & a Pœnis recipiunt amissas triremes: ut fœderis arguerentur clarius fracti. Sane enim violarunt Romani fœdus: qui in Siciliæ partes, quæ parebant Carthaginensibus, navigare ex fœdere non potuerunt: atque Carthaginensibus Messana parebat. Tantum abest, ut eo etiam oppugnatum socios valuerint proficisci. Et non apte in quæstione ista contrarium, & adversus Philenium in quæstione ista Polybius disputavit. Pergo porro. Venit in colloquium dux Carthaginensis: capitur improbe a Mamertinis, an a Romanis dominis? Excedit cum omni exercitu tota Sicilia. Petitur, ut Romanus excedat quoque. Sed huic surdæ sunt aures ad tantam, & tam evidentem æquitatem. Sic bellum primum Punicum, violatis fœderibus, adjutis improbis. Et secuta iniquam istam illic prædam præda iniquior Sardinia, per summam injuriam, contra jura omnium fœderum ablata: ut omnium historicorum sententia convenit: & Polybius declarat luculentissime. Sed secundi belli non melior caussa, quam primi fuit. Et de Sagunto illud prius notem, quæ caussa creditur hujus belli: eam imo Annibali civitatem perfidam exstitisse: omni dignissimam fuisse malo: & habitam tamen ab Annibale clementissime. (*e*) Ita Plutarchus. (*f*) Et alii sic tradunt, obsessam a Romanis Saguntum, non ab Annibale. Et is ipse igitur Annibal non per vanitatem ait, Romanos Sagunti fecisse inique. Attamen sic se habeat res, ut descripta a Livio est: quid nos in Pœno reprehendimus, si Saguntum, suorum hostium munimen, atque perfugium, armis aggreditur? Non sane pro injustis viris Romani contra Carthaginenses, sexto jam fœdere junctos, & justum jus prosequentes, capessere bellum debuerunt. Nihil hic dissero, si Saguntinis postumis sociis cautum fœdere erat. Qua tamen in re definienda præcipitem fuisse Livium, animadvertere est. (*g*) Etenim plures sunt jurisperitorum sententiæ, quæ significant, actum videri de præsenti, non de futuro: & itaque fœdere illo prospectum præsentibus solis, non etiam futuris sociis. (*h*) Quid, quod Appianus tradit, Romæ ita decretum fuisse, ne auxilia Saguntinis mitterentur: quoniam non fœdere comprehensi, sed liberi relicti essent? An ita? An, quod fecistis cum Mamertinis, exspectabatis, se Saguntum defendere, & debilitari Pœnum, sine vestro incommodo? An etiam, Saguntum perdi, quam vobisque intersepturam iter ad Hispaniarum imperium credebatis? Non ingrediar imperii vestri arcana.

a *Flor.* 2. b *Panegy. Fla.* c *Polyb.* 1. d *Zonara.* e *Plut. de cla. mu.* f *Vet. com. Juv. sat.* 15. g *Ceph. consf.* 693. 733. h *App. Hisp.*

A Perfidi, si Saguntinis sociis auxilia denegastis. Perfidi, si pro non sociis Saguntinis contra socios Carthaginenses pugnastis. Perfidi semper, qui contra veteres pro novis stetistis sociis. (*a*) Num quæstio est subdifficilis, si amici novi sint veteribus anteponendi? Indignam homine dubitationem, & tu ais illico, M. Tulli, ac subdifficilem quæstionem ajebas. Romanorum etiam socios, injurios sibi, potuisse Annibalem bello persequi, quis neget? (*b*) Etiam hoc ad injustitiam Saguntinorum accedit: qui relicti per fœdus in libertate, & medii, tradiderunt se, & addixerunt Romanis totos. Nam hoc est contra fœdus, a partibus tributis longe abire. Male Saguntini a medio B ad extremum jere. Et Romani in suum extremum recepere medium male. (*c*) Etiam quum dicitur, licere cuilibet non adscriptorum fœderi, ad utros velit, se conferre: non tamen pactum hoc est ita intelligendum, ut quid fieri inque perniciem partis alterius possit. Quod prudenter edisserunt Corinthii legati, ne se contra, fœderatos primos, susciperent Athenienses Corcyræos defendere. Sive igitur Annibalis partem consideramus, sive partem Romanorum, semper liquido injustitiam horum deprehendimus. Porro belli hujus secun- C di accessio est Hispania, in quam Sagunti prætextu malo exercitus transportarunt. Saguntum dicimus? (*d*) Ad fodinas auri petitam Hispaniam: ait testis magnus, Macchabeicus.

Auri sacra fames.

Numantiam in Hispania exsciderunt: (*e*) quam illic urbem injustissimo bello petierunt: ut sic Florus: cui urbi conventiones abruperunt: ut sic dictum antea: a qua urbe nullis condicionibus, nisi mortibus omnium mortalium, & ruina omnium rerum moveri potuerunt: ut omnis clamat histo- D ria. Nam quid de indignitate dicam, quod non nisi vincere fame Numantinos voluerunt? (*f*) *Neque dignum videbatur, famem hostium operiri*: Tacitus de Tito, qui Hierosolyma oppugnabat: locum illum munitissimum, & abnuentem impetus belli, (*g*) cum sine mœnibus, undique pervia Numantia esset. Turpissimi homines, toties cæsi innumeri a pauculis, vivere tantam virtutem, & testem superesse ignominiarum Romani populi, non tulerunt. Est belli secundi accessio & Sicilia universa: præda illa jam antea expetita, & per tot annos, perque tot discrimina deprædata. Age, fidelem socium te præsta, Hiero, E & amicum certum Romanis, age: nunc puero nepoti tuo nec parcunt isti, nec civitati tuæ. Sed in Corsos, residuam insulam, quæ caussa, aut occasio belli? (*h*) Incognitam sibi profitentur peritissimi antiquitatum. An fuit nulla? (*i*) In fœderibus Punicis fuit, ut Corsica media esset inter Romanos & Carthaginenses. Sed boni illi viri medium sic interpretari consueti, veluti suum. Non audivimus de Sagunto: In fœderibus deceptos Corsos, ante cognovimus. Et ita igitur Italiam habent, Hispaniam, insulas. Agite: in ipsam Africam trajiciamus: bella concludamus F Punica. Neque enim singula istorum bellorum exquirenda sunt per immensam orationem. (*k*) Quanta illa erat in primo injustitia, quod, redire Regulum, nollent? etiam juramentum redeundi nihili interpretantes, juratum vi. Sic senatus populusque, non propinqui soli reditum morantes. Hos tu damnas, Cicero, omnes: qui

a *Cic. Læl.* b *Plut. Ann.* c *Thucyd.* 1. d *Maccha.* 8. e *Flor.* 2. f *Tacit.* 5. *histor.* g *Lipf. de mach.* h *Sigo. de ant. ju. pro.* i *Serv.* 4. *Æneid.* k *Polyen.* 8. *Zon. Sui. Horat.* 3. *od.* 5.

Reguli reditum justum dilaudasti. Regulus & ipse injustus: qui contra susceptum legationis officium agit Romæ, & juste igitur necatus a Pœnis: & injuste igitur Romani tot nobiles Carthaginenses excarnificandos Reguli filiis in vindictam tradunt. En sævos: en injustos. Sævi in secundo bello cum homine mortuo: ut post dico, injusti in captivis perjuris ad Annibalem non remittendis, aut si remissos dicentibus credimus magis; etiam hoc faciamus, ut, quia remittere nolebant Regulum, de ipsis sit, (*a*) *Servandam in parvis justitiam, ut injustus esse in majoribus possis*. In vilibus capitibus colere justitiam voluere, qui colere in magno recusabant. Ceterum dico bellum tertium. Urbem Carthaginem, & Punicum imperium quo tandem jure, quibus artibus exstinxerunt? Jus dictum omnibus, quod æmulam in propinquo potentiam rebus tutam suis non censuerunt. Audiamus, quid tamen scribat historicus, (*b*) *Mihi, studiose quærenti, nusquam omnino caussa belli Punici tertii eluxit: alii volebant propter securitatem dirui: alii manere ad virtutem acuendam: igitur caussa non ex injuria lacessentium*. Audiamus alium, qui & de Scipione hic tradit, (*c*) *Eam urbem magis invidia imperii, quam ullius ejus temporis noxia invisam Romano nomini funditus sustulit*. Adde cum eodem auctore, *Magis, quia volebant Romani, quicquid de Carthaginensibus diceretur, credere, quam quia credenda afferebantur, statuit senatus Carthaginem exscindere*. (*d*) Catonis ficum meminimus, & cavillationes. Artes nihilo justiores in bello, consilia vaferrima, doli pessimi. Masinissam vicinum apponunt infestissimum: ad cujus injurias manifestas connivent: cum & possent, & deberent eas prohibere: & simularent, etiam legationibus missis, prohibituros. Quid enim, quid Livius? (*e*) *Masinissa, postquam infames Carthaginenses sensit, & discordes inter se, locum injuriæ esse ratus, agrum depopulatur*, &c. Quid enim, quid Numida ille obtendit, ut jure rapere Carthaginensium bona videretur? Scilicet Carthaginensibus in Africa nec terræ pedem extra Byrsam esse oportere: (*f*) tantum enim, & hoc tantum callidis Tyriæ commentis acceptum. Sed itane spernimus septingentorum annorum possessionem? & jura sic convellimus vetustissima? Et vobis igitur, Romani, probe Carneades, quod si justi esse velleris, ad casas redire vos, unde prodiistis primum, & imperium isthoc orbis terrarum relinquere vos oportuisset. Non ita a casis? (*g*)

Roma, nisi immensum vires promosset in orbem,
Stramineis esset nunc quoque densa casis.

(*h*) Etiam Romuli regis casa.

Romuleoque recens horrebat regia culmo.

(*i*) Etiam reliqua urbis sic erant, quod & alii canunt poetæ: (*k*) & ille sanctus,

Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo
Sic tradunt habitasse Remum.

Barbaram rationem barbari Numidæ. Age tamen, age rex Masinissa: obliviscere Hieronis liberos: inservi Romanorum cupiditati. (*l*) ne

a *Plut. de tu. bo. va.* b *Oros.* 4. *cap.* 23. c *Paterc.* 1. d *Plin.* 15. *c.* 18. e *Liv.* 34. f *Just.* 18. g *Ovid.* 2. *eleg.* 9. h *Virg.* 8. *Æn.* i *Prop.* 4. *eleg.* 1. k *Prud.* 2. *co. Sym.* l *App. Puni.*

A audi, quod in suis curiis, templisve differebant, abutendum te contra Carthaginenses ad suæ utilitatem reipublicæ. Et tu mox audies tui exscidium regni; connivente tuo hoc populo Romano ad mortes lamentabiles liberorum tuorum: & eas ulciscente mox ad prædam accipiendam adeo turpiter: ut verissime exclamasse sciamus nepotem tuum, (*a*) *Urbem venalem*. Sic regibus abusa omnibus Roma est. Sic sustulit omnes, quum opus servitio illorum postea non haberet. (*b*) Inservientes hi reges nominati, & habiti. (*c*) Sed ecce Pœni ad usque Romanorum pedes devoluti, intolerandam Masinissæ avaritiam, & superbiam
B conqueruntur; si trium rerum unam sinerent impetrari, rogant cum lacrimis: ut vel ex æquo apud socium populum, quod cuique esset, disceptarent: vel permissum sibi esset, ut adversus injusta arma pio, justoque se tutarentur bello: vel ad extremum, si gratia plus quam veritas apud eos valeret, semel statuerent, quid donatum ex alieno Masinissæ vellent. Et cetera, quæ exsecutus est ipse Livius. (*d*) Missi in Africam conciliatores; sed cum mandatis, ut faverent regi, quantum possent: & iterum alii cum iisdem mandatis clam, ut regis utilitatem promoverent. Et quidem sic negotium utrique conficiunt pro Masinis-
C sa. Neque dum quiescit is tamen. Et arbitros ergo Pœni rursus implorant. Et promissi arbitri, nec missi prius, quam speratum Romæ esset, victos Pœnos, victorem Masinissam exstitisse. Etiam probus ille Africanus missus: qui passus vigere inimicitias, qui pastus dulcissimo (sic & fari ausus) spectaculo, e colle prospectans prælia Africæ, sanguinem, & cladem Lybiæ, Numidiæque. (*e*)

Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos instructa tua sine parte pericli?

D Atque ita tandem quum prospicere ipsi sibi Carthaginenses cogerentur, violati fœderis rei facti, & hostes declarati. (*f*) Quasi scilicet aut lex, aut pactio valeat, ne quis se defendat. Bellum in eos simul indicitur, & infertur. Nam solennia illa, & justa, res repetendi, tum desierant. Excusationes eorum æquissimæ non audiuntur: jubentur satisfacere aliter: rogantibus, quid esset hoc *aliter*, non exponitur, nisi scire eos, & hoc *aliter*. At Pœni damnaverant jam omnes, quos fecisse contra fœdus, & voluntatem Romanorum credebant. Obsides nunc, & alia jussi dedunt.
E Ceterum, quod mandatum a principio fuit, consulibus idem nunc iteratur clam, non absisterent bello prius, quam diruta Carthago foret: quam tamen mensuram liberam, semper promittebatur. Rursum igitur jubent consules, arma tradi, & naves: & naves, & arma traduntur. Atque ecce profertur tandem arcanum: ad quod per tot frustrationes, & fraudes ventum est: & quod Pœnis probe antea fuit cognitum, nec arcanum. Subruenda Carthago est: urbs alia longe illinc ædificanda. Equidem exclamem, O monstra! Sed de civitate, quæ civibus, & hominibus constat, non de urbe, quæ in tectis, & parietibus est,
F Pœnis relinquenda libera, promissum est. Sed iterum, O monstra, & portenta terrarum! An potuit de civitatis libertate intelligi pollicitatio, cum cum esset jam a bello primo Carthago civitas vobis stipendiaria, & serva? Sic vos appellabatis Annibalem ipsum stipendiarium vestrum, & servum. Turpem vero captiunculam, vocularum

a *Liv.* 64. *Flor.* 3. b *Tac.* 2. *hist.* c *Liv.* 42. d *App. Pun.* e *Lucr.* 2. f *Bal.* 4. *consf.* 111.

nec certam distinctiunculam: quam nec admittere queant sine stomacho, qui a syllabis toti pendent, causidici. Quid recitem consulis orationem, hujus sceleris administri? qua deceptis Pœnis ruinam patriæ adprobare nititur, & novæ ædificationem urbis. Non est in parietibus respublica: est tamen in aris, & focis, (*a*) ut tu contra Pompejum dicebas Cicero: qui reliquerat urbem. (*b*) Ite Quirites, ite ad Camilli orationem: quæ vos in ruinis urbis vestræ, in ruderibus, in cineribus olim retinuit: & capeduncułam istam vestram urbis, & civitatis turpem, nefariamque vobis ostendet. (*c*) *Si transferre sedes cogerentur, major vitæ metus, quam mortis:* ait de Judæis Tacitus. Adeo nihil est solum patriæ? nihil ea terra, quam appellamus matrem? & assueta oculis regio? & cælum, sub quo sumus nati, & educati? Quid locus ille Carthaginis, ager, mare, loci genium? ubi parva exulum manus duce fœmina, inter tot vetustos principatus, inter tot gentes validissimas ita crevit, ut jam columen omnium facile esset, & censeretur. Ergo æmula illa imperii vestri: quæ & vos bonos esse cogebat, aut simulare: illa deleta Carthago est. Hæc in meridie, Numantia ad occidentem Solem Romanæ improbitatis, & feritatis insignia monumenta. (*d*) Quid loca, quid urbes peccavere? Quod tu dicis crimen in illis.

C A P. IX.

De Græcia, & Syria.

SED quid factum in Oriente? Corinthus, totius Græciæ lumen, eversa. (*e*) Et tu censes, M. Tulli, specie utilitatis in ea disturbanda, & evertenda peccatum. Nam historia clamitat, facinus indignum: quæ oppressa fuerit ante, quam in numerum certorum hostium referretur. (*f*) Illa commemorare non attinet, quæ Trogus, Pausanias, Polybius, & nemo non litteris tradidit, gesta a Romanis turpiter ad concilium dissolvendum Achajæ: unde Corinthus, & reliqua Græcia conflagravit. (*g*) Ita voluerunt & conjunctionem dissolvi Agrippæ, & aliorum in Syria regum, quod Josephus explanavit. Sane hoc vulgare, *Divide, & impera,* magistri omnis arcani imperii non ignorarunt. Ceterum ad initia ire oportet, & caussas decet intellexisse, cur Græciam Romani adeundam, armis Orientem aggrediendum existimarint. (*h*) Græcia petita a Philippo in servitutem, & Annibal ab eodem adjutus pecuniis, auxiliisque, fecerunt eum regem hostem, & arma Romana in Græciam devocarunt. Ita apud Livium. (*i*) Sed ab aliis audio, cultumque Philippum a Romanis postea quoque, quam illa Annibali præstita essent, & essent intellecta. (*k*) Ut, si dissimulatione, & tacito temporis aboletur injuria, cultu magis aboleatur. (*l*) *Si tu cum illo postea in gratiam redisti: si domi illius aliquoties fuisti: si ille apud te post cœnavit: utrum te perfidiosum, an prævaricatorem existimari mavis?* ais Cicero contra illum, qui inimicitias sibi dicebat cum Verre: & hæc tamen amici cum Verre animi signa dederat. (*m*) Etiam dominus servitium recipiens a vasallo inimico, feloniam videtur remittere, & injuriam, ut sic loquuntur, & censent feudistæ. (*n*) Etiam qui omittit agere, ut sit gratior, non recte postea pe-

a *Cic. 7. Att.* 11. b *Liv.* 5. c *Tacit.* 5. *histor.* d *Ovid. Met.* 10. e *Cic.* 3. *de off. Flor.* 2. f *Just.* 34. *Paus.* 7. g *Jose.* 19. *antiq.* h *Liv.* 45. i *Zonara.* k *l.* 11. *de inju. l.* 5. *C. eo. Bal. l.* 5. *C. fa. erc.* l *Cic. divin.* m *Iser. c.* 1. *de fe. si. cu. non am.* n *l.* 17. *de usur.*

A tet: ut divus Pius rescripsit. Perfidiosi igitur Romani. Attamen veteratores nobilissimi nunc non veteres obtendunt injurias, sed Græciæ libertatem unam. Ad quam videlicet defendendam rogatu accesserint Ætolorum. Quales socii! communes qui essent hostes omnium: rapacem semper, & ferinam ducerent vitam: nihil proprium cujusque, sed prædæ cuncta exposita deputarent: non pacis, non belli ullum observarent modum: sacrilegi: Græcis omnibus detestabiles: ut hæc, aliaque scribit Polybius plura. Ad prædandam igitur, non ad servandam Græciam profecti sunt: deducti a latronibus publicis: latrones ipsi, &
B latronum fautores certissimi. Numquid a sociis conjectura potentissima non fuit semper? Et ipsos non audivimus, vidimus latronum filios? Et ipsos (Romanos dico) non latronum intelligimus tuitores? (*a*) At superest vestigium legis duodecim tabularum, quæ piraticas societates adprobabat. (*b*) Exstat Alexandri, & Demetrii regum exprobatio Romanorum latrociniorum, & Romanæ piraticæ. Hæc piratarum latrocinia: quæ grassata maxime in Italia. (*c*) ut ait Plato. (*d*) Hæc tum Italia erat, Oenotria illa, Saturni latibulum, Evandri regnum. Caverunt sibi Cartha-
C ginenses adversus ea: in legibus primi fœderis adscribentes, Ne Romani ultra promontorium Pulcri navigarent aut mercaturæ gratia, aut prædæ. (*e*) Quid Senatusconsultum, quod data senatoribus impunitas tanti criminis est? (*f*) Et Balearibus tamen propter hujusmodi improbos paucos bellum inferunt. Propterea inferunt bellum Illyriis: cum horum tamen regina promitteret, effecturam se, ne qua a suis injuria publice Romanis inferretur. Nam de privatis spondere, aut præstare quis potest? *Singuli nec nocent universitati.* Hoc sub prætextu bellatum cum Histris, cum Dalmatis, cum Liguribus, cum aliis ab urbe con-
D dita: a prædonibus istis ab urbe condita: nec odio latrociniorum, sed quod soli esse latrones cuperent: latrones in bello, latrones in pace. (*g*) Judicium in Ardeatium, & Aricinorum caussa an obscurum? quo rem litigiosam neutri partium, sed sibi boni arbitri addixerunt. Judicium turpis in caussa Neapolitanorum, & Nolanorum ignoramus? (*h*) An mentitum te, Cicero, existimemus: qui, piratarum fidem meliorem, quam senatus, aliquando facis? An illic, ubi piratas immunes, socios vectigales vobis narras? Audin', piratas immunes? Adjunge aliis testimonium.
E Audin', socios vectigales? Adde (quod nunc dicimus) spoliatos, nudatos. Quid mihi paucorum paupertatem, aut etiam integritatem objicies: si opes aliorum immensas, & privatorum, & publici cernimus? Non ego Verrem accuso, sed populum everriculum orbis. Ceterum a bellis, & ab Ætolis non discedamus. (*i*) His auxilia nec summissa, at speculatores rerum Macedonicarum immissos, Pausanias notat. (*k*) Et itaque Ætolos desertos (Livii utor verbis) quibus voluit condicionibus ad petendam, & paciscendam secum pacem Philippus subegit. Atque hoc tamen in partem pessimam Romani capiunt: & Ætolis sic
F irascuntur vehementissime. Quid autem? Exscindi se, spectantes auxilia vestra, veluti Saguntini, exspectassent. Sic Saguntinis, sic Mamertinis, sic Ætolis, sic aliis post collisas omnium vires vos integri supervenire malebatis versuti. (*l*) *Non defendi homines sine vituperatione fortasse possunt, sed defendi negligenter sine scelere*

a *l. ult. de colleg. Bod.* 3. *de rep.* 6. b *Stra.* 5. c *Pla.* 6. *de legi.* d *Virg.* 3. 8. *Æn. & Stra. lib.* 6. e *Dion.* 49. f *Stra.* 3. g *Diony. ult. Liv.* 3. *Val.* 7. *cap.* 3. h *Cic.* 3. *de off.* i *Paus.* 7. k *Liv.* 29. l *Ammian.* 30.

non

non possunt. Cicero dixit. Quid igitur vobis hic est, qui Ætolos defendebatis & negligenter, & fraudolenter? Verum elegans est commentum alterum, quo in Ætolos ipsos moventur pro Acarnensibus. (*a*) Nempe soli Acarnanes Ilium non profecti olim: & matrem illam Æneadum cum reliquis Græcis, & cum his ipsis Ætolis non oppugnarunt. Putabamus, Romanis ingeniis usquam defuisse acumen? (*b*) Sic sane Turca mirabatur, Italos pro Græcis stare, non potius secum ire (*c*)

Ultum avos Trojæ, templa & temerata Minervæ.

(*d*) Atque tandem hos ipsos socios Ætolos: quorum inductu, opibusque vicerunt Macedoniam, suum sub imperium cur redegerint, si quis de Romanis petat; responsum non accipiet magis, quam hoc ipsum interroganti alicubi Alexandro responderit Julius Cæsar. Ætolorum casu oppressus Antiochus, & in regna Orientis penetratum est. Quæ quidem regna attrectarunt certe impudenter: si ((*e*) quod est in historiis) Judæis a rege suo deficientibus libertatem tribuerunt, fœderatos se adjunxerunt: libertatem (ait Trogus) facile largiti sunt de alieno. (*f*) Videlicet hæc quoque species lucri est, utcunque inodori, (nam furtum est) de alieno largiri. At his furibus omnibus, non uni eorum sordido, bonus odor lucri ex re qualibet. Sic tenent Græciam. Quomodo insulas Græciæ? (*g*) Creta est Metelli præda perfidiæ, & ambitionis: & Cretici tamen cognomento insigniti ad laudem posteritatis: ad æmulationem Macedonici, Numidici, Dalmatici, Balearici, itidem Metellorum. *Fato Metelli Romæ fiunt consules*. Sed Macedonicus factus: nec tamen cum justo hoste rem habuit in Macedonia. Factus Numidicus: cum ejus successor provinciam illam vicerit, & Jugurtham regem. Factus Dalmaticus: de amicis, & hospitibus agens triumphum, & nomen referens quod Appianus ait: Factus Balearicus, factus Creticus: quemadmodum modo dicebamus. O vanos, o iniquos! (*h*) Tenent Cyprum, Clodii quæstum turpissimum, ab omnibus scriptoribus vituperatum: a Catone tamen illo sanctissimo, an perinvito? itaque factum civitatis condemnante: sed certe non sine grandi nota avaritiæ intolerandæ confectum, ut qui etiam venena vendiderit: (*i*) quæ perdi, volunt leges, & corrumpi protinus. Nunc de Antiocho absolvamus. (*k*) Blanditi & huic sunt muneribus, legationibus, dum simul timent a Philippo: insultarunt mox: & nullam pacis, aut honestæ, aut tolerabilis, spem reliquerunt. Ita & cum Perseo post: ita cum aliis egerunt omnibus. Ut, si quid secum non probe actum caussati semel potuerint, id alia ratione emendari passi sint numquam adversæ partis exscidio supremo. Nam quod illud a Perseo actum est, quod expiari non potuerit aliter, quam si se, regnumque suum, & sua omnia dedidisset? Vestris amicis injurius fuit? Imo his restitit, injuriam, & arma inferentibus. Qui vestræ controversiæ cardo est. Si enim vera Persei est isthæc defensio, quam (*l*) Livius recitat: nihil attinet, de jure fœderis disputare. Sed & fœdus amplexurum se Perseus, quod contraxerat pater, jam ait: & jam sic potest. (*m*) & in contractibus bonæ fidei (quales omnes sunt principum) semper

A admitti debet purgatio moræ, quod omnes tradunt interpretes juris. Purgatio moræ fundata in æquitate est: & itaque Canonico jure, quod æquitatem respicit, semper admittitur: coram principe, qui æquitatem respicere habet vel maxime, admitti debet vel maxime. Sed ecce, etiam Perseus, satisfacturum Romanis per omnia, etiam quum vicisset nobili prælio, spondet ultro: nec auditur, nisi se dedat, & de summa rerum senatui liberum permittat de se, deque universa Macedonia statuendi jus. (*a*) Sed hoc jus non est, sumere bellum quasi in injurium, qui jure agere, & satisfacere paratus est. Fœdus abrupit? Pœnituit. Vos igitur abrum-
B pitis: qui pœnitentiam non admittitis. (*b*) Si pœnituit eum, qui libellum divortii dedit: at is, qui accepit, matrimonium solvere voluit: & per istum solvi matrimonium dicitur. Ecce pœnamque spondet Perseus, non affert vobis pœnitentiam solam. (*c*) *Est autem ulciscendi, & puniendi modus*. Haud autem scis, Cicero, an satis sit, eum, qui lacessierit, injuriæ suæ pœnitere? (*d*) Aristoteles ait, & cum Aristotele interpretes juris, nihil errare judices, qui liberent reum usque adeo emendatum, ut nihil præterea delinquere velit. An tu nescis, M. Tulli? At scis tamen, & dicis satis. At etiam scribis ro-
C tunde, *Ulciscamur eos, qui nocere nobis conati sunt: tantaque pœna afficiamus, quantam æquitas, humanitasque patiatur*. An ergo Persei facinus tantum, quod dictam a vobis mereretur pœnam? (*e*) Justum est bellum pro rebus repetendis, sed quoadusque sit satisfactum. Vere hic, vere, quod ait Pindarus, (*f*) *Contentionem, susceptam adversus potentiores, deponere, difficile*. Etiam quid Antiochus tantum meruit mali, ut nisi maxima imperii parte spoliatus, ingenti stipendio oppressus, immani pecuniarum summa mulctatus, classe exsutus, elephantis privatus, pacem a vobis nequierit obtinere? O profundam imperii cupidinem, & divitia-
D rum! Hæc una bellandi caussa dicta Sallustio vestro, an non de vobis? Annibal certe, quum rex iste splendidum belli in vos apparatum suum ostentaret, satis, inquit, Romanis, etsi illi avari valde sunt.

CAP. X.

De Mithridate, & Annibale,

Superest Mithridates. Hunc artibus consuetis circumventum a Romanis, liquet. (*g*) Nam scimus, instigatum Nicomedem, qui fines Mithridatis infestaret: & vinceretur: itaque pro victo
E socio bellum ipsi susciperent, & vincerent victorem regem. Hoc istorum institutum perpetuum, tentare per alios prius, quem ipsi aggredi constituerent: ejus vires imminuere, certe intelligere, & artes cognoscere in re præsenti, & in ipso experimento, non per conjecturas, & ambages, quæ fallerent. (*h*) At justitiæ colorandæ & illud Jasonis Thessali didicere, *Opus esse, ut jure facere injuriam possis, alium tibi fuisse injurium prius*. Atque hoc aliud Romanæ dominationis arcanum fuit: ut tenderent amicitias late, & acciperent in societatem plurimos: non ideo ut amicos, sociosque de-
F fenderent, & ornarent: sed ut illorum occasione alios opprimere possent, qui sociis suis: & amicis molesti esse viderentur. *Noster populus sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est*: ut erat Ciceronis testimonium. Atque ut hoc est defendere, si evertas omnes, & cuncta rapias ad te unum. Hoc est patrocinium, (*i*) quod itidem

a *Justi.* 28. b *Mont.* 2. *ess.* 36. c *Virg.* 6. d *Julia. Cæss.* e 1. *Macc.* 14. *Just.* 36. f *l.* 54. *de fur.* g *Dio.* 36. *Flor.* 2. h *Amm.* 14. *Dio.* 38. *Cic. pro Sex. & Sex. Ruf. Flor.* 3. i *l.* 4. *fam. erc.* K *Zon. Liv.* 33. l *Liv.* 42. m *Dec.* 2. *cons.* 12.

a *Thucyd.* 1. b *l.* 7. *de divor.* c *Cic.* 1. 2. *de off.* d *Decian.* 2. *cons.* 5. e *Cur. Castr. l.* 4. *de ju. & ju.* f *Pind. Olymp.* 10. g *App. Mithrid.* h *Arist.* 1. *rhet.* i *Cic.* 2. *de off.*

Cicero jactat, orbis terræ, si orbem terræ exsuas libertate, dominationi tuæ subjicias. Sic sane, sic fuit illa sociorum defensio, quemadmodum & Cæsar contestatur, (*a*) *Majores nostri tantam urbem nostram fecerunt, cum suas fortunas, tamquam alienam possessionem, semper periculis objecerunt: aliorum autem ditionem, tamquam pertinentem ad se, haud cunctanter suam facerent.* Itaque vicerint Mithridatem: & regna illius sua fecerint (*b*) Vicerint Mithridatem: *Pompejus per ambages, & moras fregerit invictum*: ut sic Ammianus. Vicerint Mithridatem, *omnium sui juris regum ultimum: bello acerrimum, virtute eximium, aliquando fortuna, semper animo maximum*: ut sic est Paterculi testimonium. Ego tamen quid dico victum? Etiam hic parricidas Romanos defero. (*c*) Aut si filio Pharnaci auctores parricidii non fuere: ei cur in parricidii præmium tribuere regnum paternum? cur sociis, & amicis parricidam adscribunt? (*d*)

Cæsaris injussu cecidit Farnesius heres
At data sunt jussu præmia sicariis:

cecinit ille in Carolum quinctum: qui suo cæsum jussu negabat Farnesium, Parmæ ducem: sed, præmia sicariis a se data, negare non poterat. O mendax carmen, (*e*)

Romani scelerum semper sprevere ministros.

(*f*) Proditori arcis Artenæ, præter libertatem, an non etiam duarum familiarum bona in præmium data? (*g*) Demetrio proditori Illyriorum non præmia contributa? (*h*) Papirius Cursor (laudatos laudo) non corrupit Tarentinum legatum: qui arcem sibi proderet? (*i*) Quid dicam Metelli, illius Numidici, plura ejuscemodi tentamenta? (*k*) Ipse Bocchus non socius populi Romani dictus, ac multa Numidiæ parte donatus: quia Jugurtham prodidit socerum parricida? O solentissimum usque a patre Romulo Romanorum crimen. At pergo, Magni Pompeios illud accusare probum, cetera non probum. (*l*) Albanos, & cognatos, & nactis securos, opprimit. (*m*) *Albani, memores Italicæ originis, exercitum Cn. Pompeii fratres salutavere.* Perfidus Phraati est. Antiochum spoliat regno Syriæ, inermem, & numquam de populo Romano meritum male, prætextu inepto. Hujus est probi oris vox illa improbissima, *Armatus ut leges cogitem?* Et propter hæc, quæ ad animum suorum pertinebant, dictus iste Magnus? Aut adulati sic sunt homini: qui longe inferior prioribus ducibus? (*n*) sic ajunt. Sed & Pompejum mitto. Et quemadmodum rapior huc, illuc Romanorum sceleribus plurimis, ita & feror oratione, nec satis cum certo ordine. Ecce vobis Mithridates, eximius ille, & acerrimus, & maximus, parricidio Romanorum in Septentrione extinctus: & ad eam partem terrarum, quæ superesse videbatur incontaminata, scelerum Romanorum monumentum jacet. (*o*) Nescis, Viriatum in Hispania? Non diximus, Jugurtham in Africa? Annibalem apud suos in Africa, apud alios in Asia, & Europa turpibus petitum dolis Romanorum, ignorat nemo. Equidem audio numquam Annibalis vocem illam supremam, (*p*) *Liberemus diuturna cura populum Romanum: quando mortem senis exspectare longum censent: & legatum consularem, qui auctor*

a *Dio.* 38. b *Pater.* 2. c *Dio.* 37. *App.Mithr.* d *Nat. Co.* 3. e *Claud.* f *Liv.* 4. g *App. Illyr.* h *Front.* 3. i *Sallust. Jugur.* k *Sigo.* 1. *de an. ju. pr.* 17. l *Dio.* 37. *App.Syr.* m *Justin.*42 n *Julia.Cæss.* o *Justi.*31. p *Liv.*39.

A *esset Prusiæ per scelus occidendi hospitis, miserunt:* hanc ego Annibalis orationem numquam memini, quin ad immanitatem, & turpitudinem Romanam non cohorrescam. (*a*) Nobilissimum illum ducem: cujus parem sol hactenus non aspexit: qui magis noluit, quam nequiit, Romanos vincere; aut potuerit vincere, nisi domi civium suorum invidia debilitatus fuisset: qui Romanos in Italia vicit semper: & post Cannensem pugnam castra in campo contraria non invenit: callidissimo etiam verba dedit Fabio: & invictus defensum patriam revocatus est. Ut hæc Cornelius Nepos. B Hunc ducem dum crudelitatis, impietatis, perfidiæ video accusari a Romanis testibus, non commovear vehementer? Ec quæ tu crudelia, Livi, impia, perfida Annibalis recensere potes? (*b*) *Jussit, puberes Sagunti omnes occidi crudele, ceterum & necessarium*, ais tu: & justum ego ex jure belli defendo: adeoque nec fuisse crudele. Quid Romani tui? (*c*) *Ænnam aut malo, aut necessario facinore retentam*, scribis, a tuis, & exsecrabile facinus nec a Marcello improbatum. (*d*) Quid in eadem Hispania cum Numantinis egit Africanus? Fame eos confecit, morte longe sævissima: dum conditionibus nullis eos excipit, C vere crudelis: nec armis sperat urbe potiri, pro timido sapiens nuncupatus. An conditiones Annibal nullas Saguntinis tulit? Ubi crudelitas? An non capit vi Saguntinos, & per virtutem? Quid in bello isto cum Annibale Maximus ille, unus qui cunctando vobis restituit rem? Proditione Brutiorum Tarentum recepit: sed, ad hanc proditionis famam exstinguendam, ante omnes trucidari Brutios imperavit. Cæsi & Tarentini plurimi, & venditi reliqui sub hasta sunt. Is perfidus, is crudelis. (*e*) Et vero sic traditur perfidiæ, & crudelitatis aspersus nota. Numquid tamen singula memorem singulorum? (*f*) Romani non modo homines D quosvis in captis civitatibus obvios cædere, sed & canes dissecare, & alia animalia membratim truncare soliti. Adde alia Annibalis, Livi, *Vicuvias, tamquam vi captas, non deditas, diripiendas tradidit.* Sed non me dies deficeret, si talia laudatissimorum Romanorum exponere velim? (*g*) Quid enim de Pomœtia scribis tu actum a tuis? *Nihilominus fœde actum cum ea dedita, quam si capta foret, principes securi percussi, alii venditi, urbi diruta.* (*h*) Quid unus ille in optimis optimatum Æmilius, imo quid senatus cum urbibus Epiri egit septuaginta? Sub amicitiæ specie eas ingressus, dolo malo, pejori perfidia, mendaciis turpissimis, diripit, & subvertit, & mil- E lia capitum centum quinquaginta rapit in servitutem. Non recito, quæ sunt innumera. Sed an Vicuvias tu non vi captas existimas? ad quas in eruptionibus pugnatum: ductus exercitus victor duorum consulum est. Num censes, agi tamquam cum deditis oportere semper, ubi se dedant aliqui, etsi isti jam, jam capti forent? Quid igitur prohibet, quominus vi capiatur nemo? Sed, Livi, perge. (*i*) *Maharbal fidem dat dedentibus se, abituros incolumes Annibal (quæ Punica fides) in vincula omnes conjecit.* Et judicas igitur, injussu majoris ducis posse minores pacisci pacta isthæc F cum hostibus? (*k*) Eccur igitur Masinissæ pacta cum Sophonisba sibi Scipio servanda non ducit? Quanti res muliercula una, ut de ea rex Masinissa pacisci nequierit? nihili vero tot illi milites, de quibus pacisci Maharbal quierit? Aberras, Livi, a jure. (*l*) Hoc dicebat Annibal quod est juris,

a *Cor.Ne.Ann.Plut.de for.Ro..App.Ann.Justi.*38. b *Liv.* 21. c *Liv.* 24. d *App.*4. *civili.* e *Plut.Fab.* f *Vopisc, Aurelia. Polyb.* 10. g *Liv.* 2. h *Plut. Æmi.* i *Liv.* 22. k *Liv.* 30. l *App. Ann.*

Maharbalem suo injussu pactum facere non potuisse. Et illos captivos tamen dimittit Annibal mox, pusillo nescio quo adjecto ad conditiones liberationis. Sapienter: ne videri posset, crudelitate, avaritiaque magis, quam tuendi caussa juris imperatorii, irritam fecisse Maharbalis pactionem. Nunc loquatur Livius: si plura habet. (*a*) *Annibal, quas tueri urbes nequit, spoliat, ut vastata hosti relinqueret: præceps in avaritiam, & crudelitatem animus*. Hoc videlicet ejus historici magni imperitiæ juris bellici testimonium magnum est. Num est injustum perdere hostilia, & hostibus incommodare? (*b*) Fruges, loca, alia, quæ defendi nequeunt nostra, perdi licite possunt, & quotidie solent. (*c*) Politorium tui diruunt Romani, ut tu scribis, ne hostibus foret receptaculum. Et hæc sunt omnia, quæ narrare contra Annibalem potuisti? (*d*) Ejus singularem humanitatem, & benignitatem cum captis ad Trebiam, ad Thrasymenum, ad Cannas notasti tamen. Fidem erga præsidium Casilini asseruisti. Pietatem in Gracchi, Æmilii, Marcelli exsequiis suspexisti. (*e*) De qua alii, & poetæ exposuere magnifica:

Credas, Sidonium cecidisse ducem.

(*f*) Etiam Flaminii corpus, ut funeraret, decoraretque virtutis caussa, quæsivit magna cum cura. (*g*) Aut quæ illa hujus invisi ducis vox ad Cannas, *Parce ferro*, suos a cædibus revocantis? Quid jam post hæc omnia Romani? (*h*) Sæviunt in cadaver Asdrubalis: cujus præcisum caput ante Punica castra, & ante Annibalis fratris oculos abjecerunt: itaque humanitati, & pietati Annibalis gratias retulerunt. Itane barbari? Ista aut belli jura sunt in hostes cæsos? Aut hostes jam sunt, qui cæsi sunt? *Neque enim finito Marte vocandus hostis est*. Itane belli jura cum captivis Pœnis? (*i*) *ne minus decem pondo compedibus vincti in carceris publici custodia essent*. Sic, sic Romani. (*k*) *civitas minime in captivos jam inde antiquitus indulgens*. Quo me tamen justa illa indignatio, & justa hæc Annibalis defensio traxit? De Mithridate erat oratio? Qui per dolos, & injustitiam Romanorum tractus in bellum: & eodem modo dolose, injuste exstinctus est. Primum, & postremum dixi: de quibus medium, tempus annorum ejus belli sex & quadraginta, tacite censeamus. Quis Murenæ improbitatem abominetur satis? (*l*) Bellum a Sylla compositum suscitat per suam triumphi nescis cujus cupidinem. Et fœdera ei cum objectarentur, hæc negat impudens: videlicet quia non perscripserat ea, contentus exsecutione pactorum, Sylla. Rex legatos usque mittit Romam: ubi Syllaque censet indignum, infestari fœderatum Mithridatem bello. Et egregius quidem senatus palam jubet, desistere a bello Murenam: clam autem contrarium monet. (*m*) *Nullus clam facit, nisi sciat illicitum. Qui male agit, odit lucem*. Specta regis fortissimi patientiam, & æquanimitatem: qui interim dum agit rem per legatos Romæ: non Murenæ deprædanti omnia, etiam sacra, occurrit: at reditum legatorum quietus exspectat. Eadem & usus patientia primum, antequam contra Nicomedem, & Ariobarzanem, illos emissitios, commoveretur. Neque tamen adnotabo singula, & quod feci in tota hac mea defensione orbis, id hic quoque teneo: ut pauca de plurimis aperiam Romanorum facinora. (*n*) Ergo tentatus Mithridates insidiis per hospitem Attilium: tentatus per Archelaum ducem: quem Sylla, gnarus bene gestæ rei contra Jugurtam, ad proditionem sollicitavit. (*o*) Etiam Africanus ducem Carthaginensium sollicitarat. Sed Mithridates parricida tan-

A dem confectus, ut dixi, manu. (*a*) Magnus ille etiam Hiempsalem armavit contra patrem: etiam & ornavit eum regno paterno parricidam. Idem nunc agit cum Mithridate. (*b*) Atque Mithridates rex exstinctus totum Septentrionem ruina sua involvit. Hæc autem juventus dicitur ejus populi: quum prolata arma sunt extra Italiam, perque omnes partes orbis circumlata terrarum.

CAP. XI.

De Cæsaribus.

B VIdimus Romulos in infantia, & reges reliquos. Vidimus in adolescentia Brutos, Scævolas, Camillos, Posthumios. Vidimus in juventute Fabios, Africanos, Catones, Martios, Metellos, Claudios, Magnos. Vidimus hæc urbis lumina, & urbem totam. Et pervenimus jam ad Cæsares: quibus quasi filiis tradidit se Roma in senectute, (*c*) ut loquitur Ammianus. De Cæsaribus autem quid dicemus? An filii meliores, quam parentes fuerunt, aut quam ipsa exstitit mater? Progenies patribus vitiosior. (*d*) An expedierit, nec ne nasci Julium, quæstio est. (*e*) Hic vir, hic est, qui prætor turbavit quiescentem Hispaniam, C & a bello in bellum rapuit: qui Galliam quietissimam proconsul commovit, & afflixit totam: qui adiit Britanniam istam sepositam: & magnam Germaniam attentavit. Et profunda illa imperii cupido motuum caussa tantorum: quæ & ad lacrimas adegit hominem: quum Gadibus statuam Alexandri vidisset: simul & meminisset, se nihil ea ætate magnum egisse, in qua Asiam Alexander domuerit universam. (*f*) *Sic belli occasione, ne injusti quidem abstinuit, tam fœderatis, quam infestis gentibus ultro lacessitis*. Sic M. Cato, dedendum his gentibus auctorem hunc Cæsarum, censuit, iniqua inferentem bella. Sed te, Cato, non audivit pul- D cra Roma: non purpurea secuta est curia, *prospere decedentibus rebus*: ut ait historia. Quamquam & solens Romæ, agi cum Gallis improbe. Meministis, nec deditum Fabium Gallis, violatorem juris gentium sanctioris. (*g*) Meministis perfidum Domitii factum cum Arvernorum rege, quod nec rescidit, sed adfirmavit senatus. Meministis alia. Non gessit alia Julius occupata republica: & illico periit. Filius Augustus movit Cantabris bellum. (*h*) Nam angebatur, non esse suum in Hispania illud Cantabriæ terræ perpusillum. Movit bellum Pannoniis: ut arma exerceret Romana: quod antea dictum est. Cicero, quid ille Brutus tuus in bellorum E caussis dedit symbolæ? (*i*) *Progressus sum ad inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quam cupiens militibus satisfacere*. Cæterum quæ privatæ horum, & Cæsarum filiorum cupiditates nunc dici valent, eæ matri venerandæ non adscribantur. Et ipsos quoque quid insecter oratione Cæsares? Quid Julium, ceterosque vincam tyrannos? in quo nomine uno scelera omnia concluduntur. Ille Julius Nicomedis sponda. Patrui Augustus sponda. Nequam Tyberius. Furiosus Cajus. Stolidus Claudius. Parricida Nero. Spurcus Galba. Luxuriosus Otho. Lurco Vitellius. Sor- F didus Vespasianus. Hypocrita Titus, Sanguinarius Domitianus. (*k*) Corruptor adolescentis principis Nerva: ipse nullus. Vinolentus Trajanus: herba parietaria: infamis flagitii compertissimus. Adi mihi unum Suetonium: qui licentia pari Cæsarum scripsit vitas, atque illi egerunt: Et sub istis principibus regna titulo (ut volunt) justissimo quæsita plurima per testamenta. De quibus scilicet ab-

a *Liv.26.* b *Bal.l.3.de di.re* c *Liv.1.* d *Liv.22.23.* e *Val.5.c.1.Sil.10.15.* f *Plut.Fab. Liv.2.* g *Jor.de re.succ.* h *Liv.27.* i *Liv. 32.* k *Liv.23.* l *App. Mith.* m *Serv. 1. Æneid.* n *App. Mith.* o *Liv. 50.*

a *Manut.agr.2.* b *Flor.3.* c *Amm. lib.14.* d *Sen.5.nat.q.* e *Dio.37.38.40.Suet.7.Plut.apoph.reg.& du.* f *Suet.24.Plut.Craſ.* g *Val.9.c.6.* h *Oros. 6.c.21.* i *Cic.11.fa.4.* k *Suet. Dom. 1. P. Dia. Eu. 12. Amm.2[illegible].*

jecti heredes fuere naturales: quorum jus non a voluntate regis, sive morientis, sive desipientis, sed ab immutabili successione, aut a certo pendet consensu populorum. Quis Asiam vobis reliquit? (a) Ille parricida scelestæ rabiei: qui, mox pœnas pendens manibus interfectorum, non aliquod signum sani hominis habuit. Adi Trogum. Sed neque sapientissimi hæc est facultas. Quod, quod enim in regnum est jus, id cum regis vita protinus finit. (b) Amplissima papæ Romani potestas limitibus vitæ continetur. (c) Feudum, quæsitum descendentibus ex investitura, nequit post mutari pacto ascendentium, etiam si ipseque velit feudi dominus. (d) *Habeat*, inquiebat rex Gallus, *regnum Carolus, Balbi filius; a quo amovere orbis terrarum nequit universus.* (e) Inquit Baldus, *Regnum quis, velit, nolit, transmittit ex majestate radicis: quæ semper radicat.* Non est, sane non est lex ulla, aut ratio, quæ principi de imperio faciat potestatem testandi: ut privato de rebus privatis facit. Quod si etiam dari testamento regnum potest, cur non etiam contractu? cur non donari? vendi? & veluti venalia pecora haberi homines? (f) Subditi non ejusmodi sunt liberæ voluntati, sed ut regantur commodius. Absolvo Cæsares. (g) Occiditur Julius. Veneficio uxoris perit Augustus. Strangulatur Tyberius. Interficitur Cajus. Veneno Claudius tollitur ab uxore. Nero sui carnifex. Trucidatur Galba. Otho jugulum aperit sibi. Vitellium & cum ludibrus tollunt. Vespasiano mors a Tito filio. Tito mors est a fratre. Domitianus gladio occumbit. Trajanus ab uxore conficitur, & a filio. Nullus Nerva nullus obiit. Hi sancti principes: ille populus sanctus, atque ista Palatinæ urbis virtus: cui parere orbis terrarum debuerit universus.

CAP. XII.

De Romanis, & Alexandro

AT fortuna factum Romanum imperium, Plutarchus disseruit. Fortuna muliebris servavit a Volscis urbem, & illi muliebri positum templum fuit. Anser a Gallis servavit urbem.

Romulidarum arcis servatur candidus anser: Lucretius. *Mira fortuna, viros, qui universum orbem erant missuri sub jugum, avis una servavit:* Vegetius. (h) Et itaque prima censoris cura, locare illis avibus victum in Capitolio, quod Plinius narrat: & quis non? Quid, quod refert urbis augmentum Augustinus in sacram quandam occasionem? Putat, Babylonem in Occidente quoque esse oportuisse. Quæ hæc fuerit urbs amplissima, plena confusionum, atque blasphemiarum. Audistin' qui in Babyloniæ campis minitatus cælo est? (i) Audi Cæsarem ferocientem, *Decem habere legiones populum Romanum quæ etiam cælum diruere possent.* (k) Audi Prosperum, *Quis non intelligat, quam dicat apocalypsis ferentem poculum plenum exsecrationibus immunditiæ, & fornicationis terræ? æterna cum dicitur, quæ temporalis est, utique nomen est blasphemiæ.* Urbs æterna sic audiit Roma apud Ammianum, & alios. In hæc tamen mysta non penetro, at de virtute exputo. Disserit idem gravissimus auctor Plutarchus de Alexandri virtute. (l) Cui Livius dictam virtutem Romanam, late secedens a suo opere, præponere non veretur. Ita cæcus ubique ab amore suorum est. Et suis illis Corvinis, Torquatis, Deciis, Papiriis non fuisse in Alexandri exercitu, qui objicerentur, deme-

A minit, Ptolomæos, Lysimachos, Seleucos, Antigonos, Antiochos, Eumenes, alios plures, viros regales, & quos regno Alexandri non indignos, qui nec Alexandri virtutibus inferiores fuissent, veterum sententiæ singulos censuerunt. Sed & qui illi Corvini? Quibus item avis & victorias dedit, & nomina. Qui Torquati? stolidi viri: feræ immanes. Qui Decii? Præstigiatores, & necromantici. (a) *Incurrite mecum & prosternite humo juvenem magica arma moventem.* Nos contra Decium utrumque, quam ille dixerit contra Perseum, dicimus justius. Qui Papirii? Respondeo, supra responsum esse. Hæ sunt illorum virtutes, qui senes, B pueri occurrere Alexandro, & florentibus Macedoniæ viris habuerunt. Hic ille senatus Romanus, qui sedens intra pomœrium urbis gerere bellum habuit cum Alexandro, & senatu ejus regis, in castris, in aciebus agente. Ego tamen quid abeo in disputationem novam, qui propositam actionem ferme absolvi? Paresne Alexandro fuissent isti: (b) qui Alexandrum, in alio propemodum orbe versantem, venerati legationibus sunt? Et illic veriti sunt Alexandrum (c) Tu enim ais, M. Tulli, nomen ipsum legationis ultro missæ signum esse timoris videri. Aut quid vobis erat & Alexandro? Ubi C factum non habet nisi caussam unam, factum ex ea caussa credere necesse est. Vel timuistis postea Philippum, & Antiochum, regulos, si conferas Alexandro, at Alexandrum non timuistis? Vos pares Alexandro? qui Pyrrho (quantulus & iste rex, Alexandro admotus, & regnis, & exercitibus Macedoniæ?) Pyrrho ita concesseratis: (d) ut vester cœcus optaret se surdumque, ut quemadmodum ora intueri vestra pallentia, frigidaque non poterat, & reliqua timoris signa certa, ita nec audire consilia abjecta, & complorata valeret: Isthæc solennia vobis, pavere, & desperare. (e) Et sic vestra illa erant tacita SCta: quum vis ab hoste immineret, quæ vos D cogeret vilia (ut dico) captare consilia. Annibal unus, civium suorum odiis jactatus, fortuna civitatis suæ destitutus, barbaro Hispanorum exercitu stipatus maleficio, victor per magna prælia insultavit portis urbis, & Italiam annos sexdecim insedit: de qua nec ductus, nisi juvenis unius fortuna: (f) ut sic Scipionem acres judicio viri fortunatum utrumque, magis quam fortem, viri in populo vestro principes censuerunt. An vero defuisset fortuna Alexandro: quem dicitis fortunatum omnes? cujus virtuti comitem fortunam dixissetis æquius: aut etiam ancillantem, cum Plutarcho verius. Non Macedonum odia potuistis sperare, non infidelitatem. E Aspicite, si quando versatur in periculo Alexander, quemadmodum pro salute illius commoveantur; ruant in ferrum, penetrent arces, & limina pervadant inaccessa. Aspicite, si quando illis subiratus fuit, quemadmodum jacent in luctu, vivere nolunt; & vitam tum demum, ac Solem putant redditum sibi, quum sibi propitius redditus est Alexander. Nam quid attinet hic enarrare, quomodo fracti, laceri, confecti senio secuti eum sint per tot annos continuos, per tot ferocissimas nationes, per loca fera, per discrimina rerum omnium, per infinitam viam? Quid mærorem, squalorem, prope mortem omnium in ipsius unius morte? Aut quid est, cur F caussa tanti amoris, tantæ fidei indagetur, si fides cernitur, & amor? Etiam ille exercitus veteranorum erat (& hoc nota) Philippi patris, regis sapientissimi, exercitatissimi, (g) discipuli Pelopidæ, & Epaminondæ. Sic Alexandrum colebant natum sibi regem, diligebant veluti filium, amplexabantur alumnum. Non sperare cum Alexan-

a *Justin.* 36. b *Alc.* 4. *consf.* 2. c *Alc.* 9. *consf.* 17. d *P. Æmil.* 3. e *Bal.* 2. *consf.* 275. f *Alc.* 5. *consf.* 23. g *Xiph. Cedr. Philostr.* 6. *vi. Ap.* h *Cic. pro Ro. Amm. Plut. pi. R.* 98. i *Hirt. Hisp.* k *Prosp. di. te. c.* 7. l *Liv.* 9.

a *Ovid.* 5. *Metam.* b *Pli.* 3. *c.* 5. c *Cic. phi.* 5. d *Plu. nu. sc. ge. re. Val.* 8. *c.* 3. *l.* 2. *de orig. ju. l.* 1. *de postu.* e *Capitol. Gord.* f *Spar. Nigr.* g *Diod. Sic.* 17. *Justi.* 6. 7.

dro licebat; non illa, quæ vos Annibali subduxerunt. (*a*) Etiam scriptum est a Polybio, quod si Annibal, omissis Romanis, intulisset primum bella aliis gentibus, utique vincere potuisset omnes: &, victis reliquis, vincere etiam Romanos potuisset. Et hoc igitur Alexander, subacta plurima Africa, universa Asia, cum tantis Europæ opibus, Macedoniæ, Græciæ, Thraciæ, Illyrii, non effecisset? (*b*) Quem unum juvenem regem Annibal sibi, & Pyrrho, & omnibus in re militari, & in arte imperatoria præferebat. Merito. (*c*) Audi de Alexandro virum sapientem: hoc est, loquentem decenter, non indulgentem affectibus: *Solus a condito ævo fortuna sua major: successus amplissimos & provocavit ut strenuus, & æquiparavit ut meritus, & superavit ut melior: solus sine æmulo clarus: adeo ut nemo ejus audeat vel sperare virtutem, vel optare fortunam. Alexandri facinora fatigaberis admirando*: & cetera: quæ Apulejus habet. Sed illic ridendum utique fuit: ubi Livius terrere vanis etiam imaginibus pectus cogitat Alexandri. Saltus Apuliæ, Lucanos montes, vestigia recentia domesticæ cladis, ostendit. Et suavis sane sonus illorum verborum est Livii: & de quo dulcis nescio quis error accidere ad aures potest, sed qui tamen non pertingat, pertentetve pectora, non pectus illud Alexandri ullo motu. Nam quid aliud ostendit Livius tandem, aut quid insinuat Alexandro, nisi ut caveret insidias Lucanorum: (*d*) quibus & Romanus proconsul absumptus est? Caveret sicariorum perfidiam: (*e*) qua ille avunculus Alexandri occubuit: postquam Brutias sæpe, Lucanasque legiones fudisset: Heracleam Tarentinis, Brutiis Acerras, plures Lucanis, alias Messapiis cepisset validas urbes nobilissimas: postquam & trecentas illustres familias, quas obsidum numero haberet, in Epeirum misisset. Quid facies Romanis scriptoribus? Terreri illis inanibus Alexandrum potuisse volunt. Sed & conjuratione nescio qua populorum terreri potuisse volunt. Et putant conjurare etiam potuisse Samnites? Hi autem si Alexandro se conjunxissent, servare solus Romanos valuit? Conjurassent certe contra Romanos: contra quos concitarunt genus omne virorum, & barbarorum genus omne: a quibus spoliatos se perfide Italiæ principatu, traductos in servitutem injustissimam fremuerunt ad ultimum vitæ semper. Objectat socios Pœnos contra communem hunc hostem: & Pœnis fidit, contra quam solet: & Pœnis fidit: (*f*) qui Tyriis parentibus auxilium contra istum Alexandrum non attulere. Et Pœno fidit militi mercenario adversus proprium, veteranum Macedonem. Levia hæc in conjurationibus istis. Levissimum illud, Alexandrum ne fama quidem fuisse Romanis notum: quem a fronte, a tergo, supra, infra, longe, prope ipsis omnes obstupescebant, & magno cultu prosequebantur. Illud falsissimum, Romanos numquam ab equite hoste, numquam a pedite, numquam aperta acie, numquam æquis, numquam iniquis locis adversus Macedones laborasse. (*g*) Etiam Livius scribit, victos Romanos a Perseo aperta acie: & ita quidem, ut pavorque occuparit eos, ne extemplo castra hostis aggrederetur: & (quod addit) si rex parvo momento adjuvisset vincentes suos, debellatum fuisset. Hic autem sibi defuisset vis illa Alexandri propria: quam aut stimulabat sibi Perseus frustra, aut simulabat inepte. Hic exercitui dux defuisset? (*h*) Tu idem hoc notas, Livi, ducibus validiorem, quam milite rem Romanam fuisse. Vere. Nam unus vos vester

a *Polyb.* 11. b *Liv.* 35. c *Apul.* 1. *flor.* d *Sil.* 12. *Val.* 1. *c.* 6. e *Liv.* 8. f *Just.* 11. g *Liv.* 42. *Plut. apop. reg. & duc.* h *Liv.* 2.

A afflixit Coriolanus: unus vobis rem perdidit absens, & reddidit præsens Camillus: unus homo vobis cunctando restituit rem perditam Fabius. Etiam Alexandri successores spernis, Livi? etiam Pyrrhum? (*a*) etiam illa Ciceronis non legisti? *ex veterum rerum monumentis, vel maximum bellum populum Romanum cum Antiocho gessisse, video.* (*b*) Quanta Romanis negotia exhibuerint gentes istæ, tibi (Livi) contemtæ, etiam Cappadoces, priusquam in illorum ditionem redigerentur, non ignorant veteris eruditionis studiosi. Quod tibi magnus dicit Justinianus. Nec tu ignorabas ineruditus, sed obscurabas malevo-
B lus. Arma, artem militarem, disciplinam eorum temporum etiam jactitas, Livi, Romanorum? Nescio, si feceris merito in comparatione Volscorum, Hernicorum, Æquorum, Samnitium: quibuscum Romani per illa tempora præliabantur. (*c*) Nam verutum a Volscis, scutum a Samnitibus, alia ab aliis arma, & a Græcis, Gallis, Hispanis, Afris, instrumenta bellica, machinas post didicerunt. Neque Romana militia simul nata, simul perfecta est. A Pyrrho alia, & rationem castrorum, rem Romanam firmissimam, acceperunt. Cedite Romani scriptores, cedite. Non sunt Roma-
C ni Alexandro pares. (*d*) Etiamne audetis conferre Germanicum? (*e*) Quem, ut laudetis certatim omnes, ignaviæ tamen nota non exemistis. At Alexandri ebrietatem, crudelitatem accusatis, alia: quæ in ducibus vestris vidistis: (*f*) & a quibus alii item vestri scriptores liberant Alexandrum. Etiam amatorias voluptates obiicitis? (*g*) Sed, his alienum Alexandrum fuisse, magis convenit: & ratio quoque dicitur, si vino deditus fuit, ut in rebus esse Veneris non valuerit. Consule magistros naturæ. Amat captivam Alexander. Quidni juvenis? Sed & matrimonii contrahendi sustinet moram probus, & contumeliam non infert justus ca-
D ptivæ. Securus ab hac parte Alexander. Discipulus ille Aristotelis pulcras mulieres Persicas, reginam pulcherrimam intueri coram non timet. Tuus ille major Africanus, Tite, contueri Hispanam veretur: vitæ suæ anteactæ conscius, & libidinis: de qua nec tacuit fama, nec poesis. (*h*) Quid, quod Antias Valerius, eorum temporum scriptor, non redditam patri Hispanam, sed retentam, atque in deliciis, & amoribus a Scipione usurpatam, scribit? Tu Livio credes? (*i*) Tu credes Maximo Valerio: qui assentitur de vita Scipionis solutiori in adolescentia: & addit, citra luxuriæ crimen stetisse? Itane Maxime? Ais tamen de
E seniori, quemadmodum ancilla ipsi uxoris, & in uxoris oculis, placuit. Credes istis scriptoribus? Credes hoc postremum Maximo, laudatori Scipionis perpetuo. (*k*) Quid enim cuiquam credemus, si fidem laudantibus non habemus? hic Lactantius diceret. Quod valet dictum firmissimum & cum aliis omnibus, qui professi laudatores sunt Romanorum: de quibus tamen & vitia Romanorum collegimus, atque notavimus. Nunc Romani cedite Alexandro, & virtuti ejus. (*l*) Quod vos plusquam decies centenis millibus hominum ex urbe vestra cæsis, post annos mille vix quæsi-
F istis: id unus Alexander, nec quadraginta millibus militum, annis decem paravit.

a *Cic. pro Muræ.* b *Nov.* 30. c *Virg.* 2. *Geor. Athe.* 4. 6. *Sym.* 3. *ep.* 11. *Val.* 2. *cap.* 3. *Fro.* 4. *c.* 1. d *Tac.* 2. *ann.* e *Paterc.* 2. f *Lampr. Alex.* g *Plut.* 1. *symp.* 6. *Ath.* 10. *Arist.* 3. *Probl.* 11. & 32. h *Gell.* 6. *c.* 8. i *Val.* 6. *c.* 7. 9. k *Lact.* 1. *Inst.* 9. l *Card.* 3. *de sap.*

CAP. XIII.

De Tyrannis Romanorum.

JAM satis, jam vidimus, audivimus, cœpimus de Romana virtute. Vim vidimus, per quam, (*a*) ut in veteri proverbio est, *Romanus sedendo vincit:* id est, ut audivimus, dolis, ac fraudibus magis, quam viribus vincit. (*b*) Romani ipsi inquiunt, *Moribus plura, quam viribus vicimus.* Quod tectius dictum evolvitur in idem tamen: si perfidiam Romuli, fallaciam Tulli, astum Anci, proditionem Bruti, sicam Scævolæ, versutiam Martii, præstigias Labeonis, mentitiones Scipionis, injurias Anicii, cavillationes Catonis, & id genus alios mores aliorum cepimus, qui sunt expositi. Facit Plutarchus alicubi, animal Ulyssi dicere, captos ad hoc homines fraudibus: qui nescii fallendi, secuti essent ingenuum belli morem, & generosum. Hic autem (cernis) populus Romanus Ulysses est. Habes dissimulantem injuriarum, adulantem inimicis, desertorem amicorum, contemtorem fœderum, itaque prædatorem omnium, & omnibus immitem. Vides veros istos Suevos: & agros circa se undique vacantes latissime? & quibus in locis (ut historia observat) nobilissimæ olim urbes cernebantur, illic tuguria Romanorum servitiorum manere. Jure aquilam sibi sumpserunt avem insigne. (*c*) ut enim illa longum, latumque tractum tenet, & vicinam aliam non patitur: ita Romani circum se omnia unis patere sibi voluerunt, & per omne nefas effecerunt. (*d*) Jure sumserunt insigne lupos, luparum alumni: (*e*) Italicæ raptores libertatis, lupi dicti a fortissimo illo Pontio Telesino. Etiam vide remotiora. Capuam aspice: in qua lenitatis specimen ostentare voluerunt. (*f*) Plebs dissipata, venundata: nobiles crudeliter cæsi: urbis tecta relicta, ut esset aliqua aratorum sedes: sepulcrum, & monumentum Campani populi: relicta crudelius habitanda, quam si deleta foret. Quæ non mea sunt verba. At de propioribus illis num cantiunculas etiam concinnarunt? (*g*)

Et Veii veteres, & Volscum regna fuistis
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat; & in vestris ossibus arva metunt.

Nunc longe, nunc longius adverte oculos ultra mare, quod supra, quodque alluit infra. (*h*) Regna vides Illyrii, & Macedoniæ secta in partes: commercia omnia partibus interdicta per humani desertionem juris: distracta tamquam animalia in artus, alterum alterius indigentes. Hæc hujus tyranni populi solennis æquitas: (*i*) ut sic quoque Latinis populis connubia, commercia, concilia multo ante ademerat. Sed ecce ad Perseum regem specta, & ad regem Illyriorum, & ad Siphacem: reges quasi belluæ, catenis vincti ante currum superbi cujus Romani aguntur. (*k*) Abite nunc mei jurisconsulti, qui docetis, oportere parci nobilibus: etiam quum lex diceret, misericordiam nullam deberi delinquenti: docetis, subtrahi nobiles oportere publicis istis spectaculis. Sed specta. Filii regum, omnis nobilitas in eamdem captivitatem abducuntur: carceribus sempiternis mancipantur contra omnem belli rationem, & legem. (*l*) Sed & morte Perseum miser-

a *Var. pr. de r. r.* b *Quinct. decl.* 3. *Pli.* 6. *ep.* c *Arist.* 9. *hist.* 32. d *Pli.* 10. *c.* 4. e *Paterc.* 2. f *Liv.* 26. g *Prop.* 4. *eleg.* 11. h *Liv.* 45. i *Liv.* 8. k *Decian.* 2. *cons.* 5. l *Jov.* 33.

A rima confecere, vigiliis. An verius est, quod legebamus apud Sallustium, *Apud Samothracas deos Perseum acceptum in fidem, callidi, & repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, in somnis occidere.* Sic jus Turcicum hodie, dormientem inter vivos non censeri. Et sic magnus quidam ab imperatore Turcarum necatus: cui vita fuit ex promisso, & jurejurando tyranni tuta. (*a*) Sic jus antea Persicum, cinere suffocare, quos non vi, non veneno per pactum posses. At unde etiam jus hoc sævissimum belli, unde est, ut reges hostes captivos necaretis? Et istam quoque immanitatem celebratis carminibus? (*b*) *Haurire venena compu-*
B *limus dirum Siphacem.* Et, reges sic meritos, vincetis umquam? Et, Siphacem dirum, vincetis? Qui naturæ secutus judicium, latissimo distinguentis mari Libyca, & Italica regna: secutus tot icta vobis cum Carthaginensibus fœdera, jubentia, populum utrumque illis naturæ finibus contentum esse: secutus jura regnorum certissima, ne quod permittatur tantum inter alia caput efferre, ut timendum reliquis omnibus ab eo sit: secutus æquissimam regni sui conditionem, quæ in discrimen præsentissimum ducebatur, Masanissam vobis in Africam reducentibus: secutus cum Pœnis jura
C consanguinitatis, & communis patriæ, & deorum communium Africæ: vos voluit, vos monuit, Africam Afris relinquere, quibus natura dedit, adstipulati vos essetis, vindicabat jus commune regnandi; regni sui flagitabat securitas, &, quicquid esset in terris sanctum, & videretur in cælis, adjudicabat. Hæc ictum cum Scipione vestro fœdus tollebant: aut etiam pro Siphace ita interpretabantur. Illud fœdus vos abrupistis primi: abrupit Scipio primus, Masinissa sumto socio armorum, & belli. Nescitis, violari fœdus, si cum hoste fœderati fœdus percutitur, & jam arma adsumuntur? Et itaque Siphacem vincitis dirum.
D Ex eo autem Africam: unde non tam est novi aliquid semper, & monstri, quam est illic novum semper aliquod, & monstrosum factum Romanorum. (*c*) Ecce, Jubam Mauritaniæ regem vivere propter ejus eruditionem, voluerunt: at duxerunt in triumphum, & ceciderunt flagris. Exeo, exeo Africam. In Græciam redeo: unde divertimus. (*d*) Ecce, alter regis Persei filius Albano magistratui scriba factus: alter artem faciens ferrariam: uterque ut victum quæritent, & vitam tolerent. Quæ jactata populi Romani, & laudationibus concelebrata clementia, & liberalitas: ut filios regum, & ipsos crudeliter tractarit reges.
E Nos vero, ab hominibus hujus cæli hæc potuisse fieri, cogitare potuissemus? Sed principibus summotis, populos in libertatem duxit, terris universis pacem adduxit, atque constituit Roma. Dicant historiæ. Quibus retentum imperium artibus? (*e*) Voluptatibus: ut Tacitus ait. (*f*) *Orbem, quem subegimus, lascivitas nostra defendit:* scribit Seneca. Arcanum hoc imperii: per quod suavis creditur principatus, quæ sæva dominatio est. Aut num quid sævius esse potest, quam si evirentur homines, & effeminentur? si per voluptates, & lascivitates etiam infra omnem hominis condicionem dejiciantur? Quid libido dominatoris aut
F non audebit, aut non poterit cum pecoribus his, quæ prona humi, & cæno obvoluta os sublime tollere nesciunt, cælumque tueri? Sic est arcanum imperii, quod dum firmat maxime dominationem, id tegit maxime, & vultum hujus contrarium præfert. (*g*) Vanam itaque speciem, & inane

a *Val.* 9. *cap.* 2. b *Clau. be. Gild.* c *Suida.* d *Ammian.* 14. *Zona. Oros.* 4. *cap.* 20. e *Tac.* 4. *hist.* f *Sen. de cons. ad ma.* g *Liv.* 33. 34.

nomen libertatis dicebant Ætoli: quorum nec vanam criminationem Livius cogitur confiteri. (a) Hæc illa libertas est, quam Philippus Græcis, a se deficientibus ad Romanos, prædixit; dominationi diuturniori eos submisisse colla. Etiam crudeliori, etiam. Aspice fasces, secures: vide rapinas, rapacitatem, sectionem publicanorum, calumnias litium, jussa magistratuum, & vexationes. (b) Respice ad tot vectigalium genera, & tributorum: & saxa, & rupes sub tributo habuerunt: & a viris, fœminis, pueris, servis, mendicis, sive in opidis, sive in agris, etiam pro quolibet animali, etiam pro cane aliquid exigebant, illoque nomine immundo stercoris, & urinæ. Miseram Siciliam, haud quadragesimam partem ejus imperii, solvisse ex decumis, portoriis, pastionibus supra quadringenties, hoc est millionem. Infelicem Ægyptum: quæ, cum daret regibus suis (immane) septem milliones, & semissem, dare his amplius duodecim habuit. Perditam Galliam: quæ referta olim & sacris opibus, & profanis, mox direpta, expilata a Cæsare, sæpius (ut inquit Suetonius) ob prædam, quam ob delictum, illico milliones decem annuos, illico viginti debet: Avarissimi hominum, & crudelissimi. Supra centum & quinquaginta milliones ex solis illis tributis conficiebant annuos: quantum non universus nunc orbis,& vetus,& novus principibus omnibus dependet in omnibus. Si enim vigesimas,centesimas, & id genus alia numero: si metalla excutio, quæ sua ubiq; esse voluerunt: si aurum metior coronarium: si cetera percenseo,audies tu, positos istos homines in orbe, vel orbi impositos, qui ferro sanguinem orbi, & rapto opes orbi exsugerent. Etiam soliti, se vendere homines, ut his canibus tributa penderent. Sævissimi hominum. Audi sævitiæ, (c) audi vocem: *Remi salvi sint: nam remiges non deerunt, dum in Græcia homines erunt.* Hæc libertas. *Liberos cuique suos natura carissimos esse voluit: hi per dilectus alibi servituri auferuntur. Bona aguntur in tributum.* Quæ sunt jura populi Romani, non privati alicujus injuriæ. Abi, & Turcicam hic mihi barbariem memora. Audis, & provinciarum sanguine provincias victas. (d) Ubi autem solitudinem fecerunt, ibi pacem se constituisse defendebant: quod Britannus clamabat. Prædones orbis terrarum: quos neque Oriens, neque Occidens satis expleverit: quique cum in urbe illa integrum orbem conclusserint, etiam tuguriola Britannorum concupierunt: ut itidem Britannus exclamat. (e) *Quasi inexplebilis venter Roma, cuncta consumens, & semper esuriens, cum in sinus ipsius eversarum omnium urbium, nudatarumque terrarum abrasæ undique opes cogerentur:* & cetera, quæ pius, ac religiosus testis habet Orosius. (f) *Civitatem unam in humani generis perniciem natam*, Arnobius, vir sanctus, ait. (g) *Quam vincit illa feliciter, tam infeliciter, quicquid extra est, vincitur. Felicitas urbis, infelicitas orbis. Infelicem sub isto victore orbem, arguto insidiatore, hoste infesto, domino immiti*: ut idem pro testimonio dicit Orosius religiose. Nisi illud forte verum non sit, quod

a *Plut. de Hero. ma.* b *Lips. 2. de ma. Ro.* c *Oros. 6. c. 19.* d *Tac. Agri.* e *Oros. 5. c. 18.* f *Arnob. ad. ge.* g *Oros. 5. c. 1. lib. 6. c. 12.*

A de felicitate censuit urbis. (a) Et imo ipsa tanto miserior, quanto est detestabilius, & calamitosius, facere, quam pati injuriam. (b) Non est felix civitas: quia exercuerit cives aliis imperare. Non est in hoc exercitatio rerum bellicarum felix, ut alii servi fiant: qui neque nati sunt ad serviendum, neque meriti per culpam aliquam sunt istam adversitatem. Ad servitutem, & injuriam propulsandam, ad utilitatem subjectorum vis est armorum justa, & justum imperium. De qua justitia est felicitas vera. Quam justitiam (& itidem de vera, non de simulata dico) Romana civitas numquam, ne de facie, novit. Civilem, hoc est,
B versutam justitiam, in republica tua, Cicero, dices, fuisse, contendesque: sed veram, sed germanam fuisse, non vinces: ut docte disputat contra te Lactantius, & admonet Augustinus. (c) *Augeri rempublicam sine injustitia non posse*, apud vos, & vobis natum est verbum. Atque hæc virtus vestra est: quæ virtutes omnes in se complectitur, avaritam, abjectionem, perfidiam, ceteras virtutes vestras. Fortuna, fortuna, non virtute, factum vestrum imperium: fortuna, quæ ad deterrimos semper aberrat. Fortunæ vos templa multa, ab urbe statim condita, & publi-
C ce posuistis fortunæ filii furiosæ. Virtuti vix unum, & sero, & privatus collocavit in isthoc virtutis hostico. (d) Sed & quum innumeros, atque propudiosos in opido deos habueritis, Quietis templum, quasi hostis, extra mœnia esse, voluistis. (e) Ecquando vobis fuit aut Pacis templum? Ecquando belli signum clausum Janum? (f) Inhiasti tu quidem Italia per annos quadringentos exscidio hujus sanguinariæ lupæ. Sed importune humana eras, quum reliquias Danaum, & mitis Achilli suscepisti in sinum: & ad tuam, & ad reliqui perniciem orbis confovisti: progeniem perjuri Laomedontis, Laomedonteæ Trojæ perfugas,
D perfidi Paridis cognationem, (g) Æneæ proditoris manum, (h) Æneæ necromantis sanguinem, Æneæ Laomedontii: (i) ut sic Virgiliusque coactus aliquando est suum Æneam nominare perque infamatum sibi nomen. (k) Ænea, inculpatum depredicas Laomedontem? Quin tu igitur sis Laomedontiades? (l) Quin tu omnino sis Dardanius Æneas, a fratricida ortus, & exsule Dardano? Ades & tu exul. (m) Te dominum peregrinum (fatale malum Italiæ) civi pertulimus. Sed Italia gaude. Omne tibi visum considere in ignes Ilium, & ex imo verti Romulia
E Troja. Qui sine virtutis cultu ullo per anno sexcentos: sine ipsa virtute semper: semper & sine quiete: in parricidiis, sacrilegiis, perfidiis, proditionibus, cædibus, rapinis, cupidinibus insatiabilibus nati, educati, ab ortu primo per ætates omnes: & in tantum imperium a fortuna insaniente ducti, diuque per artes pessimas dominantes: ecce hic tandem conciderunt. Imperium male partum, administratum pejus, dispersum penitissime, & dissipatum funditus, jam diu universus orbis, servituti subtractus lamentabili, intuetur, & ridet.

a *Pla. Gorg.* b *Arist. 7. polit.* c *Aug. 2. de civ. 21.*
F d *Aug. 4. de civ. 16.* e *Baron. 1. vol. an. ec.* f *Oros. 6. c. 1.* g *Dar. Phryg. 6.* h *Oth. Phris. 1. c. 2. Serv. 1. 6. Æn.* i *Virg. 7. 8. ubi Donat.* k *Hom. Iliad. 20.* l *Servius 3. Æneid.* m *Scal. 3. Poet. 28.*

A. G.
DE
ARMIS ROMANIS
LIBER II.
VEL,
De justitia bellica Romanorum,
DEFENSIO.

CAP. I.

Testimonia certa Romanæ justitiæ.



ACILEM defensionis caussam, quam suscipio Romanorum meorum, facit Picenus, accusator noster: qui, a principio usque accusationis suæ, pugnare se & disceptare contra receptam temporum omnium, & omnium hominum opinionem, professus est. Ego enim, probari omnibus sententiam illam existimo. (*a*) *Ut, de quo omnium definitio consentit, id verum esse, necesse sit*. Itaque si justum Romanorum imperium, & justa Romanorum bella cuncti mortales, decursu isthoc duorum annorum millium, una voce, tenore perpetuo censuerunt: quod testimonium accusatoris est: vicimus. Quid enim, quid, quibus universa assultat adversaria disceptatio, vel testimonia obscurissima, vel indicia tenuissima, vel leves prorsus argutationes contra clarissimorum virorum auctoritatem, contra judicia gravissima, & contra robur invictarum rationum efficerent? P. Diaconus, Zonara, Orosius, Cedrenus, alii, & quorum nec dicere nomen frons fuerit accusatori, testes ejus, qui Dionysio opponantur, Polybio, Plutarcho, Livio, suspectis historicis, mendacibus Romanorum laudatoribus. Exploremus, accusator, exploremus testes. Quis Polybio sapientior, Dionysio diligentior, Livio simplicior, Plutarcho doctior? Et potuerit doctrina decipi, voluerit decipere simplicitas, potuerit errare diligentia, voluerit errores sapientia? Contumeliosa illa levitatis Græcorum, & infidelitatis non ad hos viros attingunt, utcunque Græcos. Ad illos pertinent accusatoris, Zonaras, Cedrenos, alios de blebe homulos, monachos Græculos esurientes. Nam & Græcia habet suos Aristides, Phociones, Epaminundas, alios innumerabiles: (*b*) qui sic studiosi exstitere veritatis, ut ne joco quidem, ne propter maximam quidem utilitatem dicere mendacium velint, viri justissimi. Ad Gallos accusatoris, & ad Hispanos illa pertinent, quæ idem accusatoris auctor

a *Cic. 1. de na. Deo. Xenoph. apol.* b *Cor. Ne. Epam. Plut. Aristi. Thom.*

A M. Tullius detonat adversum Gallos vehementius: (*a*) *An vero istas nationes religione jurisjurandi, ac metu deorum immortalium in testimoniis dicendis commoveri arbitramini? quæ tantum a ceterarum gentium more, ac natura dissentiunt*, &c. & quæ sunt nunc aptissima: *An vero dubitatis, judices, quin insitas inimicitias istæ gentes omnes & habeant, & gerant cum populi Romani nomine?* Græci si male audiunt (neque isti tamen) in historiis, illic id est, ubi de ipsorum agitur Græciæ rebus, & ubi effusi in laudes suas illi scriptores sunt. Sed ista vacat ratio hic. De rebus aliorum hic agitur; ubi etiam avari scriptores Græci esse consueverunt. Ridiculum illud est de exteris: nisi scribere historiam melius possunt obscuri illi monachi, id est tenebriones, nec modo exteri reipublicæ, sed hominibus omnibus, quam viri civiles, & eruditi, & diligentes, ut ut nati in terris aliis. Neque affectus locum apud istos invenerint: qui nec Romani fuerunt: nec habuere caussam mentiendi. Recipe tuum, Picene, illud, *Cui bono?* Desine viros gravissimos insimulare mendacii, quibus nulli bono mendacium fuit. (*b*)

——— cum sint præmia falsi
Nulla, ratam debet testis habere fidem.

C (*c*) Quod & Hieronymus, *Ex quo colligitur, fidele esse testimonium quod caussas non habet mentiendi*. (*d*) Vani, leves, ignominia, spe, metu, iracundia, misericordia impulsi, præmio, gratia adducti, hi sunt testes, quos fide indignos censent leges, & auctores. At vanos, leves non appellaveris, nisi tu levis, & vanus sis, qui editis operibus, & monumentis ingenii nobilissimis viros se gravissimos cuncto orbi & longæ vetustati temporum adprobarunt. Hoc experimentum hominis, opus ejus. Hinc de homine judicium certum. *Loquere, ut te videam*. D Nulla hic spes, nullus metus: (*e*) *dum res populi Romani memorabantur pari eloquentia, ac libertate: neque referebat cujusquam, Punicas Romanasve acies lætius extulisses*. Vacat hic iracundia adversum victos: contra quos testimonia scriptorum sint. Vacat misericordia erga victores: pro quibus dicta testimonia fuerint. Neque enim isti misericordia sunt prosequendi: neque

a *Cic. pro Font.* b *Ovid. 3. Trist. 10.* c *Hier. ep. 9. & Cic. 2. de fin. & Deci. 2. cons. 25.* d *Cic. part.* e *Tac. 1. hist. 4. ann.*

est

est quisquam hominum adeo barbarus, & immanis, ut afflictis, miserisque irasci, perque iracundiam maledicere velit. Potuit Livius esse Pompejanus plurimum: si hosti Pompejanorum, qui hic citatur, credendum est Augusto: vixit enim Livius, quum aut partes illæ vigerent, aut partium studia superessent. (a) Hoc Plutarchus notat difficillimum in scribenda historia, quod qui fuere præsentes, & de quibus est accipiendum, illi odio, gratia, aliter veritatem corrumpunt. Si Polybio teste uteremur pro Africano: etiam posset Polybio rejici de affectu: quo erga eum teneretur, cui comes, atque familiaris convixit. Ceterum non hoc pertinet studium ad ætates superiores. Et est ridiculum Castelvetrii (hujus illud est) argumentum in Livium, qui hostes nominet, contra quos gererent Romani bellum. (b) Ut namque bella a parte victa nominari solent, Punicum, Italicum, Annibalicum, Mithridaticum: ita & hostes dicuntur, qui victi sunt. Etiam desierant tum hostes esse, & amici erant omnes, quum scriberet Livius. (c) Itaque vel Livio hosti crederetur testi, postquam reconciliata omnium amicitia, & quidem longo post tempore in summa animorum, & voluntatum consensione dicit testimonium. Esset aliquid, quod aliud addit Picenus, quod si in uno falsus, ac mendax ostenditur Livius, jam in nullo fidus, ac verax deberet existimari. Ceterum quod illud est unum mendacium Livii? Unum in Pompejanorum notatur caussa: sed, ut dico, teste hoste illarum partium longe sævissimo: & contra quem antiquitas omnis, & quæ secuta in hunc diem omnis est ætas, (d) summi judicii vir Lucanus, respondet: quæ pro Pompejanis semper judicavit. Non etiam verum est, non, ut testis aliquando mendax in caussa aliqua, ille idem in caussis omnibus semper veluti mendax rejiciatur. Non est verum, non, ut, si instrumentum quoddam sit tabellionis falsum, falsa omnia ejusdem instrumenta debeant reputari. Et ratio illa fidei individuæ sic est: quæ individua caussæ est individuæ, non caussis pluribus, variis, late dissitis: in quibus nec possit criminis ejusdem admittendi occasio esse. Aut quid si non mendacium, ac dolus est testis, sed error? Id potius credendum est: ut criminis vitetur ((e) quod leges jubent) interpretatio: & jam nihil de fide, de auctoritate forte detrahi non nihil potest: quasi hominis ejus, qui notitiam non teneat rei plenam, & abundantem. At sunt hic quoque replicationes illæ firmiores: quod in diversis caussis error non ostenditur per errorem, qui admissus in una est. Multa sunt vetustiora, & multis modis obscuriora: in quibus errare etiam prudentissimi, & diligentissimi possunt, qui in aliis non erraverint. (f) Ipse sic Livius, certiora esse omnia post urbem a Gallis receptam, fatetur: cum, quæ antea gesta essent, ea aut scriptorem non invenerint, aut per Gallicum illud incendium amiserint memorias suas. Veh tibi, Picene: veh testibus tuis, illis historicorum dehonestamentis, si argutationes hæ tuæ fidei, & auctoritati testium imminuendæ valent: civis Romanus est; itaque Romanis abblanditur: mendax in uno est; ergo abjiciendus in omnibus est: errat aliquando; nullibi igitur ulla est hominis auctoritas. Quid enim, ut tibi tuum potiorem appellem, quid Orosius? Hispanus est; itaque Numantinis abblanditur: hostis Romanorum est; itaque Romanis iniquus est. In

a *Plutarch. Pericle.* b *Pauf.* 4. c *Noll. de testi. ver. inimicus. Decian.* 3. *conf.* 34. d *Mont.* 2. *eff.* 10. e *l.* 51. *pro soc.* f *Liv.* 6.

A Orosio hoc amplius mihi consideres, non tam illum esse historicum, quam apologistam, & quidem contra quietem, ac tranquillitatem Romani imperii: itaque credendum minus sit homini, utcunque integro, qui non fidem historicam profitetur, sed sedulam defensionem. Rapit enim iste, quicquid facit ad institutum operis: rapiturque in ea vicissimi omnia, quæ suscepta poscit scriptio, & allatus scribendo cupit affectus. In Orosio & reliquis Piceni hoc amplius, rhapsodos quosdam fuisse: quorum fides non constet absque auctoribus primis: certe, si auctoribus primis contradicunt: qui nostri illi
B Polybius, Dionysius, Livius, Plutarchus: & quibus si fides non constat historica, hominum quanta fides esse potest, (ut de eo non disputem contentiose) periit ecce omnis historia, & magnum vitæ humanæ lumen persusum est. Sed imo manet hoc lumen: manet historia: & optimorum illorum laudatur, placet, viget, relegitur, amatur. (a) Optimis illis, & excellentibus historicis dandum & illud fuit, ut judicarent facta, dicta, de quibus exposuerunt: & jure sibi sumerent, regere fidem lectorum ex sua. Namque in narrationibus pluribus, variisque
C eligere ipsi, qua erant vi præditi perspicacis judicii, poterant veriores: & in contrariis disceptationibus, qua instructi erant doctrina, poterant constituere justiorem. Testium eadem ratio non est, plurimum idiotarum, atque imperitorum: & semper temerariorum, dum judicando trajiciunt se in munus alius personæ, judicis: Dicerem, esse testes, qui judicantes audiantur: & quibus historici similiores sint, quam aliis. Sed omnino eadem ratio non est testium, & historicorum. Porro de meliori nostra conditione in judicio de Romanorum rebus gestis post tot sæcula non sic censuit Isocrates. (b) *Quæ no-*
D *stra sunt ætate facta, de his nostrum judicium non injuria interponimus: in rebus vero a nostra memoria longe remotis, par est, nos illorum temporum assentiri peritis.* Sane quidem ut caligat corporis oculus ad ea, quæ nimium prope posita sunt: ad alia autem cæcutit, quæ per infinitam distantiam absunt: ita mentis oculus præsentium rerum affectibus obnubilatur, sed longissime remotarum ignoratione obtenebratur. Et igitur non Livio (age, indulgeamus accusatori) in civilibus bellis fides sit: non Tacito, non Suetonio contra Neronem. Valeat Cardani etiam verbum hoc pro ostento illo, ac monstro, nec
E in philosophia disputatione prolatum, sed in exercitatione ingenii. Sed itaque fides sit multo minor scriptoribus priscarum rerum recentissimis: quum veritas pluribus infracta modis, & multa rerum inscitia debilitata jaceret. Istæ sunt testium, & testimoniorum veræ leges. Nos autem, ut procemio accusatoris illic respondimus, ubi disputare visus est: ita declamatiunculam reliquam manere patimur, & homini esse oblectamento. Agat, advocet in auxilium gentes. Aderunt Lybes: apud quos non enecta tantum a meis monstra, exscisa venena sunt;
F at reges, reguli que, qui caussæ illic intestinorum bellorum, deleti, & publica tranquillitas, & tamquam unius bene coagmentati corporis sanitas constituta est. Favebunt votis omnibus Asiaticæ gentes: quæ mille Sardanapalis ereptæ, & portentis tyrannorum: raptæ in fidem, & clientelam populi Romani, in omnia tutæ, & in omnibus, pacem optatissimam tenuerunt. Plaudent Europei: quibus

a *Bru. de confecr. hist. Mont. d.* 10. b *Isocr. enc. Hel.*

per virtutem Romanam de orbe reliquo partum imperium est. Nam quid Italos ciet in arma viros, lentos illos nunc, & longo otio marcidos? qui barbari ante Romanum imperium habiti non Græcis tantum, (*a*) verum etiam barbaris ipsis, mox & cultissimi, & principes omnium evaserunt. Quid Germanos? ad quos delatas a civitate mea artes omnes humanitatis, & itaque de rudibus, & agrestibus politissimos factos videmus. Quid Gallos? quorum de cervicibus superbissimus Ariovisti dominatus, & immanis, ac perpetuus Germanorum terror sublatus est. Quid Hispanos? qui Afrorum olim, & latronum, atque piratarum præda, post sub Romano imperio frui fluminibus suis aureis, metallisque valuerunt, & esse beatissimi. Quid etiam Britannos concitat invictos? Invictos autem? quos victos qui negat, is ille est certe, qui negare omnem historiam potest. (*b*) Etiam nec desiderarunt, nec oblatam acceperunt pauperem tum, & negotiosam istam provinciam. Sed Britannos advocat: quibus si aliud nihil præstitissent Romani, quam quod divisos orbe toto in partem orbis, & hominum compegerunt: hoc illi beneficio uno immortali Romanum nomen perpetuo venerabuntur. Græcia in libertatem asserta, Macedonia de servitute vindicata deferent certe suis vindicibus, atque liberatoribus hanc coronam, & palmam virtutis. Nec denegabit lauream Carthago magna: quæ terra, marique per annos quinquaginta in isto certamine gloriæ egit, & tribus bellis victa concessit. Et hæc summa Carthaginis laus est, quod cum populo victore omnium gentium bellavit fortissime omnium. (*c*) Nam, fuisse Carthaginem tributariam Syracusanorum, non ignoramus. Persæ, Medi, Assyrii a Romanis spoliati possessione plurimarum provinciarum: pulsi ultra Euphratem, & Tigrim: coacti in angustissimis finibus: & in his nec tuti nisi per solitudines, vastitudines immensas, & maria arenarum interjecta: non sunt de latibulis illis educendi, per loca sola ducendi, in contentionem producendi victi, qui florentes esse pares Romanis non valuerunt. Eatur jam, eatur in rem præsentem: & singularia accusatoris discutiantur.

CAP. II.

Romulus.

Accusat Picenus in principio, mentitum a conditoribus urbis divinum genus. Attamen laudatissimus accusatori Piceno secundus rex per annos amplius quadraginta divinos congressus mentitus est. (*d*) Et celebratissimi quique lato res legum, & civitatum conditores nobilissimi numquam non aut genus deorum se deprædicarunt, aut non jubente Deo rem gerere publicam professi sunt. Ita videlicet voluere viri sapientissimi feros mortalium animos reverentia numinis molliores, & in obsequium reddere faciliores: qui alias intractabiles, alieni a communione omni, & omnis humanitatis expertes ævum duxissent. (*e*) *Nulla autem res efficacior multitudinem regit, quam superstitio: alioquin impotens, sæva, mutabilis.* (*f*) Sic auctores gravissimi, vi-

a *Dru. 2. obs.* 3. b *Str.* 2. 4. *App. proœ. Tac. Agri. Suet. Cla. Liv.* 105. *Serv.* 3. *Georg.* c *Demosth. Lept.* d *Val.* 1. *c.* 2. *Card.* 3. *de sap.* e *Cur.* 4. f *Plut. de ge. Socr.*

A ris civilibus, & quibus necesse est, vitam suam adversus contumacem, & dissolutam turbam instituere, id tradunt, ut superstitionis quasi freno multitudinem compescant, & ad utilia torqueant. (*a*) Et id in Romana republica sic defendit Polybius diserte; ut propter ferocem illum populum necesse fuerit, induxisse ea, & fovisse, quæ magnas superstitiones haberent, & probrosas apud alios omnes. Sic Lycurgus, Alexander, Africanus, (*b*) Augustus, alii congressus divinos, divinos ortus, divinos cultus probarunt animandæ plebi, extorquendæ obedientiæ, inducendæ reverentiæ. Quæ idem Polybius, idem Plutarchus,
B & Philo latiori folio prosequuntur. Non ergo Romulus accusetur, si vel ipse auctor superstitionis ejus fuit. Sed declamitetur mecum in illam religionem: qua imbutus orbis propemodum universus, pulchrum existimavit, omnia de diis ad salutem publicam fingere: & sibi in animum quisque certissimo quodam induxerat præjudicio, cœtus hominum ita cogi, ita constitui, ita adfirmari, regi ita oportuisse. Nec vero magnorum principum ortus quærere curiosius, at quales fuerint in republica, id demum evolvere sedulo, & explicare diligenter decet. (*c*) Non quærit venator, quod natum ex cane, sed qui canis: ut ita
C Plutarchus de politico viro. (*d*) Jactitabat probrosos natales suos Bion, & se ex se censendum ferebat. Sunt natales Romulo communes & viris aliis spectatissimis. Illuc mihi, illuc specta ad gesta Romuli: in quibus Romulum habes. Alienum agrum urbi occupatum clamat: & apertum in urbe asylum alienis hominibus rapiendis, & perditis omnibus attrahendis vociferatur. Quo in utroque capite reprehendendus acriter est accusator. Quid enim pro explorato ponit, Romam in solo conditam alieno? Cur non in solo avi Numitoris? (*e*) in quod deducta avi permissu colonia:
D in quo antea educati pueri a pastoribus avi: & quod præsidiis regum Albanorum multo antea tenebatur. Etiamne fortuna, & felicitas Romæ hæc, ut vicini eam in solo suo poni taciti paterentur? Etiamne fortitudo parvulæ manus tanta fuit, ut vicini urbem in suo solo poni inviti paterentur? Asylum autem tuetur Græcia: quam adversarius noster non vituperet. (*f*) Omnino certe jus asylorum apud Græcos augustissimum fuit: adeo ut victis etiam hostibus inviolatum conservaretur. (*g*) Hoc jus canonicum, imperiale, naturale, divinum est: quod tibi Decianus clariss. ostendit late: alii quidquid disputent. Etiam tibi defendit
E Græcia, imo orbis totus invitamentum istud Romuli in suam civitatem. Audin' Thesei edictum, *Huc pergite omnes populi*: quo ille frequentare Athenas adproperabat. (*h*) *Romulus acer asylum Rettulit*: fecit ad imitationem. Imo vero ingentes debent nostro Romulo gratias, quæ malis hominibus exoneratæ civitates in asylum sunt Romuli. Et is simul existimari divinus potuit vir: qui, supra quam divinus credebat Plato, illeges eos homines, & errones redigere in leges valuit, & aptos civitati, non esse barbaros passus est. Moribus enim mox, sermoneque coaluerunt in civi-
F tatem unam, qui ex civitatibus variis, linguis diversi, institutis discordes a principio confluxerunt. Hæc Romuli, hæc illa est virtus, qua vecti in cælum sunt, qui primos palantium hominum cœtus coegerunt, & orationis communitate, atque æquitate imperii continuerunt. (*i*) At etiam

a *Polyb.* 6. 10. b *Phi. de legatio.* c *Plut. con. Ly. & Sy.* d *Laert.* e *Val.* 2. *c.* 2. *P. Diac.* 1. f *P. Ærod.* 1. *Decr.* 7. g *Decian.* 3. *conf.* 80. *Alc.* 7. *Parerg.* 6. h *Virg.* 8. *ubi Serv.* i *Dionys.* 1. *Suet. Tyb. Serv.* 7. *Æn.*

quid non Tarquinios plures, Claudios, Octavios dicimus Romam venisse, non transfugas, ac perditos alios? Familiæ illæ non ad asylum fugerunt. (*a*) Et Latinis legionibus avi Romulus cinctus venit. Ubi Ceninenses, Crustumini, Sabini, Camerini, Fidenates, Antemnates, Albani, reliqui populi, & victi, & in urbem, ac civitatem recepti? Fabii, Antonii, Æmilii, Cæcilii, alii plures Aborigines, & Trojani memorantur. (*b*) O utinam superesset Igini liber de Trojanis his familiis: o utinam Varro. Julii, Servilii, alii Albani. Curii, Fabritii, Porcii, Pompeii, Marii, alii ex aliis vicinis opidis: non ab asylo, aut per asylum. Et de istis quasi sceleratis, & nocentibus populus facinorosorum congregatur? Non hic igitur audimus magnos theologos: ubi historici minimi sunt. Non possunt magnæ esse auctoritatis, jure nobis per adversarium statuto, contra Romanos viri Afri, Carthaginenses. *Namque memor generis Carthaginis hæc pia proles Imminet Hesperiæ*. Etiam Mithridati credemus? Etiam Satyræ? At omnes historiæ de familiis, gentibus, & populis supradictis tradunt: quæ his theologorum, hostium, satyricorum adversantur. Non servum domino, non creditoribus nexum, non magistratibus criminosum reddebat Romulus? At neque omnes reddendi sunt scilicet. Qui fortunæ aliqua calamitate prolapsi in crimina sunt, & fugitivi facti sunt, non redduntur. Hæc est lex naturæ: (*c*) *Ne tradito servum domino suo, qui ad te eripuerit se*. (*d*) Pium hoc, & honestum, non modo utile: & cum libero quidem, quam cum servo, magis: qui honorare etiam videtur nos, dum supplicat nobis, & in nobis spem collocat suam. Quæ sapientes Hebræi ad sanctam illam legem explanant. Sic post asylum statuæ principum stetere calamitosis auxilium, hodie stant ædes sacræ. Tantum in natura est, ut recurrat semper, & se insinuet varie, quantumcunque trudatur, & furcillis quasi de medio expellatur. (*e*) Atque ut dolosis, & violentis ea lex Dei non staret, nec statua principis: qui & ab ipso altari Jehovæ ad supplicium trahebantur, etiam & ad altare occidebantur: tamen in territorio alieno & isti sunt tuti. Et hoc utimur jure: quicquid interpretes juris contradicere videantur. Evalet consuetudine, quod est naturaliter verum: ut tu ais, Picene. Sic injustitia negatur asyli. Et jam solum urbis, famam civitatis defendimus. Etiam famam defendimus senatus Romuli. (*f*) Invidiose scriptum est, dictos Romæ partes, quod soli possent partes ostendere: ceteram autem exstitisse turbam fugitivorum, quibus aut non noti, aut non ingenui patres essent. Patres ab ætate dicti: & quod liberos jam haberent: & *cieri* (sic, sic, non *ciere*) poterant patres. Unde enim tanta spuriorum examina advolassent, & collecta essent, ut in tribus hominum millibus, quos primum habuit Romulus, centum soli essent non spurii? Juvenes reliqui, nec mariti: qui juvenem pariter regem secuti essent: quibus integer ævi sanguis, solidæque suo starent robore vires: & ut mos fuit semper, mittere in colonias juventutem, illas maxime, quæ a vicinis non quietæ futuræ satis videbantur. (*g*) Plutarchus rationem ejus nominis variam recitat: item & Sallustius: sed neuter istam sequitur, quam Dionysius dixerat invidiosam, & nos cernimus falsi compertam. Etiam defendimus nunc de finibus agri Romuli. Si enim Albanorum colonia erat Roma, jam fines habere nequiit non finitos: si finitos

a *Paterc. ubi Lips.* b *Serv. Æn. 6.* c *Deut. 23.* d *R. Moy. Ægyp. 3. duc. dub. 46.* e 1. *Reg.* 2. f *Dionys.* 2. g *Plut. Rom. Sallu. Catil.*

habuit Alba. Quod si Numa terminos agro, & publico, & privato cujusque posuit: hoc est tamen nihil, nisi quod privatum distinxit a publico: aut in agro sic fecit publico, quem Romulus supra veterem illum, Albani partem, quæsierat. Et cui non fixit terminos: qui compedes (assentiamur Plutarcho conjectanti: audin', Picene, quod tu nolis tamen, conjectanti) compedes nascenti exsisterent civitati. Neque tamen injuria statim est, ac terminos transilieris & certum, & constitutum est, bello victos agro spoliare licere. Quid dixisses, si rex Romanus civitatis suæ fines, (*a*) quemadmodum Spartanus rex, hasta, & gladio finiisset? id est, qua armorum vis eos extendere valuisset. Addat his noster jurisconsultus, finium regundorum judicium non simplex, sed mixtum esse. Et non accuset Romulum solum, sed & vicinos. Cur enim non illi posuerunt agro suo? Hoc si fecissent, finitus & Romanus erat. Aut vicini non posuerunt prisco mortalium more, quum (*b*)

Ne signare quidem, aut partiri limite campum,
Fas erat.
Non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva lapis.
Nullus in campo sacer divisit agros arbiter populis lapis.

Et quæ sexcenta sic sunt scriptorum omnium vulgata testimonia. Et itaque tanto justior Romulus, quanto nec recessit a veteri, & sui temporis consuetudine vicinorum. Quod si etiam patrii soli gleba nulla fuit, sed statim pomœrium, & omnibus portis in alienum exibatur, ut ais, Picene: qui tum fines, & termini poni a Romulo debuerunt? Cui agro, si is nullus, potuerunt poni? Nihil igitur quicquam id de finibus est. Et nullo igitur modo damnabuntur, veluti ex injusto principio, quæ consecuta sunt postea bella propter res raptas, nec redditas. Non damnabitur partum per bella justa imperium; & quod terris æquatum: & quod (*c*)

Gentibus est aliis tellus data limite certo:
Romanæ spatium est urbis, & orbis idem.

Huc adfert accusator etiam figmenta, lupam, picum: & portenta nobis de tripode post tot secula ab oraculis desitis interpretatur. Etiam avem, (*d*) a qua nomen suæ Picenæ gentis est, proscindere maledictis, non erubescit. Sed & vultu res affligit: naturæ rerum, & juris auguralis sane ignarus. (*e*) Vultures animalia innocentissima: quæ victu vivunt innocuo: & his vesci solis consueverunt, quorum esus, aut usus aliis non supersit. Hæc natura Romuli civitas portendebatur: in quam perditi, & projecti undique colligerentur innocenter. Hoc augurium. (*f*) Vultur accipitrem persequitur, avium persecutorem exsecrabilem. Hæc natura Romuli civitas designabatur: quæ patrocinium calamitosorum susciperet. Hoc augurium. Et ita posita Roma est. Ea parricidio dedicata non est. Remus occisus non fuit. Romulo supervixit: urbem Ravennam condidit. (*g*) Ita non unus est, qui tradit historicus. (*h*) Occisus fuit? In rixa, & turba: quam ipse cum aliis concitavit. (*i*) Scilicet fabulosum dicitur, quod de mœnibus dicitur. Sed cum Remus tempore augurii, Romulus numero avium certarent, ille sic in pugna cæsus sit. (*k*) Invito Romulo occisus a Celere illo: qui itaque abiit in exilium.

a *Plut. apop.* b *Cic. Ara. Virg.* 1. *Geo. Tib.* 1. *eleg.* 3. *Sene. Hipp.* 2. *Justi.* 43. c *Ovid.* 2. *Fast.* d *Paul. Fest.* e *Plut. probl. R.* 93. f *Cass.* 2. *var.* 9. *Serv.* 11. *Æn.* g *Egn. or. ge. Ro. Zos.* 5. h *Liv.* 1. i *Servius* 1. *Æneid.* k *Plut. Rom.*

Nec igitur finxisse isthæc dicetur, qui isthæc cum historiis dixit poeta, aut nec poeta, sed & ipse historicus in Fastis Ovidius, quum de fratre, interfecto a Celere, audisset Romulus: (*a*) *Lacrimis introrsus obortis Devorat, & clausum pectore vulnus habet. Flere palam non vult: exemplaque, fortia servat: Sicque meos muros transeat hostis, ait. Dat tamen exsequias: nec jam suspendere fletum Sustinet: & pietas dissimulata patet. Osculaque applicuit posito suprema feretro: Atque, ait, Invito frater adempte vale.* Ipse Remus, *Noluit hoc frater, pietas æqualis in illo est.* (*b*) Dubium, an jussu fratris occisus sit? Et pro certo igitur factum non adsumatur. Fama ea est vulgatior? At hæc non semper verior: & quæ hic in judicio nostro pro explorata obtineat. Sequamur illam & nos tamen. Et dicat peritus juris, si in legibus non legit, (*c*) ut qui violaverit muros capite puniretur: & Remus ita occisus traderetur, quod transcendere murum voluerit. Hæc caussa cædis, & proculdubio justa, quæ probata legibus est justa cædes: per quam vim propulsata vis est. Ut hoc negare nequis accusator: quod & fama illa vulgatior habet: aut sequenda tibi per omnia, aut per omnia deferenda. Et sua Romulus mœnia probe aut adversus petulantem increpationem ((*d*) ea fuit monitio) vindicavit, firmavitque: *cæso mœnia firma Remo*. Sua mœnia per æqui conventionem juris facta sunt Romuli. Quod enim de mentito objicitur augurio: vanum est, vacuum auctoritate, cassum ratione. Adeantur historiarum verba pensiculate. Cogitet adversarius meus, si sine arbitris discessum sit ad auguria captanda: si sine arbitris ostendi mendacium possit. Hæc Remi cædes ad vindictam justa. Nam de cupidine principatus scrutantur sibi, qui ajunt, theologi. Et de sua honestate neget Cicero: dum & necessitatem novi firmandi imperii, magnamque adeo utilitatem non inficietur: quod certe non faciet: ut in caussa mox Collatini audiemus. Tatii autem & cædes Romulo cur adscribetur? Sunt, qui ita memorent rerum scriptores? Qui vero illi? Nominate non audes Orosios, & Diaconos tuos, aliosve, heri natos, mortuos heri. Qui, avumque, tradunt, a Romulo interfectum. Unde tertiumque objectas Romulo parricidium. Sed levissimorum hominum testimonium levissimum est. Et levissima argutatio est accusatoris, ab hereditate amissa Albani regni. (*e*) Nam scribit Plutarchus, & idem Zonara accusatoris, quod etsi Albæ regnum pertineret ad Romulum, is tamen in populi gratiam jusserit, esse liberam civitatem: & ubi tamen crearet ipse per annos singulos magistratum. Ita nec exscidit illo regno. Ista vero Romuli avaritia, & dominandi libido: per quam potuit regno carere avito, & urbe principe Latii: etiam Fidenas, vi captas, libertati relinquere. Sic sunt conjecturæ de cæde Tatii: cujus, quum novimus auctores, auctorem facere Romulum, est periniquum: cujus, quum scimus caussam, caussam conjectare aliam, est perabsurdum: etiam intolerabile, si id fiat ipsum ad aliorum incommodum, atque perniciem. Lavinienses auctores: qui (hæc caussa) læsi a Tatio. Huic, propriæ caussæ, etiam propiori, adscribi factum, jubet natura, & omnis prudentia juris. Conjecturæ accusatoris diversæ in re magis dubia diversantur: & isti concedunt interpretationi planissimæ. (*f*) Et itaque si est verum alicubi, hic est verissimum, quod scribitur generaliter, *iniquum esse, omnes, ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re pervenerit, in suspicionem maleficii devocari*. Romulus dein accusabitur injustitiæ: qui Sabinos, violatores juris gentium sanctissimi, dedendos violatis Lanuvinis censuerat? Et injustus est, quia in partes alterius venerit? Sed unum Romæ regnum erat, quod duo illi reges communiter administrabant: non duo erant regna, Sabinorum unum, alterum Romanorum, unum Tatii, alterum Romuli. (*a*) Etiam privatus implet judicis partes, quas is negligat: etiam judex alienus. Sed & jus justissimum, & receptissimum dixit Romulus, dum temeratores legationum dedendos pronunciavit, & læsis addixit. Et Tatius, qui tantam contempsit justitiam, facinorosos illos nec puniit, nec puniri passus est, *illorum pœnam in se vertit*. An ne hoc quidem nisi per juris inscitiam Livius? Quid ad hæc rursum manifestissima respondere per conjecturas? Tatium non potuisse videri sceleris ullius conscium, qui Lavinium proficisci ausus sit. Quasi vero & manifestus conjurationis nec venerit in senatum Catilina. Quasi vero nec quidquam sperarit in religione Tatius: quam tu, Picene, obtendis saluti illius, clypei non enarrabile textum: *Hospes, rex, sacerdos, in conspectu deorum immortalium, ad ipsas aras*. Crimine tamen uno violatarum legationum perfringuntur jura isthæc, &, quicquid est juris, omne consumitur. Criminosos, violentos ne quidem veri Dei tuetur altare: quos neque intuetur Deus, nisi iratus. Apage istas declamatiunculas in re seria gravissima. Apage divinationes. Abstrusa in cælis intimis non condemnabunt, quantum homini fas est proloqui, quod per omnem apertam rationem justificatur. Aut si homines referebant seditiones, & pestes in cædes Remi, & Tatii: nos etiam scimus, hominum mentes superstitione perculsas, & similia, & longe vaniora edidisse judicia. Apage cædem Amulii quartam, & parricidium parricidiis cumulatum. Apage tuos istos jam nunc Cedrenos, & Frisingenses: nomina ignobilia, & millesimo nostrum vix audita. Propatruum sustulit Romulus, tyrannum, ultus exilium avi, matris necem, & fratris, & suam, & suum repetens regnum. Abest parricidium hinc, quod culpes. (*b*) Si filius patrem ejusmodi occidisset, sine scelere esset, etiam præmio adficiendus: ut omnes constituunt, & constituerunt. Nos disceptationi levissimæ dedimus nimis multa. At de raptu Sabinarum, veluti in aperta caussa, acerbissime clamat: & magna secum nomina trahit magnorum patrum. Qui tamen nec magni extra suas quæstiones religionis, in his politicis humani juris. Verumenimvero vidit etiam Augustinus in raptu isto principium Romanæ justitiæ. Sed, quia progressum reliquum impeditum, aut etiam præcisum multis quasi obicibus insuperabilibus existimavit, digressus in alteram partem est: & Romanos injustitiæ condemnavit. Vidit Augustinus, connubia Romanis negat inique: & jus propterea belli contra Sabinos, confessus est. At, quod fraude spectaculi usi Romani sint, hinc pronunciat injustum bellum. (*c*) At vero *judice me, fraus est concessa repellere fraudem. Armaque in armatos sumere jura sinunt. Fallere fallentem, fraudemque repellere fraude, Exemploque licet ludere quemque suo*. (*d*) Quod & interpretes juris afferunt. Et illud, malitiæ per malitiam occurri juste: &, non eum dici calumnia uti, sed prudentia, qui alium fallit, ne fallatur: & id genus alia. Ecquid autem vicinæ illæ civitates fraude immani, & vere sine exemplo, tot capitum millia circum-

a *Ovid. Fast.* 4. 5. b *Jor. de re. succ. Flor.* 1. c *l. ult. de diu. re. Plut. probl. S.* 27. *Herodia.* 4. d *Flor. lib.* 1. *Prop.* 3. *eleg.* 8. e *Plut. Rom.* f *Rh. ad Her.* 2.

a *c.* 6. 7. *de off. ord.* b *l.* 35. *de releg.* c *Ovid.* 3. *de ar.* d *l.* cum proponas. *C. de transf. Alc. ibi. Bal.* 1. *conf.* 142.

venissent? & pereuntium mortes per ludibrium domi desides prospectassent? Sacrilegium voluerint sacrilegiorum maximum: quo scilicet generationem, maximum sacrorum, & prima commendatum nobis voce Dei, ac naturæ, pessumdediderint? Primum juris gentium caput everterint: quod humanæ est societatis, & conjunctionis? Naturam delerint humanam: non aliter atque ille, qui est aut in fabulis, aut in veris narrationibus, Timon? Nam quid interest, an fugiat vir unus societatem reliquorum, an civitas una reliquarum civitatum aspernetur? Et si Romani fugissent communionem aliorum, jam sociales esse, & homines desiissent? alii, qui Romanos abominarentur, homines fuerint? Hic ignobilitatem, utilitatem, infamiam gentis Romanæ rursum accusat. At a me antea satisfactum huic est parti. Et igitur isthæc, quæ referebatur negati connubii, caussa injusta fuit: quæ fuit falsa. Adeon' ignobilesque, vilesque: quibus nullæ possent mulieres copulari? Neque enim illustres, ac potentes, sed fæminæ, petebantur. (*a*)

Cum pare quæque suo coeunt volucresque feræque:
Atque aliquam, de qua procreat, agnus habet.
Externis dantur connubia gentibus: &, quæ
Romano vellet nubere, nulla fuit.

Etiam nulla abjecta in illis populis, quæ nubere abjecto posset? Etiam nullus Romæ honestus, & generosus, cui par esse uxor valuerit? Plebeis cum plebeis, patriciis cum patriciis, paribus cum paribus verum jus nuptiarum fuit Romæ. Quid obloqueris accusator? Cum Latinis, cum aliis nuptiæ Romanis non negabantur. Erant & cum externis aliis. Tantum jus civitatis nuptiis istis non tribuebatur. At nihil juris civitatum cum Sabinis petiere Romani: jus gentium solum poscebant. Et poscebant quidem per honestissimas obtestationes pacifice. Ne tu mihi regeras accusator, quod & fabula est iisdem, (*b*) qui tibi narrarunt, auctoribus, connubia nostra petentes postea Latinos non auditos. Nam, si fabula hæc est vera, petierunt Latini connubia temporibus nostris iniquissimis, armati, positis castris ante urbem, nec ulla seria necessitate. Superbissimis imperatis concedere nihil oportuit. Honestissimis rogatis concedendum fuit. (*c*) Turpissimis, & internecinis hostibus Beniaminitis jus hoc raptus tributum est: qui damnati suo pessimo erant merito, ne uxores nancisci possent. Et id decreti sancitum jurisjurandi religione fuit: vinculo Judæis supra jus sancto. fraus tamen visa necessaria est, & digna indulgentia, ne familia illa exstingueretur, ut, verbis decreti adservatis, sententia prorsus circumveniretur: datumque illis fuit, ut rapto acciperent, qui accipere de parentum manu non valuerunt. Et Romanis, immeritis immanitatem conjurationis, objicietur hospitalis gratia, & fides adversum fraudem? Quicquid erat, responderit Seneca, *quo mihi cohæreret, intercisa juris humani societas abscidit*. Iterum dico, (*d*) *Qui per dolum resistit dolo, is dolosus non est. Sic ars deluditur arte*. (*e*) Licet per dolum, per vim, per furtum persequi jus suum: etiam quum non sua, sed debitoris res capitur: ut sic te docent, Picene, tui juris magistri: in quibus & sunt, qui sic tenent, etiam quum magistratus copia est. Qua

a *Ovid.* 3. *Fast.* b *Plut. Cam.* c *Jud. ult.* d *Bal.* 2. *conf.* 165. 188. 3. 73. e *Alex.* 1. *conf.* 135. *Alc.* 7. *conf.* 5. 6. *l.* 31. *depo. Cott. me.* dolum. *Cou.* 1. *reso.* 2. *Bal. l.* 5. *de just.*

A tamen de parte non contenderim: (*a*) nam ait lex, *non esse singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri: ne occasio sit majoris tumultus faciendi*. Sed cum externis, cum his, qui judiciis non tenentur, & bella esse necessaria, & fraudem istiusmodi licitam, nemo negat. Atque si quæsitam, in urbe conditam defendere Romani rem Marte aperto vix valuerunt: an Marte ire quæsitum aperto conditam apud hostes debuerint? Et fuit igitur hoc quoque necesse, ut fraude, & furto quærerent. Et hæc itaque obtenta merito necessitas est. (*b*) *Necessitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium*. (*c*) Quod non est licitum lege, necessitas facit licitum. Non habet legem necessitas, sed ipsa legem facit. Necessitas facit probabile, quod erat alias improbabile. Et propter necessitatem receditur a solitis juste. Et id genus alia plurima. Necessaria raptio, & defensio ista fraudolenta adversus fuit scelestissimam conjurationem, & capitalem offensionem. Et necessariæ defensioni nihil non condonatur. Et contra scelestissimum bellum nihil est, quod non jure rependi possit. Nihil non licet adversus internecinum. Quid argutaris, actor? Ad quædam non debere nos per ullam compelli necessitatem? Probe. Sed an hoc tale est Romanorum factum? Hoc docendum. Doctum contrarium est. Etiam, nec necessitatem meis fuisse, tentas? Et in asylo fingis copiam fæminarum, & ab Alba accersis? Scilicet ea est hujus sexus audacia, ut suas & fæminæ fugerint civitates. Scilicet est hujus sexus occasio, ut multæ vertere solum cogantur. Ridicule creditur, magnam aliquam ad asylum fugam factam fuisse, sive fæminarum, sive hominum. Fæminarum copiam a patribus Albanis, ab avo rege arcessis? Et nescis, dissidia esse adversum colonias solere parentibus? Nescis, Albam imperii æmulam Romani exstitisse? At ista mox tibi aperientur. Tu, mihi Tyrios relictos crudelitati Alexandri a Pœnis colonis, narrasti. Magnum Romuli animum vereri senex Numitor potuit: qui antea & per insidias fratris de regno fuerat pulsus: & videbat, repeti justius per Romulum posse a se regnum, quod & per Romulum restitutum sibi, & donatum fuisset. Metiris tu tenuiter regum pectora, atque consilia ex nostris privatorum. Nobiscum jus valet gratitudinis. (*d*) principes odio habent, quibus se debere intelligunt. Nobis cara illa nomina, & arcta vincula cognationum: quibus nihil est in terris majus: sed principibus majus quid est, & habetur, cui ista omnia postponantur, principatus. Romulum non veritus esset Numitor: qui juvenem vidit imperii cupiditate ita flagrantem, ut mortem exspectare senis longum censeret, & nova subito regna quæreret? Et quem vereretur, misissetque a se libens, juvasset nunc; & crescenti ejus, & jam vicinis verendæ potentiæ manum non subtraxisset, at tulisset opem? Istæ sunt potentissimæ conjecturæ, quæ a propria rerum natura, & ab experientia desumuntur quotidiana. Nihil dico, si potuit avus dare fæminas: quæ patriam nollent deserere, animal intra tecta suetum, domique naturali verecundia veluti affixum. Nihil, si potuit rex Albæ civibus non volentibus, auxilio nepoti esse: quod a conditione regum prisci illius ævi facile fuerit denegare: cives autem Albanos noluisse, fæminas dari, factum vicinorum plus satis ostendit: quorum nec alia erga Romanum crescens imperium affectio esse, & caussa valuit. Nolebant, eum crescere regem, qui ipsis ferret se aliquando

a *l.* 176. *de reg. ju.* b *Sene.* 4. *decl.* 4. c *l.* 17. *de ma. te. c.* 4. *de reg. ju. c.* 39. 1. *q.* 1. *Bal. l.* 5. *de just. l.* 10. *C. de testa.* & 5. *conf.* 435. d *Commin.* 5.

regem: & quem ipsi regem nollent, aut per fæminam insertum stirpi regiæ; aut spurium ortum; aut transferentem alio decus regni, & sedem. Ecce iterum, & meliores caussas tibi, propter quas, absque culpa sua omni, Romulus Albæ non regnarit: propter quas & quæsierit alias sedes: in quas missusque ab avo fuerit: qui sceptra Romulo sua relinquere non potuerit. Ecce autem, quod modo quærimus, necessitatem habes Romanorum, quærendi a vicinis connubia. Aut habes Romanorum probam, humanamque voluntatem: qui necessitudinem, & amicitiam cum vicinis quæsierunt maxime petitione ista, & isto facto connubiorum vel raptorum. Nam est a verisimili alienum aliud, ut hinc quæsita fuerit belli occasio: quasi aliæ multo justiores, & justitiæ evidentioris ad bellum deesse caussæ potuissent: & quasi alia sit aut fertilior, aut paratior seges, quam occasionum est belli. Bellum inferre propter negatas nuptias potuerunt, & insuper aggesta probra, Bellum si provocare, non extorquere potius necessitudinem, voluissent: cur ille raptarum delectus virginum; ut tanto videri minor læsio posset? An vero unum Minutium, auctorem non adeo aut re, aut nomine magnum isthic sequemur? (*a*) Nam alii de una vix Hersilia scribunt nupta: de qua una & capi Minutii illa possunt, *& nonnullas de matrimonio raptas*: alioqui solas rapi virgines, & a viris lædendis, & a mulieribus abstineri (quæsita belli occasione scilicet) jussum. Quamquam nec fraus magna, raptis mulieribus, in illa confusione rapiendi, ubi professas mulieritatem vix discrevisses. Illa confusio est raptio sine more: quam Virgilius dicit. An & Virgilius, Romanæ gentis professus laudator, hic Romanos vituperet? (*b*) Sed sine more, id est, præter quotidianam consuetudinem, & usitatam rationem. (*c*)

Tempestas sine more furit,

&c. quæ ait alibi: quicquid ibi scribant Grammatici. Est sine ordine, & legitimis solennibus, & sine ceremoniis post inductis: (*d*)

Queis neque mos, neque cultus erat:

ut ait alibi. (*e*) Et ut Ovidius eodem sensu, *sine lege*, dixit. *In quem quæque inciderant raptæ*, inquit Livius. Hic est mos: exemplum non est: ut *sine more* Servius interpretatur, *sine ullo exemplo*. Imo enim nec sine exemplo fuit raptus: ut hoc ipsum explicat Dionysius. Quamquam & hoc ipsum quid esset, si sine exemplo esset? (*f*) *Delectabatur Duillius crebro funali, & tibicine: quæ sibi nullo exemplo privatus sumserat: tantum licentiæ dabat gloria*: inquit Cato. Cogebatur Romulus ad vim confugere, & ad dolum: ut sibi nullo exemplo raperet mulieres alienas: tantum licentiæ dabat necessitas: inquam ego. At Picenus, nec excusare necessitatem, quæ exemplo, auctoritateve aut generali, aut speciali non adfirmatur: & factum hoc sine ullo exemplo, & vituperatum ab omnibus. Quæ ego nego omnia. Propter necessitatem receditur a solitis. Factum hoc neque sine exemplo, aut auctoritate est, certe generali. Nam quid Dionysius scribit? Quod illud cum Beniaminitis factum est? Quæ jurisconsultorum auctoritates, licere per do-

a *Sext. Vict. Polyen.* 8. *Serv.* 8. *Æn.* b *Cic. pro Muræ. Serv. Æn.* 7. *l.* 32. *de legi.* c *Virg. Æn.* 5. d *Virg.* 8. *Æn.* e *Ovid.* 1. *de ar.* f *Cic. Cat.*

A lum, ac furtum consequi jus suum? (*a*) Etiam nec esse raptum, nec damnari oportere, si quod est aut justa, aut etiam injusta raptus caussa. Sed hic justa fuit: etiam justa, vel si amor mulierum fuit. (*b*)

Si modo nomina rebus
Addere vera placet, non hoc injuria factum,
Verum amor est: neque erit nobis gener ille pudori.

ait Jupiter de raptu Proserpinæ. (*c*) Et Pisistratus filiis, qui gravissima malorum meditabantur
B in raptorem sororis. Quid, inquit, hostibus faciemus, si hæc amatoribus nostris fecerimus? Tu rides, Picene, deos illos. Et bene rides, sed mihi, qui tecum rideo: sed non illi tempori, quod illos venerabatur deos: & ad quod dirigi præsens judicium debet. Imo nec rides, sed excandescis: & sacrilegium accusas: quod Consi Dei consilium sceleri huic obtentum sit scelerosissimo. Animum rege tamen: cogita, stratagema hoc fuisse Romuli ad animandos suos: & commentum illis religionibus sacrilegum non exstitisse. Ita responsum & hic de sacrilegio sit. Sed & responsum de omnibus est per omnia. Neque enim exspectas, (scio)
C ut dicam etiam de Propertio: qui suum casum conqueritur, raptæ sibi amasiæ: itaque deos, itaque astra crudelia vocat. Et ergo concludam cum Plutarcho. (*d*) Raptus admissi a Theseo (inquit) honesto carent velamento: nam sæpius, & nec nubilium, & citra necessitatem admissi: at Romulus semel, unamque sibi assumpsit: & necessarie coactus ad raptum est. Magnæ & meminit charitatis, qua habitæ raptæ. Addit, sic factum, quod quærebatur, ut conjunctio cum vicinis esset: (*e*)

D *Hersiliam cerne, hirsutos cum sperneret olim*
Gens vicina procos, pastori rapta marito,
Pressit leta thorum, & soceros revocavit ab armis.

& per eam conjunctionem mox potentia exsurrexerit omnium maxima. Sic eximium factum, & prudentissimum ad societatem hanc laudat.

Nunc in ipso isto bello Sabino proditionem Tarpejæ virginis facit stratagema Romanorum Picenus. Romanos, veluti columbas veniente aquila, Sabino ingruente fingit exanimari. Ego vero vanissimam hanc partem accusationis audenter af-
E firmem. Quid enim ut Romani, quos vafros censet, & callidos, humeris puellæ rem tantam apposuissent? Et in manu fecerint hostium, ut tenere arcem, neque adservatis cum puella conventis, valerent? Ecquis hominum ineptissimus ita umquam confidit hosti? Et non, quod factum est sæpius, Romani in arce insidias collocassent? Potuit commentum ineptum inire muliercula, sed viri numquam inierint. Et hoc igitur dixerit de ipsa Tarpeja Dionysius. Et Tarpejæ bono animo solennia debita sic sint. Et sic Romani constituerint solennes inferias. Aut quid etiam si Sabini,
F qui puellam contra pacta cæciderint? itaque placare illius manes voluerint? Videamus tamen de justitia. Licebat certe Romanis illa, quali quali, fraude uti. Sed non usi. Itaque condemnatur Tarpeja jam non ab uno: (*f*)

Illa autem, quæ tondetur præcordia rostro

a *Bald.* 4. *con.* 345. b *Ovid.* 5. *Metam.* c *Polyb.* 5. *Val.* 5. *c.* 1. *Plut. apopht.* d *Plut. co. Th. & Rom.* e *Sil.* 13. f *Sil.* 13.

Alitis, en quantum resonat plangentibus alis
Armiger ad pastus rediens Jovis, hostibus arcem
Virgo, immane nefas adamato prodidit auro
Tarpeja, & pactis reseravit claustra Sabinis.

(*a*) Et non aurum tamen adamatum, sed Tatium regem, alii latius canunt. Quamobrem Sabinos accuses tu, qui per turpe lenocinium exercent bella. (*b*) Justus ille Minos, arbiter constitutus mortalium (ut finxerunt) æternus, abominatus aliam est, quæ per sui amorem itidem aperiri sibi arcem volebat. Cum Sabinis mox quid tentatum sit aliud, præter pacem, a mulieribus, sive sponte inferentibus se inter volantia tela, sive legatis, noster divinaculus explicet. Nobis nihil constat aliud, quam quod traditum ab auctoribus est. Sed Romanis hic Picenus timiditatem exprobrat: rectius Sabinis præter lenocinium, de quo diximus; & præter mercaturam, quæ aliena bellis eorum temporum; etiam impietatem, & irreverentiam religionum exprobraturus: (*c*) qui, nihil deos reveriti, quibus Romani operabantur, urbem solutiorem oppresserunt. Hostes crudelissimi, & impiissimi ferias religioni hostium vel invisissimæ tribuunt.

Nos tamen cum longa accusatoris oratione longiores jam sumus in Romulo. Quid fieret? Sic reis duplum temporis ejus ad orandam caussam suam tribuitur, quod accusationi datum sit. Sic decet in seminibus ponendis Romanæ civitatis elaborare plenius, ut surgat facilius, tamquam a robustis radicibus arbor, eniteat felicius, consistat firmius. Sic sequentur deinceps omnia breviora multo, & expeditiora. Atque de plurimis quidem Romanorum bellis stat in partem nostram tacita accusatoris confessio: qui in bellorum numero innumero de pauculis tantum dissertare ausus est. Sed ubi tamen homini mens, quum a Fidenatibus exorditur? Non ipsi igitur Fidenates bellum concitarunt per rapinas, & populationes? (*d*) At scribit fidus ille, & cautus scriptor, Livio prælatus, Floro incomparabiliter præferendus. Quis hic Florus, ut ei contra Livium, & Dionysium fides detur? Imo ager aliquis Romanus fuit: si numquam colonia educitur sine agro: quod antea dictum est. (*e*) Et Strabo agrum aliquem Romulo tribuit: tantum abest, ut neget cum Floro glebam. Aut num iste loquitur hyperbolice, & de minutulo modo intelligit? Et tamen post Ceninenses, Antemnates, Crustuminos victos, & colonos ubique factos, etiam & post Sabinos in civitatem receptos, latusque fuerit agri Romani modus, necesse est: de quo itaque rapere, prædas abigere Fidenates potuerint. Ista sic itum contagione per alios proximos: qui, crescentis civitatis invidi, vexare Romana arma non destiterunt: donec victi, & sub imperium facti sunt omnes. Sic itum in Vejentes: qui bellum Romulo movent, calamitate cognatorum commoti Fidenatium: timore colonorum Romanorum perculsi, positorum Fidenis. Neque ego Vejentum noto aut timorem periculi sui a præsidio tam propinquo; aut commiserationem, & studium erga cognatos. Sed & Romani juste cum Fidenatibus victis egerunt, & mox Vejentibus arma inferentibus restiterunt. Ut sic justum esse bellum utrinque potest. Camerinis quis neget bellum factum justissime? Colonos Romanos, secum habitantes, sustulerunt insidiose. Atque hæc bella

a *Prop.* 4. *eleg.* 4. b *Virg. Cei.* & *Ovid. Metam.* 8. c *Prop.* 4. *eleg.* 5. d *Dionys.* 2. *Liv.* 1. e *Str.* 5.

A sunt Romuli per annos propemodum quadraginta: confecta (opiner) diebus non amplius quadraginta. O bellicosum regem, & bellandi libidine *insanum*! Etiam non vituperaveris cum isto Romulum verbo, non. (*a*) Insanum est magnum; adi ad Grammaticos. (*b*) Audies enim, Regulum sic laudari,

Insano pugnæ tendebat amore.

& Annibalem, *germanum furor acer agebat optatæ pugnæ*. Scilicet heroum virtus, quæ multo excedit communem hominum, non nisi his verB borum excessibus notari potest. Et hoc urbis exordium: & Romuli regnum hoc est: ita cœptum, ita auctum juste: occupatum vi, & armis; sed absque injuria; ut vis, & bellum absque injuria quoque est. (*c*) Sic justum ajunt & interpretes juris Romanum imperium, quod consensu partim, & partim ense quæsitum fuerit. (*d*) Sic Theolog. & Augustinus: *Pro tantis bellis susceptis, & gestis, justa defensio Romanorum est: quod irruentibus sibi importune inimicis resistere cogebat non aviditas adipiscendæ laudis humanæ, sed necessitas tuendæ salutis, & libertatis.* Audis C aliam necessitatem, quam quæ a te dicta est, accusator, Romanorum bellorum, & Romanæ numquam quiescentis civitatis. En, inquis, alterum testem: nec nominas: & injuste facis. (*e*) nam est inauditum, testium, & accusatorum nomina non audiri, & legibus aversum bonis omnibus. Iniquitas aliorum (ait Augustinus) faciebat, ut bella juste Romani gererent: & ut, juste sic gerendo bella, imperium adeo magnum compararent. *Post ubi pericula virtute pepulerunt, sociis, atque amicis auxilia portarunt: & decenter his artibus Roma crevit.* Importunitatem, iniquitatem aliis tribuit Augustinus: necessitatem defenD dendarum rerum carissimarum, & justitiam bellorum, & decentiam principatus parti Romanis: Sileat de injuria Florus: (*f*) nisi eo verbo bellum intelligit non insolite. Sileat de Romulo, & regibus ceteris Minutius: nam probus ostensus Romulus est: & jam ceteri defendentur probi.

Cap. III.

De bello Albano, Tullo rege, & sequentibus.

Tullus sequitur. *Hic ferocior Romulo, undique materiam excitandi belli quærebat*: Sed tamen dum injuste fecerit nihil, tu reE prehendere eum non potes. (*g*)

Sævior ingeniis, & ad horrida promtior arma,
Non scelerata tamen.

Sed tu reprehendere regem nostrum non potes: propter affectus istos ætatis, virium, avitæ gloriæ. Ut his stimulatum Tullum, idem narrat Livius. Naturæ paremus omnes.

Continuo pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit:
F *Stare loco nescit.*

A natura non datas vires frustra, intelligimus omnes: quibus veluti stimulis amor agitatur laudum, & conscia virtus. Deprædicata omnibus est vox Themistoclis, quemadmodum trophæa illa Miltiadis in campis Marathoniis se somnum ca-

a *Serv. Ecl.* 9. *Georg.* 1. b *Sil.* 6. 11. c *Bal. l.* 3. *lect.* 3. *fi. de off. præt.* d *Aug.* 3. 4. *de civ.* e *Pla. apolog.* f *l.* 19. *de cap.* g *Ovid.* 1. *Metam.*

pere non paterentur. Sexcenta sic sunt. Sic philosophis virtus est fortitudinis, etiam heroicæ, quæ amat in periculis esse, & omnibus horribilibus, ubi fulgeat, & virescat. Aut quis ille est potens rei alicujus, qui & non optet, & non quærat occasionem ostendendæ ejus facultatis suæ: quam, natura magistra, non esse sibi frustra velit? Hæc reprehendere Picenus non debuit: ne gigantum fraterculus & facere contumeliam, bellumque naturæ videretur. Reprehendere natales nec debuit Tulli. Tenetis, quæ ad natales Romuli respondebam? Etiam qui reges olim nisi pastores? Et quo alio reges nomine dicti, quam pastorum? Et unde fierent reges optimi, & vero facti sunt nisi ex pastoribus? (a) Quæ sapientes viri explicarunt? Ceterum & majores Tullum nobilem vincunt Hostilii nobiles. Ceterum de viri virtute videamus: &, quæ ejus non putentur, ei nec in judicium attrahantur. In patres Albanos bellum movit, Romanos resides ut moveret in arma viros? Non hoc Virgilius cecinit. Et tamen, si per justam occasionem (huc, huc) quæsitum id est, non etiam reprehendes. Sicilicet cum Jove,

Nec torpere gravi passus sua regna veterno:

Et cum omnibus: qui norunt, hanc bene regnandi esse rationem. (b) Magnus ille accusatoris nostri auctor Cardanus in quinque caussis, quibus bellum juste suscipitur, hanc accenset, ut milites in disciplina contineantur. (c) Ait autem Dionysius, invidisse Romanis Cluilium regem Albanorum: &, non habentem caussam justam, aut probabilem concitandi Albanos ad bellum, curasse, fieri prædas: quod belli materia esset. Livius actas narrat invicem prædas: & negatam restitutionem ab Albanis prius. Ubi Tulli improbitas? Quod curarit callide, ut primi negarent Albani restitutionem? Id neque accusator exprimere ausus est. Nam licet liquido, caussam suam procurare meliorem, adversariorum deteriorem. Et Albani erant audiendi prius, qui rapuerant prius. Cur non restituunt primi, qui primi rapuerunt? Aut reciperent sua, qui restituere aliena negassent? Et sic igitur ipsi agnoscunt Albani a partibus suis injustitiam & confitentur: *Ego, regem nostrum Cluilium caussam hujusce esse belli, audisse videor*: inquit Metius, Albanorum dictator: apud Livium quidem, suspectissimum accusatoris. Sed & Dionysius, (ut monui) laudatissimus accusatoris, hoc idem de Cluilio contestatur. Adfirmetur suspecti testimonium testis ab idoneiori. Hæc itaque belli suscipiendi caussa. In autem gerendo quid est factum improbe a Tullo, aut crudeliter? Quid apud Livium, Dionysium, alios hujus legimus rei? Picene, fortem decet esse, & diligentem in evolvendis, & evincendis criminibus accusatorem, sed mendacem, atque falsarium (non Memmiam metuis?) esse non decet. Mendacium impudens, atque apertum, ut hoc tuum est de improbissimis, & crudelissimis rationibus Tulli in bello isthoc, quas notarint historiæ, ne quidem ex parte accusati, & in patrocinio rei ferendum ducitur. Apertum mendacium: quod apertis libris apertum est. Compositum trigeminorum certamine bellum est. Et in ea compositione mansisset, si tu dictis, Albane, maneres. Quæ enim de Albæ exscidio tragice traducit accusator, ea penitus vana sunt. Pœna fœdifragorum potest multo esse major. Albam diruit Tullus, parentem quidem: sed (d) (ut solent cum coloniis esse dissidia) & imperii æmulam: quod itidem adfatetur dictator Albanus. Et ego quidem fatear, colo-

A niam omnem oportere honore prosequi metropolim suam: sed si sibi ab ea fiat bene: quod si enim male fiat, & secedendum ab ea est. Neque enim coloniæ emittuntur, ut iis serviant, qui relinquuntur, sed ut sint pares. (a) Quæ olim contra Corinthios Corcyræi verissime. Nam pars civitatis emittentis est emissa colonia: adeoque par. (b) At *Albani parentes* (audi tuum Orosium) *ipsa ab initio Romani nominis germina persecuti*. Isti illi sunt (c) parentes sanguinolenti, qui recens natos abjiciunt. Isti illæ immanes feræ, quæ recens natos suos devorant. Attamen Tullus civitatem renovavit potius, & in meliorem fortunam

B adscivit: quam transtulit in Romanam, & multo quidem cum honore, ac juris æqualitate. Plebem Albanam civitatis Romanæ fecit cum Romana plebe participem: patres Albanos patribus Romanis conscripsit. Et itaque non tam periisse Alba videretur, quam in suum corpus rediisse. (d) Quod & historici dicunt. Mittit alia Tulli accusator. Nec enim videt rimulam, ubi suos figere ungues reprehensionis carptorios possit. Et sic reliquos reges (sententia nescio qua generali contra omnes lata, accepta contentus) silentio multo involvit. Sed evolvo ego: nec patiar, aut

C in tempus conferri, aut ad laudem sive brevitatis, sive modestæ accusationis referri, quod a mala liquido caussa est. (e) Bellum cum Fidenatibus, & Vejentibus habet Tullus rursus a Romulo. Cur? Negabant illi, superesse sibi quidquam fœderis cum Romanis, mortuo Romulo. Quod & Latini respondent Anco mox de fœdere icto cum Tullo: & Tarquinio post de fœdere icto cum Anco. Et Etrusci respondent Servio de his, quæ cum Tarquinio pepigissent. Et respondent Sabini Superbo de pactis cum Servio. Quæ frivola cavillatio: & eo iniquior, quo frequentior, & in majoribus rebus. (f) Ipsi Romani utique stare de-

D buissent conventis Albanorum cum aliis, si alii petiissent: & obligatio est ex jure unionis civitatis Albanæ cum Romana. Cur non igitur alii stare iisdem conventis debuerint? Soloque cum Romulo fuit fœdus Vejentibus, quod fuit in centum annos? Et fœdera cum regibus, non cum populo Romano contrahebantur? Aut fœdera cum Romulo rege, non cum Romano rege contrahebantur? Relegatur formula fœderum. Bellum & Sabinis indicit Tullus: quod utrinque factæ essent injuriæ: & res nequidquam repetitæ essent. Sed Sabini ad Feroniæ fanum, mercatu frequenti, negotiatores Romanos comprehenderunt: ad lo-

E cum, qui religione habuit tutos præstare omnes, (g) in tempore, quod per summam libertatem congregare mortales solet: eos homines, quibus passim securitas, & privilegia sunt contributa. Quid hic Sabini? *Suos prius in lucum confugisse, ac Romæ retentos*. De re transacta ante bis quadraginta annos, hoc est, de bis præscripta, perque longissimarum bina tempora præscriptionum, respondent. Etiam postquam Tatius in urbem convenit. Etiam postquam Numa omnium circa finitimorum animos fœderibus, ac societate vinxisset. Et hæc Tullus. *Sequitur jactantior Ancus*. Qui Latinis despectus, Numæ nepos: id

F est, deses quasi ut avus intra sacella, & aras acturus regnum. *Incursionem faciunt in agrum Romanum: & repetentibus res Romanis superbe responsum reddunt. Sed medium erat Anco ingenium, & Numæ, & Romuli memor*. Et itaque jactantior: qui unus duorum præstantissimorum regum gemina virtute fulgebat belli, & pacis. (h)

a *Phi. Jose. Moys. Serv.* 11. *Æne. Cl. Alc. Str.* 1. b *Card. ene. Ner.* c *Dionys.* 3. d *Pla.* 6. *de legi.*

a *Thucyd.* 1. b *Oros.* 2. *c.* 4. c *l. ult. C. de pa. qui fi. su. dis.* d *Jor. de re. succ. Flor.* 1. e *Dionys.* 3. 4. f *Decian.* 2. *cons.* 14. g *Alc.* 5. *cons.* 23. h *Serv.* 6. *Æn.*

aut vir sane popularis, & qui favorem amaret populi: ubi laus hæc prima regis istius esto. (*a*) Etiam jactantia sui non vituperetur, quæ sæpe necessaria: ut hic, quum vindicanda est nostra a calumniis existimatio. Verum enimvero Ancus jam non vituperatur ab accusatore: sed laudatur: qui, jure invento fæciali, iniquitatem decessorum suorum damnaverit. Et hic dicitur a Servio honorato testimonium. Quem & ego quidem honorem bonum, & honoratum Grammaticum. (*b*) At quis mihi aurum Servii colliget tot inter sordes intersperfas, & dicat, Servius hic est? At ostendimus nos, nullum illatum a Romanis bellum hactenus non justissime. At vero Lactantii verba non moror. Afer ille, non a Firmo Piceno, ut auctor nescio quis de Piceno nuperus putat. Ostendemus & reliqua (quod contra istum sit) bella Romanorum justa. Interim Afer: & Afrum item, qui se præstantior incomparabiliter, contra habet, Augustinum. Non audistis? Noli illud ridere Africæ. (*c*) Ille Servius sic deprehensus alibi gratificari huic suæ genti. (*d*) Sic Afri dicunt Africam decus terrarum. Audivimus nunc tres caussas, cur bellum Ancus Latinis fecerit, sui despectum, fœderum rejectionem, rapinas. Quæ singulæ justæ. Et quod Latini negabant, nihil sibi cum Romano imperio, etsi sibi fuisset cum Albano, sane injustum erat perspicue, sane injustum. (*e*) Nam aut unita civitas Albana erat Romanæ, & subdita: atque quæ omnia erant civitatis Albanæ, transierunt in Romanam; maxime quando & exstincta Albana erat aut duæ hæ civitates erant simul unitæ: & Albanæ igitur adhuc stanti cur non paretur, ut prius? Vere tamen exstincta hæc erat, in Romanam translata tota funditus. Dicam definitiones juris hic aptas? Si paterf. arrogatur, omnes, qui ei subsunt, veniunt simul in potestatem arrogatoris. Capellæ, & beneficia Ecclesiæ, quæ unitur, transeunt in potestatem, & qualitatem Ecclesiæ, cui uniuntur. Si evincitur Ecclesia, cui fit unio, etiam unita evincitur, &c. Et sic bellorum (ut dico) justæ caussæ. Bellatum civiliter, & more antiquo miti: ait Dionysius. Finitum bellum solenni more Romano, victis in urbem adsumtis, & collocatis. Atque hæc Ancus.

Vis, & Tarquinios reges? Prisco bellum a Sabinis illatum prius, & deductum ad portas urbis, quam, non dico, res essent repetitæ, & ipsum indictum, sed ne intellectum quidem esset. Etiam Latinis tulere adversum nos auxilia. Et itaque cum Sabinis bellatum. Bellatum cum Latinis: qui fœderibus cum decessore ictis abnuebant persistere. Bellatum cum Etruscis: qui se contra steterant cum Latinis. Hæc Prisci.

(*f*) Servii bellum memoratur cum Etruscis gestum: qui nihil sibi cum Servii imperio; nihil cum societate; nihil cum amicitia esse dicebant: quæ cum Prisco pepigissent.

Sic & Superbus justa movit arma in Sabinos: qui, solenni hoc sophismate, post Servii mortem detrectabant pacta cum rege, & Romano populo. Quamquam istum regem ego non tuear: quem populus semper est detestatus. Sed dicendum sit tamen, movisse illum justa arma in Pomptinos: qui legatis nostris res repetentibus responderunt superbe: hoc est per facinus, & scelus ingens. (*g*) ut superbia apud majores sic accipitur: & ut sic Tarquinius hic est Superbus cognominatus. Movit in Gabinos, & Volscos: qui contra se pro

A Pomptinis arma tulerunt. Quid ais fraudem in Gabinos malam? Fraus in hostes est bona. Minime Romanam dixisses cum Livio: & vicisses non magnanimam, non heroicam: sed nec vinceres propterea improbatam gentibus, aut aliter injustam. Ergo is quoque *nec, ut injustus in pace rex, ita dux belli pravus fuit: quin ea arte æquasset superiores reges, ni degeneratum in aliis huic quoque decori obfuisset*. Audin' quale tuum argumentum a civilibus gestis ad externa? Ais, Romulum senatorum manibus discerptum: *manavit enim hæc quoque, sed perobscura fama*: inquit B Livius. Quæ valida probatio est accusatoris, maxime accedente convicio Maximi: quod & ab eadem est fama. Et quisquam mortalium credat, agi ad illum modum cum Romulo potuisse, vel si terræ misceri cælum contigisset, qui trecentis stipatus semper militibus studiosissimis cingebatur? Ridet adversarius, sublimem raptum procella, & translatum in cælum. Atque ego de cælo etiam rideo. Sed procella cur raptus non fuerit? Id affirmat Plutarchus, & aliis quidem exemplis allatis. (*a*) Id magicum factum affirmant alii: an vero hostis iniqui magicum? an factum dæmonis, qui novum excitare idolum voluerit? an etiam ipsiusmet Romuli? cui aut philosophi illius fuerit C mens, qui in fornacibus Ætnæ induere opinionem voluit divinitatis; aut etiam mens Alexandri, qui in fluentis Babyloniæ sibi idem destinarat: nihil hoc ad justitiam, quam hominum quærimus. Si sibi Romulus magnus, qui sibi civitati suæ animos facere voluit, sapiens, patriæ amans. Si Romulo dæmon maleficus: quis vi majori obsisteret? Si maleficus hostis, & hostis quoque est injustitia: quæ in genere isto quum est frequentior, hic quoque fuerit verisimilior. Tullus magicis item, procuratis male, periisse narratur constantius. (*b*) Aræ apud majores non incen- D debantur: sed ignem divinum eliciebant (hic Jovis illius Elicii) precibus: hæ male conceptæ mortem cum igne eliciebant. Atque sic facere dæmones soliti: ut sunt æmulatores Dei veri: (*c*) qui filios Aharonis, sacra sua non rite tractantes, immisso a se igne interfecit. Et illum interfecit, qui nutanti arcæ manum admovit imprudenter. (*d*)

Scilicet in superis etiam fortuna luenda est,
Nec veniam, læso numine, casus habet.
Omnis & in magnos culpa deos scelus est.

E Sic rectius, quam illic,

At bene si quæras fortunæ crimen in illo,
Non scelus invenies, quod enim scelus error habebat?

Sic est de Tullo. Tui facessat hinc testimonium Zonaræ. Ancus autem si insidiis periit, an illico insidiæ a Tarquinio exstiterunt? De insidiis præstat nobis (fateor) aliquod argumentum Plutarch. ne- F que tamen aut expressum ejus de Anco est testimonium, aut de Tarquinio ullam præbet conjecturam. Et Tarquinius cur vituperetur, si regnum, nemini debitum, at patens omnibus, affectat a populo, hoc est a domino? Et curat, se, non impuberem Anci prolem, præfici regem bellicosæ, & jactatæ tum civitati? Cur iste, cur Servius re-

a *Plut. quo. q. p. se laud. Card. 3. de sap.* b *Mag. 1. Misc. 2.* c *Juni. Tert. de pal. cap. 1.* d *Sext. Vict.* e *Eug. 1. cons. 43.* f *Dionys. 4.* g *Serv. Æne. 11.*

a *Bod. 2. dæm. 4.* b *Serv. 12. Æn.* c *Lev. 10. 2. Sam. 6.* d *Ovid. 2. Trist. 1. & 1. de Po. 11. 7. Meta. 3.*

gni audiant invasores? *Servius tanto ejusdem consensu populi electus, quanto haud quisquam alius ante rex declaratus est: & voluntate patrum a principio statim regnavit.* Huic proles regia Prisci non objicietur; quæ regnare etiam fuisset dignior. (*a*) Nam & populi beneficium nec est dignitati cujusquam obstrictum; (*b*) & nec filius, nepósve Prisci Superbus fuit: sed aut filius, aut nepos fratris, qui Collatiæ in præsidio derelictus. Superbus vere regni invasor: & quem ferre populus nequiit: & cujus unius superbia fuit caussa, ut ipsa quoque regia dignitas tolleretur. Quid hic arrodit Orosius? Quid ad te, quid hic, aut ille de re velit facere sua? Regnum populi erat. Regnum habere populus noluit. Clamat anus Sicula, se vereri progeniem patribus vitiosiorem. Et hoc quoque probat Picenus argumento, reges omnes improbos exstitisse, quod statum ipsum regium passus diutius non est populus. Et hoc quoque sic torquet extra civitatem, quia non sic sint habitus animi, ut vestes variabiles facile, & momento. At boni ostensi sunt omnes. Quid argutamur? *At libertatis originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod diminutum quicquam sit ex regia potestate, numeres: omnia jura, omnia insignia primi consules tenuere.* Et hæc infantia populi Romani est, innocentissima. Desine, tu accusator, tragica scelera, parricidia infanda clamitare. Non hæc Pelopis regna. Non hic crimen per ducentos potes notare annos. Hæc infantia populi Romani. (*c*) quum is, veluti in cunis Hercules angues novercæ aggressores robusta strangulavit, stravitque manu, sic vicinos illos invidissimos, inquietissimos, etiam Albanos, non patres amplius, at sævissimos vitricos, fregit, domuit, adegit sub imperium; docuit, esse quietos, & sibi obtemperare melioribus.

CAP. IV.

Bruti, Scævola, Africanus, alii.

HInc verius, & certius agitur de gestis populi Romani: quippe jam liberi. Sed liberatori Bruto statim obloquitur accusator. Objectat inhonoram simulationem fatuitatis, proditionem in cognatum regem, perfidiam in collegam innocentem. Nominat autem mihi Socratem: qui oratione, sibi a Lysia composita, uti noluit. (*d*) Sed tamen nec licebat Athenis, alterum alteri patrocinari: adeoque nec fraudem istam facere legi, & alterius uti alterum oratione. (*e*) At ad dissimulationem dicam Ulyssem? qui mentitus est insaniam: dicam Metonem? dicam Solonem? (*f*) dicam, qui finxit stultitiam multo luculentius, Davidem? *Stultitiam simulare loco, sapientia summa est.* (*g*) Duplex est sapientia: ut scribunt, qui scribunt de sapientia: & qui sapientissimos hic illos appellant, Ulyssem, Solonem. Neque vero par Socratis caussa, & Bruti est: ut oratio quoque ostendit adversarii. Ille enim anteactam vitam bene multam infamasset, & sæpius traditam abolesset doctrinam de contemptu mortis hujus: & vir auctoritatis summæ exemplum edidisset omnibus periculosissimum. (*h*) Non hac nostra (Eleazarus inquiebat Macchabæicus) ætate dignum, & canicie, simulare: exemplum relinquere aliis ignobile: & meæ maculam sene-

a *Cic. pro Muræ.* b *Vall. jud. Liv.* c *Serv. 8. Æn.*
d *Quinct. 2. c. 16.* e *Plut. Alci. & co. So. & Popl. Just. 2.*
f *1. Sam. 21.* g *Card. 3. de sap. Cic. 1. de off.*
h *2. Mac. 6.*

A ctuti comparare abominandam. Is ajebat, quod & tu argumentaris, Picene, propter paululam istam, & momentaneam vitam non oportere leges Dei deserere; qui judex nobis æternus est. Ceterum neque Bruti factum, quale Eleazari, erat: neque nobis defendendi Romani sunt ad Dei legem; qua & Romani condemnantur, & Græci, & barbari. Laxius hoc judicium datur. Et Brutus igitur in ipso ætatis ingressu magis habuit de futuro, quam de præterito cogitare. (*a*) Venit autem mihi in memoriam Cato Uticensis; qui per mortem quidem sibi fugam a servitio fecit: filio tamen, & aliis servitutem subire suasit, &
B in meliora se servare tempora reipublicæ. Neque enim alii, ut ipse, infracta semper usi libertate essent: sed cesserint temporibus sæpe, & tempestatibus: aut in experimentum nullum antea venerint. Quæ & M. Tullius pro se, pro aliis, qui verbis efferebant Catonis facinus in cælum, nulli imitabantur. Ad sectam Stoicam, & personam Catonis, adque personam Socratis hæc pertinent facta. (*b*) Et ne nescias tamen, Picene, ipse etiam Cato deseruit aliquando proposita sua, sive vincente juniorem illum infirmitate humana, sive quia nihil a pertinacia sua commodi videret publici, solum suum incommodum. Etiam natus, e-
C ductus Cato in civitate libera: at Brutus in serva, sub tyranno. Ut impar sit semper a Catone, & similibus ad Brutum ratio. Brutus & in patriæ commodum simulavit: & per commodam mox occasionem juvandæ patriæ eam mox fatuitatis simulationem fortiter posuit. Semper cogita ut de commodo patriæ; quod res omnes gestæ sequentes ostenderunt luculenter. Quid mihi osculum terræ latum criminaris? Non illud necessarium, ne prævenissent Tarquinii? Non necessarium, ut novum regnum, consulare suavius, ipse induceret? Etiamne perfidiam fidelissimo patriæ vindici
D objectare? Id vero neque justi est, neque vehementis accusatoris, sed absurdi, & impotentissimi calumniatoris. Nam de tyranno quid dicam? Nullum est jus, quod quemquam arceat a pernicie ipsius; (*c*) ut pleni sunt omnes omnium auctorum ea de re libri. Et de avunculo quid respondeam? Exsuisse necessitudinem istam, & abjecisse avunculi nomen avunculum prius; qui Bruti fratrem occiderat. Neque Brutus alter, hujus progenies, certe imitator, aut vituperatur hic, aut vituperari potest. Siquidem nec est verum, Cæsari eum exstitisse ingratum, cui debebat nihil: ut hoc Seneca censet: de quo auctore retu-
E lit tam multa verba accusator. In jus dandi beneficii injuria venerat Cæsar: ait Seneca. (*d*) Et hoc beneficium est latronum, commemorare posse, iis se dedisse vitam, quibus non ademerunt. Imprudentiæ damnat Seneca Brutum, & alius non nemo hodie. Belle sane post exitum. Sed si recenti adhuc tyrannide, & nullis ei comparatis subsidiis, ac munimentis tempus ejusdem oppugnandæ, atque tollendæ non erat: an firmato post successore Octavio idem fuisset? quum aut superfuisset nemo, qui aut vidisset libertatem, aut servitio non insuevisset? Viden', Caligula occiso nec potuisse liberta-
F tem restitui? Sed & post crudum hoc servitium Cæsaris, Octavii longas fraudes, Tyberii libidines, Caligulæ furores eduxerint pavitantem, & stolidum hominem Claudium ad fastigia dominationis. Verum si judicium istud judicandum fuisset, quum puer esset Octavius, & pugnabant inter se Juliani: aut quum obsessa Italia a Sexto, Oriens totus ad usque littora maris superi te-

a *Dio. 42.* b *Dio. 38.* c *Savon. 10. epit. eth. 23.*
d *Cic. phi. 2.*

nebatur a Bruto potenter: aliam dixissemus sententiam semper in eum diem, qui postremus Bruto, & (*a*) improspere (non imprudenter) repetitæ libertati fuit. (*b*) Sed iniquissima hæc est ratio judicare ab exitu. Sed injustitiæ (quæ propria modo agitur caussa) damnatur Brutus: qui optimam, & necessariam reipublicæ formam subvertit: & sustulit principem, in quem juravit. De optima tamen forma unde probatur? (*c*) Est quidem monarchica ceteris dignior: sed non propterea melior est, & semper aptior. Aut etiam, quod de regio statu disputatur, id de tyrannico, qui erat Cæsaris, & qui est omnium deterrimus, fiet? Aut quæ audiuntur aliquando de simplici regio supra simplicem optimatum, eadem supra utrunque mixtum & populi, qui Romanus, & qui est omnium optimus, vera erunt? Etiam unde illa necessitas monarchiæ probatur? ut credere ita possimus, optimam hanc exstitisse pro illorum temporum occasione: & non tam interiisse civitatem, quam renatam in melius. Imo enim imperium illud amplissimum, diffusum per varias, & feroces gentes plurimas, rectoribus indigebat plurimis, & diversissimis. Quid Q. Catulus, M. Cicero, alii ejuscemodi viri optimi, & præstantissimi artium pacis in bellicosis provinciis valeant? Quid Marius, quid ipse Cæsar, alii alieni studiis pacis in procurationibus pacatis, & otiosis? Sed & arduum semper, & subjectum fortunæ, nec unius mentis moles, regendi cuncta onus: & plures facilius munia reipublicæ sociatis laboribus exsequuntur. Ut ita pro magnitudine ejus imperii, forte infideliter, at digne Tyberius disserebat. Ostendunt sequentia tempora veritatem orationis: quum cogerentur sæpissime imperatores adsciscere sibi collegas imperii: qui rem regerent suam, non servi procurarent unius domini utilitatem. Et sic illud imperium partitum sæpe in plures fuit. Tantum vera potest necessitas supraque naturam regni: quod (& vulgo dicitur) non capit duos. Sic est, sic in imperio Europæ, Africæ, Asiæ. Ut si princeps pede premat Asiam, jam Europa assurgat, & Africa: quod vides, sedentibus Constantinopoli imperatoribus. Ut, quum ruptis objicibus, & aggeribus hinc, atque inde, inundet aliqua fluvius, necesse est: dum illi ubique obstruere nequit agricola: ita imperio illi factum cernis per inundationes varias barbarorum, frustra excurrentibus principibus in diversa terrarum, impotentibus ad omnes partes simul stare, & obsistere contra. Non mihi unas Asiaticas gentes amplissimas, & regnatas unius imperio diutissime quisquam commemoret. (*d*) Molliores enim illæ, & ut facie, ita moribus ubique sibi similiores. At sola Europa, imperii Romani pars, quantam habet dissimilitudinem? quantam ubique difficultatem? Non mihi afferat Dion, popularem statum, evectum ad imperium magnum, recte esse non posse. Neque enim magnitudo perdit, sed pravi mores perdunt formam reipublicæ. Nihil dicis de ratione, quam nominas, Dion, pro assertione tua. Nihil de experientia dicis. Respublica Carthaginensis, & Romana stetere diu. Stetere diutius, quam minores aliæ. Aspice ad Græculas tuas. Me tamen decet esse brevem. Adi ad Aristotelem; qui unus docet omnes: (*e*) & qui respondet tibi, imo in majoribus civitatibus non facile aliam, quam popularem posse esse regnandi formam. Tu autem accusator quid agis? Ais mox tyrannum Cæsarem. Jus au-

a *Tac. ann.* 1. b *Plin.* 5. *Ep. ult. Plut. Cra.* c *Picc.* 10. *ci. ph.* 11. d *Hipp. de aer. aq.* e *Arist.* 3. *polit. Picc. ci. ph.* 13.

A tem jurandum tyranno præstitum obligat? Ubi justitia? Hæc est tribuere cuique suum. (*a*) Sed latroni scelestissimo non debetur, quod illi nunc promittitur juramento. Ubi judicium? Abest mens tyrannum expavescentibus: & itaque jure legitimo omnia rescinduntur, jurataque, quæ sub tyrannide gesta sint. Ubi veritas, reliqua jurisjurandi comes? sine quibus nec est jusjurandum, sed perjurium, adeoque nec observandum. Tyrannum dicere principem, sanctum, patrem patriæ id genus aliis nominibus, quæ metus congessit in Cæsarem, id vero ab omni vero alienissimum est. Non pudet, fœdi Cæsariani mancipii, B ac fugitivi, Valerii Maximi verba pro Cæsaris principatu recitasse? Valeat homo iste; audenter dico, valeat: valeat sive cum (*b*) parvitate, quam ipsemet suam accusat, sive cum pravitate, quam hic cernimus suam ad unum omnes. Valeat hoc loco, vir alioqui vere maximus, Dion: (*c*) qui, item veritus tyrannos, sic scripsit adversus Brutum: pro quo Bruto scripserit Plutarchus, multo maximus. (*d*) An non etiam ille Stoicus, vim veritus tyrannidis, sic carpit generosos istos libertatis ultores, Seneca? Valeat Etruscus poeta, sane valeat: qui, in jus pervadens ponC tificis, nec Brutum solum aliosve tales, sed & (nefas Gibellini hominis) ipsos pontifices pro arbitrio trudit ad tartara. Fremant omnes licet, (*e*) *deorum est immortalium beneficio, & munere datum huic reipublicæ Brutorum genus, & nomen ad libertatem populi Romani vel constituendam, vel recuperandam.* Fremant omnes licet, testimonium hoc verissimum est. Sed non fremunt omnes. (*f*) Etiam viri summi hac stant nobiscum: & duos hos probant Brutos: unum, quod tyrannum, alterum, quod hostem perdiderit. Etiam hi viri summi theologi sunt. Quamquam extra theologiam hæc est quæstio. Ut non ferendus sit D adversarius noster, qui objectat theologos. Cur vero & perfidiam priori Bruto objectat? Neque enim a Tarquinio, sed a populo, qui regumque tempore detulit magistratus, tenebat Brutus suum. Et itaque, quod a populo accepit, id pro eo populo exercuit fidei plenus, non perfidus. Quid si aut tenuisset a rege? (*g*) Trajanus ipse præfecto, quem urbi constituebat, dum tradit insigne potestatis pugionem, sic addit, ut eo ferro pro se præfectus uteretur, si etiam se videret imperantem juste: si autem, idem contra se stringeret. Scilicet salus populi lex suprema: cujus populi possessio & regnum est, & magistratus omnis: E non est populus possessio regis, aut magistratus. Aut quid hic conquirimus magistratus? (*h*) Etiam a privato tolli tyrannus potest, (audi projectam ejus caussam) etiam veneficio, proditione. Etiamne collegæ perfidus? Aut Augustinus quomodo innocentem censuit Collatinum, & virum probum? (*i*) qui, patriæ, ac libertatis proditores justo affici supplicio non ferebat: & qui, bona tyrannis reddenda esse, censuerat. (*k*) Hæc juris non sunt. Sed fuerit de reddendis bonis, ut Dionysius credit, honestum consilium: etiam de maleficis non puniendis fuit imperium ejus honestum? F Quod si in factum istud intuitus esset & M. Tullius, & Livius, & Augustinus, non in solam occasionem illam nominis: non scripsisset primus, non fuisse admodum cum honestate conjunctum exilium Collatini: non secundus, excessisse isthic modum illos libertatis amatores: non tertius, etiam virum bonum Collatinum fuisse. Tu

a *l.* 31. *depo.* b *Val. Max. prin.* c *Xiph. Cæs.* d *Mont.* 2. *ess.* 10. e *Cic. phi.* 4. f *Sot.* 2. *de ju. q.* 1. *a.* 3. *& lib.* 5. *q.* 1. *a.* 3. g *Sex. Vict.* h *Cov.* 2. *de sp. c.* 3. §. 4. i *Dionys.* 5. *Plut. Popl.* k *l.* 5. *C. ad leg. Ju. ma.*

mihi, Picene, judica. Non solum nomen intulit civitati terrorem. (*a*) *Tantum ob nomen, & genus regium:* inquit Florus. Factum illud plusquam regium eximere perduelles meritis pœnis. Quod non ausus Tullus rex in benemerenti (scitis) Horatio, & in delicto longe minimo. Illud factum perculit civitatem. Quod refertque Livius, *nescire Tarquinios privatos vivere*. Hoc est nomen, quod civitati non placuit. Non ipse displicuit sonus nominis, & litterarum, sed familia illa. Hoc est nomen invisum. Odiosus populo Callatinus propter cognationem: ut inquit Plutarchus. Manserunt in civitate alii ejusdem nominis, sed non (puto) ejusdem familiæ. (*b*) Meminit non multo post Livius L. Tarquinii magistri equitum: alii post nominant Tarquinios alios. Quid vero dicam levissimas occasiones, per quas evecti ad regnum sunt plurimi? (*c*) *Regillani nomen a regno: sit igitur rex Regillanus:* sic per jocos, & lusus nominis Regillanus quidam imperator effectus. Non hæc timuisset populus? qui videbat perspicue, teneri regni cupiditate quamplurimos, regum captos amore etiam cognatos Collatini Vitellios, etiam filios Bruti. Hæc res est. Illa infelicitatis Brutorum nihil ad rem: quæ in abdito sunt consiliorum Dei. Sed liber jam populus, & oppressis internis hostibus: ecce subit Porsennæ bellum pro eadem retinenda libertate justissimum. In quo sunt tamen defendendæ mihi insidiæ Scevolæ. Defendo. (*d*) *Suprema pericula semper dant veniam culpæ*. Supremum periculum urbis scimus. Licitæ illæ insidiæ in tyrannum: ergo & in socium tyranni. (*e*) Nec enim his solis, qui occiderunt parentes, sed & consciis, & adjutoribus quoquo modo, pœna est parricidii constituta. Licitæ illæ insidiæ etiam in hostem justum; quid ni, scilicet, hostem interficere; & per insidias? Aspice omnes historias, ubique structas insidias, captos insidiis videris. Defendendum est etiam mendacium Scevolæ. Defendo. Nego, Scevolam mentitum de aliis conjuratis: (*f*) & auctorem do Milesium Aristidem. Nego, non licitum fallere mendacio hostem: non dolus adversus hostem est bonus: & mendacium dolus est. Nec potuit Scevola rationem ullam habere meriti in se a Porsenna collati: cum publica staret hostilitas, & pene oppressa patria teneretur. Privata gratia privato debebatur beneficio: quæ nihil de publica tolleret charitate; nihil Scevolæ, militi patriæ, imminueret de eo debito, quo patriæ tum maxime obstrictus salutem procurare ejusdem cunctis viribus & manus, & ingenii habuit. Audin', quam breviter, quam est responsum veriter? Et sic reliqua sexcenta sunt, quæ bonus tacet accusator, paria istis alia crimina Romanorum. Sexcenta? An sexaginta? An sex saltem? Ne sex quidem notare alia potuit, quæ carperet. Nam, quæ potuit, protulit, etiam hæc inanissima. Audite. Fuerit calliditas, fuerit versutia Martii, qua Perseus rex capitur: necdum fuit aliud tamen, quam in hostem dolus: & in eum quidem hostem, qui perfidus, qui fœdera, cum patre inita, secum renovata, abruperat: (*g*) *quem per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum, ac veneficiorum cernebant*. Quid ais accusator, habitum Martium suis impostorem turpem? Tu vero splendide mendax. Inducias ille annuit petenti Perseo in magnam gratiam: & pacis spem addidit. Num hoc turpe, & injustum, citra conventionem ullam hosti verba

a *Flor.* 1. b *Liv.* 3. Tarquitii *tamen ait Urs. Sall. Cat.* c *Treb. Poll. tyr.* d *Claud.* 2. *Eutrop.* e *f. l.* 6. 5. *de parricid.* f *Plut. coll. Ro. & Gr.* g *Liv.* 42.

A dedisse, & illusisse? Hoc & Africani est crimen. (*a*) Scilicet neque perfidus Siphax, ac dirus, qui cum primis Scipionibus in Hispania amicitiam pactus, cum senatu Romæ repactus, & pactus tertium cum isto Africano in Africa, ne flocci fecit. Quid mox, Picene, declamitas, & maria, & terras, & totam cies naturam rerum? Ecce tibi responsum hic est. Neque primus abrupit fœdera Africanus, qui hostem Siphaci periculosissimum vehebat secum in Africam: nam ipse ante illud tempus Siphax adfinitatem, & amicitiam cum Pœnis contraxerat. Etiam miles Masinissa magis, quam fœderatus fuit Scipionis, & Romanorum:
B quod tanto est minus reprehensioni obnoxium. At si civitatem meam tueri tantum cupiam, non hic clara Siphacis paret injustitia, & accusatoris nostri, qui velint, per unum hominem rumpi fœdera populorum? Cur non petit rex a Romanis, si Scipio Masinissam publico consilio duceret? Verum defendi hic ipsum quoque Scipionem. A quo nec poscat Pœnus Romanas artes, ipse utens Punicis. Lucro deputent, & gratiæ, si quid de magnanimitate Scipionis accipiunt vaferrimi hostes, non poscant veluti debitum. Non cum Latino, aut simili hoste alio res est: qui aperta virtute bellum gerat. Cum Græca calliditate,
C cum versutia Punica res est. Cum Cretensibus (nescis?) Cretissandum. Nesciebant illi certe seniores nostri: qui improbare Martii artificia visi sunt. Sed tamen hoc constitutissimum est, tales teneri oportere, & consuesse rationes bellandi, quales ipsi sunt hostes: mites cum mitibus, sævas cum sævis, apertas cum ingenuis, subdolas cum dolosis. Hoc est juris præceptum naturæ, & omnium populorum, ac civitatum, suum cuique reddere. De his vero jam satis. In præstigiis Fabii, in perfidia Anitii difficultas objecta nobis paullo major videbatur. Et est tamen multo mi-
D nor. Age, quid de Fabio? Nego factum. (*b*) Et Livius, & Appianus ita rem narrant aliter, ut stare narratio Valerii simul non possit. (*c*) Sane plura is tradit, quæ cum alis scriptoribus pluribus non consentiunt: ut id magni critici ad ipsum Valerium adnotarunt. (*d*) Et, mirifice mendacem factum hunc auctorem a sciolis, & librariis, ajunt. (*e*) Et fabulosa censent ejus, quæ testimonium non illic inveniunt, ubi, si vera essent, invenire facile potuissent. Scilicet rhapsodiæ sunt ejus. Tu autem id notes præterea mihi, non esse ab istis scriptoribus veritatem petendam, qui proposuerunt sibi, non historiam
E scribere, sed exempla colligere, quibus, veluti per expressa operibus monumenta virtutis, ac vitiorum, homines aut provocarentur magis, aut magis deterrerentur. Istis scriptoribus veritas quærenda non fuit. Nam & ipsæ fabulæ faciunt, quod propositum istis scriptoribus: & ea est ratio exemplorum ubique, ut veritatem nullibi polliciantur. Is est noster Valerius, dictorum, ac factorum memorabilium amaxarius: & qui nos, novus quidam docendi magister, ducere per tritam solo bonorum viam, abducere a contraria velit, etiam ut fiat (*f*) (sic filius Scaligeri magni) sententiarum affectator ineptus.
F At hic idem Valerius narrationem istam, quæ in manibus est nobis, sic narrat, quemadmodum exponi omne incertum, & vulgi fabulosum solet: *eumdem, ferunt, cum a rege Antiocho, quem bello superaverat*, &c. Et bello etiam superavit Antiochum iste Fabius? Hæccine, fidei infirmissimæ, incertissimæ, decuit huc advocari? Sed etiam M.

a *Liv.* 27. 28. b *Liv.* 38. *App. Syr.* c *Lips. ann. Val.* d *Pigh. ann. Val.* e *Glar. ann. Val.* f *Scal. catal. Virg.*

Tullius, vir proculdubio Romanæ omnis antiquitatis scientissimus, (*a*) *Ne noster quidem probandus est: si verum est, Q. Fabium Labeonem, seu quem alium (nihil enim præter auditum habeo)* &c. Nihil in universa historia est vanius. Anicius superest. Quid reprehenditur? Gentium regem, venientem publica sua ad se fide, supplicem retinet, in triumphum ducit. At imo dixeris non regem, regno exsutum, & quem debitum sibi victum dedi Romani poscere undecunque valebant. Si publica venit ipse fide cum jure suo, non ut majus consequeretur jus; sed ut uteretur, quod erat reliquum spontaneæ deditionis: & neque vi captus, neque invitus deditus censeretur. Et sic supplex venit, non nescius sui juris. Et sic vitæ parcitur supplicis: & retinetur tamen, & triumphatur: qui pejora promeritus erat. Pejora Illyrium promeritum erat; in quod tantum deprædatione sævitum est. An non parsum illis est urbibus, quæ civibus vacuari, ruinis affligi poterant per jus belli? Si venia pollicita eis est argentum dantibus: ecce præstita etiam venia est; vitæ, ædificia conservata sunt. Præter argentum, nolle se aliud quicquam, non dixit Anicius. Alia jam sua erant, quæ exposita oculis, & capta erant. Argentum petit, quod occultum esse valebat, & nec captum igitur, nec suum. Sic est jus, sic teneas, accusator, bona, urbem, vitas fuisse jam populi Romani: & retenta bona, relicta reliqua inveniam. Sic nostri cives inculpabiles. Et sic igitur, per accusatoris argumentationem civitas nostra inculpata.

CAP. V.

Romani bellis inviti,

SEd & argumentatur mox acute, dum contendit, victos Romanos bellis sæpe: victos illo regio, de quo dicebamus, Porsennæ. Victi olim a Tatio: qui regemque se, & Sabinos suos in urbem intulit: & de Romanis Quirites fecit. Bella ratio, per quam victores alii omnes evadant, qui tracti in urbem populi sunt. Hæc est victoria, qua tracti Sabini Romam sunt: spoliatum nomen Sabinum tot millibus fortissimorum civium est: non solum retentæ mulieres raptæ, quæ belli caussa exstiterunt. Cetera ex æquo fuere. Ut sic vicerit Tatius post artes dolosas, furtum arcis, lenocinium, & perfidiam cum puella, & impietatem in deos. Regem se Tatius, & Sabinos suos intulit in urbem: quam & ædificavit scilicet: neque enim Sabinis data casula Romanorum est. Qui & rex erat scilicet: & secum inferret, quos regnaret: quique jure societatis æquissimo in consortium communis regni a Romulo propterea exciperetur, consulente urbi suæ, verissimo patre patriæ. Hæc est victoria: ut, qui urbem subvertere voluissent, res sibi raptas recipere tanto cum apparatu venissent, ii urbem ampliorem efficiant, & res illic suas esse, & ipsos se velint. Nam quod addit de mutato nomine, quid? (*b*) Certe hæc lex victoriæ est, ut in nomen victoris victus transeat, in sermonem, in habitum. Certe dignioris partis hæc est lex, ut ejus serventur hæc omnia.

Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum,
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.

(*c*) Sed Romani a Romulo. Quirites a Quirino

a *Cic.* 1. *de off.* b *Serv.* 12. *Æn.* c *Just. tit.* 2. *Guid. Fa.* 2. *Cic.* 1. *de leg. Flor.* 1.

A appellantur. Silete Grammatici. Roma audit ubique, & ubique Romani: (*a*) non, ut Messana est, sed sunt Mamertini. Aut quid si Quirites in urbe sunt a tuis Curibus? & auctoritati unius id conceditur Dionysii, non tantum Festi Grammatici? Tantulum redditum pro aliis numquam efficere Sabinos victores potest. Etsi eidem tuo credimus Servio, ecce, data Sabinis civitas citra suffragii jus est. Audi. etiam Sabini a Romulo dicti: ut idem tibi notat Servius. Vicit mox Porsenna. *Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat accipere: ingentique urbem obsidione premebat.*
B *Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.* Atque cum omnibus malis, quæ tum illata Romanis sunt, retenta libertas est tamen, & receptus Tarquinius non est: de quibus duobus contendebatur. *Jactatum in conditionibus nequidquam de Tarquiniis in regnum restituendis: magis quia id ipse nequiverit Tarquiniis, quam quod negatum iri sibi ab Romanis ignoraret*: inquit Livius. Et sic igitur dicis (ut dicitur) caussa datum honori regis judicium in caussa tyrannorum. Et de dato judicio sic Dionysius scripserit. Datum judicium regi fuerit, sed extra hanc partem restitutionis tyrannorum. Ut sic decet, scriptores scriptoribus con-
C cordes facere. Datum judicium regi fuerit liberum: sed non tamen (id certum) ut pro libitu, & libidine constitueret, at cognosceret, & juste definiret. Libertas non est licentia: jure cogitur. Atque ad jus rem referre Romani audenter valuere, conscii justitiæ suæ, injustitiæ tyrannorum: tuti vel ab iniqua sententia: cum & obsistere exsecutioni ejus sic possent, ut tutabantur se antea adversus professam vim. Hæc fuit deditio urbis. Quid autem? Retinuerunt libertatem mei. Pulsus abiit tyrannus. Et, qui pro tyranno steterat, judex pro Romanis sententiam tulit. Itaque Romani victi. (*b*) Laudat Plutarchus, judicationem regi datam: sic enim concillaverit illum Poplicola, ad cujus judicium provocaret. Respon-
D det Plutarchus de agri parte ademta: quemadmodum pro eo castra regis opulentissima, omni commeatu instructissima, adeoque multo commodissima urbi famelicæ sint accepta. Et tamen quid si nec acceptum aliquid pro agro fuit? libertas certe retenta est: quæ una utrinque petebatur: libertas est parta; quæ inæstimabilis res est semper.

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Sed & ferrum ademtum nobis? Sed & libertas retenta nobis: ut hoc iterum dicam, atque iterum, quod caput est quæstionis: adeoque dicendum est
E semper. Non igitur vicit Porsenna, qui jussum suum non perfecit. etsi nos dedimus nonnihil honori regis potentissimi, atque vicissim liberalissimi. Vicit Brennus? Et scelere Romanorum petiti Galli? Scilicet illic quoque vituperabimur, ubi laudem ampliter meriti sumus. Fabios namque illos dedendos senatus censuit, & collegium fæcialium: quorum hæc notio erat. Plebi quid feceris, quæ ubique gentium est eadem bellua multorum capitum, aut sine capite verius ullo. De victoria vero Gallorum notet mihi cum eodem Polybio adversarius noster, quod & coacti Galli abire
F Roma, infestantibus Venetis regionem ipsorum; & sic recuperarint Romani patriæ libertatem. Et hoc Picenus capiat, qui alterum ibidem cepit, abiisse incolumes Gallos, non fuisse a Camillo cæsos. Namque illa nunc quæstio magis est, si victi Romani a Gallis sunt. Ecce, Polybii testimonio, quo & utitur accusator, victi non sunt. Etiam

a *Str.* 6. b *Plut. Popl.*

quo & utitur accusator, victi non sunt. Etiam Capitolium occupaverunt, testimonio Tertulliani, Lucani, Silii? (*a*) Non illud scripserit Tertullianus. Occupare, & Capere est opprimere, & obsidione premere. Est, quod Livius, quod Virgilius,

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant.

Quod Lucanus ait de perusto, id minus est: jactis facibus id fieri potest. Et tu de Tacito dicis, quale illud incendium fuerit ad rem nihili. Quid nunc de tuo Orosio? Neque enim negamus nos extrema illa mala obsessorum: sed, illic finitum esse bellum, negamus. Quid mihi de Polyeno? Nescis, hominem Macedonem, hoc est, Romanorum (ut semel utar constituto jure tuo) hostem? Non vides, eum scriptorem stratagematum, non historiæ; hoc est, non de veritate factorum sollicitum, quam de numero qualium exemplorum? quæ vera, nec ne sint, non curare ulli consueverunt. Minus is est, quam testis. At etiam suspectus est: ignobilis est: contrarius aliis est accusatoris testibus majoribus, & accusatoris disputationi: qui, reduces Gallos, & in Galliam aurum avectum Romanum, contendit. Contendit testimoniis, contendit ratione de ista incolumitate Gallorum Picenogallus. An potuit latere, Sangenesium suum a provincialibus Gallis esse? Sed figurata ipsius ratio adversus Camilli inopiam ecce hic quanta est: (*b*) *Conon exulans Cypri, omni alia ope destitutus, excepto corpore, & ingenio, ausus contra Lacedæmonios principes terræ, ac maris: & vicit: & a viro tam abjecto mutatus Græciæ status est.* Sic Isocrates. Addam autem mox plura. Nam (ut nunc sum) annuo Gallorum omnem incolumitatem accusatori: ubi ille tamen non videat Romanos bello victos, sed præliis afflictos, sed ambustos, sed spoliatos quasi a latronibus. Etiam Græciam, etiam Asiam, & sacratissima templa illi vexarunt, qui Romam. Quid tamen vetera ista (ait accusator) conquirimus? Nos, nos Piceni, ducibus Asculanis meis, amantissimis illis patriæ meæ, amantissimis familiæ, nos in summo Romani imperii fastigio Romanos vicimus. Etiam Sangenesiates vos, vos Sangenesiates, vos, qui post ferme decies centum annos exstitistis? Et quibus ea summa laus sit in isto genere, quod in medio positi potentium, ac nobilium populorum, Camerinatum, Tollentinatum, Firmanorum, tenere cum omnibus dignum valuistis locum, etiam de Firmanis trophæa erigere, & splendida ad omnem posteritatem constituere monumenta. Sed vos, vos Piceni, Asculanis ducibus. Id bene ducibus, Piceni capite, colonia nostra nobilissima. Audi tamen, colonia: (*c*) & ita scilicet Florus, Italiam tum contra matrem, ac parentem suam consurrexisse. (*d*) Et ita scilicet non modo extra Italiam nostræ erant coloniæ, sexaginta in Africa sola, & in Gallia simul & Hispania totidem, & plurimæ in orbe reliquo ita, ut dixerit Seneca, *Ubicumque vicit Romanus habitat:* sed in Italia ipsa habuimus centum quinquaginta. Sed de victoria Italicorum non testis producitur, sed tantum ratiuncula. Atque illam nec probes: quæ male confusis temporibus consuitur. Neque enim civitas nostra deferebatur Italicis tum vincentibus at victis: versa re Italica, atque eversa. Feliciter Cæsar pugnaverat contra Samnites: hos Sylla iterum, atque iterum expugnaverat: hos alii vicerant acie, duce orbarant nobilissimo. Idem Sylla Hirpinos domuerat. Ma-

a *Jun. no. Tert.* b *Isocr. or. ad Phil.* sed vide Justi. 6. c *Flor.* 3. d *Paterc.* 2. *Lips.* 1. *de mach. Rom.* 6.

A rius Marsos fuderat: & Marrucinorum prætorem occiderat. Plotius Umbros vicerat. Pompejus Vestinos, & Pelignos acceperat in deditionem: & tuos fuderat Picenos, atque obsederat, & omnia flammis, ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quam Asculi eversione manibus tot exercituum nostrorum, direptarumque urbium fidelissimarum parentaret. Cæsi erant legati Italici, & dux auctor belli ejus Popedius. Et, quum hæc ita se habebant, delata Italicis civitas est. Sic populus Romanus victis aliis eam tribuit civitatem: qui certum agnoscerent beneficium, B non autem aliquid arrogarent virtuti suæ: & itaque faciliores in obsequium civitatis nostræ semper manerent. Hoc vere arcanum ejus imperii: & quidem justum pro eo, quod Romanæ excellenti virtuti debebatur. (*a*) Sic senatus agros dedit lege Gracchi: propter quam tamen & Gracchus occidebatur, & ipse obnitendo legi senatus adiit ad discrimen ultimum. Sapienter (ait Valerius tuus) auctorem seditionis, & seditionis caussam ita sustulit. Etiam hic sapienter meritis data civitas nunc subjectis, quæ antea superbis denegabatur. Neque enim justitia caussæ est satis, nisi eadem justeque proponitur. Ut quum indignus vir C quidam id proponeret, quod foret civitati suæ utilissimum, non antea exceptum fuit tamen, quam mutata persona proponentis idem consuleret alius. Atque sic Italici, & Piceni, & Asculani vincunt: cæsi, dediti, capti, deleti. (*b*) Sit ille Picenorum sane honor, quod non ante resumsit senatus laticlavia, aut magistratus insignia dignitatum ob victorias alias de Italicis partas, quam ipsi fusi Piceni fuerint. Sit ille honor Asculanis, quod non ante captum Asculum censuerint mei, victores se esse. At victores se dicere Piceni non audeant. (*c*) Sacrum genus Piceni sunt. Quid crudo se mendacio maculent? Nec tu, accusator D noster, novus (*d*) *Equitius Firmo Piceno monstrum veniens.* Admiror, Picenum, non Volscum rebellem, non Samnitem efferum, non alium hostem nostrum implacabilem, sed admiror, Picenum suscepisse istam, & quidem tanta cum libidine, accusationem Romanorum: admiror Asculanensem maxime. Tanta enim, extra hoc bellum funestissimum, fuit Romanis, & Picenis conjunctio semper, Asculanisque, ut soli omnium isti non esse Romæ peregrini viderentur, (*e*) atque videri vellent. (*f*) Laudati præ ceteris sunt Romæ, honestissimarum, ac nobilissimarum familiarum nomine, eloquentissimorum extra ur- E bem oratorum. Quid tantum nobis contumeliarum, & convitiorum rependitur? Asculani, vestram fidem: hunc, delicium vestrum, jam compescite. Ecce enim Parthosque facit Romanorum victores. (*g*) Intulerunt illi quidem cladem nobis sub Crasso: sed mala fraude, manifesta perfidia. Afflixerunt nec aliter Antonii copias: contra quas fluminibus quoque veneno infectis pugnarunt: & fugiendo pugnarunt: nam conserta manu victi semper abierunt. (*h*)

Variisque Antonius, armis
F *Victor ab Auroræ populis.*

Quid sibi Volscus voluit Trogus, qui tantum potuit efferre barbaros illos? An majores vicisse suos, toties cæsos, captos, sub jugum missos? (*i*) Cæsi Parthi mox a Cassio, Crassi quæstore: etiam & Osaces cæsus Parthorum dux: & a Domitio con-

a *Val.* 7. *c.* 2. b *Oros.* 3. *c.* 17. c *Cato orig.* d *Val.* 9. *c.* 15. e *Cic. pro Syll.* f *Cic. Bru.* g *App. Parth. Ant. Dio.* 40. h *Virg.* 8. *ubi Serv.* i *Just.* 42. 43. *Dio.* 40. *Liv.* 108. 112. 128. *Suid.*

tra eosdem bellatum prospere: & repensam Crassi cladem in Pacori clade regis, sive filii regis. (*a*) Augusto Armeniam vindicanti cesserunt facile: & signa militaria, quæ Crasso, & Antonio ademissent, reddiderunt: obsides insuper obtulerunt ultro, & tradiderunt. (*b*) *Etiam Parthi hoc tempore subdidere colla*: verissime Strabo. (*c*) *fortes illi, sed nomine magis, quam re ipsa: ut bellandi eorum ratio ostendit*: quod Dio, qui late de armis, & aliis ejus gentis tradit. (*d*) Et itaque Livius justissime, *Levissimi ex Græcis contra Romanum nomen Parthorum gloriæ favent*. Levissimus hic Volscus, imo Gallus Vocontius, commentus est caussam belli contra Ætolos suscepti pro Acarnensibus, commentus Corinthi, & Græciæ exscidii caussam: commentus de libertate Judæis tributa: commentus de insidiis in Annibalem: & in laudem ejus ducis profusus; aversus Romanis semper, & occasionem nullam umquam oblitus, ubi notare nos potuit. Hic vir, hic est, qui scribit, populos Scythicos intactos, & formidatos nostris fuisse. Cæcus homo ab invidia: (*e*) qui non viderit, Scytharum multos exercitus fusos vel ab uno Pompejo, & totum fere domitum Septentrionem. Ita vero Parthi Romanorum victores semper. Sed hic mihi Ventidius deprædicatur victor: qui ex agro Piceno vir, & Asculanus. Ego autem nec invideo. Non invidet populus Romanus. Quod si velim tamen, Ventidium istum possum Piceno, & Asculo incertum facere, Etruriæ vindicare. Sed nolo imitari accusatorem: & de tenui conjectura, de auctore uno aliquo contra liquidam veritatem, & contra certissima testimonia depugnare. (*f*) Ventidium Picenum, Asculanum scimus. Imo scimus Romanum: ut alii innumeri, qui alibi nati, Romani facti, & reges, & consules sunt. (*g*)

Relligiosa patet peregrinæ curia laudi,
Nec putat externos, quos decet esse suos.

Senator Romanus Ventidius, tribunus plebis, pontifex, consul. Ecce, in quantas ille dignitates evectus in mea patria. Mortuus etiam funeratus publice. Quæ nobis dicenda sunt civitatis, & spectanda facta: non etiam ratio poscenda petulantiæ, vitiive alterius, sive poetarum, sive aliorum: non quid Plancus dixerit, aliusve: qui contrariarum aliquando partium Ventidio exstiterunt.

CAP. VI.

Justitia Romanorum in fœderibus.

AB his autem victoriis de populo Romano partis accedit Picenogallus ad accusandum fraudes nostras in fœderibus malas. Et quærit de cæde Gallorum contra fœdus a Camillo patrata. (*h*) Atque ita nec audivit de suo saltem Floro, per insolentiam ad iniqua pondera additum adhuc gladium, & superbum verbum, *væ victis*. In quo ipsi Galli primi ruperunt fœdus. Sed neque sine Camillo, qui Romæ erant, potuere cum Gallis pacisci: ut nec potest corpus sine capite functiones ullas obire. Quæ ista accusatio est? Et caput rursus nec quidquam faciet absque corpore reliquo. Non hic decipiuntur Galli, non alii. (*i*) *Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus: aut sibi imputet*: inquit lex. Sibi Galli imputent, si obsidio suo jam fatigati recessum sic venditarunt, nec de qualitate emtorum quæsiere: qui, se ut potuissent redimere, Camillo tamen præscribere non potuerunt. (*a*) Etiam qui cum alio contrahit, videtur respectu illius qualitatis contrahere. Quid pallii revolutio? (*b*) quæ & licita. Non dicitur juste, impuberis contractum non valere, a quo abfuit tutor? & non valere contractum sæpe tutoris, ubi pupillus defuit? Sic sexcenta. *Quicquid erat Romæ*: ais accusator, quod ego rapio. Nam Romæ quid erat? Ais, vix mille hominum. Minima igitur pars Romanæ civitatis. Et igitur, quod gestum cum ea est, aut majorem partem non obligavit, aut nec ipsam quidem convenientem. (*c*) Nam hoc jus est, ut actus minoris partis universitatis neque obliget istam: quasi sic actumque fuerit, ut non aliter; quam veluti universitas obligaretur. (*d*) Vocandi sunt absentes, in arduis præsertim negotiis: & qui præsertim absunt ex justa caussa: aut nec ipsi præsentes obligantur: certe non obligantur absentes. Arduissimum illud negotium quis neget? quis, non abfuisse Romanos alios ex justissima caussa? Etiam Corsi huc? (*e*) Qui neque cum consule, sed cum legato fœdus inierunt. Neque par est ratio Romanorum ducum, & aliorum, sed differentia multa per illam clausulam extremi pacti, *Ita id ratum fore, si populus censuisset*. Quæ enim brevicula accusatoris interrogatio est, nihil hic movet, ubi audimus cum exceptione illa initum fœdus: sed aliam quæstionem movet. Et ei respondemus tamen, Romanos ne tum quidem obligatos futuros, nisi adprobassent fœdus. Quo enim jure procurator obstringit dominum ultra mandatum? (*f*) Silentio adprobasse non intelliguntur, ea postquam posita clausula est, *Ita id ratum fore*: quæ si posita clausula non esset, potuit silentium populi inducendæ ratihabitioni satis videri. (*g*) *Nihil interest, facto, vel silentio ratum habuerunt*. (*h*) Silentio & quasi convenitur. Et scientia, & patientia diuturna decennii, negligentia, dolus, præsumtus aliter consensus satis vel silentis. (*i*) Etiam filius exheredatus, si tacet, agnovisse patris censetur judicium: & jus suum naturæ remisisse. (*k*) Romani præterea contradixerunt illico his, quæ pepigerunt duces sui. Viden', Picene, differentias? Quid enim illud, si non publico tacito fuit Asdrubalis fœdus observatum? Et ego enim replicarim, quid si publico tacito observatum fuit? Hoc mecum historiæ dicunt. Hoc ostendunt historiæ. Annibal autem sero huic ratihabitioni turbandæ advenit. At inquis, si pactiones ducum suorum Romanos non tenent, cur integra ab iisdem omnia non servantur, atque restituuntur? Et vero aliquid esse videtur, quod postulas. Sed a quibus facienda est restitutio? Transvolas ad Samnites. Quid ni igitur & Samnites restituant missionem exercitus nostri sub jugum? probra, elusiones, vulnera inermium, & cædes? (*l*) *Id enim est integrum, quod ita esset, ut fuisset*. (*m*) Atque si facta fieri infecta nequeunt: ut Phocylides, Theognis, Simonides, veteres cecinere poetæ, & in leges retulit Tryphoninus jurisconsultus: id quid ad nos? *Restitutio ita facienda est, ut unusquisque in integrum jus suum recipiat*. Et itaque restituere pro sua parte non potenti nec sane restitui-

a *Liv.* 139. *Eutr.* 7. *Suet. Aug.* b *Str.* 6. c *Dio.* 40. *Virg.* 3. *Geo.* d *Liv.* 9. e *Flor.* 3. *c.* 5. f *Pater.* 2. *Val.* 6. *c.* 9. *Dio.* 41. *Gell.* 15. *c.* 4. g *Numet.* 1. *vin.* h *Flor.* 1. i *l.* 10. *de reg. ju.*

a *Alc.* 2. *conf.* 3. b *l.* 8. *de inoff. te. ubi gl.* c *Alc.* 1. *conf.* 4. d *Bar. alii l. omnes populi.* e *Zonara.* f *l.* 65. *de leg.* 1. *Ceph. conf.* 272. g *Pau.* 1. *sen.* 9. *l.* 51. *loca. Alc.* 8. *conf.* 39. h *Ceph. conf.* 647. *Bal. l.* 32. *de leg. Alc. eo. Dec.* 1. *conf.* 92. i *l.* 16. *de inoff. te.* k *Amm.* 25. *P. Diac.* 11. l *Hirt. de be. Alex.* m *l.* 12. *de cap.*

tur. (*a*) Non restituitur aut minori annis, si plena non est & a parte sua restitutio: ut hic a Samnitum parte esse non potest. (*b*) Non restituitur aut minor, qui locupletior effectus sit: ut hic locupletiores effecti Samnites sunt, satiati calamitatibus hostium. Et hoc enim lucrum est, hosti fecisse male. (*c*) Non restituitur minor delinquens: ut hic deliquere Samnites: qui adversus suum fœdus probra, vulnera, mortes intulerunt, non contenti armis, vestibus, bonis aliis Romanorum. Quid agetis Samnites? Isthæc ultima, viliaque restituetis? Sed prima illa, & præcipua an vultis? (*d*) an potestis? (*e*) Neque purgatio moræ admittitur, ubi impossibile est, rem reponere in statum pristinum. Vos igitur non restituitis. Vos fœdus illico abrupistis vestrum. (*f*) At etiam non dati obsides vobis sunt sexcenti? dediti consules, & sponsores reliqui? Et his igitur omnibus contenti esse debetis. Non enim populus Romanus vobis promisit, & veluti fidejussores, ac pignora dedit obsides, & sponsores: quo casu accusare ejus infidelitatem possetis, etiam obsidibus, & fidejussoribus in manu existentibus vestra. Sed aliqui promiserunt, Romanum populum habiturum ratum, & iidem in hanc suam promissionem tradidere obsides, & se devinxerunt: quod nihil ad populum. Obsides, promissores relinquuntur Samnitibus. Ubi notetur populus? Deditur Samnitibus Posthumius, alii deduntur, qui polliciti, futuros se se in potestate Samnitum. Si reliquus id pactus esset exercitus: & eum populus non dederet: etiam reprehendere posses populum. Ceterum illud stat certissimum, ut Gallis antea, ita Samnitibus nunc fœdera servari nullo modo oportuisse, qui fœdera non servarunt. Atque ita de populo: quem tuemur. Nec tamen aut illa Posthumii dediti ludibria sunt: ut, Picene, credis. Ille enim, aut se confecturum fœdus promisit, aut deditium futurum Samnitum: quæ conventio & ex parte istorum stat: qui, habituros eum dedititium, simul stipulati intelligentur. Et ergo illorum erat Posthumius. Hæc tamen ad rem nihil. Stratagema hominis fuerit ad animandos suos. Stratagema justum est. Dico, neque fuisse quidquam fœderis ejus? (*g*) Aristides utique scripsit, imo cæsas in illis angustiis legiones Romanas, & ipsum Posthumium. Dico, Romanorum æquitatem in omnibus his contractibus fœderum? Ætolos sane deceptos se verbo uno existimantes restituerunt in integrum. Sed satisfactum Samnitibus est, & Samnitum patronis. Et defensio hic est, non laudatio Romanorum.

CAP. VII.

Caussæ belli Samnitici, & aliorum Italiæ.

Videamus igitur caussam belli Samnitici, & aliorum per Italiam: quæ gesta sunt post primum a libera civitate, & pro libertate confectum, a quo in Samniticum, hac digressione de Romanis victis, & de Romanis perfidis, quasi saltu aliquo magno transiliit accusator. Decet enim adfirmare gravissimorum virorum testimonium: qui, arma numquam, nisi justis de caussis, sumta a Romanis, tradunt. (*h*) Bellum contra Auruncos fuit: ad quos oppida Romanorum, coloniæ Latinæ defecerunt, Pomoetia, & Cora. (*i*) Contra Latinos bellum susceptum: *qui æmulatione, & invidia Tarquinios asserebant: ut po-*

a *l.* 27. *de min.* b *l.* 34. *de min.* c *l.* 9. *de min.* d *Dec. cons.* 73. e *Alc.* 8. *cons.* 4. f *Gell.* 17. *c.* 2. *P. D.* 2. g *Plut. coll. R. & G.* h *Liv.* 2. i *Flor.* 1.

A *pulus, qui foris dominabatur, saltem domi serviret.* Contra Volscos itum: qui auxilia compararunt, quæ Latinis mitterent: & contra eosdem non stantes paci petitæ, & impetratæ, at Hernicosque, & vicinas alias gentes in societatem belli concientes, bellatum rursus. Rursus contra Auruncos: qui agrum bello amissum extorquere Romanis volebant, & in fines Romanos cum exercitu festinabant. (*a*) Bellum cum Æquis tum fuit: qui Auruncis, & Volscis se junxerant. Non tibi justæ bellorum caussæ istæ videntur? defensionis suarum rerum? defensionis sui? & sive defensionis, sive vindicationis adversum eos, qui non

B induerunt modo hostilem animum, sed aperuerunt etiam, junctis cum hoste consiliis, eique armis, & auxiliis comparatis? (*b*) Bellum, quod iidem Volsci, ducente exule Romano, intulerunt, quam habuit caussam? nempe, quod agrum bello captum reddere Romani noluerunt. Et cum Hernicis ita bellatum, qui Volscis se adjunxerunt: & in Romanos arma moverunt. Qui negabant sibi cum Romanis fœdus, ictum cum Tarquinio. Qui negarunt dedere prædatores Romani agri. Horum rebelliones vicinorum assiduæ, & quotidianæ sic exercuerunt sine intermissione per

C annos amplius ducentos populum nostrum. Fuit bellum contra Vejentes: qui Romanis res repetentibus non satis pro jure faciunt: (*c*) Et contra alios mox Etruscos: qui cum Vejentibus fuere: qui & quietos Vajentes concitarunt in Romanos denuo. Vejentes hostes anniversarii: donec rapti funditus, deletiqne fuerunt. Fidenas, Romanam coloniam occuparunt: legatos Romanos per extremum scelus interfecerunt: & idem scelus abominandum, cædem hominum sanctissimorum, iterum minitantur. Fera pectora: quibus toties parsum: quibus seditione laborantibus intestina, itaque deprecantibus bellum, tributæ in-

D duciæ. Immanissimam barbariem reliquorum Etruscorum: (*d*) qui urbis, jam quadringentesimum annum vicinæ, oppressæ ab hoste inusitato inauditoque, adeo nihil miserti sunt, ut in agrum Romanum eo tempore facerent incursiones, plenique prædæ Vejos etiam, præsidium, & spem ultimam Romani nominis, cuperent oppugnare. Sic Romanæ clementiæ, longæ in Vejentes patientiæ, liberalitati incredibili cum Faleriis pueris, curæ rerum Clusinorum usque ad ruinas nostrarum, repensum a cognatis istorum est. (*e*) Sed & iidem Etrusci mox concitant bellum majus, concitis pervicacissimis hostibus Volscis, aliisque:

E ut ne respirandi quidem momentum haberemus a Gallica tum vix repulsa clade suprema. (*f*) Tum & Latini animos tollunt: qui tamen centum annorum pace sic nobis obnoxii, ut ne quidem ad defensionem tractare arma injussu nostro valerent, sed tum, contemtu urbis incensæ, jus civitatis, partem imperii, ac magistratuum, poscebant pari imperio. His & Sabini se junxerant, fœderum, & adfinitatum ipsi quoque immemores. Latinis bellum faciunt iidem Etrusci: atque adeo faciunt nobis, quibus Latini obnoxii erant: ut dixi: & Volscos illos, & Æquos nostros hostes æternos,

F sibi socios addunt, atque alios, qui magnis semper votis adversus civitatis nostræ incolumitatem ferebantur. Antea nec reddiderant Romanis res: nec milites dederunt, in angustiis summis, quos dare ex fœdere tenebantur. (*g*) Caussa hæc raptarum rerum, nec redditarum, caussa belli rursum in Hernicos, Tyburtes, Tarquinienses, Privernates, Veliternos, Cærites. Tyburtes hoc am-

a *Dionys.* 8. b *Dionys.* 8. c *Dion.* 9. 10. *Liv.* 4. d *Liv.* 3. e *Liv.* 6. f *Flor.* 1. g *Liv.* 7.

plius

plius præstitere se hostes, quod Romanis militibus, a bello Hernico redeuntibus, portas occluserint. Tarquinienses immane facinus ausi, Romanos trecentos amplius, bello captos, quasi pecudes, immolarunt. Privernates, Veliterni incursione repentina vastant agrum nobis, in alia, & difficillima bella occupatis Cæritibus, qui & in bello Tarquiniensibus contra nos socii fuere, bellum remissum statim, & induciæ datæ in annos centum: sic remunerantes mei hospitium vestalibus, & sacerdotibus nostris habitum Cære: *ut maleficii potius quam beneficii immemores essent*; inquit Livius. Hæc virtus, hæc, quam nullibi in terris, nisi Romæ repereris. Undique & vitia alia, & crimen ingratitudinis experta Roma. Quis crederet, & Faliscos futuros hostes? At cum Tarquiniensibus juventus eorum militavit: & qui Falerios victi perfugerant, ii redditi nobis non sunt. Quis crederet, adhuc Volscos futuros hostes, toties victos, cæsos, captos, sub jugum missos? Ferocior ad rebellandum, quam ad bellandum gens (ut ait Livius) Latium circumit, & tentat universum, & in nos proritat. (*a*) Obstupescit idem auctor: unde his sic afflictis vires suffecerint, & milites. Ego sane obstupesco, unde animi fuerint adeo immites, & feri, ut perire maluerint millies, quam sub præstantioribus conservari. At nunc de justitia potissimum disputamus: & gradatim venimus ad Samnites. Invenimus vero nihil, in quo non justitia, & virtus omnis Romanorum eluceat. Bellum porro pro Campanis contra Samnites suscipi a Romanis oportuisse, quid vetat? Movet duas rationes Picenus: alteram, quod ipsi Romani met, suscipi non oportuisse existimarunt in Sidicinorum caussa pari: alteram, quod hostes fœderatorum victos, jam jam capiendos, Romani capere defendendos contra fœderatos non debuerunt. (*b*) Respondeo, *nec concedi quidem posse, ut amicis nostris accusantibus non etiam alienissimos defendamus: & ut adversariis amicorum nostrorum de jure consulentibus non respondeamus*. Sed & quod de fera inducit vulnerata, imo nihil valere hic habet. Et imo ipse renarrem diversam plerorumque sententiam: quæ & recepta probato jure Justiniani est: laudata est laudato jure. Nego autem, contrariam Trebatii adfirmatam moribus. Et de his fuit docendum accusatori. (*c*) Nam est verius, non esse necesse, ut interpreti juris dicenti de consuetudine testimonium credatur. Imo enim neque credetur pluribus: non certe testantibus adeo indefinite. (*d*) Apagete doctores (ait Alciatus) consuetudinarii: ordinariis stemus, & juri certo. Minus autem nunc est necesse, eidem credere interpreti de jure dicenti, & neque legem, neque rationem, neque auctoritatem afferenti. Magnus sit Galliæ jurisconsultus Cujacius: & Gallia causidicos doceat facunda Britannos. Non tamen magnus est ille jurisconsultus: certe non adeo magnus, qui & sedeat inter Romanos jurisconsultos, ac Cæsares, inter Trebatios, Cajos, Justinianos, Fridericos: & judicet quasi Pythius Apollo absque verbo uno addito, quo sententia abs se lata pro parte numeri minoris, minoris auctoritatis, minoris dignitatis, hoc est pro Trebatio, & Friderico, vel tenuiter subornetur. Cephalus hoc tentat. Conficit rationes, per quas defendi posse Trebatii videatur opinio. Sed eæ ut vulgaribus quibusdam innituntur enunciatis, levissimi prorsus sunt momenti. Pro actu est potentia proxima actui: & id genus aliæ. Quibus quis non respondeat absque ulla aut difficultate, aut

a *Liv. 6.* b *Cic. pro Muræ.* c *Jas. l. 32. de legi. Ceph. cons. 299. Alc. 5. 24. 39.* d *Alc. 5. cons. 25.*

A mora? (*a*) *Actus actum, potentia potentiam proprie significat*, &c. Sed neque confisus hic Cephalus est: neque his est immoratus accusator. Ad sententiam omnium jurisconsultorum uterque transvolant. Quam & sic esse contendunt: ut, si certum sit, effugere feram non posse, fera immo adjudicari debeat vulneranti, & persequenti. Qua de interpretatione si litem moveo, eam quoque ostendam non bonam. At quæro, si certitudinem valeant istam explicare. Nam evaserunt nobis sæpe animalia mortifice vulnerata, & jam moribunda, atque morientia. Quæro ad ipsam rem nostram, si certitudo hæc ostendi in bello

B possit. (*b*)

Multa cadunt inter calicem, supremaque labra.

Quod bellica fors valde probat. (*c*) Ea plerunque anceps: & magnus numerus a paucissimis, & potentiores ab imbecillioribus sæpe sunt superati. (*d*)

Multa dies in bello conficit unus
Et rursus multæ fortunæ forte recumbunt
Haudquaquam quemque semper fortuna secuta est.

inquiebat pater Ennius. Et plurima sunt hujus generis apud omnes. (*e*) *Mars sæpe spoliantem jam, & exsultantem perculit ab abjecto*: ait Cice-

C ro. (*f*) *Parvæ occasiones magnos motus, & mutationes habent*: Demosthenes. (*g*) *Sæpe usu venit, ut qui majores copias haberent ab imbecillioribus vincerentur: & qui urbem obsederant, ab obsessis interirent*: Isocrates. (*h*) *Multi jam parta victoria maximis cladibus affecti sunt*; tuus, Picene, Polyenus. (*i*) *Sæpe minor manus, dum metuit, majorem præ contemtu parum instructam profligavit*: Thucydides. Etiam nec solutam, at bene instructam dicimus quoque. Nescimus telum vehementissimum, necessitas, & desperatio? *Sæpe desperatio præstat, quod neque virtus*. Nescimus,

D *Una salus victis, nullam sperare salutem?*

(*k*) Sane sic desperatio, non illa dejecta quidem, & vilis, sed quæ furorem animis addit, & rabiem, & tenax propositum inulti non moriendi. (*l*) Nobilis ille locus apud Trogum est: ubi Crotoniensium centum viginti millia a quindecim millibus Locrensium acie superantur. Qui, paucitatem suam circumspicientes, omissa spe victoriæ, in destinatam mortem conspirant: tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honeste quærunt, feliciter vicerunt. Nec alia caussa

E victoriæ fuit, quam quod desperaverunt. Et id genus plurima sunt exempla. Illic apud Trogum & de his ipsis Crotoniensibus est: qui post cladem istam, & consecutum otium, pauci magno, & victori exercitui alteri fortiter restiterunt. *Tantum virtutis paupertas adversus insolentes divitias habet: tantoque insperata interdum sperata victoria certior est*. Cum desperatis istis, præceptum militare sic est, non pugnare. (*m*) Hoc illud Scipionis cum Numantinis: qui destinata morte in prælium ruerent, *Intellectum ab imperatore consilium: itaque non est permissa pugna morituris*. Præceptum alterum militare est, spem istis

F præbere aliquam: quos vincere prœlioque velis. Quid nunc dicimus & exempla hujus fortunæ variantis? Primo Punico bello num floruit res Punica magis, quam quum victi illi & prælio, & bello sunt? Aut de secundo quid recitem? (*n*) *Propius exitio fuerunt, qui vicere: & si quis*

a *Bal. l. 1. C. de inst.* b *Heracl. de polit.* c *Herodi. 8.* d *Macr. 6. Sat. 2.* e *Cic. pro Milo.* f *Demosth. Leptin.* g *Isocr. Archid.* h *Polye. 3.* i *Thucyd. 2.* k *Jacch. probl. 65. Bal. l. 1. C. de eunuch.* l *Justin. 20.* m *Flor. 2.* n *Liv. 21. Flo. 2.*

conferat damna utriusque, similior victo videbitur populus, qui vicit. (*a*) Atque Scipio generaliter, idem quod de Lucilio recitabas, Picene, *Magnis omnibus bellis victi vicimus*. Atque sic Dionysius, pressus obsidione a Pœnis, suis invisus, tamen vicit: quod Isocrates notat. (*b*) Atque sic ille alter de eodem quasi nido, quum tueri jam nequiret mœnia sua, obsidet obsessorum suorum muros: & itidem vincit. (*c*) Sic Dion de eodem, instructus navi una prævaluit tyranno potentissimo. Sic exul Thrasybulus sexaginta comitatus viris contra vim, atque imperium potuit Lacedæmoniorum. Sexcenta hæc sunt. Monstra in bello fiunt magis, majoraque, quam in ulla parte naturæ.

Num capti potuere capi? num incensa cremavit Troja viros?

Mitte, accusator, tuum jam capiendos. Quæro etiam, si alios advocare Campani non potuissent iisdem condicionibus; qui se tutari a Samnitibus potuissent? Defuissent Etrusci consanguinei, vicini Græci, Pœni avari. Quanta igitur spes illa Samnitum erat: quibus de mediis rapta faucibus præda intelligatur? (*d*) Neque enim inspicitur, aut consideratur, quod speratur, & fieri potest, nisi certum hoc idem sit, & infallibile: ut idem scribit Cephalus. Atque audis, accusator, valide, & varie responsum esse rationi tuæ posteriori. Simul & intelligis, opinor, hinc infirmitatem prioris. Nam si potuerunt Romani ferre Campanis auxilia, etiam Sidicinis potuissent jure. Jure inquam: ut de jure disputatio nostra est. Etenim concedam tibi, noluisse meos Sidicinis opitulari. Ultima tamen non solum necessitate horum erat extorta deditio: sed & sera fuit. Seram deditionem aspernantur patres: nam petitum jam, & impetratum per Samnites, ut sibi ab Romanis belli jus liberum adversus Sidicinos foret. Ita, quem hic sequeris, Livius. At cape, quod tibi fateor aliud. Tantæ non fuerunt Sidicinorum opes, quantæ Campanorum. Sed num tu putas, bellum sic suscipi oportere pro aliis, ut nihil cogitemus pro nobis ipsis? Primum, non tenemur esse aliis auxilio, si hinc nobis creetur periculum. Deinde, piscari aureo hamo, stultum est. Aliis tamen & fuere auxilio mei, Fabretanis, Lucanis contra eosdem Samnites, nostris dedititiis. Hoc mihi notes verbum. Ut enim Florus scribit, erat quidem fœdus cum utrisque, cum Samnitibus, & Campanis. *Sed hoc Campani sanctius, & prius, omnium suorum deditione, fecerunt*. An tibi jam respondi ad omnia de Samnitico bello? An illud adhuc superest unum de interesse, & damnis Samnitum: quæ debeant Romani semper, etsi a Campanis suscipiendis abstinere non debuissent? Sed huic parti respondetur brevissime: sic jus esse adversus eum, qui alteri capiendas intercipit feras: adversus eum, qui alteri capiendos intercipit prædones. Nullum enim tuetur jus feras, nullum prædones. Sed Campanos tuetur belli jus, & ratio concertationis: ut, victi sententiis, non tenentur ad isthæc tamen, si qua caussa eis exstitit concertandi. Exstitit Campanis justissima, timor nefarii Samnitum latrocinii. Atque sic fuit bellum Samniticum, non pro nobis, sed, quod est speciosius, pro sociis nostris. Postea cum illis bellatum adhuc, cum quibus ante toties: cum Latinis, Etruscis, Umbris, Volscis: toties infidis omnibus, atque rebellibus. (*e*) qui neque bellum, neque pacem pati possent: nec ante quieti quam expugnati, in deditionem accepti per singulas urbes, & omnino subacti fuissent. Subactos inquam? pro merito cujusque accepti singuli: & multis civitas elargita. Nam tuis istis Samnitibus quid fecissemus? (*a*) Fœdera nobis ruperunt sexies: rabie, furore, sacrilegiis, humanis hostiis in exitium nostræ urbis agitati, post annos quinquaginta, post triumphos viginti quattuor semper superbi. Bella & cum aliis per contagionem Samnitici exstitere; cum Marsis, Pelignis, Satricanis, Vestinis, Ausonibus. Miror de Ausonibus dictum in accusatione. (*b*) Imo enim ipse sic scribit Livius, *Quia ducibus absentibus impetus est factus, nullus modus cædibus fuit: deletaque Ausonum gens, vix certo defectionis crimine, perinde ac si internecino bello certasset*. Siccine mutilare etiam testimonia: cum nec fabulas deceat contaminare? Miror, & Calabriam inductam Græci testimonio. (*c*) An enim verum non est, receptum fuisse Pyrrhum a Calabris? Græcos istos infestasse classibus mare ad usque Tyberis ostia? Cum istis gentibus ad Palæpolim bellum gestum? Per istos a Tarento Romanis abstractos socios Apulos, & Lucanos? Istos crudelissimis Romanorum hostibus favisse Samnitibus? In pace & amicitia desævisse in Romanam classem? Barbarice affecisse contumeliis Romanam legationem? At jam memoravimus, quod fugit accusator, Italicas gentes omnes: quæ Romanorum armis oppressæ sunt: & gentium injustitiam, Romanorum ubique justitiam patefecimus. Quæ ejus populi veluti adolescentia fuit: quum flore virtutis exarsit: (*d*) & Italiam, post quingentesimum a conditione urbis annum, *lacessentibus assidue usquequaque finitimis*, tot distractam in principatus, & resp. discordantes coegit tamquam ex variis elementis in corpus unum sub se capite præstantissimo. Nisi tu feros Samnites caput malueris, aut superbos Campanos, aut Etruscos, aut alios similes, aut Picenos tuos, & Asculum, & Corfinium. (*e*) Mei *victis nihil præter injuriæ licentiam eripiebant*. Meos dico veteres illos, de quibus nunc sermo est. Et id sane dico, Romano teste: sed idoneo: qui de Romanis postumis pari fide, *perinde quasi injuriam facere, id esset imperio uti*. Nunc igitur a patriis non calamitatibus, sed felicitatibus, alio convertatur oratio: ubi provinciæ factæ, & gentes stipendiariæ, vectigales, & tributariæ sunt.

CAP. VIII.

De bellis Punicis.

IN Siciliam quæ caussa duxerit arma Romana? *Quum viderent opulentissimam in proximo prædam, quodammodo Italiæ suæ abscissam, & quasi revulsam, cupiditate ejus jungendæ, & ad continentem suum revocandæ exarserunt. Sed ecce, ultro ipsis viam pandentibus fatis, nec occasio defuit: cum de Pœnorum impotentia fœderata Siciliæ civitas, Messana quereretur*. Ita Florus: quem tu, more tuo, mutilum exhibuisti. Exarserunt cupiditate, etiam prædæ opulentæ: sed naturali alia adhuc cupiditate, restituendi suo corpori avulsum membrum: *Sed ecce*, Florus ait, *nec occasio defuit*. Sit justa adquirendi caussa, voluntatem nemo vituperaverit. (*f*) Et quamquam Cyro, & Alexandro datum crimini fuit desiderium istud imperii proferendi: justitia tamen sine odio est. (*g*) Non tu de magistris tuis didicisti, bellum pro gloria, & imperio justum jure gentium esse? & justum sic fuisse Romanor. imperium, quod

a *Liv.* 26. b *Justin.* 22. c *Plut. de vi. be. Ath.* d *Ceph. cons.* 3. e *Liv.* 8.

a *Jor. de re. su. P. Dia.* 2. *Flor.* 1. b *Liv.* 9. c *Liv.* 7. 8. *P. Dia.* 2. *Flor.* 1. d *Flor.* 1. 2. e *Sallust. Catil.* f *Procop.* 2. *Pers.* g *Castr. rep. l.* 5. *de ju. & vi.*

ita crevit? Etiam ad justam, & rectam dominationem justum esse bellum didicisses. (*a*) Huc addidisses, Siciliam istam patriam Cyclopum, nutricem tyrannorum; captivam servorum: ubi carnibus hominum primi, cruciatibus medii, mortibus postremi pascebantur. Hanc Siciliam, prædam omnium, armorum externorum semper præmium, Romani non cupiissent a tot monstris, calamitatibusque liberare, & veteri capiti sociare? Et neque tamen se dum commovent. *Sed ecce nec occasio defuit; de Pœnorum impotentia fœderata civitas quæritur.* Itaque (*b*) *Mamertinorum sociorum periculum justa nobis, ac pia induit arma*: ut ait Scipio. Justa sane, ac pia; nec quisquam negaverit. At de Floro excipis, speciem quidem istam fuisse juvandi socios, re autem prædam sollicitasse. Quo de interiori sensu animi disputandum tamen nobis non est. Aperta caussa belli justa est. Populus autem auxilia Mamertinis decrevit: ut ut sine auctoritate senatus. Ut id est, quod Polybius ait. (*c*) Nam Livius, etiam a senatu decreta, etsi per contentiones, & dissensiones, narrat. (*d*) Decreta auxilia & contra Hieronem, & contra Pœnos. Quid amplius? Decerni non debuerunt flagitiosissimis viris? Scicet ad nos pertineat, justi, an injusti sint, qui nostræ civitatis non sunt. Et opem non ferimus afflictis communi potius jure humanitatis, quam ullo eorum merito singulari. Et hic non etiam occurrebatur impotentiæ Carthaginensium? quos crescere, & quidem vicinos nobis, non expediebat. (*e*) An tu domi occlusus agis, si ædes vicini ignis ceperit? An tu ignoras, perire nostram nobis utilitatem, qui non respicimus ad vicini? Sic Deus colligare invicem omnes voluit, & hanc rebus hominum imponere necessitatem, ut in proximi utilitate alterius etiam esset colligata, & mundus ita constitutus esset universus: neque enim homines aliter commodum proximi accurassent: & hoc tamen non tam Deus voluit, quam ut ratione humanitatis benevoli omnibus, atque benefici simus. Quæ suo illo ore differit Chrysostomus aureo. Sic decreta semper bene auxilia Mamertinis. Sed nec mittebantur decreta auxilia? Sed neque constituta dies erat: intra quam missa esse oporteret. Et res istæ arduæ exercituum comparandorum, classium instruendarum, in civitate tum nec concordi satis, dictæ factæ esse non potuerunt. Hoc est imperii nostri arcanum, quod tu tibi ingeniose fingis, accusator. Nos notemus, quod si ita exarsissent cupidine prædæ Romani mei, utique nec controvertissent de sumendo bellum, nec cunctati essent in apparando, nec lente adeo ad istam cupitam prædandam movissent gradum. Aut qui ardent etiam deliberare, & torpere valent? At Picenus disputat contra Polybium: &, non licuisse, ait, Romanis in eas Siciliæ partes navigare, quæ Pœnis parebant: itaque nec Messanam, quæ jam Pœnis parebat. Belle. (*f*) Ipsi Pœni sic fœdus violarunt primi: qui auxilio Mamertinis venerunt. Et sic epitome Liviana. Quid enim Pœnis cum sociis, ac fœderatis Romanis erat? Non dubium est, quin fœdera ita fuerint, ut neque Romani navigarent in partes Pœnorum, neque in partes Romanorum Pœni. Aut si isti Siciliam totam occupassent, Romani tota exclusi Siciliæ navigatione exstitissent? Etiam ut amittere illic socios facile possent? Etiam ut metuenda Pœnorum potentia, & vicinitas posset ita augeri, nobis cis fretum religatis? Imo, *Iberum Pœnus ne transito*. Sed instat accusator, contenditque, discedere debuisse Messana meos, quemadmodum & Carthaginenses discesserunt. Et magnam, & manifestam æquitatem hanc, ait. Cur tamen istud? Improbos Mamertini se, levesque præbuere nobis: qui nostris non exspectatis auxiliis, quæ petierant, & impetrarant, ad Carthaginenses transierunt: ad quos neque transire poterant, quin societatis, ac amicitiæ nostræ jus non violarent; addendo se illis, qui sibi per fœdera jungi nequibant. Fidere Mamertinis postea non potuimus. Fidere illic Pœnis postea non potuimus. (*a*) Quid? & non ante etiam fœdus nobis violatum a Pœnis fuit: qui contra nos auxilio Tarentinis fuerunt? Et, cum arguerentur mali ejus facinoris, labem perjurio accumulaverunt? Tui hæc dicunt testes, Picene. Sed hic & de Sardinia, hic & de Corsica: altera, quod extorta Pœnis iniquissime: & in id omnes consentire scriptores: altera, quod nec intelligitur, cur subacta sit. Et sic sane de Sardinia Livius, & pleno Polybius ore. Ego autem, quod licet per accusatorem, a scriptoribus istis quæsierim unum, si Carthaginenses ipsi, (*b*) qui viri acuti fuisse perhibentur, conquesti eam iniquitatem sunt umquam: etiam post quam inferre bellum Romanis sunt ausi? Verisimiliter itaque caussa illic nulla erat: aut ipsi vidissent melius, quam fecerit Livius: qui censet, querelam afferri istam justam oportuisse. Age, audi, accusator, aliud. Si duobus his testibus opponere ego quattuor possum, tu quid dices? (*c*) Sardiniam ego non extortam per fraudem, sed concessam per fœdus cum Lutatio ictum adfirmo, testibus Dione, Diacono tuo, item Orosio, & Sex. Victore. Quod si facit semper non nihil numerus testium: & illuc vergere habet sententia, ubi tantulum vergit probatio: nos vincimus. Majores sunt illi sane testes, quam Diaconus, Orosius, Victor. Dionem non dixero. Sed isti tuique sunt; & valere supra unum Livium possunt, dum Polybius, & Dion ex æquo certant. Vincimus tanto certius, quanto unus dici isthinc Polybius testis meretur: de quo plane hausit hic, ut facere Livius solet. Unus est testis, quum plurimi de uno habent, quod dicunt. Neque referri ratio ista valet in Orosium, Diaconum, Victorem: quos saltuatim magis concerpsisse narrationes suas videmus. Vincimus extra controversiam, postquam stat & verisimilitudo in istam partem, inverisimilitudo in alteram. Recitemus nunc testimonia: *Sicilia, Sardinia, cæteræ insulæ concessæ a Pœnis in fœdere Lutatiano*. Hoc testes nunc mei. Etiam recitem, quæ Dion paullo distinctius habet. Rebellavit Sardinia auctoribus Pœnis: itaque illatum eis bellum est. Sed & data pax post multas legationes, & oratione quidem Hannonis, minimi legatorum. Cum enim facerent Romani apparatum belli: & Carthaginensibus, finitimo bello distentis, nihil moderati responderent: missus post Hanno est, juvenis libertatis miræ dicendi: qui aliaque plura, & hoc dixit, dedisse se Siciliam, & Sardiniam, quibus non duraturas ad aliquod tempus inducias, sed amicitiam perpetuam redemissent: atque eas igitur reddendas insulas esse, si colere pacem noluissemus. Hæc illi alii, & Dion. Num vero tempora nos confundimus, & varia in unum facta involvimus? Sane, si fœdere Lutatiano tradita Sardinia est, illud primum tempus est omnium. Et si rebellavit Sardinia, certe & tradita fuerat. Et hic tamen habet, quod respondeat accusator: traditam quidem, at inter Africæ motum, post Lutatii fœdus: (*d*) nam & alii scribunt, & in laudibus Ro-

a *Oros.* 2. *c.* 14. *Just.* 4. b *Liv.* 30. c *Liv.* 16. d *Plin.* 16. *c.* 29. e *Chrysost.* 1. *Cor. Hom.* 25. f *Liv.* 14.

a *Liv.* 14. *ubi Sigon. P. Diac.* 2. *Oros.* 4. b *Cic. acad.* 2. c *Dio. ecl. de lega. Dia.* 3. *Oros.* 4. *c.* 12. d *Cor. Ne. Amil.*

manorum, quemadmodum adjuti sint Pœni milite, & commeatu: quæ hostibus Pœnorum, illis mercenariis, occlusa fuerint: & quemadmodum recepti non sunt, qui desciscere ad Romanos volebant, Uticenses, & Sardi. Age, relinquamus rem dubiam in ea scriptorum varietate. In re dubia accusator non vincet. Nos laudes istas arripimus Romanorum: (*a*) quas & alii ad cælum ferunt: & hoc addunt, ab ista clementia, & humanitate meorum factum, ut ipsi nos postea in negotia inciderimus. Venio ad secundum tempus post fœdus Lutatii, Pœni Italos mercatores, Romanosque interficiunt, & mari mergunt. Hanc dicimus justam caussam belli: & Sardiniæ eripiendæ, opportuni criminum loci. Esto res, ut ita narrat Appianus, homo Ægyptius, id est Libycus, & Pœnus magis, quam Romanus. Atque quod Polybius replicat, transactum de his mercatorum injuriis jam antea exstitisse; & Romanos de transactis non habuisse movere postea controversiam; sic tibi tollitur, & Polybio: ut de captis, & carceratis mercatoribus, & de reliquis injuriis cognitis transactum fuerit: non etiam de necatis, & mersis mercatoribus, & de aliis injuriis, quæ latuere (ut ait Appianus) diu. Ad incognita, & incogitata nullam trahi conventioem, certum est. Nullæ fuerunt injuriæ aliæ, quæ latuissent? Sed testi dicenti, Appiano, credendum est magis, quam vel neganti, Polybio. Sic igitur, si non primo, non secundo, at hoc tertio tempore tradita Sardinia, & capta est juste. Quamquam si hoc est, non rebellioni ejus insulæ, non orationi Hannonis tempus relinquitur. Secundum Polybium his nullum est tempus quoque. Secundum alios illud esse potest, quod post Lutatium fuit. Quin igitur in tanta varietate, & obscuritate aut stamus pluribus concordibus, qui in fœdere Lutatii manent? aut in illa quiescimus ratione, quod, si injustitiam accusare nostram Pœni potuissent hic, non eam tacuissent, & prudentes satis semper, & tum moventes bellum secundum potenter? Sic Sardinia est. De Corsica iniquius proponitur argumentum. Latet caussa viros versatissimos in historia: Ergo caussa nulla est. Atque amisso Livio, & reliquis rerum earum monumentis, ita liceat argumentari? Sed & viri illi magni tantum dicunt de caussa factæ provinciæ. (*b*) Sed & hoc ego dico, captam Corsicam serpente bello, & Florus hoc dicit, *serpente bello Sardinia annexa, atque Corsica*: ita descriptor Flori Jornandes. Sic sæpe. (*c*) Sic Appianus, *Nullum in Rhetios, aut Noricos bellum gestum privatim reperi: quamobrem cum reliquis finitimis una devictos arbitror*. Sic est junctim mentio istarum insularum scriptoribus. (*d*) Pro Sardis, & Corsis defensandis Pœnos adfuisse, narrant. Sardos, & Corsos lacessisse magis, quam exercuisse Romana arma. In Sardinia contra Sardos, & Corsos pugnatum. Sardos, & Corsos rebellantes subactos. Sardiniam, & Corsicam a Metello victas. Et id genus alia. (*e*) Una scilicet ut videtur insula, ita una utriusque incendium verisimiliter fuit. Sic insulas habemus. Habemus Punicas etiam Hispanias. (*f*) *Non cum Hispanis ab initio, sed cum Pœnis in Hispania inde contagio, series, caussaque bellorum*. Pulsi illinc secundo bello Carthaginenses sunt. Et belli hujus æque bona, aut etiam melior caussa fuit. Quod omnes historici tradunt. Quid mihi in Hispanica re citas contrarium, & magnum nominis testem Macchabæicum? Non ille peritus rei Romanæ, mi homo. Uni Romanos paruisse in libera republica. Senatum Romæ fuisse trecentorum, & viginti. A Romanis captum vivum Antiochum magnum: deque regnis ejus tributas Eumeni Mediam, atque Indiam. Hæc illius historici: qui ad fodinas auri Romanos tibi in Hispaniam misit. Quid mihi de perfidia Saguntinorum in Annibalem: & de Annibalis erga Saguntinos clementia obtrudis? (*a*) De Salmatensibus illuc est, quod ais: relege, & quidem sic relege: nisi velis, quicquid est contra historiam omnem, ipsamque adeo certissimam veritatem. Nam qui alii illi sunt, qui tradunt, non ab Annibale, sed a Metello Saguntino obsessos? Unus, nescio qui commentarius pannuceus ad Juvenalem. Quid Annibalis quoque testimonium contra Romanos? Caussa desperata tua est, Picene, & desperata ratio accusandi. Quis enim inimicitias exercentis testimonium contra inimicum protulit umquam? Nec vero tu adeo desipis, ut sic putes, futuros usquam ullos umquam, qui ab insipidis his historiis traducantur in partes. Et quæris igitur, si quid in Pœno reprehendimus nos: etsi sit ita historia Saguntina, ut scripta a Livio est? Tu dicas, accusator, quid in Romanis accusas. Nos contra veteres socios pro sociis novis, & his injustis bellum suscipere non debuisse. Ceterum quod censes de veteribus: decipis in eo te. Non enim veteres socii tum erant Carthaginenses: qui fœdera fregerant vetera, & in novo erant Asdrubalis, pariter cum Saguntinis. Vetus illa desiit amicitia per bellum. Renovata non ea est, sed instituta nova. (*b*) Scilicet novum est, quod exfundatum restituitur. Et contra hos socios pro aliis sociis, forsitan fide, forsitan merito aliquo magno nondum notis, sed certe neque perfidia: imo pro nobis ipsis contra Pœnorum potentiam ingruentem, non decebat bellum suscipere? At injusti Saguntini. Respondeo, responsum huic argumento esse, quum de Mamertinis idem afferebatur. At quare Saguntini injusti? Non istos hic condemnaveris, quin & Numantinos condemnes postea: de quibus Florus, *Non temere, si fateri licet, ullius caussa belli injustior. Segidenses socios, & consanguineos Romanorum manibus elapsos, exceperant: habita pro eis deprecatio nihil valuit: cum se ab omni bellorum contagione removerent*. Eadem caussa cum Annibale Saguntinorum. Et nec igitur Saguntini injusti sunt, si Numantini tui non sunt injusti. Non sunt Saguntini injusti: etsi medii relicti tradiderint se Romanis totos. Non illos nos accepimus sub servitutem: quod contra fœdus fuisset, eos se ita dare, nos eos ita accipere. Sed sua cum libertate nobis adjungebantur. At istamque negamus adjunctionem, de qua nuperus scriptor (non ille Plutarchus) exponit. Saguntum æque Pœnis amicam, in Hispanicis Appiani audimus. Cautum vero, imo cautum novo fœdere Saguntinis erat. Nec fuit Liv. in isto judicio præceps. (*c*) Ut enim controversum valde videri possit, si ad futura verbum extenditur: quum tamen potest prævideri futurum, tum & futurum venit: & mutuum ubi quid proponitur, ibi etiam futurum continetur. Ut sic, si pax facta pro se sit, & suis sociis, hi quoque comprehendantur, qui post assumpti in societatem sunt. Quæ omnia in caussa Saguntinorum omnes cernimus. (*d*) Et in illa diserte pro Romanis ita definit Alciatus, vere magnus jurisconsultus, & eruditus Fornerius. (*e*) Etiam ea definitio juris facit cumque ipsis verbis Livii: quod si concessa sit civitati immunitas, hæc & de

a *Flor.* 2. *Jor. de re. succ.* b *Flor.* 2. *Jor. de re. succ.* c *App. Illyr.* d *Oros.* 4. *Liv.* 17. 20. 21. *P. Dia.* 2. *Sex. Ruf.* e *Zon.* 2. f *Flor.* 2.

a *Polye.* 7. b *Alex.* 5. *cons.* 34. c *Alex.* 2. *cons.* 178. *Jas. l.* 76. *de V. O. Alc.* 8. *cons.* 39. d *Alc. l.* 128. *Forn. l.* 158. *de V. S.* e *Ceph. cons.* 451.

futuris adoptatis civibus intelligitur: ne videatur ablata civitati facultas creandi cives. Quid si cautum sociis est, & adjectum est verbum universitatis, *omnibus?* (*a*) Utique & futura veniunt jam, etsi alias nec venirent. Quid si hujusmodi intercesserunt cautiones, quæ intercesserunt proculdubio: ut erant formulæ illæ longis, & anxiis compositæ carminibus semper. Cedit hic accusator: &, cedat, necesse est. Sed illam tenet arcem, quod ita decretum fuit in ipsa urbe, ne auxilia Saguntinis summitterentur: quoniam nec fœdere comprehensi, sed liberi relicti essent. Id tamen ita non est. (*b*) Disputatum Romæ est, ne auxilia mitterentur statim, neve statim ad arma concurreretur: sed prius de ratione videretur, per quam Saguntinis succurri, Pœnis occurri valeret: sed prius ut querelæ legitimo more exponerentur. Sic magni illi, Polybius, Livius, alii. (*c*) Non dubium fuit, quin violatum ab Annibale fœdus esset: qui Iberum trajecerit contra fœderis legem. Id ipse scribit Appianus, nec semel. Et tamen non procurritur ad arma: retinente religione, & amore legitimi juris, nulla perfidia, nullo malo arcano. Et sic tenent Romani Hispaniam: in quam & societatis Saguntinæ caussa bona, & caussa violati a Carthaginensibus fœderis arma portarunt. Violarunt illi fœdus, quum Annibali permiserunt, ut cum Saguntinis, transmisso Ibero, ageret pro arbitratu: & quum legatos Romanos, qui querebantur, sic raptos, & subactos populos cis Iberum, habuere ludibrio. Quæ in Hispania sunt postea consecuta perfidia Celtibarorum, rebelliones continuæ omnium illic populorum, & id genus alia, nec attigit quidem accusator. Rapitur ad Numantiam: quo illum sequimur. Tu, quid Flore Annei, non Juli Flore: tu Hispane scriptor, quid popularibus tuis quid blandiris? (*d*) Aut Galle, quid maledicis nobis? Certe quid rhetoricaris tu professor rhetoricæ in Gallia, & in toto hoc tuo rhetor opere? Num rebellis non erat Numantia? Num illic consilium non est initum de bello contra Romanos? Hæc Appianus. Etiam si nihil fecissent isti tui Hispani, nisi quod dicis tu: illud & justa fuit contra ipsos caussa belli: etsi tum nec injusta ipsorum ratio diceretur: quod stat, ut bellum utrinque sit justum scilicet. (*e*) Exsciderunt Numantiam, civitatem crudelem, spirituum insolentissimorum: quos culpa nutrierat eorum (fatendum id nobis est) ducum, qui a nobis missi illuc primi sunt. Stulti Numantini, qui crediderint, civitati nostræ defuturos meliores, si minus bonos illos vicissent. (*f*) Sed imo civitas mea Numantiam non exscidit. Scipio exscidit absque decreto populi. Neque tamen hoc dixerim, quasi exscindi Numantia non meruerit: quæ est vi capta: & easdem contra se rationes habuit a Scipione, quas a populo habebat. Nunc nos insulta, Picene. Numantia jacet, tanta illa virtus, nostræ majoris monumentum virtutis. Noluit conditionibus ullis eam se dedentem accipere Scipio: qui (Florum audi) *veram vellet, & sine exceptione victoriam.* Agite, in Africam trajiciamus: bella concludamus Punica. Urbem Carthaginem, & Punicum imperium exstinxerunt. (*g*) Etenim Pœni contra fœderis legem instruxerunt classem, exercitum pararunt, frequenter territarunt Masinissæ fines. Quid hic obgannit Orosius? Ecce audis caussas ejus belli de Appiano, ac Floro. Quod illud Orosii argumentum? Alii volebant, Carthaginem dirui ob securitatem: alii, ad virtutem

a *Bald. l.* 35. *C. de episc. & cl.* b *Flor.* 2. c *App. Pu. Hisp. Ann.* d *App. Hisp.* e *Cic.* 1. *de off. Val.* 2. *c.* 7. f *App. Hisp.* g *Flor.* 2. *App. Pu.*

A acuendam servari: Igitur caussa non ex injuria Carthaginensium erat. Videlicet non disceptatur sæpissime, si, parcere nocentibus, expediat: & quomodo expediat, victoria uti. Expediebat, exscindi Carthaginem. Sic Cato. (*a*) Urbem Capuam non exscidimus; erat enim in oculis: ut timere ab ea non oporteret. At nec timore, sed magis invidia imperii est exscisa. *Invidia magis*, non invidia tantum, sed & noxia ejus temporis: quam ostendi. Et quæ noxia nobis justam fecit exscindendi potestatem: sicut fecit invidia voluntatem. Fateor invidiam, fateor; & illo utor Cæsaris, *Invideo gloriæ tuæ, Cato, quoniam & tu invidisti meæ.* Invidimus gloriæ Carthaginis, quoniam

B & Carthago invidit gloriæ nostræ. Hæc illa est celebris illarum rerumpublicarum æmulatio. Alterum auctoris ejusdem ferri non potest, *Magis quia volebant Romani.* Quid enim si volebant, hoc est credebant, quia timebant? (*b*) Sic alibi: *Quæ etsi falsa nunciata fuissent, apud timentes tamen pro veris habebantur.* Metus justus est, si caussa metuenda justa est, etsi periculum nullum vere subsit. Neque tamen hoc indigemus præsidio. Sunt enim (ut dixi) ostensæ noxiæ. Etiam si nec tantæ fuissent, quantæ mererentur per se pœnam

C tantam: erant veteres tamen, quæ novis his additæ merebantur tantam. (*c*) Et vetera delicta, etiam punita, vel condonata, faciunt, quod sequitur, delictum gravius, & in eo puniendo manum addunt: ut sic convenit inter juris prudentes, & moribus receptum est. Nec juvat Pœnos, quod, experti iniquos Romanos, prospicere ipsi sibi coacti sunt. (*d*) Namque est semper verum, sic in fœdus venisse, *Ne bellum in Africa, neve extra Africam injussu populi Romani gererent.* Quod etsi durum, erat servandum tamen. (*e*) Durissimam ipsi Pœni viderunt usque a principio legem, quum eam dici sibi audierunt: & quum

D recusarunt propterea pacem abusque principio: durissimam legem, interitum civitatis, viderunt. (*f*) Neque enim, ut privatorum tranquillus status est tutus maxime, ita & civitatis est: quod natura, quod perpetua ostendunt exempla: etiam exemplum civitatis nostræ, ablata æmula ista Carthagine. Sed & sic coacti pacem tandem tamen accipere. Cujus jus pactæ pacis abrumpunt Pœni injuste, tenent Romani juste, nec crudeliter. (*g*) Nec enim crudele quid efficit: qui leges sequitur. Aut num injusti mei sunt: qui regi favent Masinissæ? Mirum, si non Carthaginensibus magis, quam regi *bono, socioque*, ut Florus ait, &

E omnium maxime merito de re Romana. At favent, quantum possunt: (*h*) id est, quantum per leges possunt: ut hæc potestas est: & ut illa altera sine justitia omnia tum potuit Romanorum, & Masinissæ supra Carthaginenses. Vera illa potestas est, quæ regi favet: & quæ plurimis in toto jure favet sæpe caussis, & personis. Nihil est, quod nulla sit lex, aut pactio de se non defendendo. Nam publica ista conventio pro certo valet: ut valetque illa se dedentis hostis, per quam vita etiam in voluntate, & manu fit hostis: quamvis in privatorum negotiis vera ista non censeantur.

F Lex summa Pœnis, ne bellum gererent. Lex ea violabatur statim, ac gererent. Lex prohibitoria prævalet. Lex prævalet, quæ violatur statim: ut hæc erat de bello non gerendo: & illa non erat defensionis, quæ moras patiebatur: namque mœnibus arietes, portis Carthaginis faces nondum admoverat Masinissa. Aut quid dico defensionis?

a *Cic. agr.* b *Justin.* 31. c *Cla. §. furtum. Exo.* 32. *ubi Tre. Decia.* 2. *cons.* 27. d *Liv.* 30. e *Dio. ecl. de legat.* f *Dio.* 38. g *Cass.* 7. *var.* 8. h *l. ult. ubi gl. de relig. l.* 15. *de cond. inst.*

(*a*) Ipsi fuerunt Pœni, qui, occupatis bello Celtiberico Romanis, vastant Masinissæ fines ejus agri, qui judicio Romanorum judicatus Masinissæ esse. Qui legatos Masinissæ, & in his filium, non admittunt in urbem: abeuntes territant, & tractant male. Quæ igitur Romanos admonebat justitia, non favere regi? studere, bellum componi placide, quod susceptum contra fœdus, ac gestum a Pœnis est? Hæ sunt solidæ caussæ, & rationes pro Masinissa, pro Romanis, adversum Pœnos. Ad istas mihi respice accusator: &, quæ adjectæ sunt leviores, tu mitte mecum. Nam est satis, ac super, si per aliquas vincimus rationes. Mitte tu inania verba, & Byrsam, & casas, & cumulum, & stramen. Huc ad rationes contende. *Masinissa, locum injuriæ ratus*. Et Masinissam si concedam Pœnis iniquum, quid ad meos? quid tum? Homini injusto meos favere non oportuisse? Sane non contra justos. Sed Pœni infames etiam erant; adeoque comparatione ipsorum justus haberi Masinissa potuerit. (*b*) *Etiam nocentes, viri boni, si necessarii sunt, non defendendos esse, non putant*. Etiam dicimus injuriam bellum. (*c*) Etiam non semper in juste fit injuria: non injuriæ species contumelia. Perge quærere, Picene, de rationibus, quibus est bellum administratum: nam, quæ in bellum moverunt Romanos, justissimas audis. In primo Punico laceras populum morantem Reguli reditum. Regulum laceras, legatum perfidum. Iterum populum, qui Regulum, juste necatum, injuste vindicat. At adverte, Picene, semel ad confectas res, non ad disputatas, & cogitatas. Neque enim ignoras, multa tractari, quæ non conficiuntur: & in tractatu nullam esse obligationem. Neque enim ignoras, esse hoc quoque tempore jurisconsultos, nec eos quidem de plebe: qui, Regulum nulla necessitate rediisse, imo etiam contra jus patriæ fecisse redeundo, affirmant audentissime. Etiam perfidia objectatur unico illi exemplo fidei? At suscepit legationem, quam in contrarium egit. At imo missus in legationem est: quam hoc agere, vel illo modo, nihil suscepit: cedo istam restipulationem: egit autem fide in patriam maxima, & admirabili. Et ergo crudeliter necatum ab hostibus crudelissimis vindicant cives sui justissime. Atque tantum in primo, & nihil amplius potes? In secundo etiam minus? Si enim captivi remissi non sunt ad Annibalem, id, quia nec repetiti ab Annibale, sic fuit. Ostende repetitos. Nam jus non petenti nec redditur. Nam Romani contemtum Annibali jus obtrudere non debebant: &, ad se ipsos quod attinet, justitiæ fecere satis, qui turpissimos homines notis meritis confecere. Quid nunc in tertio? Bellum simul indicitur, & infertur. Indicitur tamen? Sed nec erat necesse, Carthaginensibus indici solennius: qui tributarii jam, & obnoxia illa pace non arma tangendi sub nobis erant. Æqualibus illa solennitas, ac ritus indictionis debetur. Et ea (sic ad Polybium, atque Varronem) servata meis, donec meis exstitere æquales, servata cum his omnibus, qui professi nostri hostes non erant. Nam Germanis, Parthis, professis hostibus cur bellum indixissemus? Cur Carthaginensibus nunc? Cur eis reddidissemus hac indictione facultatem tractandorum armorum: quibus & contra nos uterentur? Non fuit hoc bellum. Non ad perduelles ibatur. Ultio erat de obnoxiis, & rebellibus. Jam frustrationes etiam commemorantur frustra. Idque tollitur totum Appiani verbo uno, certas numquam dictas de pace conditiones. (*d*) *Spem deditionis non ademit*:

a *App. Pun.* b *Cic. pro Syl.* c *Ter. Eun. Inst. de inju.* d *Cic. pro le. Ma.*

A *obsidesque imperavit*: ait ille. Obsides, id genus alia imperare, non est pacem dare. Salva igitur fides, salva Romana justitia est. De callida forsitan ratione vafrities Punica altum silebit: neque per legem ullam belli nos eam condemnare valemus. Etiam laudare isthic valemus: per quam Pœnis consulebatur, ut neque perire valerent, neque furere furorem, jam inermes, jam arctis vinculis stricti. Dic Picene, dic unum mihi, si, loqui proprie, & verborum proprietatem sequi, & retinere, sit vetitum? Nam civitas promittebatur libera. Et promissioni sic fiebat satis, si civitas
B servabatur libera: si suæ leges, si sui magistratus civitati adservabantur. De alia libertate dictum nequibat intelligi excellentiori, & de illo urbis genio magno. (*a*) Nam facta perpetuo sub tributo, prohibita naves habere bellicas, spoliata elephantis, vetita tractare arma, obnoxia nobis cogitare de suo illo genio Carthago non habuit: sed hoc tantum, quod dico: & quod illa audivit, intellexitque proximo fœdere Scipionis, *ut liberi legibus suis viverent*. Salva fides, salva Romana justitia est. Non erubescimus. Carthago deleta pessimo suo est merito: deleta Numantia: altera in occidente: (*b*) ad notandam hostium calamitatem
C nostrorum, æternum testificandam victoriam nostram.

CAP. IX.

De Græcia, & Syria.

ET ita vix relictum Corinthi vestigium est. (*c*) Procul enim a conspectu imperii, potens exsurgere, atque recreare se, vehementer erat timenda reipublicæ nostræ. Nescis, tres solum urbes in terris omnibus statutas, Capuam, Carthaginem, Corinthum, quæ potuerint im-
D perii gravitatem sustinere, ac nomen? Ipse hic tuus Cicero an non addit, in exscidium Corinthi Romanos motos ob istam caussam, ne illa loci oportunitas adhortari aliquando ad bellum faciendum posset? Aut ignoras, tantus magister, quantus videri vis, juris, licere consulere statui suo, & securitati? Res omnes, nec timendas fortassis, sed quæ aut tenuem præbent periculi suspicionem, auferre? Etiam prospicere in tempus longissimum decet: neque expectare, donec fores, & cubicula, cubiliaque periculum pulset. (*d*) *Victor hoc timere potest, quod non timet*. Certa hæc imperiorum ratio est. Nunc igitur audien-
E dum de justitia est: per quam Romani & huic securitati caverint, & in Corinthi exscidium venerint. (*e*) *Critolaus caussa belli, qui libertate a Romanis data adversus ipsos usus est*: sic Florus. De quo illud, facinus indignum, ut oppressa civitas fuerit ante, quam in numerum certorum hostium referretur. Judicium, quod negamus. Et ante diximus de Carthagine, non esse opus cum his solennia hostium observare, qui sint nobis obnoxii. Audin' ab eodem Floro, ultionem mandata criminum Corinthiorum? Etiam cum his solennia teneantur, qui legationemque violarint? Non
F mittitur ad eos legatio, apud quos sanctum suum legatio locum non obtinet. Et isti per se satis, & super, tanto admisso facinore plusquam hostili, in numerum certorum hostium se retulerunt. Sic mecum de scriptorum sententiis, Picene, judica. Illa, inquis, commemorare non attinet, quæ notant omnes, gesta turpiter a Romanis ad concilium dissolvendum Achajæ: unde Corinthus, & reliqua Græcia conflagravit. Et hoc imperii arcanum

a *Gell. 6. c. 5.* b *Cic. agr.* c *Cic. agr. 2. de off. 1.* d *Sene. Agam. 4.* e *Flor. 2.*

nostrum, hic, alibi, notas. Ego tamen nec contra de isto pugnem: at nego solum factum turpiter. Achæi nimis potentes propter istam conspirationem videbantur? Hic nihil turpiter: ubi circumspectator oculus tantum apparet. Quærebant Romani caussas belli? Scilicet remedium, quo tutior suus, & firmior status evadere posset: & quod neque reprehendere potes: ut ante in Tullo respondimus. Quærunt caussas. Sine caussis non movent: ut ante etiam respondimus in Sicilia. Quærunt caussas, justas scilicet: nam injustæ nec sunt caussæ; & injustas nec necesse est quærere: quæ passim sunt. Et hactenus itaque nec quidquam turpiter, quod tu addis verbum narrationibus scriptorum sane (pace sit dictum tua) turpiter. (*a*) *Quærentibus igitur Romanis caussas belli, tempestive fortuna querelas Spartanorum obtulit: quorum agros Achæi propter mutuum odium populabantur.* Hanc sociis demere injuriam, placuit. Nunc ne mutire quidem audet audax accusator. Aut eo revertitur, quod *legatis occulta mandata data sunt, ut corpus Achæorum dissolverent, singulasque urbes proprii juris facerent: quo facilius ad obsequia cogerentur?* Illum juvo. (*b*) Sic Themistocles graviter castigat Lacedæmonios, quod non virtute, sed imbecillitate sociorum potentiam quærerent. Sed non juvo tamen. Erat enim Romanorum cura ejus status, & libertatis Græciæ: cujus & conditores fuerunt. Audi, ut pro eo jure verba faciant, & decretum senatus in conventu totius Græciæ legati recitent. De Agrippa rege, quod factum temporibus Claudii, tanto fuit loquendum minus, quanto rex ille subditus Romanorum magis erat. Sic igitur & deleta Corinthus, ingrata civitas, & violatrix legationum. Quid factum in Græcia reliqua? (*c*) *Implorantibus Athenis auxilium contra Philippi regis injurias: placuit senatui, opem tantis ferre supplicibus. Quippe jam gentium reges, duces, populi, nationes præsidia sibi ab hac urbe petebant.* Ut pupillo nostro, regi Ægypti: ut amicis nostris, Attalo, & Rhodiis auxilia ferremus: bellum decretum contra Philippum. Etiam hoc renotemus in caussa Achæorum: quod etsi singulari, quam dixi, ratione Spartanis, aliisque adesse Romani non habuissent, hoc tamen generali decuisset eos, illam non negligere curam. (*d*) Id & Adherbal dicebat, Romanis pro magnitudine imperii esse curæ debuisse jus, & injurias omnium. Id & Plutarchus censet in eo libro, qui de fortuna est Romanorum. Græcia igitur, petita a Philippo in servitutem, Romana arma in Græciam devocavit. Justa an non est caussa? Etiam censet accusator justam. In altera cavillatur, Annibalis adjuti pecuniis, auxiliisque ejusdem regis: quia desierit hæc esse caussa, cum acceptas injurias Romani dissimularint. Atque bellorum caussis sic præscribatur, ut injuriis privatorum? (*e*) *Professa perdunt odia vindictæ locum.* Et in persecutione civili verum non est: cum semper sit magistratus eodem modo potens injurias vindicare: est verum in violenta persecutione: quam præcognitam aut vitare, aut facilius omnino sustinere valemus. Ridiculum porro postremum est, quod venerint imo ad deprædandam Græciam mei, prædones ipsi, & a prædonibus Ætolis deducti. Quid enim? liberatam Græciam non intuemur? Suspicionibus, petitis longissime, indulgemus: & præsentia cernimus gesta contraria? Aut injecta hic mentio est de latronibus, & prædonibus, ut latrocinia somniata quædam memorata commode viderentur. Scilicet laudatissimo illo legum fonte societates piraticæ adprobatæ sunt, & ejus rei superest vestigium illic, ubi scribitur etiamnum, potestatem a legibus duodecim tabularum his fieri, qui ejusdem collegii sunt, pactionem sibi ferre, quam velint: legem ex lege Solonis translatam: eaque permittente prædatum ire. Etiam permittente, *dum ne quid ex publica lege corrumpant* tamen: &, ut Solon dixerat, *dum ne id publicis sanctionibus prohibeatur.* Atque prohibitum tum erat prædari, & latrocinari. Aut si prohibitum non erat: quid reprehenditur? Et videtur sane necdum prohibitum. (*a*) nam inquit Trogus de temporibus Tarquinii regis, & Phocensium, qui Massiliam tum condidere, piratica, latrocinium maris illis temporibus gloriæ habebatur. Et fuit tamen, & nunc est aliqua latrocinandi licentia, ac sane justa. Reprehendisti & istam licentiam prædandi res eorum, qui non in fœdere amicitiæ nobiscum sunt: leges isthic reprehendisti, quarum te sacerdotem profiteris: quarumque alii & in parte ista justitiam defenderunt. Sed an hostium deprædari res neque licet? Et igitur sic cape pactiones illas, quæ permittuntur, nihil corrumpentes de lege publica. De hac piratica cape legem fœderis Carthaginensis: si Pœni piratæ sibi de piratica omni non timuerunt ab aliis, quam ipsi affatim, & absque ullo justi, & injusti discrimine exercebant. Neque vero Alexandri, neque Demetrii verbum, neque Platonis narratio tangit Romanos hic. Trahe, accusator, omnia: nihil attrahes. De Antiatibus illi dicebant: ut de his etiam senserit Plato, & de Tyrrhenis, & Thuscis: (*b*) qui itidem piraticam exercuerunt a prisco ævo. Oenotria ipsa proprie Sabinorum tractus est. Si vis, tibi responsum & in hoc esse. Oenotriam solam Italiam nominare prisci. Quod tibi tui auctores, Servius, & Strabo dicunt. Nunc judicia: nunc afferuntur senatusconsulta. Et mihi fere venit in animum, concedere aliquantulum in defensione. (*c*) Audi Isocratem de suis Atheniensibus, *Omnia, quæ nostræ urbi objiciuntur, non refutabo: nam alii ne deos quidem expertes omnis peccati esse putant.* (*d*) Audi Livium, *Nulla est civitas, quæ non & improbos cives aliquando, & imperitam multitudinem semper habeat.* An tu putas, cælestem aliquam Hierusalem a nobis isthic defendi? & non comparatione aliarum, quæ umquam fuerint, dicere, virtute civitatem meam propagasse imperium suum in orbem terrarum? Et defendenda nobis esse etiam vitia singulorum, (*e*) quæ urbibus nemo adscribit? Etiam, quæ non commissa, sed sunt omissa, defendenda? Et grande erit civitatis Romanæ crimen, si Antiatum, & Thuscorum latrocinia non impedierit? Etiam si non potuerit? Neque enim aut erat ubique unum populi Romani imperium, ut id posset ubique, quod cupiisset: aut, occupatissimo in bellis, semper ea fuit facultas, noxios compescendi, & puniendi. Etiam illa defendenda sunt nobis, quæ eversa contigere republica? Etiam, quæ improbata nobis: adeoque emendata nobis fuerunt? Nam, sic fuisse judicia illa Ardeatium, & Neapolitanorum, nescit nemo. Et illud accusator ipse habet verbum. *Singuli non nocent universitati. De privatis spondere, aut præstare nemo potest.* Age igitur accusator, sic mecum contende de re publica. Age, contende mecum, si voles, simpliciter etiam, non per comparationem ad alias, de virtute reipublicæ nostræ. En quantum mihi præsidium aufero! Age, ad Carthaginem usque

a *Justi.* 34. *Plut. Philop.* b *Justi.* 2. c *Flor.* 2. *Justi.* 30. d *Sallust. Jug.* e *Sene. Med.* 2.

a *Justin.* 43. b *Serv.* 7. 8. 10. *Æn. Cic. Hortens.* c *Isocr. ep.* 2. *panat.* d *Liv.* 45. e *Sene.* 9. *contr.* 2.

deletam mecum contende: etiam (aggredere latum campum) usque ad deletam Corinthum: usque ad deletum Mithridatem. Neque enim mihi es imitandus: ut quemadmodum tu laudatissima omnibus sæcula vituperasti, ita laudem ego sequentia, quæ omnibus vituperata sunt. (*a*) Ad Carthaginem usque deletam laudamur certatim ab omnibus. (*b*) *Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus, aureus, atque magnificus.* Defendo ego & quæ sunt postea consecuta adhuc sæculo altero. Nam *hactenus* inquit historia propter seditiones domesticas, & civilia bella: quæ nobis, virtute etiamnum virentibus foris, labem domi aliquam contraxisse videntur. Et de illis nec tu objicis, accusator, nec est mihi animus respondere. Bene uterque distinguimus: quod eadem jubet historia, *ne scelera virtutibus obstrepant*. Defendo post Carthaginem multo: ut intelligas, non metu ejus civitatis bonam exstitisse civitatem meam, sed sponte sua, ac virtute vera. Cur enim, si metus Carthaginis nos fecit bonos, Carthagine deleta, metu sublato non exsistimus repente mali? Id natura rerum, atque hominum experientia deposcebat. (*c*) At is, qui vere bonus est, nec fiet repente malus, & quibusdam veluti gradibus ad improbitatem declinat. Age, absolvamus de Ætolis prædonibus tuis: dicturi post de Illyriis, Balearibus, Histris, Dalmatis, Liguribus, Ætolis auxilia non missum, sed speculatores rerum Macedonicarum immissum accusas, & desertum Ætolos. Vera quodam modo facta. Sed accusatio non vera. Neglectæ in Græcia res: versis animis ad movendum tandem aliquando Annibalem ex Italia, bellum transferendum in Africam. (*d*) Et nec ita neglectæ tamen, (eodem auctore jam tuo) quin sub tempus initæ Ætolorum pacis cum Philippo proconsul in Græciam appulisset, auxilio Ætolis futurus cum decem millibus peditum, mille equitibus, triginta quinque rostratis navibus. Et non irati mei fuissent, quod Ætoli sic sine nostra auctoritate, & contra fœdus, pacem fecissent? Non susceperamus manu plena bellum: qui in visceribus Italiæ Annibalem habebamus. Sed tueri Ætolos voluimus tantum, & Philippi arma inhibere. (*e*) Itaque illis dedimus, quod debuimus, aut etiam amplius: si pro libitu modo credere Livio, modo eidem abrogare funditus fidem non velis. Contra Philippum non est visum statim tentare amplius, & contra nobile regnum Macedoniæ, viribus ejus incognitis, & inexploratis. (*f*) Legatum missum ad Annibalem dimisimus incolumem, *non in honorem regis, sed ne dubius adhuc indubitatus hostis redderetur*. Quæ sunt consilia virorum prudentum, non turpia versutorum arcana. Sequitur de bello cum ipsis Ætolis, gesto pro Acarnensibus. Et Livius de iniquitate Ætolorum summa explicat: neque Acarnanas hic miscet. Strabo hoc scribit, Acarnanas solos relictos liberos ob istam vetustam caussam. Sed hoc aliud est. Nam in beneficio benignitas sola pro caussa. Ad bellum faciendum desiderare aliud consuevimus. (*g*) Si non & Plutarchi concidit fides: & Plutarchus sane accusat Ætolorum contra Romanos avaritiam, arrogantiam, contumeliosam contumaciam. (*h*) Etiam tuus auctor: *Offensi Ætoli, quod non ex arbitrio eorum Macedonia quoque adempta Philippo, & data sibi in præmium belli esset, Antiochum in Romana bella impellunt.* Etiamne defuissent prætexus omnes Romanis contra Ætolos, mor-

a *Aug.* 2. *de civ.* b *Flor.* 2. 3. c *Cic. pro Syll.* d *Liv.* 29. e *Liv.* 26. 27. 28. f *Justin.* 29. g *Plut. Flam.* h *Justin.* 30.

A talium nequissimos: ut ad commentum illud de Acarnensibus fuerit abeundum? Sed neque auctor tuus, Picene, bellum Ætolis factum tum dicit, aut unquam ex isto commento: legationem ex isto commento Roma ad eos missam habet. Quid tamen aut commentum dico, quasi rem nihili? Et non justa sunt bella Græciæ pro Jonibus suscepta, veteribus Græciæ coloniis? (*a*) Et non est verum, quod, cum venissent post Romani Ilion, tanta utrinque lætitia omnium fuit, quanta esse post longum tempus inter parentes, & liberos solet: & quanta epitomator Justinus explicandam latius duxit? Et non est verum, ornatam eam civitatem

B a meis semper, de Antiochi spoliis statim? & non ipse accusator? *Albani, memores Italicæ originis exercitum Cn. Pompeii bello Mithridatico fratres salutavere.* Et hæc igitur belli fuisset caussa justa. Nam quid etiam de belli fine est? (*b*) *Memineramus auxilii* contra Philippum. *Sic* victis, deditis Ætolis *ignoscere placuit*. Redi, Picene, ad historias. Non etiam de judicio risoris inepti, apostatæ flagitiosissimi hic mihi fereris mutum C. Cæsarem, virum illa vi ingenii, illa oris facundia, illa animi præsentia, illa peritia antiquitatis. Ætolorum casu, aut ante oppressus Antiochus, & in regna Orientis penetratum: in quæ etiam itum

C antea improbe: quum Judæis tributa fuit libertas, a rege suo deficientibus. Ita tu quidem accusator. Cæterum Tacitus, *Tum Judæi Macedonibus invalidis Parthis nondum adultis, & Romani procul aberant, sibi ipsi reges imposuere; qui mobilitate vulgi expulsi*, &c. Ceterum quem tu memoras regem Judæorum? Regem Syriæ, regem? non tyrannum injustissimum? Siccine sancta illa Macchabæorum gesta? Siccine verbum effugit de ore abominandum? Non ego hic disputo: at, quod Alexander imperator respondit, aptem hic, (*c*) *Jurisjurandi contempta religio satis Deum ultorem*

D *habet*. Deorum injurias diis curæ: ut alius inquit. Etiam hic Trogus? Qui Damasco ducit originem, ducit Judæorum: & illic regnantes majores, Abrahamum, Israelem facit: & Israeli filios, decem: quibus divisum regnum: & Josephi natu minimi filium Mosen: &, istum ducem Ægyptiorum: qui propter vitiliginem pulsi; & furatum sacra Ægyptiorum; & reliquas fanaticas ineptias scribit, non Tacito, aut Plutarcho melior Judaicarum, & religionum scriptor. Sed belli caussa cum Antiocho quæ fuit? (*d*) *Europa tam dubio procul ad Romanos pertinebat: ille Lysimachiam repetebat, ut conditam a suis majoribus.*

E Bellum facit parvulo regi, qui postremis patris precibus nostræ erat fidei traditus: & nostram hac de re spernit legationem. Civitates jure belli nostras factas occupat: & aliam legationem nostram hac de re mittit irritam. Parat in nos bellum amplius, etiam tentatis ad societatem Carthaginensibus: & tertiam legationem nostram itidem spernit: quæ id habebat, ut contentus terminis Asiæ esset, ne nobis ingrediendi Asiam necessitatem imponeret. Etiam non accipere, sed inferre bellum constituit. Sic igitur, sic in Antiochum, arma cepimus: qui elatus successibus, cognomine auc-

F tus Magni, nostris, nobisque injurius, & terribilis insultabat. Hunc multatum dices immaniter? Non ei lex ante dicta talionis, abstineret alieno, si possidere suum vellet? (*e*) Non hæc est æquissima lex, ut qui concupierit, & corripuerit de alieno multum, iste multum de suo perderet? Etiam Perseus meritus, ut non aliter audiretur a

a *Just.* 31. *l.* 17. *de excus. Liv.* 32. b *Flor.* 2. c *l.* 3. *C. de reb. cr.* d *Flor.* 2. *Justi.* 31. *App. Syr. Plut. Ca. ma.* e *l.* 4. *C. fis. reg.*

nobis,

nobis, quam si se dedidisset, & de summa rerum senatui permisisset arbitrium. Hæc est justa pœna perfidiæ, & fœderum violatorum. Si vera est, inquis, defensio Persei. Si vera est: fœdera nec violavit. Sed qui nos accusas quasi ex vera illa defensione, quam nos veram inficiamur, eam nisi probaveris veram, nec efficis quidquam cum *si vera*. Falsam vincunt historiæ. Fœdus cum patre ictum, secum renovatum, (*a*) itaque suum, varie temeravit, & insolenter rejecit. (*b*) Non debet sperare veniam, qui geminat delictum: nec ei parcitur. Quando autem illud obtulit de satisfaciendo injuriis? Quum exercitus jam transportati in Macedoniam essent. (*c*) At cessare a bello non tenemur, etsi non satisfacere nobis hostis velit. Non etiam dare pacem tenemur aut ante bellum inchoatum. Non tenemur. Non tenetur judex indulgere furi, qui furtum restituere velit. Aut nimis esset fœdifragorum bona conditio, si sic vitare justam læsi indignationem, & reliquam peccati pœnam valerent. Sileat mihi de peccato alius. Non peccamus, qui pœnam sumimus de sceleratis, & nocentibus. Non peccamus, si, pars cum simus, supra volumus, quam parti debeatur, quod est satisfactio. Imo enim & judex sumus: ut alibi nonnunquam personas has duas sustinemus, in bellis autem semper. Et judex juste tum dicitur puniisse, quum id effecerit, ut & ipse, qui peccavit, tale posthac non audeat quidquam, & ceteri sint ad injuriam tardiores. Sic Cicero: quem solenni tuo more truncum nobis exhibuisti: sic leges, sic interpretes de pœnis: quæ prospiciunt generaliter in futurum magis, quam de peccato præterito cogitant. Ad hæc move caussam Persei. Divortii caussa nihil ad istam. *Sed pœnituit eum, qui libellum tradendum divortii dedit: isque per ignorantiam mutatæ voluntatis oblatus est: durare matrimonium dicendum, nisi, pœnitentia cognita, is, qui accepit, ipse voluit matrimonium dissolvere: tunc enim per eum, qui accepit, solvitur matrimonium.* An potes non omnia mutilare? Aut ego tamen cur moras omnes non amputo? Quid responsum Perseo a senatu est? Mitteret ad consulem, qui erat in Macedonia, si satisfacere in animo esset. Mittit Romam rursus. Sed satisfactio est inficiatio facinorum manifestorum, defensio injustorum gloriosa, deprecatio leviuscula imprudentiæ. Mittit & ad consulem postea: plenus spei ab non magna tamen victoria: & alia non pollicetur, quam quæ præstaret Philippus pater.

Cap. X.

De Mithridate, & Annibale.

Superest Mithridates. Atque in caussa ejus belli significanda duo habet accusator sophismata: unum, quod civitati adscribit, quod fuit a ducibus quibusdam, ut Ariobarzanes, & Nicomedes Mithridatis infestarent fines: alterum, quod hinc ducit belli caussam primam. (*d*) Et ante hæc Mithridates tamen contra edictum populi Romani plurima tenebat in Europa. Hoc fuit edictum, ut Asiatici omnes reges Europa abstinerent. Et edictum justum hoc erat. Cum illi ipsi Romani tum Europam de manu Antiochi vindicassent. Sed etsi hoc Mithridatis peccatum non esset; defendi non potest ille tamen: (*e*) *qui caussam quidem belli hoc prætendebat, attrectari terminos suos a Nico-*

a *Decia. 3. cons.* 117. b *Bald. l.* 3. *C. de episc. audi.* c *Bell.* 5. *con.* 3. *cap.* 15. *ad quem Dan.* d *App. Mitr.* e *Flor.* 3.

A *mede: ceterum elatus animis ingentibus, Asiæ totius, & si posset, Europæ cupiditate flagrabat.* (*a*) Ariobarzanem, amicum nostrum, ac fœderatum, regno pellit, nostro munere: etiam & Nicomedem. Quos supplices cum restituere decrevisset senatus: ille meditata jamdudum, & provisa Septentrionis totius, atque Orientis arma adversum nos suscitat. Siccine decuit, aut licuit? Si injuriam fieri sibi a Nicomede credebat: & credebat etiam, agendum sibi de ea re esse cum Romanis: cur non mittit legatos Romam, ut fecit antea in controversia alia cum hujus Nicomedis patre? Cur ad Cassium, aut ad alios Romanos duces B nunc mittebat: a quibus concitatas sibi præsentes turbas existimabat? Caussas (inquit Appianus) belli ita captavit: ad quod quidem paratissimus erat. Captavit occasionem ex civilibus Romanorum dissensionibus: ut sic Sylla ei respondit: imo ipse sic professus est prius: & inde suos animavit ad bellum. Quamquam & hoc falsum, a Nicomede factum principium injuriarum. Ipse Mithridates primus & regno, & vitæ alterius insidiatus est. Id itidem ipsi exprobrat Sylla, (*b*) & contestantur historici. Moverat nobis bellum Mithridates cum apparatu illo suo maximo: quo solum esse contra nos opus videbatur. Et id prudentissime C differebat Nicomedes. (*c*) *Rei qualitas agentis intentionem demonstrat.* (*d*) *Paulum distare videtur suspectus, vereque reus.* (*e*) *Instat nautis fera tempestas: cum sine vento tranquilla tument.* An exspectandum erat, dum professus se hostem nobis fuisset? Et non pluris facta ejus, quam verba fuerant facienda? *Quis adeo stultus ut non ex verbis potius, quam ex factis rem censeat?* alicubi Cicero. (*f*) Hostes sunt qui apparatus faciunt, ut nos oppugnent. (*g*) Nihil a bello aperto abfuisse Antiochum dicebamus: qui magnis cum copiis in Europam trajecerat: etsi abesset adhuc a finibus D nostris longissime: nam illum quidem, etiam si in Italiam trajecisset, negaturum. Et itaque Mithridatici belli caussa, & principium sic sunt. Media belli infamare nobis tacite, clamoso illo suo silentio, maluit adversarius, quam producere in apertum. Videlicet traducere oratione nequiit Romanas partes: facinora ei narranda Mithridatis erant, quæ barbaries nulla a se admissa audeat confiteri: nullus, quantumvis audax, & ferreæ frontis patronus colorare susciperet: nulla excusare vis linguæ posset. (*h*) Ut cædem centum, & quinquaginta millium civium Romanorum, una die, tota Asia, uno nuntio faciendam curarit: & E domos, templa, aras, humana omnia, atque divina jura violari. (*i*) Nam qui isti occisi sunt? Mercatores, alii inermes negotiatores, in amicis civitatibus, cum conjugibus, liberis, infantibus, etiam servis Italici generis: & abjecti omnes insepulti. Proditio hæc scelerosa, latrocinium immane, fera rabies, internecina crudelitas: ut late etiam Appianus exponit. Dicam, prætores deditos? legatos in vincula conjectos? nominis Romani memoriam in terris illis deletam? Et his noster fecisset adversarius satis? Sed mihi Murenæ factum est defendendum: F quod factum senatus fuit: (*k*) & triumphus secutus est. Ais, Picene, negasse Murenam impudenter, videre se ulla fœdera. Et tamen non ille, Picene, impudenter, sed tu una amplius latranti littera imprudenter. Neque enim Sylla, a quo percussa fœdera dicebantur, eam auctoritatem habebat fœderis ineundi, ut ante tibi de

a *Justi.* 38. b *Sex. Vict.* c *Bal. l.* 14. *C. de testam.* d *Aus. ephemer.* e *Sene. Thyest.* 5. f *Dio.* 45. g *Liv.* 33. h *Plut. Syl. Flor.* 3. i *Val.* 9. *cap.* 2. *Cic. pro Flac.* k *Cic. pro le. Ma.*

iſthac poteſtate ducum Romanorum reſponſum eſt. Et neque ſervata fuerant pacta a Mithridate: qui ſolidam Ariobarzani Cappadociam non reſtituerat. Sic contentus Sylla exſecutione pactorum: non facta, non perfecta, ſed ex fœdere perficienda. Quid, quod magnum parabat rex exercitum? Adverſum Bosphoranos ſuos rebelles ſubditos? Sed erat opinio, eum imo cogitare Romanos. Et a qualitate exercitus utique cogitandum ſic erat. Non ſatis Murenæ factum tibi defendi? Aut etiam teſtimonio Syllæ contrario habeo reſpondere? Sed quid ille de facto dixiſſet ſuo? Quid tu de Aſdrubale, qui ſœdus ſervavit ſuum? (*a*) Non probat teſtimonium, ubi vertitur teſtis exiſtimatio. Nunc narra ſenatus Romani fraudem: qui Murenæ palam denunciarit aliud, & clam aliud. Quaſi circumvenire hoſtem dolis cum factorum, tum etiam verborum non liceat. Aut quaſi tyrannis Syllana ſenatum eo modo agere non coegerit, ut ſibi aſſentiretur, & geſtis ſuis aſſentaretur. Nunc narra Murenæ ſacrilegia. Quaſi ſacra hoſtium rapere nefas fuerit; aut quaſi ſit quidquam ſacrum ſacrilego homini: aut quaſi non juſte repenſa hæc ſint Mithridati ſacrilego. Narra nunc patientiam, & æquanimitatem regis. & perſuade, ſi potes. Alii enim cenſent, Mithridatem, præteritis admonitum malis, factum prudentiorem: & timuiſſe nunc vim Romanam magis, quam antea fecerit; quum ſe ad primos quorundam ducum motus commovit. Nunc enim receperat Sylla, quæ rex rapuerat: cæciderat regi centum, & ſexaginta millia hominum; caſtra ceperat bina cum apparatu omni. Senſerat Mithridates, quod ille a ſuo ſinu, ac latere ſibi profeſſus eſt, (*b*) *rem invictam Romana arma*. Et hæc tua illa exſecrabilia media belli hujus prioris. Unum hactenus bellum, unum; & alterum eſt, quod ſequitur: & quod cum morte Mithridatis finitum eſt. Imo unum eſt bellum & prius, & poſterius: quia non ſenatus, populuſque priori, ſed Syllana vis tandem poſuit finem. Et ſcimus tamen dici ab hiſtoricis etiam tria cum Mithridate bella. (*c*) *Tribus ingentibus bellis ſubactus felicitate Sullæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeii*. Sed loqui hiſtorici conſueverunt cum vulgo: quod ita exiſtimaret, novum eſſe bellum, quod renovatum fuerat a Murena. Modo autem, quum quæritur de re ſubtiliter, miſſa vulgi & oratione, & ratione, loquendum, ſapiendumque cum prudentioribus eſt: qui unum evincunt bellum, quod bis ſuppreſſum, numquam legitime finitum fuit. At de cauſſa ultimi belli cur eſt ſilentium accuſatoris adeo altum? Movit hoc ſine cauſſa Mithridates. Ita Appianus. De inſidiis, de parricidiis accuſatio eſt. Sed etiam Attilii, hominis transfugæ, & deterrimi cujuſvis facta populo noſtro tranſcribentur? Sylla cur reprehenditur qui Archelaum ad ſe illexerit? Africanus cur carpitur, qui Pœnum ducem ſollicitarit? Cur Papyrius, qui legatum Tarentinum corrupit? Equidem exiſtimavi ſemper, licere corrumpere arma hoſtium, ad ſe pellicere. Et parricidium Pompejo cur datur? (*d*) Non hæc parricidia in illis terris ſolennia? (*e*) Et bella Orientis quando abſque ſceleribus aut cœpta, aut terminata? Non abierim longius. Mithridatis parricidia plurima Trogo notata ignoramus? Ab ingreſſu regni matrem veneno interfectam ignoramus? Bellum ejus cum patre, geſtum pro regno, ignoramus? Armatum filium Tigranis, nepotem ſuum, contra ejus patrem, generum ſuum, ignoramus? Pharnacem parenti inſidiatum, timentem, ne faceret ſibi pater, quod fecerat reliquis filiis, quos occiderat, etiam hoc ignoramus? Quid hic ſimile cum Farneſii caſu eſt? Niſi quod accuſator velit pudenda facere, ubi non ſunt; illic retegere, ubi tegit jam tempus, & oblivio hominum, &, quaſi nec ſint, facit. At Pompeii facinus eſt: qui alia ſimilia patrare ſolitus, & hoc ipſum patrarat ante in Africa? Ne tamen, ne tu mihi civilium bellorum furores huc trahas ad juſta bella. Illud, quicquid Hiempſalis fuit in Africa, belli civilis Mariani, cujus ſecutus partes pater Hiempſalis, exſtitit. In ſua ſævit viſcera rabies iſthæc, & ſceleri jus omne tradit. At alia Pompeii quid tentas? Probari numquam Romæ valuiſſe cum omne ejus viri gratia, & magnitudine, neſcis. Quis etiam te furor, Picene, rapit huc, illuc, quod ais, ut nullo ordine a Septentrione nunc feraris in Africam, & ab Occidente trahereris paullo ante in Orientem? (*a*) Etiam Viriati notas caſum, improbatum ſenatui, & populo, & tribubus. Et fortaſſis tamen nec improbandum (audi) contra latronem. *Viriatus ex venatore latro, ex latrone ſubito dux*: ut ſcribit Florus. Etiam Hiſpanum hunc latronem, & per latrocinia magis graſſantem, latronum more, venatorum ritu, quam per acies juſtas, & artes ullas imperatorias belligerantem, is Hiſpanicus auctor, ire in cælum, jubet: tamen a ducibus noſtris, nec illis quidem melioribus *fractum, & extrema deditionis agitantem*: quod idem ſcribit. Non improbaveris, quod eſt & cum Jugurta effectum, & quod confectum eſt. (*b*) Erat regnum illud populi Romani munus: erat in fide Romanorum, & clientela. Perfidus rebellis Jugurta erat: cui jura juſti belli, & legitimi perduellis non deberentur. Verum obiter iſta accuſator. Et illud obiter de præmiis per noſtram civitatem non uni ſceleri contributis. Vidit enim jus apertum, quod dixi, licere corrumpere arma hoſtium, & ad ſe pellicere. (*c*) *Omne, quod datur, aut ob rem datur, aut ob cauſſam: & ob rem aut turpem, aut honeſtam: turpem autem, aut ut dantis ſit turpitudo, non accipientis: aut ut accipientis dumtaxat, non etiam dantis: aut utriuſque*, ut lex ait. Scelus igitur ex parte accipientis ſit in caſib. accuſatoris: ex parte dantis non eſt. *Romani ſemper ſcelerum ſprevere miniſtros*: quæ turpitudinem haberent & partis ſuæ. Sic traditorem pædagogum ſprevere: ſic veneficum medicum: ſic alios. Neque enim lædere infirmam illam licebat ætatem: neque veneficiis in bello uti. In Annibale manet accuſator. Inſidias huic ſummo duci per orbem terrarum univerſum ſtructas conqueritur, ac pæne lamentatur ejulabundus. Sed, uno verbo, an non receptum hoc jus belli eſt, ut victor victum, ubicumque exiſtentem, poſtulet ſibi dedi? Ut violatores fœdœrum dedantur? (*d*) Hoc petiit populus Romanus a principio ejus belli; petiit in fine: petiit poſtea. Dedi ſibi Annibalem petiit, hoſtem victum, fœderis violatorem. (*e*) Adde, qui infractiſque rebus pertinax reges pererravit: ſenex non deſiit omnibus angulis contra populum Romanum bellum quærere. Iſte autem faciet impune injuſta omnia: populus vero Romanus adhuc perſequi jus ſuum nequeat? Depoſcebatur a Pru[ſ]ia Annibal, non petebatur occidi. *Sed Annibal, re cognita, ſumpto veneno, legationem morte prævenit*: Trogus ait. Etiam cædis ejus petitio juſta fuiſſet. Nam hoſtis juſtus jam eſſe deſie-

a *Eug.* 1. *conſ.* 51. b *Plut. Luc. Lipſ. prin. de mil. Ro.* c *Flor.* 2. d *Liv.* 50. 100. *Oroſ.* 5. *cap.* 4. *App. Mitr. Juſt.* 34. 38. 42. *Val.* 9. *c.* 11. *D.o.* 36. 37. *Zoſim.* 2. *Ser. Æn.* 5. *Tac.* 5. *hiſt.* e *Oroſ.* 5. *c.* 4.

a *Flo.* 2. *Val.* 9. *Oroſ.* 5. *Sex. Vict.* b *Flor.* 3. c *l.* 1. *de co. ob. tu. ca.* d *Liv.* 21. *Sex. Vict. Juſt.* 32. e *Sene.* 3. *nat. q.*

rat penitus: jam privatus: jam a suis damnatus populo nostro: nobis deditus, nobis debitus. Etiam calliditas insimularetur nostra, qui versutissimum Pœnorum (*a*) facere suspectum suspectis nostris, & hostibus volebamus? Aut qui sunt doli isti turpes, quibus per nos petitus ille in Africa, Asia, & Europa? (*b*) Si dicis consilium Flaminii, quod & Romæ vituperatum exstiterit: privatæ inimicitiæ factum dicis, laudes autem civitatis. Et semper tamen dices, si verum amas, Annibalem juste confectum. (*c*) Ego tibi non dico, non ita convenire scriptores de morte Annibalis, ut de ea aliter, atque alii, non scribant alii. Etiam ut ruina cadentis Fabii Maximi in quodam prælio victor ceciderit. Non detraho tibi de laude ejus imperatoria: non de isthac laude detraham Mithridatis, aut cujusquam alterius hostis nostri. Hæc laus nostra est: vicisse viros fortissimos quosque, & eximios omnes belli duces. At neque tu mihi ratiocineris, vinci Romanos ab Annibale potuisse: qui Annibalem victum cernis. (*d*) Quis at dux tantus Annibal: qui Græco eguit magistro ad vincendum? (*e*) Et vero sic vicerant Carthaginenses antea Regulum, accito magistro a civitate Lycurgi. Conferam nunc ejus facta, & Scipionis? (*f*) quem sibi Annibal, & reliquis omnibus prætulit: nec ausus in comparatione vocare: ut *inter magna non poni sæpe est eximiæ cujusdam magnitudinis argumentum*: quod ipsa ista in re dici audimus. Certe præferre Scipionem potuit Annibal sibi. Annibal vix anno Saguntum cepit, urbem omnibus undique auxiliis destitutam. Scipio cepit uno die Carthaginem, urbem multo potentiorem, & præsidiis intus, & exercitibus foris munitiorem. Quot tentat alias ille urbes frustra? Neapolim, Spoletum, Cumas, Puteolos, Nolam: (*g*) exiguum quoque castellum, prope Placentiam, unde, quadringentis amissis, & ipse vulneratus discessit. Quas tentat noster frustra? Vincit Annibal primo in Italiam adventu: (*h*) quum in otio fuissent mei post prius bellum cum hac gente: (*i*) & quum bellis aliis lacessita, non exercita Romana arma fuissent. Vincit Annibal ad Trebiam per Sempronii ambitionem inconsultam, ad Thrasimenum per impiam Flaminii audaciam, ad Cannas per furiosam temeritatem Varronis, ubique per suas fraudes multas. (*k*) Ut hæc fuit Punica fortitudo semper dolis, & insidiis, & fallaciis instructa: quæ certissima circumventæ virtutis nostræ excusatio est: quoniam decepti magis, quam victi fuimus. Sensitque sic Annibal, cum imperitis duobus se gessisse rem, postquam Fabium adversum habuit. (*l*) Hinc neque virtute, neque bellandi arte par fuit: qui per tot victor acies jam a Fabio cohibetur, reprimitur, spe spoliatur victoriæ ultimæ. Tantine est, quod ipse Fabio dederit verba semel? Et tot iniqua Æmilii Probi afferri huc decuit? Castra castris collata non habuit? post Cannensem pugnam non habuit in campo collata? Ubi igitur Marcelli? Ubi Neronis? Qui iste invictus, a Marcello victus, ab aliis dejectus in angulum terræ Brutiorum, & delusus a Nerone veluti puer? Certe inter alia Annibalis felicia, & hoc est, quod revocatus ex Italia est: ubi jam consenescens aut mori abjecte, aut fugere turpiter habuisset. Cæterum in disceptationem istam laudis bellicæ me non penetro, quam nec intrare voluit accusator. De factis quibusdam disceptat Annibalis: quæ contra Livium defendit. Et de illis ego silere itidem possem: qui

a *Justi.* 31. b *Plut. Flan.* c *Paus. lib.* 8. *Plut. co. Ro. & Gr.* d *Veget. proe.* 3. e *Liv.* 18. *Flor.* 2. f *Liv.* 35. *Petr.* 3. *in* 3. g *App. Annib.* h *Veget.* 1. *e. ult.* i *Liv.* 21. k *Val.* 7. *c.* 4. l *Front.* 1. *c.* 8.

A hic accusationi respondeo, non accusem. At mos gerendus est Piceno tamen: qui hoc vult importune, ut de Annibalis justitia bellica ipsum inter, & Livium cognoscatur. Etiam ratio huc nos ducit: qui, sententias Livii, & aliorum magnorum historicorum suscepisse defendendas, & dignitatem eorundem contra clamores hujus vindicandam, videri possumus. Defendit cædem Saguntinorum Picenus, veluti necessariam, justamque, nec crudelem. Sed neque Livius illam non excusat. Et est tamen, quæ nec meruit excusari. Audi: qui, excusatione non contentus, quæris laudem, & pretium feres diversissimum.
B (*a*) Alexander alicubi in Oriente cum puberes omnes, qui pugnarunt secum desperate, occidisset, & urbem solo æquasset, creditus Indis est, bellare more barbarorum, atque latronum. Quorum sapientissimorum hominum, justissimorumque judicium reveritus Alexander, desiit ista in posterum. Romana, quæ profers, non sunt paria. Et de Numantinis antea responsum est. Ænensium conceptam adversus suum præsidium rebellionem, proditionemque nec tum potuimus, nec umquam debuissemus aliter vindicare. Fraus fraude pulsa, & subjectorum hominum perfidia punita est. Quid ista ad Saguntinos? At Romani
C in captis urbibus etiam animalia conficiebant. Sane etiam & viros, quos obviam habuissent armatos. At quid ista ad puberes Sagunti jam captos? Habes de Fabio, crudelitate, perfidia: qui Brutios cæcidit Tarentini. (*b*) Verum in triplici facti ejus narratione, itaque incerta, quæ hæc est licentia accusatoris, ut rapiat deteriorem, & nobis nocentiorem? (*c*) Etiam absque proditione captam urbem, adfirmare valemus. (*d*) Sed si errore, & obscuro noctis secuta cædes est, vacat culpa omnis. Idem si errore alio. Nam quid si (& hoc pro certo fuerit cati, cauti, celantis ducis
D consilium) paucissimis Romanorum, atque Brutiorum cognita erat proditio? Tum rei ignari, Romanique Brutiique reliqui miscuerint utique prælia: per quæ cædes ista infirmiorum sit consecuta. Quid si nec errore ullo, sed vetere in Brutios insito odio cæsi sunt? Hæc secunda narratio est. (*e*) Dolori justo condonari multum oportet: imo etiam temeritati ignoscitur multum, & inconsulto calori, & iræ. (*f*)

Quis nam audet leges vibrato imponere ferro?
Inflammata semel nescit mitescere virtus.

E (*g*) Atque audi & de ista ira, & de nocturnis præliis verbum ducis summi, *Regi frenis nequit & ira, & ardens hostis, & victoria commissa nocti: quicquid indignum, aut ferum cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor, tenebræque, per quas ipse se irritat furor.* Duas concedimus, & ecce defendimus narrationes. Unam tu æquissimo jure habes relinquere. Quam & tueri possemus, si duri potius adversarii tibi, quam justi Romanorum advocati esse vellemus. Nam qui isti Brutii? (*h*) Gens bruta, & servorum colluvies: qui lictores, tabellarii esse jussi ad ignominiam
F sunt postea, propter defectionem, & iniqua alia in Romanos admissa. His hominibus, rebellibus, criminosis fides, si qua data fuit, etiam servata fuisset? Legitimis, hostibus, non latronibus servatur fides. Atque hæc ad primum caput judicii sunt. Secundum est de vi captis Vicuviis. Et per criminis relationem tuatim tuum tueris An-

a *Polie.* 4. b *Liv.* 27. c *Plut. apo. reg. & du.* d *l.* 4. *C. de adult. Alc.* 7. *cons.* 21. e *l.* 38. *de ad. ult. l.* 4. *C. eo. l.* 1. *ad Turp. Tiraq.* 1. *de pœ. moll.* f *Claud.* 2. *Ruff.* g *Sene. Troa.* 2. h *Fest.* Brutiani. *Str.* 5. *Diod.* 16. *Gell.* 10. *c.* 3.

nibalem. Male. Et Pomœtiam nominas male: quæ rebellis civitas jus hostium non merebatur. Ita tu numquam distinguis, quod distinguendum est semper, jus hostis justi, & rebellis. Pomœtia item dedita, quum muros jam miles scanderet; adeoque tempore jam omni deditionis elapso. (*a*) Urbes Epiri aut perfidas, aut obstinatiores, redactas sub potestatem, & pactas de incolumitate nihil, quid non diripuerit, afflixerit Æmilius juste? Calliditas quid exprobratur: qua usus is est in inducendo illuc rursus milites, ut non rursus oppugnare illas haberet? Non ita sævitiam suam Annibal temperavit. Vicuviæ neque vi captæ sunt: ad quas nec ductus aries fuit, neque scalæ admotæ. Et munitum oppidum captum vi sine istis quidem tentamentis dicetur, si se dedat? Apage novam rem militarem. Sed jam perge ad caput tertium. Masinissæ, atque Maharbalis pacta statuis pari loco. Tu aberras, Picene, non jure tantum, sed toto etiam (quod dicitur) cælo. Nam Masinissa pactum fecit Sophonisbæ jam captæ, & servæ: cui nec ipse Scipio promittere quidquam potuisset, captæ jam, & servæ factæ populi Romani. Sic ipse Scipio ait Masinissæ verissime. Et quod modo de Æmilio dicebamus, ille nec potuisset eis oppidis parcere absque jussu senatus. (*b*) Maharbal eos nostros nec expugnare vi poterat facile: nec putavit pugnandum cum desperatis. Sic Appianus. Et sic Maharbal cum liberis pepigit hostibus: cum quibus pactum tenet. Et tenet pactum a Maharbale initum: quia & hujus paciscendi pacti potestatem dedisse ei Annibal intelligitur: qui misit: & qui juncta mandato, quæque solennia ad rem mandatam sunt, intelligi denegasse non potest. De Maharbale amplius non dico, quod & ipse sua fide Punica, pactus abitum nostris tradentibus arma, nudos ad Annibalem ducit. Superest caput quartum. Injustum non esse perdere hostilia: & itaque magnam, & certam esse Livii imperitiam juris, qui Annibalem in hoc accusat avaritiæ, & crudelitatis. Et Romanos idem fecisse: qui cum Annibale condemnarentur. Sed Politorium oppidum, jam antea vacuatum habitatoribus: quos in urbem, & civitatem Ancus transtulerat. Sed nostrum diruimus: ne hostibus receptaculum, contra nos propugnaculum esset. Ostende caussam, accusator, cur Annibal ita fecerit non cum suis. Nam & est certe differentia aliqua, an in nostro quid faciamus, an in hostico. Voluntas nostra est ratio omnis ejus, quod facere volumus in re nostra. Sed in re hostica sunt jura, & obligationes, quibus obstringitur voluntas, ac utrinque regitur. An enim sacraque vastare hostium licet? (*c*) Nam tuus Annibal Deorum

Sacrilegus face miscuit arces.

Hæc summa crudelitas: quæ cæco effervescit furore: & munimentum ex se ipsa capit. (*d*) Hæc Annibalis tui virtus improba. Etiam virtutem facere ille improbam potuit. Et hæc sunt omnia, quæ narravit contra Annibalem Livius. Falso tu ais, quæ potuit ille narrare. Plurima adhuc potuit: & multo quidem acerbiora. (*e*) Sed malignitatem redolet historici, & animum cupidum maledicendi, curiose perquirere, atque perscribere isthæc curiosius. Maximus historicus Thucydides ne quidem flagitiosissimorum plurima perspicua peccata percensuit. (*f*) Qui vitas scribit, is singula notat, vel levissima: de quibus cogno-

a *Liv.* 45. b *App. Annibal.* c *Sta.* 4. *Syl.* 6. d *Sil.* 1. e *Plut. de Herodo. ma.* f *Plut. Alex. & Ca. Ut.*

A sci homo possit, quem veluti pingit. (*a*) Qui historias scribit, is (sic veteres sapientes dixere) habet alium imitari pictorem: qui, si archetypum naturæ vitiosum videt, non exprimit in pictura vitium totum. Sed vis, Picene, alias adhuc Annibalis audire virtutes tui? (*b*) Aut scire dissimulas, quomodo tractarit ille Nuceriam, quæ dedita sibi per pactum erat? Senatum in balneis conclusum æstu suffocat: populum abeuntem configit jaculis. Et Acerris quid facit? Annibal non æquus Acerris Senatum, post fidem datam, in puteos conjectum, obruit terra. Conjicit alibi in fossas captivos: qui usum pontium præberent.
B Inquit Florus de aggere quodam C. Cæsaris, quem fecerit ex cadaveribus: *fœdum etiam inter barbaros.* Quid hic, ubi non cadavera, sed viventes sunt? Subjecit alios elephantis proterendos. Coegit, fratres cum fratribus, filios cum parentib. digladiari. Ad Cannas debilitavit jacentes: ut desolati morerentur. (*c*)

His pernas succidit iniqua potentia Pœni.

(*d*) Tot millia illic captivorum variis suppliciis interfecit. Hæc humanitas ad Cannas. Hæc laudata vox; *Cæsi ad hostium satietatem: donec Annibal diceret militi suo, Parce ferro*: ut Florus
C recitat: qui eadem & de Cæsare in Pharsalica pugna: *Vox ad jactationem composita, Parce civibus: quum ipse sequeretur.* Parci ferro in pugna voluit, ut in otio mox resumptis viribus occiderentur, qui occidi per defessos nequibant. Vox illa Annibalis, vox non hominis, sed belluæ Libycæ: *O formosum spectaculum!* quum fossam sanguine plenam vidisset. Hæc improba vox: non illa, quam paullo ante tu reprehenderas in Africano. Ille enim in artibus, & viribus viventium potuit, ut cognoscere multa, ita etiam oculos
D oblectare. (*e*) Hominibus hoc contingit, ut casus alienos intuentibus etiam ipsa misericordia sit jucunda. Nescis spectacula Tragœdiarum. Sed Annibali quis alius, præter crudelitatis, vacat in spectaculo isto locus? Nunc quid memorem annos ejus in Italia ultimos, & ex Italia fugam? Cum videret, non se illic mansurum diu, omnes amicos, & Brutios suos, variis, falsisque criminibus afflixit. Adi ad Appianum. Et hæc tamen virtus fuit tracta a gente, utcunque aucta in homine valde fuerit. (*f*) Nam Carthaginenses sub navibus ponunt captos nostros: qui ita per inauditum cruciatum colliderentur. (*g*) Vivos defo-
E diunt dimidiatos: quibus necandis ignem admovent. (*h*) De Regulo cui non dictum? Ipsis etiam Afris damnatum facinus: quod tu defendere tentabas. (*i*) Etiam cruci suffixere captivos. (*k*) Quæ in tertio patrarunt bello, ea fuerunt adeo sæva: ut ipsi sævitia sua terrerentur. Dicam & de fide Punica? (*l*) Sextum de fœdere decesserunt. Audisti. Dicam facinora singula infidelitatis? (*m*) Cornelium consulem primo bello captum perfide: abductum Carthaginem: necatum. Secundo bello legatos Scipionis violatos contra jus gentium. Imo me dies deficeret, si de istorum perfidia dicere omni, aut leviter attingere velim. (*n*) Vere, ve-
F re Masinissa.

Perjuram ab origine gentem.

Vere Virgilius,

Tyriosque bilingues.

a *Plut. Sert. Jose. de vi. su. Nic. Greg.* 1. b *App. Pun. Val.* 9. *c.* 6. *Flor.* 2. 4. c *Ennium.* d *P. Diac.* 3. *Sene.* 2. *de ir.* e *Cic.* 5. *fam.* 12. f *Non.* palangæ. g *Gell.* 3. *c.* 14. h *Gell.* 6. *c.* 4. *Cic. Piso. Sex. Vict.* i *Sil.* 17. k *App. Pun.* l *Gell.* 10. *c.* 1. m *Val.* 6. *c.* 6. *Oros.* 4. *c.* 7. *Flor.* 2. *P. Dia.* 2. *Jor. de re. su.* n *Sil.* 16. *Virg.* 1. *Æn.*

de quibus etiam prodiderunt historiæ. Sed dicam de perfidia hujus Annibalis? Dixi. *Perfidia plus quam Punica: veri nihil: nihil sancti: nullum jusjurandum: nulla religio.* (*a*) Missum ex pacto, qui cum elephanto depugnaverat, abeuntem mandat interfici. *Jurisjurandi immemor captivos necat*: ut tuus ait Zonara. At neque Annibalis perfida placet enumerare. (*b*) *Fideique sinister*: ut ait alius. (*c*) Infidelissimus: ut ait tuus Orosius. Nunc tu fidem memora: quam iste aliquando servavit. Quasi improbissimus quis esse nequeat, nisi qui agit improbe semper? Et improbi etiam proba non agant improbe? (*d*) Et, qui sciunt probe facere, his non accidat, ut aliquando faciant probe? Nunc tu mihi humanitatem concelebra Annibalis: quæ dicta Livio inhumana crudelitas: & ostensa nobis vera feritas est. Sed humanitatem concelebras in funeribus ducum nostrorum. Accusas ducum nostrorum barbariem: qui caput Asdrubalis ante stationem fratris projecerunt. Sed oportet, te scire, nec justos fuisse hostes hos fratres nobis: pro quibus eorum civitas non respondit, publico eos consilio exscidisse Saguntum, reliquum bellum gerere. Hic erras, Picene, sæpissime. (*e*) Perseum, & Siphacem, utcunque reprehendas, justos tamen hostes, publico funere, honorifico, regali extulimus. Et primo Punico bello consul Romanus Annonis ducis corpus extulit magnifice de suo tabernaculo consulari. Alia temporum, alia hostium conditio alios mores postulat. (*f*) Et nescis, istum Asdrubalem fallaciis malis, promissis mendacibus antea huic illusisse Neroni: qui de scelerato capite vindictam in præsentia capit? qui ait, *Non hic nemora avia fallent Pyrenes, nec promissis frustrabere vanis. Ut quondam terra fallax deprensus Ibera, Evasti nostram mentito fœdere dextram.* Et Annibali ipsi, *Duplica nunc perfida bella.* Etiam in bellorum acerbitate nec sunt ista illico condemnanda: quæ & usurpata cernimus sine reprehensione sæpius. (*g*) *Curruque abscissa duorum Suspendit capita, & rorantia sanguine portat* ad aliorum terrorem Turnus. *Ptolomæus*, Macedonum rex in prælio adversus Gallos, *multis vulneribus saucius capitur: caput ejus amputatum; & lanceæ fixum tota acie ad terrorem hostium circumfertur.* (*h*) Et Priami caput affixum conto,

Jacet ingens litore truncus.

Et hoc solenne fieri viris insignibus. *In hastis præfigunt capita, & multo clamore sequuntur, Euryali, & Nisi.* (*i*) Caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum Tomyris conjecit, cum hac exprobratione crudelitatis, ut se sanguine satiaret, quem sitierat. (*k*) Capiti amputato Crassi infundunt aurum Parthi cum elogio simili, ut se auro satiaret, quod sitierat. (*l*) Et hic repensum quod Parthis est a Ventidio: qui illorum regis caput per urbes circumtulit. Audi. Repensum & Annibali hic est. (*m*)

Qui nobis, memini, ad Cannas lætissimus iræ,
Servili fert ora ducis suffixa veruto.

Hoc jus est sine cujusquam indignatione justa. (*n*)

Fas est, ab hoste doceri.

a *Plin.* 8. *c.* 7. b *Sil.* 1. c *Oros.* 4. *c.* 14. d *Cl. Alex. str.* 1. e *Val.* 5. *c.* 1. *P. Diac.* 3. 4. f *Liv.* 26. *Sil.* 15. g *Virg.* 12. *ubi. Serv. Justi.* 24. h *Servius Æn.* 2. i *Justl.* 1. *Herodo.* 1. k *Appian. Parth. Flor.* 3. l *Flor.* 4. m *Sil.* 17. *Lips.* 4. *Poliorc.* 4. n *Ovid. Metam.* 4.

A (*a*) Quid tibi alia dicam capita? adolescentis Pompeii in Hispania, Romanorum in Macedonia, Pyrrhi Argis, Saulis in Syria? (*b*) Quid capita principum Madianitarum captorum delata ad Gedeonem? Caput Goliæ a Davide præcisum, & suspensum longo ostentui? Caput Nicanoris, dextramque, truncata, suspensa a Macchabeo? Caput Olofernis a Juditha? At istam jam lanienam sino. Jacent Pœni, jacet Mithridates.

CAP. XI.

B *Reliquum imperium, & Cæsares.*

NUnc reliqua Romanorum bella dicenda sunt: cum Liguribus, Histris, Dalmatis, Illyriis, Balearibus, Cretensibus, Cypriis, Britannis, Gallis, Cantabris, & si quæ sunt alia. Ut enim *bona fide adolevit* ((*c*) quod ait historicus) nostra civitas; ita bonaque fides ejus per totam hanc juventutem, quum subegit reliquum orbem, ostendenda a nobis est. Atque Ligures vel Gallicos intelligit accusator, vel Italicos. Nobis contra utrosque justæ bellorum caussæ superfuerunt. (*d*) Itum contra illos est: quod sociorum usque a Tarquinio rege nostrorum, Massiliensium, fidissimæ, C atque amicissimæ civitatis, oppida Antipolim, & Nicæam vastarent: ut contra Allobrogas vicinos, Arvernosque itum pro Heduis est fratribus, nostram implorantibus opem. (*e*) Itum contra alteros Ligures est, & pugnatum annos octuaginta: quod iter nobis in Hispaniam impedirent: suis assiduis latrociniis arma nostra lacesserent. (*f*) Cum Histris, Carnis, Japidibus bellum fuit: qui Ætolis se contra nos conjunxere. Cum Histris etiam: qui latrocinati naves nostras fuere. Belli primi adversus Illyrios non videtur accusatori caussa justa facinus privatorum. Et quidem non D est: nisi si privata nos non compescimus, aut non ulciscimur malefacta. Nam publicum sic evadit facinus, quod est privatum. (*g*) Et scientia enim, & voluntas, & mandatum præsumitur domini, quando non momento delinquitur, sed iterum atque iterum pluries. Et id certum, atque exploratum est. (*h*) Sed & legati nostri cæsi in Illyrio fuerant jussu reginæ. (*i*) Bella posteriora itidem justa cum sociis hostium, & rebellibus nostris. (*k*) Et propter Illyrios, postea amicos, bellatum cum Dalmatis est: qui agros Illyricos devastarunt; injurias alias amicis aliisque nostris intulerunt acerbiores: nobis nec moderate respon- E derunt. (*l*) Balearibus factum bellum est piratis; aut piratas suos non ulciscentibus. (*m*) *Baleares piratica rabie corruperant maria*: ut sic loquuntur historiæ. Sed Metelli perfidiæ, & ambitionis cur est Creta? Audio Florum: *Creticum bellum, si vera volumus noscere, nos fecimus, sola vincendi nobilem insulam cupiditate. Favisse Mithridati videbatur: hoc placuit armis vindicare.* At vero si Mithridati favit: cur nos fecimus bellum? Cur sola cupido, vincendi nobilem insulam, nos armavit? Sequimur testimonium: diverso judicio non auscultamus. Et sic cum testi- F bus fit: qui aliud narrant, aliud judicant: ut narrationem sequatur judex, spernat sententiæ dictionem. Atque est testimonium sane verum. (*n*) Nam & ipse Dion, & Plutarchus tradunt,

a *Herodo.* 3. *Hirt. Hisp. Liv.* 42. 1. *Sam. ult. Just.* 25. b *Jud.* 7. 1. *Sam.* 17. *Judit.* 13. 1. *Macc.* 7. 2. *Macc. ult.* c *Flor.* 2. d *Liv.* 47. 60. 61. *Flo.* 3. *Justi.* 42. e *Str* 4. *Flor.* 2. f *Flor.* 2. *Plin. P. Diac.* 3. g *Decian.* 3. *cons.* 88. h *Oros.* 4. *c.* 13. *Liv.* 20. *Polyb.* 2. *App. Illyr. Flo.* 2. *P. Dia.* 3. i *Liv.* 43. 44. *Sex. Ru. App. Illyr. Justi.* 29. k *Liv.* 47. *Zon. App.* l *Oros.* 5. *c.* 13. m *Flor.* 3. n *Plut. Pomp.*

factum ab ea insula contra foedera, quae nobiscum erant. (*a*) Quod si Antonius, qui ante Metellum intulit arma Cretae, vituperatus fuit: si etiam ipse Metellus ab Octavio, & Pompejo fuit argutus: neque id ad justitiam caussae ejus belli facit: quam nunc audivimus justam. Nihil hoc tempore judicia civium de civibus suis nos movent: quum privatas quisque cupiditates sequerentur, & ad arma civilia praecipiti gradu decurrerent, ruerent cursu citatissimo. Mithridatem juvere Cretenses. Hoc tene. (*b*) Gallos adjuvere Britanni. Neque enim disputaveris, quibus adjuverint rebus. (*c*) Adjuvisse auxiliis is quoque dicitur, qui vel pecuniis, vel similibus adjuverit. (*d*) Scio, non teneri poena auxilii, qui tale attulerit, sine quo patrare tamen maleficium potuit. Sed an istud in istis caussis obtinet? Sed an ostenditur, in Britannico sic fuisse, ut sine eo Galli bellare potuissent, & rebellare voluissent? Hoc tene. Quicquid, odiis in Caesarem stimulatus, privatisque, publicisque, Cato contrarium cernat. (*e*) Inimici viri, licet gravissimi, & spectatissimi testimonium non auditur. Supersunt commentarii Caesaris ipsius: veridici semper habiti. Et illi justissimas bellorum Galliae, & Britanniae, & Germaniae caussas habent. (*f*) *Justissimis ex caussis* (sic historiae aliae) factum bellum Germanis est. Etiam juste turbavit Caesar quiescentem Hispaniam. (*g*) Neque enim (ut respondet Antonius) fidam tamen eandem offendit: itaque nec concedendum putavit, ut sub nomine pacis adversarii moliri res novas possent. Jam sileant inimici Caesaris. Etiam Suetonius jam, & Plutarchus: qui, Trajani regnantis studio, non sat aequi fuerint nostro huic imperatori, patriae Trajani domitori. Sileat: aut, quia silere Cicero nequit, non audiatur Cicero: non qui de Cicerone hauserunt proculdubio, postremi scriptores: qui Cyprum male nobis partam adfirmant. Ubi ad Clodii factum respicitur, illic Cicero audietur? Imo potiora erunt verba Paterculi de eo rege, (*h*) *omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum*. (*i*) Potius erit Strabonis judicium: (*k*) qui auctor laudatissimus. Et qui scribit, regem illum hostem declaratum: qui deliquerit in nos, & ingratum se nobis praebuit benemerentibus. Hoc teneo. (*l*) *Nil homine terra pejus ingrato creat*: ut verissime dixit Menander. (*m*) Si enim gratitudo virtus est non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum: etiam ingratitudo vitium est non solum maximum, sed mater quoque vitiorum omnium reliquorum, impietatis, avaritiae, injustitiae, inimicitiarum, efferatissimae feritatis. (*n*) Nam & bruta gratitudine censentur, & obligantur. (*o*) Gratitudo justitia est. Et ego si de sacerdotibus illis justitiae velim aut gravitatem, aut poenas dicere ingratitudinis: ante diem clauso componet vesper Olympo. Levis culpa in gravem evadit, & gravem promeretur poenam, si & insit ingrati vitium. Sic igitur vel si in unum peccasset Clodium Cyprius rex, illum etiam virum nequam: semper est verum tamen, fuisse regem ingratum Romano civi, & civitati. Quoniam non cum bono cive esset, quam cum civitate conjunctus, & cive. Et qui alteri est devinctus, numquam sane vitia creditoris objectat, aut caussatur, ne solvat debitum. Supersunt Cantabri. (*p*) Et Florus, Eutropius, ipse Orosius, qui de pusilla terra dicit, sic tradunt, Cantabros, & Astures non solum propriam libertatem tueri voluisse, verum etiam finitimorum praeripere, quos & assiduis populationibus divexassent: itaque arma in se Augusti provocasse. *Cantabria gens effera: pertinax in rebellando*: ait Florus. (*a*) Scilicet subacta fuerat & ante Augustum. Et ita rebellis nunc erat. Habes bellorum caussas. Quid mihi nugaris de terrae perpusillo? Habes reliquorum bellorum caussas. Quid reprehendis in bellis? Regis Arvernorum exprobras captivitatem? (*b*) Livius tamen, cui credendum semper est supra Valerium, inquit, quod, post quam caesa essent Arvernorum centum viginti millia, rex ille profectus Romam fuerit ad satisfaciendum senatui: & ibi retentus sic fuerit, quia contra pacem videbatur, si fuisset remissus. In quo nihil est reprehendendum. Etiam si cum Valerio dicimus, captum perfide a Domitio, & missum Romam, & non remissum: senatus adhuc defendi factum potest: cui a ducis pactione nullum injici vinculum potuisse, velint illi jurisconsulti, qui Consalvi Hispani factum cum Valentino duce, item & Hispani regis examinant. (*c*) Pactus Consalvus incolumitatem venienti ad se Valentino, & eum mittit captivum mox in Hispaniam: &, pactionibus suis antestare voluntatem regis sui, dicebat. Probant & regem, & Consalvum illi. Quos ego accusatori senatus, Domitiique objicio. Nam & Domitius ab his defenditur: si Arvernum jussu senatus Romam misit. Nunc de bello Jugurthino: in quo moram nostram vehementer accusas. Et tecum Sallustius esse videtur: & ego sim: si civitas a paucis improbis decepta non fuit. Et si Jugurthae dignitas, meritaque in bello Numantino quaesita non etiam facere illam moram justissime potuerunt: ut non contra eum illico ad arma procurreretur. (*d*) Etiam Sallustius monumentis insevit suis litteras Africani, quas Jugurtha post exscidium Numantinum testes ad Micipsam pertulit decoris sui. (*e*) Erat ille Masinissae nepos, quemadmodum & Adherbal, & Hiempsal. Nihil enim, nihil apud Numidas, quod ex legitimo matrimonio natus non fuerit. Erat ille Micipsae itidem filius, licet per adoptionem. Sed magno suo merito adoptionem promeritus, & partem hereditatis: (*f*) qui unicum Numidiae munimentum: & virtutum avi Masinissae unicus heres. Quid nunc de iisdem Masinissae nepotibus, & de nepote Hieronis, & raptis additur eorum regnis? Quasi potuerimus laedi impune a liberis, quia cari nos parentibus fuimus. Quod hoc jus novum est? Et non illi multo plurima semper tulerunt a nobis? Nam quis fuerat Masinissa? Tantum illi regnum, exuli, rerum omnium egenti, quia comparavit? Et non Masinissae solum, sed & aliis donavit populus Romanus regna, quae ipse quaesiit: Eumeni in longitudinem itineris triginta dierum, decem in latitudinem. (*g*)

Quoties hic praelia sumsit
Pro sociis! Quoties dono concessit amicis
Regibus Ausonio quaesitas sanguine terras!

(*h*) Hoc ipsum regnum Numidiae non & pro parte datum Jubae, filio Hiempsalis, viro de genere Masinissae? Partem alteram Boccho datam, tu dicis. Ubi igitur Romanorum rapina? Atque sic sunt reliqua bella, & in bellis gesta. Nam de fraudibus, quibus captus Jugurtha est, ante respondi. (*i*) *Fraudolentissimus regum fraude soceri sui in*

a *Liv.* 97. *Dio.* 36. *Cic. li.* 2. 3. *Verr. ubi Manut.* b *Caes.* 4. *Gall.* c *Bar. l.* 7. *de parric.* d *Decian.* 3. *consf.* 125. e *Cic. pro Mure.* f *Flor.* 2. g *Dio.* 44. h *Paterc.* 2. i *Str.* 14. k *Sig.* 1. *de a.* 1. *c.* 18. l *Aus. epigr.* 1. 2. m *Cic. pro Planc.* n *Dec.* 1. *consf.* 25. o *Bald.* 10. *de just. l.* 2. C. *de lib. & ec. lib.* p *Flor.* 4. *Eutrop.* 71.

a *Liv.* 48. b *Liv.* 61. c *Guic.* 2. 6. *Aya.* 5. *de ju. he. c.* 6. d *Symm.* 4. *Ep.* 24. e *Flor.* 3. f *Alc.* 4. *conf.* 8. 10. g *Claud.* 3. *Stilic.* h *Dio.* 41. *Sigo. de a.* 1. *p.* 17. i *Flor.* 5.

insidias deductus est. De Metellis superest respondere : qui inepte ambitiosi fuisse tibi videntur. Et quid si hoc confitemur, indulsisse civibus his suis Romanos in ista parte? Et non confitemur tamen: sed virtutem, meritum illorum tuemur : ne ista indulgentia in suos, esse notatio in alienos contendatur. Qui Macedoniam vicit, & eum ducem Macedonum, (*a*) qui regiam formam, regium nomen animo quoque regio implevit, & res gessit maximas: & qui regem hunc cepit, Macedoniam domuit, indignus Macedonici cognomento: quod Macedones raptum injuste de se valeant lamentari? Justum cognomentum, & triumphus justus de Macedonia : quicquid de isto falso rege constituatur. (*b*) Is & Achaicus dici meruit, qui exercitus fuderat Achæorum : & ipsum Corinthum premebat obsidio, *cum ad victoriam Mummius venit*, ut ait historia. Expresse ait historia, eundem meritum & Celtiberici cognomen : qui Contrebiam memorabili cepisset exemplo, & Vertobrigis majori gloria pepercit. Non alter meruit appellari Numidicus? (*c*) qui universam Numidiam sub potestatem redegerat : Jugurtham armis, viris, pecunia spoliaverat: eundem ad Getulos, & ad Mauros depulerat: itaq; fusum, & saucium tradidit successori non tam profecto vincendum, quam vinciendum. Bellum, quia conficere prohibitus fuit, pro confecto acceptum est. (*d*) ut Tacitus alicubi pro Germanico scribit. Et ut sic sunt leges, & rationes. Et satis tamen, superque ad nomen capta Numidia est : etsi Jugurtha captus non est. De Dalmatico audis Appianum? (*e*) Sed Livii, & Asconii testimonio refutatus hic Appianus est a Sigonio eruditissimo. Quod satis est. Audivimus de Cretico, & Balearico. Magna proles Cæcilia Metellorum. (*f*) qui etiam de Sardis : etiam de Thracibus triumpharunt, & uno die tres fratres. Non fato isti Romæ fiunt consules. Nævi, Campane inflatissime, sile maledictum, aut verius recanta. (*g*) *Malum dabunt Metelli*, ni feceris. Ecce nec per falsa nomina raptum quid orbi est a Romanis. Nihil raptum per falsa jura testamentorum. (*h*) Libya testamento Ptolomæi, Asia testamento Attali transcripta est. (*i*) *Et ne quid tamen populus Romanus non viribus partum haberet, Asiam, Attali testamento relictam, armis ab Antiocho vindicavimus*. Donum ea populi Romani fuit. Alia regna sic fuerunt. Et populus igitur Romanus suum ita recipiebat a donatariis non ingratis. Quid ille non recepisset, isti non reddidissent, si legitima proles non superesset? (*k*) Ita & Paphlagonia, & Comana receptæ. (*l*) Atque hic insuper notare decet, neque data umquam sic esse a Romanis regna, ut essent hereditaria : neque ita cuiquam, Masinissa excepto, ut etiam soluta ab omni nostro imperio libertas esset. Hæc in tractatu isto nihil justificare nobis non valent. Quid si recepta regna sunt a regibus, qui nobis rebellarunt ingratissimi? (*m*) Sic utique recepta sunt alia. (*n*) Redeunt jure ad originem suam, redeunt ad dominum feuda, exclusis filiis, & cognatis omnibus, si in dominum peccetur. Etiam vetera sic redeunt. Et itaque nova, hereditaria redeunt magis : ut interpretes juris exponunt. (*o*) Etiam, quum spoliatur bonis vasallus, aut confiscatur ob caussam aliam, domino feudum redit. Atque id contra Mithridatem, & alios est, qui populi Romani beneficia rapere de hostibus suis, & sua efficere voluerunt. Contra Mithridatem, qui, regna patri donata a Romanis, ablata sibi, conqueritur apud Trogum, facit alterum prius dictum : quod in hereditatem regna dare Romani non consueverant. (*a*) Itaque, quem modum esse beneficii sui vellent, ipsorum æstimationem fuisse. Ad hæc disceptatio accusatoris de jure regum generalis non pertingit. Nobis autem sic imperium orbis est. (*b*) Postquam in Septentrione, & Oriente Pompejus duos nobis & viginti reges debellavit : & sequentes Cæsares provincias ultra Danubium, & Euphratem constituerunt : & postquam ad occidentem solem Oceano aquarum, ad meridiem mari arenarum C. Julius, Augustus, Tyberius veluti finibus ipsius orbis fines nostros definierunt. (*c*) Quæ & alii notant.

CAP. XII.

De Romanis, & Alexandro.

SEd hic aliam Livio litem accusator noster intendit : & in comparationem Romanorum, atque Alexandri excurrit. Credo novus Herculi antagonista in aliqua vult forma vincere, quas varias mutat. Fraude factum imperium Romanum, injusta vi factum contendit, & vincitur : fortuna factum nunc ait : vincatur virtute Romana, hic quoque arenas mordeat ore : guttura premantur : cornuque cadat a fronte revulsum. (*d*) Ridet Alexandrum Annibal, in Homeri tantum castris versatum : id est, hominis cæci certe qui castra, & acies numquam aspexerit. Merito, ut qui sic fuerit Alexander quasi nauta ex commentariis, nunquam naves ingressus sit, numquam in tempestatibus maris versatus. Nauta etiam ex commentariis nec nautæ. (*e*) Et irrisit Phormionem Annibal, & delirissimum senem nuncupavit merito : qui in umbris, & otio scholarum enutritus, de sole, & pulvere bellorum dicere auderet. Hic est ille Annibal in judicio isto a Cicerone probatus, & in re alia omni a te, accusator, omnium temporum imperatoribus cunctis prælatus. Hic est ille Annibal; (*f*) qui, nulla habita Alexandri mentione apud Plutarchum, se, Scipionem, Pyrrhum dilaudat solos. At verior sit tamen fabula, in qua supereminet & Pyrrho, & Annibali Alexander : etiam verum per eam est, Alexandro supereminere Scipionem, hoc est Romanum. Falsa sit Annibalis Lucianici criminatio de educatione Alexandri; (*g*) qui imo in castris & sub militia patris tyrocinii rudimenta posuerit : etiam verum illud est, paucorum eam fuisse militiam mensium; pauciorum mensium, quam anni fuerint Annibalis, Scipionis, Romanorum ceterorum, quos in ista comparatioue Livius Alexandro opponit. Etiam constat, propositum Alexandro fuisse Achillem, quem imitaretur, juvenem & audaciæ, & temeritatis plenum. (*h*) Rident docti viri, & prudentes Græculam in historia vanitatem : quæ, cum huc omnes ingenii sui nervos intenderet, ut eximium quendam, & inimitabilem principem depingeret, nihil tamen aliud nobis, quam toties furiosum, sed ubique felicem, & quam Homericum Achillem illaudabilem, descripsit. (*i*) Sic ipse Plato in Achillem invectus sæpe, & in varia ejus peccata, ac vitia. (*k*) Sic Tertullianus, Seneca, Lucanus, alii Alexandrum felicem prædonem, feliciter temerarium, vesanum, sine virtute, ajunt. (*l*) Quid dicam, conficta & ab aliis,

a *Flor.* 2. *Liv.* 49. *fo.* 52. *Sigo.* 1. *de a.* 1. *p.* 8. b *Flor.* 2. c *Liv.* 65. *Sallust. Flo.* 3. d *Tac.* 2. *ann.* e *Sigo.* 1. *de a.* 1. *p.* 7. f *Manu. pro Sex. R. A.* g *S. G.* 2. *par.* 30. h *Str.* 13. *Just.* 36. 38. i *Sex. Ruf.* k *Str.* 12. l *App.* 3. *civ. Val.* 7. *c.* 2. m *Str.* 6. 7. 11. *ult.* n *Bar. l.* 3. *de int. & re. Alc.* 3. *cons.* 17. 5. 11. 132. 6. 28. o *Alc.* 5. *cons.* 7.

a *l.* 191. *de reg. ju.* b *Eutr.* 6. *Oros.* 6. *c.* 6. c *Hegesip.* 2. *c.* 9. d *Lucia. Scip.* e *Cic.* 2. *de orat.* f *Plut. Pyrr.* g *Just.* 9. h *Glar. ad Cur.* i *Plat. de rep.* k *T. de ani. S.* 1. *de ben. L.* 10. l *Str.* 11. 15. *Just.* 12.

& ab ipso Alexandro de se mendacia? Quid, omnes rerum Alexandri scriptores miracula omnia pro veritate habuisse? Hæc Strabo sic notat. Et sic Curtius protestatur, se transcribere plura, quam credere. Tradit is & de temeritate Alexandri: & quod unum hoc erat solatium suis, temeritatis ejus perpetua felicitas. Hæc illa virtus Alexandri: propter quam ipse sibi præconia canit, facessere a se longe omnem fortunam jubet. Et non vides, Picene, declamatoriam illam esse scriptionem Plutarchi, non sententiam philosophicam? Quicquid in Alexandro erat, militis strenui erat, & manu prompti, non semper boni, certe nullo modo sapientis imperatoris. Atque si tuus Annibal laudavit Marcellum ut militem, risit ut ducem: quid alteri huic fecisset, temeritatis incomparabiliter majoris? Vidisti hæc (non dubito) clare satis. Et itaque ad Alexandri duces, ad Alexandri exercitum mox fugis. Sed hic quoque sunt Romani superiores: qui non cedunt ducibus illis secundis, aut exercitibus, & primo vincunt imperatore. Imperatores autem sunt, qui bella vincunt. (a) *Tanti exercitus, quanti imperator.* (b) *Quales præfecti, tales, qui sub eis sunt.* Et id genus alia, quæ a te dicta, ab aliis, & vulgo decantata. (c) Numantini, postquam vicissent nos sæpius, cum vincerentur Scipione duce, acri excepti convicio apud suos dicuntur, ut, qui toties superassent nos gloriose, nunc a suis victis turpiter vincerentur, illi autem, esse quidem oves easdem nunc, quas vincere consuevissent, at esse pastorem alium, responderunt. (d) Et hic mihi de ducibus notes secundis in Romana militia, quemadmodum ii fuerint apud Romanos sæpe secundi duces, ac legati, qui ducatus primos ante cum laude summa, & summo cum bono reipublicæ gesserunt. Ne vero, ne usque ad finem actionis, virtutem Romanam, altissimo de loco radiantem, velis calumniarum, & conviciorum nebulis infuscare: ut Corvinos, Torquatos, Decios, Papyrios appellare fraudulentos, necromantas, belluas, pullos minimum belluarum. Nam & Decios, quos tu necromantas nominas, & alios meos, quos tu ubique verbere flagellas linguæ, Fabritium, Curium, Camillum, Coriolanum, Cincinnatum, Fabium, Marcellum, Scipiones, Scævolam, Coclitem, alios virtuti comites addit Plutarchus tuus. Ex his etiam in castris nostris senatus, qui primo assedissent illi duci, ut dicebam, legati, atque tribuni. Cum interim & sederent alii domi, qui incertis semper bellorum prospicerent, & absentium certis necessitatibus subvenirent. An enim in castris seritur, metitur, netur, texitur, alia civitatum exercitia habentur, de quibus non minus, imo magis militi est, quam pagano, atque urbano succurrendum? Vincimus duce primo; vincimus senatu gemino. Quid cum reliquo milite? Pyrrhus dixerit, (e) *O quam facile erat, orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis!* Isti illi sunt milites, a quibus inflicta vulnera, grandia expavit Macedonia. (f) Nescis arma Romana? Quid tu mihi recentiora omnia Alexandro facis? (g) Tullus rex audit nostræ militiæ artifex, & omnem militarem disciplinam, artemque bellandi condidisse. (h) Sic ostendunt hi viri sæpe, qui de ista re tota politissimos commentarios ediderunt: & ipsi tamen nec satis æqui aut genti Æneæ, aut Italæ. Nos a Pyrrho castrametationem: quam ille admiratus est nostram? De Romana acie

a *Flor.* 2. b *Xenoph.* 8. *Cyrop.* c *Plut. ap. re. & du.* d *Liv.* 11. 37. *Cic. pro Muræ.* e *Flo.* 1. f *Macch. de ar. be.* 2. 3. g *Flor.* 1. h *Lipf.* 5. *de mil. R. prin. &* 1. *Poliorc.* 3.

A dicam? (a) Ratio Romana instruendi aciem tribuisse Romanis dicitur victorias omnes. Et erat sane illic mirabile, ut pulsi redirent semper valentiores: cum hastati a principibus exciperentur, & a triariis utrique: atque ita in hostem irent: formidolosissima acies: cum velut victos insecuti auctos repente numero contra se cernerent. Exspectas de disciplina? At hæc illa est una, cui nulla umquam a quoquam comparatur. Quis tibi contendit, nata omnia hæc, & perfecta simul? Hoc contendimus, perfecta fuisse omnia in Alexandri ætatem: quæ tradita a patribus Albanis, qui ceperint antea de Trojanis experientissimis, & B exercita jam per continuos annos amplius quadringentos fuerunt. Vim respicis numerorum, & copiarum? Illa scilicet nobis defuisset. (b) cum senatui, populoque Romano ante Punica bella parerent sex equitum millia, peditum centum, & quinquaginta. (c) Nam Alexandrum accepimus ad imperium Persicum subvertendum non cum pluribus, quam duobus, & triginta millibus peditum, equitum quatuor, & quingentis profectum esse. (d) Decreta patri a Græcia scimus in idem illi meditatum bellum auxilia peditum ducenta millia, quindecim equitum: extra quam summam essent exercitus Macedoniæ, & confinis C domitarum gentium barbaries. Ceterum & Romanis, præter suum robur illud proprium, ex minori Italiæ parte adversus hostem externum (adi Polybium) quinquaginta millia equitum, quingenta millia peditum adjungebantur. Anguem Lernæum clamabat Pyrrhus. Quid spectas? Quid huc, illuc volvens oculos tacitus hæres? (e) Ne tamen, ne ex hac, quæ nunc est urbium, solitudine, regionum desertitudine priscam illarum gentium expendas copiam. Ex unica Siciliæ civitate Syracusis, Dionysius exercitum peditum centum viginti, equitum duodecim millium confecit. (f) D Hac Alexandri ætate civitas nostra ex urbana nostra, & agresti juventute decem legiones scribebat: quem postea exercitum non illæ nostræ sequentes vires, quas vix terrarum capiebat orbis, contractæ in unum, facile effecissent: ut notat Livius. (g) Quis crederet hodie, primo Punico bello nos amisisse septingentas, (h) non triremes, aut minores istiusmodi, quas nomine inepto itidem triremes hodie appellamus, sed quinqueremes: & prælio adhuc vicisse magno navali, quod finemque attulit toti bello? Quis illam ad bellum secundum multitudinem ex civibus, sociisque, E bello aptam, relatam in numeros? Diodorus decies centena ferme hominum millia profitetur. (i) Miracula audire credimus veterum Thebarum Ægypti opes, & Ægypti postea regis Philadelphi, & classes navium quinque millium, & alia ejus generis. Verum sic Livius respondet, sic ea crescere, in quæ & laboratur. Hoc erat veteribus studium, viris, & viribus pollere. Desivimus admirari: qui intelligimus, belli tempore Romanos omnes milites exstitisse: agricolas fuisse omnes semper: numquam mercatores, artifices, aliter servos civitatis, ineptissimos militiæ, muneribus duris, atque ingenuis. Sic Spartani aliquando, F etsi essent numero pauciores, præferre se numero sociorum audebant longe majori: quod ipsi milites essent omnes, socii milites plerique omnes non essent, sed de aliis artibus in eam tum transcripti militiam. Sic mei Romani. (k) Sic desine, Patriti, admirari numeros illos nostros innumeros: sic desine. Tu desine, accusator, tantis his no-

a *Macch. de ar. be.* 3. *Lipf.* 4. *de mi. Ro.* 1. b *Polyb.* 2. c *Justi.* 11. d *Justi.* 9. e *Diod.* 3. f *Liv.* 7. g *Polyb.* 1. h *Bayf. de re. na.* i *Tac. ann.* 2. *Theocr. eidyl.* 17. *Athen.* 5. k *Patr. Dial.* 6. *de hist.*

stris

ſtris viris Alexandri vim objectare. Viros hic dixit avunculus unus: in Aſia fœminas: & fortunam deprædicabat ejus, quæ eum detulit illo. (*a*) Ut noſtri item fortunam Magni ratione pari laudabat Cæſar: nacti gloriam bellicæ virtutis per populos Aſianos. (*b*) Circa Africam, Europamque exhauſerunt mei laboris plurimum, & ex his tot, ac tantis gentibus Italos magnos labore poſt quingenteſimum demum annum domuerunt. Aſiam paucis præliis propter infirmitatem, ignaviamque earum gentium ſub poteſtatem fecere: ita Appianus. Næ cognomentum Magni amiſiſſet apud nos Alexander, quod contra Perſarum pellicum, & lixarum, & ſpadonum agmina quæſiiſſet. Quid tibi Antiochos, Tigranes, reliquos Aſiæ reges, & Alexandri ſucceſſores memorem victos nullo negotio? (*c*) Lucullus decem millibus peditum, mille equitum vicit prælio Tigranem, qui centum ducebat, & quinquaginta hominum millia. Et ex his cæcidit centum millia, amiſſis ſuis ſolis quinquaginta. Sed hic mihi M. Tullius adverſatur: qui, maxima cum his bella regibus fuiſſe, contendit. Sed reſpondeo, Ciceronem inſervire cauſſæ ad Murenæ laudem: & intelligere omnes, Ciceronis contentionem falſiſſimam. (*d*) Sed reſpondeo cum hiſtoria: *Non aliud formidoloſius fama bellum fuit. Quippe cum Perſas, & Orientem, Xerxem, atque Darium cogitarent*, &c. Cogitarent Annibalem: *cujus nomen* (ut alius ait) *terribile Antiochi bellum faciebat*. Elimæos, Medos, Caduſios, & id genus alia nomina audirent, quaſi infinitarum nationum: quibus ſane, ut etiam opibus, armiſque copioſiſſima eſt Syria. Tamen & fama tantum ſic bellum formidoloſum: *& nihil fuit in Antiocho ſpecioſius, quam quod a Romanis victus eſt*. Deſine, accuſator, Livio inſultare de Perſeo: qui aliquo uno prælio occiderit duo millia noſtrorum peditum, & ducentos equites, & ducentos adhuc equites ceperit. Deſine, pavorem illic noſtrorum. Nam idem Livius oſtendit, imo debellari noſtros non facile potuiſſe: qui ordine, & certo gradu recederent; cum regii ſparſi eſſent. Audax cœptum dicit regiorum: (*e*) atque audax inconſultum eſt, temerarium, & infelix, inquit, fidum Perſeo ducem contra cœptum ſuaſiſſe: ait, regiorum venientium impeditum agmen. Quod unum malum in re militari longe eſt maximum, & per mille clades conteſtatum: (*f*) ipſi mox Perſeo cum ſuo expertum maximo detrimento. Et ſic igitur ad ea verba, parvo potuiſſe momento debellari, eſſe (quod ſolenne hiſtoricis) de aliena potius opinione, quam ſua Livii: qui in re ipſa exprimenda demonſtrat contrarium. (*g*) Et ſic igitur, quod ſcribit alibi, *debellari momento temporis potuiſſe, id dictu, quam re, ut pleraque facilius*. Deſine, accuſator, objectare Pyrrhum nobis: & minutulum inſuper appellare regem. (*h*) Qui cum totis viribus Epeiri, Theſſaliæ, Macedoniæ, incognitis in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, & hoc novo præterea advecto ferarum terrore venerit. (*i*) Cui trecenta quinquaginta millia a Tarentinis tribuerentur. Deſine laudes Pyrrhi. (*k*) Nam tu ſcis, quod primo admiratus intuitu arma noſtra: quodque primo victor prælio, in quo & ipſe graviter vulneratus, victum ſe cenſuit, vincendum certe & bello, ſi iterum vinceret eodem modo: id eſt, tanta cum ſuorum fortiſſimorum jactura. Etiam ſcis, quod *Romanos vincentes jam inuſitata ante elephantorum forma ſtupere*

a *Suet. Cæſ.* 35. b *App. præf.* c *Plut. ap. reg.* d *Flor.* 2. *Juſti.* 31. e *Serv. Æn.* 8. f *Liv.* 42. g *Liv.* 31. h *Oroſ.* 4. *c.* 1. *Jor. de re. ſuc. Flor.* 1. *Juſti.* 17. i *Plut. Pyrr.* k *P. Dia.* 2. *Sex. Vict. Flor.* 1. *Juſti.* 18.

A *primo, mox cedere prælio coegit: victoreſque jam nova Macedonum monſtra repente vicerunt. Itaque rex callidus, intellecta virtute Romana, ſtatim deſperavit armis, ſeque ad dolos contulit*, &c. Quæ ſunt teſtimonia duorum, quos tu non recuſes, Trogi, ac Flori. Deſine deſperationem dicere noſtram: pavorem ut voles. Neque enim lapides, aut mente capti fuerunt illi: qui humanos patiebantur affectus.

Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra,
Ingemuit.

B (*a*) Ubique ſupra ceteros dolet, & gemit mortem amicorum Æneas, concuſſus animum, & per verum dolorem demittit lacrimas, &c.

Strepitumque exterritus hauſit.

Etiam illud heroicæ fortitudinis exemplar pavet. Etiam ipſe fatetur, timuiſſe alibi quoque:

At me tum primum ſævus circumſtetit horror,
Obſtupui.

C Et alibi adhuc.

Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſum, & pariter comitique, onerique timentem.

Humanos Æneas patiebatur affectus: Æneadæ patiebantur; ſed affectibus non ſuccumbebant. Apage deſperationem. (*b*) Fortunæ violentiam toleravere. Neſcis, quæſitum, (*c*)

Utrumne ſecundis,
An magis adverſis ſtaret Romana propago?

& reſponſum; *ſcilicet adverſis*. (*d*)

Numquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
D *Vulnere: poſt Cannas major, Trebiamque fremebat*
Et, quum jam premerent flammæ, murumque feriret
Hoſtis, in extremos aciem mittebat Iberos.

Apage cum tuis tacitis ſenatusconſultis: quæ tum erant, quum aliquid ad ſilendum erat. Apage cum tuis legationibus, & quod ex una Ciceronis occaſione concludis generaliter contra omnem experientiam, ultro miſſam legationem ſignum eſſe timoris videri. Nego, vel miſſam legationem. (*e*) E Nonnullas ex Italia ait Trogus. Tacito hoc generali ſermone involviſſet Romanam? (*f*) Arrianus diſerte negat, Roma miſſam. (*g*) Imo loquor tibi verba Livii: Ne fama quidem tuus ſic Magnus nobis cognoſcebatur. Et hæc eſt ſententia Livii, ut Græcorum de Magno hoc tuo jactantiam ſimili genere vanitatis confutaret. Deſine rurſus Annibalem: & ridicula ferre. Vincere Annibal Romanos potuit, ſi dominus fuiſſet reliqui orbis terrarum: & ſuorum odiis, & ſuæ civitatis fortuna non fuiſſet afflictus. Alexander itaque vincere potuit. Et non in animo tuo erubeſcebas, quum hæc afferres ridicula? Alexander nec trahebat ſecum partem orbis bello meliorem, Africam, F & plurimam Europam. Noſter Scipio vicit iſtum Annibalem, nec orbis dominus, nec expers invidia apud ſuos: (*h*) ut ſic ſunt Fabii Maximi, & Catonis Cenſorii duræ illæ adverſus Scipionem orationes: & reliqua objecta ſunt impedimenta: unde & fuerit illi neceſſe, per privatas aut ſuas, aut amicorum opes plurima adminiſtrare. Hic

a *Serv.* 6. *Æneid.* b *Sall. Catil.* c *Sulpitia.* d *Claud.* 3. *Stilic.* e *Juſt.* 12. f *Arria.* 7. g *P. Victor. ep. an. Pol. Ariſt.* h *Liv.* 28. 29. *Plut. Ca. ce.*

vir, hic est, qui & fortunam virtute vicit, & traxit ad suos. (a) Aspice puerum, aspice,

Dum genitor nati parma protectus abiret.

cum esset annorum vix septemdecim, & pro patris defensione septem & viginti vulnera tulerit. Aspice post Cannensem diem, ut sistit adolescens fugam majorum, & desertionem Italiæ. Aspice in Hispania juvenem, ut cladem nostrorum exercituum, & patrui, & patris, obversus fortunæ abluit sanguine hostium: & fortunam ipsam rapiat illic, & sistat nobis stabilem, atque securam. (b) Hic vir, hic est, quem, veluti in philosophis, Socratem, in poetis Homerum, imitandum in ducibus, ait Hieronymus. Apage cum judicio contrario Nigri, lenti hominis, inertis, supini, levis, contemptibilis: (c) ut sic narrant, atque ostendunt de Nigro historiæ. Quid vero nunc tibi spei superest pro Alexandri victoria? Vincimus nos ducibus, militibus, viris, armis, re alia omni. Vincimur temporibus, & conjurationibus nostrorum?

Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis,
Tuque puerque tuus.

qui per istam calamitatem nostram, non per ullam virtutem suam, nos vicerit. Sed & calamitatem illam *credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?* Falleris. Pœni nos juvare contra Pyrrhum voluere. Pœni juvare valide potuissent: qui tenebant principatum Africæ, & Hispaniæ: &, te modo judice, vincere nos, & orbem reliquum valuissent. (d) Quid Tyriorum objectas calamitatem? Urbs illa, & vetus, & nova, credita penitus inexpugnabilis. Scis, Babylonium regem vix potitum post tredecim annorum obsidionem. Scis, irrisui fuisse Alexandrum diu. Sed audi; festinassent magis in nostrum auxilium Pœni; qui & magis vicini eramus. Nescis imperii leges. Juvasset nos Italia, juvasset contra communem hostem. Dixi dilectus, dum externa vis ingruere timebatur. Unit communis metus etiam adversissima. (e) Scit Alexander tuus, Oyxdracas, Mallosque, alias bellare inter se solitos, periculi societate inter se junctos. Sane tamen si sic vinci tantum potuimus, quum deserti undique, & oppugnati undique fuissemus, neque velim ego hic vincere: at cedo, manum do, herbam præbeo. Aut etiam nos in calamitate aliqua Alexandri spem perditam retinemus? Quæ autem hominis major calamitas propriis vitiis esse potest? O quantam hic Alexandri calamitatem! Nec solum ejus temporis, quum victa Asia, extremoque Oriente subacto, quumque illum deducit ad nos Picenus, & quum nihil in illo sani, nihil sinceri fingere ingenium valet, sed temporis usque sub Aristotele præceptore, sub Philippo patre imperatore, o quantam Alexandri calamitatem! Laudas discipulum Aristotelis? (f) Unde tamen viri crudeles, & inquinatissimi, nisi ex ludo Philosophorum, & Philosophorum Dei, Socratis? Quid mihi longum disputatis accusatores Socratis? Is juventutem corrupit: ecce, qui de sua perdunt schola, corruptissimi sunt. (g) Noster audit Seneca in re morali præstantissimus supraque reliquos Græcos, supraque Socratem. (h) At Nero unde manavit? (i) An tu putas, iis vixisse philosophos moribus, qui picti in ipsorum libris apparent? (k) Nam, quanta fuerit vitæ Aristotelis improbitas, habent

a *Serv.* 10. *Æn.* b *Hierony. ep.* 13. c *Herodia.* 2. d *Tremell. Isa.* 23. e *Curt.* 9. f *Athen.* 5. g *Petr. ep. ad Sene.* h *Aus. paneg. Gra.* i *Card.* 5. *de sap.* k *Patr.* 1. *disc. perip.*

plurium monumenta: ingratissimus, impudicissimus, audax, procax, vorax, ebriosus, veneficus hic traditur Alexandri magister. Et igitur discipulus iisdem attaminatus ecce hic vitiis. Tu libidinem Alexandri excusaveris, accusator? (a) Sed infamis ejus notissimus: quemadmodum & præceptor; quare & a voluptatibus tum concessis fuerit alienior. Sic & philosophus voluit aliquando concessas capere, ne solas amare inconcessas, odisse concessas videretur. Hæc nostris illis ducibus nec per suspicionem dicentur. Juvat hic, quod verissime fiet, Scytharum laudes supra Græcos ad Romanos meos transferre: (b) *Prorsus ut admirabile videatur, hoc Romanis dedisse naturam, quod Græci longa sapientium doctrina, præceptisque philosophorum consequi nequierunt. Tanto plus in Romanis profecit vitiorum ignoratio, quam in Græcis cognitio virtutis.* Et de Romanis sane Polybius ita, Sallustius, quis non? Quid tu captivam Scipioni objicis, & ancillam, & juventutem solutiorem? Eum aut non ausum videre captivam, conscium suæ incontinentiæ? aut verius retinuisse captivam, in delitiis habuisse, injustum? Ceterum laudare in primo prudentiam decuit Scipionis, qui periculum vitare tantum, quam (in quo nec utilitas, nec necessitas) facere maluit. (c) Et sic Cyrum Plutarchus laudat. (d) *Licet quidam putent, majoris esse virtutis, præsentem contemnere voluptatem: tamen ego arbitror, securioris continentiæ esse, nescire, quod quæras:* Sic Hieronymus. (e) Et Siracides, *Averte oculum a muliere formosa: nam a pulchritudine mulieris tamquam ignis amor accenditur,* &c. *Uritque videndo fœmina.* Cum sexcentis id genus aliis verissimis. Etiam prætorem decet non solum manus, sed & oculos abstinentes habere: ut Sophocli Pericles respondit. Dux noster continentissimus, qui ne oculis quidem libare quidquam virgini cum injuria voluit. (f) Etiam in jure humano adulter & is quadam est significatione ex animi propositione sola, qui ejus est mentis, ut occasione data alienam matremf. sit corrupturus. Et injuriam fieri sibi censent honestæ mulieres, quæ non honeste aspiciantur. Quod justum judicium est. Nam inhonestum aliquid fingunt in eo homines, quod aspiciunt non honeste: ut honestas honestatem provocat, inhonestas inhonestatem, & quidlibet simile sui. Nunc retentam puellam a Scipione contendas. Quo tamen teste? (g) Narrat Plutarchus, quod, quum adduxissent milites quidam Scipioni virginem formosissimam, responderit illis Scipio, gratissimum sibi futurum munus privato, sed eo non usurum se eo tempore imperatorem. *Vero, an falso, incertum; fama tamen, cum esset adolescens, haud sincera fuisse.* Sic Gellius. Addit, *Versibus quibusdam Nævii adductum videri sibi Valerium Antiatem adversus ceteros omnes scriptores de Scipionis moribus sensisse: & eam puellam captivam non redditam, sed retentam, atque in deliciis, & amoribus ab eo usurpatam.* Sic semel testimonia proferas integra, sic. Notes vero, peccatum adolescentiæ incertum. (h) Notes, a Næulo, Campano, homine maledico manasse narrationem. Notes, scripsisse Antiatem, Volscum hominem, tantoque suspectiorem, quanto temporibus illis conjunctiorem. Notes, adversus ceteros omnes scriptores dici hæc de moribus Scipionis. Valerius autem Maximus nec sibi contradicit, nec quidquam dicit contra ducem nostrum. Etenim suspicio illa videtur de ancilla: (i) & ita

a *Curt.* 7. b *Just.* 2. c *Plut. de aud. poe.* d *Hier. ep.* 7. e *Eccl.* 9. f *l.* 225. *de V. S.* g *Plut. apopht. reg.* h *Gell.* 3. *c.* 3. i *Lips. ad Valer.*

ne domitorem orbis Africani uxor impotentiæ reum ageret: id est, ne is, qui potens tot hostium fuit, parum potuisse in se coercendo videretur. Sed & magnum sane flagitium, sive captivam in delitiis habuerit, sive aliam amaverit mulierculam. Magnum eo tempore flagitium: & Alexandri flagitio infando conferendum. Nugas istas defendimus? Siccine tu defendis flagitia Alexandri: quod & peccatum alicubi a nostris est? (*a*) Immo noster Commodus non sic insanus, & detestabilis est visus. Auderes ad Camilli, Curii, Fabritii, aliorum, quos hic tibi Livius nominat, virtutem tuum admovere Alexandrum? Attingam ejus virtutes bellicas, & disciplinam paternæ militiæ. Reliqua ille lucretur in præsentia, quæ de Aristotele, præceptore altero, imbibit, ebrietatem, crudelitatem, alia, alia. Sobrius non peccarit: ut sic Plutarchus ait in declamatione secunda: dum peccaverit ebrius sæpe. (*b*) Et tamen summa ingratitudo, & summa crudelitas in Parmenionem, & filios, alia, alia detestanda non jam ebrii, sed sobrii Alexandri vincuntur. Sed lucretur notas istas. (*c*) Crudelitas Alexandri fuit, & sævitia immanis erga virum fortissimum Betim: cujus capti, perque spirantis talos trajici lora voluit: & justum hostem, fortissimum, ut dico, virum religari ad currum, trahique gloriatus, Achillem imitari se, a quo genus deduceret. (*d*) Immanis crudelitas contra Branchidas: abominata scriptoribus: urbs diruta a fundamentis: sacri luci exscisi: etiam supplices cæsi. Quæ ista feritas? Quia majores istorum Miletum Xerxi prodiderunt. (*e*) Immanitas abominata similis in Persas. (*f*) Quid, quod gentem Cosseorum per venationis ludibrium detulit ad Hephæstionis inferias? (*g*) Fato ille functus, *dotibus* ille *formæ, pueritiæque percarus*. (*h*) Quid, quod ad terrorem voluit, parci aliquando nemini? (*i*) Quid quum pollicitus tuum præsidiariis ex urbe abitum, eos progressos aliquantulum viæ occidere fecit? Quid alia? Quid alia, quæ audivimus antea? Quæ ejus justitia movendi bellum aut Scythis, aut Indis? (*k*) Scytha illi, *Tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es*. Nam quid interest, navibus pluribus, an myoparone uno infestes maria? Quæ audita eidem vox: & a multis laudata. Tuus iste Alexander latro ipse maximus, & latronum fautor, & scelerum remunerator. Latro usque ad insaniam hic fuit. Aut quid doluit, nihil sibi superfuturum, quod ageret, post victorias patris? (*l*) Neque enim minus est negotium regere, & conservare: ut ad istum gemitum sic respondere consueverat Augustus. Et responsum Plutarcho laudatur. (*m*) Difficilius, res conservare, quam parare. Sed quid hæc cogitasset ille, qui etiam, dum plures credidit vesanus mundos, nihil victoriis patris, nihil suis aut affectum conquerebatur, per quas necdum unus quæsitus mundus fuisset? Fautor iste latronum. (*n*) Nescis, donasse Babylonis satrapeam Mazeo transfugæ? Armeniam Mythreni, alteri proditori? (*o*) Cum filio Darii fecisse de proditione parentis? Plura hæc: quæ de Philippo patre didicit Alexander; & præceptorem superavit: (*p*) *virtute, & vitiis patre major*: ut inquit Trogus. Nos tamen vitia tantum vidimus. Cedite Graii: cedite nobis Macedones. Tu, Picene, ægre ne feras, si Alexandro tuo par fiat noster Germanicus: nisi jam incipis resipisce-

a *Athen*.10.12. b *Card*.3.*de sap*. c *Cur*.4. d *Cur*.8. e *Arria*.3. f *Plut.Alex*. g *Justi*.12. h *Cur*.9. *Polyc*.4. i *Diod*.17. k *Cur*.8. l *Plut.apoph.reg*. m *Dio*. 44. n *Cur*.6. o *Plut.comp.G.& Ro*. p *Justi*.9.

A re, & videre, quemadmodum cedere Alexander & Germanico, & aliis nostris omnibus habet. Ne addideris te mancipio Tyberiano: qui eam ignaviæ notam aspersit optimo Germanico, adulatus sævo patruo. (*a*) Id tibi contra Tyberium, & Vellejum notarunt ante me alii. Fortis Germanicus probusque: ut etiam Drusus pater. Nam neque illa distinctio recipienda est magistri (ut vocant) ab Etruria: (*b*) ut priores nostri duces & fortes quidem fuerint, & boni, posteriores fortes tantum. Ecce tibi fortesque bonosque omnes, & servantes (quod quærimus) bellici juris. Neque
B enim relictus ullus est indefensus, & illaudatus: nisi alicubi forte defuimus Pompejo tantulum in re illa amplissima Mithridatica: cum oppressisse dicitur Albanos sub fide pacti, & Phraatem. Et tamen, amplissima quia fuit illa res, veluti diluvio quodam ferri multa, necesse fuerit. (*c*) Nam de Antiocho quid est? Victo Tigrane rex Syriæ iste Antiochus a Lucullo appellatur, non a civitate. Pompejus regnum ademit: indignum (ut erat) judicans, dari regem hominem Syriæ recusanti: quique annos octodecim, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit; nunc vero ad alieni operis præmia venerit. In re Mamertinorum
C non fuit necesse pro Pompejo aliquid dicere: quæ immixta erat bellis civilibus: quorum natura alia, nec nostræ contentionis est. Ita nec Pompejus relictus indefensus est. Ita Magnum nos, merito magnum, habemus: immerito habent Græci suum. Magnum quæsivit imperium Alexander. Certe. Sed, ut dixi, in Asia. (*d*) Ubi regna pauca, & præstantes viri pauciores: ut honor scilicet, artium nutricula, non virtuti deferri sub regibus solet. (*e*) Sed adversus Darium ille egit, hominem novum, Codamannum quendam, non de Cyri, aut Xerxis genere. Sed tum ille monuit in Persas, quum instituta Cyri, & Persarum vetera colla-
D psa erant. Hæc fortuna Alexandri multiplex. Mei in Italia, per Africam, & Europam egerunt: ubi respublicæ plurimæ gentesque liberæ, obstinatissimæ in libertate tuenda, viris virtute virentibus instructissimæ. Quid mihi diuturnos loqueris labores nostros? quid Alexandri brevissima tempora? Regnum regno fuit conferendum, non regnum gestis unius regis. Regnum erat Alexandri Macedonicum ante Alexandrum natum. Illius regni viribus magnis aggressus est Orientem. Nostri a casis (ut tu dicis) ad imperium prodiere. De quibus si prodiisset Alexander, tum laudares, quod annis decem plus egisset, quam egerint nostri cen-
E ties decem. Alioqui sic disputas tu, plus multo te in jure tuo civili (do tibi exemplum, quod videas facile, & amplectaris libenter) quærere nunc mense uno, quam facias puer in mensibus centum, atque centum: itaque puero te esse præstantiorem. Agnoscis ridiculam, atque pudendam orationem? Aut hoc dicis, plus quæsiisse imperii Alexandrum annis decem, quam nos fecerimus umquam, etiam viribus Macedoniæ pares? Sed neque nobis id solum agebatur, ut imperium quæreremus, sed etiam ut quæreremus innocenter per caussas justas: ut audisti. Alexandro hæc justitiæ cura nul-
F la. Dic mihi bellorum Alexandri caussas? Caussæ bellorum non semper, non ubique sunt, sed offerunt se per tempora. Et itaque tempora nobis effluxerunt, per quæ imperium comparavimus. (*f*) Imperium si forte non ita latum, ut tu dicis, Alexandri, at certe multo validius, ex tuis illis fortibus Italis, duris Germanis, bellicosis Gallis,

a *Tac*. 1.*ann*. *Casu*.4. *Suet*. *Ald*. *Lips*. *Vell*. b *Macch*. 1.*de ar.be*. c *Justin*. 40. d *Macch*.2. *de ar. be*. e *Card*. 3.*de sap*.*Justi*.12. f *Card*.*d*.3.

indomitis Hispanis, invictis Britannis, nobilibus Græcis, domitoribus gentium Macedonibus, columinibus Africæ Pœnis perfectissimis, & regnis pluribus magnæ Asiæ potentissimis: id est, terris his omnibus sub utroque sole optimis, atque pulcherrimis. Hæc est amplitudo imperii vis ejus, & firmitas. Quid enim, quid est imperium hodie Hispanicum? (*a*) etsi decuplo latius, & eo amplius post Lusitaniæ regna adjecta, hodierno Turcico imperio est? Romano olim quadruplo? Atque sic habes, Picene, Alexandri tui, & Romanorum meorum comparationem. Nunc ad judicem adeamus. Nam, aliquem dum exspecto Æacum, aut Catonem per tua illa ampullata, *virum sapientem, loquentem decenter, non indulgentem affectibus*, & non video nisi litteratorem quendam, atque declamatorem, sic fugio indigni sententiam judicis, & ad majus tribunal provoco, ubi caussæ istæ majores cognosci solent. Age, agnosce, quantum sit fiduciæ in caussa bona: te, te acerbissimum accusatorem nostrum, facio judicem. Si ab ineunte ætate, sub improbo præceptore, sub improbiore parente, ad imaginem furiosi juvenis non est educatus Alexander: & tota hæc educatio nihil potest: si ficta, si mentita plurima in adulationem Alexandri non sunt: si ille fuit imperator sapiens: si viros, arma, militiam habuit meliora nostris: si cum viris ei res fuit eximiis: si res tractavit bellicas per justitiam: si ornatius nostro quæsivit imperium: age, ad te nunc adeo, judica pro Alexandro. Sed si his contraria omnia demonstrata sunt tibi: si hæc omnia, si plura Romanorum decora perpetua ostensa sunt tibi, quin ipse tu pro Romanis non judices, caussam nullam habes. In collatione autem fortunæ, & virtutis Alexandri quid potes aliud, si collegeris supradicta, quam constituere cum Curtio, (*b*) quod, etsi virtuti debuerit Alexander plurimum, plus tamen fortunæ debuit: cujus beneficio sæpius, quam virtutis magna illa gloria ipsi contigerit. At de fortuna, & virtute nostrorum: (*c*) *Populus Romanus tot laboribus, periculisque jactatus est, ut ad constituendum ejus imperium contendisse virtus, & fortuna viderentur.* Sic & Plutarchus: *Virtute duce, comite fortuna.* (*d*) Sic alius: *Virtus hic convenit, & fortuna plerumque dissidentes.*

CAP. XIII.

Fortuna imperii Romani.

Nos non pudet, post virtutem civitatis nostræ fortunam admittere: quæ fortunatum simul imperium, & felicissima secula orbis confecit. (*e*) Non fuit primo illo magistro Alexandri Homero nota, aut nominata fortuna: quam Latinus Homerus facit etiam omnipotentem. (*f*) Attamen illa intelligitur divina sors, & voluntas superior quædam arcana: eo olim nomine nuncupata, quum caussæ, rationesque incognitæ eventuum essent. Cui quidem voluntati & templa fuerant erigenda multo quam virtuti justius: vis enim mortalium virtus est. Atque tu mihi disceptationem istam refer religionum ad tempora sua: quum illi forent dii, deæque venerandi, quos civitas, & terrarum orbis universus colebat. Mittenda hic sunt omnia, quæ veræ religionis sint. Neque enim de sapientia divina, aut etiam propria naturæ humanæ incorruptæ, sed de humana, quæ in natura isthac reperiri corrupta potest.

a *Bod.* 2. *de rep.* 2. *& lib.* 3. *c.* 1. b *Cur.* 9. 12. c *Flor. prin.* d *Amm.* 14. e *Virg.* 8. *Æn. Macr.* 1. *sat.* 16. f *Cic. Phil.* 3. *Arist.* 2. *phys. Boeth. top.*

A Hanc fuisse in Romanis excellentem defendi: (*a*) quemadmodum & theologi ipsi faciunt, & distinguunt recte. Mittenda itaque & de diis propudiosis, & de templis, & cetera hujus generis: quæ extra oleas longe lateque posita sunt. Quid tamen de templo pacis, ac fidei affers? (*b*) Imo enim usque a Numa harum apud nos exstitit templum: si Clementis Alexandrini testimonium evalere tuo debet. Quid de templo Quietis, post tot sæcula, perditis illarum religionum monumentis, interpretaris? (*c*) Martis templum pacifici in opido fuit. Quod essent aliqua extra oppidum, non ea

B potest fuisse ratio, quia illorum absentiam Deorum amarit civitas: (*d*) curatoris enim valetudinis, propulsatoris incendiorum templa, Æsculapii, atque Vulcani erant extra opidum templa. Hæc mittamus: & de justitia, & de reliqua virtute politica orationem peragamus. In fine accusationis memoras malas nostras retinendi imperii artes, & malas exercendi: adeoque infelicem orbis condicionem, nobiscum hostibus, nobiscum victoribus, nobiscum rerum dominis, nobiscum semper exstitisse. Aspice, inquis, vicina urbi loca. Romanos agnosces veros Suevos. Imo, inquam ego, etiam aspice, & agnosces veros parentes humanitatis: ipsis humanissimis Athenien-

C sibus humaniores: nam ut illi ex amicis pagis pluribus composuerint urbem: nostri adhuc ex hostibus in cives allectis istud fecere. De Sabinis audisti, Albanis, aliis. Felix imperium, sub quo vincentium, & victorum condicio eadem prorsus est. Aspice, inquis, remotiora, aspice Capuam. (*e*) Aspice, inquam ego quoque, & videbis stantem urbem, quæ multo maxime merita dirui a fundamentis: multo magis id merita, quam ulla alia, quam Carthago ipsa. (*f*) Etiam, in defectione illa fœdissima, Romanos, dominos, balneis includunt, ubi æstu anima interclusa fœ-

D dum in modum expirarent. Et locus ipse, a natura factus ad superbiam, arrogantiam, ferociam, hortari sic nostros potuit, cur urbem illam exscinderent. Verum cum effecissent, ut nihil esset, cur Capuam timeremus, sublata illinc (ut tu hoc unum concludis) omni imagine reipublicæ, urbem ipsam pulcherrimam non sustulerunt. Ecce, Capuam aspicimus, laudes illic nostras invenimus, æquitatem, moderationem, prudentiam: invenimus fortunam ejus urbis, quæ maleficio civium cecidisset, nisi hostium manibus sustentata fuisset. Aspiceremus Macedoniam, & Illyrium? (*g*) Aspicimus regna non semel rebellia: & sic

E relicta tamen, ut libera jugo regio per nos, neque nobis tamen subjecta essent: justa suis legibus vivere, & libera esse: ingentibus liberata vectigalibus: dimidio exonerata tributi, quod pendebant sub regibus suis. Quæ illarum regionum felicitas? ut victæ melius duplo, imo incomparabiliter melius (si res est libertas inæstimabilis) sub hoste fuerint, quam sub civibus suis. Quæ laus munificentiæ Romanæ, beneficentiæ, liberalitatis, splendoris, magnanimitatis incomparabilis. Romanos tu avaros audeas? (*h*) Sic & Ægypto postea, sic aliis regnis remissus semper sub Ro-

F manis fuit, quam fuisset sub regibus. (*i*) Sed Siciliæ civitates sic in amicitiam, fidemque recepimus, ut eodem jure essent, quo fuissent, quæ bello subactæ, earum ager, cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis est redditus. (*k*) Apage os latum, quod audes, ex minoribus decumis, & portoriis, & pastoribus illic col-

a *Aug.* 5. *de civ. Da. Bell.* 5. *con.* 3. *c.* 4. b *Cl. A. Str.* 5. c *Mart. Cap. l.* 1. d *Plut. probl. Ro. Serv. Æn.* 6. e *Cic. agr.* 2. f *Liv.* 23. g *Liv.* 45. h *Str.* 1. *ult.* i *Cic. Verr.* 4. k *Lips.* 2. *de ma. Ro.* 2. 3.

ligere triplo amplius, quam ex decumis frumenti majoribus: quæ quarta millionis erant. Apage, qui a quantitate terræ Siciliæ argumentaris ad provincias alias: cum Siciliæ qualitas provinciis multo amplioribus eam æqualem efficiat, aut etiam superiorem. Apage cum tuis illis summis Ægypti, & Galliæ. Quid enim caussæ est, ut Suetonii, & Eutropii veteres libri mendam numeri habeant potius, quam Strabonis, & Diodori? Illi millionem ex Gallia capiunt. Isti ex Ægypto. Strabo septem milliones, & semissem, Diodorus circiter quattuor, capiunt tempore regum: adeoque plus multo capere nos solitos postea: & plus adhuc ex Gallia; de qua & plus caperetur, quam ex Ægypto. Audin', multo abire Diodorum a Strabone? Strabo notat talenta duodecim millia, & quingenta: Diodorus tantum supra sex millia. Atque ut hæc Diodori sint Ægyptia, id est, majora Romanis Strabonis: (a) tamen sic est Romanum librarum septuaginta, Ægyptium autem octuaginta: abeatque nimis summa a summa. Et ergo nec libro Strabonis credatur, nec Diodori libro, tam variis. Scis, variis testibus non credi, & discordantibus. Nam cur lubet, credere Ciceroni, de quo Strabo accepit, quam ipsis quæstoribus Ægypti, de quibus accepit Diodorus? (b) Scis, credi his magis, qui magis cognovisse valent. Viden', quo tibi abeant centum illi, & quinquaginta milliones? Etiam fac magis contrarios Strabonem, & Diodorum; & imminue adhuc de summa: nam scriptores, qui talenti meminerint, solent omnes ad talentum Atticum sexaginta librarum respicere. Et itaque de eodem dixerit & Strabo, & Diodorus, & Cicero: aut cur Cicero, & Strabo retraxerint rem ad Romanum, Diodorus Ægyptiam rationem tenuerit? Audi ab ore angusto, sed certe veriori: non quindecim milliones erant in redditibus his populi nostri. (c) Ecce, scribit Cicero, populum Romanum ex tantis vectigalibus exercitum alere vix potuisse. Et exercitum numerat sex legiones, magna equitum, ac peditum auxilia. In quæ tamen omnia non duo milliones insumebantur. (d) Adi ad tuum istum magistrum: qui legiones, equites, auxilia numerat, & stipendia partitur: nec patitur, te aut eam summam attingere: *o nostri reges*, exclamat, *quanto plus impenditis in legiunculas incompositas vestras?* Neque tamen dico, non multo supra duos milliones nobis fuisse. Sed reliqua insumebantur in alia: ut vix ista superessent in exercitus: & tamen plura incommensurabiliter superfuissent, si, non dico centum quinquaginta, sed si quindecim fuissent milliones. (e) Etiam, sexcentos milliones nobis conditos in usum belli, credam dicenti Panigarolæ? Ut auget iste aurum nobis immensum, & immensum male: ita imminuit reliqua male, quæ tamen admiranda simul cum auro cupit ostendere. Rem bellicam nostram stetisse peditum ducentis millibus, equitum quadraginta, curruum falcatorum tribus, navium duobus, triremium mille quingentis, quinqueremibus octuaginta, paratu duplici in armamentariis, elephantis trecentis. (f) Amplius, amplius. In classibus erant centum millia militum, remigumque, alibi supra quingenta. Sed cum auro maneam. Post Pompeii de Mithridate victoriam, octo nobis milliones & semissem fuisse, Budæus, & alii hactenus docti crediderunt. Quid contra dicitur? Ego ut dem, ex una Asia milliones duos relatos; non dederim tamen, supra sex, & semissem captos ex reliquo. (g) Nam ceterarum provinciarum vectigalia ita erant tenuia, ut ad ipsas provincias tutandas vix satis essent. Asia vero tam opima erat, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecelleret. Hæ sunt solidæ rationes. Illæ levissimæ sunt in numeris, qui tam facile, & tam varie corrumpuntur: quique per levissimam variationem notæ minutulæ, litterulæque summas immane variant. Illæ sunt declamationes. *O clementiam imperii Romani*, &c. Et vere tamen o clementiam. (a) Integra tum Gallia non tertiam præstabat partem ejus, quod Galliæ pars regibus præstitit postea; ut Alciatus, ecce, scripsit verissime: non vigesimam ejus, quod nunc præstat; ut vident omnes. Felix sæculum illud. Forte autem nec ditius erat multo, nec multo plus poterat dominis erogare. (b) Non sunt divitiæ succedentium temporum ætati illi, vere aureæ, veteris imperii Romani conferendæ: quod idem Alciatus te docet. Aut numquid tu putas, novum istum orbem, sive novam potius istam navigationem Columbi attulisse huc ad nos plus auri, & divitiarum, quam & Troglodytica, & Indica, quæ erat olim negotiatio? Si ad tempora spectas avorum, & misera illa post direptum toties imperium nostrum, fortassis putes bene: (c) Sed certe nihil ista sunt, si respectes imperium nostrum. Dic, portio quota fuit imperii nostri regnum Judææ, & Salamonis? (d) Iste quatuor milliones ex re una accipiebat: ut in sacris libris est, testibus illis incorruptissimis. Felix ergo sæculum, felix imperium: quum erogabatur in dominos minimum, & subditi erant multo ditissimi. Tu non laudes sæculorum felicitatem? Tu Romanos immites audeas? (e) qui victo Antiocho nihil ad conditiones illas addidere pacis, quas ante victoriam dixere, nisi elogium hoc verissimum, *Neque Romanos, si vincantur, animos minui, neque, si vincant, secundis rebus insolescere*: qui captas civitates in eo bello diviserunt inter socios: ipsi gloria sola contenti. In eo bello, in Philippico, in Punico, in aliis. (f) Quæ gaudia, quæ vociferationes universæ Græciæ in eo Philippico, cum vetus a nobis restitutus illic est status, & avita libertas? Qui plausus in sacro, solenni, amplissimo conventu editi? Quid florum in homines nostros profusum, quid laudum? An tanta terrarum hilaritas sæculi felicitas non fuit maxima? Tu in tanta communi lætitia gemis, distracta regna fremis. At securitati nostræ consulere nos etiam decuit. At quieti illorum populorum inquietæ prospicere eo modo oportuit. Sic & fortunati, qui sic positi, ut inquietari vix possent. Sic, sic

O fortunatos nimium, sua si bona norint.

Aspiceremus nunc ipsum regem Persea, filios, reliquam Macedoniæ nobilitatem? Aspicimus, quod prima specie sævum, mox apparuit multitudini pro libertate sua esse factum: nam regis amici, imperare assueti, non æquæ libertatis patientes. Sic Livius quod nos dicimus. Aspicimus hos viventes omnes: qui pessimo suo merito interfici debuissent: qui per instituta gentium, & religiones manibus nostrorum debebantur, qui illo Macedonico bello cecidissent. Vixit Perseus. Vixit: hoc certum: funere honoratus: certum & hoc: sed illud incertum, quomodo mortuus. (g) nam & est traditum, sibi ipsum manum intulisse. Scilicet didicit tandem homo ignavissimus, in sua fuisse posi-

a *Serv.* 5. *Æn.* b *c.*2.35.*q.*6. c *Cic. parad.* 6. d *Lips. de mi. Ro. lib.* 2. *c.* 5. 6. 7. *lib.* 5. *c.* 16. e *Panig. c.* 8. *extr. in Pentec.* f *Lips. de mil. Ro. lib.* 1. *c.* 4. 5. g *Cic. pro le. Ma.*

a *Alc. l.* 27. *de V. S.* b *Alc.* 3. *disp.* 9. c *Lips.* 3. *de ma. Ro.* d *L. reg.* 10. e *Justi.* 31. f *Flor.* 2. g *Zonara.*

tum manu, nec teneri in custodia, nec duci antea in triumphum: *(a)* ut, hoc cum deprecaretur, sic audivit ab Æmilio, ejus esse in potestate situm, & catenis, & spectaculo formidato se subducere. Homo ignavissimus, & abjectissimus: *(b)* cujus ipsum victorem puduerit. Quid si etiam enectus vigiliis est: sed a militibus custodibus (id siles, Picene) pertæsis custodiam longiorem? Quid? etiam credimus Mithridati: cujus illa recitas apud Sallustium verba de nece Persei? Nunc tu audi, quis iste Perseus. *(c)* Subdititius Philippi filius ex ignobili fæmina: *(d)* a Philippo exheredatus: & itaque non nativitate, non hereditate verus rex. Gestione autem regni tanto minus dignus, cui ullus capto tribueretur regius honor, quanto ipse nullo nobiscum egerat regio more, at per omnia clandestina scelera, perque veneficia grassatus est. Huic ullum jus patrocinatur in re ulla? Negant scriptores de jure belli. Et nunc igitur tu judica si clementia singularis nostra non fuit, qui vitam immerenti, honorem indigno aliquem habuit aut hoc tantum nomine, quod nomen ille regium tulerit. Mihi sane videntur mei voluisse rebus omnibus aliquid beatitatis dare, qui vanis etiam tantum attribuere nominibus. Beata tempora. *(e)* Jubæ captivitatem fortunatam: qui per eam ex barbaris Numidis inter eruditissimos historicos censeatur: ut sic Plutarchus scribit. Beata illius imperii tempora: quum & calamitates beatitatem calamitosis afferrent: & ab acri prodiret dulce. Quod si filii Persei tales a natura non exstitissent, ut servi potius, quam reges essent: an non ipsi quoque, quod Juba, digniorem vivendi conditionem arripuissent? Sed Juba passus etiam in civilibus bellis calamitatem: de quibus hoc non esse judicium, convenit. *(f)* Sed Jubæ regnum populi Romani donum, adeoque nec indignus ille contumelia, servus ingratus.

Namque memor generis Carthaginis impia proles
Imminet Hesperiæ:

Ut de hoc Lucanus dixerat. Sane transierunt per longa sæcula in hos minores, quæ odia, & inimicitiæ fuere majorum: & sic notavi antea: *(g)* & sic de Samnitibus in bello civili Mariano: sic generaliter de subditis nostris aliis in pugna Pharsalica notant alii: quemadmodum sub specie partium agerent magna contentione, & Pyrrho, & Annibale atrocius, adversus nos, ut se suosque priscos illos ulciscerentur: itaque non Afrum Arnobium, non Hispanum Orosium, non similem alium decet objicere nobis: & Britannos illos tanto minus, qui nec minus linguam habuere promptam in nos illo tempore, quam manum. Et jura tamen non nego populi Romani in dilectu, in tributo, in metallis, in aliis, quæ memorat accusator. Respondent de metallis interpretes sui juris. Respondit de tributis, & dilectibus Cerialis: *Nos jure victoriæ id solum victis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Cetera in communi sita. Ipsi victi legionibus plerumque impositi præsides, provinciis rectores. Nihil separatum, aut clausum.* Sic provinciarum sanguine provinciæ victæ. Et sic tamen republica eversa: cum antea Romano milite, & socio Latino, Italicove provinciæ domarentur. Et de remigibus tamen, quod hodie sævum videtur, illud nec fuit olim aliud, quam militia maritima, & sociorum navalium itidem dilectus. Ne tu tibi somnies adfixos hos nostros remo vel captivos miseros, vel turbes maleficos. Vastati, spoliati, deleti sunt multi? Se accusent: qui in se provocaverint arma Romana. *(a) Quæritur belli exitus, non causa*, sane inepte. Nec enim ulla est legum culpa, si sontes afflicti sint, atque perempti. Ad causas ego te factorum retraxi: & illic vanissimus es deprehensus. Felices tamen & istos dices afflictos semper: *(b)* quia & pœnas luere delictorum sit semper melius, quam impune in delictis vitam transigere: ut verissimæ sunt philosophorum traditiones. Felicissimos dixeris, nobis victoribus, dominisque, per quos victis nihil, præter facultatem malefaciendi, ablatum est. *(c)*

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus: victrices temperat ira manus.

Amicos, socios, cives voluimus nostros hostes. *(d)* ecce paulatim civitas data omnibus, qui in orbe Romano exstiterint: ecce Roma communis patria. O immensam civitatis Romanæ laudem! *(e)*

Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovet,
Matris, non dominæ, ritu: civesque vocavit,
Quos domuit: nexuque pio longinqua revinxit.
Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hospes.
Quod cuncti gens una sumus.
(f) Vivitur omnigenis in partibus haud secus, ac si
Cives congenitos concludat mœnibus unis
Urbs patria, atque omnes lare concilientur avito.

Hæc sunt testimonia quæ cum ipsis consentiunt rerum experimentis. Hæc sunt testimonia fortunati imperii Romani, & Romanæ virtutis. O mirificam virtutem, quæ & amat, & fovet hostes! *(g) Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum est, Pyrrho, & Annibale: ab altero, propter probitatem ejus, non alienos animos habemus: alterum propter crudelitatem ejus, semper hæc civitas oderit.* Semper oderit Roma Annibalis crudelitatem: Sed virtutem Annibalis amarit semper: *(h)* cui statuasque in medio oppido plures habuit. O mirificam fortunam orbis in tanta domini charitate, & cura! Cives voluit Roma omnes. *(i)* voluit de barbaris mites. Adnotabo tantum de Hispania. *(k)* Populus ille barbarus, ac ferus: cui propiora feris, quam hominibus fuisse dicuntur ingenia: cui in tanta sæculorum serie nullus dicitur dux magnus, præter unum illum a latrocinio (hæc virtus Hispana) Viriatum: ille populus legibus nostris ad cultiorem vitæ usum traductus est: & militia nostra jam instructus triumphatores nationum, imperatores orbis dedit, Balbos, Trajanos, Theodosios. Populos fortunatos nostros omnes: qui in imperio nostro non acceperunt solum, sed etiam dederunt imperatores, ipsi etiam Afri, & Syri, & Thraces, & Britanni ultimi. *(l)* Vicimus non conjurationes vicinorum mortales, flammas Gallicas, Pyrrhi elephantos, opes Antiochi, Siphacis amentiam, Mithridatis pertinaciam, Annibalis dolos, Punicam perfidiam, Ligurum difficultates, Samniticam rabiem, Etruscum robur, Campanam superbiam, Hispanorum rebelliones, Cimbrorum immanitatem, Macedonum minas,

a *Plut.apoph.re.* b *Liv.45.Plut.Æm.* c *Plut.Ara.* d *Liv.40.* e *Plut.Cæs.* f *Tac.4.ann.* g *Dio.41.Flor.3.*

a *Sen.Her.fu.2.* b *Pla.Gorg.* c *Prop.3.eleg.21.* d *Mag.4.misc.5.* e *Claud.3.Stilic.* f *Prud.2.Symm.* g *Cic.Læl.* h *Jov.icon.* & *lib.27.Herodia.4.Pli.34.c.6.* i *Stra.2.* k *Justi.ult.Serv.3.Geor.Cuta.de abig.* l *Patr.ep.ad Caro.4.Prop.2.el.10.* & *3.el.10.*

paludes Germanorum, æstuaria Britannorum, deserta Africæ, culta Asiæ. Omnia virtuti Romanæ pervia patuerunt, & dederunt victa manus. Sed sic victa sunt omnia, ut victa esse profuerit, ut sceptro hoc nostro regerentur. (*a*) Audi martyris ad deum verba, *Qui sceptra Romæ in vertice rerum locasti, sanciens, mundum Quirinali togæ servire, & armis cedere: ut discrepantum gentium mores, & observantiam, linguasque, & ingenia, & sacra unis domares legibus.* Fortuna orbis, virtus urbis. (*b*) Non fortuna universale nobis imperium peperit, sed virtus, disciplina, apta ad tantam rem omnia: quod Polybius contra Græcos quosdam suos & dicit audenter, & docet potenter. (*c*) Bonus, qui rebus interfuit, miles; bonus, qui rebus præfuit, ductor: bonus, qui summis imperatoribus adfuit, arbiter. (*d*) Hunc lege de republica nostra, lege de re militari: & cernes infra civitatem nostram omnia, veluti lenta viburna infra aerias cupressus. Sed hæc virtus nostra non inhumana, non superba erat: quæ benevolentiam omnem, & bonitatem diffundere liberalissime in omnes nollet. (*e*)

Armorum, legumque parens, quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula juris.

Hoc illud est jus civitatis nostræ, quod de floribus libatum Græciæ, refictum de arte Romana, exstincto imperio nostro durat adhuc, & in omnes penetrat orbis terrarum partes, etiam in eas, ad quas Romana arma non pertigerunt. Habes orbis desiderium, Picene: habes orbis delicium: qui destitutus fortuna illa beata imperii nostri, retinet tamen mordicus, & rapit sitiens Romanas leges: cum quibus & memoriam dulcem sibi renovet veteris sub imperio Romano felicitatis, & horum temporum tristitiam parte aliqua admixta temperet voluptatis. Illis artibus Roma crevit: istis artibus Roma stetit. Sile mihi, Picene, arcana tua; quibus illi utuntur, aut imbelles domini, aut impotentes tyranni: quorum nec leonina satis ubique pellis, & vulpina est longe propria. Ista non decent Æneadas magnos. Heu, & ingentem Æneam, & magnanimum heroem defendemus? Etiam defendemus contra Picenum: quemadmodum & se defendit Æneas ipse contra Picenos. (*f*) Scimus, hos pro Turno stetisse: iste noster Picenus, ecce, antiquum sapit. Dardanium Æneam, Hetruria oriundum, dixeris peregrinum? Cognato auxilia tulisse Hetruscos non pateris?

Hinc Dardanus ortus:
Genus a quo principe nostrum.
Dardanidæ duri, quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.

Dardanium Æneam sane: nec Dardanum parricidam, si imo defendi sæpius ista cædes, etiam & laudari potest: adeoque nec damnata illico sit, atque accusata est. Audisti de cæde Remi: explicant de aliis jurisconsulti. Laomedontium sane, sed heroem: & nec de sanguine tamen satum Laomedontis, at cognatum tantum. Etiam ne fictitia placent Daretis fictitii scripta? etiam ne Phrisingensis, nescis cujus, chartas ineptissimas laudas? Servius ibi explicat postea, quæ fuerit

a *Prud. Laur.* b *Polyb.* 1. c *Polyb.* 3. *a.* 12. *Plut. apoph. reg.* d *Polyb.* 1. 2. 3. 6. e *Claud.* 3. *Stilic.* f *Serv.* 7. 8. 9. *Ænei. Mess. de orig. gen. Rom.*

A Æneæ necromantia: perge eodem commentario legere. Sciomantiam videbis innocentem. Æneam autem proditorem? (*a*) Et Dionysius non auditur, tantæ diligentiæ, tantæ fidei auctor? Dionysius ait, refugisse Æneam in arcem: illinc infirmiores, & thesauros misisse: illum ibi restitisse Græcis diu, abiisse Græcis invitis incolumem. Hujus viri adventum in Italiam doles? (*b*) & nesciebas, Aborigines, genus hominum agreste, sine lege, solutum cum Trojanis sic convenisse, & coaluisse, ut invidiæ fuerint vicinis mox, & incomparabilis imperii fortunatissimi jecerint fundamenta. Etiam minæ fortunatæ, de quibus tanto

B augustius Ilion consurrexerit: irasceris agrestibus illis tamen: & perfugas indignaris receptos. Quid? & hoc igitur tibi jus est, undique exterminare, quos irreparabilis calamitas alicunde dispulerit? Pium certe, humanum, & æquum hoc jus est tuum. Nam quanta illa fuerit mensura agri, & qualis is ager fuerit, qui tributus Trojanis fuit, pudet dicere. (*c*) Jugera duri, atque asperrimi agri septingenta. Sed & hæc felix paupertas. (*d*) Paupertas, & parsimonia, & honor his habitus extulere imperium nostrum, & urbem nostram rem pulcherrimam effecerunt. (*e*) Illic Poplico-

C colæ, Curii, Fabritii, Scipiones, Scauri, Menenii, Attilii, reliqui: qui divites honorum, pauperes opum aliarum vixerunt. Divitiæ, & luxuria, & honor his habitus imperium nostrum perdiderunt. (*f*) Otium, & divitiæ ingruentes miseriæ fuere: & ex justissimo, atque optimo imperium meorum crudele, intolerandumque reddiderunt. Sic tempora distingues cum auctoribus omnibus: & voluptates, & lascivitates desines Curibus objectare severis. Antonii desines objectare crudeles voces: reliqua temporum succedentium: quæ nec laudat quisquam: nec ipse defendere velim: in defensione ego moderatior tanto,

D qui nec jure utor concesso defendendi etiam nocentes, atque nefarios, quam tu, qui per damnatum omnibus immane nefas, tempora justissima variis, & injustissimis omnibus modis accusasti. Imperium accusasti præstantiorum: quibus per omnem justitiam, per universalem ac sempiternam legem naturæ parere habent inferiores: (*g*) ut sic Philosophi generaliter docent: Dionysius in hac causa nostra respondet. (*h*) Justum Romanum Imperium Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Thomæ, aliis sanctis patribus, & magnis doctoribus visum est. (*i*) Josephus, Polybius, alii & hoc dicunt, docentque, imperium factum

E virtute. Virtute retentum imperium est. Scilicet & servatur res eo modo, quo quæritur. (*k*) Armis justis quæsitum, legibus justis conservatum: ut de nostro sic imperio Gothus. (*l*) Tanta majorum nostrorum virtus, ut etiam vitia potuerit posterorum sustentare: quod inquit Seneca: & quod est virtutis signum plusquam humanæ: neque enim fulcrum ullum est, quod sustentare rem possit, quæ præcipiti ruina devolvatur. At illaudata tibi, laudata omnibus virtus majorum illas ipsas ruinas vitiorum consecutorum, & præcipites in ruinam posteriores, & perire festinantes

F sustentat. (*m*) Hi nostri majores,

Hi tantum parient Latio per vulnera regnum,
Quod luxu, & multum mutata mente nepotes,
Non tamen evertisse queant.

a *Dionys.* 1. b *Sallust. Catil.* c *Serv.* 11. *Æn.* d *Liv. prin.* e *Val.* 4. *c.* 4. *c.* 4. *Liv.* 46. f *Salust. Catil. pr.* g *Pla.* 4. *de legi. Dionys.* 1. h *Cov reg. peccatum. p.* 2. §. 10. *Vict. relect. Da. ad. Bell.* 5. *con.* 3. *c.* 6. i *Joseph.* 3. *be. Polyb.* 1. k *Jor. de re. su.* l *Sene. de co. ad ma.* m *Sil.* 3.

Sed eversum tandem est imperium : & cum reliquis omnibus mortalibus habuit finem suum. (*a*) Sed, quod prædictum tanto antea fuit a viris sapientibus, ecce pulsis Romanis; Romanos dico? & hos intelligo posthumos, colluviem nationum, moribus exstinctis antiquis, deleta omni etiam imagine veteris populi? (*b*)

Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus
alumnus.

Sed ecce hoc quoque nomine depulso, hac larva, umbraque per barbaros triumphata, ecce bella omnium, omnium inter se gentium,

Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt, sævit toto Mars impius orbe,
Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ:
Addunt se in spacia, nec quisquam retinacula tendit,
Fertur equis currus, nec quisquam regit habenas.

Et hic rides Picene, orbis ridet? &, discrepare gentes moribus, legibus, linguis, sacris, animis, etiam rides? Sed, si quid mihi orbis facies, & omnium mortalium ora significant, contra vicimus: & unitatem scissam animorum deplorant omnes: pietatem, liberalitatem, fidem, magnanimitatem, pacem, securitatem, æquanimitatem Romanam suspirant, & imperium Romanum: cui justo, æquo, bono subductos se lamentantur.

a *Sall. or.* 2. *ad Cæs. Tar.* 4. *hist. Lact. de ar. pro.* 4. 15. *Plut. de for. Ro.* b *Prop.* 4. *eleg.* 1.

FINIS.

INDEX
AUCTORUM, RERUM, ET VERBORUM.

A.

—— lo-

E.

K.

L

N.

O.

Q.

R.

S.

V

FINIS.


ERRATA.

Fatali quodam casu, qui facile non recurret, factum est, ut, propter defectum postremæ pagellæ duobus in Libris, paucæ quædam emendationes animadversæ non sint. Ignosces itaque, Mi Studiose Lector, easdemque hic recensitas benevole adspicies. pag. 25. F. 24. Quod. *lege* 25. Quod. p. 28. C. Diis. *lege* Diveis p. 38. B. 3. *Ut muri*. lege 8. *Ut muri* p. 74. D. *Sei quis*, lege 4. *Sei quis*. p. 75. D. Sequitur lex. *lege* 5. Sequitur lex. p. 102. E. Potestas. *lege* 2. Potestas. p. 135. B. 2. Oisos. *lege* 3. Oisos. p. 166. A. incariatione. *lege* incantatione. p. 170. F. 6. Neive. *lege* 5. Neive. p. 196. D. prima esto. *lege* prima esto. CAP. XXIII. 1. *Lex de re judicata apud Prætorem*. 2. *Prima Lex de re judicata apud Populum*. 3. *Altera*. 4. *de Privilegiis*. 5. *de Comitiis*. p. 196. D. AERIS, *lege* 1. AERIS. p. 206. C. IOUSOS. *lege* 5. IOUSOS. p. 224. C. 24. CURIA. *lege* CURIA. p. 241. A. 5. *de Centuriatis*. lege 5. de Curiatis. p. 241. A. *Comitiis Centuriatis*. lege *Comitiis Curiatis*. p. 241. A. 9. Loco. 2. Tempore. 10. Ritibus. *lege* 9. Loco. 10. Tempore. 11. Ritibus. p. 244. E. Dixi. *lege* 6. Dixi. p. 245. D. Præter. *lege* 8. Præter. p. 246. B. 8. Locus. *lege* 9. Locus. p. 246. D. 9. Tempus. *lege* 10. Tempus. p. 246. D. 10. Restat. *lege* 11. Restat. p. 247. C. 3. Magistratuum. *lege* 3. I. Magistratuum. p. 958. E. 40. *lege* 404. p. 959. D. ubi publicos. *lege* ibi publicos. p. 966. B. recte mihi I. F. *lege* recte I. F. p. 994. D. pro funere. *lege* profundere. p. 995. D. de rust. *lege* de Re Rust. p. 1003. B. docuerunt. *lege* docuerunt multi &. p. 1005. F. pag. 49. *lege*. pag. 118. p. 1008. D. subaudiendam. *lege* subaudiendum. p. 1018. E. vectigali & publicanos. *lege* vectigali censet & publicanos. p. 1023. E. vocationem. *lege* vacationem. p. 1030. D. legem Jul. *lege* ad legem Jul.

Series Tabularum.

N. S. T. I. Tab. I. pag. 908.

N. S. T. I. Tab. II. pag. 908.








210

J. POLENO
THES. ANTI
SUPPLEME

TOM. I.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm